image
not
available



L. ANNAEI
SENECAE
PHILOSOPHI SCRIPTA
QVAE EXTANT:

EX EDITIONE ROMANA VIRORVM doctorum notis castigata: quadam etiam parte ex veteribus libris aucta.

CVM INDICIBVS CERTISSIMIS.

PARISIIS
Apud Iacobum DVPVYS, sub signo Samaritanae.
M. D. LXXXVII.
Cum Priuilegio Regis.

CONTENTA.

IN LIBROS L. ANNAEI SENECAE PHILOSOPHI

PRAEFATIO.

NTER tot tantosque viros, qui in omni scientiarum disciplinarumque genere excelluerunt, quorum quidem scripta ad nos peruenerunt, nescio an vllus extiterit, cuius e re nostra, totiusq; generis humani magis fuerit, monumenta ingenij salua sanaque perdurasse, quàm L. Annaei Senecae. Nam cum inter omnes disciplinas philosophia primum sibi locum iure vindicet: ea autem vera & germana philosophia sit, quae nos quàm optimos, & quantum humana patitur imbecillitas, beatissimae illius naturae, cuius ipsa munus est, simillimos efficit: in tanto vero sectarum numero, nulla sit, quae id amplius luculentiusque praestet, quaeque ad nostrum dogma propius accedat Stoicorum schola; nos ea scripta, quae tam praeclaram & egregiam doctrinam continent, tanto pluris aestimare par est, quanto maiorem & huberiorem fructum ab ijs, quàm ab vllis alijs percipere, aut sperare possumus. Atque vtinam tanta nobis id genus scriptorum copia suppeteret, vt quae praeferre ac sectari deberemus, diu deliberandum esset. Verum cùm iam praeter Epictetica pauca, sola haec Senecae nobis reliqua sint, gratissimo illo delectu frustrati sumus. Et tamen habenda gratia vetustati, quae cum Zenonem, Carneadem, Cleanthem, Brutum, Fabianum, ceteraque illa Stoicae scholae decora interciperet, ac perderet, in optimum scriptorem minus aliquãto iniuria fuit. Nec enim optimum vel cum bona Graecorum gratia dicere verebor hunc, de quo Plutarchus ἡ φιλοσοφίας ἁπάσης Ἀφροδίτη καὶ λύρα, nunquam Latinis ingenijs nimis indulgens, si Petrarchae credimus, sic iudicauit, in ijs quae ad mores pertinent neminẽ ex Graecis exstitisse, quẽ cum hoc conferre posset. Ex Latinis etiam, qui illi minimum tribuunt, facile in eius scriptis copiosum ingenium, multã rerum cognitionem, egregiamque vitiorum insectationem laudant, pluresque & claras sententias, multaque morum gratia legenda agnoscunt. Quorum admiratione ducti sancti patres, Tertullianus, Lactantius, Hieronymus, Augustinus, cum propter rerum quae in his tractantur pondus, sententiarumque quibus explicantur grauitatem: tum etiam propter conuenientiam, coniunctionemque doctrinae cum sua, pars Christianum esse, alij a religione Christiana non abhorrere censuerunt. Nec vero grande illud & excellens ingenium, quod verissimo elogio princeps omnis eruditionis a principe & ipso eiusdem laudis audiuit, vna gloriae materia contineri potuit: sed per omnes disciplinas versatus, omne fere studiorum tractauit genus. Quae tamen eius supersunt praeter naturales quaestiones, pauculos versus, & ἀποκολοκύντωσιν, omnia ad mores pertinent, reliqua interciderunt. Et ne quidem quaecunque ab eo de moribus

vulgata sunt, iniuriam temporis effugere potuerunt. Nam Quinctilianus dialogos scripsisse prodidit: quos ad moralem Philosophiam spectasse indicio est ille De superstitione, *cuius Diomedes Grāmaticus suae artis libro primo meminit. In quo quàm libere, quamque fortiter & tantum non Christiane contra portenta illa religionum quae iam diu inualuerāt, disseruerit, praeter insignia illius dialogi fragmēta, quae decimo & vndecimo capitibus libri sexti de Ciuitate Dei B. Augustinus inseruit, Tertullianus in apologetico probat, cuius verba, quia etiamnunc in editione Pamelij magnae lectionis, exactaeque diligentiae Theologi corrupta exstant, subijciam, vt in libro P. Pithoei summae eruditionis, doctrinae, morumque sanctitatis viri leguntur.* O impiae, *inquit,* voces, ô sacrilega conuicia. infrendite, inspumate, iidem estis qui Senecam aliquampluribus & amarioribus de vestra religione perorantē nō reprehendistis. *Sed & quae ipsum fortuitorū nomine ad tolerantiā doloris & mortis adhortantia atq; animātia scripsisse testatur Tertullianus, in dialogi formā cōposita fuisse, illa de remedijs fortuitorū ad Gallionē quae exstāt, ex istis proculdubio fortuitis excerpta, satis indicant. quorum nōllem titulum in Romana editione, & hac ipsa quae Romanam in L. Seneca ad vnguem expreßit, mutatum, & inscribi tantum Excerpta. Sic enim titulus potius concipi debuit:* EXCERPTA EX FORTVITIS AD GALLIONEM. *Sed ad rem. Librorum etiam Senecae* De officiis *idem ille Grammaticus Diomedes,* De matrimonio *B. Hieronymus primo aduersus Iouinianum, itemque* Exhortationum *Lactantius frequentißime in diuinarum institutionum opere meminerunt. Quin & ipse Seneca epist.* C V I I I. *totam Philosophiam moralem vno se opere complexum scribit. Locum, quia non vsquequaque in hac editione sanus est, vt in meis libris habetur, transcribam.* Id de quo quaeris, *inquit,* ex iis est quae scire tantum eo vt scias, pertinet. Sed nihilominus quia pertinaciter properas, nec vis expectare libros, quos cum maxime ordino, continentes totam moralem Philosophiae partem, te statim expediam. illud prius &c. *Hi sunt fortasse quos idem Lactantius lib.* V I. *libros moralis Philosophiae vocat.* De prouidentia *etiam composuisse quaedam, ex his quae habentur statim initio tractatus, Cum mundus prouidentia regatur, quare multa mala bonis viris accidunt:* & De immatura morte, *ex eiusdem Lactantij primo libro diuinarum institutionum clarum est. sed an opere separato, non liquet. Quae omnia interijsse magno Philosophiae damno, sed grauiore vetustatis inuidia, nemo est qui non sentiat. De natura vero multa & praeclara vulgasse constat. Ipse cap.* I I I I. *lib.* V I. *Naturalium quaestionum, iuuenē adhuc se de terrae motu librum edidisse testis est. Caßiodorus in Astronomiae compendio libri Senecae* De forma mundi *mentionem facit, in quo videtur formae mundi rotundae rationes reddidisse. Item & Boëtius in collectione de Geometria, si nō potius ea collectio excerpta ex Caßiodoro cēsenda sit, quàm germanum Boëtij opus. Alia praeterea vulgasse ad naturalem Philosophiam spectantia, quorum ne nomen quidem exstat, argumento illa esse possunt, quae Plinius cap.* L I I I. *lib.* I X. *de aetate muraenarum Vedij Pollionis, & lib.* X X X V I. *de marmoribus & lapidibus se a Seneca sumpsisse fatetur. Ad haec commentationem etiam* De situ Indiae, *in qua eius vrbes, amnes, populosque enumerauerat:* & De situ, & sacris Aegyptiorum *composuit. vtriusque auctoritate Seruius vtitur in lib.* V I. & I X. *Aeneid. alterius idem Plinius cap.* X V I I. *lib.* V I. *Praeter Philosophicos libros multa alia tum prosa oratione, tum numeris composuit. Sub Caio enim praecipue causis agendis foroque vacauit, & maxime, vt ait Suetonius, placuit. immo exitio paene ei fuit eloquentia, parumque abfuit, quin a Caio ob hoc solum occideretur, quòd apud eum causam aliquam disertißime egisset. subditq; Dio lib.* L I X. Τοῦτον μὲν οὖν ἀποθανεῖν κελεύσας ἀφῆκε, γυναικί τινι ᾗ ἐχρῆτο πιστεύσας, ὅτι φθόην τε ἔχοιτο

τι ἔχοιτο καλῶς, καὶ οὐκ ἐς μακρὰν τελευτήσοι. *Quo tempore declamationes, & praefationes, quas non uno loco laudat Quinctilianus, emisisse eum verisimile est. Quaedã etiam de arte dicẽdi scripsisse videtur. Nam quod idem Quinctilianus cap.* II. *lib.* IX. *profert a Seneca eleganter dictum,* Iurare patronorum non esse, sed testium, *ex quibusdam eloquẽtiae praeceptionibus desumptum probabile est. Nerone vero rerum potiente, quamuis maioribus imperij negotijs occupatus nullas amplius causas egerit, nihilominus tamen exercendae & publicandae facundiae occasionem principis non exercitata in dicendo adolescentia praebuit. quandoquidem laudationem Claudij, quam in eius funere pronunciauit, & orationes, quas ad Praetorianos, Senatumque habuit, a Seneca compositas Tacitus refert. Hanc vero ad Senatum optimam imperandi rationem ita ex sapientiae praeceptis exprimentem,* ὥστε, *inquit Dio,* καὶ ἐς ἀργυρᾶν στήλην ἐγγραφῆναι, καὶ ἐν ταῖς νέαις τῶν ἀεὶ ὑπάτων ἀρχαῖς ἀναγινώσκεσθαι ψηφισθῆναι· καὶ οἱ μὲν ἐκ τούτων, ὡς καὶ κατὰ συγγραφήν τινα καλῶς ἄρξοντα, ἐπηγγέλλοντο. *Plerasque alias etiam, quibus clementiam suam Nero obstringebat, Seneca testificando quàm honesta praeciperet, inquit idem ille Tacitus, voce principis vulgauit: quarum tamen ne vestigium quidem permansit. Nam quae apud Tacitum Senecae ad Neronem habetur, non magis eius est, quàm ad illam responsio Neronis. Quinetiam si quae maioris momenti ad Senatum mittebantur epistolae, eas ipse dictauit. & in vulgum emissas, & publicatas, ex eo apparet, quòd Quinctilianus cap.* V. *lib.* VIII. *Senecam laudat in scripto, quod Nero ad Senatum misit occisa matre, cum se periclitatum videri vellet. Addit & Xiphilinus,* καὶ τῶν βασιλίδων, καὶ ἐξελθήρων ἰσχύματα συνθεῖναι. *& fortassis Graecus homo in litteris Latinis parum exercitatus, consolationes ad Marciam & Polybium eo nomine intellexit. Epistolarum etiam libros edidit ad familiares, ex quibus pleraque ad Caesonium Maximum fuisse non male quis colliget ex Epigrammate* XLIIII. *lib.* VII. *Martialis, quod ad Ouidium tale est:*

Facundi Senecae potens amicus,
Caro proximus, aut prior Sereno,
Hic est Maximus ille, quem frequenti
Felix littera pagina salutat.

Cuius Maximi idem Seneca meminit Epistola ad Lucilium LXXXVII. Ego, *inquit*, & Maximus meus biduum iam beatissimum agimus. *Hunc etiam Maximum Caesonium in exilium Senecam fuisse secutum idem Martialis Epigrammate* XLIII. *eiusdem libri innuere videtur ad Ouidium Caesonij in exilio comitem, quod ei tanquam Pisonianae coniurationis conscio indictum a Nerone fuerat. Illud enim Epigramma sic concludit:*

Audiet hoc praesens, venturaque turba, fuisse
Illi te, Senecae quod fuit ille suo.

Sunt qui putent historias composuisse, illudq; quod vulgo L. Annaeo Floro adscribitur historiae Romanae breuiarium, huic tribuunt, sed leuissimo argumento. Quamuis enim diuisio illa aetatum imperij Romani, cuius auctorem Senecam Lactantius ait, in illo Flori libello reperiatur, potuit tamen in aliquo suorum operum Philosophicorum haec dixisse, vnde Florus desumpserit. Isidorus etiam Originum primo contractis Tironis, Persannij, Philargij, & Aquilae Maecenatis liberti notis alias addidisse, opusque in quinque notarum milia effecisse prodit: cuiusmodi in Regia, & praeclari Senatoris Claudij Puteani, aliorumque bibliothecis exemplaria cuiusdam libri exstant L. Senecae adscripti, cum hac epigrafe, L. Annaei Senecae liber notarum numero quinque milia. *Quae poëmata*

composuerit, non constat. tantum apud Tacitum legitur, obiectum ei apud Neronem carmina crebrius factitare, postquam Neroni amor eorũ euenisset. Et certe paucula eius quae supersunt Epigrammata, alia etiam composuisse ostendunt. Tragoediae quae solae ex Latinis superant, aliquãdo ei tributae sunt. Verum Sidonius Apollinaris contra est, qui alium Senecam tragicum a Neronis praeceptore facit. Et certe Octauia nostri Senecae esse non potest. Manifestum faciunt multa: sed ea praecipue, quae Agrippinae vmbra loquitur,

Veniet dies, tempusque, quo reddat suis
Animam nocentem sceleribus, iugulum hostibus
Desertus & destructus, & cunctis egens:

& victrix Poppaeae, Caesari iuncta es tuo
Taeda iugali, quem tuus cepit decor,
Et culpa Senecae:

quae de se seu vera vel falsa non scripsisset Seneca: illa vero quae de Neronis exitio vaticinatur Agrippina, vivo illo non nisi ab Apolline scribi potuerant. Praeterea Terentianus Maurus cum de versu pastorali tractans, scribit,

In tragicis iunxere choris hunc saepe diserti
Annaeus Seneca, & Pomponius ante Secundus,

satis ostendit Senecam tragoediarum scriptorem, nostro Senecae, quem Pomponio Secundo poetae Tragico aequalem fuisse ex Tacito didicimus, aetate posteriorem vixisse. Huic tamen Quinctilianus cap. 11. lib. IX. diserte tribuit Medeam tragoediam inter eas editam, quae L. Senecae iuniori adscribuntur, hemistichiumque quod in ea legitur, hunc nostri Senecae esse dicit. Interrogemus, inquit, aut inuidiae gratia, vt Medea apud Senecam:

Quas peti terras iubes?

nec dubium est quin hunc ipsum intelligat Philosophũ. Nam cum huius etiam in reliquo suo opere meminerit, si eo loco aliũ animo designasset, exactissimus scriptor aliquam distinctionis notam, qua cognosceretur quem intelligeret, adposuisset. de quo tamen acutiorum Criticorum iudicium expectamus. Sane verius est, vt ex meo animo hoc dicam, quod doctissimis viris placet, hoc tragoediarum corpus nõ vnius esse ingenij. Nam Medea ceteris purior & floridior; Agamemnon, Troas, Hercules furens, sententiarum frequentiam, breuitatem, declamatoriam que argutiam captant, scholamque magis redolent. Quod quod in solo Oedipi choro Bucolicos versus exstare obseruauimus, quibus Senecam tragicum saepe in suis choris vsum Terentianus dixit? Sunt quidem in Medea Hexametri, sed omnes vno excepto Heroici: vt difficillimum sit pronunciare cui adsignari debeant. Et haec de libris Senecae, qui interciderunt. Qui autem vetustatis iniuriam effugerunt, quemadmodum milites ex magna & cruenta clade fugientes, incompositi ad nos peruenerunt, plerique etiam mutili & imperfecti. Quid cuique desit, aptius nobis aliquando suo quoque loco ostẽdetur. Interim, quod primum duces solent, palantes & vagos colligere, in numerosque & ordines digerere conabimur. Fere libri ordine disponuntur, vel ratione materiae, quae in his tractatur, vel temporis, quo editi sunt, & emissi. Materiae ratio in iis quae supersunt Senecae haberi non potest, quae nullam inter se connexitatem habet. temporis ergo, quo scripti sunt, quoad eius vel certis probationibus, vel coniecturis assequi poterimus, rationem sequemur. Consolatio ad Marciam primum occurrit, quae sub Caligula scripta videtur. dico videri, quia de ea aliquid certi statui non potest. Cur tamen ita sentiam, ratio est, quòd Tiberij Imperatoris in ea consolatione pietatem erga matrem, captata potius quàm oblata occasione laudat, quem tamen in ceteris suis scriptis sub Claudio, vel Nerone editis libere perstringit. Nec id facit vt Marciae gratiam demereatur, quae non propitiis auribus laudes eius audisse

disse par est, cuius crudelitate patre orbata fuerat. Facit igitur vt tempori, imperantique inseruiat, cuius offensionem verebatur. Lenior fortasse est ea coniectura, sed fortioribus hac in re deficimur. Certius est quod de consolatione ad Heluiam sequitur, quam initio sui exilij, id est, anno primo imperij Claudij compositam esse ex eius lectione dignoscimus. Imperij vero Claudiam initio in exilium missum, Dio testis est, qui primum hoc Messallinae in principatu malum facinus recenset, quòd Iuliam Germanici filiam in exilium miserit ἐγκλήματα αὐτῇ ἄλλα τε καὶ μοιχείας παρασκευάσασα, ἐφ᾽ ᾗ καὶ ὁ Σενέκας ὁ Ἀνναῖος ἔφυγε. *quasi vero tantum propudium cuiquam ex animo adulterium obiicere potuerit, & non color quaesitus fuerit, quo nobilem mulierem, domusque Germanici fautorem Senecam euerteret. Eiusdem temporis est fere consolatio ad Polybium, quae in exilio scripta est, initio expeditionis Britannicae. Id cognoscere licet ex his verbis quae in ea habentur:* Sidus hoc, *inquit de Claudio,* quod praecipitato in profundum, & demerso in tenebras orbi refulsit, semper luceat. Hic Germaniam pacet, Britanniam aperiat, & patrios triumphos ducat & nouos. *nondum igitur aperuerat, quam tamen constat aggressum imperij sui anno secundo. Hinc etiam deprehendere licet mendum vel lapsum apud antiquum scriptorem in Iuuenalis Satyram* v. Hic *(inquit de Seneca)* sub Claudio, quasi conscius adulteriorum Iuliae Germanici filiae, in Corsicam relegatus, post triennium reuocatus est. *Legendum enim,* post octennium: *siquidem nonò demum anno Claudij, caesa Messallina, reuocatus est. Epigrammata etiam quae huic editioni adiuncta sunt, in exilio scripta sese ipsa clamant. Ordine procedit* ludus de morte Claudij, *quem* ἀποκολοκύντωσιν, ὥσπερ τινὰ ἀπαθανάτισιν *vocauit, initio statim imperij Neronis vulgatus: nisi fortasse aliquis libros* De ira, In sapientem non cadere iniuriam, *&*, Cum mundus prouidentia regatur, quare multa mala bonis viris accidant, *&* De tranquillitate animi, *velit huic interstitio temporis, quod ab eius reditu ad mortem vsque Claudij fluxit, tribuere. de quibus tamen, nisi quòd post Caij caedem editi sunt, nihil liquido affirmare ausim. Ludum proxime sequuti sunt* De clementia *libri. hos enim decimo nono aetatis Neronis anno conscriptos auctor indicat cap.* I X. *lib.* I. *eius operis: cuius anni mense quarto imperium Nero suscepit.* De beata vita *post primum quadriennium Neronis scriptus est, cum scilicet auctoritate & dignitate cunctos praetergressus, immensisque auctus principis liberalitate diuitiis, ab inimicis accusari coepit, quasi contra sectae praecepta ter millies sestertium intra quadriennium regiae amicitiae congessisset, laxius opulentiusque habitaret, lautius atque splendidius cenaret ac viueret, quàm deceret modestiam & frugalitatem professum. Hae enim, vt inquit Tacitus, fuerunt Suillij, & aliorum improborum hominum de eo voces, a quibus Dio in historiam suam transtulit, in instrumento eum domestico* πεντακοσίους τρίποδας κεδρίνου ξύλου, ἐλεφαντόποδας ἴσους καὶ ὁμοίους *habuisse, quibus cenaret. Quae sibi a maliuolis obiecta illo libro* De beata vita *diluit a cap.* X V I I. *ad* X X V I I I. *docetque semper in summos viros confictum, quòd contra praecepta viuerent. se nec sapientem esse, nec tantum de se promittere. sibi sufficere si malis, iisque a quibus criminaretur, melior euaderet. diuitias tamen bonae menti non officere, meliusque apud sapientes & bonos, quàm apud malos & stultos habitare. Haec qui non intellexerunt Senecam de se dicere, foede locum insignem cap.* X X V I I. *illius libri, quod adhuc animaduersum non est, corruperunt. Is ita habet,* Quare hic Philosophus laxius habitat? quare hic lautius cenat? papulas obseruatis alienas, obsiti plurimis vlceribus. Hoc tale est, quale si quis pulcherrimorum corporum naeuos, aut verrucas derideat, quem foeda scabies depascitur. Obiicite Platoni quòd petierit pecuniam, Aristoteli quòd acceperit, De-

mocrito quòd neglexerit, Epicuro quòd consumpserit, mihi ipsi Alcibiadem, & Phaedrum obiectate. quo loci quid haec postrema verba sibi velint, non video. Qui haec mutari nolunt, aiunt a Socrate, quem paulo superius loquentem finxit, dici. Sed quid Alcibiades & Phaedrus ad diuitias? Praeterea a Socrate non dici vel hinc notum, quòd magnificentior habitatio, aut sumptuosior cena nunquam Socrati obiecta est: nec Seneca adeo vel historiae, vel artis dicendi inscius, vt eum induceret Aristotelis tanto minoris, & Epicuri sexaginta demum annis post obductam cicutam nati exempla referentem; de quo ne cogitare quidẽ potuit. Et sane omnes ante annum CIↃ.IↃ. XXXVII. editiones locum ita exprimunt, mihi ipsi alicubi ad se, & Phaedrum obiectate. ex qua lectione, quae vulgo habetur, effecta est. Tres manuscripti codices legunt, alicubi assem & pedrum, vnus plane, alicubi assem, & praedium, quod solum purum putum arbitror. Per assem enim & praedium suas opes significando extenuat, quas maxime in foenore & praediis constitisse apud antiquos certum est. & ipse auctor suas in his rebus sitas in oratione ad Neronem apud Tacitum refert. Vbi est, inquit, animus ille modicis contẽtus? Tales hortos instruit, & per haec suburbana incedit, & tantis agrorum spatiis, tam lato foenore exhuberat, &c. nec ampliorem manifeste verae lectionis probationem requiret, qui diligentius totum eum locum pensitarit. Nos reliqua persequamur. An succedat liber De breuitate vitae, quaestionis est. mihi ita videtur. Pompeio enim Paullino dictus est vectigalium publicorum praeposito, Pompeiae Paullinae vxoris, quam ante aliquot annos duxerat, patri fortasse vel fratri. De ea enim intelligo, quod ἐπιφανέστατον γάμον γαμῆσαι nostrum Senecam circa illud tempus Dio retulit. Id autem ostendunt quae ad Paullinum cap. XVIII. eius libri diriguntur. Tu, inquit, orbis terrarum rationes administras tam abstinenter quàm alienas, tam diligenter quàm tuas, tam religiose quã publicas. in officio amorem consequeris, in quo odium vitare difficile est. Haec non nisi de vectigalibus, quae aptissime terrarum orbis rationes vocat, intelligi possunt, quorum cum L. Pisone, & Ducennio Gemino ei cura extra ordinem demãdata fuerat. Nam quae de frumẽto publico subiicit, ad frumentum quod ex decumanis agris vectigalis nomine percipiebatur, refero. quin etiam tribus illis consularibus iniunctam vna cum vectigalibus annonae curam, nihil impedit: immo Tacitus id dicere videtur, qui narrationi de publico frumento vetustate corrupto, frumentariisque nauibus partim igne fortuito, partim tempestate perditis, quasi iis damnis obuiam itum in posterum significare vellet, tres illos consulares vectigalibus praepositos subiunxit. Praeterea toto eo libro id agit, vt doceat hanc vnam esse vitae extendendae rationem, quam omnes breuissimam queruntur, si, ceteris rebus omissis publicis priuatisque, quas vel vanas, vel exitiosas, etiam quae tutissimae videntur, exitus probat, omnem aetatem sapientiae studiis impendamus, nobisque ipsis viuamus. huic vni curae Paullinum, relictis publicis, quibus detinebatur, negotiis, incũbere hortatur. Haec maxime cum ipsius Senecae vitae conditione, quae tum fuit cum tres illi consulares vectigalibus praefecti sunt, congruunt, nempe aliquot post mensibus, quàm suas opes, quibus in inuidiam apud Neronem trahebatur, resignare voluit, commeatu nõ impetrato, commutatis tamen prioris potentiae institutis, prohibitis salutantium coetibus, philosophiae studiis domi, vel proximis vrbi locis, quamdiu Romae Nero aderat, se continens. Haec diserte Tacitus: in eoque vitae instituto perseuerasse ad vltimum vsque diem non obscure refert. Quo magis miror, vt id in transitu dicam, quibus rationibus, aut coniecturis ducti eum P. Mario, & L. Asinio consulibus quidam sufficiant cum Trebellio Maximo, cum quo licet consul fuerit, non tamen eo anno arbitror. Quod autem in eodem libro habetur, modo cum Caius Caesar periit, intra paucos septem scilicet vel octo dies, adfuisse vltimum malorum

etiam

etiam obsessis, alimentorum egestatem, ἐν πλάτει accipiendum est, cum XXII. *anni inter Caij necem & hoc tẽpus quod in manu est, effluxerint. Sic enim & cap.* XXX. *&* XXXI. *lib.* IIII. *de Beneficiis, de consulatu Cinnae & Mamerci Scauri loquitur tamquam de re modo gesta, & tantum non praesenti, quos tamen constat triginta & quadraginta annis ante illorum librorum editionẽ consules fuisse: & epist.* XLIX. *iam senex,* Modo, *inquit*, apud Socionem puer sedi, modo causas agere coepi. *&c. Supersunt* Epistolae, & Quaestiones naturales, *vltimi excellentis ingenij fetus, eiusdẽ cum libro de breuitate vitae, temporis, vel etiam posterioris. In Epistolis passim rerum humanarum varietatem perpetuamque inconstantiam exagitat, honorum, diuitiarum, ceterorumque, quae vulgo sectamur, dubium euentum, saepe etiam assecuto exitiosum. Vbique egestatis, exilij, mortisque contemptum inculcat, solidamque eam securitatem esse, quam quisque in se reponit, docet. quam tamen difficile sit assequi, nisi vnius animi ratio habeatur, cetera vt superflua rescindantur, totusque qui eam adipisci nititur, in se contrahatur. Haec scribere erubuisset in summo rerum negotiorumque fastigio, & clarissima imperij Romani luce versans, cuius non minus quàm Imperatoris moderator erat: non, inquam, ad amicum, cui interiora quoque nota erant, scripsisset, nisi re ipsa praestitisset, & exemplo suo vera esse comprobasset. Ad hoc autem praescriptum vitam eum suam instituisse, postquam inuidiosas eius diuitias Nero recusauit, supra diximus: quarum etsi possessionem specie retinuit, animo tamen deposuit, curamque earum & vsum abiecit. Denique Epistola* XXCIII. XXCVII. *&* CXXIII. *talem vitam suam describit, nempe solitariam & parcissimam, qualem Tacitus hoc tempore egisse retulit. Nam florentibus & laetis rebus contentum fuisse vno vehiculo, mulione excalceato, mulis macris & strigosis, pane gregario, vel aliquando nullo, caricis pro pulmento, nemo persuadebit, cum sibi tum luxum obiectum ipse fateatur. Quin etiam si quid expressius & strictius de tempore quo illae Epistolae scriptae sunt, definiendum est, vltimis mensibus consulatus Reguli & Rufi, & anno proxime sequente, Lecanio & Licinio consulibus, omnes missas arbitror. Et sane intra annum vnum editas esse ex earum lectione manifestum est, temporisque consecutio, quae in ijs deprehenditur, ostendit. Decimaoctaua Decembri mense scripta est,* XXIII. *initio veris, quod malignum, & inuerso tempestatis ordine frigidum queritur.* LXVII. *vero ad eiusdem veris finem. Eiusdem autem esse veris peruersi & praeposteri, probant quae initio eius Epistolae leguntur.* Vt a communibus, *inquit*, initium faciam, ver aperire se cepit: sed iam inclinatum in aestatem, quo tempore calere debebat, intepuit. nec adhuc illi fides est. saepe enim in hyemem reuoluitur. Vis scire quàm dubium adhuc sit? nondum me committo frigidae, adhuc rigorem eius infringo. *Male in ceteris editionibus, vt obiter hanc maculam eluam,* nondum me committo frigido veri: *& in hac editione,* frigido aëri: *frigidam enim aquam intelligit, qua pro balneo quotidie vtebatur. Testis Plinius lib.* XXIX. *natural. histor. vnde se ipse psychrolutam, & frigidae cultorem non vno loco vocat. Sed ad rem. Epistolam octuagesimam septimam Iunio mense in Iulium vergente dedit, cum esset in Scipionis villa in agro Linternino sita, quam tunc temporis Vetulenus Aegialus libertinus colebat. Centesimam vigesimam tertiam autumni initio. vt inde appareat intra anni nec integri spatium omnes editas. Eum autem esse annum quem diximus, hinc noscere est, quòd in Campania, nempe Neapoli, Pompeijs, Baijs, Cumis, Puteolis, & in Linternino agro omnes a quinquagesima ad octuagesimam septimam*

datae sunt: in quae loca Senecam iuisse in comitatu Principis, in quo semper retentus est, intelligo; cum Nero scenarum publicarum desiderio, in quibus vocem ostentaret, tantam infamiam Romae auspicari veritus, Lecanio & Licinio Coss. Neapolim profectus est, vbi suam vocem primum publicam fecit: & hinc Beneuentum, Achaiam cogitans, vnde tamen statim mutato consilio in vrbem rediit, & cum eo Seneca. Inde, vel ex proximis vrbi villis, Albano nempe, & Nomentano, ceteras post octuagesimam septimam epistolas missas existimo. Praeterea epistola nonagesima prima Lugdunensem coloniam fortuito igne exustam deplorat. quod eo anno accidisse credendum est, cum proxime sequenti, quo ipse Seneca occisus, Neronem quadragies sestertio Lugdunensem cladem solatum retulerit Tacitus: nec eiusmodi solatia diu post acceptas clades differri solita ex historiis obseruatum sit. Seneca in eadem illa epistola centesimum eius coloniae annum fuisse ab origine sua cum exusta est, scribit. Sed nec inter auctores constat quo anno deducta fuerit. Eusebius enim anno vltimo centesimae decimae octauae Olympiadis deductam indicare videtur: nec ita exacte illius coloniae annos Seneca definire voluit, quinetiam quod excurreret, intelligeretur. Is autem centesimus eius vrbis & sextus annus ad Dionis calculum fuit, qui exstructam Hirtio & Pansa cons. prodit. Eiusdem sunt temporis libri naturalium quaestionum. Firmissimum argumentum est, quòd in praefatione libri sexti, terraemotum, quo Pompeiorum magna pars proruit Memmio & Verginio Rufo cons. Nonis Februariis, describit. in quo tamen a Tacito dissentit, qui praecedenti anno narrat. Ceteros, qui huc vsque ei adscripti sunt, in nullo numero ponimus, indignos qui tanto auctori tribuantur. De Controuersiis & Suasoriis *non loquor, in quibus patri suus heres iure successisse videbatur.* Declamationum *vero* libri decem *excerpta esse Controuersiarum alibi docuimus. Epistolas ad Paullum dico, quae non magis eximium nostri auctoris ingenium sapiunt, quàm responsiones ad illas Deo plenum* καὶ θεοφόρον *Paulli stilum: ideoque a doctis non magis pro Senecae germanis agnoscuntur, quàm responsiones ab Ecclesia pro Paullinis. Antiquae sunt, & ante Augustini, Hieronymique aetatem; sed non nostro demum saeculo eiusmodi suppositiones occoeperunt. De paupertate cento est ex epistolis, quem Iurisconsulti esse responderent eius qui concinnauit. De remediis fortuitorum excerptum esse supra diximus ex fortuitorum dialogis. De virtutibus est Martini Braccarensis Episcopi, qui canones Orientalium conciliorum in Hispaniam attulit, secundaeque Braccarensi synodo approbauit sub Theodomiro Galleciae rege, cui Myro successit, ad quem ille liber. Et haec fortasse nimis multa de libris Senecae. Nam quae de stilo eius, & dicendi charactere hîc addi possent, Quinctilianus olim, & nostro saeculo Erasmus ad calumniam vsque excusserunt. Haec, vt ad intelligentiam operum Senecae fortassis non officient, ita magni in litteris & diserti viri, qui ea recensenda susceperat, & fere adfecerat, desiderium excitabunt: a quo eadem ornatiora, & omni ex parte meliora, nisi morte praeuersus fuisset, habituri eramus. Huic nos in praeclaro curriculo fati malignitate deficienti, non ignàros alioqui quàm difficile sit post Rosciũ in orchestra placere, & vanum* ἡλίου λάμποντος λύχνον ἅπτειν, *succenturiari, & iniuriae publicae, quantum in nobis fuit, intercedere, cum grauissimi & sanctissimi scriptoris amor, tum amicorum ornatissimorum virorum, quibus omnia volumus, ac debemus, expostulationes impulerunt. A libris Senecae, quos Muretus recognouit, manum in hac editione abstinuimus. Quamuis enim in iis quaedam deprehenderimus, quae acutum properantis iudicium effugerunt, dum variis afflictus morbis, non longe a vitae creta abesse*

eſſe ſe ſentit, (hoc enim amicis per litteras ſignificauit) opuſque premente fato vrget: addere tamen quicquam, vel immutare viſum non eſt, vt ſaltem puri puti ex eius recenſione exſtarent. meliuſque & commodius ſeparato Praetermiſſorum in L. Senecam opere, quod ſub manu eſt, indicari, & adnotari poſſe cenſuimus. Quo, ſi haec grata tibi, optime lector, & accepta perſpexerimus, nos, Deo dante & perficiente, breui te impertiemus.

ORDO LIBRORVM SENECAE

quo ſcripti fuerunt.

D. ERASMI ROTERODAMI
DE SENECA IVDICIVM, CVIVS
IN SVPERIORE PRAEFATIONE
mentio facta est.

T Senecam tam prodigiose deprauatum haberemus, praeter illas vulgares causas, incuriam inscitiamque scribarum, temeritatem sciolorum mutantium quicquid non assequuntur, seorsum duas potissimum fuisse perspicio. Prior est ipsa Senecae phrasis, quae quoniam nusquam non affectat declamatorias argutias, interdum vsque ad aenigmatis obscuritatem, praesertim quum accedat orationis concisae parumque compositae abruptum, vt facillimus, ita periculosus erat lapsus, vel minus eruditis, vel oscitantibus. qua de re mox plura nobis dicentur. Altera, quòd hunc scriptorem prisci Christiani sibi studio quodam vindicarunt, ac propemodum pro orthodoxo sunt amplexi: partim ob praeceptorum sanctitatem, quam in huius libris animaduerterunt: partim commendatione libelli, qui continet epistolas aliquot vltro citroque inter Paulum Apostolum & Senecam missas, mendaci quidem titulo: sed in rebus humanis mirum est, quantum interdum habeat momenti fictum ac friuolum nugamentum. Non enim belli tantum, iuxta prouerbium, sed totius vitae mortalium multa sunt inania. Iam quum semper vulgo nihil soleat esse leuius, quo seculum illud habebat homines ad pietatem proniores, magis credulos, minusque suspiciosos, hoc facilius erat illis fuco pietatis imponere. Nec parum accessit illi fauoris ex D. Hieronymi commendatione, qui Senecam recensuit in Catalogo sanctorum: quanquam in eo Catalogo commemorantur aliquot admodum probatae sanctitatis, velut Nouatianus & Donatus haeretici. Ita factum est, vt ob religionis amorem fastiditis ethnicorum litteris, politioribus disciplinis, linguis, & antiquitatis peritia, Senecae libros & priuatim sibi legerent, & publice iuuentuti praelegerent homines infantes, ac vix semigrammatici, tantum aspersi rudis illius & inconditae philosophiae somnio verius quàm cognitione, qui professionem auspicabantur ab explicatione quattuor causarum, materialis, formalis, efficientis, & finalis. Deinde praefati epistolam esse moralis philosophiae, diuidebant eam in duas partes principales, & rursus harum singulas in tres aut quattuor minus principales. His fumis ingressi, quum ventum esset in medium, si qua vox occurrisset inusitatior, si quod schema, si qua ad auctores non vulgares allusio, si quid graecitatis, si quid veteris historiae, breuiter si quid omnino rettusioris eruditionis, quum harum rerum nihil didicissent, quibus paene ad ostentationis vitium scatet Seneca, necesse erat, vt aut mera portenta comminiscerentur, aut mutarent scripturam.

Quid ni? αἰσχρὸν γὰρ σιωπᾶν vbi cathedram conſcenderis: & inſcitiam profiteri non conuenit ei, qui pileo tituloque magiſtri artium celebris eſt. Vix dictu credibile; quantam hic impietatem commiſſam deprehenderim. Eundem locum interim adeo varie corruptum, & tam impudenter mutatum offendimus, vt nullum verbum nec inter deprauatores, nec cum germana lectione, quam in peruetuſtis exemplaribus inuenimus, conueniret. Itaque dum quod ſemel deprauatum eſt, alius ſimili temeritate nititur emendare, rurſum alius atque alius ſubinde nouat aliquid, fit mendum inemendabile, vt nulla iam quamuis eruditi hominis diuinatio poſſit opitulari. Nam quod ſcribarum inſcitia committitur, habet aliqua germanae ſcripturae veſtigia, quae ſagacibus ingeniis praebent aliquam veri coniecturam: quemadmodum in his quae ex notulis excipientium, aut ex dictantis voce non aequaliter ad omnium aures perlata vitia ſunt, locus aliquis relictus eſt eruditorum coniecturae. Solebant enim profeſſores dictare ſcribendum, quod erant enarraturi. His non omnes erant aeque vicini, & diuerſa eſt nationum pronunciatio, nec ſemper articulata lingua eſt pronuncianti. Hinc euenit, vt *contantius* ſcriberetur pro *conſtantius*, & *alea* pro *area*. Similiter notularum varietas dabat anſam erroris. Attamen illud debemus Chriſtianorum ſtudio, quòd cum tot clariſſimi ſcriptores interciderint, Seneca nobis magna ex parte ſuperſit: ſi tamen hoc eſt ſupereſſe. Caeterum illis non aſſentior, qui certāt Senecam facere Chriſtianum, Nicodemo ſimilem: qui quum nullum habeant argumentum probabile, praeter epiſtolas, quas docebimus a ſtudioſo quopiam fuiſſe confictas, nullum prorſus habent argumentum, niſi quòd ſub eodem Caeſare vixerunt Romae. Certe cum non alius de contemnenda morte ſcripſerit vnquam, vel ſaepius, vel fortius, quî conuenit adeo fuiſſe meticuloſum, vt ne in ſcriptis quidem extrema ſenecta proditis vſquam ſubindicarit ſuam profeſſionem: tam cautum, vt nihil ſuboleuerit Neroni, qui quum illum decreuiſſet e medio tollere, & cauſas commentitias praetexeret, Chriſtianiſmi crimen non obiecit? Sed quorſum attinet hoc commentum? An vt libros illius Chriſtianis hominibus commendent? Equidem arbitror magis in rem eſſe lectoris, vt Senecae libros legat, velut hominis ignari noſtrae religionis. Etenim ſi legas illum vt paganum, ſcripſit Chriſtiane: ſi vt Chriſtianum, ſcripſit paganice. Quum autem in illo ſint plurima quae ſegnitiem noſtram poſſint ad virtutis ſtudium accendere, habebunt eadem acriores aculeos, ſi cogitemus ab ethnico profecta. Apud illos enim ſunt quaedam ita dicta geſta ve, vt iuxta Chriſtianam quidem philoſophiam vehementer ſint improbanda, prae ſe ferant tamen miram virtutis indolem: velut illud Socratis, *Hoc vnum ſcio, quòd nihil ſcio*, quum ſit abſurde dictum, tamen exprobrat nobis noſtram arrogantiam. Et Lucretiae factum, quum ſit optimo iure deteſtabile, nobis tamen commendat pudicitiae ſtudium: & hoc efficacius commendat, quòd exemplum ab ethnica femina profectum ſit. Itaque quod ad mores attinet, maiore fructu legetur Seneca, ſi legatur, vt, quemadmodum fuit, paganus. Nam & Chriſtiane dicta vehementius afficient: & ſecus dicta, minus laedent. Caeterum quod ad eruditionem aut eloquentiam pertinet, cum iudicio delectuque legendum eſſe Senecam, iam olim admonuit Quinctilianus, tanta aequitate temperans ſuam de illo cenſuram, vt nec perſonae ſtudio laudet improbanda,

banda, nec odio damnet quae laudem promeretur. Proinde fortassis non ab re fuerit, si studiosae iuuētuti paucis indicē, quae sint in hoc autore fugienda, quae sequenda. Primum habet voces suas, velut in hoc affectatas, vt dissimilis sit Ciceroni: quanquam hoc illi cum Quinctiliano Pliniisque commune, & haud scio an cum toto illo saeculo, quod Ciceronis, velut argenteum aureo successit. Huius rei pauca subiiciam exempla, vt lector ex his coniiciat caetera. Pronomine reciproco *sui*, *sibi*, *se*, frequenter durius vtitur. *Tanquam*, pene semper vsurpat pro *velut*, siue, *vt si*, quando vult exemplum subiicere. Aliquoties dicit *aeque quàm*, pro *aeque atque*. *Cùm* gaudet addere superlatiuis, *quàm*, quod sciam, nunquam: vt *cum maxime*, pro *quàm maxime*. *Aduersus* pro *erga* frequenter vsurpat in bonam partem: vt, *gratus aduersus deos*. In hac sermonis forma, *Non modo contemnit homines*, *sed deos negligit*, vix vnquam addit coniunctionem, *Sed & deos*: aut, *Sed deos quoque*. Haec atque his similia, non reprehendo, nec damno: tantum indico non esse Tulliani candoris. Quinctilianus libro decimo tribuit illi styli vsum, quòd in nullo scribendi genere non esset versatus: tribuit ingenium facile & copiosum: tribuit studium, & plurimarum rerum cognitionem: fatetur illum abundare multis & praeclaris sententiis: probat libertatem in vitiis hominum insectandis, addens illius libros & ad mores formandos conducibiles esse. In summa, fatetur in illius libris esse multa, quae non solum probari debeant, verumetiam admirationem mereantur. Sed ex aduerso detrahit illi philosophiae exactam cognitionem, adimit iudicium de seipso, quod illi corruperat humanum vitium philautia: qui naeuus nonnunquam in doctis ac bonis viris reperitur, sed quem abunde multis pensent virtutibus. Nam id subindicat, quum ait: *Si non omnia sua amasset*. Ac mox, *Velles*, inquit, *eum suo ingenio dixisse*, *alieno iudicio*. Parum aequus iudex Seneca fuisse videtur alienorum scriptorum. quod hisce verbis significauit Fabius: *Quem non equidem omnino conabar excutere*, *sed potioribus praeferri non sinebam*, *quos ille non destiterat incessere*: *quum diuersi sibi conscius generis*, *placere se in dicendo posse*, *in quibus illi placerent*, *diffideret*. Quod ad phrasim attinet, putat, in eo corrupta esse pleraque, quae hoc plus officiant, quòd abundant dulcibus vitiis: nominatim illud taxat, quòd pondera rerum minutissimis sententiis frangat. & alibi, ni fallor, notat in eo concisum & abruptum dicendi genus. Candorem in illo desiderasse videtur & Suetonius, in Nerone Claudio scribens hunc in modum: *Liberales disciplinas omnes fere puer attigit*: *sed a philosophia eum mater auertit*, *monens imperaturo contrariam esse*: *a cognitione veterum oratorum Seneca praeceptor*, *quo diutius in admiratione sui detineret*. At idem in Caligula, Senecae videtur tribuere lene comptumque dicendi genus, ita loquens de Caesare: *Lenius comptiusque scribendi genus*, *adeo contemnens*, *vt Senecam tum maxime placentem*, *commissiones meras componere*, *& arenam sine calce esse diceret*. Quum Seneca sit affectibus tragicis vehemens, miror qur Suetonio videatur esse lenior: vt ne de sermonis cultu disputemus. At his etiam liberius in Senecam destomachatur Aulus Gellius noctium Atticarum libro duodecimo, capite secundo. Posteaquam enim retulisset aliorum de Seneca iudicium, quorum alij censerent illius libros prorsus indignos qui legantur, quòd eius oratio protrita videatur ac vulgaris, res atque sententiae, aut inepto inanique impetu sint, aut leui quasique dicaci argutia, eruditio vernacula ac plebeia, nihil ex veterum scriptis habens neque gratiae neque dignitatis: alij

paulo aequiores, sermonis elegantiam magna ex parte illi detraherent, rerum vero cognitionem non adimerent, in vitiis autem obiurgandis, seueritatem grauitatémque non inuenustam comprobarent: nominatim Senecae iudicium de Cicerone multa cum libertate reprehendit, vsque eò incandescens, vt illum appellet nugatorem hominem: moxque subiicit, Sed iam verborum Senecae piget, haec tamen inepti & insipidi & insulsi hominis ioca non praeteribo. Denique sic claudit censuram: Dignus sane Seneca videatur lectione ac studio adolescentium. Mox vt arguat inter male dicta Senecae, quae plura videri vult quàm bene dicta, esse quaedam quae probare possis, vnicam duntaxat profert sententiam hanc, *Quid refert quantum habeas? multo illud plus est, quod non habes*: etiam si non videtur hoc Senecae dictum, sed Publij Mimi, quum sit versus trochaicus tetrameter catalecticus. In hoc Gellij iudicio, neque nihil est, neque vera tamen sunt omnia. Aequior in hunc est Cornelius Tacitus, qui quum integritatem constantiamque hominis cum caeteris rerum scriptoribus praedicet, orationis etiam cultum tribuit: dicendi genus ad delectationem verius, quàm ad seueritatem comparatum excusat hoc nomine, quòd vir prudens quum perspiceret ferum adolescentis ingenium per philosophiae praecepta ad virtutis amorem non posse flecti, suauioribus amoenioribusque studuerit illud vel emolliri, vel occupare. Hinc factum est, vt Nero pangendis carminibus praecelluerit, quum orationibus a Seneca compositis sese venditaret. Inter omnes virtutes, quas & multas & eximias in Senecae scriptis esse fatetur Quinctilianus, nulla potior, quàm quòd lectorem miris aculeis ad honesti studium inflammet, ab humilibus curis ac sordidis voluptatibus auocet. Quod quum sit optimum, quid refert qua phrasi id efficias? quanquam ipsa quoque talis est, vt eruditissimo saeculo fuerit inter praecipuos: tantum abest vt hisce temporibus possit fastidiri. Neque tamen nihil habent veri, quae doctissimi scriptores de illo pronunciarunt. Fuit alienorum ingeniorum parum candidus censor. Subinde ludit in Graeculos, & interdum absque causa: neque fere refert ex probatis auctoribus, quod non conetur conuellere, quasi turpe sit, cuiquam omnino assentiri. Quoties autem ingeniorum & eloquentiae censuram sumpsit, quod potissimum facit in libris Declamationum, quàm multos incessit petulantius, aliis tribuens fatuas sententias, aliis insanas, aliis stultas, salibus plus satis dicacibus, parumque dignis viro graui, ludens in plerosque? Quae res speciem habet animi parum alienae laudi fauentis, & suae nimium indulgentis. Quanquam hic est ferme morbus ac fastidium eruditorum omnium, vt vix existat aliquis tam absolutus, vt alteri per omnia satisfaciat: nisi longa temporis praescriptio, summota iudicandi libertate, religione quadam animos omnium occupauit. Nasonem aliquoties parum amanter attingit, quòd indulserit ingenio suo, vitiaque sua diligere maluerit quàm corrigere. Quod iudicium videtur & Quinctiliano placuisse, qui putat ex illius Medea colligi posse, quantum praestare potuisset, nisi maluisset indulgere ingenio suo, quàm temperare. Atqui Seneca magis indulget ingenio suo in oratione prosa, ac seriis argumentis, quàm Ouidius in poëmatibus, plerisque ludicris. Alicubi desiderat in illo grauitatem rebus dignam, velut in descriptione diluuij Deucalionei: alias offenditur copia, quòd desinere nesciat. Nonnunquam obiicit, quòd sententiam aliquam mutuetur a Porcio Latrone: quasi talem non possit ex se comminisci, aut quasi non possit fieri, vt duobus eadem sententia

veniat in mentem. Nec Virgilio parcit interim, nec Ciceroni: quae tamen res conducit studiis, si fiat aequis iudiciis, ac citra petulantiam. Iam hoc ipsum quod in Seneca cum primis laudatur, corruptum est. Insectatur mores hominum libere salseque, sed non semper in loco, interdum immodice, tum aliquoties affectatius, hisque modis, vt non ita multum absit a scurrilitate: quaedam vitia sic describit, dum insectatur, vt videatur ridere potius quàm odisse, vtque doceat magis quàm detestetur. Sunt enim quaedam eius generis, vt ea depinxisse, sit vel docere, vel irritare. Qualis est obscoenissimus excursus in primo libro Quaestionum naturalium, de speculorum vsu. Iam quum Declamationum libros scribat ad filios suos, Senecam, Melam, & Nouatum, tamen admiscet quaedam, quae vir verecundus vix auderet, etiam praefatus honorem auribus, proloqui, nedum pater apud liberos. Et habet quidem haec in mores publicos dicacitas voluptatis aliquid, sed parum liberalis, ni pudoris habeatur ratio: nec quicquam procliuius, quàm in his disertum esse. Vnde fit, vt hodie quoque Ecclesiastae quidam, si de rebus sacris dicendum sit, elingues, in hoc argumento sint linguacissimi. Quin vbique plurimus videtur iocorum affectator, etiam in rebus maxime seriis: in quibus optarim illum aliquanto longius abesse ab ineptia, obscoenitate, vitioque scurrilitatis ac petulantiae. Est omnino liberale quoddam iocandi genus, est & perpetua quaedam orationis iucunditas, quae virum bonum non dedeceat, si in loco adhibeatur: at in Seneca saepe cachinnos sentias potius quàm risum. Nec omnino temere est, quod de sententiis illius queritur Fabius, qnas nusquam non affectat. Itaque fit, vt dum omnia per sententias conatur dicere, quanquam sunt plurimae quibus nihil possit esse felicius, tamen intercurrant aliquot durae, frigidae, & ineptae. Idem vsuuenit in captandis epiphonematibus & argutiis, quae frequenter apud hunc in verbis sitae sunt potius quàm in rebus, vnde necesse est frigidiores esse nonnunquam & obscuras. Quod genus est illud ex prima statim ad Lucilium epistola: *Quaedam tempora surripiuntur nobis, quaedam subducuntur, quaedam effluunt.* Sed & illud quod mox idem subiungit: *Magna vitae pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* Neque nihil peccat in petendis affectibus, quos alij docendo praeparant, suoque tractanr loco. Nam passim agitare affectus adeo non probatum est a doctis, vt quidam affectus in totum submouerint, velut officientes iudicio. At hos Seneca vbiuis & in ipso statim initio stimulat verius quàm mouet, & in his maxime tragicos, quae Graeci πάθη vocant. Itaque quoties in grandes materias incidit, puta de vniuerso, de natura deorum, de Stoico sapiente, de terrae motu, de fulmine, de diluuio, de fine mnndi, de contemptu mortis, de motibus spontaneis, veluti suum nactus campum, videtur ostentare grandiloquentiam suam, & nescio quid tragicum spirare. Horum vitiorum bonam partem probabile est illi ex palaestra declamatoria haesisse, in qua paene detriuit aetatem. Nam & Quinctilianus fatetur, hoc exercitamenti genus, quum vtiliter repertum esset ad absoluendam eloquentiam, tamen nescio quo pacto factum, vt multum inuexerit corruptelae. Quum enim illic captaretur applausus auditorum, ea quisque curabat adferre, non quae essent optima, sed quae placerent maxime. Nec illic temere applaudebatur ab ociosis ac fastidiosis, nisi sententiis argute dictis, schematibus & epiphonematibus, & si quid esset aut nouum aut immodicum.

Communia quanquam optima, fastidiebantur: nec rato quae pessime dicta fuerant, iis frequentissime applaudebatur. Ita discessum est ab illo simplici ac naturali dicendi genere, quod omnibus antefertur, vel hoc nomine, quòd fide commendatur. Quid autem est oratio culta sine fide, nisi cantio probe modulata? Hinc est quod queritur Quinctilianus, quosdam vitia sua, quibus in declamando assueuerant, in forum & ad serias actiones detulisse, reorum graui periculo, dum patronus mauult causam perdere, quàm iocum aut schema, nonnunquam cum risu quoque iudicum & coronae. Talia quaedam & Seneca retulit in libros, velut haec quae diximus: tum fictiones illas palam falsas, quibus frequenter vtitur, *Video quid velis*, *Posthac pendebo de vultu tuo*, *Quanquam Nouatus frontem contraxit.* Quin & in personis fingendis ac mutandis interdum tam subtilis est, vt hinc etiam obscuritas oriatur: dubitesque nõnunquam an ipse loquatur, an is, aduersus quem agit, an aliqua tertia persona. Non quòd haec non fiant ab aliis, sed parcius, sed mollius, sed magis perspicue. Multus est & in dialogismis, dum his aut illis personis suum affingit sermonem, quae res & ad copiam, & ad delectationem, & ad vehementiam confert: non quòd hoc faciat infeliciter, sed quòd frequentius & declamatorie, hoc est, ad voluptatem magis, quàm ad serium vsum causae propositae. Caligulae Caesaris iudicium contemni poterat, vt hominis parum integrae mentis, & qui Virgilij ac Titi Liuij statuas conatus sit e bibliothecis submouere: nisi & Fabius hoc notasset, & ipsa res propemodum loqueretur. Desidetes enim fere in huius scriptis ordinem & compositionem. Habet autem argumentum omne susceptum, initium, progressum & finem. Primum enim tractari solet, quid sit. Id explicatur diuisione, cuius partes digeruntur in ordinem: & in quaque tractanda ordo quidam est, dum ea primum tractantur, quae proxime attinent ad rei substantiam, deinde ea quae accidunt, tum si qua cognata sunt aut contraria, mox quae hinc proficiscuntur, commoda vel incommoda. Denique quibus rationibus haec parentur, seruentur, augeantur, aut contra, deuitentur, depellantur, aut minuantur, vt totus liber corporis instar sit, constans ex membris decẽter collatis: id quod in Aristotele mireris, in Seneca desideres. Nec enim semper proponit ac diuidit, & si id fecit, nõ prosequitur quod proposuit, sed ad omnem occasionem excurrit, mox subinde veluti de nouo orditur. Raro vtitur transitionibus, quod in docendo plurimum lucis adfert: nonnunquam & circa finem operis incipit diuidere: est vbi oblitus sui repetit eadem. Quae res declarat, illum vel ex declamatoriis exercitamentis traxisse hoc vitij, vel, quod vero propius est, non praemeditatum accessisse ad scribendum: nec tam iudicium rationemque sequutum, quàm impetum ingenij. Non enim incedit illius oratio, sed fertur magis, salitque potius quàm ingreditur. id quidem quod ad sententias attinet. Iam quod pertinet ad verborum compositionem, perparcus est in adhibendis coniunctionibus, quae sunt velut orationis nerui. Gaudet enim asyndetis: quod interdum magis facit ad dictionis vehementiam, seu verius argutiam. Neque raro contextus sermonis talis est, vt dubites vtrò referendum sit membrum, ad superiora ne, an ad sequentia. Submolestum est interdum in eodem diuerse dicendi studium: veluti quòd Mar. Tullius illud Platonis, ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὐτῷ μόνον γέγονεν, eleganter reddidit, *Nemo nostrum sibi tantum nascitur*: ne similiter diceret, maluit deterius dicere, *Nemo sibi contigit.* Quae verba, vt ingenue quod sentio dicam, nunquam intellecturus eram, nisi ex tenore sermonis

monis coniectassem, illum aemulari voluisse Platonis sententiam. Sit sane copiae laus, eadem aliter dicere: quid laudis habet, vt aliter dicas, male dicere? Quid quòd carpendi libidine frequenter eadem committit, quae reprehendit in aliis? Notat in quodam voces aliquot sordidas, in quibus sunt spongia, laterna, pulegium, acetum: mirisque salibus exagitat, quòd quidam inter declamandum quaesierat, Cur testa si cadat, frangatur; spongia si cadat, non frangatur: quum ipse in vna epistola tot infulciat voces sordidiores, vniuersam balnei supellectilem ac functionem inibi natis vocabulis explicans. Qui minus autem liceat testam appellare testam, aut spongiam spongiam, si res postulet, quàm ficum vocare ficum, & fabam dicere fabam? Libenter iocatur in argutias sophisticas, & philosophorum subtiles magis quàm necessarias quaestiunculas, & huiusmodi tricis saepe nimium diu moratur lectorem: sed ita, vt facile appareat esse verum, quod notat Quinctilianus, illum in philosophia parum diligenter fuisse versatum. Est enim artificis, scite illa ridere, quae non sine ingenio traduntur a sophistis, & a Socrate facetissime deridentur. Quorsum autem attinet, Chrysippeis illis rogatiunculis totas explere paginas? An sapiens sapienti possit prodesse. An sapienti dari possit beneficium a diis. An virtutes sint animalia. An singulae virtutes sint singula animalia, an vnum sit vniuersae. An seruare patrem sit animal. Huiusmodi naenias quum frequenter inculcet vsque ad taedium, tamen subinde damnat. Quid autem opus est facere quippiam in hoc ipsum, vt factum reprehendas? Quòd alicubi quaedam ex auctoribus perperam refert, sic excusat Quinctilianus, vt dicat illum deceptum eorum fiducia, quibus soletet quaedam inquirenda mandare. Huius generis aliquot loca notata sunt ab eruditis. Alicubi citat ex Ouidio, quod est in Tibullo. Haec eò commemorantur a nobis, non vt deterreamus lectoris studium, sed vt maiore cum fructu legatur vir tot eximiis virtutibus commendabilis. Addam quòd mihi nonnunquam subolebat in illo, vt diximus, declamatoria quaedam affectio, vt alicubi desideres simplex illud & naturale. Vnde Neronis mater, quum filio vellet mouere inuidiam, iactabat imperium Burro & Senecae commissum esse: quorum Burrum appellabat vilem ac truncam manum, Senecam exulem, & linguam professoriam. Ingenio facili versatilique fuisse colligitur hine, quòd in diuersis argumentis stilum exercuit pari propemodum successu: quod nec Ciceroni, nec Virgilio contigit. Nam Tacitus commemorat illius poëmata: de quibus sentiens, incertum. Nam Tragoediarum opus eruditi quidam malunt Senecae filio tribuere, quàm huic: sunt qui fratri Senecae ascribant. Ex prima tragoedia versus aliquot refert: *Duc me parens summique dominator poli*, &c. Quanquam mihi videtur opus hoc Tragoediarum nō esse vnius hominis. Certe ex ludicro libello de morte Claudij, coniicere licet illum haudquaquam iratis Musis & Apolline versatum in hoc studij genere. Tametsi Fabius existimat, eam rem obstitisse Senecae, quominus in vnoquopiam excelleret, quòd in omnibus argumentis versaretur. Id enim suspicor esse quod scribit: *Si parum concupisset*. Certe Tacitus declarat hinc illi conflatam inuidiam, quòd occupans omnia, nihil aliis laudis relinquere videretur. Commemorat Tacitus & orationes eiusdem, quae a nobis desiderantur: nisi forte sentit has quas habemus consolatorias, vnam ad Matciam, alteram ad Polybium acephalon, tertiam ad Albinam, siue, vt in aliis reperitur, Elbiam matrem: quas tamen libros dixeris citius quàm orationes. In-

dicat idem alias quasdam orationes vulgo fuisse iactatas Neronis quidem nomine, sed a Seneca compositas. Nec has opinor commemorat inter illius opera. Vnicam ex Cornelio Tacito huic adiecimus editioni, breuem quidem illam, sed elegantem, planéque Senecae phrasim referentem. Vtinam extarent & illa, quae moriturus dictauit. Nam ea Taciti temporibus habebantur in manibus. Commemorat & dialogos eius, quorum & Fabius meminit. Horum nihil extat, praeter vnicum breuem, cui quidam titulum fecerunt, Sensus & rationis: qui an illius sit, nescio. certe mutilatum habemus, & consarcinatum. Diuus Hieronymus aduersus Iouinianum citat Senecae librum de matrimonio. Ipse in naturalibus quaestionibus indicat se iuuenem scripsisse librum de terrae motu. Edidit opus de superstitiosis ritibus colentium deos. Nam & Augustinus in opere de Ciuitate Dei, libri sexti capite quinto, multa hinc recenset. Epistolas commemorat cum Fabio Tacitus, quas scripsit ad imitationem Platonis, sed ad vnum omnes, videlicet Luciliùm Balbum Siciliae praesidem: quod argumentum sibi proposuisse videtur, vt ingenio suo indulgeret. Nullum enim liberius. Nam quicquid vel audieris, vel legeris, vel in somnis occurrerit, epistolae fit argumentum: deinde licet ordiri vnde velis, transire quo velis, finire quum velis: sed interim abest illud, quod est in aliorum epistolis grauissimum, quae vere & ex re scribuntur. Alioqui poteramus & nos ex prouerbiis singulis singulas facere epistolas. Iam an hoc opus habeamus integrum, nescio: certe verba Senecae, quae multa recenset Gellius ex vigesimosecundo libro epistolarum, nusquam in illius scriptis inueniuntur. Et tamen est in eo libro quaedam epistola, cuius initium, *Quare quibusdam temporibus.* in qua taxat quorundam κακοζηλίαν & stili vitia. Ex hac, vt coniicio, aliquis Ciceroni bene volens sustulit eum locum, quo debacchatur in illius eloquentiam. Ex omnibus porro Senecae monumentis, nullum mea sententia magis studiorum referebat integrum extare, quàm libros Declamationum: quos fuisse multos, declarat Epitome, quam habemus. Plurimum enim contulisset & ad inueniendum & ad iudicandum.

DE SENECA

DE SENECA VETERVM AVCTORVM LOCI.

Eusebius in Chronologia.

L. ANNAEVS *Seneca Cordubensis, praeceptor Neronis, & patruus Lucani Poëtae, incisione venarum, & veneni haustu perijt.* Olymp. ccxi.

B. Hieronymus de scriptoribus ecclesiasticis.

L. Annaeus Seneca Cordubensis, Socionis Stoici discipulus, & patruus Lucani Poëtae, continentissimae vitae fuit: quem non ponerem in Catalogo sanctorum, nisi me illae epistolae prouocarent quae leguntur a plurimis, Pauli ad Senecam, & Senecae ad Paulum: in quibus, cum esset Neronis magister, & illius temporis potentissimus, optare se dicit, eius esse loci apud suos, cuius sit Paulus apud Christianos. Hic ante biennium quàm Petrus & Paulus coronarentur martyrio, a Nerone interfectus est.

Commentarius antiquus in Iuuenalis Satyr. v. versu cix.

A Seneca.] *Hic sub Claudio quasi conscius adulteriorũ Iuliae Germanici filiae, in Corsicam relegatus, post triennium reuocatus est. qui & si magno desiderio Athenas intenderet, ob Agrippina tamen erudiendo Neroni in palatium adductus, saeuum immanemque natum & sensit cito, & mitigauit: inter familiares solitus dicere, Non fore saeuo illi leoni, quin, gustato semel hominis cruore, ingenita redeat saeuitia. Huic postremo quòd habitus esset inter conscios coniurationis Pisonianae, Nero per Tribunum vltimam necessitatem denũciauit. Hic interritus, amicorũ animos, quibus iam eius casus lacrymas exciuerat, ad firmitudinem reuocauit, rogitans: Vbi praecepta sapientiae? vbi tot per annos meditata ratio aduersus imminentia? cui praeterea ignara fuerit Neronis saeuitia? neque aliud superesse post matrem fratremque interfectos, quàm vt educatoris praeceptorisq; necem adijceret. Deinde sibi venas praesecans, crurumque venas abrumpens, & durante tractu lentitudineque mortis, hausto veneno, postremo calidae aquae stagnum introiens exanimatus est.*

Tacitus lib. xv. Annalium.

Sequitur caedes Annaei Senecae laetissima principi, non quia coniurationis manifestum compererat, sed vt ferro grassaretur, quando venenum non processerat. Solus quippe Natalis, & hactenus promisit, missum se ad aegrotum Senecam, vt viseret, conquerereturque cur Pisonem aditu arceret? melius fore si amicitiam familiari congressu exercuissent. Et respondisse Senecam, sermones mutuos & crebra colloquia neutri conducere: ceterum salutem suam incolumitate Pisonis inniti. Haec ferre Granius Siluanus Tribunus praetoriae cohortis, & an dicta Natalis, suaque responsa nosceret, percontari Senecam iubetur. Is, forte an prudẽs, ad eum diem ex Campania remeauerat, quartumq; apud lapidẽ suburbano rure substiterat. Illo propinqua vespera Tribunus venit, et villam globus militũ sepsit. Tum ipsi cum Pompeia Paullina vxore & amicis duobus epulanti mandata Imperatoris edidit. Seneca missum ad se Natalem, conquestumque nomine Pisonis quòd visendo eo prohiberetur, se ratione valetudinis & amore quietis excusauisse respondit. Cur salutem priuati hominis incolumitati suae anteferret, causam non habuisse, nec sibi promtum in adulationes ingenium. Idque nulli magis gnarum quàm Neroni, qui saepius libertatem Senecae quàm seruitiũ expertus esset. Vbi haec a Tribuno relata sunt, Poppaea & Tigellino coram, quod erat saeuienti principi intimum consiliorum, interrogat, an Seneca voluntariam mortem pararet. Tum Tribunus nulla pauoris signa, nihil triste in verbis eius aut vultu deprehensum confirmauit. Ergo regredi, & indicere mortem iubetur. Tradit Fabius Rusticus non eo quo venerat itinere reditum, sed flexisse ad Fenium praefectum, & expositis Caesaris iussis, an obtemperaret interrogauisse: monitumque ab eo vt exsequeretur, fatali omnium ignauia. Nam & Siluanus inter coniuratos erat, augebatque scelera in quorum vltionem consenserat. voci tamen & aspectui pepercit. intromisitque ad Senecam vnum ex Centurionibus, qui necessitatem vltimam denunciaret. Ille interritus poscit testamenti tabulas: ac denegante Centurione, conuersus ad amicos, quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod vnum iam tamen & pulcherrimum habebat, imaginem vitae suae relinquere testatur. cuius si memores essent bonarum artium, famam tam constantis amicitiae laturos. Simul lacrymas eorum, modo sermone, modo intentior in modum coercentis, ad firmitudinem reuocat, rogitans: Vbi praecepta sapientiae? vbi tot per annos meditata ratio aduersus imminentia? Cui enim ignaram fuisse saeuitiam Neronis? Neque aliud superesse post matrem fratremque interfectos, quàm vt educatoris praeceptorisque necem adijceret. Vbi haec atque talia velut in commune disseruit, complectitur vxorem: & paululum aduersus praesentem formidinem mollitus, rogat oratq; temperaret dolori, ne aeternum susciperet, sed in contemplatione vitae per virtutem actae, desiderium mariti solatijs honestis toleraret. Illa contra, sibi quoque

destinatam mortem adseuerat, manumque percussoris exposcit. Tum Seneca gloriae eius non aduersus, simul amore, ne sibi vnice dilectam ad iniurias relinqueret: Vitae, inquit, delinimenta monstraueram tibi, tu mortis decus mauis. non inuidebo exemplo. Sit huius tam fortis exitus constantia penes vtrosque par, claritudinis plus in tuo fine. Post quae eodem ictu brachia ferro exsoluunt. Seneca, quoniam senile corpus & paruo victu tenuatum lenta effugia sanguini praebebat, crurum quoque & poplitum venas abrumpit: saeuisque cruciatibus defessus, ne dolore suo animum vxoris infringeret, atque ipse visendo eius tormenta, ad impatientiam delaberetur, suadet in aliud cubiculum abscederet. Et nouissimo quoq; momento suppeditante eloquentia, aduocatis scriptoribus, pleraque tradidit, quae in vulgus edita eius verbis, inuertere supersedeo. At Nero, nullo in Paullinam proprio odio, ac ne glisceret inuidia crudelitatis, inhiberi mortem imperat. Hortantibus militibus, serui, libertique obligant brachia, premunt sanguinem, incertum an ignarae. Nam vt est vulgus ad deteriora promtum, non defuere qui crederent, donec implacabilem Neronem timuerit, famam sociatae cum marito mortis petiuisse. deinde oblata mitiore spe, blandimentis vitae euictam, cui addidit paucos postea annos, laudabili in maritum memoria, & ore ac membris in eum pallorem albentibus, vt ostentui esset, multum vitalis spiritus egestum. Seneca interim durante tractu, & lentitudine mortis, Statium Annaeum diu sibi amicitiae fide, & arte medicinae probatum, orat, prouisum pridem venenum, quo damnati publico Atheniẽsium iudicio extinguerentur, promeret: allatumque hausit frustra, frigidis iam artubus & clauso corpore aduersum vim veneni. Postremum, stagnum calidae aquae introijt, respergens proximos seruorum, addita voce, libare se liquorem illum Ioui liberatori. Exin balneo illatus, & vapore eius exanimatus, sine vllo funeris sollenni crematur. Ita codicillis praescripserat, cum etiam tum praediues & praepotens, supremis suis consuleret. Fama fuit, Subrium Flauium cum centurionibus occulto consilio, neque tamen ignorante Seneca, destinauisse, vt post occisum ope Pisonis Neronem, Piso quoque interficeretur, traderet urque imperium Senecae, quasi insonti claritudine virtutum ad summum fastigium dilecto. Quin & verba Flauij vulgabantur, Non referre dedecori, si Citharoedus dimoueretur, & Tragoedus succederet, quia vt Nero cithara, ita Piso tragico ornatu canebat.

Cetera quae ad Senecae vitam pertinent, videre potes apud eundem auctorem lib. XI. XII. XIII. XIIII. & XV. Annalium: sed & apud Dionem lib. vlt. Suetonium & Xiphilinum in Nerone, Plutarchum περὶ ἀοργησίας, & in vita Othonis.

ELOGIA AVCTORVM DE SENECA.

L. Iunij Moderati Columellae lib. III. de re rust. cap. III.

SED *Nomentana regio nunc celeberrima fama est illustris, & praecipue quam possidet Seneca vir excellentis ingenij atque doctrinae, cuius in praedijs vinearum iugera singula culleos octonos reddidisse plerumque compertum est.*

M. Fabij Quinctiliani cap. I. lib. X.

Ex industria Senecam in omni genere eloquentiae versatum distuli propter vulgatam falso de me opinionem, quia damnare eum et inuisum quoq; habere, sum creditus. quod accidit mihi, dum corruptum & omnibus vitijs fractum dicendi genus reuocare ad seueriora iudicia contendo. tum autem solus fere hic in manibus adolescentium fuit, quem non equidem omnino conabar excutere, sed potioribus praeferri non sinebam, quos ille non destiterat incessere, cum diuersi sibi conscius generis, placere se in dicendo posse ijs, quibus illi placerent, diffideret. Amabãt autem eum magis quàm imitabantur, tantumque ab eo defluebant, quãtum ille ab antiquis descenderat. foret enim optandum, pares, ac saltem proximos illi viro fieri. sed placebat propter sola vitia, & ad ea se quisque dirigebat effingenda, quae poterat. Deinde, cum se iactares eodem modo dicere, Senecam infamabat, cuius & multae alioquin & magnae virtutes fuerunt, ingenium facile, & copiosum, plurimum studij, multa rerum cognitio, in qua tamen aliquando ab ijs quibus inquirenda quaedam mandabat, deceptus est. Tractauit etiam omnem fere studiorum materiam. Nam & orationes eius, & poemata, & epistolae, & dialogi feruntur. In philosophia parum diligens, egregius tamen vitiorum insectator fuit. multae in eo claraeque sententiae, multa etiam morum gratia legenda: sed in eloquendo corrupta pleraque, atque eo perniciosissima, quòd abundant dulcibus vitijs. velles eum suo ingenio dixisse, alieno iudicio. Nam si aliqua contempsisset, si parum concupisset, si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutissimis sententijs non fregisset; consensu potius eruditorum, quàm puerorum amore comprobaretur. Verum sic quoque iam robustis, & seueriore genere satis firmatis, legendus, vel ideo, quòd exercere potest vtrumque iudicium. Multa enim, vt

dixi,

dixi, probanda in eo, multa etiam admiranda sunt, eligere modo curae sit: quod vtinam ipse fecisset. Digna enim fuit illa natura quae meliora vellet: quod voluit, effecit.

Cap. x. lib. x i i.

In his etiam quos ipsi vidimus, copiam Senecae, vires Africani, maturitatem Afri reperimus.

Tacitus Annalium lib. x i i.

At Agrippina ne malis tantum facinoribus notesceret, veniam exsilij pro Annaeo Seneca, simul praeturam impetrat, laetum in publicum rata ob claritudinem studiorum eius, vtque Domitij pueritia tali magistro adolesceret, & consilijs eiusdem ad spem dominationis vteretur.

Lib. x i i i.

Quanquam oratio composita a Seneca multum cultus praeferret, vt fuit illi viro ingenium amoenum, & temporis illius auribus accommodatum.

Eodem lib.

Burrum tamen & Senecam multarum rerum experientia cognitos.

Plinius cap. i i i i. lib. x i i i i.

Nouissime Annaeo Seneca principe tum eruditionis, ac potentia, quae postremo nimia fuit super ipsum, minime vtique miratore inanium.

Plinius iunior epist. III. lib. v. de his qui doctrina & moribus insignes amatoria luserunt.

Sed ego verear ne me non satis deceat quod decuit M. Tullium, C. Caluum, Asinium Pollionem, M. Messalam, Q. Hortensium, M. Brutum &c. Annaeum Senecam &c.

Suetonius in Caligula cap. l i i i.

Peroraturus Caligula strictiurum se lucubrationis suae telum minabatur, lenius comptiusque scribendi genus adeo contemnens, vt Senecam tum maxime placentem commissiones meras componere, & arenam esse sine calce diceret.

Plutarchus duobus in locis Senecae meminit, nullo addito elogio: verum Petrarcha epist. ad Annaeum Senecam.

Plutarchus (inquit) si quidem Graecus homo, & Traiani principis magister, suos claros viros nostris conferens, cum Platoni, & Aristoteli, quorum primum diuinum, secundum daemonium Graeci vocant, Marcum Varronem, Homero Virgilium, Demostheni Marcum Tullium obiecisset, ausus est ad postremum & ducum controuersiam mouere, nec eum tanti saltem veneratio discipuli continuit. in vno sane suorum imparia prorsus ingenia non erubuit confiteri, quòd quem tibi ex aequo in moralibus praeceptis obijcerent, non haberent.

Idem epistola contra Gallum.

Et cum Tullio Senecam pono, de quo Plutarchus magnus vir & Graecus vltro fatetur, nullum in Graecia fuisse qui sibi in moralibus possit comparari.

Fronto orator apud Ioh. Salisberiensem Policrat. lib. v i i i.

Seneca tantus vtique, quem Fronto secundum quosdam nepos Plutarchi asserit sic vniuersos exterminare errores, vt aurea videatur saecula reformare, & Deos ab humano genere exulantes, eius opera reuocatos hominibus contracta societate misceri.

Dio lib. l i x.

Ὁ δὲ δὴ Σενέκας ὁ Ἀνναῖος Λούκιος ὁ πάντας μὲν τοὺς καθ' ἑαυτὸν Ῥωμαίους, πολλοὺς δὲ καὶ ἄλλους σοφίᾳ ὑπεράρας, διεφθάρη παρ' ὀλίγον, μήτ' ἀδικήσας τι, μήτε δόξας, ὅτι δίκην τινὰ ἐν τῷ συνεδρίῳ παρόντος αὐτοῦ τοῦ Γαΐου καλῶς εἶπε.

Xiphilinus in Nerone.

Ἐδυσχέραινεν ὅτι Σενέκας καὶ ὁ Βοῦρρος, φρονιμώτατοί τε ἅμα καὶ δυνατώτατοι τῶν περὶ τὸν Νέρωνα ὄντες, &c.

Iuuenalis Satyra v.

Nemo petit modicis quae mittebantur amicis
A Seneca, quae Piso bonus, quae Cotta solebat
Largiri.

Satyra v i i i.

— Quis tam
Perditus, vt dubitet Senecam praeferre Neroni?

Satyra i x.

Temporibus diris igitur iussuque Neronis
Longinum, & magnos Senecae praediuitis hortos

Clausit, & egregias Lateranorum obsidet aedes
Tota cohors.

Statius Papinius in Genethliaco Lucani.

Lucanum potes imputare terris
Hoc plus quàm Senecam dedisse mundo,
Aut dulcem generasse Gallionem.

Martialis lib. I.

Duosque Senecas, vnicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

Idem lib. IIII. ad Postumum.

Atria Pisonum stabant cum stemmate toto,
Et docti Senecae ter numeranda domus.

Idem lib. VII. ad Ouidium.

Facundi Senecae potens amicus.

Idem Martialis lib. XII.

Non es, crede mihi, bonus. quid ergo?
Vt verum loquar, optimus malorum.
Pisones, Senecasque, Memmiosque,
Et Crispos mihi redde, sed priores:
Fies protinus vltimus bonorum.

Ausonius in gratiarum actione pro Consulatu suo ad Gratianum Imperatorem.

Diues Seneca, non tamen Consul.

Sidonius Apollinaris ad Felicem.

Non quod Corduba praepotens alumnis
Facundum ciet, hic putes legendum,
Quorum vnus colit hispidum Platona,
Incassumque suum monet Neronem.

Cetera elogia inter fragmenta reperies.

FRAGMENTA EX LIBRIS SENECAE QVI INTERCIDERVNT.

Quinctilianus cap. III. lib. VIII.

NOSTRI *autem in iungendo, aut deriuando paulum aliquid ausi, vix in hoc satis recipiuntur. Nam memini iuuenis admodum inter Pomponium & Senecam etiam praefationibus esse tractatum, an* gradus eliminat *apud Attium in tragoedia dici oportuisset.*

Cap. V. eiusdem libri.

Facit quasdam sententias sola geminatio, qualis est Senecae in eo scripto, quod Nero ad senatum misit occisa matre, cum se periclitatum videri vellet: Saluum me esse adhuc nec credo, nec gaudeo.

Cap. II. lib. IX.

Noui vero, & praecipue declamatores, audacius, nec mehercules sine motu quodam imaginantur, vt Seneca in controuersia, cuius summa est, quòd pater filium & nouercam, inducente altero filio, in adulterio deprehensos occidit: Duc: sequor. accipe hanc senilem manum, & quocunque vis imprime. *Et paulo post:* Aspice, *inquit,* quod diu non credidisti. Ego vero non video, nox oboritur, & crassa caligo. *Habet haec figura manifestius aliquid. Non enim narrari res, sed agi videtur.*

Ibidem.

Nam in totum iurare, nisi vbi necesse est, graui viro parum conuenit. Et est a Seneca dictum eleganter, non patronorum hoc esse, sed testium.

Plinius Nat. Hist. lib. VI. cap. XVII.

Seneca etiam apud nos tentata Indiae commentatione, LX. amnes eius prodidit, gentes duodeuiginti centumque. Par labor sit montes enumerare.

Cap.

Cap. LIII. lib. IX.

Aeui piscium memorādum nuper exēplum accepimus. Pausilypum villa est Campaniae haud procul Neapoli. in ea in Caesaris piscinis a Pollione Vedio coniectum piscem, sexagesimum post annum expirasse scribit Annaeus Seneca, duobus alijs aequalibus eius ex eodem genere, etiam tunc viuentibus.

A. Gellius cap. II. lib. XII. Noct. Atticarum.

Mihi de omni Senecae ingenio, deque omni scripto, indicium censuramque facere non necessum est, sed quod de M. Cicerone, & Q. Ennio, & P. Virgilio iudicauit, ea res cuiusmodi sit, ad considerandum ponemus. In lib. enim XXII. Epistolarum moralium quas ad Lucilium composuit, deridiculos versus Q. Ennium de Cethego antiquo viro fecisse hos dicit:

— Dictus ollis populatibus olim,
Qui tum viuebant homines, atque aeuum agitabant,
Flos delibatus populi & suada medulla.

Ac deinde scribit de ijsdem versibus verba haec, Admirot eloquētissimos viros, & deditos Enniō, pro optimis ridicula laudasse. Cicero certe inter bonos eius versus & hos refert. *Atque id etiam de Cicerone dicit.* Non mirot, *inquit*, fuisse qui hos versus scriberet, cum fuerit qui laudaret: nisi forte Cicero summus orator agebat causam suam, & volebat hos versus videri bonos. Paulo post. Apud ipsum quoque, *inquit Seneca*, Ciceronem inuenies etiam in prosa oratione quaedam, ex quibus intelligas illum non perdidisse operam, quòd Ennium legit. *Ponit deinde quae apud Ciceronem reprehendas quasi Enniana, quod ita scripserit in libris de republica, vt Menelao Laconi quaedam fuit suauiloquens iucunditas. & quod alio in loco dixerit, Breuiloquentiam in dicendo colat.* Deinde. Non fuit, *inquit Seneca*, Ciceronis hoc vitium, sed temporis. necesse erat haec dici, cum illa legerētur. *Deinde adscribit Ciceronem haec ipsa interposuisse ad effugiendā infamiam nimis lasciuae orationis & nitidae. De Virgilio quoq; eodem in loco verba haec ponit:* Virgilius quoque noster non ex alia causa duros quosdam versus, & enormes, & aliquid supra mensuram trahentes interposuit, quàm vt Ennianus populus agnosceret in nouo carmine antiquitatis aliquid. Addit non multo post ex Seneca. Quidam sunt tam magni sensus Q. Ennij, vt licet scripti sint inter hircosos, possint tamen inter vnguentatos placere. *Et cum reprehendisset versus quos supra de Cethego posuimus,* Qui huiusmodi, *inquit*, versus amant, liceat sibi eosdem admirari & Soterici lectos. *Dignus sane Seneca videatur lectione ac studio adolescentium, qui honorem coloremque veteris orationis Soterici lectis compararit, quasi minimae scilicet gratiae & relictis iam contemptusque. Audias tamen commemorari ac referri pauca quaedam quae ipse idem Seneca bene dixerit: quale est illud quod in hominē auarum & auidum et pecuniae sitientem dixit,* Quid enim refert quantū habeas? multo illud plus est quod nō habes. *Bene hoc sane, bene.* &c.

Tertullianus de anima cap. XX.

Et hic itaque concludamus omnia naturalia animae, vt substantiua eius, ipsi inesse, & cum ipsa procedere atque proficere, ex quo ipsa censetur. Sicut & Seneca saepe noster, Insita sunt nobis omnium artium & aetatum semina, magisterque ex occulto Deus producit ingenia. *ex seminibus scilicet insitis & occultis per infantiam, quae sunt intellectus.*

Cap. XLII.

Multo coactius Seneca, Post mortem, *ait*, omnia finiuntur, etiam ipsa.

De resurrectione carnis.

Nihil esse post mortem Epicuri schola est. Ait & Seneca omnia post mortem finiri, etiam ipsam.

Lactantius diuinarum institutionum lib. I. cap. IIII.

Annaeus quoque Seneca, qui ex Romanis vel acerrimus Stoicus fuit, quàm saepe summum Deum merita laude prosequitur? Nam cum de immatura morte dissereret, Non intelligis, *inquit*, auctoritatem, ac maiestatem iudicis tui? Rector is orbis terrarum, coelique & deorum omnium Deus: a quo ista numina, quae singula adoramus & colimus, suspensa sunt? *Item in exhortationibus,* Hic, cum prima fundamenta molis pulcherrimae iaceret, & hoc ordiretur, quo neque maius quicquam nouit natura, nec melius, vt omnia sub ducibus suis irent, quamuis ipse per totum se corpus intenderat, tamen ministros regni sui deos genuit. *Et quàm multa alia de Deo nostris similia locutus est? quae nunc differo, quòd alijs locis opportuniora sunt.*

Cap. VII.

Et est illud verum, quod dixisse in exhortationibus Senecam supra retuli, genuisse regni sui ministros Deum.

Eodem cap. VII.

Quod Seneca vir acutus in exhortationibus suis vidit. Nos, *inquit*, aliunde pendemus. Itaque ad aliquem respicimus, cui quod est optimum in nobis, debeamus. Alius nos edidit, alius instruxit: Deus ipse se fecit.

Eiusdem lib. cap. XVI.

Non illepide Seneca in libris moralibus philosophiae, Quid ergo est, *inquit,* quare apud poetas salacissimus Iupiter desierit liberos tollere? Vtrum sexagenarius factus est, & illi lex Papia fibulam imposuit? An impetrauit ius trium liberorum? An tandem illi venit in mentem, Ab alio expectes, alteri quod feceris? & timet, ne quis sibi faciat, quod ipse Saturno?

Lib. II. cap. IIII.

Merito igitur etiam senum stultitiam Seneca deridet. Non, *inquit,* bis pueri sumus (vt vulgo dicitur) sed semper. Verum hoc interest, quòd maiora nos ludimus.

Cap. IX.

Melius igitur Seneca omnium Stoicorum acutissimus, qui vidit nihil aliud esse naturam, quàm Deum. Ergo, *inquit,* Deum non laudabimus, cui naturalis est virtus? Nec enim illam didicit ex vllo. Immo laudabimus. quamuis enim naturalis illi sit, sibi illam dedit, quoniam Deus ipse natura est.

Lib. III. cap. XV.

Eodem ductus errore Seneca (quis enim veram viam teneret, errante Cicerone?) Philosophia, *inquit,* nihil aliud est, quàm recta viuendi ratio: vel, honeste viuendi scientia: vel, ars rectae vitae agendae. Non errabimus, si dixerimus philosophiam esse legem bene honesteque viuendi. Et qui dixerit illam regulam vitae, suum illi nomen reddiderit.

Ibidem.

Idem Seneca in exhortationibus: Plerique, *inquit,* philosophorum tales sunt, vt sint diserti in conuicium suum. quos si audias in auaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes, professionis indicium putes: adeo redundant in ipsos maledicta in publicum missa, quos non aliter intueri decet, quàm medicos, quorum tituli remedia habent, pyxides venena.

Ibidem.

Faciet sapiens, *inquit idem Seneca,* etiam quae non probabit, vt etiam ad maiora transitum inueniat: nec relinquet bonos mores, sed tempori aptabit: & quibus alij vtuntur in gloriam, aut voluptatem, vtetur agendae rei causa. *Et paulo post:* Omnia quae luxuriosi faciunt, quaeque imperiti, faciet & sapiens, sed non eodem modo, eodemque proposito.

Cap. XVI. eiusdem libri.

Et Seneca: Nondum sunt, *inquit,* mille anni, ex quo initia sapientiae nota sunt. *Multis ergo saeculis humanum genus sine ratione vixit.*

Cap. XXIII.

Fuisse Seneca inter Stoicos ait, qui deliberaret, vtrum ne Soli quoque suos populos daret, inepte scilicet qui dubitauerit.

Cap. XXV.

Platonem quidem redemisse Aniceris quidam traditur sestertijs VIII. *Itaque insectatus est conuicijs redemptorem Seneca, quòd paruo Platonem aestimauerit.*

Lib. V. cap. XIIII.

Recte igitur Seneca, incongruentiam hominibus obiectans, ait: Summa virtus illis videtur magnus animus. & iidem eum, qui contemnit mortem, pro furioso habent. quod est vtique summae peruersitatis.

Lib. VI. cap. XVII.

Item Senecae in libris moralis philosophiae dicentis: Hic est ille homo honestus, nō apice, purpuraue, nō lictorum insignis ministerio, sed nulla re minor: qui cum mortem in vicino videt, non sic perturbatur, tanquam rem nouam viderit, qui, siue toto corpore tormenta patienda sunt, siue flamma ore recipienda est, siue extendendae per patibulum manus, non quaerit quid patiatur, sed quàm bene. *Qui autem Deum colit, haec patitur, nec timet.*

Cap. XXIIII. lib. VI.

Nec lucrari se quicquam putet, si delicti conscium non habebit. scit enim illa omnia, in cuius conspectu viuimus: nec si vniuersos homines, celare possumus cui nihil absconditum, nihil potest esse secretum quod: Exhortationes suas Seneca mirabili sententia terminauit. Magnum, *inquit,* nescio quid, maiusque quàm cogitari potest, numen est, cui viuendo operam damus, huic nos approbemus. Nihil prodest inclusam esse cōscientiam. patemus Deo. *Quid verius dici potest ab eo qui Deum nosset, quàm dictum est ab homine verae religionis ignaro?*

Ibidem.

Idem in eiusdem operis primo: Quid agis? *inquit.* quid machinaris? quid abscondis? Custos te tuus sequitur. Alium tibi peregrinatio subduxit, alium mors, alium valetudo: haeret hic,

quo carere nunquam potes. Quid locum abditum legis, & arbitros remoues? Putas tibi cõtigisse, vt oculos omnium effugias? Demens, quid tibi prodest non habere conscium, habenti conscientiam?

Lib. vii. cap. xv.

Non inscite Seneca Romanae vrbis tempora distribuit in aetates. Primam enim dixit infantiam sub rege Romulo fuisse, a quo & genita, & quasi educata sit Roma: deinde pueritiam sub ceteris regibus, a quibus & aucta sit, & disciplinis pluribus, institutisque formata: at vero Tarquinio regnante cum iam quasi adulta esse coepisset, seruitium non tulisse, & reiecto superbae dominationis iugo, maluisse legibus obtemperare, quàm regibus: cumq; esset adolescentia eius fine Punici belli terminata, tum denique confirmatis viribus coepisse iuuenescere. Sublata enim Carthagine, quae tam diu aemula Imperij fuit, manus suas in totum orbem terra marique porrexit: donec regibus cunctis, & nationibus imperio subiugatis, cum iam bellorum materia deficeret, viribus suis male vteretur, quibus se ipsa confecit. Haec fuit prima eius senectus, cum bellis lacerata ciuilibus, atq; intestino malo pressa, rursus ad regimen singularis imperij recidit, quasi ad alteram infantiã reuoluta. Amissa enim libertate, quam Bruto duce & auctore defenderat, ita consenuit, tanquam sustentare se ipsa non valeret, nisi adminiculo regentium niteretur.

B. Hieronymus aduersus Iouinianum libro primo.

Claudia virgo Vestalis, cum in suspicionem venisset stupri, & simulachrũ matris Idaeae in vado Tyberis haereret, ad comprobandam pudicitiam suam fertur cingulo duxisse nauem, quam multa millia hominũ trahere nequiuerant. Melius tamen, *inquit Lucani poëtae patruus*, cum illa esset actum, si hoc quod euenit, ornamentũ potius exploratae fuisset pudicitiae, quàm dubiae patrocinium.

Eodem libro.

Scripserunt Aristoteles, & Plutarchus, & noster Seneca de matrimonio libros, ex quibus & superiora nonnulla sunt, & ista quae subijcimus. Amor formae, obliuio est, & insaniae proximus, foedum minimeque conueniens animo sospite vitium, turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit, a magnis cogitationibus ad humillimas detrahit: querulos, iracundos, temerarios, dure imperiosos, seruiliter blãdos, omnibus inutiles, ipsi nouissime amori, facit. Nam cum fruendi cupiditate insatiabili flagrat, plura tẽpora suspicionibus, lacrymis, conquestionibus perdit, odiũ sui facit, & ipse nouissime sibi odio est.

Paulo infra.

Refert praeterea Seneca, cognouisse se quendam ornatum hominem, qui exiturus in publicum, fascia vxoris pectus colligabat, & ne puncto quidẽ horae praesentia eius carere poterat, potionemque nullã nisi alterius tactã labris, vir & vxor hauriebãt: alia deinceps non minus inepta facientes, in quae improuida vis ardentis affectus erumpebat.

B. Augustinus epist. liiii. ad Macedonium.

Merito ait Seneca, qui temporibus Apostolorum fuit, cuius etiam quaedam ad Paulum Apostolum leguntur epistolae, Omnes odit, qui malos odit.

De ciuitate Dei lib. vi. cap. x.

Libertas sane quae huic defuit, ne istam vrbanã theologiam theatricae simillimã, aperte sicut illam reprehendere auderet, Annaeo Senecae, quem nonnullis indicijs inuenimus Apostolorũ nostrorũ claruisse temporibus, non quidem ex toto, verum ex aliqua parte non defuit. Affuit enim scribenti, viuẽti defuit. Nam in eo libro quem contra superstitiones condidit, multo copiosius ac vehementius reprehendit ipse ciuilem istam & vrbanam theologiam, quàm Varro theatricam atq; fabulosam. Cum enim de simulachris ageret, Sacros, *inquit*, immortales, inuiolabilesque deos in materia vilissima atque immobili dedicant. Habitus illis hominum, ferarumque, & piscium, quidam vero mixtos ex diuersis corporibus induunt. Numina vocant, quae si spiritu accepto subito occurrerent, monstra haberentur. *Deinde aliquanto post, cum theologiam naturalem praedicans, quorundam philosophorum sententias digessisset, opposuit sibi quaestionem, & ait*, Hoc loco dicet aliquis: Credam ego coelum & terram deos esse, & supra lunam alios, infra alios? Ego feram aut Platonem, aut Peripateticum Stratonem, quorum alter fecit Deum sine corpore, alter sine animo? *Et ad hoc respondens*, Quid tandem? *inquit*: veriora tibi videntur T. Tatij, aut Romuli, aut Tullij Hostilij somnia? Cluacinam T. Tatius dedicauit deam, Picum Tiberinumque Romulus, Hostilius Pauorem atq; Pallorem teterrimos hominum affectus: quorum alter mentis territae motus est, alter corporis, ne morbus quidem, sed color. Haec numina potius credes, & coelo recipies? *De ipsis vero ritibus crudeliter turpibus quàm libere scripsit?* Ille, *inquit*, viriles sibi partes amputat, ille lacertos secat. Vbi iratos deos timent, qui sic propitios habere merentur? dij autem nullo ipsi debent coli genere, si & hoc volunt. Tantus est perturbatae mentis & sedibus suis pulsae furor, vt sic dij placentur, quemadmodũ ne homines quidem saeuiunt. Teterrimi, & in fabulas traditae crudelitatis tyranni, lacerauerunt aliquorum membra, neminem sua lacerare iusserunt. In regiae libidinis voluptatem castrati sunt quidam, sed nemo

ſibi ne vir eſſet, iubente domino, manus intulit. Se ipſi in templis contrucidant, vulneribus ſuis ac ſanguine ſupplicant. Si cui intueri vacet quae faciunt, quaeque patiuntur, inueniet tam indecora honeſtis, tam indigna liberis, tam diſſimilia ſanis, vt nemo fuerit dubitaturus furere eos, ſi cum paucioribus furerent: nunc ſanitatis patrocinium eſt inſanientium turba. *Iam illa quae in ipſo Capitolio fieri ſolere commemorat, & intrepide omnino coarguit, quis credat niſi ab irridentibus aut furentibus fieri? Nam cum in ſacris Aegyptijs Oſirim lugeri perditum, mox autem de inuento magnũ eſſe gaudiũ deriſiſſet, cum perditio eius inuentioque fingatur, dolor tamen ille atque laetitia ab eis qui nihil perdiderunt, nihilque inuenerunt, veraciter exprimatur:* Huic tamen, *inquit*, furori certum tempus eſt. Tolerabile eſt, ſemel in anno inſanire. In Capitolium perueni, pudebit publicatae dementiae, quod ſibi vanus furor attribuit officij. Alius numina Deo ſubiicit, alius horas Ioui nunciat, alius lictor eſt, alius vnctor qui vano motu brachiorũ imitatur vnguentẽ. Sunt quae Iunoni ac Mineruae capillos diſponant, longe a templo non tantum a ſimulachro ſtantes, digitos mouent ornantium modo. Sunt quae ſpeculum teneant, ſunt quae ad vadimonia ſua deos aduocent: ſunt qui libellos offerant, & illos cauſam ſuam doceant. Doctus Archimimus ſenex iam decrepitus, quotidie in Capitolio mimum agebat, quaſi dij libenter ſpectarent quem homines deſierant. Omne illic artificum genus operantium diis immortalibus deſidet. *Et paulo poſt:* Hi tamen, *inquit*, etiam ſi superuacuum vſum, non turpem nec infamem Deo promittunt. Sedent quaedam in Capitolio, quae ſe a Ioue amari putant: nec Iunonis quidem, ſi credere poëtis velis, iracundiſſimae reſpectu terrentur. *Hanc libertatem Varro non habuit, tantummodo poëticam theologiam reprehendere auſus eſt, ciuilem non auſus eſt, quam iſte concidit. Sed ſi verum attendamus, deteriora ſunt templa, vbi haec aguntur, quàm theatra, vbi finguntur. Vnde in his ſacris ciuilis theologiae has partes potius elegit Seneca ſapienti, vt eas in animi religione non habeat, ſed in actibus fingat. Ait enim:* Quae omnia ſapiens ſeruabit tanquam legibus iuſſa, non tanquam diis grata. *Et paulo poſt:* Quid quod & matrimonia, *inquit*, deorum iungimus, & ne pie quidem, fratrum ſcilicet & ſororum? Bellonam Marti collocamus: Vulcano Venerem: Neptuno Salaciam: quoſdam tamen coelibes relinquimus, quaſi conditio defecerit: praeſertim cum quaedam viduae ſint, vt Populonia, vel Fulgora, & diua Rumina, quibus nõ miror petitorem defuiſſe. Omnem iſtã ignobilem deorum turbam, quam longo aeuo, longa ſuperſtitio congeſſit, ſic, *inquit*, adorabimus, vt meminerimus, cultum eius magis ad morem, quàm ad rem pertinere. *Nec leges ergo illae, nec mos in ciuili theologia id inſtituerunt, quod dijs gratum eſſet, vel ad rem pertineret: ſed iſte quem Philoſophi quaſi liberum fecerunt, tamen quia illuſtris populi Romani Senator erat, colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat.*

Cap. xi. de eodem Seneca.

Hic inter alias ciuilis theologiae ſuperſtitiones reprehendit etiam ſacramenta Iudaeorum, & maxime ſabbata: inutiliter id eos facere affirmans, quod per illos ſingulos ſeptem interpoſitos dies ſeptimam fere partem aetatis ſuae perdant vacando; & multa in tempore vrgentia non agendo laedãtur. Chriſtianos tamen iam tunc Iudaeis inimiciſſimos, in neutram partem commemorare auſus eſt, ne vel laudaret contra ſuae patriae veterem conſuetudinem, vel reprehenderet contra propriam forſitan voluntatem.

Scriptor vitae P. Virgilij Maronis.

Seneca tradidit, Iulium Montanum poetam ſolitum dicere, inuolaturum ſe quaedam Virgilio, ſi & vocem poſſet, & os, & hypocriſim. eoſdem enim verſus, eo pronunciante, bene ſonare, ſine illo, inareſcere quaſi mutos.

Seruius in vi. Aeneid.

Seneca ſcripſit de ſitu et ſacris Aegyptiorum. hic dicit circa Sienem extremam Aegypti partem eſſe locum, quem Philas, hoc eſt Amicas vocant, ideo quòd illic eſt placata ab Aegyptijs Iſis, quibus iraſcebatur, quòd membra mariti Oſiridis non inueniebat, quem frater Typhon occiderat. Quae inuenta poſtea cum ſepelire vellet, elegit vicinae paludis tutiſſimum locum, quem ad tranſitum conſtat eſſe difficilem. limoſa enim eſt & papyris referta.

Idem Seruius in ix. Aeneid.

Ganges fluuius Indiae eſt, qui ſecundum Senecam in ſitu Indiae nouem alueis fluit, ſecundum Melonem ſeptem: qui tamen & ipſe commemorat nonnullos dicere, quòd tribus alueis fluat.

PERMISSION DE LA COVR DE PARLEMENT.

vrce que M. Simon Marion, pour Iacques Dupuys, & Gilles Beys, libraires en l'Vniuersité, demandeurs, a dit :

Comme les villes capitales des grans estats sont embellies, non seulement des choses exquises qui y croissent, mais aussi de plusieurs autres singularitez apportees d'ailleurs: de mesmes elles sont illustrees des sciences, par les excellens esprits de leurs naturels citoyens, & par le docte labeur d'autres ou subiects ou estrangers qui s'y rendent de diuers lieux. Enquoy Rome a esté plus heureuse que toutes les autres: d'autant que l'orgueil de ses edifices a vaincu la magnificence d'Asie, & la doctrine de ses lettres a surmonté l'erudition d'Egypte & de Grece. Mais la grandeur de son empire suiette à la loy commune des choses caduques de ce monde terrestre, n'a peu euiter les effects de sa nature corruptible : tellemẽt que peu à peu ses mœurs estants deprauez, ses citoyens desunis, sa force debilitee, ses prouinces dissipees; en fin ellemesme a esté ruinee, sa langue abastardie, ses liures corrumpus, & par ce moyen la terre couuerte d'ignorance & de barbarie : Iusqu'à ce que Dieu ayant ranimé la vigueur des esprits, les vns, enflez de conceptions nouuelles & vrayement sublimes, ont enfanté en ces derniers siecles des inuentions plus subtiles & plus vtiles que n'auoyent veu les ages precedens : les autres, seulement adonnez à la recherche des choses passees, ont deterré les vieils monumens des bons liures, fait parler les langues mortes, & remis les anciẽnes sciẽces en leur premiere splendeur. Ce qui a rendu toutes les lettres auiourdhuy florissantes comme en vn delicieux iardin, où nous deuons principalement choisir les fruicts sacrez des sainctes escriptures pour la nourriture celeste de nos ames : & au surplus pour nous recreer, nous y pouuons quelquefois cueillir des fleurs profanes; dõt les vnes contentent la seule curiosité, resemblans aux marguerites qui n'ont que la beauté ; les autres outre l'elegance rendent encores vne douce odeur, qui nous inspire les preceptes des bonnes mœurs. Et tel est ce liure, anciennement né à Rome, & nouuellement restitué à Rome: laquelle toutefois ne se peut glorifier d'auoir esté mere, mais seulemẽt hostesse de l'autheur, & du restituteur: d'autãt que Seneque, qui l'a premier produit, estoit Espagnol; & Muret, qui l'a dernierement illustré,

★

estoit François: Tous deux cõduis à Rome soubs deux empires aussi diuers que le succez de leurs vies a esté different. Car au temps que ceste puissante ville estoit le siege de la domination temporelle, Seneque y rencõtra vn Prince cruel, qui le fit inhumainement mourir: Mais en ce temps que ceste saincte ville est le siege de la puissance Ecclesiastique, Muret y a trouué des Saincts Peres qui l'ont gracieusement reçeu & honoré iusques à sa morr tranquille & naturelle. Ses amis de Rome, depuis son decez, y ont faict imprimer le Seneque annoté par luy, sans auoir obtenu priuilege du Roy. Ce qui la rendu puremẽt public, & de libre impression en France, où il ne peut plus estre priuilegié: attendu que la condition frãche ou serue d'vn liure se mesure par l'estat auquel il se trouue quãd il sort premieremẽt des mains priuees de son particulier possesseur, pour entrer en la lumiere publique des hommes: Tellemenr que s'il a esté lors produit auec la seruitute d'vn priuilege, il la doit endurer: Mais s'il est né libre, on ne le peut aprez asseruir. Car à l'exemple de ce que Dieu estãt createur de toutes choses, est aussi seigneur vniuersel & absolut de tout, comme de son ouurage: les hommes, les vns enuers les autres, par vn commũ instinct & droit naturel, recognoissent chacun d'eux en son particulier estre seigneur de ce qu'il fait, inuẽte, & compose, & de ce qu'il recouure de nouueau: de sorte que l'autheur d'vn liure, ou celuy auquel en appartient l'exemplaire priué escript à la main, en peut librement disposer comme de chose sienne, le supprimer, ou le faire imprimer; Et en le communiquant au public, par le moyen de l'impression, y apposer telle loy que bon luy semble, mesmes conuenir auec le Prince qu'aucun autre ne le pourra imprimer pendant certain temps. C'est ce que nous appelons Priuilege: qui est en effect vn contract, mutuellement obligatoire, destitué de nom propre, mais fondé sur ceste iuste cause, sans laquelle il ne peut subsister. Ce qui rend nulles les lettres obtenues du Roy, & verifiees en la Cour sur simple requeste, par lesquelles il est permis pendanr six ans au defendeur seul d'imprimer en France sur la coppie de Rome, le Seneque annoté par Muret. Car la liberté publique de l'impressiõ ne peut estre restrainte en sa faueur singuliere, puis que de sa part il ne donne rien de singulier au public, estant l'exemplaire qu'il veut representer desia commun: Tellement que la cõuention demeureroit nüe, & destituee de la cause essentiellemẽt requise pour la rendre efficace & obligatoire: la raison du droit & de l'equité naturelle ne permettanr pas qu'on nous puisse valablement obliger en consideration de ce qui est nostre, ny qu'vn particulier vse de prerogatiue en ce qui est public: d'autãt que ce seroit violer l'equalité, mere de cõcorde entre cõcitoyens. Estant donc le Seneque de Rome cõmun à tous, & nous appartenãr comme au defen-

deur,

deur, luy qui n'a aucun droit ſpecial à la copie, ne peut pretendre aucun priuilege en l'impreſſion : laquelle partant les demandeurs requerent leur eſtre permiſe, nonobſtant les lettres contraires obtenuës par le defendeur.

La Cour a accordé la permiſſion requiſe, par cet arreſt.

Exſtrait des regiſtres de Parlement.

ENTRE Jacques Dupuys & Gilles Beys, marchãds libraires iurez en l'Vniuerſité de Paris, oppoſans à l'execution de certaines lettres patentes, en forme de pretendu priuilege, donnees à Paris le ſeptieſme iour de Feburier dernier paſſé, obtenuës par Nicolas Niuelle, auſſi marchand libraire en laditte Vniuerſité de Paris, portans priuilege & permiſſion audit Niuelle d'imprimer le liure intitulé, L. Annaeus Seneca, à M. A. Mureto correctus, & notis illuſtratus, *imprimé nouuellement à Rome : & encores oppoſant à l'execution de l'arreſt deladite Cour, de l'onzieſme iour dudit mois de Feburier enſuiuant, portant l'entherinement deſdittes lettres patentes; & demandeurs & requerans l'entheriment d'vne requeſte par eux preſentee à laditte Cour le vingt ſixieſme iour de Feburier auſſi dernier paſſé; & defendeurs & empeſchans l'entherinement d'vne autre requeſte du premier iour du preſent mois de Mars dernier paſſé, d'vne part : Et ledit Nicolas Niuelle marchand libraire, demãdeur en execution deſdittes lettres patentes & arreſt, & à l'entherinement de laditte requeſte dudit premier iour de ce preſent mois de Mars dernier paſſé, & defendeur & empeſchant l'entherinement de laditte requeſte dudit vingtſixieſme iour de Feburier dernier paſſé, d'autre : Apres que MARION, pour leſdits Dupuys & Beys, & CHOPPIN pour ledit Nicolas Niuelle, ont eſté ouys, enſemble FAYE pour le Procureur general du Roy, LA COVR ayant eſgard à l'oppoſition formee par leſdits Dupuys & Beys, Ordonne que l'exemplaire du liure de Seneque corrigé et illuſtré par defunct maiſtre Marc Anthoine de Muret, apporté de Rome, pourra eſtre imprimé par leſdits Dupuys & Beys. Fait en Parlement le quinzieſme iour de Mars, mil cinq cens quatrevingts & ſix. ainſi ſigné, Deheues.*

L. ANNAEI SENECAE AD EBVCIVM LIBERALEM

DE BENEFICIIS

Liber Primus.

NTER [1] multos ac varios errores temere inconsulteque viuentium nihil propemodum, optime Liberalis, dixerim nocentius, quàm quòd beneficia nec dare scimus, nec accipere. Sequitur enim, vt male collocata, male debeantur. De quibus non redditis, sero querimur. [2] ista enim perierunt, cum darentur. Nec mirum est, inter plurima maximaque vitia nullum esse frequentius, quã ingrati animi. Id euenire ex pluribus causis video. Prima illa est, quòd non eligimus dignos, quibus tribuamus: sed [3] nomina facturi, diligenter in patrimonium & [4] vasa debitoris [5] inquitimus: semina in solum effetum & sterile non spargimus: beneficia sine vllo delectu magis proiicimus, quàm damus. Nec facile dixerim, vtrum turpius sit infitiari, an repetere beneficium. Id enim genus huius crediti est, ex quo tantum recipiendum sit, quantum vltro refertur: [6] decoquere vero foedissimum ob hoc ipsum, quia non opus est ad liberandum fidem facultatibus, sed animo. [7] Reddit enim beneficium, qui libenter debet. Sed cum sit in ipsis crimen, qui ne confessione quidem grati sunt, in nobis quoque est. [8] Multos experimur ingratos, plures facimus: quia alias graues [9] exprobratores exactoresque sumus, [10] alias leues, & quos paulo post muneris sui paeniteat, [11] alias queruli, & minima momenta calumniantes. Ita gratiam omnem corrumpimus, nõ tantum postquã dedimus beneficia, sed dum damus. Quis enim nostrum contentus fuit, [12] aut leuiter rogari, aut semel? Quis non, cum aliquid a se peti [13] suspicatus est, frontem adduxit, vultum auertit, occupationes simulauit, longis sermonibus, & de industria non inuenientibus exitum, occasionem petendi abstulit, & variis artibus properantes necessitates elusit? In angusto vero comprehensus, [14] aut distulit, id est, timide negauit, aut promisit: sed difficulter, sed subductis superciliis, sed malignis, & vix exeuntibus verbis? Nemo autem libenter debet, quod non accepit, sed expressit. Gratus esse aduersus eum quisquam potest, qui beneficium aut superbe iniecit, aut iratus impegit, aut fatigatus, vt molestia careret, dedit? Errat, si quis sperat responsurum sibi, quem dilatione lassauit, expectatione torsit. Eodem animo beneficium debetur, quo datur. Et ideo non est negligenter dandum. [b] Sibi enim quisque debet, quod [15] a neglegente accepit. Nec tarde quidẽ: quia quum in omni officio magni aestimetur dantis voluntas, qui tarde fecit, diu noluit. Vtique non contumeliose. Nam cum ita natura comparatum sit, vt altius iniuriae quàm merita descendant, & illa cito defluant, has tenax memoria custodiat: quid expectat qui offendit, dum obligat? Satis aduersus illum gratus est, si quis beneficio eius ignoscit. Non est autem quòd tardiores faciat ad bene merendum, turba ingratorum. Nam primum (vt dixi) nos illam augemus: deinde ne deos quidem immortales [16] ab hac tam effusa benignitate sacrilegi, negligentesque eorum, deterrent. [c] Vtuntur natura sua, & [17] cuncta, interque illa ipsos munerum suorum malos interpretes iuuant. Hos sequamur duces, quantum humana imbecillitas patitur. Demus beneficia, non feneremus. Dignus est decipi, qui de recipiendo cogitauit, cum daret. At male cessit. Et liberi, & coniuges spem fefellerunt: tamẽ & educamus, & ducimus. Adeoque aduersus experimenta pertinaces sumus, vt bella victi & naufragi maria repetamus. Quanto magis permanere in dãdis beneficiis decet? quæ si quis non dat quia non recipit, dedit vt reciperet, bonamque ingratorum facit causam, [18] [d] quibus ita demum turpe est non reddere, si & licet. Quàm multi indigni luce sunt? & tamen dies oritur. Quàm multi, quòd nati sunt, queruntur? tamẽ natura sobolem nouam gignit,

[19] ipsosque qui non fuisse mallent, esse patitur. Hoc & magni animi & boni proptium est, non fructum beneficiorum sequi, sed ipsa, & post malos quoque bonum quaerere. Quid magnifici erat multis prodesse, si nemo deciperet? [20] Tũc est virtus, dare beneficia: non vtique reditura, quorum a viro egregio statim fructus perceptus est. Adeo quid em ista res fugare nos, & pigriores ad rem pulcherrimam facere non debet; vt si spes mihi praecidatur gratum hominem reperiendi, malim non recipere beneficia, quàm non dare. Quia qui nõ dat, vitium ingrati antecedit. Dicam quod sentio. [21] [e] Qui beneficium non reddit, non magis peccat, quàm qui non dat. citius.

Beneficia in vulgus cum largiri institueris,
Perdenda sunt multa, vt semel ponas bene.

II. [22] In priore versu vtrumque reprehendas. Nam nec in vulgus effundenda sunt, & nullius rei, minime beneficiorum, honesta largitio est. quibus si detraxeris iudicium, desinunt esse beneficia: in aliud quodlibet incidunt nomen. Sequens versus mirificus est, qui vno bene posito beneficio, multorum amissorum damna solatur. Vide, oro te, ne hoc & verius sit, & magnitudini bene facientis aptius, vt illum hortemur ad danda, etiam si nullum bene positurus est. [23] Illud etiam falsum est, *Perdenda sunt multa*. Nullum perit. quia qui perdit, computauerat. Beneficiorum simplex ratio est. [24] [f] tantum eroga tu: si reddet aliquid, lucrũ est: si non reddet, damnum non est. Ego illud dedi, vt darem. Nemo beneficia in kalendario scribit: nec auarus exactor ad horam & diem [25] creditorem appellat. Nunquam illa vir bonus cogitat, nisi admonitus a reddente. [26] Alioquin in formam crediti transeunt. Turpis feneratio est, beneficium expensum ferre. Qualiscunque priorum euentus est, perseuera in alios conferre. Melius apud ingratos iacebunt: quos aut pudor, aut occasio, aut imitatio aliquando gratos poterit efficere. Ne cessaueris dare: opus tuum perage, & partes boni viri exequere. Alium re, alium fide, alium gratia, alium consilio, alium praeceptis [27] salutaribus adiuua.

III. Officia etiam ferae sentiunt. Nec vllum tam immansuetum animal est, quod non cura mitiget, & in amorem sui vertat. Leonum ora a magistris impune tractãtur. Elephantorum feritatem vsque in seruile obsequium demeretur cibus. Adeo etiam quae extra intellectum atque aestimationem beneficij sunt posita, assiduitas tamen meriti pertinacis euincit. Ingratus est aduersus vnum beneficium? aduersus alterum non erit. duorum oblitus est? tertium etiam eorum quae exciderunt, memoriam reducet. Is perdidit, qui cito se perdidisse credidit. At qui instat & onerat priora sequentibus, etiam ex duro & immemori pectore gratiam extundit. Non audebit aduersus multa oculos attollere. Quocunque se vertit, [28] memoriam tui fugiẽs, ibi te videat. Beneficiis tuis illũ cinge. Quorum quae vis, quaeve proprietas sit, dicam, si prius illa, quae ad rem non pertinent, transilire mihi permiseris: Quare tres Gratiae, & quare sorores sint, & quare manibus implexis, quare ridentes, quare iuuenes, & quare virgines, soluta ac pellucida veste. Alij quidem videri volunt vnam esse, quae det beneficium: alteram, quæ accipiat: tertiam, quae reddat. Alij tria beneficiorum genera, promerentium, reddentium, simul & accipientium reddentiumque. [g] Sed vtrumlibet ex istis iudica verum: quid ista nos iuuat scientia? Quid ille consertis manibus in se redeuntium chorus? Ob hoc, quia ordo beneficij per manum transeuntis, nihilominus ad dantem reuertitur, & totius speciem perdit, si vsquam interruptus est: pulcherrimus, si cohaesit, & vices seruauit. Ideo ridentes: quia promerentium vultus hilares sunt, quales solent esse & qui dant, & qui accipiunt beneficia. Iuuenes: quia non debet beneficiorum memoria senescere. [29] Virgines: quia incorrupta sunt, & sincera, & omnibus sancta: in quibus nihil esse alligati decet, nec astricti. Solutis itaque tunicis vtuntur: pellucidis autem, quia beneficia conspici volunt. Sit aliquis vsque eo Graecis mancipatus, vt haec dicat necessaria: nemo tamen erit, qui etiam illud ad rem iudicet pertinere, quae nomina illis Hesiodus imposuerit, cur [h] AEglen maximam natu appellauerit, mediam Euphrosynen, tertiam Thalian. Horum nominum interpretationẽ, & [i] prout cuique visum est, deflectit, & ad rationem aliquam conatur perducere: cum Hesiodus puellis suis, quod voluit nomẽ imposuerit. Itaque Homerus vni mutauit, [k] Pasithean appellauit, & in matrimonium produxit, vt scias illas Vestales non esse. Inueniam alium poetam, apud quem praecingantur, [30] & spissis auro Phrygianis prodeãt. Ergo & Mercurius vnà stat: [31] [l] nõ quia beneficia oratio commendat, sed quia pictori ita visum est. Chrysippus quoque, penes quem subtile illud acumen est, & in imam penetrans veritatem, qui rei agendae causa loquitur, & verbis non vltra, quàm ad intellectum satis est, vtitur, totum librum suum his ineptiis replet, ita vt de ratione dandi, accipiendi, reddendique beneficij pauca admodum dicat. Nec his fabulas, sed haec fabulis inserit. [m] Nam praeter ista quae Hecaton scribit, treis Chrysippus

Gratias

Gratias ait Iouis & Eurynomes filias esse. AEtate autem minores quàm Horas, sed meliu-
scula facie, & ideo Veneri datas comites. Matris quoque nomen ad rem iudicat pertinere.
Eurynomen enim dictam, quia late patentis patrimonij sit, beneficia diuidere: tanquam
matri post filias soleat nomen imponi, aut poetae vera oomina reddant. Quemadmodum
nomenclatori memoriae loco audacia est: & cuicunque nomen ooo potest reddere, impo-
nit: ita poetae non putant ad rem pertinete, verum dicere, sed aut necessitate coacti, aut de-
cote corrupti, id quemque vocari iubēt, quod belle facit ad versum. Nec illis fraudi est,[12] si
aliud quid in censum detulerunt. Ptoximus enim poeta suum illas ferre nomen iubet. Hoc
vt scias ita esse, ecce Tbalia, de qua cum maxime agitur, apud Hesiodum Charis est, apud
Homerum veto Musa. Sed ne faciam, quod reprehendo, omnia ista, quae ita extra rem IIII.
sunt, vt nec circa rem quidem sint, relinquam. Tu modo nos tuere, si quis mihi obiecerit,
quòd Chrysippum in ordinem coegerim, magnum mehercule virum, sed tamen Graecum,
cuius acumen nimis tenue retunditur, & in se saepe replicatut. etiam cum agere aliquid vi-
detur, pungit, non perforat. Hoc vero quod acumen est? De beneficiis dicendum est, & ot-
dinanda res, quae maxime societatem humanam alligat. Danda lex vitae; ne sub specie
benignitatis inconsulta facilitas placeat: ne liberalitatem, quam nec deesse oportet, nec su-
perfluete, haec ipsa obseruatio restringat, dum temperat. Docendi sunt libenter accipere,
libenter reddere,[13] & magnum ipsis certamen proponere, eos quibus obligati sunt re, ani-
mo non tantum aequare, sed vincere. Quia qui referre gratiam debet, nunquam consequi-
tur, nisi praecessit. Hi docendi sunt nihil imputare: illi plus debere.[14] Ad hanc honestissi-
mam contentionem, beneficiis beneficia vincendi, sic nos adhortatur Chrysippus, vt dicat
verendum esse, ne quia Charites Iouis filiae sunt,[15] parum se grate gerere, sacrilegium sit, &
tam bellis puellis fiat iniuria. Tu me aliquid eorum doce, per quae beneficentiot, gratior-
que aduersus bene merentes fiam, per quae obligantium, obligatorumque animi certent,
vt qui praestiterint, obliuiscantur, pertinax sit memoria debentium. Istae vero ineptiae poe-
tis relinquantur: quibus aures oblectare ptopositum est, & dulcem fabulam nectere. At qui
ingenia sanare, & fidem in tebus humanis retinere, memoriam officiorum ingerere animis
volunt, serio loquantut, & magnis viribus agant: nisi forte existimas, leui ac fabuloso ser-
mooe & anilibus argumentis ptohiberi posse rem perniciosissimam,[16] beneficiorum nouas
tabulas. Sed quemadmodum superuacua transcurram, ita exponam necesse est,[17] hoc V.
primum, quid accepto beneficio debeamus. [n] Debere enim dicit se alius pecuniam quam
accepit, alius consulatum, alius sacerdotium, alius prouinciam. Ista autem sunt meritorum
signa, non merita.[18] Non potest beneficium manu tangi: animo cernitur. Multum interest
inter materiam beneficij, & beneficium. Itaque nec aurum, nec argentum, nec quicquam
eorum quae a proximis accipiuntur, beneficium est, sed ipsa tribuentis voluntas. Imperiti
autem id, quod oculis incurrit, & quod traditur possideturque, solum notant: contra, illud
quod in re carum atque pretiosum est, paruipēdunt. Haec quae tenemus, quae aspicimus, in
quibus cupiditas nostra haeret, caduca sunt. Auferre ea nobis & fortuoa, & iniuria potest.
Beneficium vero, etiam [19] [o] amisso eo quod datum est, durat. Est enim rectè factū, quod itri-
tum nulla vis efficit. Amicum a piratis redemi: hunc alius hostis excepit, & in carcerem cō-
didit. noo beneficium, sed vsum beneficij mei sustulit. Ex naufragio raptos, vel ex incendio
liberos reddidi. Hos vel morbus, vel aliqua fortuita iniuria eripuit. Manet etiam sine illis,
quod in illos datum est. Omnia itaque, quae falsum beneficij nomen vsurpant, ministeria
sunt, per quae se voluntas amica explicat. Hoc quoque in aliis rebus euenit, vt aliubi sit spe-
cies rei, aliubi ipsa res. Imperator aliquem torquibus, murali, & ciuica donat. [p] Quid habet
per se corona pretiosum? Quid praetexta? Quid fasces? Quid tribunal & curtus? Nihil ho-
rum honor est, sed honoris insigne. Sic oon est beneficium id quod sub oculos venit, sed
beneficij vestigium & nota. Quid est ergo beneficium? Beneuola actio tribuens gau- VI.
dium, capiensque tribuendo, in id quod facit, prona, & sponte sua parata. Itaque non quid
fiat, aut quid detur, tefert, sed qua meote. Quia beneficium noo in eo quod fit aut datur,
consistit, sed in ipso dantis aut facientis animo. Magnum autem esse inter ista discrimen,
vel ex hoc iotelligas licet, quòd beneficium vtique bonum est. Id autem quod fit aut da-
tur, nec bonum nec malum est. Animus est, qui parua extollit, sordida illustrat, magna & in
precio habita dehonestat. Ipsa, quae appetuntur, neutram naturam habent, nec boni, nec
mali. Id refert, quò illa rector animus impellat, a quo forma datut rebus. Non est ergo be-
neficium ipsum, quod numeratur, aut traditur. Sicut oec in victimis quidem, licet opimae
sint, auroque praefulgeant, deorum est honos, sed pia ac recta voluntate venerantium.
[q] Itaque boni etiam [20] farre ac fitilla religiosi sunt, mali rursus non effugiunt impietatem,

VII. quamuis aras sanguioe multo cruentauerint. Si beneficia in rebus, non in ipsa bene-
faciendi voluntate consisterent, eo maiora essent, quo maiora sunt, quae accipimus. Id au-
tem falsum est. Nonnunquam enim magis nos obligat, qui dedit parua magnifice: qui Re-
gum aequauit opes animo: qui exiguum tribuit, sed libenter: qui paupertatis suae oblitus
est, dum meam respicit: qui noo voluntatem tantum iuuandi habuit, sed cupiditatem: qui
accipere se putauit beneficium, cum daret: qui dedit tanquam non recepturus, recepit tan-
quam non dedisset: qui occasionem qua prodesset, & occupauit & quaesiuit. Contra, in-
grata sunt (vt dixi) licet re ac specie magna videantur, quae danti aut extorquentur, aut
excidunt. Multoque gratius venit, quod facili, quàm quod plena manu datur. Exiguum
est quod in me contulit, sed amplius noo potuit. At id quod dedit, magnum est: sed du-
bitauit, sed distulit, sed cum daret, gemuit, sed superbe dedit, sed circumtulit, & placere ei,
VIII. cui praestabat, noluit. ambitioni dedit, non mihi. Socrati cum multa multi pro suis
quisque facultatibus offerreot: [41] AEschines pauper auditor, Nihil, inquit, dignum te
quod dare tibi possim, inuenio: & hoc modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi
quod vnum habeo, Me ipsum. Hoc munus rogo qualecuóque est, boni consulas, cogites-
que alios cum multum tibi darent, plus sibi reliquisse. Cui Socrates: Quid ni tu, inquit, mi-
hi magnum munus dederis, nisi forte paruo te aestimas? Habebo itaque curae, vt te melio-
rem tibi reddam quàm accepi. Vicit AEschines hoc munere [r] Alcibiadis parem diuitiis
IX. animum, & omnium iuuenum opulentorum munificentiam. Vides quomodo ani-
mus inueniat liberalitatis materiam, etiam inter angustias paupertatis. Videtur mihi dixis-
se: Nihil egisti fortuna, quòd me pauperem esse voluisti. Expediam nihilominus dignum
huic viro munus: & quia de tuo non possum, de meo dabo. Neque est quòd existimes illum
vilem sibi fuisse, [s] qui pretium se sui fecit. Ingeniosus adolescens inuenit quemadmodum
Socratem sibi daret. [42] Non quanti quaeque sint, sed a quali dentur, perspiciendum. Calli-
dus noo [t] difficilem aditum praebet immodica cupientibus: [v] spesque improbas nihil re ad-
iuturus verbis fouet. [u] At eius peior est opinio, qui lingua asper, vultu grauis, cum inuidia
fortunam suam explicauit. Colunt enim, detestanturque felicem, & si potuerint, eadem fa-
cturi, odere facientem. [43] Coniugibus alienis [x] nec clam, sed aperte quidam ludibrio habi-
tis, suas aliis permisere. Rusticus, [y] inhumanus, ac maleuolus, & inter matronas abominan-
dae conditionis est, si quis coniugem [44] in sella prostare vetuit, & vulgo admissis inspecto-
ribus vehi vndique perspicuam. Si quis nulla se amica fecit insigoem, nec alienae vxori
aemulum praestat, hunc matronae humilem, & sordidae libidinis, & [45] ancillariolum vo-
cant. [z] Hioc decentissimum sponsaliorum genus est adulterium: & [46] in consensu vidui
caelibatus, nemo vxorem duxit, [a] nisi qui abduxit. [47] Iam rapta spargere, sparsa pari auari-
tia recolligere certant: nihil pensi habere, paupertatem alienam contemnere, suam timere,
nullum aliud vereri malum: non parcere iniuriis, perturbare imbecilliores, vi ac metu pre-
mere. Nam prouincias spoliari, & nummarium tribunal, audita vtrinque licitatione, alteri
X. addici, non mirum: quando quae emeris, vendere, gentium ius est. Sed longius nos
impetus euehit, prouocantę materia. Itaque sic finiamus, ne in nostro sacculo culpa subsi-
dat. Hoc maiores nostri questi sunt, hoc nos querimur; hoc posteri oostri querentur, euersos
esse mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas & in omne oefas labi. At ista stant
loco eodem, stabuntque, paulułum duntaxat vltro aut citro mota: vt fluctus quos aestus
accedens longius extulit, recedens ioteriore littorum vestigio tenuit. Nunc in adulteria
magis, quàm io alia peccabitur, abrumpetque fraenos pudicitia: nunc conuiuiorum vige-
bit furor, & foedissimum patrimoniorum exitium culina: nunc cultus corporum nimius &
formae cura, corpore [b] prae se ferens animi deformitatem: nunc in petulantiam & auda-
ciam erumpet male dispensata libertas: nunc in crudelitatem priuatam ac publicam ibitur,
bellorumque ciuilium insaniam, qua omne sanctum ac sacrum profanetur. [48] Habebitur
aliquando ebrietati honor, & plurimum meri cepisse virtus erit. Non stant vno loco vitia;
sed mobilia & inter se dissenticotia tumultuantur, pellunt inuicem, fuganturque. Ceterum
idem semper de nobis prooruntiare debebimus, malos esse nos, malos fuisse, inuitus adii-
ciam, & futuros esse. Erunt homicidae, tyranni, fures, adulteri, raptores, sacrilegi, prodito-
res: infra ista omnia ingratus est, nisi quòd omnia ista ab ingrato animo sunt, sine quo vix
vllum magnum facinus accreuit. Hoc tu caue, tanquam maximum crimen, ne admittas:
ignosce tanquam leuissimo, si admissum est. Haec est enim iniuriae summa. Beneficium
perdidisti. Saluum est tibi ex illo, quod est optimum. Dedisti. Quemadmodum autem cu-
randum, vt in eos potissimum beneficia conferamus, qui grate responsuri erunt: ita quae-
dam, etiam si de illis male sperabitur, faciemus, tribuemusque, non solum si iudicabimus
ingratos

ingratos fore, sed si sciemus fuisse. Tanquam si filios alicui restituere potero, magno periculo liberatos, [c] sine vllo meo incommodo, non dubitabo. Dignum, etiam impendio sanguinis mei tuebor, & in partem discriminis veniam. Indignum, si eripere latronibus potero, clamore sublato, salutarem vocem homini non pigebit emittere. Sequitur vt dicamus, XI. quae beneficia danda sint, & quemadmodum. Primo demus necessaria, deinde vtilia, deinde iucunda, vtique mansura. Incipiendum est autem a necessariis. Aliter enim ad animum peruenit, quod vitam continet: aliter quod exornat, aut instruit. Potest in eo aliquis fastidiosus esse aestimator, quo facile cariturus est, de quo dicere licet: Non desidero. meo contentus sum. interim non reddere tantum libet quod acceperis, sed abiicere. Ex his quae necessaria sunt, quaedam primum obtinent locum, sine quibus non possumus viuere: quaedam secundum, sine quibus non debemus: quaedam tertium, sine quibus nolumus. Prima huius notae sunt, hostium manibus eripi, & tyrannicae irae, & proscriptioni, & aliis periculis, quae varia & incerta humanam vitam obsident. Quicquid horum discusserimus, quo maius ac terribilius erit, hoc maiorem inibimus gratiam. Subit enim cogitatio, quantis sint liberati malis: & lenocinium est muneri, antecedens metus. Nec tamen ideo debemus tardius quenquam seruare, quàm possumus: vt muneri nostro timor imponat pondus. Proxima ab his sunt, sine quibus possumus quidem viuere, sed vt mors potior sit: tanquam libertas, & pudicitia, & mens bona. Post haec habebimus coniunctione, ac sanguine, vsuque, & consuetudine longa, cara: vt liberos, coniuges, penates, caeteraque, quae vsque eo animus sibi applicuit, vt ab illis quàm a vita diuelli grauius existimet. Subsequuntur vtilia, quorum varia & lata materia est. Hic erit pecunia non superfluens, sed ad sanum modum habendi parata. Hic erit honor & processus ad altiora tendentium. Nec enim vtilius quicquam est, quàm sibi vtilem fieri. [d] Iam cetera ex abundanti veniunt, delicatos factura. In his videamus, vt opportunitate grata sint, vt non vulgaria, quaeque aut pauci habuerint, aut pauci intra hanc aetatem habent, aut quae etiam si natura pretiosa non sunt, tempore aut loco fiant. Videamus quid oblatum maxime voluptati futurum sit, quid frequenter occursurum habenti, [e] vt toties nobiscum, quoties cum illo sit. Vtique cauebimus, ne munera superuacua mittamus: vt feminae aut seni arma venatoria, aut rustico libros, aut studiis ac litteris dedito retia. AEque ex contrario circumspiciemus, ne dum grata mittere volumus, suum cuique morbum exprobratura mittamus, sicut ebrioso vina, & valetudinario medicamenta. Maledictum enim incipit esse, non munus, in quo vitium accipientis agnoscitur.

Si arbitrium dandi penes nos est, praecipue mansura quaeremus, vt quàm XII. minime mortale munus sit. Pauci enim sunt tam grati, vt quod acceperint, etiam si non vident, cogitent. Ingratis quoque memoria cum ipso munere incurrit: vbi ante oculos est, & obliuisci sui non sinit, sed auctorem suum ingetit & inculcat. [f] Eo quidem magis duratura quaeramus, quia nunquam admonere debemus. Ipsa res euanescentem memoriam excitet. Libentius donabo argentum factum, quàm signatum: libentius statuas, quàm vestem, & quod vsus breuis deterat. [g] Apud paucos [4,5] post rem manet gratia. Plures sunt apud quos non diutius in animo sunt donata, quàm in vsu. Ergo si fieri potest, consumi munus meum nolo. Extet, haereat amico meo, & conuiuat. Nemo tam stultus est, vt monendus sit, ne cui gladiatores aut venationem iam munere edito mittat, & vestimenta aestiua bruma, hiberna solstitio. [h] Sit in beneficio sensus communis, [i] tempus, locum, personas obseruet: quia momentis quaedam grata & ingrata sunt. Quanto acceptius est, si id damus, quod quis non habet, quàm cuius copia abundat? quod diu quaerit, nec inuenit, quàm quod vbique visurus est? Munera non tam pretiosa, quàm rara & exquisita sint, quae etiam apud diuitem sui locum faciunt: sicut gregalia quoque poma, etiam post paucos dies itura in fastidium, delectant, si prouenere maturius. Illa quoque non erunt sine honore, quae aut nemo illis alius dedit, aut nos nulli alij.

Alexandro Macedoni, cum victor Orientis, animos XIII. supra humana tolleret, [l] Corinthij per legatos gratulati sunt, & ciuitate illum sua donauerunt. Cum risisset Alexander hoc officij genus, vnus ex legatis: Nulli, inquit, ciuitatem vnquam dedimus alij quàm tibi & Herculi. Libens accepit delatum honorem, & legatos inuitatione, aliaque humanitate prosecutus, cogitauit, non qui sibi ciuitatem darent, sed cui dedissent. Et homo gloriae deditus, cuius nec naturam, nec modum nouerat, Herculis Liberique vestigia sequens, ac ne ibi quidem resistens [k] vbi illi defecerant, ad sociū honoris sui respexit a dantibus, tanquam caelum, quod mente vanissima complectebatur, teneret: quia Herculi aequabatur. Quid enim simile habebat vaesanus adolescens, cui pro virtute erat felix temeritas? Hercules nihil sibi vicit: orbem terrarum transiuit, non concupiscendo, sed vindicando. Quid vinceret malorum hostis, bonorum vindex, terrarum marisque

pacator? At hic a pueritia latro, gentiũque vaſtator, tam hoſtium pernicies, quàm amicorũ,
qui ſummũ bonum duceret, terrori eſſe cũctis mortalibus, oblitus, non ferociſſima tantum,
XIIII. ſed ignauiſſima quoque animalia timeri, ob virus malum. Ad propoſitum nunc reuerta-
mur. Beneficium quod quibuſlibet datur, [l] nulli gratũ eſt. Nemo ſe ſtabularij aut cauponis
hoſpitem iudicat, nec conuiuam dantis epulum, vbi dici poteſt: Quid enim in me contulit?
Nempe hoc quod in illum, & vix bene notũ ſibi, & in illum ' 'etiam mimicũ ac turpiſſimum
hominem. Nunquid enim me dignum iudicauit? '' [m] Morbo ſuo morem geſſit. Quod vo-
les gratum eſſe, rarum effice. Quis patitur ſibi imputari vulgaria? Nemo haec ita interpre-
tetur, tanquam reducam liberalitatem, & fraenis arctioribus reprimam. [n] Illa vero, in quan-
tum libet, exeat: ſed eat, non erret. Licet ita largiri, vt vnuſquiſque etiam ſi cum multis ac-
cepit, in populo ſe eſſe non putet. Nemo non habeat aliquam familiarem notam, per quam
ſperet ſe propius admiſſum. Dicat, Accepi idem quod ille, ſed vltro. Accepi quod ille: ſed
ego intra breue tempus, cum ille diu meruiſſet. Sunt, qui idem habeant: ſed non eiſdem ver-
bis datum, non eadem comitate tribuentis. [o] Ille accepit, cum rogaſſet: ego, cum rogarer.
Ille accepit: ſed facile redditurus, ſed cuius ſenectus & liberotum orbitas magna promitte-
bat. Mihi plus dedit, quamuis idem dederit: quia ſine ſpe recipiendi dedit. Quemadmodum
meretrix ita inter multos ſe diuidit, vt nemo non aliquod ſignum familiaris animi ferat: ita
qui beneficia ſua amabilia vult eſſe, excogitet, quomodo & multi obligentur, & tamen ſin-
guli babeant aliquid, quo ſe ceteris praeferant. Ego verò beneficiis non obiiciam moras.
Quo plura maioraque fuerint, plus afferent laudis. Adſit tamen iudicium. Neque enim
cotdi eſſe cuiquam poſſunt, forte ac temere data. Quare ſi quis exiſtimat nos, cum iſta
praecipimus, benignitatis fines introrſus referre, & illi minus laxum limitem aperire, [p] ne
perperam monitiones noſtras exaudiat. quam enim virtutem magis veneramur? cui magis
ſtimulos addimus? quibus verò tam conuenit haec adhortatio, quàm nobis, ſocietatem
XV. humani generis ſancientibus? Quid ergo eſt? cum ſit nulla honeſta vis animi, etiam
ſi a recta voluntate incepit, niſi quam virtutem modus fecit, veto liberalitatem nepotari.
Tunc iuuat accepiſſe beneficium, & ſupinis quidem manibus, vbi illud ratio ad dignos per-
ducit: [q] quod non quilibet caſus & conſilij indigens impetus defert: quod oſtentare libet,
& inſcribere ſibi. Beneficia tu vocas, quorum auctorem fateri pudet? At illa quanto gratio-
ra ſunt, quantoque in partem interiotem animi nunquam exitura deſcendunt, cum dele-
ctant, cogitantem magis a quo, quàm quid acceperis? Criſpus Paſſienus ſolebat dicere, quo-
rundam ſe iudicium malle, quàm beneficium: [r] quorundam beneficium malle, quàm iudi-
cium. & ſubiiciebat exempla: Malo, aiebat, diui Auguſti iudicium: malo Claudij benefi-
cium. Ego vero nullius puto expetendum eſſe beneficium, cuius vile iudicium eſt. Quid er-
go? Non erat accipiendum a Claudio quod dabatur? Erat: ſed ſicut a fortuna, quam ſcires
ſtatim poſſe malam fieri. [s] Quid ergo iſta inter ſe mixta diuidimus? Non eſt beneficium,
cui deeſt pars optima, datum eſſe iudicio. Alioquin pecunia ingens ſi non ratione, nec re-
cta voluntate donata eſt, non magis beneficium eſt, quàm theſaurus. Multa ſunt autem,
quae oportet accipere, nec debere.

LIBRI PRIMI DE BENEFICIIS FINIS.

M. ANTONII

M. ANTONII MVRETI AD PRIMVM LIBRVM SENECAE DE beneficiis Notae.

1 INTER varios] *Magna hominum pars casu potius, quàm ratione aut consilio viuere videtur, & nullo certo fine sibi proposito, huc atque illuc vagari. Cum tamen & res ipsa clamet, & sapientißimi homines, Isocrates in epistola ad Iasonis liberos, Aristoteles libro primo ad Nicomachum, & alij iampridem monuerint, vitam plenam errorum ac perturbationum fore, nisi habeamus certum aliquid quò tendamus, & ad quod omnia dirigamus. Et hoc est, quod poeta satyricus exclamat:* CAP. I.

Est aliquid, quò tendis, & in quod dirigis arcum:
An passim sequeris coruos testaque lutoque?

Non igitur mirum est, vitam temere inconsulteque viuentium multis ac variis erroribus agitari: quorum nullum nocentiorem esse ait Seneca, quàm quod beneficia neque dare scimus, neque accipere. Beneficiorum enim vicißitudine vita maxime continetur.

2 Ista enim perierunt,] *Qui latini sermonis periti intelligentesque sunt, quos quotidie pauciores esse quàm credideram, animaduerto, facile sentiunt, vocem* Ista *huic loco non conuenire. Vetus liber meus habet* Istum enim. *Lego*, Iam tum enim.

3 Nomina facturi] *Pecuniam feneraturi.*

4 Vasa] *τὰ σκεύη. ita vocantur bona omnia quae non sunt soli.*

5 Inquirimus] *Melius in quibusdam veteribus libris*, anquirimus.

6 De quo queri reuera] *Iampridem docui legendum*, decoquere vero.

7 Reddit enim beneficium qui libenter debet.] *id est, qui cum alia ratione gratiam referre non poßit, voluntate saltem & confeßione gratus est. Pertinet huc nobilis ille Ciceronis locus ex oratione pro Plancio:* Dissimilis est pecuniae debitio & gratiae. Nam qui pecuniam dissoluit, statim non habet id quod reddidit: qui autem debet, aes retinet alienum. Gratiam autem, & qui refert, habet: & qui habet, eo ipso quod habet, refert. *De quo disputãtur quaedam apud Agellium capite quarto libri primi.*

8 Multos experimur ingratos,] *deprehendimus. cum tamen eius rei nulla in nobis culpa sit. Sed plures facimus ipsi.*

9 Exprobratores exactoresque] *Beneficium autem qui sine causa exprobrat, quod beneficium fuerat, iniuriam facit: qui exigit, ostendit, non beneficium fuisse, sed creditum.*

10 Alias leues] *Et sic ostendimus, nos, id quod fecimus, fecisse ἀπροβουλεύτως.*

11 Alias queruli] *φιλαίτιοι, μεμψίμοιροι, & statim quiritantes atque ingratum vocantes, si is qui nobis gratiam debet, vllam vel leuißimam bene de nobis merendi occasionem praetermiserit.*

12 Aut leuiter rogari, aut semel?] *Vetus autem dictum est, nihil carius emi, quàm quod precibus emendum est.*

13 Suspicatus est,] *Eleganter in hoc hominum genus Martialis:*

Durum est Sexte negare cum rogeris:
Quanto durius antequam rogeris?

14 Aut distulit, aut timide negauit,] *Legendum è libro vetere*, Aut distulit, id est, timide negauit. *Etenim qui differt, genere quodam negat, sed aperte negare nõ audet. Saepe autem ingenui homines aperte ac simpliciter negantem facilius ferunt. Martialis:*

Mutua te centum sestertia Phoebe rogaui,
Cum mihi dixisses: Exigis ergo nihil,
Inquiris, dubitas, cunctaris: meque diebus
Teque decem crucias. Iam, rogo, Phoebe nega.

Idem:

Primum est, vt praestes, si quid te Cinna rogabo:
Illud deinde sequens, vt cito Cinna neges.
Diligo praestantem: non odi Cinna negantem.
Sed tu nec praestas, nec cito Cinna negas.

15 A nolente] *Legendum*, a neglegente.

16 Ab hac tam effusa liberalitate] *Liber vetus*, benignitate.

17 Cunctanterque illos ipsos] *Ineptus aliquis locum hunc de industria deprauarit necesse est. Rectißime enim erat in aliis*, Et cuncta, interque illa ipsos.

18 Quibus turpe est] *Emenda ex vetere libro*, Quibus ita demum turpe est non reddere, si & licet.

19 Ipsosque qui non fuisse mallent, esse patitur.] *Puto, sublata negatione, legendum*, Ipsosque qui fuisse mallent. *Fuisse autem est, amplius non esse, periisse: vt in illo*, fuimus Troes, fuit Ilium. *& in illo Plautino*, Ita tibi paene fuit Phronesium. *Sic quos significare volebant mortuos, vixisse dicebant.*

20 Tunc est virtus,] *Alij*, Nunc est virtus. *quod non damno. Meus liber vetus habet*, Haec est virtus.

21 Qui beneficium non reddit, non magis peccat, quàm qui non dat citius.] *Vox* citius *redundat, & sententiam corrumpit. Neque enim hic de beneficio citius aut serius dando, sed simpliciter de dando reddendoque agitur. Aut igitur delenda est, aut, quod magis puto, pro* citius *legendum* Attius: *Vt duos versus, quos statim subijcit, Attij esse intelligamus.*

II. 22 In priore versu] *Aristoteles libro primo rhetoricorum de sententiarum vsu disputans, tradit, nobiles & vulgo celebratas sententias interdum euertendas & confutandas esse: quod veteres & saepe & elegãter factitarunt: nostra aetas, vt alia, ita hoc quoque vel exercitationis vel ornamenti genus neglexit: postquam, vt bene viuẽdi, sic bene dicendi praecepta tenere quàm exercere maluimus. Sic Cicero reprehẽdit versum illum Euripidis, quo vitam humanam fortuna, non sapientia regi dixerat: sic praeceptum Biantis, vt ita amaremus, tanquam osuri: ita odissemus, tãquam amaturi. Sic Sophocles principio Trachiniarum illam Solonis sentẽtiam, non posse ante mortem cuiusque de felicitate aut infelicitate ipsius liquido iudicari. Sic Plutarchus illam Epicuri, ita viuendũ esse sapienti, vt lateret: aliasque permultas. Sic Seneca plurimas. vt hoc loco versus, vt mea quidẽ opinio fert, Attij, qui tamen ad beneficentiam cohortari videbantur.*

23 Illud enim] *Legendum ex vetere libro*, Illud etiam.

24 Tantum eroga] *Ex eodem*, Tantum eroga tu: *vnde alij fecerant*, erogatur.

25 Creditorem appellat.] *Iampridem monui, capite primo libri duodecimi Variarum lectionum, legendum hic* debitorem. *neque cuiquam dubium puto esse, quin ita legendum sit.*

26 Alioqui formam] *Liber vetus*, Alioquin in formam. *quae recta scriptura est.*

27 Salutaribus] *Idem liber*, salubribus. *Sed haec, quae neque de sententia, neque de orationis elegantia quidquã mutant, multa me de industria omissurum esse profiteor. Persequantur haec, qui grandes libros conscribere amant. Ego mea omnia cuperem in vnam paginam posse concludere.*

III. 28 Memoriam suam fugiens,] *Idem liber*, memoriam tui.

29 Virgines,] *Alia olim ratione iocans dixi, apud quendam, qui nemini vnquam gratiam reddebat, vere virgines esse Gratias: nihil enim parere.*

Παρθένοι αἱ παρὰ σοὶ χάριτες· τίκτουσι γὰρ οὐδέν.
Αὐτὰρ ἐγὼ στείρας οὐκ ἄγαμαι χάριτας.

30 Et spissis prodeant,] *Legendum*, Et spissis auro Phrygianis prodeant: *monui pridem capite 1. libri 12. Variarum lectionum.*

31 Non quia beneficia ratio commendat vel oratio,] *Legendum*, Non quia beneficia oratio commendat. *cetera delenda. Error natus aut ex varietate scripturae, aut ex haesitantia librarij. Consimilia multa indicaui capite 16. lib. 15. Variar. lectionum.*

32 Si aliquid in censum detulerunt.] *Lege*, si aliud quid. *Deferre autem in censum, idem est quod deducere in censum, apud iuris auctores, l. 64. D. de adquir. rer. dominio.*

IIII. 33 Et magnum ipsis certamen] *Pro* ipsis, *liber vetus habet* ibsi. *Mutandus ordo litterarum, vt legamus* sibi.

34 Ad hanc honestissimam contentionem] *Respexerit fortasse ad illud Hesiodi*, ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι.

35 Parum se grate] *Vide quae scripsi libro 12. Var. lectionum.*

36 Beneficiorum nouas tabulas.] *Vt quicunque beneficia quamlibet magna ac multa acceperũt, nihil debere se putent.*

V. 37 Hoc primum nobis esse discendum,] *Totum illud*, nobis esse discendum, *delendum videtur. In alijs* dicendum, *aeque male.*

38 Non potest beneficium manu tangi, sed animo geritur.] *Lege*, Non potest beneficium manu tangi, animo cernitur.

39 Amisso eo per quod datum est,] *Articulus* per *abest a vetere libro.*

VI. 40 Farre ac fitilla] *Ita legendum, non, vt ante me*, farre ac fictili, *docui iampridem in Variis lectionibus. & extitit tamẽ postea vnus ex istis, qui, vt scurrae olim faua, ita ipsi aliena scripta ventris causa circumeunt, qui hoc sublegere sibique vindicare voluerit. Mirabilem & miserabilẽ animi & paruitatem & prauitatem!*

41 AEschines

41 AEschines pauper auditor,] *Cuius pater botulis & isitiis faciendis victitaret.* VIII.

42 Non quanta quaeque funt,] *Lege,* Non quanti quaeque sint. IX.

43 Coniugibus alienis] *Non est dubium, quin hoc loco multa desint. Neque scriptor vllus est in quo plures aut foediores lacunae, quàm in Seneca, reperiantur. Origo mali haec fuit. Describebatur fere ab hominibus piis & religiosis, qui ad populum sacras contiones habebant: ad quas magno eis vsui erat, propter sententias crebras, acutas, efficaces, & magnam partem cum religione nostra congruentes. Vt autem aliis grauioribus studiis occupati, describebant non totos semper libros, sed excerpta potius quaedam, quae ita continuabant inter se, ac si apud ipsum quoque Senecam continuata legerentur, cum tamen multa saepe omissa essent. Hoc ego ex multorum vetustorum Senecae codicum inter se collatione ita manifesto deprehendi, vt liquido confirmare posse videar.*

44 In sella prostare] *Vehebantur enim per vrbem ita tenuibus ac pellucidis vestibus indutae, vt prope totae paterent. Horatius:* Cois tibi cernere paene est Vt nudam.

45 Ancillariolum] *Ancillarum amoribus deditum. Sic apud Martialem* mulier infantaria, *quae delectatur infantibus;* Et quod mireris magis, infantaria non est. *Tale est apud Capitolinũ,* mulierarius. *apud Martialem* mulier lecticariola, *quae seruis lecticariis faciebat copiam sui.*

46 In consensu] *Alÿ libri,* concessu.

47 Iam rapta spargere.] *Ouidius:*

Quaerere vt absumant, absumpta requirere certant.
Atque ipsae vitiis sunt alimenta vices.

48 Habebitur aliquando ebrietati honor,] *Hoc quidem iam imperante Tiberio contigerat: de quo Suetonius:* Postea princeps in ipsa publicorum morũ correctione cũ Pomponio Flacco & L. Pisone noctem cõtinuumque biduum epulando potandoque consumpsit: quorum alteri Syriam prouinciam, alteri praefecturã vrbis confestim detulit, codicillis quoque iucundissimos & omnium horarum amicos professus. *& paulo post:* Ignotissimum quaesturae candidatum nobilissimis antepoſuit, ob epotam in conuiuio, propinante se, vini amphoram. X.

49 Post rem manet] *Antea inepte legebatur,* Post remanet. *Sed ego talia emendanda puto, ostentanda non puto. Pusilli animi est tanta in his rebus ἀκριβολογία.* XII.

50 Corinthij] *Memoriae lapsus. Non enim hoc de Corinthys, sed de Megarensibus proditum est: & ita legitur in excerptis quibusdã è Plutarcho:* Ὡς φασὶν Ἀλεξάνδρῳ πολιτείαν Μεγαρεῖς ψηφίσασθαι. τοῦ δὲ εἰς γέλωτα θεμένου τὴν σπουδὴν αὐτῶν, εἰπεῖν ἐκείνους, ὅτι μόνῳ πρότερον τὴν πολιτείαν Ἡρακλεῖ, καὶ μετ᾽ ἐκεῖνον αὐτῷ ψηφίσαιντο. τὸν δὲ θαυμάσαντα δέξασθαι, τὸ τίμιον ἐν τῷ σπανίῳ τιθέμενον. XIII.

51 Etiam mimicum] *Ita mutare ausus sum in ambigua veteris libri scriptura: cum antea legeretur* inimicum. XIIII.

52 Morbo suo morem gessit.] *Integer locus est: quem tamen quidam, emendandi specie, per ipsum non stetit, quin deprauaret. Morbos vocabant vitiosas animi affectiones. Catullus:*

Quodcunque agit, renidet. hunc habet morbum.

Vide quae scripsi capite secundo libri 12. Var. lect.

LIBER SECVNDVS.

INSPICIAMVS, Liberalis virorum optime, id quod ex priore parte adhuc superest, quemadmodum dandum sit beneficium: cuius rei expeditissimã videor monstraturus viam. [a] Sic demus, quomodo vellemus accipere. Ante omnia libenter, cito, sine vlla dubitatione. Ingratum est beneficium, quod diu inter manus dantis haesit, quod quis aegre dimittere visus est; [b] & sic dare, tanquam si sibi praeriperet. Etiam si quid morae interuenit, euitemus omni modo, ne deliberasse videamur. [c] Proximus est neganti, qui dubitauit, nullamque meretur gratiam. Nam cum in beneficio iucundissima sit tribuentis voluntas, qui nolentem se tribuisse ipsa cunctatione testatus est; non dedit, [d] sed aduersus ducentẽ, male tenuit. Multi autẽ sunt, quos liberales facit frontis infirmitas. Gratissima sunt beneficia, [e] parata, facile occurrentia, vbi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia. [1] Primum est, antecedere desideriũ cuiusq;: proximum sequi. Illud melius, occupare antequã rogemur: quia cum homini probo ad rogandũ [f] os concurrat, & suffundatur rubore, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum. Non tulit gratis, qui cum rogasset, accepit. [g] Quoniam quidem, vt maioribus nostris, grauissimis viris, visum CAP. I.

est, nulla res carius constat, quàm quae precibus empta est. Vota homines parcius facerent,
si palam facienda essent. Adeo etiam deos, quibus honestissime supplicamus, [b] tacite malu-
II. mus & intra nosmetipsos precari. Molestum verbum est, onerosum, & demisso vultu
dicendum, ROGO. Huius facienda est gratia amico, & cuicunque, quem amicum sis prome-
rendo facturus. Properet licet: sero beneficium dedit, qui roganti dedit. Ideo diuinanda
cuiusque voluntas, & cum intellecta est, necessitate grauissima liberanda est. Illud benefi-
cium iucundum, victurumque in animo scias, quod obuiam venit. Si non contigit prae-
uenire, plura rogantis verba intercidamus, ne rogati videamur: sed certiores facti, statim
promittamus, facturosque nos etiam antequam interpellaremur, ipsa festinatione appro-
bemus. Quemadmodum in aegris opportunitas cibi salutaris est, & aqua tempestiue data
remedij locum obtinuit: ita quamuis leue & vulgare beneficium sit, si praesto fuerit, si pro-
ximam quamque horam non perdidit, multum sibi adiicit, gratiamque pretiosi, sed lenti
& diu cogitati muneris vincit. Qui tam parate fecit, non est dubium, quin libenter faciat.
III. Itaque laetus facit, & induit sibi animi sui vultum. Ingentia quorundam beneficia, si-
lentium aut loquendi rarditas, imitata grauitatem & tristitiam, corrupit, cum promitterent
vultu negantium. Quanto melius, adijcere bona verba rebus bonis, & praedicatione humana
benignaque commendare quae praestes. [l] Vt illum castiges, quòd tardior in rogan-
do fuit, adijcias licet familiarem querelam: Irascor tibi, quòd cum aliquid desiderasses,
non olim scire me voluisti, quòd tam diligenter rogasti, quòd quenquam adhibuisti. Ego
vero gratulor mihi, quòd experiri animum nostrũ libuit: postea quicquid desiderabis, tuo
iure exiges. Semel rusticitati tuae ignoscitur. Sic efficies, vt animum tuum pluris aestimet,
quàm illud quicquid est, ad quod petendum venerat. Tunc est summa virtus tribuentis,
tunc benignitas, vbi ille qui discessit, dicet sibi: Magnum hodie lucrum feci. Malo quòd il-
lum talem inueni, [k] quàm si multiplicatum hoc ad me alia via peruenisset. Huic animo nũ-
IIII. quam parem referam gratiam. At plerique sunt, qui beneficia asperitate verborum
& supercilio in odium adducunt, eo sermone vsi, ea superbia, vt impetrasse paeniteat. A-
liae deinde post rem promissam sequũtur morae. Nihil autem est acerbius, [l] quàm vbi quod
impetrasti, rogandum est. Repraesentanda sunt beneficia: quae a quibusdam accipere dif-
ficilius est, quàm impetrare. Hic rogandus est, vt admoneat: ille, vt sumat. Sic vnum mu-
nus per multorum teritur manus, ex quo gratiae minimum apud promittentem remanet:
quia auctori detrahit, quisquis post illum rogandus est. Haec itaque curae habebis, si grate
aestimari quae praestabis voles, [m] vt beneficia tua illibata & integra ad eos, quibus promissa
sunt, perueniant, sine vlla, quod aiunt, deductione. Nemo illa intercipiat, nemo detineat.
V. Nemo in eo quod daturus es, gratiam suam facere potest, vt non tuam minuat. Nihil
aeque amatum quàm diu pendere. AEquiore quidam animo ferunt praecidi spem suam,
quam trahi. Plaerisque autem hoc vitium est, ambitione praua differendi promissa, ne mi-
nor sit rogantium turba. Quales regiae potentiae ministri sunt, quos delectat superbiae suae
longum spectaculum: minusque se iudicant posse, nisi diu multumque singulis quid pos-
sint ostendant. Nihil confestim, nihil semel faciunt. Iniuriae illorum praecipites, lenta be-
neficia sunt. Quare verissimum existima, quod ille Comicus dixit: Quid? tu non intelligis,
tantum te gratiae demere, quantum morae adijcis? Inde illae voces, quas ingenuus dolor
exprimit: Fac, si quid facis: &, Nihil est tanti. Malo mihi iam neges: vbi in taedium addu-
ctus animus incipit beneficium odisse, dum expectat. [n] Potest ob id ingratus esse? Quem-
admodum acerbissima crudelitas est, quae trahit poenam: & misericordiae genus est, cito
occidere, quia tormentum vltimum finem sui secum affert; quod antecedit tempus, maxi-
ma venturi supplicij pars est: ita maior est muneris gratia, quo minus diu pependit. [o] Est e-
nim bonarum etiam rerum solicita expectatio. Et cum plurima beneficia remedium ali-
cuius rei afferant, qui aut diutius torqueri patitur, quem protinus potest liberare, [q] [p] aut
gaudere tardius, beneficio suo manus affert. Omnis benignitas properat: [q] & proprium est
libenter facientis, cito facere. [r] Qui tarde dedit, & diem extrahens profuit, non ex animo
fecit. Ita duas res maximas perdidit, & tempus & argumentum amicae voluntatis. Tarde
VI. velle, nolentis est. In omni negotio, Liberalis, non minima portio est, quomodo quic-
que aut dicatur, aut fiat. multum celeritas fecit, multum abstulit mora. Sicut in telis eadem
ferri vis est: [t] [s] sed infinitum interest, vtrum excusso lacerto torqueantur, an remissa manu
effluant. Gladius idem & stringit, & transforat: quàm presso articulo venerit, refert. Idem
est quod datur: sed interest, quomodo detur. Quàm dulce, quàm pretiosum est, si gra-
tias sibi agi non est passus qui dedit: si dedisse, dum dat, oblitus est. nam corripere
eum, cui cum maxime aliquid praestes, dementia est, & inserere contumeliam meritis.
Itaque

Itaque non ſunt exaſperanda beneficia, nec quicquam illis triſte miſcendum. [s] Etiam ſi
quid erit, de quo velis admonere, aliud tempus eligito. Fabius Verrucoſus beneficiũ VII.
ab homine duro aſpere datum, panem lapidoſum vocabat, quem eſurienti accipere neceſ-
ſarium ſit, eſſe acerbũ. Tiberius Caeſar rogatus [t] a nepote M. Allio praetorio, [u] vt aeri alie-
no ſuccurreret: edere illum ſibi nomina creditorum iuſſit. Hoc non eſt donare, [x] ſed credi-
tores conuocare. Cum edita eſſent, ſcripſit, nepoti iuſſiſſe ſe pecuniam ſolui. Adiecta con-
tumelioſa admonitione, effecit, vt nec aes alienum haberet, nec beneficium. Liberauit il-
lum a creditoribus, ſibi non obligauit. Aliquid Tiberius ſecutus eſt. puto noluit plures eſſe,
qui idem rogaturi cõcurrerent. iſta fortaſſe efficax ratio fuerit, ad hominum improbas cu-
piditates pudore reprimendas. Beneficium vero danti tota alia ſequenda eſt via. O- VIII.
mni genere quod des, quo ſit acceptius, adornandum eſt. Hoc vero nõ eſt beneficium da-
re, [z] reprehendere eſt: vt in tranſitu de hac quoque parte dicam quid ſentiam. Ne principi
quidem ſatis decorum eſt, donare ignominiae cauſa. Tametſi inquietudinem Tiberius,
nec hoc quidem modo, quo putabat, potuit effugere. Nam aliquot poſtea, qui idem roga-
rent, inuenti ſunt. omnes iuſſit reddere in ſenatu aeris alieni cauſas, & ita illis certas ſum-
mas dedit. Non eſt illud liberalitas: cenſura eſt, auxilium eſt, principale tributum eſt. Be-
neficium non eſt, cuius ſine rubore meminiſſe non poſſum. Ad iudicem miſſus ſum, vt im-
petrarem, cauſam dixi. Praecipiunt itaque omnes auctores ſapientiae, quaedam be- IX.
neficia palam danda, quaedam ſecreto. Palam, quae conſequi glorioſum eſt: vt militaria
dona, & honores, & quicquid aliud notitia pulchrius fit. Rurſus quae non producunt, nec
honeſtiorem faciunt, ſed occurrunt infirmitati, egeſtati, ignominiae, tacite danda ſunt: vt
nota ſint ſolis, quibus proſunt. Interdum & ipſe qui iuuatur, fallendus eſt: vt habeat, nec a
quo acceperit, ſciat. [y] Arceſilaus, vt aiunt, amico pauperi, & paupertatem ſuam diſſi- X.
mulanti, aegro autem, [y] & ne hoc quidem confitenti, deeſſe ſibi in ſumptum ad neceſſarios
vſus, cum clam ſuccurrendum iudicaſſet, [z] puluino eius ignorãtis ſacculum ſubiecit, vt ho-
mo inutiliter verecundus, quod deſiderabat, inueniret potius quàm acciperet. Quid ergo?
ille neſciet a quo acceperit? Primum neſciat, ſi hoc ipſum beneficij pars eſt. Deinde multa
alia faciam, multa tribuam, per quae intelligat & illius auctorem. Denique ille neſciet ac-
cepiſſe ſe: [a] ego ſciam me dediſſe. Parum eſt, inquis. Parum, ſi fenerare cogitas. Sed ſi da-
re quo genere accipienti maxime profuturum erit, contentus eris te teſte. Alioquin non
benefacere delectat, ſed videri bene feciſſe. Volo, inquis, ſciat. Debitorem quaeris. Volo
vtique ſciat. Quid, ſi illi vtilius eſt neſcire, ſi honeſtius, ſi gratius, non in aliam partem abi-
bis? Volo vt ſciat. Ita tu hominem non ſeruabis in tenebris? Nõ nego, quoties patitur res,
percipiendum gaudium ex accipientis voluntate. Sin adiuuari illum & oportet, & pudet,
ſi quod praeſtamus, offendit; niſi abſconditur: beneficium in acta non mitto. [a] Quid? ego
illi ſum indicaturus me dediſſe: cum inter prima praecepta ac maxime neceſſaria ſit, ne
vnquam exprobrem, immo nẽ admoneam quidem? Haec enim beneficij inter duos lex
eſt. Alter ſtatim obliuiſci debet dati, alter accepti nunquam. Lacerat animum & premit
frequens meritorum commemoratio. Libet exclamare, quod ille triumuirali pro- XI.
ſcriptione ſeruatus a quodam Caeſaris amico exclamauit, cum ſuperbiam eius ferre non
poſſet: Redde me Caeſari. Quouſque dices: Ego te ſeruaui, ego te eripui morti? iſtud, ſi
meo arbitrio memini, vita eſt: ſi tuo, mors eſt. Nihil tibi debeo, ſi me ſeruaſti, vt haberes,
quem oſtenderes. Quouſque me circunducis? Quouſque obliuiſci fortunae meae non ſi-
nis? Semel in triumpho ductus eſſem. Non eſt dicendum, quid tribuerimus. Qui admo-
net, repetit. Non eſt inſtandum, [b] non eſt memoriae reuocandum: [c] niſi vt aliud dan-
do, prioris admoneas. Ne aliis quidem narrare debemus. [c] Qui dedit beneficium, ta-
ceat: narret, qui accepit. Dicetur enim, quod illi vbique iactanti beneficium ſuum:
Num negabis, inquit, te recepiſſe? & cum reſpondiſſet, Quando? Saepe quidem, inquit,
& multis locis: id eſt quoties & vbicunque narraſti. Quid opus eſt te loqui? quid alie-
num occupare officium? Eſt qui iſtud facere honeſtius poſſit: quo narrante, [d] & hoc lau-
dabitur, quòd ipſe non narras. Ingratum me iudicas, ſi iſtud te tacente, nemo ſciturus
eſt. Quod adeò non eſt committendum, vt etiam ſi quis coram nobis narrabit, ei reſpon-
dendum ſit: Digniſſimus quidem ille eſt maioribus beneficiis, [e] quae ego magis velle me
ſcio praeſtare, quàm poſſe. Et haec ipſa non verniliter, nec ea figura, qua quidam reijciunt,
quae magis ad ſe volunt attrahere. Deinde adijcienda omnis humanitas. Perdet agricola
quod ſparſit, ſi labores ſuos deſtituet in ſemine. [f] Multa cura ſata producũtur ad ſegetem.
Nihil in fructum peruenit, quod non a primo vſque ad extremum aequalis cultura proſe-
quitur. Eadem beneficiorum eſt condicio. Nunquid vlla maiora poſſunt eſſe, quàm quae

in liberos patres conferunt?[10] [g] Nec tamen tuta sunt, si in infantia deserantur, nisi longa pietas munus suum nutriat. Eadem ceterorũ beneficiorum condicio est: nisi illa adiuueris, perdes. Parum est dedisse, fouenda sunt. Si gratos vis habere quos obligas, non tantum des oportet beneficia, [h] sed & ames. Praecipue, vt dixi, parcamus auribus. Admonitio taedium facit, exprobratio odium. Nihil aeque in beneficio dando vitandum est, quàm superbia. Quid opus arrogantia vultus? quid tumore verborum? Ipsa res te extollit. [i] Detrahenda est inanis iactatio. Res loquentur, nobis tacentibus. Non tantum ingratum, sed inuisum est

XII. beneficium, superbe datum. [11] [k] Caesar dedit vitam Pompeio Pẽno, si dat, qui nõ aufert: deinde absoluto & agenti gratias, [l] porrexit osculandum sinistrum pedem. [m] Qui excusant eum, negant id insolentiae causa factum: aiunt socculum auratum, immo aureum margaritis distinctum ostendere eum voluisse. Ita prorsus: quid hic contumeliosum est, si vir cõsularis aurum & margaritas osculatus est, & alioquin nullam partem in corpore eius electurus, quam purius oscularetur? Homo natus in hoc, vt mores liberae ciuitatis [12] Persica seruitute mutaret, parum iudicauit, [n] si senator senex [13] summis vsus honoribus, in cõspectu principum supplex sibi, eo more iacuisset, quo victi hostes victoribus iacuere. Inuenit aliquid infra genua, quo libertatem detruderet. Non hoc est rempub. calcare? Et quidem, dicet aliquis (nam potest ad rem pertinere) sinistro pede. Parum enim foede furioseque insolens fuerat, qui de capite consularis viri soccatus audiebat, nisi in os senatoris in-

XIII. gessisset imperator [14] [o] pigros suos. O superbia magnae fortunae. O stultissimum malum. vt a te nihil accipere iuuat. [p] vt omne beneficium in iniuriam conuertis. vt te omnia nimia delectant. vt te omnia dedecent. quoque altius te subleuasti, hoc depressior es, ostẽdisque te non agnoscere ista bona, quibus tantum inflaris. Quicquid das, corrumpis. Libet itaque interrogare, quid tantopere te supinet, quid vultum habitumque oris peruertat, vt malis habere personam, quàm faciem. Iucunda sunt, quae humana fronte, leni, placidaque tribuuntur: quae cum daret mihi superior, nõ exultauit supra me, sed quàm potuit, benignissimus fuit, descẽditque in aequum, & detraxit muneri suo pompam. obseruauit idoneum tempus, vt in occasione potius, quàm in necessitate succurreret. [q] Vno modo persuadebimus, ne beneficia insolentia perdant, si ostenderimus non ideo videri maiora, [r] quia tumultuosius data sunt: ne ipsos quidem ob id cuiquam posse maiores videri. Vanam esse su-

XIIII. perbiae magnitudinem, & quae in odium etiam amãda perducat. Sunt quaedam nocitura impetrantibus: quae non dare, sed negare, beneficium est. AEstimabimus itaque vtilitatem potius, quàm voluntatem petentium. Saepe enim noxia concupiscimus, nec dispicere quàm perniciosa sint licet: quia iudicium interpellat affectus. Sed cum subsedit cupiditas, cum impetus ille flagrantis animi, qui consilia fugat, cecidit, detestamur perniciosos malorum munerum auctores. [s] Vt frigidam aegris negamus, & lugentibus, ac sibi iratis ferrum, aut amantibus, quicquid contra se vsurus ardor petit: sic ea, quae nocitura sunt, impense ac submisse, nonnunquam etiam miserabiliter rogantibus perseuerabimus non dare. Tum initia beneficiorum suorum spectare, tum etiam exitus decet: & ea dare quae non tantum accipere, sed etiam accepisse delectet. Multi sunt qui dicant: Scio hoc illi non profuturum. sed quid faciam? rogat, resistere precibus eius non possum. Viderit de se, non de me queretur. Falsum est: immo de te, [t] & merito quidem: cum ad mentem bonam redierit, cum accessio illa quae animum inflammabat, se remiserit. Quid ni eum oderit, à quo in damnum ac periculum suum adiutus est? Exorari in perniciem rogantium, saeua bonitas est. Quemadmodum pulcherrimum opus est, etiam inuitos nolentesque seruare: ita rogantibus pestifera largiri, blandum & affabile odium est. Beneficium demus, quod vsu magis ac magis placeat, [u] quod nunquam in malum vertat. Pecuniam non dabo, quam numeraturum adulterae sciam: ne in societatem turpis facti aut consilij veniam. Si potero, reuocabo: sin minus, non adiuuabo scelus. Siue illum ira, quo non debebat, impellit, [x] siue ambitionis calor abducit a tutis: non committam, vt possit quandoque dicere, Ille amando me

XV. occidit. Saepe nihil interest inter amicorum munera, & hostium vota. Quicquid illi accidere optant: in id horum intempestiua indulgentia impellit, atque instruit. Quid autẽ turpius, quàm (quod euenit frequentissime) vt nihil intersit inter odium & beneficium? Numquam in turpitudinem nostram reditura, tribuamus. Cum summa amicitia sit, amicũ sibi aequare, vtrique simul consulendum est. Dabo egenti: sed vt ipse non egeam. Succurram perituro: sed vt ipse non pereã: nisi si futurus ero magni hominis, aut magnae rei merces. Nullum beneficium dabo quod turpiter peterem. Nec exiguum dilatabo, nec magna pro paruis accipi patiar. Nam vt qui quod dedit, imputat, gratiam destruit: [y] ita qui quantum det, ostendit, munus suum non commendat, sed exprobrat. Respiciendae sunt cuique

facultates

facultates suae, viresque: ne aut plus praestemus, quàm possumus, aut minus. AEstimanda
est eius persona, cui damus. Quaedam enim minora sunt, quàm vt exire a magnis viris de-
beant: quaedam accipiente minora sunt. Vtriusque itaque personam confer [a] tecum. Inter
illa quae donabis, examina, nunquid aut danti graue sit, aut paucum. Nunquid rursus qui
accepturus est, aut fastidiat, aut non capiat. Vrbem cuidā Alexander donabat vaesanus, XVI.
& qui nihil animo nisi grande conciperet. Cum ille cui donabatur, seipsum mensus, tanti
muneris inuidiam refugisset, dicens non conuenire fortunae suae: Non quaero, inquit, quid
te accipere deceat, sed quid me dare. Animosa vox videtur, [a] & regia: cum sit stultissima. Ni-
hil enim per se quenquam decet. Refert quid, cui, quando, quare, vbi, & cetera, sine quibus
facti ratio non constabit. Tumidissimum animal, si illum accipere hoc non decet, nec te da-
re. Habeatur [b] personarum ac dignitatum ratio. Et cum sit vtrinque virtutis modus, aeque
peccat quod excedit, quàm quod deficit. Liceat istud sane tibi, & te in tantum fortuna sus-
tulerit, vt congiaria tua vrbes sint: quas quanto maioris animi fuit non capere, quàm spar-
gere? est tamen aliquis minor, quàm vt in sinum eius condenda sit ciuitas. [c] Ab Anti- XVII.
gono Cynicus petijt talentum. Respondit, plus esse, quàm quod Cynicus petere deberet.
Repulsus petit denarium. Respondit, minus esse, quàm quod regem deceret dare. Turpissi-
ma est eiusmodi cauillatio. Inuenit quomodo neutrum daret. In denario regem, in talento
Cynicum respexit: cum posset & denarium tanquam Cynico dare, & talentum tanquam
rex. Vt sit aliquid maius, quàm quod Cynicus accipiat, [c] nihil tam exiguum est, quod non
honeste regis humanitas tribuat. Si me interrogas, probo. Est enim intolerabilis res, posce-
re nummos, & contemnere. Indixisti pecuniae odium: hoc professus es. hanc personam
induisti. agenda est. Iniquissimum est, te pecuniam sub gloria egestatis acquirere. Aspicien-
da ergo non minus sua cuique persona est, quàm eius, de quo iuuando quis cogitat. Volo
Chrysippi nostri vti similitudine de pilae lusu: quam cadere non est dubium, [d] aut mittentis
vitio, aut accipientis. Tunc cursum suum seruat, vbi inter manus vtriusque, apre ab vtro-
que & iactata & excepta versatur. Necesse est autem lusor bonus, aliter illam collusori lon-
go, aliter breui mittat. Eadem beneficij ratio est. nisi vtrique personae, dantis & accipien-
tis, aptatur: nec ab hoc exibit, nec ad illum perueniet, vt debet. Si cum exercitato & do-
cto negotium est, audacius pilam mittemus. vtcunque enim venerit, manus illam expedita
& agilis repercutiet. Si cum tirone & indocto: non tam rigide, nec tam excusse, sed langui-
dius, & in ipsam eius dirigentes manum, remisse occurremus. Idem faciendum est in bene-
ficiis. Quosdam doceamus, & satis iudicemus, si conantur, si audent, si volunt. Facimus
autem plaerunque ingratos, & vt sint, fauemus: tanquam ita demum magna sint beneficia
nostra, si gratia illis referri non potuit: [e] vt malignis lusoribus propositum est, collusorem
traducere, cum damno scilicet ipsius lusus, qui non potest, nisi consentitur, extendi. Multi
sunt tam prauae naturae, vt malint perdere quae praestiterunt, quàm videri recepisse, su-
perbi & imputatores. Quanto melius, quantoque humanius id agere, vt illi quoque partes
suae constent, & fauere, vt gratia sibi referri possit, benigne omnia interpretari, gratias a-
gentem, non aliter quàm si referat audire, praebere se facilem, ad hoc, vt quem obligauit,
etiam exolui velit? Male audire solet fenerator, si acerbe exigit: aeque si in recipiendo tar-
dus ac difficilis moras quaerit. Beneficium tam recipiendum est, quàm non exigendum. Op-
timus ille, qui dedit facile, nunquam exegit: reddi gauisus est, bona fide quid praestitis-
set, oblitus, qui accipientis animo recepit. Quidam non tantum dant beneficium su- XVIII.
perbe, sed etiam accipiunt: quod non est committendum. Iam enim transeamus ad aliam
partem, tractaturi quomodo se gerere homines in accipiendis beneficijs debeant. Quod-
cunque ex duobus constat officium, tantundem ab vtroque exigit. Qualis pater esse de-
beat, cum inspexeris, scies non minus operis illic superesse, vt dispicias, qualem esse o-
porteat filium. Sunt aliquae partes mariti, sed non minores vxoris. Inuicem ista quan-
tum exigunt, praestant, & parem desiderant regulam: quae, vt ait Hecaton, difficilis est.
Omne enim honestum in arduo est, etiam quod vicinum honesto est. Non enim tan-
tum fieri debet, sed ratione fieri. Hac duce, [f] per totam viam cundum est. Minima maxi-
maque ex huius consilio gerenda sunt: quomodo haec suaserit, dandum. Haec autem hoc
primum censebit, non ab omnibus accipiendum. A quibus ergo accipiemus? Vt breui-
ter tibi respondeam: [a] ab his, quibus dedisse vellemus. Nam etiam maiore dilectu quae-
rendum est, cui debeamus, quàm cui praestemus. Nam, vt non sequantur vlla incommoda
([g] sequuntur autem plurima) graue tormentum est debere, cui nolis. Contra iucundissi-
mum est ab eo accepisse beneficium, quem amare [h] etiam post iniuriam possis. Illud vero
homini verecundo & probo miserrimum est, si eum amare oportet, quem non iuuat. Toties

b

admoneam necesse est, non loqui me de sapientibus, quos quicquid oportet, iuuat, qui animum in potestate habent, & legem sibi, quam volunt, dicunt, & quam dixerunt, seruant: sed de imperfectis hominibus, [i] honesta sequi volentibus, quorum affectus saepe contumaciter parent. Itaque eligendus est, a quo beneficium accipiam. Et quidem diligentius quaerendus beneficij quàm pecuniae creditor. Huic enim reddendum est, quantum accepi: & si reddidi, solutus sum ac liber. At illi plus soluendum est: & nihilominus etiam relata gratia, cohaeremus. Debeo enim, cum reddidi, rursus incipere: [17] monetque amicitia non recipere indignum. Sic est beneficiorum quidem sacratissimum ius, ex quo amicitia oritur. Non semper, inquit, mihi licet dicere, Nolo: aliquando beneficium accipiendum est & inuito. Dat tyrannus crudelis & iracundus: qui munus suum fastidire te, iniuriam iudicaturus est. Non accipiam? Eodem loco pone latronem & piratam, quo regem, animum latronis ac piratae habentem. Quid faciam? Parum dignus est, cui debeam. Cum eligendum dico cui debeas, vim maiorem & metum excipio: quibus adhibitis, electio perit. Si liberum est tibi, si arbitrij tui est, vtrum velis, an non, id apud te ipse perpendes. Si necessitas tollit arbitrium, scies te non accipere, sed parere. Nemo id accipiendo obligatur, quod illi repudiare non licuit. Si vis scire, an velim, effice, vt possim nolle. Vitam tamen tibi dedit. Non refert quid sit, quod datur, nisi à volente volenti detur. Si seruasti me, non ideo seruator es. Venenum aliquando pro remedio fuit. non ideo numeratur inter salubria. Quaedam prosunt, nec obligant.

XIX. [18] Tuber quidam tyranni gladio diuisit, qui ad eum occidendum venerat. Non ideo illi tyrannus gratias egit, quòd rem, quam medicorum manus reformidauerant, nocendo sanauit. Vides non esse magnum in ipsa re momentum. Quoniam non videtur dedisse beneficium, qui malo animo profuit. Casus enim beneficium est, hominis iniuria. Leonem in amphitheatro spectauimus, qui vnum e bestiarijs agnitum, cum quondam eius fuisset magister, protexit ab impetu bestiarum. Non ergo est beneficium, ferae auxilium? Minime: quia nec voluit facere, nec benefaciendi animo fecit. Quo loco feram posui, [k] tyrannum pone. Et hic vitam dedit, & illa: nec hic, nec illa beneficium. Quia non est beneficium, accipere cogi. Non est beneficium, debere, cui nolis. Ante des oportet mihi arbitrium mei, deinde beneficium.

XX. Disputari de M. Bruto solet, an debuerit accipere a D. Iulio vitam, cum occidendum eum iudicaret. Quam rationem in occidendo secutus sit, alias tractabimus. Mihi enim, cum vir magnus fuerit in aliis, in hac re videtur vehementer errasse, nec ex institutione Stoica [19] se gessisse: qui aut regis nomen extimuit, cum optimus ciuitatis status sub rege iusto sit: aut ibi sperauit libertatem futuram, vbi tam magnũ praemium erat & imperandi, & seruiendi: aut existimauit ciuitatem in priorem formam posse reuocari, amissis pristinis moribus: futuramque ibi aequalitatem ciuilis iuris, & staturas suo loco leges, vbi viderat tot millia hominum pugnantia, [20] non an seruirent, sed cui. Quanta vero illum aut rerum naturae, aut vrbis suae tenuit obliuio, qui vno interempto, defuturum credidit alium, qui idem vellet: cum Tarquinius esset inuentus post tot reges ferro ac fulminibus occisos? Sed vitam accipere debuit: ob hoc tamen non habere illum parentis loco, qui in ius dandi beneficij iniuria venerat. Non enim seruauit is, qui non interfecit, nec beneficium dedit, sed missionem.

XXI. Illud magis [l] venire in disputationem potest aliquam, quid faciendum sit captiuo, cui redemptionis pretium homo prostituti corporis [m] & infamis ore promittit. Patiar me ab impuro seruari? Seruatus denique, quam illi gratiam referam? [n] Viuam cum obsceno? Non viuam cum redemptore? Quid ergo placeat, dicam. Etiam ab aliquo tali accipiam pecuniam, quam pro capite dependam. Accipiam autem tanquam creditum, non tanquam beneficium. Soluam illi pecuniam: & si occasio fuerit seruandi, periclitantem seruabo: in amicitiam, quae similes iungit, non descendam. Nec seruatoris illum loco numerabo, sed feneratoris: cui sciam reddendum quod accepi. Est aliquis dignus, a quo beneficium accipiam: sed danti nociturum est. ideo non accipiam, quia ille paratus est mihi cum incommodo, aut etiam periculo suo prodesse. Defensurus est me reum: sed illo patrocinio, regem sibi est facturus inimicum. Inimicus sim, si cum ille pro me periclitari velit, ego, quod facilius est, non facio, vt sine illo pericliter. Ineptum & friuolum hoc Hecaton ponit exemplum Arcesilai, quem ait à filio familias oblatam pecuniam non accepisse, ne ille patrem sordidum offenderet. Quid fecit laude dignum? quòd furtum non recepit? quòd maluit non accipere, quàm reddere? Quae est enim alienam rem non accipere moderatio? Si exemplo magni animi opus est, vtamur Graecini Iulij viri egregij, [o] quem C. Caesar occidit ob hoc vnum, quòd melior vir erat, quàm esse quenquam tyranno expediret. Is cum ab amicis conferentibus ad impensam ludorum pecunias acciperet, magnam pecuniam a Fabio Persico missam non

non

non accepit. Et obiurgantibus his, qui non aestimabant mittentem, sed missa, quòd tepudiasset: Ego, inquit, ab eo beneficium accipiam, a quo " propinationem accepturus non sim? Cumque illi Rebilus consularis, homo eiusdem infamiae, maiorem summam misisset, instaretque, vt acciperet: Rogo, inquit, ignoscas: & a Persico non accepi. ᶠ Vtrum hoc XXII.
munera accipere est, an senatum legere? Cum accipiendum iudicauerimus, hilares accipiamus, profitentes gaudium: & id danti manifestum sit, vt fructum praesentem capiat. Iusta enim causa laetitiae est, laetum amicum videre: iustior, fecisse. Grate ad nos peruenisse indicemus, effusis affectibus: quod non ipso tantum audiente, sed vbique testemur. Qui grate beneficium accepit, primam eius pensionem soluit. Sunt quidam, qui nolunt nisi se- XXIII.
creto accipere: testem beneficij & conscium vitant: quos scias licet male cogitare. Quomodo danti in tantum producenda notitia est muneris sui, in quantum delectatura est eum, cui datur, ᵍ ita accipienti adhibenda contio est. Quod pudet debere, ne acceperis. Quidam furtiue agunt gratias, & in angulo, & ad aurem. Non est ista verecundia, sed infitiandi genus. Ingratus est, qui, remotis arbitris, agit gratias. ᵗ Quidam nolunt nomina secum fieri, nec interponi pararios, nec signatores aduocari, nec chirographum dare. Idem faciunt, qui dant operam, vt beneficium in ipsos collatum, quàm ignotissimum sit. Verentur palam ferre, vt sua potius virtute, quàm alieno adiutorio consecuti dicantur. Rariores in eorum officiis sunt, ' quibus aut vitam, aut dignitatem debent: & dum opinionem clientium timent, grauiorem subeunt ingratorum. Alij pessime loquuntur de optime meritis. Tu- XXIIII.
tius est quosdam offendere, quàm demeruisse. Argumentum nihil debentium, odio quaerunt. Atqui nihil magis praestandum est, quàm vt memoria nobis meritorum haereat, quae subinde refricanda est: ' quia nec referre potest gratiam, nisi qui meminit, & qui meminit, iam refert. Nec delicate accipiendum est, nec submisse & humiliter. Nam qui negligens est in accipiendo, cum omne beneficium recens placeat, quid faciet, cum prima eius voluptas refrixerit? Alius accipit fastidiose, tanquam qui dicat: ᵛ Non mihi opus est: sed quia tam valde vis, faciam tibi mei potestatem. Alius supine, vt dubium praestanti relinquat, an senserit. Alius vix labra diduxit, & ingratior, quàm si tacuisset, fuit. Loquendum pro magnitudine rei impensius, & illa adijcienda: Plures quàm putas, obligasti. Nemo enim non gaudet beneficium suum latius patere. Nescis quid mihi praestiteris: sed scire te oportet, quanto plus sit quàm aestimas. Statim gratus est, qui se onerat. Nunquam tibi gratiam referre potero. Illud certe non desinam vbique confiteri, me referre non posse. Nullo magis XXV.
Caesarem Augustum demeruit, & ad alia impetranda facilem sibi reddidit Furnius, quàm quòd, cum patri Antonianas partes secuto veniam impetrasset, dixit: Hanc vnam Caesar habeo iniuriam tuam. effecisti vt viuerem, & morerer ingratus. Quid est tam grati animi, quàm nullo modo sibi satisfacere, " nec ad spem quidem exaequandi vnquam beneficij accedere? ˣ His atque eiusmodi vocibus id agamus, vt voluntas non lateat, sed aperiatur, vt luceat. Verba cessent licet, si quemadmodum debemus affecti sumus, conscientia eminebit in vultu. Qui gratus futurus est, statim dum accepit, de reddendo cogitat. Chrysippus quidem dicit, illum velut in certamen cursus compositum, & carceribus inclusum, opperiri debere suum tempus, ad quod velut dato signo prosiliat. Et quidem magna illi celeritate opus est, magna contentione, vt consequatur antecedentem. Videndum est nunc, XXVI.
quid maxime faciat ingratos. Aut nimius sui suspectus, & insitum mortalitati vitium, se suaque mirandi: aut auiditas, aut inuidia. Incipiamus a primo. Nemo non benignus est sui iudex. Inde est, vt omnia meruisse se existimet, & in solutum accipiat, ʸ nec satis suo pretio se aestimatum putet. Hoc mihi dedit: sed quàm sero, sed post quot labores? Quanto consequi plura potuissem, si illum aut illum, aut me colere maluissem? Non hoc speraneram. In turbam coniectus sum. tã exiguo dignũ me iudicauit. honestius praeteriri fuit. Cn. XXVII.
Lentulus augur, diuitiarũ maximum exemplũ, " antequam illum libertini pauperẽ facerent (Hic quater milies sestertium suũ vidit. proprie dixi: nihil enim amplius quàm vidit) ingenij fuit tã sterilis, quàm pusilli. Cũ enim esset auarissimus, nummos citius emittebat, quã verba: tãta illi inopia erat sermonis. Hic cũ omnia incrementa sua D. Augusto deberet, ad quẽ attulerat paupertatẽ, sub honore nobilitatis laborantẽ, princeps iã ciuitatis, & pecunia, & gratia, subinde de Augusto solebat queri, dicens a studiis se abductum. Nihil tantũ in se congestum esset, quantũ perdidisset, relicta eloquentia. At illi inter alia hoc quoq; diuus Augustus praestiterat, quòd illũ ᵃ derisu ac labore irrito liberauerat. Nõ patitur auiditas quenquã esse gratũ. Nunquã enim improbae spei, quod datur, satis est. Eo maiora cupimus, quo maiora venerũt: multóq; cõcitatior est auaritia, in magnatũ opum cõgestu collocata. vt flãmae infinito acrior vis est, quo ex maiore incẽdio emicuit. AEque ambitio nõ patitur quenquã in ea

mensura honorum conquiescere, quae quondam eius fuit impudens votum. Nemo agit de tribunatu gratias: sed queritur, quòd non est ad praeturam vsque perductus. Nec haec grata est, si deest consulatus. [b] Ne hic quidem satis est, si vnus est. Vltra se cupiditas porrigit, & felicitatem suam non intelligit: quia non vnde venerit, respicit, sed quò tẽdat. Omnibus his vehementius & importunius malum est inuidia, quae nos inquietat, dum comparat. Hoc mihi praestitit: sed illi plus, sed illi maturius: & deinde nullius causam agit, contra omnes si-
XXVIII. bi fauet. [c] Quanto est simplicius, quanto purius, beneficium acceptũ augere: scire neminem tanti ab alio, quanti a seipso aestimari? Plus accipere debuissem: sed illi facile nõ fuit plus dare. In multos diuidenda liberalitas erat. Hoc initium est. Boni consulamus, & animum eius grate excipiendo euocemus. Parum fecit, sed saepius faciet. Illum mihi praetulit, & me multis. Ille non est mihi par virtutibus, nec officiis: sed habuit suam venerem. Querendo non efficiam, vt maioribus dignus sim, sed vt datis indignus. Plura illis hominibus turpissimis data sunt. Quid ad rem? quàm raro fortuna iudicat? Quotidie querimur, malos esse felices. Saepe quae agellos pessimi cuiusque transierat, optimorum virorum segetem grando percussit. Fert sortem suam quisque, vt in ceteris rebus, ita in amicitijs. Nullum est tam plenum beneficium, quod non vellicare malignitas possit. Nullum tam angustum, quod non bonus interpres extendat. Nunquam deerunt causae querendi, si benefi-
XXIX. cia a deteriore parte spectaueris. Vide quàm iniqui sint diuinorum munerum aestimatores, [d] etiam quidam professi sapientiam. Queruntur, quòd non magnitudine corporis aequemus elephantes, velocitate ceruos, leuitate aues, impetu tauros: quòd solidior sit cutis beluis, decentior damis, densior vrsis, mollior fibris: quòd sagacitate nos narium canes vincant, quòd acie luminum aquilae, spatio aetatis corui, [e] multa animalia nandi facilitate. Et cum quaedam ne coire quidem in idem natura patiatur, vt velocitatem corporum & vires [f] pares animalibus habeamus: ex diuersis ac dissidentibus bonis hominem non esse compositum, iniuriam vocant: [g] & in negligentes nostri deos querimoniam iaciunt, [h] quòd non [i] bona valetudo & vitiis inexpugnabilis data sit, quòd non futuri scientia. Vix sibi temperant, quin eousque impudentiae prouehantur, vt naturam oderint, quòd infra Deos sumus, quòd non in aequo illis stetimus. Quanto satius est ad contemplationem tot tantorumque beneficiorum reuerti, & agere gratias, quòd nos in hoc pulcherrimo domicilio [i] voluerunt secundas sortiri, quòd terrenis praefecerunt? Aliquis ea animalia comparat nobis, quorum potestas penes nos est? Quicquid nobis negatum est, dari non potuit. Proinde quisquis es iniquus aestimator sortis humanae, cogita quanta nobis tribuerit parens noster, quanto valentiora animalia sub iugum miserimus, [k] quanto velociora consequamur: quàm nihil sit mortale, non sub ictu nostro positum. Tot virtutes accepimus, tot artes, animum denique, cui nihil non eodem quo intendit momento peruium est, sideribus velociorem, quorum post multa saecula futuros cursus antecedit. Tantum denique frugum, tantum opum, tantum rerum aliarum super alias aceruatarum. Circumeas licet cuncta: & quia nihil totum inuenies, quod esse te malles, ex omnibus singula excerpas, quae tibi dari velles. Ita bene aestimata naturae indulgentia, confitearis necesse est, in deliciis te illi fuisse. Ita est: carissimos nos habuerunt dij immortales, habentque. Et qui maximus tribui honos potuit, ab ipsis proximos collocauerunt. [l] Magna accepimus, [*4] maiora non cepimus.
XXX. [m] Haec, mi Liberalis, necessaria credidi, vt dicerem, & quia loquendum aliquid de magnis beneficiis erat, cum de minutis loqueremur, & quia inde manat [n] etiam inter cetera, huius detestabilis vitij audacia. Cui enim respondebit grate, quod munus existimabit magnum, aut reddendum, qui summa beneficia spernit? Cui salutem, cui spiritum debebit, qui vitam accepisse se à dijs negat, quam quotidie ab illis petit? Quicunque ergo gratos esse docet, & hominum causam agit, & deorum: quibus nullius rei indigentibus, positis extra desiderium, referre nihilominus gratiam possumus. Non est, quòd quisquam excusationem mentis ingratae [o] ab infirmitate atque inopia petat, & dicat: Quid enim faciam, & quomodo? quando superioribus, dominisque rerum omnium gratiam referam? [p] Referre facile est, si auarus es, sine impendio: [*1] si iners, sine opera. Eodem quidem momento, quo obligatus es, si vis, cum quolibet paria fecisti: quoniam qui libenter beneficium ac-
XXXI. cepit, reddidit. Hoc ex paradoxis Stoicae sectae minime mirabile, vt mea fert opinio, aut incredibile est, eum qui libenter accepit beneficium, reddidisse. Nam cum omnia ad animum referamus, fecit quisque quantum voluit. Et cum pietas, fides, iustitia, omnis denique virtus intra se perfecta sit, etiam si illi manum exerere non licuit, gratus potest esse homo etiam voluntate. Quotiens quod proposuit quis consequitur, capit operis sui fructum. Qui beneficium dat, quid proponit? [q] Prodesse ei cui dat, & voluptati

sibi

sibi esse. Si quod voluit, effecit, [r] peruenitque ad me animus eius, ac mutuo gaudio affecit, tulit quod petiit. Non enim sibi inuicem aliquid reddi voluit: aut non fuit beneficium, sed negotiatio. Bene nauigauit, qui quem destinauit portum, tenuit. Teli iactus certae manus peregit officium, si petita percussit. Beneficium qui dat, vult excipi grate. Habet quod voluit, si bene acceptum est. Sed sperauit emolumentum aliquod. Non fuit hoc beneficium, cuius proprium est [s] nihil de reditu cogitare. Quod accipiebam, si eo animo accepi quo dabatur, reddidi. Alioquin pessima optimae rei condicio est. Vt gratus sim, ad fortunam mittot. Si illa inuita respondere non possum, sufficit animus animo. Quid ergo? [t] Non quicquid potero, & faciam, & reddam, temporum rerumque occasionem sequar, & eius implere sinum cupiam, a quo aliquid accepi? Sed malo loco beneficium est, nisi & excussis manibus esse grato licet. Qui accepit, inquit, beneficium, [v] licet animo benignissimo acceperit, non consummauit officium suum. Restat enim pars reddendi. Sicut in lusu est aliquid, pilam scite ac diligenter excipere, sed non dicitur bonus lusor, nisi qui apte [u] & expedite remisit, quam exceperat. Exemplum hoc dissimile est. Quare? quia huius rei laus in corporis motu est, & in agilitate, non in animo. Explicari itaque totum decet, de quo oculis iudicatur. Nec tamen ideo non bonum lusorem dicam, qui pilam, vt oportebat, excepit, si per ipsum mora, quo minus remitteret, non fuit. Sed quamuis, inquit, arti ludentis nihil desit, quia partem quidem fecit, sed & partem quam non fecit, potest facere: [x] ludus tamē ipse imperfectus est: qui consummatur vicibus mittendi ac remittendi. Nolo diutius hoc refellere. existimemus ita esse. desit aliquid lusui, non lusori. Sic & in hoc de quo disputamus, deest aliquid rei datae, cui par alia debetur, non animo. Qui animū parem sibi nactus est, quantum in illo est, quod voluit, effecit. xxxii.

Beneficium mihi dedit. accepi non aliter, quàm ipse accipi voluit. Iam habet, quod petit: & quod vnum petit. [y] ego gratus sum. Post haec vsus mei restat, & aliquod ex homine grato commodum. Haec non imperfecti officij reliqua pars est, sed perfecti accessio. Facit Phidias statuam. Alius est fructus artis, alius artificij. Artis est, fecisse quod voluit: artificij, fecisse cum fructu. [z] Perfecit opus suum, etiam si non vendidit. Triplex est illi fructus operis sui. Vnus cōscientiae: hunc absoluto opere percepit. Alter famae. Tertius vtilitatis: quem allatura est, aut gratia, aut venditio, aut aliqua commoditas. Sic beneficij [a] fructus primus ille est conscientiae. Hunc percepit, qui quò voluit, munus suum pertulit. [b] Secundus est famae. Tertius eorū quae praestari inuicem possunt. [c] Itaque cum benigne acceptum est beneficium, is qui dedit, gratiam quidem iam recepit, mercedem nondum. Debeo itaque quod extra beneficium est, ipsum quidem bene accipiendo persolui. xxxiii.

Quid ergo? Retulit gratiam, qui nihil fecit? [d] Plurimum fecit, bono animo bonum retulit: & quod est amicitiae, ex aequo. [e] Post deinde aliter beneficium, aliter creditum soluitur. Non est quod expectes, vt solutionem tibi ostendam. res inter animos geritur. Quod dico, non videbitur durum, quamuis primo contra opinionem pugnet tuam, si te commodaueris mihi, & cogitaueris [f] tes esse plures, quàm verba. Ingens copia est rerum sine nomine, quas non propriis appellationibus notamus, [g] sed aliunde commodatis. Pedem & nostrum dicimus, & lecti, & veli, & carminis. Canem, & venaticum, & marinum, & sidus. Quia non sufficimus, vt singulis singula assignemus: quotiens opus est, mutuamur. [h] Fortitudo est virtus, pericula iusta contemnens: aut scientia periculorum repellendorum, excipiendorum, prouocandorum. Dicimus tamen & gladiatorem fortem virum, & seruum nequam, quem in contemptum mortis temeritas impulit. Parsimonia est scientia vitandi sumptus superuacuos: aut ars re familiari moderate vtendi: parcissimum tamē hominem vocamus pusilli animi & contracti: cum infinitum intersit, inter modum & angustias. Haec alia sunt natura: sed effecit inopia sermonis, vt & hunc & illum parcum vocemus, [i] vt & ille fortis dicatur cum ratione fortuita despiciens, & hic sine ratione in pericula excurrens. [k] Sic beneficium, & actio dicitur beneficij, & ipsum quod datur per illam actionem: vt pecunia, domus, praetexta. Vnum vtrique nomen est: vis quidem ac potestas longe alia. xxxiiii.

Itaque attende. Iam intelligis, nihil me, quod opinio tua refugiat, dicere. Illi beneficio quod actio perficit, relata gratia est, si illud beneuole excipimus. Illud alterū quod re continetur, nondum reddidimus, & volumus reddere. Voluntati voluntate satisfecimus, rei rem debemus. Itaque quamuis retulisse illum gratiam dicamus, qui beneficium libenter accepit, iubemus tamen aliquid simile ei quod accepit, reddere. A consuetudine quaedam, quae dicimus, abhorrent. Deinde alia via ad consuetudinem redeunt. Negamus iniuriam accipere sapientem: & tamen qui illum pugno percusserit, iniuriarum damnabitur. Negamus rem stulti esse: & tamen eum qui rem aliquam stulto surripuerit, furti condemnabimus. [l] Insanire omnes stultos dicimus: nec tamen omnes curamus elleboro. His ipsis quos xxxv.

vocamus insanos, suffragium & iurisdictionem committimus. Sic dicimus eum qui beneficium bono animo accepit, gratiam retulisse: nihilominus illum in aere alieno relinquimus, [m] gratiam relaturum, etiam cum reddiderit. Exhortatio est illa, non infitiatio beneficij. Ne timeamus, [n] neve intolerabili sarcina depressi deficiamus animo. Bona mihi donata sunt, & fama defensa, detractae sordes, [o] spiritus, & libertas potior spiritu, & quomodo referre gratiam potero? quando ille veniet dies, quo illi animum meum ostẽdam? Hic ipse est, quo ille suum ostendit. Excipe beneficium, amplexare, gaude: non quod accipias, sed quod reddas, debiturus. Non adibis tam magnae rei periculum, vt casus ingratum facere te possit. Nullas tibi proponam difficultates, ne despondeas animum, ne laborum ac longae seruitutis expectatione deficias. Non differo te. de praesentibus fiat. Nunquam eris gratus, nisi statim sis. Quid ergo facies? Non arma sumenda sunt: & fortasse erunt. Non maria emetienda. Fortasse etiam ventis minantibus solues. Vis reddere beneficium? Benigne accipe. retulisti gratiam: [p] non vt soluisse te putes, sed vt securior debeas.

LIBRI SECVNDI DE BENEFICIIS FINIS.

M. ANTONII MVRETI AD SECVNDVM LIBRVM SENECAE DE BENEFICIIS NOTAE.

CAP. I. 1 OPTIMVM est,] *Lego* Primum est. *atque ita legendum, ostendit id quod subiungitur:* Proximum sequi.

2 Os concurrat,] *Frustra quidam emendare conati, legendum putarunt* corruat. *Concurrere os, & confundi pro eodem dicitur. Concurrit igitur os ijs quibus multo sanguine concurrente suffunditur, quasi natura ipsa obtendente velum quoddam pudoris.*

V. 3 Potes ob id ingratus esse?] *Lego,* Potest. *vt neget Seneca, posse quemquam ob tale beneficium, cuius longa expectatione tortus est, ingratũ videri, etiam si nullam pro eo gratiam referat. Quis enim, quòd tortus sit, gratiam se debere vllam putet?*

4 Aut gaudere beneficio suo tardius,] *Lege,* Qui aut diutius torqueri patitur, quem protinus potest liberare, aut gaudere tardius, beneficio suo manus affert. *Manus autem beneficio suo afferre eleganter dicitur is qui ipsemet beneficij sui gratiam extinguit.*

VI. 5 Sed infinitum interest,] *Male antea legebatur,* in infinitum.

VII. 6 A nepote M. Allio] *Nepotem vocat decoctorem, vt in illo Horatiano,*

—— ventres lamna candente nepotum
Diceret vrendos.——

Quod autem hic refertur, ad id videlicet tempus pertinet, quo Tiberius paucorum senatorum inopiam subleuauit. Qua de re ita Suetonius: Paucorum senatorum inopia sustentata, ne pluribus opẽ ferret, negauit se aliis subuenturum, nisi senatui iustas necessitatum causas probassent. *Meminit & Tacitus libro secundo: quorum tamen neuter id quod hic de Allio dicitur, narrat.*

X. 7 Arcesilaus,] *Apellem Chium fuisse, quem hoc modo Arcesilaus adiuuit, e Plutarcho didicimus, qui hanc ipsam historiolam exponit enucleatius in commentario, quo docet quomodo quis adulatorem internoscere possit ab amico.*

8 Quid? Ego illi] *Alij,* Quidni ego illi. *quae tãtula deprauatio totã Senecae sententiã peruertebat.*

XI. 9 Qui dedit beneficium, taceat: narret qui accepit.] *Hac de re festiuissimum extat epigramma Martialis:*

Quae mihi praestiteris, memini, semperque tenebo.
Cur igitur taceo Postume? tu loqueris.
Incipio quoties alicui tua dona referre,
Protinus exclamat: Dixerat ipse mihi.
Non belle quaedam faciunt duo. sufficit vnus
Huic operi. si vis, vt loquar, ipse tace.
Crede mihi, quamuis ingentia Postume dones,
Auctoris pereunt garrulitate sui.

10 Nec tamen tuta sunt,] *Alij libri,* Haec tamen irrita sunt.

XII. 11 Caesar] *Lege,* C. Caesar. *ita autem fere semper vocat Caligulam. & statim,* Penno *legendum, non* Poeno.

12 Persica seruitute] *Hoc enim honoris genus Persae regibus suis deferebant. Sic apud Xenophontem quidam* κατεφίλησε τῷ Κύρῳ τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας.

13 Sub-

13 Suhmiſſis honoribus,] *Inepte. Lege, vt in aliis*, ſummis vſus honoribus.

14 Pigros ſuos] *Vide Turnebum cap.30. lib. 9. aduerſariorum.*

15 Ah Antigono] *Aliquanto hoc venuſtius extulit Plutarchus in apophthegmatis, ſi modo liber ille Plutarchi eſt.* Θρασύλλου τοῦ Κυνικοῦ δραχμὴν αἰτήσαντος αὐτὸν, ἀλλ' οὐ βασιλικόν, εἶπε, τὸ δῶμα. τοῦ δὲ εἰπόντος οὐκοῦν τάλαντον δός μοι, ἀλλ' οὐ Κυνικόν, ἔφη, τὸ λῆμμα. XVII.

16 Ah iis quibus dediſſe videamur.] *Legendum puto*, Ah iis quibus dediſſe vellemus. XVIII.

17 Monetque amicitia] *Locus vitiatus videtur.*

18 Tuher quidam tyranni] *Cicero libro 3. de natura deorum:* Nec enim Herculi Deianira nocere voluit, cum ei tunicam ſanguine Centauri tinctam dedit: nec prodeſſe Phaereo Iaſoni, is qui gladio vomicam eius aperuit, quam medici ſanare non poterant. *Narrat & Valerius libro primo.* XIX.

19 Se geſſiſſe:] *Inepte in aliis*, ſe egiſſe. XX.

20 Non an ſeruirent, ſet cui.] *Nec enim pugnabant pro libertate, cuius iam ſpes omnis praeciſa erat: ſed quòd alij Pompeio, alij Caeſari ſeruire mallent. Ita autem cenſui iampridem emendandum hunc locum, cum in vetere libro reperiſſem:* Non an ſeruirent ſerui. *Alij poſtea eandem quidem ſententiam effecerunt, ſed nimium quantum a veteris ſcripturae veſtigiis receſſerunt.*

21 Propinationem] *Affinis enim erat illi vitio, quod in Herme quodam ſignificat Martialis his verſibus:* XXI.

Quod nulli calicem tuum propinas,
Humane facis Herme, non ſuperhe.

22 Antequam illum lihertini pauperem facerent.] *Amare dictum in Claudium, ſub quo libertinorum immenſae opes fuerunt.* XXVII.

23 Bona valetudo & vitiis inexpugnahilis] *Quam neque cibi ac potionis, neque rerum venerearum intemperantia expugnare poßit. Antea ineptiſſime legebatur*, Et virtus inexpugnabilis. XXIX.

24 Maiora non cepimus.] *Id eſt, maiorum capaces non fuimus. Venuſtiſſimam ſententiam deformarant, qui ſcripſerant*, Maiora non dehuimus.

25 Si iners, ſine opera.] *Hanc quoque corruperant, vna voce detracta, hoc modo*, ſi iners, opera. XXX.

LIBER TERTIVS.

NON referre beneficiis gratiam, & eſt turpe, & apud omnes hahetur, Ebuci Liberalis. Ideo de ingratis etiam ingrati queruntur: cum interim hoc omnibus haereat, quod omnibus diſplicet: adeoque in contrarium itur, vt quoſdam haheamus infeſtiſſimos non poſt beneficia tantum, ſed propter heneficia.[a] Hoc prauitate naturae accidere quihuſdam non negauerim: pluribus, quia memoriam tempus interpoſitum ſubduxit. Nam quae recentia apud illos viguerunt, ea interiecto ſpatio ohſoleſcunt. De quihus fuiſſe mihi tecum diſputationem ſcio, cum tu illos non ingratos vocares, ſed oblitos: tanquam ea res ingratum excuſet, quae facit.[b] An quia hoc accidit alicui, non ſit ingratus: cum hoc non accidat, niſi ingrato? Multa ſunt genera ingratorum, vt furum, homicidarum: quorum vna culpa eſt, ceterum in partibus varietas magna. Ingratus eſt, qui beneficium accepiſſe ſe negat, quod accepit. Ingratus eſt, qui diſſimulat. Ingratus, qui non reddit. Ingratiſſimus omnium, qui oblitus eſt. Illi enim ſi non ſoluunt, tamen debent: & extat apud illos veſtigium certe meritorum, intra malam conſcientiam concluſorum. Et aliquando ad referendam gratiam conuerti ex aliqua cauſa poſſunt, ſi illos pudor admonuerit, ſi ſuhita honeſtae rei cupiditas; qualis ſolet ad tempus etiam in malis pectoribus exurgere: ſi inuitauerit facilis occaſio. Hic nunquam fieri gratus poteſt, cui totum beneficium elapſum eſt. Et vtrum tu peiorem vocas, apud quem gratia beneficij intercidit, an apud quem etiam memoria?[c] Luſcitioſi oculi ſunt, qui lucem reformidant: caeci, qui non vident. Et parentes ſuos non amare, impietas eſt: non agnoſcere, inſania. Quis tam ingratus eſt, quàm qui quod in prima parte animi poſitum eſſe debuit, & ſemper occurrere, ita ſepoſuit & abiecit, vt in ignorantiam verteretur? Apparet illum non ſaepe de reddendo cogitaſſe, cui obrepſit obliuio. CAP. I.

Denique ad reddendam gratiam, & virtute opus eſt, & tempore, & facultate, & aſpirante fortuna. Qui meminit, ſine impendio gratus eſt. Hoc quod non operam exigit, non opes, non felicitatem: qui non praeſtat, nullum habet quo lateat patrocinium. II.

Nunquam enim voluit gratus eſſe,qui beneficium tam longe proiecit,vt extra conſpectum
ſuum poneret. Quemadmodum quae in vſu ſunt, & manum quotidie ractumque patiun-
tur, nunquam periculum ſitus adeunt: illa quae ad oculos non reuocantur, ſed extra con-
uerſationem,vt ſuperuacua iacuerunt,ſordes ipſa colligunt vetuſtate:ita quicquid frequens
cogitatio exercet ac renouat, memoriae nunquam ſubducitur, quae nihil perdit, [c] niſi ad
III. quod non ſaepe reſpexit. Praeter hanc cauſam aliae quoque ſunt,quae nobis [d] merita
nonnunquam maxima velant. [e] Prima omnium ac potiſſima,quòd nouis ſemper cupidita-
tibus occupati,non quid habeamus,ſed quid petamus, inſpicimus: non in id quod eſt, [f] ſed
in id quod appetimus,intēti.Quicquid enim domi eſt,vile eſt. Sequitur autem,vt vbi quod
acceperis,leue nouorum cupiditas fecit,auctor quoque eorum non ſit in pretio. Amauimus
aliquem & ſuſpeximus, & fundatum ab illo ſtatum noſtrum profeſſi ſumus, quàm diu no-
bis placebant ea quae conſecuti ſumus. Deinde irrumpit in animum aliorum admiratio, &
ad ea impetus factus eſt, vti mortalibus mos eſt,ex magnis maiora cupiendi: protinus exci-
dit,quicquid ante apud nos beneficium vocabatur.Nec ea intuemur,quae nos aliis praepo-
ſuere, ſed ea ſola quae fortuna praecedentium oſtētat. Non poteſt autem quiſquam [g] & in-
uidere,& gratias agere.Quia inuidere,querentis & maeſti eſt:gratias agere,gaudentis.Dein-
de quia nemo noſtrum nouit, niſi id tempus quod cum maxime tranſit. Ad praeterita rari
animum retorquent. Sic fit, vt praeceptores, eorumque beneficia intercidant: quia totam
pueritiam relinquimus. Sic fit, vt in adoleſcentiam noſtram collata pereant:quia ipſa nun-
quam retractatur. Nemo quod fuit, tanquam in praeterito, ſed tanquam in perdito ponit.
IIII. Ideoque caduca memoria eſt futuro imminentium. Hoc loco reddendum eſt Epicu-
ro teſtimonium, qui aſſidue queritur, quòd aduerſus praeterita ſimus ingrati, quòd quae-
cunque percepimus bona,non in memoriam reducamus,nec inter voluptates numeremus:
cum certior nulla ſit voluptas, quàm quae iam eripi non poteſt. Praeſentia bona nondum
tota in ſolido ſunt, poteſt illa caſus aliquis incidere. Futura pendent, & incerta ſunt. Quod
praeterit,inter tuta ſepoſitum eſt. [h] Quomodo gratus quiſquam eſſe aduerſus beneficia po-
teſt,qui omnem vitam ſuam tranſilit?Praeſentium intuitus,ac praeteritorum memoria gra-
V. tum facit. Memoriae minimum tribuit, quiſquis ſpei plurimum. Quemadmodum, mi
Liberalis,quaedam res ſemel perceptae haerent,quaedam vt ſcias,non eſt ſatis didiciſſe(in-
tercidit enim eorum ſcientia, [i] niſi continuetur)Geometriam dico & ſublimium curſum,&
ſi qua alia propter ſubtilitatem lubrica ſunt:ita beneficia quaedam magnitudo non patitur
excidere,quaedam minora, ſed numero plurima, & temporibus diuerſa, effluunt. Quia (vt
dixi) non ſubinde illa tractamus, nec libenter [k] quid cuique debeamus, recognoſcimus.
Audi voces petentium. Nemo non victuram ſemper in animo ſuo memoriam dixit, nemo
non deditum ſe & deuotum profeſſus eſt, & ſi quod aliud humilius verbum, quo ſe oppi-
gneraret,inuenit.Poſt exiguum tempus iidem illi verba priora quaſi ſordida & parum libe-
ra euitant:perueniunt deinde eo,quò,vt ego exiſtimo,peſſimus quiſque atque ingratiſſimus
peruenit, vt obliuiſcantur. [l] Adeo enim ingratus eſt,qui oblitus eſt, vt gratus ſit, cui benefi-
VI. cium in mentem venit. Hoc tam inuiſum vitium, an impunitum eſſe debeat, quaeri-
tur:& an haec lex,quae in ſcholis exercetur,etiam in ciuitate ponenda ſit,qua ingrati datur
actio, quae videtur aequa omnibus. Quid ni? cum vrbes quoque vrbibus, quae praeſtitere
exprobrent, [m] & maioribus collata,a poſteris exigant.Noſtri maiores,maximi illi viri, [a] [n] ab
hoſtibus taotum res repetierunt.Beneficia magno animo dabant, magno perdebant. [l] Ex-
cepta Medorum gente non eſt in vlla data aduerſus ingratum actio. Magnumque hoc ar-
gumentum,dandam non fuiſſe:quia aduerſus maleficium omne conſenſimus,& homicidij,
veneficij, parricidij, violatarum religionum, aliubi atque aliubi diuerſa poena eſt, ſed vbi-
que aliqua.Hoc frequentiſſimum crimen nuſquam punitur,vbique improbatur.Neque ab-
ſoluimus illud: ſed cum difficilis eſſet incertae rei aeſtimatio, tantum odio damnauimus, &
VII. inter ea reliquimus,quae ad vindices deos mittimus. Rationes autem multae mihi oc-
currunt,propter quas crimen hoc in legem cadere non debeat.Primum omnium pars opti-
ma beneficij periit, ſi actio, ſicut certae pecuniae, [o] aut ex conducto aut ex locato datur.
Hoc enim ſpecioſiſſimum eſt, quòd dedimus vel perdituri, quod totum permiſimus acci-
pientium arbitrio. Si appello,ſi ad iudicem voco, incipit nō beneficium eſſe, ſed creditum.
Deinde cum res honeſtiſſima ſit,referre gratiam,deſinit eſſe honeſta, ſi neceſſaria eſt. [p] Non
enim magis laudabit quiſquam gratum hominem, quàm eum qui depoſitum reddidit, aut
quod debebat,citra iudicium ſoluit.Ita duas res,quibus in vita humana nihil pulchrius eſt,
corrumpimus, [a] [q] gratum animum, & beneficium. Quid enim aut in hoc magnificum eſt,ſi
beneficium non dat, ſed commodat: aut in illo qui reddit, non quia vult, ſed quia neceſſe
eſt?Non

est? Non est gloriosa res, gratum esse: nisi tutum est, ingratum fuisse. Adiice nunc quòd huic vni legi omnia fora vix sufficient. Quis erit, qui non agat? quis, cum quo non agatur? Omnes sua extollũt, omnes etiam minima, quae in alios contulere, dilatant. 'Praeterea quaecunque in cognitionem cadunt, comprehendi possunt, & non dare infinitam licentiam iudici. Ideo melior videtur conditio causae bonae, ' si ad iudicem, quàm si ad arbitrum mittitur: quia illum formula includit, & certos, quos non excedat, terminos ponit: huius libera, & nullis astricta vinculis religio, & detrahere aliquid potest, & adiicere, & sententiam suam non prout lex aut iustitia suadet, sed prout humanitas aut misericordia impulit, regere. Ingrati actio non erat iudicem alligatura, sed regno liberrimo positura. Quid sit enim beneficium, non constat: deinde quantumcunque sit, refert, quàm benigne illud interpretetur iudex. Quid sit ingratus, nulla lex monstrat. Saepe & qui reddidit quod accepit, ingratus est: & qui non reddidit, gratus. De quibusdam etiam imperitus iudex dimittere tabellam potest. Vbi fecisse, aut non fecisse pronuntiandum est, ibi prolatis cautionibus, controuersia tollitur. Vbi vero inter disputantes ratio ius dicit, ibi animi coniectura capienda est. Vbi id, de quo sola sapientia decernit, in controuersiam incidit, non potest ad haec sumi iudex ' ex turba selectorum, quem census in album, '& equestris hereditas misit. Itaque non haec VIII.
parum idonea res visa est, quae deduceretur ad iudicem, sed nemo huic rei satis idoneus iudex inuentus est: quod non admiraberis, si excusseris, quid habiturus fuerit difficultatis, quisquis in eiusmodi reum ' exiisset. Donauit aliquis magnam pecuniam: sed diues, sed non sensurus impendium. Donauit alius: sed toto patrimonio cessurus. Summa eadem est: beneficium idem non est. Etiam nunc adiice. Hic pecuniam pro addicto depẽdit: sed cum illam domo protulisset. Ille dedit eandem: sed mutuam sumpsit, aut rogauit, & se obligari ingenti merito passus est. Eodem existimas loco esse illum, qui beneficium ex facili largitus est: & hunc, qui accepit, vt daret? Tempore quaedam magna fiunt, non summa. Beneficium est donata possessio, cuius fertilitas laxare possit annonam. Beneficium est, vnus in fame panis. Beneficium est, donare regiones, per quas multa flumina & nauigabilia decurrant. Beneficium est, arentibus siti & vix spiritum per siccas fauces ducentibus monstrare fontem. Quis inter se ista comparabit? Quis expendet? Difficilis est sententia, quae non rem, sed vim rei quaerit. Eadem licet sint, aliter data, non idem pendent. Dedit mihi hic beneficium: sed non libenter, sed dedisse se questus est, sed superbius me quàm solebat, aspexit: sed tam tarde dedit, vt plus praestiturus fuerit, si cito negasset. Horum quomodo iudex inibit aestimationem, cum sermo, & dubitatio, & vultus meriti gratiam destruant?

Quid quòd quaedam beneficia vocantur, quia nimis concupiscuntur: quaedam non IX.
sunt ex hac vulgari nota, sed maiora, etiam si minus apparent? Beneficium vocas, dedisse potentis populi ciuitatem, in quatuordecim gradus deduxisse, & defendisse capitis reum: quid vtilia suasisse? quid retinuisse, ne in scelus rueret? quid gladium excussisse morituro? quid efficacibus remediis refocillasse lugentem? & quos desiderabat volentem sequi, ad vitae consilium reduxisse? quid assedisse aegro, '& cum valetudo eius ac salus momentis constaret, excepisse idonea cibo tempora, & cadentes venas vino refecisse, & medicum adduxisse morienti? Haec quis aestimabit? quis similibus beneficiis iubebit beneficia pensari? Donauit tibi domum: sed ego tuam supra te ruere praedixi. Dedit tibi patrimonium: sed ego naufrago tabulam. Pugnauit pro te, & vulnera excepit: at ego vitam tibi silentio dedi. Cum aliter beneficium detur, aliter reddatur, paria facere difficile est.

Dies praeterea beneficio reddendo non dicitur, sicut pecuniae creditae. Itaque potest, X.
qui nondum reddidit, reddere. Dic enim, intra quod tempus deprehendatur ingratus. Maxima beneficia probationem non habent. Saepe intra tacitam duorum conscientiam latẽt. 'An hoc inducimus, vt ne demus beneficia sine teste? Quam deinde poenam ingratis constituamus? Vnam omnibus, cum disparia beneficia sint? ' Inaequalem, & pro cuiusque beneficio maiorem, aut minorem? Age, intra pecuniam versabitur taxatio: quid quòd quaedam beneficia vitae sunt, & maiora vita? His quae pronuntiabitur poena? Minor beneficio? Iniqua est. Par & capitalis? Quid inhumanius, quàm cruentos esse beneficiorum exitus?

Quaedam, inquit, priuilegia parentibus data sunt. Quomodo horum extra ordinem ha- XI.
bita ratio est, sic aliorum quoque beneficiorum haberi debet. Parẽtum conditionem sacrauimus, quia expediebat liberos tolli. ' Sollicitandi ad hunc laborem erant incertam adituri fortunam. Non poterat illis dici, quod beneficia dantibus dicitur: Cui des, elige ipse tecum. ' Si deceptus es, quaere dignum, adiuua. In liberis tollẽdis nihil iudicio tollentium licet: tota res voti est. Itaque vt aequiore animo adirent aleam, danda illis aliqua potestas fuit. Deinde alia cõditio est parentum, qui beneficia, ' quibus dederunt, dant nihilominus datu-

rique ſunt. Nec eſt periculum, ne dediſſe ſe illis mentiantur. In ceteris quaeri debet, non
tantum an receperint, ſed an dederint. Hotum in confeſſo merita ſunt: & quia vtile eſt iu-
uentuti regi, impoſuimus illi quaſi domeſticos magiſtratus, ſub quorum cuſtodia continea-
tur. Deinde omnium parentum vnum erat beneficium. Itaque aeſtimari ſemel potuit. Alia
diuerſa ſunt & diſſimilia, infinitis inter ſe interuallis diſtātia. Itaque ſub nullam regulam ca-
XII. dere potuerūt: cum aequius eſſet omnia relinqui, quàm omnia aequari. Quaedam ma-
gno dantibus conſtant: [a] quaedam accipientibus magna ſunt: ſed gratuita tribuentibus:
quaedam amicis data, quaedam ignotis. Plus eſt, quamuis idē detur, ſi ei detur, [b] quē noſſe a
tuo beneficio incipis. Hic auxilia tribuit, ille ornamenta, ille ſolatia. Inuenies, qui nihil putet
eſſe iucundius, nihil maius, quàm habere in quo calamitas acquieſcat. Inuenies rurſus, [c] qui
dignitati ſuae, quā ſecuritati, conſuli malit: eſt qui plus ei debere ſe iudicet, per quē tutior eſt,
quā ei per quem honeſtior. Proinde iſta maiora aut minora erunt, prout fuerit iudex aut ad
haec, aut ad illa inclinatus animo. Praeterea creditorē mihi ipſe eligo. [d] Beneficium ſaepe ab
eo accipio, a quo nolo, & aliquando ignorās obligor. Quid facies? ingratum vocabis eū, cui
beneficiū inſcio, &, ſi ſciuiſſet, non accepturo, impoſitum eſt: non vocabis eum, qui vtcūque
XIII. acceptū non reddidit? Aliquis dedit mihi beneficiū, ſed idem poſtea fecit iniuriā. Vtrum
vno munere ad patientiam omniū iniuriarum aſtringor: an perinde erit ac ſi gratiam retu-
lerim, quia beneficium ſuum ipſe inſequenti iniuria reſcidit? Quomodo deinde aeſtimabis;
vtrū plus ſit quod accepit, [e] an id quo laeſus eſt? Dies me deficiet, omnes difficultates perſe-
qui tentantem. Tardiores, inquit, ad beneficia danda facimus, non vindicando data, nec in-
fitiatores eorum afficiendo poena. Sed illud quoque tibi ecōtrario occurrat. Multo tardio-
res futuros ad accipienda beneficia, ſi periculum cauſae dicendae adituri erunt, & innocē-
tiam ſollicitiore habituri loco. Deinde [f] erimus per hoc ipſi quoque ad danda tardiores. Ne-
mo enim libenter dat inuitis: ſed quicunque ad benefaciēdum bonitate inuitatus eſt, & ipſa
pulchritudine rei, etiam libentius dabit, nihil debituris [g] niſi quod volent. Minuitur enim
XIIII. gloria eius officij, cui diligenter cautum eſt. Deinde pauciora erunt beneficia, ſed ve-
riora. Quid autem mali eſt, inhiberi beneficiorum temeritatē? Hoc enim ipſum ſecuti ſunt,
qui nullam legem huic conſtituerunt, vt circūſpectius donaremus, circumſpectius eligere-
mus eos, [h] in quos merita conferrentur. Etiam atque etiam cui des conſidera. Nulla actio
erit, nulla repetitio. Erras, ſi exiſtimas ſuccurſurum tibi iudicem. Nulla lex te in integrum
reſtituet. Solam accipientis fidem ſpecta. Hoc modo beneficia auctoritatem ſuam tenent,
& magnifica ſunt. Pollues illa, ſi materiam litium feceris. AEquiſſima vox eſt, & ius gentiū
prae ſe ferens, Redde quod debes. Haec turpiſſima eſt in beneficio, Redde. Quid reddet?
Vitam, inquam, debet, dignitatem, ſecuritatem, ſanitatem. Reddi maxima quaeque non
poſſunt. Aut pro his, inquit, aliquid quod tanti ſit. Hoc eſt quod dicebam, interituram tan-
tae rei dignitatem, ſi beneficium mercem facimus. Non eſt incitandus animus ad auaritiā,
ad querelas, ad diſcordiam: ſua ſponte in iſta fertur. Quantum poſſumus reſiſtamus, [i] & que-
XV. rendi occaſiones amputemus. Vtinam quidem perſuadere poſſemus, vt pecunias cre-
ditas tantum a volentibus acciperent. Vtinam nulla ſtipulatio emptorem venditori obli-
garet: nec pacta conuentaque impreſſis ſignis cuſtodirentur: fides potius illa ſeruaret, &
aequum colens animus. Sed neceſſaria optimis praetulerunt, & cogere fidem quàm ſpecta-
re malunt. Adhibentur ab vtraque parte teſtes. Ille per tabulas plurium nomina interpoſitis
parariis facit. Ille non eſt interrogatione contentus, niſi rem manu ſua tenuit. O turpem hu-
mano generi fraudis ac nequitiae publicae confeſſionem. annulis noſtris plus quàm ani-
mis creditur. In quid iſti viri ornati adhibiti ſunt? in quid imprimūt ſigna? Nempe ne ille ne-
get accepiſſe ſe, quod accepit. Hos incorruptos viros & vindices veritatis exiſtimas? At his
ipſis ſtatim non aliter pecuniae cōmittentur. [k] Ita non honeſtius erat a quibuſdā fidem falli,
quàm ab omnibus perfidiam timeri? Hoc vnum deeſt auaritiae, vt beneficia ſine ſponſore
non demus. Generoſi animi & magnifici eſt, iuuare & prodeſſe. Qui dat beneficia, deos imi-
tatur: qui repetit, feneratores. Quid illos, dum vindicamus, in turbam ſordidiſſimam redigi-
XVI. mus? Plures, inquit, ingrati erūt, ſi nulla aduerſus ingratū datur actio. Immo pauciores:
quia maiore delectu dabuntur beneficia. Deinde non expedit notū omnibus fieri, quā mul-
ti ingrati ſint. [g] Pudorem enim rei tollet multitudo peccantium, & deſinet eſſe probri loco
commune maledictum. Nunquid iam vlla repudio erubeſcit, poſtquam illuſtres quaedam
ac nobiles feminae, non conſulum numero, ſed maritorum annos ſuos computant, & ex-
eunt matrimonij cauſa, nubunt repudij? Tam diu iſtud timebatur, quàm diu rarū erat. Quia
vero nulla ſine diuortio acta ſunt, quod ſaepe audiebant, facere didicerunt. Nunquid iam
vllus adulterij pudor eſt, poſtquam eo ventum eſt, vt nulla virum habeat, niſi vt adulterum
irritet? Argumētum eſt deformitatis pudicitia. Quā inuenies tam miſeram, tam ſordidam,
vt illi

vt illi satis sit vnum adulterorum par? nisi singulis diuisit horas, & non sufficit dies omnibus?
nisi ad aliũ gestata est, apud alium mansit?[l] Infrunita & antiqua est, quae nescit[m] matrimo-
nium vocari vnius adulterium. Quemadmodum horum delictorum iam euanuit pudor,
postquam res latius euagata est: ita ingratos plures efficies & audaciores, si numerare se coe-
perint. Quid ergo? impunitus erit ingratus? Quid ergo? impunitus erit impius? Quid XVII.
malignus? Quid auarus? Quid impotens? Quid crudelis? Impunita tu credis esse, quae inuisa
sunt? Aut vllum supplicium grauius existimas publico odio? Poena est, quòd non audet ab
vllo beneficium accipere, quòd non audet vlli dare, quòd omniũ designatur oculis, aut de-
signari se iudicat, quòd intellectũ optimae rei ac dulcissimae amisit. An tu infelicem vocas,
qui caret acie oculorum, cuius aures morbus obstruxit: non vocas miserum eum, qui sen-
sum beneficiorum amisit? Testes ingratorum omnium deos metuit, vrit illum & angit in-
tercepti beneficij conscientia: denique satis haec ipsa poena magna est, quòd rei (vt dicebã)
iucundissimae fructum non percipit. At quem iuuat accepisse, aequali perpetuaque volu-
ptate fruitur: & animum eius a quo accepit, non rem intuẽs gaudet. Gratum hominem sem-
per beneficium delectat, ingratum semel. Comparari autem potest vtriusque vita: cum alter
tristis sit & solicitus, qualis esse infitiator ac fraudulentus solet: apud quem non parentum,
qui debet, honor est,[n] non educatoris, non praeceptorum: alter laetus, hilaris, occasionem
referendae gratiae expectans, & ex hoc ipso affectu gaudium grande percipiens, nec quae-
rens quomodo decoquat, sed quemadmodum plenius vberiusque respondeat, non solum
parentibus & amicis, sed humilioribus quoque personis. Nam etiamsi a seruo suo beneficiũ
accepit, aestimat non a quo, sed quid acceperit. [10] Quanquam quaeritur a quibusdam, XVIII.
sicut ab Hecatone, an beneficium dare seruus domino possit. Sunt enim qui ita distinguant,
Quaedam beneficia esse, quaedam officia, quaedam ministeria. Beneficium esse, quod alie-
nus det. Alienus est, qui potuit sine reprehensione cessare. Officium esse filij, vxoris, & earum
personarum, quas necessitudo suscitat, & ferre opem iubet. Ministerium esse serui, quem cõ-
dicio sua eo loco posuit, vt nihil eorum quae praestat, imputet superiori.[11] Propterea seruos
qui negat[o] dare aliquãdo beneficium, ignarus est iuris humani. Refert enim cuius animi sit,
qui praestat, non cuius status. Nulli praeclusa virtus est, omnibus patet, omnes admittit, o-
mnes inuitat, ingenuos libertinos, seruos, reges, & exules. Non eligit domum, nec censum:
nudo homine contenta est. Quid enim erat tuti aduersus repentina,[p] quid animus magnus
promitteret sibi, si certam virtutem fortuna mutaret? Si nõ dat beneficium seruus domino,
nec regi quisquam suo, nec duci suo miles. Quid enim interest, quali quisque teneatur im-
perio, si summo tenetur? Nam si seruo, quo minus in nomen meriti perueniat, necessitas ob-
est, & patiendi vltima timor: idem istud obstabit, & ei qui regem habet, & ei qui ducem:
quoniam, quanquam sub dispari titulo, paria in illos licent. Atqui dant regibus suis, dant
imperatoribus beneficia: ergo & dominis. Potest seruus iustus esse, potest fortis, potest ma-
gnanimus: ergo & beneficium dare potest. Nam & hoc virtutis est, adeoque dominis serui
beneficia possunt dare, vt ipsos saepe beneficia sua fecerint. Non est dubium, quin seruus
beneficium dare possit cuilibet: quare ergo non & domino suo possit? Quia non po- XIX.
test, inquit, creditor domini sui fieri, si pecuniam illi dederit. Alioqui quotidie dominum
suum obligat. Peregrinantem sequitur, aegro ministrat,[q] & labore summo colit. Omnia ta-
men ista quae alio praestante beneficia dicerentur, praestante seruo ministeria sunt. Bene-
ficium enim id est, quod quis dedit, cum illi liceret & non dare. Seruus autem non habet
negandi potestatem. Ita non praestat, sed paret. Nec id se fecisse iactat, quod non facere nõ
potuit. Etiam sub ista lege vincam, & eo perducam seruum, vt in multa liber sit. Interim dic
mihi, si tibi ostendero aliquem seruum pro salute domini sui[r] sine respectu sui dimicantem,
& confossum vulneribus, reliquias tamen sanguinis ab ipsis vitalibus fundentem, & vt ille
effugiendi tempus habeat, moram sua morte quaerentem: hunc tu negabis beneficium de-
disse, quia seruus est? Si tibi ostẽdero aliquem, vt secreta domini prodat, nulla tyranni polli-
citatione corruptum, nullis territum minis, nullis cruciatibus victum, auertisse quantum
potuit, suspiciones quaerentis, & impendisse spiritum fidei: hunc tu negabis beneficium do
mino dedisse, quia seruus est? Vide ne eo maius sit, quo rarius est exẽplum virtutis in seruis:
eoque gratius, quòd cum fere inuisa imperia sint, & omnis necessitas grauis, commune ser-
uitutis odium, in aliquo domini caritas vicit. Ita non ideo beneficium non est, quia a seruo
profectum est: sed ideo maius, quia deterrere ab illo nec seruitus quidem potuit. Errat, XX.
si quis existimat seruitutem in totum hominem descendere.[12] Pars melior eius excepta est.
Corpora obnoxia sunt, & adscripta dominis: mens quidẽ sui iuris, quae adeo libera & va-
ga est, vt ne ab hoc quidem carcere cui inclusa est, teneri queat, quo minus impetu suo

vtatur,& ingentia agat,& in infinitū comes caelestibus exeat. Corpus itaq; est,quod domino fortuna tradidit. Hoc emitur,hoc venditur. Interior illa pars mancipio dari non potest. Ab hac quicquid venit, liberum est. Non enim aut nos omnia iubere possumus, aut in omnia serui parere cogūtur. Contra rempublicam imperata non facient, nulli sceleri manus

XXI. commodabunt. Quaedam sunt quae leges nec iubent,nec vetant facere: in his seruus materiam beneficij habet. Quamdiu praestatur,quod a seruis exigi solet,ministerium est: vbi plus ' quàm quod seruo necesse est, beneficium. Vbi in affectum amici transit, definit vocari ministerium. ' Est aliquid quod dominus praestare seruo debeat, vt cibaria, vestiarium. Nemo hoc dixit beneficium. At indulsit,liberalius educauit,artes quibus erudiuntur ingenui, tradidit. beneficium est. Idem econtrario fit in persona serui. Quicquid est quod seruilis officij formulam excedit,quod non ex imperio,sed ex voluntate praestatur,benefi-

XXII. cium est: si modo tantum est, vt hoc vocari potuerit, quolibet alio praestante. Seruus (vt placet Chrysippo) perpetuus mercenarius est. Quemadmodum ille beneficium dat, vbi plus praestat ' quàm '' quod operis locauit: sic seruus vbi beneuolentia erga dominum fortunae suae modum transiit, & altius aliquid ausus, quod etiam felicius nato decori esset, & spem domini antecessit, beneficium est intra domum inuentum. An aequum tibi videtur, quibus,si minus debito faciant, irascimur, non haberi gratiam, si plus debito solitoque fecerint? Vis scire,quādo non sit beneficium? Vbi dici potest, Quid si nollet? Vbi vero id praestat,quod nolle licuit,voluisse laudandum est. Inter se contraria sunt,beneficium & iniuria. Potest dare beneficium domino, si a domino iniuriam potest accipere. Atqui de iniuriis dominorum in seruos,qui audiat,positus est,qui & saeuitiam & libidinem,& in praebendis ad victum necessariis auaritiam compescat. Quid ergo? Beneficium dominus a seruo accipit? Immo homo ab homine. Denique quod in illius potestate fuit,fecit. Beneficium domino dedit. Ne a seruo acceperis,in tua potestate est. Quis autem tantus est,quem non fortuna indigere etiam infimis cogat? Multa iam beneficiorum exempla referam, & dissimilia,& quaedam inter se contraria. Dedit aliquis domino suo vitam, dedit mortem, seruauit periturum,& hoc si parum est,pereundo seruauit. Alius mortem domini adiuuit, alius decepit.

XXIII. " Claudius Quadrigarius in duodeuicesimo annalium tradidit,cum obsideretur '4 Adrumētum,&iam ad summam desperationem ventum esset, duos seruos ad hostem transfugisse, & operae pretium fecisse. Deinde vrbe capta, passim discurrente victore, illos per nota itinera ad domum in qua seruiebāt, praecurrisse,& dominam suam ante se egisse, & quaerētibus quae nam esset,dominam,& quidem crudelissimam ad supplicium ab ipsis duci, professos esse. Eductam deinde extra muros summa cura celasse, donec hostilis ira consideret. Deinde vt satiatus miles ad Romanos mores cito rediit,illos quoque ad suos redisse,& dominam sibi ipsos dedisse. Manumisit vtrūque e vestigio illa: nec indignata est ab his se vitam accepisse,in quos vitae necisque potestatem habuisset. Potuit sibi hoc vel magis gratulari. Aliter enim seruata munus notae & vulgaris clementiae habuisset: sic seruata,nobilis fabula, ' & '' exemplum dominarum fuit. In tanta confusione captae ciuitatis,cum sibi quisque consuleret, omnes ab illa praeter transfugas fugerunt. At hi, vt ostenderent quo animo facta esset prior illa transitio,a victoribus ad captiuam transfugerunt,personam parricidarum ferentes. quod in illo beneficio maximum fuit,tanti iudicauerunt, ne domina occideretur, videri dominam occidisse. ' Non est, mihi crede, non est seruilis animi, egregium factum fama sceleris emisse.'' ' C.Vettrius praetor Marsorum ducebatur ad Romanum imperatorē. Seruus eius gladium militi ipsi, a quo trahebatur, eduxit, & primum dominum occidit. Deinde, Tempus est,inquit, me & mihi cōsulere: iam dominum manumisi: atque ita se vno

XXIIII. ictu transegit. Da mihi quenquam,qui magnificentius dominum seruauerit. Corfinium Caesar obsidebat. Tenebatur inclusus Domitius. Imperauit medico, eidemque seruo suo, vt sibi venenum daret.' Cum regiuersantem videret: Quid cunctaris, inquit,tanquam tua in potestate totum istud sit? mortem rogo armatus. Tum ille promisit, & medicamentum innoxium bibēdum illi dedit: quo cum sopitus esset, accessit ad filium eius. Iube me, inquit, adseruari,dum ex euentu intelligis, an venenum patri tuo dederim. Vixit Domitius,& ser-

XXV. uatus a Caesare est. Prior tamen illum seruus seruauerat. Bello ciuili proscriptum dominum seruus abscondit: & cum annulos eius sibi aptasset,ac vestem induisset,speculatoribus occurrit: nihil se deprecari, quo minus imperata peragerent, dixit: & deinde ceruicem porrexit. Quanti viri est,pro domino eo tempore mori velle, quo erat rara fides, dominum mori nolle? ' in publica crudelitate mitē inueniri,in publica perfidia fidelem? cum praemia

XXVI. proditionis ingentia ostendantur,praemium fidei,mortem concupiscere? Nostri saeculi exempla non praeteribo. Sub Tiberio Caesare fuit accusandi frequens & paene publica rabies,

rabies, quae omni ciuili bello grauius togatam ciuitatem confecit. Excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas iocantium. Nihil erat tutum. Omnis saeuiendi placebat occasio. Nec iam reorum expectabatur euentus, cum esset vnus. Cenabat Paulus praetorius in conuiuio quodam, imaginem Tiberij Caesaris habens,[18] ectypam, & eminente gemma. Rem ineptissimam fecero, si nunc verba quaesiero, quemadmodum dicam illum matellam sumpsisse. Quod factum simul & Maro ex notis illius temporis vestigatoribus notauit. At seruus eius cui nectebantur insidiae, ei ebrio annulum extraxit. Et cum Maro conuiuas testaretur, admotam esse imaginem obscoenis, & iam [19] subscriptionem componeret, ostendit in manu sua seruus annulum. Si quis hunc seruum vocat, & illum conuiuam vocabit. Sub diuo XXVII.

Augusto nondum hominibus verba sua periculosa erant, iam molesta. Rufus vir ordinis senatorij inter cenam optauerat, ne Caesar saluus rediret ex ea peregrinatione quam parabat: & adiecerat, idem omnes & tauros, & vitulos optare. Fuerunt qui illa diligenter audirent. Vt primum diluxit, [20] seruus qui cenanti ad pedes steterat, narrat quae inter cenam ebrius dixisset. Hortatur eum, vt Caesarem occupet, atque ipse se deferat. Vsus consilio, descendenti Caesari occurrit. Et cum malam mentem habuisse se pridie iurasset, [21] id vt in se & filios suos recideret, optauit, & Caesarem, vt ignosceret sibi rediretque in gratiam secum, rogauit. Cum dixisset se Caesar facere: Nemo, inquit, credet te mecum in gratiam redisse, nisi aliquid mihi donaueris:[b] petitque non fastidiendam a propitio summam: & impetrauit. Caesar ait: Mea causa dabo operam, ne vnquam tibi irascar. [c] Honeste Caesar, quòd ignouit, quòd liberalitatem clementiae adiecit. Quicunque hoc audiuerit exemplum, necesse est Caesarem laudet, sed cum seruum ante laudauerit. Non expectas, vt tibi narrem manumissum, qui hoc fecerat. Nec tamen gratis. Pecuniam pro libertate eius Caesar numerauit. Post tot exempla non est dubium, quin beneficium aliquando à ser- XXVIII.

uo dominus accipiat. Quare potius persona rem minuat, quàm personam res ipsa cohonestet? Eadem omnibus principia, eademque origo. Nemo altero nobilior, nisi cui rectius ingenium, & artibus bonis aptius. Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiae suae longo ordine ac multis stemmatum illigata flexuris [d] in parte prima aedium collocant, noti magis quàm nobiles sunt. Vnus omnium parens mundus est, siue per splendidos, siue per sordidos gradus: ad hunc prima cuiusque origo perducitur. Non est, quòd te isti decipiant; cum maiores suos recensent. [22] [e] Vbicunque defecit nomen illustre, illico deum fingunt. Neminem despexeris, etiam si circa illum obsoleta sunt nomina, & parum indulgente adiuta fortuna? [f] siue libertini ante nos habentur, siue serui, siue exterarum gentium homines. Erigite audacter animos: & quicquid in medio sordidi iacet, transilite. Expectat vos in summo magna nobilitas. Quid superbia in tantam vanitatem attollimur, vt beneficia a seruis indignemur accipere, & sortem eorum spectamus, obliti meritorum? Seruum tu quenquam vocas, libidinis & gulae seruus, & adulterae, immo adulterarum commune mancipium? Seruum vocas quenquam? Quo tandem ab istis gerulis raperis, cubile istud tuum circunferentibus? Quò te penulati isti in militum & quidem non vulgarem cultum subornati? Quò, inquam, te isti efferunt? ad ostium alicuius ostiarij, ad hortos alicuius, ne ordinarium quidem habentis officium. Et deinde negas tibi beneficium a seruo tuo posse dari, cui osculum alieni serui beneficium est? Quae est tanta animi discordia? Eodem tempore seruos despicis & colis. Imperiosus intra limen atque impotens, humilis foris:[g] & tam contemptus, quàm contemnens. Neque enim vlli magis abiiciunt animos, quàm qui improbe tollunt: nullique ad calcandos alios paratiores, quàm qui contumelias facere, accipiendo didicerunt. Dicenda haec fuerunt ad con- XXIX.

tundendam insolentiam hominum ex fortuna pendentium, vindicandumque ius beneficij dandi a seruis, vt a filiis quoque vindicaretur. Quaeritur enim, an aliquando liberi maiora beneficia dare parentibus suis possint, quàm acceperint.[h] Illud conceditur, multos filios maiores potentioresque extitisse, quàm parentes suos. aeque illud meliores fuisse. Quod si constat, potest fieri, vt meliora tribuerint: cum & fortuna illis maior esset, & melior voluntas. Quicquid, inquit, est, quod dat patri filius, vtique minus est: quia hanc ipsam dandi facultatem patri debet. Ita nunquam beneficio vincitur, [i] cuius beneficium est ipsum, quod vincitur. Primum quaedam initium ab aliis trahunt, & tamen initiis suis maiora sunt. Nec ideo aliquid non est [k] maius eo a quo coepit: quia non potuisset in tantum procedere, nisi coepisset. Nulla non res principia sua magno gradu transit. Semina omnium rerum causa sunt: & tamen minimae partes sunt eorum quae gignunt. Aspice Rhenum, aspice Euphratem, omnes denique

inclytos amnes, quid sunt, si illos illic vnde effluunt, aestimes? Qoicquid est quo timentur,
quo nominantur, in processu parauerunt. Tolle radicem, nemora non surgent; nec tanti
montes vestientur. Aspice trabes, siue proceritatem aestimes, altissimas, siue crassitudinem
spatiumque ramorum, latissime fusas, quantulum est his comparatum illud, quod radix te-
nui fibra complectitur? Innituntur fundamentis suis templa, & illa vrbis moenia: [l] tamen
quae in firmamentum totius operis iacta sunt, latent. Idem in ceteris euenit. Principia sua
semper sequens magnitudo obruit. Non potuissem quicquam consequi, nisi parentum be-
neficium antecessisset. Sed non ideo quicquid consecutus sum, minus est eo, sine quo con-
secutus non essem. Nisi me nutrix aluisset infantem, nihil eorum quae consilio ac manu ge-
ro, facere potuissem, nec in hanc emergere nominis claritatem, quam ciuili ac militari in-
dustria merui: nunquid tamen ideo maximis operibus praeferes nutricis officium? At quid
interest, [m] cum aeque sine nutricis beneficio, quàm sine patris, non potuerim ad vlteriota
XXX. procedere? Quòd si initio meo quicquid iam possum debeo, cogita non esse initium
mei patrem, ne auum quidem. Semper enim erit vlterius aliquid, ex quo originis proximae
origo descendat. [n] Atqui nemo dicitur plus debere ignotis, & vltra memoriam positis ma-
ioribus, quàm patri. Plus autem debeo, si hoc ipsum quòd genuit me pater meus, [o] maiori-
bus suis debet. Quicquid praestiti patri, etiam si magnum est, infra aestimationem paterni
muneris est: quia non essem, si non genuisset. Isto modo etiam si quis patrem meum aegrũ
ac moriturum sanauerit, nihil praestare ei potero, quod non beneficio eius minus sit. [p] Non
enim genuisset me pater, ni sanatus esset. Sed vide, ne illud verius sit, aestimari, [q] an id quod
potui, & id quod feci, meum sit, mearum virium, meae voluntatis. Illud quòd natus sum,
[r] per se intuere quale sit. Animaduertis exiguum & incertum, & boni malique communem
materiam, sine dobio primum ad omnia gradum: [s] sed non ideo maiorem omnibus, quia
primum. Seruaui patrem, & ad summam prouexi dignitatem, & principem vrbis suae feci:
nec tantum rebus à me gestis nobilitaui, sed ipsi quoque gerendarum ingentem ac facilem,
nec tutam minus, quàm gloriosam dedi materiam. Honores, opes, [t] quicquid humanos ad
se animos rapit, congessi: & cum sopra omnes starem, infra illum steti. Dic nunc, Hoc i-
psum, qnòd ista potuisti, patris munus est. [v] Respondebo tibi, Est prorsus, si ad ista facienda
nasci satis est. [u] Sed si ad bene viuendum minima portio est viuere, & id tribuisti, qnod cum
feris mihi & animalibus quibusdam minimis, quibusdam etiam foedissimis commune est,
noli tibi asserere, [x] qood non ex tuis beneficiis, etiam si non fine tuis, oritur. Puta me vitam
pro vita redidisse. Sic quoque munus tuum vici, cum ego dederim sentienti, sentiens me
dare: cum vitam tibi noo voluptatis meae causa, [y] aut certe per voluptatem dederim: cum
tanto maius sit retinere spiritum, quàm accipere, quanto leuius mori ante mortis metum.
XXXI. Ego vitam dedi statim illa vsuro: tu nesciturо, an viuerem. Ego vitam dedi, mortem timen-
ti: tu vitam dedisti, vt mori possem. Ego vitam tibi dedi consummatam, perfectam: tu me
expertem rationis genuisti, onus alienum. Vis scire quàm non sit magnum beneficium, vi-
tam sic dare? [z] Si exposuisses, nempe iniuria erat genuisse. quo quidem colligo, minimum
esse beneficium, patris matrisque concubitum: nisi accesserint alia, quae prosequerentur
hoc initium muneris, & aliis officiis ratum facerent. Noo est booum viuere, sed bene vi-
uere. At bene viuo. Sed potui & male. [a] Ita hoc tantum est tuum, quod viuo. Si vitam im-
putas mihi per se, nudam, egentem consilij, & id vt magnum bonum iactas, cogita te mihi
imputare muscarum ac vermium bonum. Deinde, vt nihil aliud dicam, quàm bonis arti-
bus me studuisse vt cursum ad rectum iter vitae dirigerem, si bene viuo, [b] ipso beneficio ma-
ius quàm quod dederas, recepisti. Tu enim me mihi rudem & imperitum dedisti: ego tibi
XXXII. filium, qualem genuisse gauderes. Aluit me pater. si idem praesto, plus reddo: quia non
tantum ali se, sed a filio ali gaudet, & maiorem ex animo meo, quàm ex ipsa re, percipit vo-
luptatem. Illius alimenta ad corpus tantum meum peruenerunt. Quid si quis intantum
processit, vt aut eloquentia per gentes enotesceret, aut iustitia, aut bellicis rebus, & patri
quoque ingentem circumfunderet famam, tenebrasque oatalium suorum clara luce discu-
teret: non inaestimabile in parentes suos beneficium contulit? An quisqnam Aristonem
& Gryllum, nisi propter Xenophontem ac Platonem filios nosset? Sophroniscum Socrates
expirare non patitur. Ceteros enumerare loogum est, qui viuunt ob nullam causam aliam,
quàm quòd illos liberorum eximia virtus tradidit posteris. Vtrum maius beneficium dedit
M. Agrippae pater, ne post Agrippam quidem notus: an patri dedit Agrippa, nauali co-
rona insignis, vnicum adeptus inter dona militaria decus, qui tot in vrbe maxima opera
excitauit, quae & priorem magnificentiam vincerent, & nulla postea vincerentur?
Vtrum

Vtrum Octauius maius vllum beneficium dedit filio, an patri diuus Augustus, quamuis il-
lum vmbra adoptiui patris abscoodit?[c] Quantam cepisset voluptatem, si illum, post debella-
ta arma ciuilia, vidisset securae paci praesidentem, non agnoscens booum suum, nec satis
credens, quoties respexisset ad se, potuisse illum virum in domo sua nasci? Quid nunc cete-
ros persequar, quos iam consumpsisset obliuio, nisi illos filiorum gloria e tenebris eruisset,
& adhuc in luce retineret? Deinde non quaerimus, num quis filius patri maiora beneficia
reddiderit, quàm à patre acceperat: sed an possit aliquis maiora reddere. Etiamsi quae re-
tuli exempla, nondum satisfaciunt, nec beneficia parentum suorum supermicant: capit ra-
men hoc natura, quod nondum vlla aetas tulit. Si singula paternorum meritorum magni-
tudinem exuperare non possunt, plura in vnum congesta superabunt. Seruauit in bel- XXXIII.
lo patrem Scipio, & praetextatus in hostes equum concitauit: parum est, quòd vt perueni-
ret ad patrem, tot pericula, tot maximos duces[d] cum maxime prementia cootempsit, tot
oppositas difficultates, quòd ad primam pugnam exiturus tito per veteranorum corpora
cucurrit, quòd annos suos transiluit. Adiice, vt idem patrem reum defendat, & conspira-
tioni inimicorum potentium eripiat: vt alterum illi consulatum, ac tertium, aliosque hono-
res etiam consularibus concupiscendos congerat, vt pauperi raptas belli iure opes tradat,
& quod est militaribus viris speciosissimum, diuitem illum spoliis etiam hostilibus faciat. Si
adhuc parum est, adiice vt prouincias & extraordinaria imperia cootinuet: adiice vt diru-
tis maximis vrbibus, Romani imperij sine aemulo ad ortus occasusque venturi defensor &
conditor, maiorem nobilitatem nobili viro adiiciat. Dic Scipionis patrem:[e] haud dubium
est, quin generandi vulgare beneficium vicerit eximia pietas & virtus, ipsi vrbi nescio, vtrũ
maius praesidium afferens, an decus. Deinde, si hoc parum est, fioge aliquem tormen- XXXIIII.
ta patris discussisse, finge in se transtulisse. Licet tibi inquantum velis extendere beneficia fi-
lij, cum paternum munus & simplex sit, & facile,[f] nec danti voluntarium.[g] Quid necesse est
multis? Dedit etiam quibus dedisse se oescit. In quo consortem habet, in quo spectauit le-
gem patriam, praemia patrum, domus ac familiae perpetuitatem, omnia potius quàm eum
cui dabat. Quid si quis sapientiam consecutus, hanc patri tradiderit, etiam nunc disputa-
bimus, an maius aliquid dederit quàm acceperat: cum vitam beatam patri reddiderit, ac-
ceperit tantum vitam? Sed patris, inquit, beneficium est, quicquid facis, quicquid praestare
illi potes. Et praeceptoris mei, quòd institutis liberalibus profeci. Ipsos tamen qui tradide-
runt illa, transcendimus, vtique eos qui prima elementa docuerunt. Et quamuis sine illis
nemo quicquam assequi posset, non tamen quantumcunque quis assecutus est, infra illos
est. Multum inter prima ac maxima interest. Nec ideo prima maximorum instar sunt, quia
sine primis maxima esse non possunt. [h] Iam tempus est quaedam ex nostra (vt ita di- XXXV.
cam) moneta proferri. Qui id beneficium dedit, quo est aliquid melius, potest vinci. Pater
dedit filio vitam, est autem aliquid vita melius: ita pater vinci potest, quia dedit beneficium,
quo est aliquid melius. Etiamnum, qui dedit alicui vitam, si semel & iterum liberatus est
mortis periculo, maius accepit beneficium, quàm dedit. Pater autem vitam dedit.[i] Potest
ergo, si saepius periculo mortis liberatus a filio fuerit, maius beneficium accipere, quàm de-
dit. Qui beneficium accipit, maius accipit, quo magis eo indiget. Magis autem indiget vi-
ta qui viuit, quàm qui natus non est, vt qui ne indigere quidem omnino possit. Maius ergo
beneficium accipit pater, si vitam a filio accepit, quàm filius a patre,[k] quòd natus est.[l] Pa-
tris beneficia vinci a filiis beneficiis ooo possunt. Quare? quia vitam accepit a patre: quam
nisi accepisset, nulla dare beneficia potuisset. Hoc commune est patri cum omnibus, qui vi-
tam dederunt alicui. Non potuissent enim referre gratiam, nisi vitam accepissent. Ergo nec
medico io maius gratia referri potest, solet enim & medicus vitam dare: nec nautae, si nau-
fragum sustulit. Atqui & horum & aliorum, qui aliquo modo nobis vitam dederunt, be-
neficia vinci possunt: ergo & patrum possunt. Si quis mihi beneficium dedit, quod mul-
torum beneficiis adiuuandum esset, ego autem beneficium illi dedi, quod nullius adiuto-
tio egeret, maius dedi quàm accepi. Pater filio vitam dedit perituram, nisi multa accessis-
sent, quae illam tuerentur. Filius patri si dedit vitam, dedit eam, quae nullius desideraret
auxilium, in hoc, vt permaneret. Ergo maius beneficium accepit a filio pater, qui vitam
accepit,[m] quàm illi dederat. Haec non destruunt parentum venerationem, nec de- XXXVI.
teriores illis liberos faciunt, immo etiam meliores.[n] Natura enim gloriosa est virtus,
& anteire priores cupit. Alacrior erit pietas, si ad reddenda beneficia cum vincendi
spe venerit. Id si patribus idem volentibus contigerit (quoniam plaeraque suot, in
quibus nostro bono vincimur) vnde certamen tam optabile, vnde tantam felicitatem
parentibus, vt fateantur seipsos filiorum beneficiis impares?[o] Nisi hoc ita iudicamus,

excusationem damus liberis: & illos segniores ad referendam gratiam facimus, quibus stimulos adiicere debemus, & dicere, Hoc agite optimi iuuenes.[p] proposita est inter parentes ac liberos honesta contentio, dederint maiora, an receperint. Non ideo vicerunt, quia occupauerunt. Sumite modo animum, qualem decet, & deficere nolite. vt vincatis optate. Nec desunt tam pulchro certamini duces, qui ad similia vos cohortentur, ac per vestigia

XXXVII. sua ire ad victoriam saepe iam partam ex parentibus, iubeāt. Vicit AEneas patrem [q] ipse eius in infantia leue tutumque gestamen, grauem senio, per media hostium agmina, & per cadentis circa se vrbis ruinas ferens, cum complexus sacra ac penates deos religiosus secum non simplici vadentem sarcina premeret: tulit illum per ignes, &, quid non pietas potest? pertulit, colendumque inter conditores Romani imperij posuit. Vicere Siculi iuuenes, cum AEtna maiore vi peragitata, in vrbes, in agros, in magnam insulae partem effudisset incendium, vexerunt parentes suos. Discessisse creditum est ignes, & vtrinque flamma recedente limitem adapertum, per quem transcurrerent iuuenes dignissimi, qui magna tuto auderent. Vicit Antigonus: qui cum ingenti proelio superasset hostem, praemium belli ad patrem transtulit, & imperium illi Cypri tradidit. Hoc est regnum, nolle regnare, cum possis. Vicit patrem imperiosum T. Manlius:[r] qui cum ad tempus relegatus esset a patre, ob adolescentiam brutam ac hebetem, ad tribunum plebis, qui patri suo dixerat diem, venit: petitoque tempore quod ille dederat, sperans fore proditorem parentis inuisi, & bene meruisse se de iuuene, cuius exilium pro grauissimo crimine inter alia Mālio obiiciebat: nactus adolescens secretum, stringit occultatum sinu ferrum, &, Nisi iuras, inquit, te diem patri remissurum, hoc te gladio transfodiam. In tua potestate est, vtro modo pater meus accusatorem nō habeat. Iurauit tribunus: nec fefellit, & causam accusationis remissae contioni reddidit. Nulli alij licuit impune tribunum in ordinem redigere.

XXXVIII. Alia ex aliis exempla subeunt eorum qui parentes suos periculis eripuerunt, qui ex infimo ad summum protulerunt, & e plebe aceruoque ignobili nunquam tacendos saeculis dederunt. Nulla vi verborum, nulla ingenij facultate exprimi potest, quantum opus sit, quàm laudabile, quàmque nunquam a memoria hominum exiturum, posse hoc dicere: Parentibus meis parui, cessi: imperio eorum, siue aequum,[s] siue iniquum fuit, obsequentem summissumque me praebui: ad hoc vnum contumax fui, ne beneficiis vincerer. Certate obsecro vos, & fusi quoque restituite aciem. Felices, qui vicerint: felices, qui vincentur. Quid eo adolescente praeclarius, qui sibi ipsi dicere potuit, neque enim fas est alteri dicere: Patrem meum beneficiis vici? Quid eo fortunatius sene, qui omnibus vbique praedicabit, a filio suo se beneficiis victum? Quid autem est felicius, quàm sibi cedere?

LIBRI TERTII DE BENEFICIIS FINIS.

[m] M. ANTONII MVRETI AD TERTIVM LIBRVM SENECAE DE beneficiis Notae.

CAP. I. 1 Vitiosi oculi sunt, qui lucem reformidant: caeci, qui non vident.] *Vox* oculi *abest a libro vetere: & ita scriptum est* Vitiosi, *vt aliquid erasum esse appareat. Caecos quoque oculos nusquam alibi legi. Puto igitur totum hunc locum ita legendum esse,* Luscitiosi sunt qui lucem reformidant, caeci qui non vident.

VI. 2 Ab hostibus tantum res repetierunt.] *Ineptissime legebant alij*, Ab hostibus tantum aes petierunt. *Res repeti solitas per faetiales, antequam cuiquam populo bellum indiceretur, norunt, quicunque primoribus labris historiam Romanam attigerunt.*

3 Excepta Medorum gente] *Ita hunc locum emendandum esse docui capite tertio libri duodecimi variarum lectionum.*

VII. 4 Gratum hominem,] *Legendum puto,* gratum animum.

5 Praeterea quaecunque] *Huic loco quomodo medicina facienda sit, alij fortassis acutiores videbunt. mihi nihil, quod satis placeat, in mentem venit.*

6 Ex turba selectorum,] *Ita vocabantur decuriae quaedam iudicum: quos praetor ad res iudicandas selegerat. Horatius:*

Vnum ex iudicibus selectis obijciebat.

Erant & aliae decuriae Nongentorum, & Tribunorum aerarij. Vide Plinium capite secundo, libri 33.

7 Exis-

7 Exisset.] *Sorte ductus esset. Conijciebantur enim in urnam iudicum nomina: deinde, qui exierant, iudicabant.* VIII.

8 Pudorem enim rei] *Pertinet huc dictum Platonis in Archibium*, ὅτι ἐπιδίδωσιν ἐν τῇ πόλει τὸ ὁμολογεῖν πονηρὸς εἶναι. XVI.

9 Infrunita & antiqua est,] *Infrunita, est insulsa. Sic in libro de vita beata*: Alterum infruniti animi est, alterum timidi & pusilli. *Sic in sacris litteris*: Animo irreuerenti & infrunito ne tradas me domine. *Legitur haec vox & apud Macrobium. Antiquam quoque dicit simplicem, minime malam*, εὐήθη.

10 Quanquam quaeritur] *Totam hanc disputationem de seruis, num dominis beneficia tribuere possint, partim ex hoc Senecae loco, partim ex epist. 47. partim ex Valerio consarcinatam Macrobius libro primo Saturnaliorum pro sua uenditauit. Sed & ex Agellio & e Plutarchi Symposiacis tam multa, nullo pudore, in septimum librum Saturnaliorum suorum transtulit, ut appareat eum factitasse eandem artem, quam plerique hoc saeculo factitant, qui ita humani a se nihil alienum putant, ut alienis aeque utantur ac suis.* XVIII.

11 Propterea seruos] *Ita legendum, non, ut in alijs*, Praeterea.

12 Pars melior eius excepta est.] *Libera est. Vocabulum sumptum a diuisione agrorum, in qua excepta & subsiciua dicebantur, quae nemini adtributa & adsignata erant: ideoque dominum non habebant.* XX.

13 Quàm quod operis locauit:] *Atqui dominus opus, mercenarius operas locat. Puto igitur legendum*, Quàm ad quod operas locauit. XXII.

14 Drumentum,] *Macrobius*, Grumentum. *Male uterque. Lege*, Adrumentum. *Nomen est urbis in Africa.* XXIII.

15 Exemplum duarum vrbium fuit.] *Quarum, quaeso, duarum urbium? An stultum est id quaerere, quod inuestigari non potest? Itaque qui hoc viderent nihil esse, fecerunt*, Exemplum Grumentinae vrbis fuit. *Sed neque hi locum correxerunt, &, quod quidem in ipsis fuit, viam ceteris ad eum corrigendum obstruxerunt. Neque tamen quidquam emendatu facilius fuit, si paulo attentius cõsiderassent. Vetus enim liber illud* vrbium *non habuit: sed hoc tantum modo*, exemplum duarum fuit: *ex quo facile videri potest, scriptum fuisse usitato compendio* exemplum dñarum fuit: *id est, exemplum dominarum fuit. Potuit enim ceteras dominas exemplo suo admonere, ne saeuitiam & crudelitatem in seruos exercerent.*

16 Cluentius praetor Marsorum] *Hic a Macrobio in vulgatis libris ita vocatur. Sed in vetere Macrobio probi & eruditi viri Herculis Ciofani* C. Vettius *dicitur. quod & verum puto.*

17 In publica crudelitate mitem] *Alij omnes*, item, *unius litterulae detractione venustatem sententiae corrumpentes.*

18 Exculptam,] *Liber vetus*, ectupam: *quo nihil rectius*. ἔκτυπον. XXVI.

19 Subscriptionem] *Ita plane legendum, non* proscriptionem. *Subscriptores qui dicerentur, e diuinatione Ciceronis & ex Asconio notum est.*

20 Seruus qui coenanti ad pedes steterat,] *De hac consuetudine dixi quaedam capite sexto libri decimisexti Variarum lectionum.* XXVII.

21 Id vt in se & filios suos recideret,] *De hac quoque dixi capite quarto libri duodecimi.*

22 Vbicunque defecit] *Alij partim* fecit *legebant, partim* fulcit. *Vtrumque inepte. Sed talia multa piget in censum deferre.* XXVIII.

LIBER QVARTVS.

EX omnibus quae tractauimus, Ebuci Liberalis, potest videri nihil tam necessarium, aut magis (vt ait Salustius) cum cura dicendum, quàm quod in manibus est: An beneficium dare, & inuicem gratiam referre, per se res expetendae sint. Inueniuntur qui honesta in mercedem colant, quibusque nõ placeat virtus gratuita: quae nihil habet in se magnificum, si quicquam habet venale. Quid enim est turpius, quàm aliquem computare, quanti vir bonus sit: [a] cum virtus nec lucro inuitetur, nec absterreatur damno, adeoque neminem spe ac pollicitatione corrumpat, [b] vt cuncta in se impendere iubeat, ac saepius [c] in vltro tributis sit? Calcatis vtilitatibus ad illam eundum est quocunque vocauit, quocunque misit, sine respectu rei familiaris, interdum etiam sine vlla sanguinis sui parsimonia vadendum, nec vnquam imperium eius detrectandum. Quid consequar, inquit, CAP. I.

si hoc fortiter, si hoc grate fecero? Quòd feceris. Nihil tibi extra promittitur: si qui forte obuenerit commodi, inter accessiones numerabis. Rerum honestarum pretium in ipsis est. Si honestum per se expetendum est, beneficium autem honestum est, non potest alia eius cōdicio esse, cum eadem natura sit. Per se autem expetendum esse honestum, saepe & abunde

II. probatum est. In hac parte nobis pugna est cum Epicureorum delicata & vmbratica turba, in conuiuio suo philosophantium, apud quos virtus voluptatum ministra est. Illis paret, illis deseruit, illas supra se videt. Non est, inquit, voluptas sine virtute. Sed quare ante virtutem est? De ordine putas [d] disputationem esse? de re tota, & de potestate eius ambigitur. Non est virtus, si sequi potest. Primae partes eius sunt. ducere debet, imperare, summo loco stare. Tu illam iubes signum petere? Quid, inquit, tua refert? Et ego sine virtute nego beatam vitam posse cōstare. Ipsam voluptatem, quam sequor, cui me mancipaui, remota illa, improbo & damno. De hoc vno disputatur, vtrum virtus summi boni causa sit, an ipsa summum bonum. Vt hoc vnum quaeratur, ordinis tantum existimas mutationem? Ista vero confusio est, & manifesta caecitas, primis postrema praeferre. Non indignor, quòd post voluptatem ponitur virtus, sed quòd omnino cum voluptate confertur. Contemptrix eius & hostis est, & longissime ab illa resiliens, labori ac dolori familiarior, vitilibus incommodis magis,

III. quàm isti effeminato bono inserenda. Haec, mi Liberalis, dicenda fuerunt, quia beneficium (de quo nunc agitur) dare, virtutis est, & turpissimum id causa vllius alterius rei dare, quàm vt datum sit. Nam si recipiendi spe tribueremus, locupletissimo cuique, non dignissimo, daremus. Nunc vero diuiti importuno pauperem praeferimus. Non est beneficiū quod fortunam spectat. Praeterea si vt prodessemus, sola nos inuitaret vtilitas, minime beneficia distribuere deberent, qui facillime possent, locupletes, & potentes, & reges, aliena ope non indigentes. Dij vero tot munera, quae sine intermissione diebus ac noctibus fundunt, non darent. In omnia enim illis natura sua sufficit, plenosque & tutos, & inuiolabiles praestat. Nulli ergo beneficium dabunt, si vna dandi causa est, se intueri ac commodum suum. Istud non est beneficium, sed fenus: circumspicere, non vbi optime ponas, sed vbi quaestuosissime habeas, vnde facillime tollas. Quod cum longe a diis remotum sit, sequitur vt liberales sint. Nam [e] si vna beneficij dandi causa sit vtilitas, nulla autem ex nobis vtilitas deo sperāda

IIII. est, nulla deo dandi beneficij causa est. Scio quid hoc loco respondeatur. [f] Vtique non dat Deus beneficia, sed securus & negligēs nostri, auersus a mūdo, aliud agit, aut (quae maxima Epicuro felicitas videtur) nihil agit, nec magis illum beneficia, quàm iniuriae tangunt. Hoc qui dicit, non exaudit precantium voces, & vndique sublatis in caelum manibus [g] vota facientium priuata ac publica. Quod profecto non fieret, nec in hunc furorem omnes mortales consensissent alloquendi surda numina, & inefficaces deos, [h] nisi nossent illorum beneficia nunc vltro oblata, nunc orantibus data, magna, tempestiua, ingentes minas interuentu suo soluentia. [i] Quis est itaque tam miser, tam neglectus, quis tam duro fato, & in poenam genitus, vt non tantam deorum munificentiam senserit? Ipsos illos complorantes sortem suam, & querulos circumspice. inuenies non ex toto beneficiorum caelestium expertes: neminem esse ad quem non aliquid ex illo benignissimo fonte manauerit. [h] Parum autem id quod nascentibus ex aequo distribuitur? Vt quae sequuntur inaequali dispensata

V. mensura transeamus, parum dedit natura, cum se dedit? Non dat Deus beneficia. Vnde ergo ista quae possides? quae das? quae negas? quae seruas? quae rapis? Vnde haec innumerabilia, oculos, aureis, & animum mulcentia? Vnde illa luxuriam quoque instruens copia? Neque enim necessitatibus tantummodo nostris prouisum est. [l] vsque in delicias [k] amamur. Tot arbusta, non vno modo frugifera, tot herbae salutares, tot varietates ciborum, per totum annum digestae, vt inerti quoque fortuita terrae alimenta praeberent. Iam animalia omnis generis, alia in sicco solidoque, alia in humido innascentia, alia per sublime dimissa, vt omnis rerum naturae pars tributum aliquod nobis conferret. Flumina haec amoenissimis flexibus campos cingentia, [m] illa praebitura commerciis viam, vasto & nauigabili cursu vadentia: ex quibus quaedam [n] statis diebus mirabile incrementum trahunt, [o] vt anhela & feruenti subiecta coelo loca subita vis aestiui torrentis irriget. Quid medicatorum torrentium venae? Quid in ipsis littoribus aquarum calentium exundatio?

---Te Lari maxime, teque
Fluctibus, & fremitu assurgens Benace marino.

VI. Si pauca quis tibi donasset iugera, accepisse te diceres beneficium, immensa terrarum late patentium spatia negas esse beneficium? Si pecuniam tibi aliquis donauerit, & arcam tuam (quoniam id tibi magnum videtur) impleuerit, beneficium vocabis. tot metalla defodit, tot flumina emisit [p] in aëra, super quae decurrunt sola aurum vehentia, argenti, aeris,

aeris,ferri immane pondus omnibus locis obrutum, cuius inuestigandi tibi facultatem dedit, ac latentium diuitiarum in summa terra signa disposuit. negas te accepisse beneficium? Si domus tibi donetur, in qua marmoris aliquid resplendeat, & tectum nitidius, auro, aut coloribus sparsum, num mediocre munus vocabis? Ingens tibi domiciliũ sine vllo incendij aut ruinae metu struxit,in quo vides non tenues crustas, & ipsa qua secantur lamina graciliores, sed integras lapidis pretiosissimi moles, sed totas, variae distinctaeque materiae, cuius tu paruula frusta miraris, tectum vero aliter nocte,aliter interdiu fulgens.negas te vllum munus accepisse? Et cũ ista quae habes magno aestimes, quod est ingrati hominis,nulli debere te iudicas? Vnde tibi istum quem trahis spiritum? Vnde istam, per quã actus vitae tuae disponis,atque ordinas,lucem? Vnde sanguinem, cuius cursu vitalis continetur calor? Vnde ista palatum tuum saporibus exquisitis vltra satietatem lacessentia? Vnde haec irritamenta iam lassae voluptatis? Vnde ista quies, in qua putrescis, ac marces? Nonne si gratus es, dices,

---Deus nobis haec otia fecit:
Namque erit ille mihi semper Deus. illius aram
Saepe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boues,vt cernis,& ipsum
Ludere quae vellem,calamo permisit agresti.

ᵗIlle Deus est, non qui paucas boues,sed qui per totum orbem armenta dimisit, qui gregibus vbique passim vagantibus pabulum praestat, qui pascua hibernis aestiua substituit, qui non calamo tantum cantare, & agreste atque inconditum carmen ad aliquam tantum oblectationem modulari docuit,sed tot artes, tot vocum varietates, tot sonos, alios spiritu nostro, alios externo cantus edituros commentus est. Neque enim nostra ista quae inuenimus dixeris,non magis,quàm quòd crescimus,quàm quòd ad constitutum tempus sua corpori officia respondent. Nunc puerilium dentium lapsus, nunc ad surgentem iam aetatem, & in robustiorem gradum transeuntem pubertas, & vltimus ille dies fugienti vitae terminũ ponens. Insita sunt nobis omnium aetatum, omniumque artium semina, magisterque ex occulto Deus producit ingenia. Natura, inquit, haec mihi praestat. Nõ intelligis te,cum VII.
hoc dicis,mutare nomen Deo. Quid enim aliud est natura,quàm Deus,& diuina ratio,toti mundo & partibus eius inserta? Quoties voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum nostrarum compellare. & Iouem illum optimum ac maximum rite dices, & tonantem,& statorem: qui non (vt historici tradiderunt) ex eo quòd post votum susceptum, acies Romanorum fugientium stetit, sed quòd stant beneficio eius omnia, stator, statilioque est: hunc eundemque & fatum si dixeris,non mentieris. Nam cum fatum nihil aliud sit, quàm series implexa causarum,ille est prima omnium causa,ex qua ceterae pendent.Quaecunque voles illi nomina proprie aptabis, vim aliquam ᵘ effectumque caelestem continentia. Tot appellationes eius possunt esse, quot munera. Hunc & Liberum patrem, & Herculem, ac VIII.
Mercurium nostri putant. Liberum patrem: quia omnium parens sit, quòd ab eo primum inuenta seminum vis est, consultura per voluptatem. Herculem: quia vis eius inuicta sit, quumque lassata fuerit operibus editis,in ignem recessura. Mercurium: quia ratio penes illum est, numerusque,& ordo, & scientia.Quocunque te flexeris,ibi illum videbis occurrentem tibi.Nihil ab illo vacat. Opus suum ipse implet. Ergo nihil agis ingratissime mortaliũ, qui te negas Deo debere, sed naturae. Quia nec natura sine Deo est, nec Deus sine natura: sed idem est vtrumque,ˣ nec distat. Officium si quod a Seneca accepisses,Annaeo te diceres debere,vel Lucio,non creditorem mutares,sed nomen. Quoniam siue praenomen eius,siue nomen dixisses,siue cognomen, idem tamen ille esset. Sic hunc naturam voca,fatum,ʸ fortunamque.omnia eiusdem Dei nomina sunt,varie vtentis sua potestate.Et iustitia,probitas, prudentia,fortitudo, frugalitas,vnius animi bona sunt. Quicquid horum tibi placuit, animus placet. ᶻ Sed ne in aliam disputationem ex obliquo abeam, plurima beneficia ac IX.
maxima in nos Deus confert sine spe recipiendi. Quoniam nec ille collato eget, nec nos ei quicquam conferre possumus. Ergo beneficium per se expetenda res est.vna spectatur in eo accipientis vtilitas. Ad hanc accedamus,sepositis commodis nostris. Dicis, inquit,diligenter eligendos ᵃ quibus beneficia demus: quia ne agricolae quidem semina arenis committunt. Nostram vtilitatem in beneficiis dandis sequimur, quemadmodum in arando serendoque. Neque enim serere per se res expetenda est.ᵇ Praeterea quaeritis cui dandum sit beneficium: quod non esset faciendum, si per se beneficium dare, expetenda res esset. ᶜ quocunque loco, & quocunque modo daretur,beneficium erat. Honestum propter nullam aliã causam, quam ᵈ propter ipsum sequimur. Tamen etsi nihil aliud sequendum est, quaerimus

quid faciamus, & quando, & quemadmodum: per haec enim constat. Itaque cum eligo cui dem beneficium, id ago, vt beneficium sit. Quia si turpi datur, nec honestum esse potest,

X. nec beneficium. Depositum reddere, per se res expetenda est: non tamen semper reddam, nec quolibet loco, nec quolibet tempore. Aliquando nihil interest, [5] vtrum infitier, an palam reddam. Intuebor vtilitatem eius, cui redditurus sum, & nociturum illi depositū negabo. Idem in beneficio faciam. Videbo quādo dem, cui dem, quemadmodum, quare. Nihil enim sine ratione faciēdum est. Non est autem beneficium, nisi quod ratione datur: quoniam ratio, omnis honesti comes est. Quàm saepe hominum, donationem suam inconsultam obiurgantium, hanc audimus vocem, Mallem perdidisse, quàm illi dedisse? [c] Turpissimum genus damni est inconsulta donatio: multoque grauius male dedisse beneficium, quā non recepisse. Aliena enim culpa est, quòd non recepimus: quòd cui daremus, non elegimus, nostra. In electione nihil minus, [7] quàm hoc quod existimas, spectabo, a quo recepturus sim. Eligo enim eum qui gratus, non qui redditurus sit. Saepe autem & non redditurus, gratus est; [a] & ingratus, qui reddidit. Ad animum tendit aestimatio mea. Ideo locupletem, sed indignum praeteribo: pauperi viro bono dabo. Erit enim in summa inopia gratus: & cū omnia illi deerunt, supererit animus. Non lucrum ex beneficio capto, non voluptatem, non gloriam. Vni placere contentus, in hoc dabo, vt quod oportet faciam. Quod oportet au-

XI. tem, non est sine electione: quae qualis futura sit, interrogas? Eligam virum integrum, simplicem, memorem, gratum, alieni abstinentem, [a] sui non auarum, non tenacem, beneuolum. [b] Hunc vero cum elegero, licet nihil illi fortuna tribuat, quo referre gratiam possit, ex sententia res gesta erit. Si vtilitas me & sordida computatio liberalem facit, si nulli prosum, nisi vt inuicem ille mihi prosit, non dabo beneficium proficiscenti in diuersas longinquasque regiones, non dabo absuturo semper, non dabo sic affecto, vt spes ei nulla sit conualescendi, non dabo ipse deficiens. Non enim habeo tempus recipiendi. Atqui vt scias, rem per se expetendam esse, benefacere, aduenis modo in nostrum delatis portum, & statim abituris succurrimus. Ignoto naufrago nauem qua reuehatur, & damus & instruimus. Discedit ille, vix satis noto salutis auctore, & nunquam amplius in conspectum nostrum reuersurus, debitores nobis deos delegat, precaturque vt illi pro se gratiam referant. Interim nos iuuat sterilis beneficij conscientia. Quid cum in ipso vitae fine constituti sumus, cum testamentum ordinamus, non beneficia nobis nihil profutura diuidimus? Quantum temporis consumitur, quamdiu secreto agitur, quantum & quibus demus? Quid enim interest, quibus demus a nullo recepturi? Atqui nunquam diligentius damus, nunquam magis iudicia nostra torquemus, quàm vbi remotis vtilitatibus, solum ante oculos honestum stetit, tamdiu officiorum mali iudices, quamdiu illa deprauat spes ac metus, ac incertissimum vitium, voluptas. Vbi mors interclusit omnia, & ad ferendam sententiam incorruptum iudicem misit, quaerimus dignissimos, quibus nostra tradamus. Nec quicquam cu-

XII. ra sanctiore componimus, quàm quod ad nos non pertinet. Et mehercule tunc magna voluptas subit cogitantem, Hunc ego locupletiorem faciam: huius dignitati adiectis opibus aliquid splendoris affundam. Si non damus beneficia, nisi recepturi, intestatis moriendum sit. Dicitis, inquit, beneficium, creditum insolubile esse. creditum autem non est res per se expetenda. Cum creditum dicimus, imagine & translatione vtimur. [7] Sic enim & legem dicimus iusti iniustique regulam esse: & regula non est res per se expetenda. Ad haec verba demonstrandae rei causa descendimus. Cum dico creditum, intelligitur tanquam creditum. Vis scire? adijcio insolubile, cum creditum nullum non solui aut possit, aut debeat. Adeo beneficium vtilitatis causa dandum non est, vt saepe, quemadmodum dixi, cum damno ac periculo dandum sit. [c] Sic latronibus circumuentum defendo, vt tuto transire permittatur: reum gratia laborantem tueor, & hominum potentium factionem in me conuerto, quas illi detraxero sordes, sub accusatoribus iisdem fortasse sumpturus, cum abire in partem alteram possim, & securus spectare aliena certamina: spondeo pro iudicato, & [8] suspensum amici bonis libellum deijcio, creditoribus eius me obligaturus: vt possim seruare proscriptum, ipse proscriptionis periculum adeo. [d] Nemo Tusculanum aut Tiburtinum emere paratus, salubritatis causa, & aestiui secessus, quoto anno emptutus sit disputat: cum emerit, tuendum est. Eadem in beneficijs ratio est. Nam cum interrogaueris, quid reddat, respondebo, bonam conscientiam. Quid reddit beneficium? Dic tu mihi, quid reddat iustitia, quid innocentia, quid magnitudo animi, quid pudicitia,

XIII. quid temperantia, si quicquam praeter ipsas petis. Mundus in quid incessum absoluit? in quid sol diem extendit & contrahit? Omnia ista beneficia sunt: fiunt enim nobis profutura. Quomodo mundi officium est, circumagere rerum ordinem, quomodo solis loca

loca mutare, ex quibus oriatur, in quae cadat, & haec salutaria nobis facere sine praemio:
ita viri officium est inter alia, & beneficium dare. Quare ergo dat? Ne non det, ne occasio-
nem benefaciendi perdat. Vobis volnptas est, [e] inerti otio assuefacere corpusculum, & se-
curitatem soporis simillimam appetere, & sub densa vmbra latitare, tenerrimisque cogita-
tionibus, quas tranquillitatem vocatis, animi marcentis oblectare torporem, & cibis potio-
nibusque intra hortorum latebras corpora ignauia pallentia saginare: [f] nobis voluptas est,
dare beneficia vel laboriosa, dum aliorum labores leuent: vel periculosa, dum alios a peri-
culis extrahant: vel rationes nostras aggrauatura, dum aliorum necessitates & angustias la-
xent. Quid mea interest, an recipiam beneficia? Etiam cum recepero, danda sunt. Benefi-
cium, eius commodum spectat cui praestatur, non nostrum: [g] alioquin nobis, non illi, da-
mus. Itaque multa quae summam vtilitatem aliis afferunt, pretio gratiam perdunt. Merca-
tor vrbibus prodest, medicus aegris, mango venalibus: sed omnes isti quia ad alienum com-
modum pro suo veniunt, non obligant eos quibus prosunt. Non est beneficium quod XIIII.
in quaestum mittitur. Hoc dabo, hoc recipiam, auctio est. Non dicam pudicam, quae ama-
torem vt incenderet repulit: quae aut legem, aut virum timuit, vt ait Ouidius:

Quae quia non licuit, non dedit, illa dedit.

Non immerito in numerum peccantium refertur, quae pudicitiam timori praestitit, non si-
bi. Eodem modo qui beneficium vt reciperet dedit, non dedit. Ergo & nos beneficium da-
mus animalibus, quae aut vsui, aut alimento futura nutrimus? beneficium damus arbustis
quae colimus, ne siccitate, aut immoti & neglecti soli duritia laborent? Nemo ad agrum
colendum ex aequo & bono venit, nec ad vllam rem, cuius extra ipsam fructus est. Ad bene-
ficium dandum non adducit cogitatio auara, nec sordida, sed humana, liberalis, cupiens da-
re etiam cum dederit, & augere nouis ac recentibus vetera: & non habẽs propositum, quã-
to ei qui praestat bono futura sit: alioquin humile est, sine laude, sine gloria, prodesse, quia
expedit. Quid magnifici est, se amare, sibi parcere, sibi acquirere? Ab omnibus istis vera be-
neficij dandi cupido auocat. Ad detrimentum, [y] iniecta manu, trahit, & vtilitates relinquit,
ipso benefaciendi opere laetissima. Nunquid dubium est, quin contraria sit beneficio XVI.
iniuria? Quomodo iniuriam facere, per se vitanda ac fugienda res est: sic beneficium dare,
per se expetendum. Illic turpitudo contra omnia praemia in scelus hortantia valet: ad hoc
inuitat honesti per se efficax species. Non mentiar, si dixero, neminem non amare beneficia
sua, neminem non ita compositum animo, [10] vt libentius eum videat, in quem multa con-
gessit: cui non causa sit iterum dandi beneficij, semel dedisse. Quod non accideret, nisi nos
ipsa delectarent beneficia. Quàm saepe dicentem audias: Non sustineo illum deserere, cui
dedi vitam, quem e periculo eripui? Rogat me vt causam suam contra homines gratiosos a-
gam. Nolo: sed quid faciam? Iam illi semel, iterumque affui. Non vides inesse isti rei propriã
quandam vim, quae nos beneficia dare cogit? Primum quia oportet, deinde quia dedimus.
Cui initio ratio non fuisset praestandi, aliquid ei praestamus ob hoc, quia praestitimus. Ad-
eoque nos ad beneficia non impellit vtilitas, vt & inutilia tueri ac fouere perseueremus,
sola beneficij caritate: cui etiam infeliciter dato, indulgere, [h] tam naturale, quàm liberis pra-
uis. Idem isti gratiam referre ipsos fatentur, non quia honestum est, sed quia vtile. quod XVII.
non esse ita, minore opera probandum est. Quia quibus argumentis collegimus, beneficium
dare, per se rem expetendam esse, [i] iisdem etiam hoc colligemus. Fixum est illud, a quo in
cetera probationes nostrae exeunt, honestum ob nullam aliam causam, quàm quia honestũ
sit, coli. Quis ergo controuersiam facere audebit, an gratum esse, honestum sit? Quis nõ in-
gratum detestetur hominem, sibi ipsi inutilem? Quid autem cum tibi narratur de eo, qui ad-
uersus summa beneficia amici sui ingratus est, [k] quomodo id feres? vtrum tanquam rem tur-
pem fecerit, an tanquam vtilem rem sibi [l] & profuturam omiserit? Puto, nequam hominem
existimas: cui poena, non cui curatore opus sit. Quod non accideret, nisi gratum esse, per se
expetendum, honestumque esset. Alia fortasse minus dignitatem suam praeferunt, & an sint
honesta, interprete egent: hoc expositum est, pulchriusque, quàm vt splendor eius dubie ac
parum luceat. Quid tam laudabile, quid tam aequaliter in omnium animos receptum, quàm
referre bene meritis gratiam? Ad hoc, dic mihi, quae causa nos perducit? Lucrũ? quod XVIII.
qui non contemnit, ingratus est. Ambitio? Et quae iactatio est soluisse, qnod debebas? Me-
tus? nullns ingrato. Huic enim vni rei non posuimus legem, tanquam satis natura cauisset.
quomodo nulla lex amare parẽtes, indulgere liberis iubet. [11] [m] Superuacuũ est enim, qno na-
tura imus, impelli. Quemadmodum nemo in amorem sui cohortandus est, quem cum na-
scitur trahit: ita ne ad hoc quidem, vt honesta per se petat. [n] Placet suapte natura: adeoque
gratiosa virtus est, vt insitum sit etiam malis, probare meliora. Quis est, qui non beneficus

videri velit?qui non inter scelera & iniurias opinionem bonitatis affectet?qui non ipsis quae
impotentissime fecit, [o] speciem aliquam induat recti? velit quoque ijs videri beneficium
dedisse,quos laesit? Gratias itaque agi sibi ab his quos afflixere, patiuntur: bonosque se ac
liberales fingunt,quia praestare non possunt. Quod non facerent, nisi illos honesti & per se
expetendi amor cogeret moribus suis opinionem contrariam quaerere, & nequitiam ab-
dere, cuius fructus concupiscitur,ipsa vero odio pudorique est:nec quisquam tantum a na-
turali lege desciuit, & hominem exuit,[p] vt animi causa malus sit. [q] Dic ergo cuilibet ex istis
qui[s] rapto viuunt,an ad illa quae latrocinijs & furtis cõsequuntur, malint ratione bona per-
uenire? Optabit ille, cui grassari, & transeuntes percutere quaestus est, potius illa inuenire,
quàm eripere. Neminem reperies, qui non nequitiae praemijs sine nequitia frui malit. Ma-
ximum hoc habemus naturae meritum, quòd virtus in omnium animos lumen suum prae-
XVIII. mittit. etiam qui non sequuntur illam, vident. Vt scias, per se expetendam esse grati
animi affectionem, per se fugienda res est ingratum esse: quoniam nihil aeque concordiam
humani generis dissociat ac distrahit, quàm hoc vitium. Nam quo alio tuti sumus, quàm
quòd mutuis iuuamur officiis? Hoc vno instructior vita,contraque incursiones subitas mu-
nitior est beneficiorum commercio. Fac nos singulos: quid sumus? praeda animalium &
victimae, ac [12] vilissimus & facillimus sanguis: Quoniam ceteris animalibus in tutelam sui
satis virium est: quaecunque vaga nascuntur, & actura vitam segregem, armara sunt. Ho-
minem imbecillitas cingit:non vnguium vis,non dentium, terribilem ceteris fecit.Nudum
& infirmum societas munit.Duas res dedit,[r] quae illum obnoxium ceteris, validissimum fa-
cerent, rationem & societatem. Itaque qui par esse nulli posset, si diduceretur, rerum poti-
tur. Societas illi dominium omnium animalium dedit. [s] Societas terris genitum, in alienae
naturae transmisit imperium,& dominari etiam in mari iussit. Haec morborum impetus ar-
cuit, senectuti adminicula prospexir, solatia contra dolores dedit. Haec fortes nos facit,
quòd licet contra fortunam aduocare.Hanc tolle,& vnitatem generis humani,qua vita sus-
tinetur, scindes. Tolletur autem, si efficies, vt ingratus animus non per se vitandus sit,[t] sed
quia aliud illi timendum est. Quàm multi sunt enim,quibus ingratis esse tuto licet?Denique
XIX. ingratum voco,quisquis metu gratus est. Deos nemo sanus timet. Furor est enim me-
tuere salutaria. Nec quisquam amat quos timet. Tu denique Epicure Deum inermem facis.
Omnia illi tela,omnem detraxisti potentiam,& ne cuiquam metuendus esset, [13] [v] proiecisti
ipsum extra mundum. Hunc igitur septum ingenti quodam & inexplicabili muro,diuisum-
que a contactu & a conspectu mortalium,non habes quare verearis. nulla illi nec tribuendi,
nec nocendi materia est. In medio interuallo huius & alterius caeli desertus,sine animali,si-
ne homine, sine re,ruinas mundorum supra se circaque se cadentium euitat, non exaudiens
vota,nec nostri curiosus. Atqui hunc vis videri colere, non aliter quàm parentem: grato,vt
opinor,animo:aut si non vis videri gratus,quia nullum habes illius beneficium,sed te atomi
& istae micae tuae forte ac temere conglobauerunt, cur colis? Propter maiestatem, inquis,
eius eximiam,singularemque naturam. Vt concedam tibi: nempe hoc facis nulla spe, nullo
pretio inductus.[14] Est aliquid per se expetendum, cuius te ipsa dignitas ducit. Id est hone-
stum. Quid est autem honestius, quàm gratum esse? Huius virtutis materia tam late patet,
XX. quàm vita. Sed inest, inquit, huic bono etiam vtilitas aliqua. cui enim virtuti non in-
est? sed id propter se expeti dicitur,quod quamuis habeat aliqua extra se commoda, sepoli-
tis quoque illis ac remotis placet. Prodest gratum esse:ero tamẽ gratus,etiam si noceat. Qui
gratus est,quid sequitur? Vt haec res illi alios amicos, alia beneficia conciliet? Quid ergo si
quis sibi offensas concitaturus est? Si quis intelligit,adeo per hoc se nihil consecuturum, vt
multa etiam [x] ex reposito acquisitoque perdenda sint,num libens in detrimenta descendet?
Ingratus est,qui in referenda gratia secundum datum videt, qui sperat cum reddit. Ingratũ
voco,qui aegro assidet, quia testamentum facturus est, cui de hereditate, aut de legato va-
cat cogitare. Faciat licet omnia,quae facere bonus amicus & memor officij debet, si animo
eius obuersatur spes,si captator est,& hamum iacit: vt aues quae laceratione corporum alũ-
tur,[y] lassa morbo pecora,& casura e proximo speculantur,ita hic imminet morti,& circa ca-
XXI. dauer volat. Gratus animus ipsa virtute propositi sui capitur. Vis scire hoc ita esse, nec
illum vtilitate corrumpi? Duo sunt genera grati hominis. Dicitur gratus,qui aliquid pro eo
quod acceperat, reddit. Hic fortasse ostentare se potest: habet quod iactet,quod proferat.
Dicitur gratus, qui bono animo accepit beneficium, [z] bono debet. [a] Hic intra conscientiá
occlusus est. Quae illi contingere potest vtilitas ex affectu latenti? [b] Atqui hic etiam si vltra
facere nil potest,gratus est: amat,debet,referre gratiam cupit. Quicquid vltra desideras,nõ
ipsi deest. Artifex est etiam,cui ad exercendam artem instrumenta non suppetunt. Nec mi-
nu

nus canendi peritus, cuius vocem exaudiri fremitus obstrepentium non finit. Volo referre gratiam. post hoc aliquid superest, non vt gratus, sed vt solutus sim. Saepe enim & qui gratiam retulit, ingratus est: & qui non retulit, gratus. Nam vt omnium aliarum virturum, ita huius ad animum tota aestimatio redit. Hic si in officio est, [c] quicquid defuit, fortuna peccat. Quomodo est disertus etiam qui tacet, fortis etiam qui compressis manibus, vel etiam alligatis: quomodo gubernator etiam qui in sicco est, quia consummatae scientiae nihil deest, etiam si quid obstat quo minus se vtatur: ita gratus est, etiam qui vult tantum, nec habet huius voluntatis suae vllum alium, quàm se testem. Immo amplius adiiciam. Est aliquãdo gratus, etiam qui ingratus videtur, quem mala interpres opinio in contrarium [d] traducit. Hic quid aliud sequitur, quàm ipsam conscientiam? quae etiam obtuta delectat, quae contioni ac famae reclamat, & in se omnia reponit, & cum ingẽtem ex altera parte turbam contra sentientium aspexit, non numerat suffragia, sed vna sententia vincit. Si vero bonam fidem perfidiae suppliciis affici videt, non descendit e fastigio, sed supra poenam suam consistit. Habeo, inquit, quod volui, quod petij. Non paenitet, nec paenitebit, nec vlla ini- XXII.
quitate me eo fortuna perducet, vt hanc vocem audiam, Quid mihi volui? quid mihi nunc prodest bona voluntas? Prodest & in equuleo, prodest & in igne. qui si singulis membris admoueatur, & paulatim viuum corpus circumeat: [e] licet ipsum corpus plenum bona conscientia stillet, placebit illi ignis; [f] per quem bona fides collucebit. [g] Nunc quoque illud argumentum, quamuis dictum iam, reducatur. Quid est quare grati velimus esse, cum morimur? quare singulorum perpendamus officia? quare id agamus in omnem vitam nostram memoria decurrente, ne cuius officij videamur obliti? Nihil iam superest, quò spes porrigatur. in illo tamen cardine positi, abire e rebus humanis quàm gratissimi volumus. Est videlicet magna in ipso opere merces rei, & ad alliciendas mentes hominum ingens honesti potentia: cuius pulchritudo animos circunfundit, & delinitos admiratione luminis ac fulgoris sui rapit. At multa hinc commoda oriuntur. [14] Et tutior est vita melioribus, & securior innocentia, quam grata mens prosequitur. Fuisset enim iniquissima rerum natura, si hoc tãtum bonum miserum, & anceps, & sterile fecisset. Sed illud intuere, an ad istam virtutem, [h] quae saepe tuto ac facili aditur, etiam per saxa, & rupes, & feris ac serpentibus obsessum iter, fueris iturus. Non ideo per se non est expetendum, cui aliquid extra quoque emo- XXIII.
lumenti adhaeret. Fere enim pulcherrima quaeque multis & aduẽticiis comitata sunt dotibus: sed illas trahunt, ipsa praecedunt. [i] Num dubium est, quin hoc humani generis domicilium, circuitus solis ac lunae, vicibus suis temperet? quin alterius calore alantur corpora, terrae relaxentur, immodici humores comprimantur, alligantis omnia hiemis tristitia frangatur: alterius tepore efficaci & penetrabili rigetur maturitas frugum? quin ad huius cursum fecunditas humana respondeat? quin ille annum obseruabilem fecerit circumactu suo, haec mensem, [k] minoribus se spatiis flectens? Vt tamen detrahas ista, non erat ipse sol idoneum oculis spectaculum, dignusque adorari, si tantum praeteriret? Non erat digna suspectu luna, etiam si otiosum sidus transcurreret? Ipse mundus quoties per noctem ignes suos fudit, & tantum stellarum innumerabilium refulsit, quem non intentum in se tenet? Quis sibi illa, cum miratur, prodesse cogitat? [l] Aspice ista tacito superne caelo labentia, quemadmodum velocitatem suam sub specie stantis atque immoti operis abscondant. Quantum ista nocte, quam tu [m] in numerum ac discrimen demum obseruas, agitur? Quanta rerum turba sub hoc silentio euoluitur? quantam fatorum seriem [n] certus limes adducit? Ista quae tu non aliter, quàm in decorem sparsa consideras, singula in opere sunt. Nec enim est, quòd existimes septem sola discurrere, cetera haerere. Paucorum motus comprehendimus: innumerabiles vero, longiusque a conspectu nostro seducti dij, eunt, redeuntque. Et ex his qui oculos nostros patiuntur, plerique obscuro gradu pergunt, & per occultum aguntur. Quid ergo? non caperis tantae molis aspectu, etiam si te non regat, non custodiat, non foueat, generetque, ac spiritu suo riget? Quemadmodum haec cum primum vsum habeant, XXIIII.
[o] & necessaria vitaliaque sint, maiestas tamen eorum totam mentem occupat: [p] ita omnis virtus, & in primis illa grati animi, multum quidem praestat, sed non vult ob hoc diligi: amplius quiddam in se habet, nec satis ab eo intelligitur, a quo inter vtilia numeratur. Gratus est, quia expedit: ergo & quantum expedit. Non recipit sordidum virtus amatorem. Soluto ad illam sinu veniendum est. Ingratus hoc cogitat: Volebam gratiam referre, sed timeo impensas, timeo periculum, vereor offensam: faciam potius, quod expedit. Non potest eadem ratio & gratum facere, & ingratum. Vt diuersa illorum opera, ita inter se diuersa proposita sunt. Ille ingratus est, quamuis non oporteat, quia expedit. Hic gratus est, quamuis non expediat, quia oportet. Propositum est nobis secundum rerum naturam viuere, XXV.

& deorum exemplum sequi. Dij autem quodcunque faciunt, in eo[q] nihil praeter ipsam faciendi rationem sequuntur: nisi forte existimas illos fructum operum suorum ex fumo extorum, & turis odore percipere. Vide quanta quotidie moliantur, quanta distribuant, quantis terras fructibus impleant, quàm opportunis & in omnes oras ferētibus ventis maria permoueant, quantis imbribus repente deiectis solum molliant, venasque fontium arentes redintegrent, & infuso per occulta nutrimento renouent. Omnia ista sine mercede, sine vllo ad ipsos perueniente commodo faciunt. Haec quoque nostra ratio, si ab exemplari suo non aberrat, seruet, ne ad res honestas conducta veniat. Pudeat vllum venale esse beneficium. Gratuitos habemus deos. Si deos, inquit, imitaris, da & ingratis beneficia. Nam & sceleratis sol oritur, & piratis patent maria.

XXVI. Hoc loco interrogant, an vir bonus daturus sit beneficium ingrato, sciens ingratum esse. Permitte mihi aliquid interloqui, ne interrogatione insidiosa capiamur. Duos ex constitutione Stoica accipe ingratos. [r] Alter ingratus, quia stultus est. Stultus, etiam malus est. qui malus est, nullo vitio caret. Ergo & ingratus est. Sic omnes malos dicimus, intemperantes, auaros, luxuriosos, malignos: non quia ista omnia singulis magna & nota vitia sint, sed quia esse possint: & sunt, etiamsi latent. Alter est ingratus, qui a vulgo dicitur, [s] in hoc vitium natura propensus. Illi ingrato, [t] qui sic hac culpa non caret, quomodo nulla caret, dabit beneficium vir bonus. Nulli enim dare poterit, si tales homines submouerit. Huic ingrato [v] qui beneficiorum fraudator est, & in hanc partem procubuit animo, non magis dabit beneficium, quàm captatori. Quis decoctori pecuniam credet, aut depositum committet ei qui iam pluribus abnegauit? Timidus dicitur aliquis, quia stultus est: [u] & hoc quidem malos sequitur, quos indiscreta & vniuersa vitia circumstant. Dicitur timidus proprie natura, etiam ad inanes sonos pauidus. Stultus omnia vitia habet, sed non in omnia natura pronus est. Alius in auaritiam, alius in luxuriam, alius in petulantiam inclinat.

XXVII. Itaque errant illi, qui interrogant Stoicos: Quid ergo? Achilles timidus est? Quid ergo? Aristides, cui iustitia nomen dedit, iniustus est? Quid ergo? Et Fabius, qui cunctando restituit rem, temerarius est? Quid ergo? Decius mortem timet? Mucius proditor est? Camillus desertor? Non hoc dicimus, sic omnia vitia esse in omnibus, quomodo in quibusdam singula eminent: sed malum ac stultum nullo vitio vacare. nec audacem quidem timoris absoluimus: ne prodigum quidem auaritia liberamus. Quomodo homo omnes sensus habet, nec ideo tamen omnes homines aciem habent Lynceo similem: sic qui stultus est, [x] non tam acria & concitata habet omnia, quàm quidam quaedam. Omnia in omnibus vitia sunt: sed non omnia in singulis extant. Hunc natura ad auaritiam impellit: hic libidini, hic vino deditus est: aut si nondum deditus, ita formatus, vt in hoc illum mores sui ferant. Itaque vt ad propositum reuertar, nemo non ingratus est, qui malus est. Habet enim omnia nequitiae semina. Tamen proprie ingratus appellatur, qui ad hoc vitium vergit. Huic ergo beneficium non dabo. Quomodo male filiae consulit, qui illam contumelioso & saepe repudiato collocauit: quomodo malus paterfamilias habebitur, qui negotiorum gestorum damnato, patrimonij sui curam mandauerit: quomodo dementissime testabitur, qui tutorem filio reliquerit, pupillorum spoliatorem: sic pessime beneficia dare dicetur, quicunque ingratos eligit, in quos peritura conferat.

XXVIII. Dij quoque, inquit, multa ingratis tribuunt. Sed illa bonis parauerant. Contingunt autem etiam malis, quia separari non possunt. [y] Satius est autem, prodesse etiam malis propter bonos, quàm bonis deesse propter malos. Ita, quae refers, diem, solem, hiemis aestatisque cursus, [z] & media veris autumnique tempora, imbres, & fontium haustus, ventorum statos flatus pro vniuersis inuenerunt: excerpere singulos non potuerunt. Rex honores dignis dat, congiarium & indignis. Frumentum publicum tam fur quàm periurus & adulter accipiunt, &, sine delectu morum, [a] quisquis ciuis est. cum aliquid est, quod tanquam ciui, non tanquam bono datur, ex aequo boni ac mali ferunt. [b] Deus quoque quaedam in vniuersum humano generi dedit, a quibus excluditur nemo. Nec enim poterat fieri, vt ventus bonis viris secundus esset, contrarius malis. Commune autem bonum erat patere commercium maris, & regnum humani generis relaxari. Nec poterat lex casuris imbribus dici, ne in malorum improborumque rura defluerent. Quaedam in medio ponuntur. Tam bonis quàm malis conduntur vrbes. Monumenta ingeniorum, & ad indignos peruentura publicauit editio. [c] Medicina & sceleratis opem ministrat. Compositiones remediorum salutarium nemo suppressit: ne sanarentur indigni. In his exige censuram, & personarum aestimationem, quae separatum tanquam digno dantur, [d] non in his quae promiscue turbam admittunt. Multum enim refert, vtrum aliquem non excludas, an eligas. [e] Ius fori omnibus dicitur: pace etiam homicidae fruuntur: sua repetunt, etiam qui aliena rapuerunt.

Percussores

Percussores & domi ferrum exercentes murus ab hoste defendit. Legum praesidio qui plurimum in illas peccauerunt, proteguntur. [f] Quaedam non poterant certis contingere, nisi vniuersis darentur. Non est itaque quod de istis disputes, ad quae publice inuitati sumus. Illud quod iudicio meo ad aliquem peruenire debebit, ei quem ingratum sciam, non dabo.
Ergo, inquit, nec consilium deliberanti dabis ingrato, nec aquam haurire permittes, nec viā XXIX.
erranti monstrabis? An haec quidem facies, sed nihil donabis? Distinguam istud: certe tentabo distinguere. Beneficium est opera utilis: sed non omnis opera vtilis, beneficium est. Quaedam enim tam exigua sunt, vt beneficij nomen non occupent. Duae res coire debēt, quae beneficium efficiant. Primum, rei magnitudo. Quaedam enim sunt infra huius nominis mensuram. Quis beneficium dixit, quadram panis, aut stipem aeris abiecti, aut ignis accendendi factam potestatem? [g] Et interdum ista plus prosunt, quàm maxima. Sed tamen vilitas sua illis, etiam vbi tempore facta sunt necessaria, detrahit pretium. Deinde quod potissimum est, oportet accedat: vt eius causa faciam, ad quem volebam peruenire beneficium: dignumque eum iudicem: & libens id tribuam, percipiensque ex munere meo gaudium. Quorum nihil est in istis, de quibus loquebamur. Non enim tanquam dignis illa tribuimus, sed negligenter tanquam parua: & non homini damus, sed humanitati.
Aliquando XXX.
daturum me etiam indignis quaedam non negauerim, in honorem aliorum: sicut in petendis honoribus [h] quosdam turpissimos nobilitas industriis, sed nouis, praetulit. [i] Non sine ratione sacra est magnarum virtutum memoria: [k] & esse plures bonos iuuat, si gratia bonorum non cum ipsis cadat. [15] [l] Ciceronem filium quae res consulem fecit, nisi pater? Cinnam nuper quae res ad consulatum recepit ex hostium castris? Quae Sextum Pompeium, aliosque Pompeios, nisi vnius viri magnitudo? [m] tanta quidem, vt satis alte omnes suos etiam ruina eius attolleret. Quid nuper Fabium Persicum, [n] cuius osculum etiam impuri vitabant, sacerdotem non in vno collegio fecit, nisi Verrucosi, & Allobrogici, & illi treecenti, qui hostium incursioni pro rep. vnam domum obiecerant? Haec debemus virtutibus, vt non praesentes solum illas, sed etiam ablatas e conspectu colamus. [o] Quomodo illi iidem egerunt, vt non in vnam aetatem prodessent, sed beneficia sua etiam post ipsos relinquerent: ita & nos non vna aetate grati simus. Hic magnos viros genuit, dignus est beneficiis, qualiscunque est. dignos dedit. Hic egregiis maioribus ortus est: qualiscunque est, sub vmbra suorum lateat. Vt loca sordida repercussu solis illustrantur, ita inertes maiorum suorum luce resplendeant.
Excusare hoc loco, mi Liberalis, deos volo. Interdum enim solemus di- XXXI.
cere: Quid sibi voluit prouidentia, quae [16] Aridaeum regno imposuit? Illi putas hoc datū? patri eius datum est, & fratri. Quare C. Caesarem orbi terrarum praefecit, hominem humani sanguinis auidissimum, quem non aliter fluere in conspectu suo iubebat, quàm si ore excepturus esset? Quid? ergo tu illi hoc datum existimas? patri eius Germanico datum, datum auo, proauoque, & ante hos aliis non minus claris viris, etiam si priuati paresque aliis vitam exegerunt. Quid tu cum [17] Mamercum Scaurum Cos. faceres, ignorabas ancillarum suarum menstrunm ore illum hiante exceptare? Nunquid enim ipse dissimulabat? Nūquid purus videri volebat? [p] Referam dictum eius in se, quod circunferri memini, & ipso praesente laudari. [q] Pollioni Asinio iacenti, obscoeno verbo vsus, dixerat se facturum id quod pati malebat. & cum Pollionis attractiorem vidisset frontem: Quicquid, inquit, mali dixi, mihi & capiti meo. Hoc dictum suum ipse narrabat. Hominem tam palam obscoenum, ad fasces, & ad tribunal admisisti? Nempe dum veterem illum Scaurum senatus principem [r] cogitas, indigne fers sobolem eius iacere.
Deos videre est, vt alios indulgen- XXXII.
tius tractent, propter parentes auosque, alios propter futuram nepotum pronepotumque, ac longe sequentium posterorum indolem. Nota est enim illis operis sui series. omnium illis rerum per manus suas iturarum scientia in aperto semper est: nobis ex abdito subit. Et quae repentina putamus, illis prouisa veniunt ac familiaria. Sint hi reges, quia maiores eorum nō fuerunt, quia pro summo imperio habuerunt iustitiam, abstinentiam, quia non remp. sibi, sed se reip. dicauerunt. Regnent hi, quia vir bonus quidam proauus eorum fuit: [s] qui animum supra fortunam gessit, qui in dissensione ciuili, quoniam ita expediebat reip. vinci quàm vincere maluit. [t] Referri illi gratia tam longo spatio non potuit. In illius respectum iste populo praesideat: non quia scit aut potest, sed quia alius pro eo meruit. Hic corpore deformis est, aspectu foedus, & ornamenta sua traducturus. Iam me homines accusabunt, caecum & temerariū dicent, nescientem quo loco, quae summis ac excellentissimis debentur, ponam. At ego scio, [v] alij me istud dare, alij olim debitum soluere. Vnde isti norunt illū gloriae sequentis fugacissimum, eo vultu ad pericula euntem, quo alij ex periculo redeunt, numquam bonum suum a publico distinguentem? Vbi, inquis, iste, aut quis est? [18] Apud me istae expensorum

acceptorumque rationes dispunguntur. Ego quid cui debeam, scio. aliis post longam diem
XXXIII. repono, aliis in antecessum: prout occasio, & reip. meae vtilitas tulit. [6] Ingrato ergo aliquando quaedam, sed non propter ipsum dabo. Quid si, inquit, nescis, vtrum gratus sit, an ingratus? Expectabis donec scias, an dandi beneficij rempus non amittes? Expectare longum est. Nam (vt Plato air) difficilis humani animi coniectura est. Non expectare, temerarium est. Huic respondebimus, nunquam expectare nos certissimam rerum comprehensionem: quoniam in arduo est veri exploratio, sed ea ire, qua ducit veri similitudo. Omne hac via procedit officiũ. Sic serimus, sic nauigamus, sic militamus, sic vxores ducimus, sic liberos tollimus: cum omnium incertus sit euentus. Ad ea accedimus, de quibus bene sperandum esse credimus. Quis enim pollicetur serenti prouentum, nauiganti portum, militanti victoriam, mariro pudicam vxorem, patri pios liberos? Sequimur qua ratio, non qua veritas trahit. Expecta, vt nisi bene cessura non facias, & nisi comperta veritate nihil moueris. relicto omni actu vita consistit. Dum verisimilia me in hoc aut in illud impellant,
XXXIIII. non verebor beneficium dare ei quem verisimile erit gratum esse. Multa, inquit, interuenient, per quae & malus pro bono surrepat, & bonus pro malo displiceat. Fallaces enim sunt rerum species, quibus credimus. Quis negar? Sed nihil aliud inuenio, per quod cogitationem regam. His veritas mihi vestigiis sequenda est. Certiora non habeo. Haec vt quàm diligentissime aestimem, operam dabo, nec cito illis assentiar. Sic enim in proelio potest accidere, vt telum meum in commilitonem manus dirigat, aliquo errore decepta, & hosti, tanquam meo, parcam. Sed hoc & raro accidet, & non vitio meo: cui propositum est hostem ferire, ciuem defendere. Si sciam ingratum esse, non dabo beneficium. At obrepsit, at imposuit. Nulla hic culpa tribuentis est: quia tanquam grato dedi. Si promiseris, inquit, te daturum beneficium, & postea ingratum esse scieris, dabis, an non? Si facis sciens, peccas: das enim cui non debes. si negas, & hoc modo peccas: quia non das ei cui promisisti. [9] [*] Secta vestra hoc loco titubat, & illud superbum promissum, nunquam sapiẽtem facti sui paenitere, nec vnquam emendare quod fecerit, nec mutare consilium. Non mutat sapiens consilium, omnibus his manentibus quae erant, cum sumeret. Ideo nunquam illum paenitentia subit: quia nihil melius illo tempore fieri potuit, quàm quod factum est: nihil melius constirui, quàm quod constitutum est. Ceterum ad omnia cum exceptione veniet, si nihil inciderit quod impediat: ideo omnia illi succedere dicimus, & nihil contra opinionem accidere, quia praesumit animo, posse aliquid interuenire, quod destinata prohibeat. Imptudentium ista fiducia est, fortunam sibi spondere. Sapiens vtramque pattem eius cogitat. Scit quantum liceat errori, quàm incerta sint humana, quàm multa consiliis obstent. Ancipitem rerum ac lubricam sortem suspensus sequitur, consiliis certis incertos euentus. Exceptio autem, sine qua nihil destinar, nihil aggreditur, & hic illum tue-
XXXV. tur. Promisi beneficium, nisi si quid incidisset, quare non deberem dare. Quid enim si quod illi pollicitus sum, [7] patria sibi me dare iusserit? Si lex lata erit, ne id quisquam faciat, quod ego me amico meo facturum promiseram? Promisi tibi filiam in matrimonium. postea peregrinus apparuisti. [8] Non est mihi cum extraneo connubium. [10] Eadem lex me defendit, quae vetat. Tunc fidem fallam, tunc inconstantiae crimen audiam, si cum omnia eadem sint, quae erant promittente me, non praestitero promissum. Alioquin quicquid mutatur, libertatem facit de integro consulendi, & meam fidem liberat. Promisi aduocationem: postea apparuit per illam causam praeiudicium in pattem meum quaeri. Promisi me peregre vna exiturum: sed iter infestari latrociniis nuntiatur. In rem praesentem venturus fui: sed aeger filius, sed puerpera vxor tenet. Omnia esse debent eadem, quae fuerunt cum promitterem, vt promittentis fidem teneas. Quae autem maior fieri murario potest, quàm si te malum virum & ingratum comperi? Quod tanquam digno dabam, indigno negabo,
XXXVI. & irascendi quoque causam habebo deceptus. Inspiciam tamen, & quantum sit de quo agitur. Dabir mihi consilium promissae rei modus. Si exiguum est, dabo: non quia dignus es, sed quia promisi. Nec tanquam munus dabo, sed verba redimam, & [11] aurem mihi peruellam. Damno castigabo promittendi temeritarem. Ecce vt doleat, vt postea consideratius loquaris: quod dicere solemus; [12] [*] linguarium dabo. Si maius erit, non committam (quemadmodum Maecenas ait) vt centies obiurgandus sim. Inter sese enim vtrunque cõparabo. Est aliquid, in eo quod promiseris, perseuerare: est rursus multum in eo, ne indigno beneficium des. Hoc tamen quantum sit, attendendum. Si leue, conniueamus. Si vero magno mihi aut detrimento, aut rubori futurum, malo semel excusare, quare negauerim, quàm semper, quare dederim. Totum, inquam, in eo est, quanti promissi mei verba raxentur. Non tantum quod temere promisi, retinebo, sed quod non recte dedi, repetam. [13] Demens est, qui

perstat

perstat in errore. Philippus Macedonum rex habebat militem manu fortem, cuius in XXXVII.
multis expeditionibus vtilem expertus operam, subinde ex praeda aliquid illi virtutis cau-
sa donauerat, & hominem venalis animae crebris auctoramentis accendebat. Hic naufra-
gus in possessiones cuiusdam Macedonis expulsus est. Quod vt Macedoni illi nuntiatum est,
accurrit, spiritum eius recollegit, in villam illum suam transtulit, lectulo suo cessit, affectum
semianimemque recreauit, diebus triginta impensa sua curauit, refecit, viatico instruxit,
subinde dicentem: Gratiam tibi referam. videre tantum mihi imperatotem meum contin-
gat. Narrauit Philippo naufragium suum, auxilium tacuit, & protinus petiit, vt sibi praedia
cuiusdam donaret. Ille quidam erat hospes eius, is ipse, [b] a quo receptus erat, a quo sanatus.
Multa interim reges, in bello praesertim, opertis oculis donant. [c] Non sufficit homo iustus
vnus tot armatis cupiditatibus. Non potest quisquam eodem tempore & bonum virum, &
bonum ducem agere. Quomodo tot millia hominum insatiabilia satiabuntur? Quid habe-
bunt, si suū quisque habuerit? Hoc Philippus sibi dixit, cum illum induci in bona quae pete-
bat iussit. Expulsus bonis suis ille, non vt rusticus iniuriam tacitus tulit, contentus quòd non
& ipse donatus esset: sed Philippo epistolam strictā ac liberam scripsit: qua accepta ita exar-
sit, vt statim Pausaniae mandaret, [d] vt bona priori domino restitueret. Ceterum improbissi-
mo militi, ingratissimo hospiti, auidissimo naufrago, stigmata inscriberet, ingratū hospitem
testantia. Dignus quidem fuit, cui non inscriberentur illae litterae, sed insculperentur, qui
hospitem suum, nudo & naufrago similē, in id in quo iacuerat ipse littus expulerat. Sed vide-
bimus, quis modus poenae seruandus fuerit. Auferendum vtique fuit, quòd summo scelere
inuaserat. Quis autem poena eius moueretur, qui id commiserat, propter quod nemo mise-
rari miseros posset? Dabit tibi Philippus quia promisit, etiam si non debet, etiam si in- XXXVIII.
iuriam, etiam si scelus facturus est, etiam si vno facto praeclusurus est naufragis littora? Non
est leuitas, a cognito & damnato errore discedere: & ingenue fatendum est: Aliud putaui:
deceptus sum. Haec vero superbae stultitiae perseuerantia est: Quod semel dixi, qualecun-
que est, fixum ratumque sit. Non est turpe, cum re mutare consilium. Age, si Philippus pos-
sessorem illū eorum littorum reliquisset, quae naufragio ceperat, non ne omnibus miseris
aqua & igni interdixerat? Potius est, inquit, intra fines regni mei, te litteras istas oculis in-
scribendas, durissima fronte circumferre. Ostende quàm sacra res sit mēsa hospitalis. Praebe
in facie tua legendū istud decretum, quo cauetur, ne miseros tecto iuuare capitale sit. Magis
ista constitutio sic erit rata, quàm si illam in aes incidissem. Quare ergo, inquit, Zeno ve- XXXIX.
ster, cum quingentos denarios mutuos cuidam promisisset, & illum parum idoneum com-
perisset, amicis suadentibus ne daret, perseuerauit credere, quia promiserat? Primū alia con-
dicio est in credito, alia in beneficio. Pecuniae etiam male creditae exactio est. Et appellare
debitorem ad diem possum, & si foro cesserit, portionē feram. beneficium & totum perit, &
statim. Praeterea hoc mali viri est, illud mali patrisfamiliae. Deinde ne Zeno quidem, si ma-
ior fuisset summa, credere perseuerasset. Quingenti denarij sunt. Illud quod dici solet, in
morbo consumat. fuit tanti, non reuocare promissum suum. Ad coenam quia promisi, ibo,
etiam si frigus erit: non quidem si niues cadent. Surgam ad sponsalia, quia promisi, quamuis
non concoxerim: sed non si febricitauero. Spōsum descendā, quia promisi: sed non si spon-
dere in incertum iubebis, si fisco obligabis. Subest, inquam, tacita exceptio, si potero, si de-
bebo. Si haec ita erunt, [e] effice, vt idem status sit, cum exigitur, qui fuit cum promitterem.
Destituere leuitas non erit, si aliquid interuenit noui. Quid miraris, cum condicio promittē-
tis mutata sit, mutatum esse consilium? Eadem mihi omnia praesta: & idem sum. Vadimoniū
promittimus, tamen deseritur. Non in omnes datur actio. Deserentem vis maior excusat. XL.
Idem etiam illa in quaestione responsum existima, an omnimodo referenda sit gratia, & an
beneficium vtique reddendum sit. Animum praestare gratum debeo: ceterum aliquando
me referre gratiam non patitur mea infelicitas, aliquando felicitas eius cui debeo. [f] Quid
enim regi, quid pauper diuiti reddam? Vtique cum quidam recipere beneficium, iniuriam
iudicent, & beneficia subinde aliis beneficiis onerēt. Quid amplius in horum personam pos-
sum, quàm velle? Nec enim ideo beneficium nouum reiicere debeo, quia nondum prius
reddidi. Accipiam tam libenter, quàm dabitur: & praebebo me amico meo exercendae
bonitatis suae capacem materiam. Qui noua accipere non vult, acceptis offenditur. Non
refero gratiam. Quid ad rem? non est per me mora, si aut occasio mihi deest, aut facultas.
Ille praestitit mihi, nempe cum occasionem haberet, cum facultatem. Vtrum bonus vir
est, an malus? Apud bonum virum, bonam causam habeo: apud malum non ago. Ne illud
quidem existimo faciēdum, vt referre gratiā, etiam inuitis his quibus refertur, properemus,
& instemus cedentibus. Non est referre gratiam, quod volens acceperis, nolenti reddere.

Quidam, cum aliquod illis missum est munusculum, subinde aliud intempestiue remittunt, & nihil se debere testantur. Reiiciendi genus est, protinus aliud inuicem mittere, & munus munere expungere. Aliquando & non reddam beneficium cum possim,[g] quando plus mihi detracturus ero, quàm illi collaturus: si ille non erit sensurus vllam accessionem recepto eo, quo reddito, mihi multum abscessurum erit.[h] Qui festinat vtique reddere, non habet animũ grati hominis, sed debitoris. Et, vt breuiter dicam, qui nimis cito cupit soluere, inuitus debet: qui inuitus debet, ingratus est.

LIBRI QVARTI DE BENEFICIIS FINIS.

M. ANTONII MVRETI AD QVARTVM LIBRVM SENECAE DE beneficiis Notae.

CAP. I. 1 IN vltro tributis sit?] *Fateor me non satis intelligere, quae sint vltro tributa. Neque mihi vllo modo satisfaciunt quae de eis scripsit Turnebus capite vicesima nono libri primi aduersariorum.*

V. 2 Amamur.] *Nemo non videt, quanto hoc melius sit, quàm quod antea legebatur*, armamur.

IX. 3 Quibus beneficia demus.] *Male alij*, debeamus.

4 Praeterea quaeritis beneficium] *Locus deprauatus. Fortaßis legendum*: Praeterea quaeritis quomodo detis beneficium.

5 Propter ipsum.] *Inepte emendarant*, propter vsum.

X. 6 Turpissimum genus damni.] *Sic liber vetus. Insulse antea*, Turpissimum genus dandi.

XII. 7 Sic enim & legem dicimus] *Alij*, scimus. *Vtrum melius sit, dubitaturũ neminem arbitror.*

8 Suspensum amici bonis libellum deiicio,] *Hoc faciebant, qui a se amicum absentem defendi profitebantur. Cicero pro Quintio:* Libellos Sex. Alfenus procurator P. Quintij, familiaris & propinquus Sex. Naeuij, deiicit.

XIIII. 9 Iniecta manu,] *Verbum iuris, quo significatur prehensio & vindicatio pro domino.*

XV. 10 Vt libentius cum videat,] *Corrumpebant sententiam huius loci, qui interiiciebant negationẽ.*

XVII. 11 Superuacuum est enim, in quod natura imus, impelli.] *Foede in aliis libris deprauatus erat hic locus: cum ita legeretur*, Superuacuum est, inquit, in naturae ius impelli. *Haec non libens adnumero: sed interdum tamen id facere cogor, ne quis maleuolus pauca me praestitisse dicat.*

XVIII. 12 Vilissimus & facillimus sanguis.] *In vetere erat*, bilissimus. *Vnde isti belli emendatores fecerant*, bellissimus.

IX. 13 Proiecisti ipsum extra mundum.] *Inepte in aliis*, extra metum. *In intermundiis deorum sedem esse dicebat Epicurus.*

XXII. 14 Et tutior est vita] *Comprehensionem hanc iam ante deprauatam ab aliis, magis etiam deprauauit Erasmus, qui vtinam a Seneca abstinuisset manus. Minore negotia pleraque restituerentur.*

XXX. 15 Ciceronem filium] *Ciceronem filium cum Augusto consulem fuisse auctor est Plutarchus:* ἐπεὶ μὲν τοι τὰ χεῖρα κατὰ πολέμιον Ἀντώνιον, ὑπαλεύων αὐτὸς, εἵλετο συνάρχοντα τοῦ Κικέρωνος τὸν υἱόν.

XXXI. 16 Aridaeum] *Male in aliis* Arrhidaeũ. *frater fuit Alexandri magni, sed ignobili matre ortus.*

17 Mamercum Scaurum] *Insignis & abominanda hominis turpitudo. Merito igitur Tacitus eum opprobrium maiorum vocat.*

XXXII. 18 Vnde vos scitis.] *Vetus liber*, Vnde isti nos. *Delenda omnia. Librarius per errorem redierat ad id quod paulo antecessit*, Vnde isti norunt. *Deinde animaduerso errore, non deleuit tamen ea quae frustra geminauerat.*

XXXIIII. 19 Conscientia nostra] *Legendum*, Scientia vestra. *Inducit autem, suo more, quendam aduersus Stoicos loquentem.*

XXXV. 20 Eadem lex] *Sic melius, quàm, vt antea*, Eadem res.

XXXVI. 21 Aurem mihi peruellam.] *Ipse me admonebo, vt postea cautior sim, minusque facilis ad promittendum. Virgilius,* —Cynthius aurem
Vellit & admonuit.—
Hic ipse libro sequenti, Sine tu, loquar mecum: &, Ego mihi aurem peruellam.

22 Linguarium dabó.] *Non probari mihi, quod Turnebus de hac voce sensit, simulque quomodo eam intelligendam putem, scripsi capite quinto libri xij. Variarum lectionum.*

23 Demens est qui fidem praestat errori.] *Vox* fidem *abest a veteribus libris. Legendum videtur*, Demens est, qui perstat in errore.

LIBER

LIBER QVINTVS.

CAP. I. [a] N prioribus libris videbar cõsummasse propositum, cũ tractassem, quemadmodum dandum esset beneficium, & quemadmodum accipiendum. Hi enim sunt huius officij fines. Quicquid vltra moror, non seruio materiae, sed indulgeo: quae quò ducit, sequendum est, non quò inuitat. Subinde enim nascetur, quod lacessat aliqua dulcedine animum, [a] magis non necessarium, quàm superuacuum. Verum quia ita vis, perseueremus, peractis quae rem continebant, scrutari etiam ea quae sunt his connexa, verum non cohaerentia: quae quisquis diligenter inspicit, nec facit operaepretium, nec tamẽ perdit operam. Tibi autem homini natura optimo, & ad beneficia propenso, Liberalis Ebuci, nulla eorum laudatio satisfacit. Neminem vnquam vidi tam benignum, etiam leuissimorum officiorum aestimatorem. Iam bonitas tua eo vsque prolapsa est, vt tibi dari putes beneficium quod vlli datur. Paratus es, ne quem beneficij paeniteat, pro ingratis [a] dependere. Ipse vsque eo abes ab omni iactatione, vsque eo statim exonerare cupis quos obligas, vt quicquid in aliquem confers, velis videri non praestare, sed reddere. Ideoque plenius ad te sic data reuertuntur. Nam fere sequuntur beneficia non reposcentem: & vt gloria fugientes magis ac magis sequitur, ita fructus beneficiorum gratius respondet illis, per quos etiam esse ingratis licet. Per te vero non est mora, quo minus beneficia qui acceperũt, vltro repetant: nec recusabis conferre alia, & suppressis dissimulatisque plura ac maiora adijcere. [b] Propositum optimi viri, & ingentis animi est, tam diu ferre ingratum, donec feceris gratum. Nec te ista ratio decipiet. Succumbunt vitia virtutibus, [c] si illa non cito odisse properaueris.

II. Illud vtique vnice tibi placet, velut magnifice dictum: Turpe est beneficiis vinci. quod an sit verum, non immerito quaeri solet: longeque aliud est, quàm mente concipis. Nunquam enim in rerum honestarum certamine superari turpe est, dummodo arma non proijcias, & victus quoque velis vincere. Non omnes ad bonum propositum easdẽ afferunt vires, easdem facultates, eandem fortunam: quae optimorum quoque consiliorum duntaxat exitus temperat. Voluntas ipsa rectũ petens, laudanda est, etiam si illam alius gradu velociori antecessit: non vt in certaminibus ad spectaculum editis meliorem palma declarat: quanquam in illis quoque saepe deteriorẽ praetulit casus. Vbi de officio agitur, quod vterque a sua parte esse quàm plenissimum cupit, si alter plus potuit, & ad manũ habuit materiam sufficientem animo suo, si illi, quantum conatus est, fortuna permisit; alter autem voluntate par est, etiam si minora quàm accepit reddidit, [d] aut omnino non reddidit, sed vult reddere, [e] & toto in hoc intentus est animo: hic non magis victus est, quàm qui in armis moritur: quem occidere facilius hostis potuit, quàm auertere. Quod turpe existimas, id accidere viro bono non potest, vt vincatur. Nunquam enim succumbet, nunquam renuntiabit, ad vltimum vsque diem vitae stabit paratus, & in hac statione morietur, magna se accepisse prae se ferẽs, paria voluisse.

III. Lacedaemonij vetãt suos pancratio aut cestu decernere, vbi inferiorem ostendit victi confessio. Cursor metam prior contingit: [d] velocitate alium, non animo, antecessit. Luctator ter abiectus perdidit palmam, non tradidit. Cum inuictos esse Lacedaemonij ciues suos magno aestimarent, ab his certaminibus remouerunt, in quibus victorem facit non iudex, non per se ipse exitus, sed vox cedentis, & tradere iubentis. Hoc quod illi in ciuibus suis custodiunt, virtus ac bona voluntas omnibus praestat, ne vmquam vincantur: [e] quoniam quidem etiam inter superantia animus inuictus est. Ideo nemo CCC. Fabios victos dicit, sed occisos. Et Regulus captus est a Poenis, non victus: & quisquis alius saeuientis fortunae vi ac pondere oppressus, non submittit animum. In beneficiis idem est. Plura aliquis accepit, maiora, frequentiora: non tamen victus est. Beneficia fortasse beneficiis victa sunt, si inter se data & accepta computes. Si dantem & accipientem comparaueris, quorum animi & per se aestimandi sunt, penes neutrum erit palma. Solet enim fieri, vt etiam cum alter multis vulneribus confossus est, alter leuiter quidem saucius, pares exisse dicantur, quamuis alter videatur inferior.

IIII. Ergo nemo vinci potest beneficiis: [f] si scit debere, si vult referre, si quod rebus non potest, animo aequat. Hic, quàm diu in hoc permanet, quàm diu tenet voluntatem, gratum animum signis approbat: quid interest, ab vtra parte munuscula plura numerentur? Tu multa dare potes: at ego tantum accipere possum. Tecum stat fortuna: mecum bona voluntas. Tamen tam par tibi sum, quàm multis armatissimis nudi, aut leuiter armati. Nemo itaque beneficiis vincitur: quia tam gratus est quisque, quàm voluit. Nam si turpe est beneficiis vinci,

non oportet a praepotentibus viris accipere beneficium, quibus gratiam referre non possis. A principibus dico, a regibus: quos eo loco fortuna posuit, ex quo largiri multa possent, pauca admodum & imparia datis accepturi. Reges & principes dixi, quibus tamen potest opera nauari, & quorum illa excellens potentia per animorum consensum ministeriumque constat. Sunt quidam extra omnem subducti cupiditatem, qui vix vllis humanis desideriis continguntur: [f] quibus nihil potest praestare ipsa fortuna. Necesse est a Socrate beneficio vincar. Necesse est a Diogene, qui per medias Macedonum gazas nudus incessit, calcatis regiis opibus. Nonne ille tunc merito & sibi & ceteris, quibus ad dispiciendam veritatem non erat offusa caligo, supra eum eminere visus est, infra quem omnia iacebant? Multo potentior, multo locupletior fuit, omnia tunc possidente Alexandro. Plus enim erat, quod hic nollet accipere, quàm quod ille posset dare.

V. Non est turpe, ab his vinci. Neque enim minus fortis sum, si cum inuulnerabili me hoste committis: nec ideo ignis minus vrere potest, si in materiam incidit inuiolabilem flammis: nec ideo ferrum secandi vim perdidit, si non recipiens ictum lapis solidus, inuictaeque aduersus dura naturae diuidendus est. Idem tibi de homine grato respondeo. Non turpiter vincitur beneficiis, si ab his obligatus est, ad quos aut fortunae magnitudo, aut eximia virtus aditũ redituris ad se beneficiis clausit. A parentibus fere vincimur. Nam tam diu illos odio habemus, quàm diu graues iudicamus, & quàm diu beneficia illorum non intelligimus. Cum iam aetas aliquid prudentiae collegit, & apparere coepit, propter illa ipsa eos amari a nobis debere, propter quae non amabantur, admonitiones, seueritatem, & inconsultae adolescentiae diligentem custodiam, [g] rapiuntur nobis. Paucos vsque ad verum fructum a liberis percipiendum perduxit aetas. Ceteri liberos onere sensequnt. Non est tamen turpe, vinci beneficiis a parente. Quid ni non sit turpe, cum a nullo turpe sit? Quibusdã enim & pares & impares sumus. Pares animo, quem solum illi exigunt, quem nos solum promittimus: impares fortuna, quae si cui obstitit quo minus referret gratiam, non ideo illi tanquam victo erubescẽdum est. Non est turpe, non assequi, dummodo sequaris. Saepe necesse est ante alia beneficia petamus, quàm priora reddidimus. Nec ideo non petimus, aut turpiter petimus, quia non reddituri debebimus. Quia non per nos erit mora, quo minus gratissimi simus: sed interueniet aliquid extrinsecus, quod prohibeat. [h] Nos tamen nec vincemur animo, nec turpiter his rebus superabimur, quae non sunt in nostra potestate.

VI. [i] Alexander Macedonum rex gloriari solebat, a nullo se beneficiis victum. Non est quod nimius animi Macedonas, & Graecos, & Caras, & Persas, & nationes districtas sine exercitu suspiciat, ne hoc sibi praestitisse regnum, a Thraciae angulo porrectum vsque ad litus incogniti maris, iudicet. Eadem re gloriari Socrates potuit, eadem Diogenes, a quo victus est. Quid ni victus sit illo die, quo homo supra mensuram humanae superbiae tumens, vidit aliquem, cui nec dare quicquam posset, nec eripere? Archelaus rex Socratem rogauit, vt ad se veniret. dixisse Socrates traditur, Nolle se ad eum venire, a quo acciperet beneficia, cum reddére illi paria non posset. Primum in ipsius potestate erat, non accipere. Deinde ipse dare beneficium prior incipiebat. Veniebat enim rogatus, & id dabat, quod vtique ille non erat Socrati redditurus. Etiamnum Archelaus daturus erat aurum & argentum, recepturus contemptum auri & argenti. Non poterat ergo Archelao referre Socrates gratiam? Et quid tantum erat accepturus, quantum dabat, si ostendisset hominem vitae ac mortis peritum, vtriusque fines tenentem? Si regem in luce media errantem ad rerum naturam admisisset, vsque eo eius ignarum, vt quo die solis defectio fuit, regiam cluderet, & filium (quod in luctu ac rebus aduersis moris est) tonderet? Quantum fuisset beneficium, si timentem e latebris suis extraxisset, & bonum animum habere iussisset, dicens: Non est ista solis defectio, sed duorum siderum coitus, cum luna humiliore currens via, infra ipsum solem, orbem suum posuit, & illum obiectu sui abscondit: quae modo partes eius exiguas, si in transcursu strinxit, obducit: modo plus tegit, si maiorem partem sui obiecit: modo excludit totius aspectum, si recto libramento inter solem terrasque media successit? Sed iam ista sidera huc & illo diducet velocitas sua. iam recipient diem terrae, & hic ibit ordo per saecula, quae dispositos ac praedictos dies habent, quibus sol intercursu lunae vetetur omnes radios effundere. Paulum expecta. iam emerget, iam istam velut nubem relinquet, iam exolutus impedimentis, lucem suam libere mittet. Socrates parem gratiam Archelao referre non posset, si illum docuisset regnare? parum scilicet magnum beneficium a Socrate accipiebat, si vllum dare potuisset Socrati. Quare ergo hoc Socrates dixit? [l] Vt facetus, & cuius per figuras sermo procedere solitus erat, derisor omnium, maxime potentium, maluit illi vafre negare, quàm contumaciter ac superbe. Dixit se nolle beneficia ab eo accipere, cui non posset paria reddere.

Timuit

Timuit fortasse, ne cogeretur accipere quae nollet. Timuit, ne quid indignum Socrate acciperet. Dicet aliquis: Negaret, si nollet. Sed instigasset in se regem insolentem, & omnia sua magno aestimari volentem. Nihil ad rem pertinet, vtrum dare aliquid regi nolis, an accipere a rege. In aequo vtranque ponit repulsam. Et superbo fastidiri acerbius est, quàm non timeri. Vis scire, quid vere noluerit? Noluit ire ad voluntariam seruitutem is, cuius libertatem ciuitas libera ferre non potuit. VII.

Satis (vt existimo) hanc partem tractauimus, an turpe esset beneficiis vinci: quod qui quaerit, scit non solere homines sibijpsis beneficiū dare. manifestum enim fuisset, non esse turpe a seipso vinci. Atqui apud Stoicos quosdam & de hoc ambigitur, an possit aliquis sibi beneficium dare, an debeat referre sibi gratiam. quod vt videretur quaerendum, illa fecerunt. Solemus dicere, Gratias mihi ago, &, De nullo queri possum alio quàm de me: Ego mihi irascor, &, Ego a me poenas exigam. &, Odi me. multa praeterea huiusmodi, per quae vnusquisque de se tanquam de altero loquitur. Si nocere, inquit, mihi possum: quare non & beneficia mihi dare possum? Praeterea quae si in alium contulissem, beneficia vocarentur: quare si in me contuli, non sint? Quod si ab altero accepissem, deberem: quare si mihi ipse dedi, nō debeam? Quare sim aduersus me ingratus, quod non minus turpe est, quàm in se sordidum esse, & in se durum ac saeuum, & sui negligentē? Tam alieni corporis leno male audit, quàm sui. Nempe reprehenditur assentator, & aliena subsequens verba, paratus ad falsa laudator: non minus placens sibi, & se suspiciens, &, vt ita dicam, assentator suus. Vitia non tantum cum foris peccant, inuisa sunt, sed cum in se retorquentur. Quem magis admiraberis, quàm qui imperat sibi, quàm qui se habet in potestate? Gentes facilius est barbaras, impatientesque alieni arbitrij, regere, quàm animum suum cōtinere, & tradere sibi. Plato, inquit, agit Socrati gratias, quòd ab illo didicit: [a] quare Socrates non agat, quòd ipse se docuit? [l] M. Cato ait: Quod tibi deest, a te ipso mutuare. Quare donare mihi non possum, si commodare possum? Innumerabilia sunt, in quibus consuetudo nos diuidit. Dicere solemus: Sine tu, loquar mecum: &, Ego mihi autem peruellam. Quae si vera sunt, quemadmodū aliquis sibi irasci debet, sic & gratias agere: quomodo obiurgare se, sic & laudare: quomodo damno sibi esse, sic & lucro potest. Iniuria & beneficium contraria sunt. Si de aliquo dicimus, Iniuriam sibi fecit: poterimus dicere, Beneficium sibi dedit. [m] Nemo sibi debet. Natura prius est, vt quis debeat, deinde vt gratiā referat. Debitor non est sine creditore, non magis quàm maritus sine vxore, aut sine filio pater. VIII.

Aliquis dare debet, vt aliquis accipiat. Non est dare, nec recipere, in dexterā manum de sinistra transferre. Quomodo nemo se portat, quamuis corpus suum moueat & transferat: quomodo nemo, quamuis pro se dixerit, affuisse sibi dicitur, nec statuam sibi tanquam patrono ponit: quomodo si aeger cum cura sua conualuit, mercedem a se non exigit: sic in omni negotio, [n] etiam cum aliquis probe fecerit, non tamen debebit referre gratiam sibi, quia non habebit, cui referat. Vt concedam aliquem dare sibi beneficium: dum dat, & recipit. Vt concedam aliquem a se accipere beneficium, dum accipit, reddit. Domi (quod aiunt) versura fit, & velut lusorium nomen statim transit. Neque enim alius dat quàm qui accipit, sed vnus atque idem. Hoc verbum DEBERE, non habet nisi inter duos locum. Quomodo ergo in vno consistit, qui se obligando liberat? Vt in orbe ac pila nihil est imum, nihil summum, nihil extremum, nihil primum, quia motu ordo mutatur, & quae sequebantur praecedunt, & quae occidebant oriuntur, omnia quomodocunque ierint, in idem reuertuntur: ita in homine existima fieri. cum illum in multa mutaueris, vnus est. Caecidit se: iniuriarum eum quo agat, non habet. Alligauit & clausit: de vi non tenetur. Beneficium sibi dedit: protinus danti reddidit. Rerum natura nihil dicitur perdere, quia quicquid illi auellitur, ad illam redit: nec perire quicquam potest, [o] quod quo excedat non habet, sed eodem reuoluitur vnde discedit. [p] Quid simile, inquit, habet hoc exemplum propositae quaestioni? Dicam. Puta te ingratum esse, non peribit beneficium. habet illud, qui dedit. Puta te recipere nolle. apud te est, antequam redditur. Non potes quicquam amittere. Quia quod detrahitur, nihilominus tibi acquiritur. Intra teipsum orbis agitur. accipiendo das, dando accipis. IX.

Beneficium, inquit, sibi dare oportet: ergo & referre gratiam oportet. Primum illud falsum est, ex quo pendent sequentia. Nemo enim sibi beneficium dat, sed naturae suae paret, a qua ad caritatem sui compositus est: vnde illi summa cura est nocitura vitandi, profutura appetendi. Itaque nec liberalis est, qui sibi donat: nec clemēs, qui sibi ignoscit: nec misericors, qui malis suis tāgitur. Quod aliis praestare liberalitas est, clementia, misericordia: sibi praestare, natura est. Beneficium res voluntaria est: at prodesse sibi, necessarium est. Quo quis plura beneficia dedit, beneficentior est. Quis vnquā laudatus est, quòd sibiipsi fuisset auxilio? quòd se eripuisset latronibus? [q] Nemo sibi beneficium dat, non magis quàm hospitium. Nemo sibi donat, non magis quàm

credit. Si dat sibi quisque beneficium, semper dat, sine intermissione dat. Inire beneficiorũ suorum non potest numerum.[r] Quomodo ergo gratiam referet, cum per hoc ipsum, quo gratiam referret, beneficium det? Quomodo enim discernere poterit, vtrum det sibi beneficium, an reddat, cum intra eundem hominem res geratur? Liberaui me periculo. beneficiũ mihi dedi. Iterum me periculo libero. do beneficium, an reddo? Deinde vt primum illud concedam, dare nos beneficium nobis: quod sequitur, non cõcedam. Nam etiam si damus, non debemus. Quare? quia statim recipimus. Accipere beneficium nos oportet, deinde debere, deinde referre. Debendi locus non est, quia sine vlla mora recipimus. Dat nemo, nisi alteri. Debet nemo, nisi alteri. Reddit nemo, nisi alteri. Id intra vnum non potest fieri, quod

X. toties duos exigit. Beneficium est, praestitisse aliquid vtiliter. Verbum autem Praestitisse, ad alios spectat. Nunquid non demens videbitur, qui aliquid vendidisse sibi se dicet? Quia venditio alienatio est, & rei suae,[s] iurisque sui in alium translatio. Atqui quemadmodum vendere, sic dare aliquid, a se dimittere est, & id quod tenueris, habendum alteri tradere. Quod si est, beneficium nemo sibi dedit: quia nemo dat sibi aliquid. Duo contraria in vnum coeunt, vt idem sit dare, & accipere.[t] Sed etiamnum multum interest, inter dare, & accipere. Quidni? cum ex diuerso ista verba posita sunt. Atqui si quis sibi beneficium dat, nihil interest inter dare & accipere. Paulo ante dicebam, quaedam ad alios pertinere, & sic esse formata, vt tota significatio illorum discedat a nobis.[v] Frater sum, sed alterius. Nemo est enim suus frater. Par sum, sed alicui. Quis est enim par sibi? Quod comparatur, sine altero non intelligitur: quod iungitur, sine altero non est. Si & quod datur, sine altero non est: & beneficium sine altero non est.[x] Id ex ipso vocabulo apparet, in quo hoc continetur, benefecisse. Nemo autem sibi benefacit, non magis quàm sibi fauet, quàm suarum partium est. Diutius hoc & pluribus exemplis licet prosequi.[y] [u] Quid ni? cum inter ea sit habendum beneficium, quae secundam personam desiderant. Quaedam cum sint honesta, pulcherrima, summae virtutis,[z] nisi cum altero non habent locum. Laudatur, & inter maxima humani

XI. generis bona fides colitur. Num quis ergo dicitur sibi fidem praestitisse? Venio nunc ad vltimam partem. Qui gratiam refert, aliquid debet impendere, sicut qui soluit pecuniam. Nihil autem impendit, qui gratiam sibi refert, non magis quàm cõsequitur, qui beneficium a se accepit. Beneficium & gratiae relatio, vltro citroque ire debent. Intra vnum hominem non est vicissitudo. Qui ergo gratiam refert, inuicem prodest ei, a quo cõsecurus est aliquid. Qui sibi gratiam refert, cui prodest? sibi. Et quis non alio loco relationem gratiae, alio beneficium cogitat? Qui gratiam sibi refert, sibi prodest. Et quis vnquam ingratus hoc noluit facere? immo quis non ingratus fuit, vt hoc faceret? Si gratias, inquit, nobis agere debemus, & gratiam referre debemus. Dicimus autem, Ago gratias mihi, quòd illam vxorem nolui ducere, & cum illo non contraxi societatem. Cum hoc dicimus, laudamus nos: & vt factũ nostrum comprobemus, gratias agentium verbis abutimur. Beneficium est quod potest, & cum datum est, non reddi. Qui sibi beneficium dat, non potest non recipere, quod dedit. Ergo non est beneficium. Alio tempore beneficium accipitur, alio redditur. In beneficio hoc est probabile, & suspiciendum, quòd alteri vt aliquis prodesset, vtilitatis interim suae oblitus est: quòd alteri dedit ablaturus sibi. Hoc non facit, qui beneficium sibi dat. Beneficium dare, socialis res est, aliquem conciliat, aliquem obligat: sibi dare, non est socialis res, neminem conciliat, neminem obligat, neminem in spem inducit, vt dicat: Hic homo colẽdus est,[y] illi beneficium dedit: dabit & mihi. Beneficium est, quod quis non sua causa dat, sed eius cui dat. Is qui sibi beneficium dat, sua causa dat. Non est ergo beneficium.

XII. Videor tibi iam illud quod in principio dixeram, mentitus?[z] Dicis me abesse ab eo qui operae pretium facit; immo totam operam bona fide perdere.[a] Expecta. etiam hoc verius dices, simul ac te ad has latebras perduxero: a quibus cum euaseris, nihil amplius assecutus eris, quàm vt eas difficultates effugias, in quas licuit non descendere. Quid enim boni est, nodos operose soluere, quos ipse vt solueres, feceris? Sed quemadmodum quaedam in oblectamẽtum ac iocum sic alligantur, vt eorum solutio imperito difficilis sit: quae ille qui implicuit, sine vllo negotio separat; quia commissuras eorum & mores nouit: & nihilominus illa habent aliquam voluptatem: tentant enim acumen animorum & intentionem excitant: ita haec quae videntur callida & insidiosa, securitatem, torporem ac segnitiem ingeniis auferunt, quibus modo campus in quo vagentur, sternendus est, modo [b] scabri aliquid & confragosi obijciendum, per quod erepant, & solicite vestigiũ faciant. Dicitur nemo ingratus esse. Id sic colligitur. Beneficium est quod prodest: prodesse autem nemo homini malo potest, vt dicitis Stoici: ergo beneficium non accipit malus: itaque nec ingratus est. Etiamnum beneficium honesta & probabilis res est. Apud malum nulli honestae rei aut probabili

locus

locus est: ergo nec beneficio: quod si accipere non potest, nec reddere quidem debet. Et
ideo non fit ingratus. Etiamnum, vt dicitis: Bonus vir omnia recte facit. Si omnia recte fa-
cit, ingratus esse non potest. Bonus beneficium reddit; malus non accipit. Quod si est, nec
bonus quisquam ingratus est, nec malus. Ita ingratus in rerum natura est nomen, & hoc
inane. Vnum est apud nos bonum, honestum. Id peruenire ad malum non potest. Desinit
enim malus esse, si ad illum virtus intrauerit. Quamdiu autem malus est, nemo illi dare be-
neficium potest: quia bona malaque dissentiunt, nec in vnum eunt. Ideo nemo illi prodest:
quia quicquid ad illum peruenit, id prauo vsu corrumpit. Quemadmodum stomachus
morbo vitiatus, & colligens bilem: quoscunque accepit cibos mutat, & omne alimentum
in causam doloris trahit: ita animus caecus, quicquid illi commiseris, id onus suum, & per-
niciem, & occasionem miseriae facit. Felicissimis itaque opulētissimisque plurimum aestus
subest, minusque se inueniunt, quo in maiorem materiam inciderũt, qua fluctuarētur. Ergo
nihil potest ad malos peruenire, quod prosit: immo nihil quod non noceat. Quaecunque
enim illis contigerunt, in naturam suam vertunt. extra speciosa, profuturaque si meliori da-
rentut, illis pestifera sunt. Ideo nec beneficium dare possunt: quoniam nemo potest, quod
non habet, dare: [c] hic benefaciēdi voluntate caret. Sed quamuis haec ita sint, accipere XIII
tamen malus potest, quae beneficiis similia sint: quibus non redditis, ingratus erit. Sunt ani-
mi bona, sunt corporis, sunt fortunae.[b] Illa a stulto ac malo submouentur. Ad haec admit-
titur, [d] quae & accipere potest, & debet reddere: & si non reddit, ingratus est.[e] Nec hoc ex
nostra constitutione tantum. Peripatetici quoque, qui felicitatis humanae longe lateque
terminos ponunt, aiunt, minuta peruenire beneficia ad malos. Haec qui non reddit, ingra-
tus est. Nobis itaque beneficia esse non placet, quae non sunt animum factura meliorem:
[20] commoda tamen illa esse, & expetenda, non negamus. Haec & viro bono dare malus po-
test, & accipere a bono: vt pecuniam, vestem, honores, & vitam. Quae si non reddet, in in-
grati nomen incidet. At quomodo ingratum vocas, eo non reddito, quod negas esse bene-
ficium? Quaedam etiamsi vera non sint, propter similitudinem eodem vocabulo compre-
hensa sunt. Sic pyxidem & argenteam & auream dicimus. Sic illitteratum non ex toto ru-
dem, sed ad litteras altiores non perductum. Sic qui male vestitum & pannosum vidit, nudũ
se vidisse dicit. Beneficia ista non sunt: habent tamen beneficij speciem. Quomodo ista sunt
tanquam beneficia, sic & ille tanquam ingratus est, non ingratus. Falsum est. quia illa bene-
ficia, & qui dat appellat, & qui accipit.[f] Ita & qui veri beneficij specie fefellit, tam ingratus
est, quàm veneficus, qui saporem cum venenum crederet, miscuit. [g] Cleanthes vehe- XIIII
mentius agit. Licet, inquit, beneficium non sit quod accipit, ipse tamen ingratus est: quia nō
fuit redditurus, etiam si accepisset. Sic latro est, etiam antequam manus inquinet: [h] quia ad
occidendum iam armatus est, & habet spoliandi atque interficiendi voluntatem. Exerce-
tur & aperitur opere nequitia, non incipit. Ipsum quod accepit, beneficium non erat, sed
vocabatur. Sacrilegi dant poenas, [i] quamuis nemo vsque ad deos manus porrigat. Quomo-
do, inquit, aduersus malum ingratus est quisquam, cum malo dari beneficium non possit?
[k] Ea scilicet ratione, quia accepit ab illo aliquid ex his, quae apud imperitos bona sunt:
[11] cui tametsi malus est, ipse quoque in simili materia gratus esse debebit: & illa qualiacun
que sunt, cum pro bonis acceperit, pro bonis reddere. AEs alienum habere dicitur, & qui
aureos debet, & qui corium forma publica percussum: quale apud Lacedaemonios fuit,
quod vsum numeratae pecuniae praestat. Quo genere obligatus es, hoc fidem exolue.

Quid sint beneficia, an & in hanc sordidam humilemque materiam deduci magnitudo XVI
nominis clari debeat; ad vos non pertinet: [22] [l] ad alios spectat verum. Vos ad speciem veri
componite animum: & dum honestum dicitis, quicquid est id, quod nomine honesti iacta-
tur, id colite. Quomodo, inquit, nemo per vos ingratus est, sic rursus omnes ingrati sunt. Nā
(vt dicitis) omnes stulti mali sunt. Qui autem habet vitium vnum, habet omnia. Omnes au-
tem stulti & mali sunt. Omnes ergo ingrati sunt. Quid ergo? non vndique humano generi
conuicium fit? non publica querela est, beneficia perisse, & paucissimos esse, qui de bene-
merentibus non inuicem pessime mereantur? Nec est quòd hanc tantum nostram murmu-
tationem putes, pro pessimo prauoque numerantium, quicquid citra recti formulam ceci-
dit.[m] Ecce nescio, quae, [11] non ex philosophorum domo clam, sed ex medio conuentu, po-
pulos gentesque damnatura vox mittitur:

—— Non hospes ab hospite tutus,
Non socer a genero. fratrum quoque gratia rara est:
Imminet exitio vir coniugis, illa mariti.

Hoc iam amplius est. Beneficia in scelus versa sunt: & sanguini eorum non parcitur, pro

quibus sanguis fundendus est. Gladio ac venenis beneficia sequimur. Ipsi patriae manus afferre, & fascibus suis illam premere, potentia ac dignitas est. Humili se ac depresso loco putat stare, quisquis non supra rempublicam stetit. Accepti ab illa exercitus in ipsam conuertuntur, & imperatoria contio est, Pugnate cõtra coniuges, pugnate contra liberos. Aras, focos, penates, armis incessite. Qui ne triumphaturi quidem intrare vrbem iussu senatus deberetis, quibusque exercitum victorem reducentibus curia extra muros praeberetur, nunc ciuibus caesis, perfusi cruore cognato, vrbem subrectis intrate vexillis. Obmutescat inter militaria signa libertas, & ille victor, pacatorque gentium populus, remotis procul bellis, o-

XVI. mni terrore compresso, intra muros obsessus, aquilas suas horreat. Ingratus est Coriolanus: sero & post sceleris paenitentiam pius. posuit arma, sed in medio parricidio posuit. Ingratus Catilina. parum est illi capere patriam, nisi euerterit, nisi Allobrogum in illam cohortes immiserit,[n] & trans alpes accitus hostis, vetera & ingenita odia satiauerit, ac diu debitas inferias Gallicis bustis duces Romani persoluerint. Ingratus C. Marius, ad consulatum a caliga perductus: qui nisi Cimbricis caedibus [14] Romana funera aequauerit, nisi ciuilis exitij & trucidationis non tantum dederit signum, sed ipse signum fuerit,[o] parum mutatam ac repositam in priorem locum fortunam suam sentiet. Ingratus L. Sylla: qui patriam [11] durioribus remediis quàm pericula erant, sanauit. Qui cum a Praenestina arce vsque ad Collinam portam per sanguinem humanum incessisset, alia edidit in vrbe proelia, alias caedes: legiones duas, quod crudele est, post victoriam; quod nefas, post fidem, in angulum congestas contrucidauit, & proscriptionem commẽtus est: Dij magni, vt qui ciuem Romanum occidisset, impunitatem,[p] & pecuniam, tantũ non ciuicam acciperet. Ingratus Cn. Pompeius: qui pro tribus consulatibus, pro triumphis tribus, pro tot honoribus, quos ex maxima parte immaturus inuaserat, hanc gratiam reipublicae reddidit, vt in possessionem eius alios quoque induceret, quasi potentiae suae detracturus inuidiam, si quod nulli licere debebat, pluribus licuisset: dum extraordinaria concupiscit imperia, dum prouincias, vt eligat, distribuit, dum ita trium viris R. P. diuidit, vt tamen in sua domo duae partes essent, [q] eo redegit populum R. vt saluus esse non posset, nisi beneficio seruitutis.[r] Ingratus ipse Pompeij hostis ac victor, qui a Gallia Germaniaque bellum in vrbem circumegit, & ille plebicola, ille popularis, castra in circo Flaminio posuit, propius quàm Porsennae fuerant. Temperauit quidem ius crudelitatemque victoriae. Quod dicere solebat, praestitit: [s] neminem occidit nisi armatum. Quid ergo est? Ceteri arma cruentius exercuerunt, satiati tamen aliquando abiecerunt. Hic gladium cito condidit, nunquam posuit. Ingratus Antonius in dictatorem suum, quem iure caesum pronuntiauit, interfectoresque eius in prouincias & imperia dimisit: patriam vero [t] proscriptionibus, incursionibus, bellis laceratam, post tot mala destinauit, ne Romanis quidem regibus: vt quae Achaeis, Rhodiis, & plerisque vrbibus claris ius integrum, liberta-

XVII. temque cum immunitate reddiderat, ipsa tributum spadonibus penderet. Deficiet dies enumerãtem ingratos vsque in vltima patriae exitia. AEque immensum erit, si percurrere coepero, ipsa respublica quàm ingrata in optimos ac deuotissimos sibi fuerit, quàmque non minus saepe peccauerit, quàm in ipsam peccatũ est. Camillum in exilium misit: Scipionem dimisit, exulauit post Catilinam Cicero, diruti eius penates, bona direpta, factum quicquid victor Catilina fecisset. Rutilius innocentiae pretium tulit in Asia latere. Catoni populus Romanus praeturam negauit, consulatum pernegauit. Ingrati publice sumus. Se quisque interroget. Nemo non aliquem queritur ingratum. Atqui non potest fieri, vt omnes querantur, [v] nisi querendum est de omnibus. Omnes ergo ingrati sunt. Tantum? Et cupidi omnes, & maligni omnes, & timidi omnes, illi in primis qui videntur audaces. Adiice, & ambitiosi omnes sunt, & impij omnes. Sed non est quòd irascaris. Ignosce illis. omnes insaniunt. Nolo te ad incerta reuocare, [u] vt dicam, Quàm ingrata sit iuuentus vide. Quis non patri suo supremum diem, vt innocens sit, optat? vt moderatus, expectat? vt pius, cogitat? Quotus quisque vxoris optimae mortem timet, [x] vt non computet? Cui rogo litigatori defenso, tam magni beneficij [16] vltra res proximas memoria durauit? Illud in confesso est. Quis sine querela moritur? Quis extremo die dicere audet:

Vixi, & quem dederat cursum fortuna, peregi?

Quis non recusans, quis non gemens exit? Atqui hoc ingrati est, non esse contentum [17] praefato tempore. Semper pauci dies erunt, si illos numeraueris. Cogita, non esse summum bonum in tempore. Quantumcunque est, boni cõsule.[y] Vt prorogetur tibi dies mortis, nihil proficit ad felicitatem: quoniam mora non fit beatior vita, sed longior. Quanto satius est, gratũ aduersus perceptas voluptates, non aliorũ annos computare, sed suos benigne aestimare, & in lucro ponere? Hoc me dignum iudicauit Deus. Hoc satis est. Potuit plus:

sed hoc

ſed hoc quoque beneficium eſt. Grati ſimus aduerſus deos, grati aduerſus homines, grati aduerſus eos qui nobis aliquid praeſtiterunt; grati etiam aduerſus eos qui noſtris praeſtiterunt.

In infinitum, inquis, me obligas, cum dicis, & noſtris. Itaque pone aliquem finem. XVIII.
Qui filio beneficium dat, vt dicis, & patri eius dat. Primum vnde quo, quaero. Deinde illud vtique mihi determinari volo, ſi & patri beneficium datur, nunquid & fratri? nunquid & patruo? nunquid auo? nunquid vxori, & ſocero? Dic mihi, vbi debeam deſinere: quouſque perſonarum ſeriem ſequar. Si agrum tuum coluero, tibi beneficium dedero: ſi domum tuam ardentem reſtinxero, aut ne cadat excepero, tibi beneficium non dabo? Si ſeruum tuum ſeruauero, tibi imputabo. Si filium tuum ſeruauero, non habebis beneficiũ meum?

Diſſimilia ponis exempla: quia qui agrũ meum colit, agro XIX.
beneficium non dat, ſed mihi: & qui domum meam quo minus ruat fulcit, praeſtat mihi. Ipſa enim domus ſine ſenſu eſt. Debitorem me habet, quia nullum habet. Et qui agrum meum colit, non illum, ſed me demereri vult. Idem de ſeruo dicam. mei mancipij res eſt, mihi ſeruatur. Ideo ego pro illo debeo. Filius ipſe beneficij capax eſt. Itaque ille accipit: ego beneficio laetor. Contingor, non obligor. Velim tamen, tu qui debere non putas, reſpondeas mihi: Filij bona valetudo, felicitas, patrimonium, pertinet ad patrem? Felicior futurus eſt, ſi ſaluum habuerit filium: infelicior, ſi amiſerit? Quid ergo? Qui & felicior fit a me, & infelicitatis maximae periculo liberatur, non accipit beneficium? Non, inquit. Quaedam enim in alios conferuntur, ſed ad nos vſque permanant. Ab eo autem exigi quicque debet, in quem confertur: ſicut pecunia ab eo petitur, cui credita eſt, quamuis ad me illa aliquo modo venerit. Nullum beneficium eſt, cuius commodum non & proximos tangat, nonnunquam etiam longius poſitos. Non quaeritur, quò beneficium ab eo cui datum eſt, trãsferatur, ſed vbi primo collocetur. A reo tibi ipſo & a capite repetitio eſt. Quid ergo? oro te: non dicis, filium mihi donaſti, & ſi hic periſſet, victurus non fui? Pro eius vita beneficium non debes, cuius vitam tuae praefers? Etiamnum cum filium tuum ſeruaui, ad genua procumbis, diis vota ſoluis, tanquam ipſe ſeruatus. Illae voces exeunt tibi: Nihil intereſt, mea an me ſeruaueris. duos ſeruaſti: immo me magis. Quare iſta dicis, ſi non accipis beneficium? Quia & ſi filius meus pecuniam mutuam ſumpſerit, creditori numerabo, non tamen ego debuero. Quia etſi filius meus in adulterio deprehenſus erit, erubeſcam, non ideo ego ero adulter. Dico me tibi obligatum pro filio: non quia ſum, ſed quia volo me offerre tibi debitorem voluntarium. At peruenit ad me ſumma ex incolumitate eius voluptas, ſumma vtilitas, & orbitatis grauiſſimum vulnus effugi. Non quaeritur nunc, an profueris mihi, ſed an beneficium dederis. Prodeſt enim & animal, & lapis, & herba: nec tamen beneficium dant, quod nunquam datur, niſi a volente. Tu autem non vis patri, ſed filio dare: & interim, ne noſti quidem patrem. Itaque cum dixeris, Patri ergo beneficium non dedi, filium eius ſeruando? contra oppone, Patri ergo beneficium dedi, quem non noui, quem non cogitaui? Et quid, quod aliquando euenit, vt patrem oderis, filium ſerues: beneficium ei videberis dediſſe, cui tunc inimiciſſimus eras, cum dares? Sed vt dialogorum altercatione ſepoſita, tanquã iuriſconſultus reſpondeam, mens ſpectãda eſt dantis. beneficium ei dedit, cui datum voluit. Sicut ſi in patris honorem fecit, pater accepit beneficium: [a] ſic pater beneficio in filium collato non obligatur, etiam ſi fruitur. Si tamen occaſionem habuerit, volet & ipſe praeſtare aliquid: non tamquam ſoluendi neceſſitatem habeat, ſed tamquam incipiendi cauſam. Repeti a patre beneficium non debet. Si quid pro hoc benigne facit, iuſtus, non gratus eſt. Nã illud finiri non poteſt: ſi patri do beneficium, & matri, & auo, & auunculo, & liberis, & affinibus, & amicis, & ſeruis, & patriae. Vbi ergo beneficium incipit ſtare? Sorites enim ille inexplebilis ſubit: cui difficile eſt modum imponere, quia paulatim ſurrepit, & non deſinit ſerpere. Illud ſolet quaeri. Fratres duo diſſident. ſi alterum ſeruo, an dem beneficium ei qui fratrem inuiſum non periſſe moleſte laturus eſt. Non eſt dubium, quin beneficium ſit, etiam inuito prodeſſe: ſicut non dedit beneficium qui inuitus profuit.

Beneficium, inquit, XX.
vocas, quo ille offenditur, quo torquetur? Multa beneficia triſtem frontem & aſperam habent, quemadmodum ſecare & vrere vt ſanes, & vinculis coercere. Non eſt ſpectandum an doleat quis beneficio accepto: ſed an gaudere debeat. Non eſt malus nummus, quem barbarus & ignarus formae publicae reiecit. [b] Beneficiũ & odit & accepit, ſi modo id prodeſt, ſi is qui dabat, vt prodeſſet dedit. nihil refert an bonã rem malo animo quis accipiat. Agedum, hoc in contrarium verte. Odit fratrem ſuum, quem illi expedit habere. [c] Hunc occidi. non eſt beneficiũ, quamuis ille dicat eſſe, & gaudeat. Inſidioſiſſime nocet, cui gratiae aguntur pro iniuria. Video. Prodeſt aliqua res, & ideo beneficium eſt: nocet, & ideo non eſt beneficium. Ecce, quod nec proſit, nec noceat, dabo: & tamen beneficium eſt. Patrem alicuius

in ſolitudine exanimem inueni, corpus eius ſepeliui. nec illi profui (quid enim illius intererat, quo genere dilaberetur?) nec filio. quid enim per hoc commodi acceſſit illi? Dicam quid conſecutus ſit: officio ſollemni & neceſſario per me functus eſt. Praeſtiti patri eius, quod ipſe praeſtare voluiſſet, necnon & debuiſſet. Hoc tamen ita beneficium eſt, ſi non miſericordiae & humanitati dedi, vt quodlibet cadauer abſconderem: ſed ſi corpus agnoui, ſi filio tunc hoc praeſtare me cogitaui.[18] At ſi terram ignoto mortuo inieci,[d] nullum habeo huius officij debitorem, in publicum humanus. Dicet aliquis, Quid tantopere quaeris, cui dederis beneficium, tanquam repetiturus aliquando? Sunt qui nunquam iudicant eſſe repetendum, & has cauſas afferunt.[e] Indignus etiam repetenti non reddet. dignus etiam per ſe referet. Praeterea ſi bono viro dediſti, expecta: ne iniuriam illi facias appellando, tanquam non fuiſſet ſua ſponte redditurus.[19] Si malo viro dediſti, fer. Beneficium verbo ne corruperis, creditum faciendo. Praeterea lex quod non iuſſit repeti, vetuit. Vera ſunt iſta. quàm diu me nihil vrget, quàm diu fortuna nihil cogit,[f] petam potius beneficium quàm repetam: ſed ſi de ſalute liberorum agitur, ſi in periculum vxor deducitur, ſi patriae ſalus ac libertas mittit me etiam quo ire nollem, imperabo pudori meo, & teſtabor omnia me feciſſe,[10] ne opus eſſet mihi auxilio hominis ingrati. Nouiſſime recipiendi beneficij neceſſitas, repetendi verecundiam vincet. Deinde cum bono viro beneficium do, ſic do, tanquam nunquam repe-

XXI. titurus, niſi neceſſe fuerit. Sed lex, inquit, non permittendo exigere, vetuit. Multa legē non habēt, nec actionem: ad quae conſuetudo vitae humanae, lege omni valentior, dat aditum. Nulla lex iubet amicorū ſecreta non eloqui, nulla lex fidem etiam inimico praeſtare. Quae lex ad id praeſtandum nos quod alicui promiſimus, alligat? Querar tamen cū eo qui arcanū ſermonem non continuerit, & fidem datam, nec ſeruatā, indignabor. Sed ex beneficio, inquit, creditum facis. Minime. Non enim exigo, ſed repeto: & ne repeto quidem, ſed admoneo.[11] Ne vltima quidem neceſſitas in hoc aget, vt ad eū veniam,[g] cum quo diu mihi luctandum ſit. Qui tam ingratus eſt, vt illi non ſit ſatis admoneri, eum tranſibo, nec dignum iudicabo, qui gratus eſſe cogatur. Quomodo fenerator quoſdam debitores non appellat, quos ſcit decoxiſſe, & in quorum pudorem nihil ſupereſt, quod pereat: ſic ego quoſdam ingratos palam ac pertinaciter praeteribo, nec ab vllo beneficium repetam, niſi a quo non

XXII. ablaturus ero, ſed recepturus. Multi ſunt, qui nec negare ſciant, quod acceperunt, nec referre: qui nec tam boni ſunt quàm grati, nec tam mali quàm ingrati, ſegnes & tardi, lenta nomina, non mala. Hos ego non appellabo, ſed commonefaciam, & ad officium aliud agētes educam, qui ſtatim mihi ſic reſpondebunt: Ignoſce, non mehercule ſciui hoc te deſiderare, alioquin vltro obtuliſſem. Rogo ne me ingratum exiſtimes. memini quid mihi praeſtiteris. Hos ego quare dubitem, & ſibi meliores & mihi facere? Quemcunque potuero peccare prohibeo, multo magis amicum, & ne peccet, & ne in me potiſſimum peccet. Alterum illi beneficium do, ſi illum ingratum eſſe nō patior: nec dure illi exprobrabo quae praeſtiti, ſed quàm potero molliſſime, vt poteſtatem referendae gratiae faciam, renouabo memoriam eius, & petam beneficium: ipſe me repetere intelliget. Aliquando vtar verbis durioribus, ſi emendari illum ſperauero poſſe. Nam deploratum propter hoc quoque non exagitabo, ne ex ingrato inimicum faciam. Quòd ſi admonitionis quoque ſuggillationem ingratis remittimus, ſegniores ad reddenda beneficia faciemus. Quoſdam vero ſanabiles & qui fieri boni poſſint,[h] ſi quid illos remorderet, perire patiemur admonitione ſublata, qua & pater filium aliquando correxit, & vxor maritum aberrantem ad ſe reduxit, & amicus languentem ami-

XXIII. ci fidem erexit. Quidam vt expergiſcantur, non feriendi, ſed commouendi ſunt. Eodem modo quotundam[i] ad referendam gratiam fides non ceſſat, ſed languet. Hanc peruellamus. Noli munus tuum in iniuriam vertere. Iniuria eſt enim, ſi in hoc non repetis, vt ingratus ſim. Quid ſi ignoro, quid deſideres? Quid ſi occupationibus diſtrictus, & in alia vocatus, occaſionem non obſeruaui? Oſtende mihi quid poſſim, quid velis. Quare deſperas, antequā tentas? Quare properas & beneficium & amicum perdere? Vnde ſcis nolim, an ignorem, an animus, an facultas deſit mihi? Experire. Admonebo ergo, non amare, non palam: ſine con-

XXIIII. uicio: ſic, vt ſe rediſſe in memoriam, non reduci putet. Cauſam dicebat apud diuum Iulium[k] ex veteranis quidam paulo violentior aduerſus vicinos ſuos, & cauſa premebatur. Meminiſti, inquit, Imperator in Hiſpania talum te torſiſſe circa Sucronem? cum Caeſar meminiſſe ſe dixiſſet: Meminiſti quoque, inquit, ſub quadam arbore minimum vmbrae ſpargēte, cum velles reſidere feruentiſſimo ſole, & eſſet aſperrimus locus, in quo ex rupibus acutis, vnica illa arbor eruperat,[l] quendam ex commilitonibus penulam ſuam ſubſtrauiſſe? Cum dixiſſet Caeſar: Quid ni meminerim?[m] & quidem ſiti confectus, quia impeditus ire ad fontem proximum non poteram, repere manibus volebam,[n] niſi commilito, homo fortis ac

ſtrenuus,

ſtrenuus aquam mihi in galea ſua attuliſſet. Potes ergo, inquit, Imperator, agnoſcere illum hominem, aut illam galeam? Caeſar ait, ſe non poſſe galeam agnoſcere, hominem pulchre poſſe: & adiecit, puto ob hoc iratus, quòd ſe a cognitione media ad veterem fabulam abduceret: Tu vtique ille non es. Merito, inquit, Caeſar me non agnoſcis. nam cum hoc factum eſt, integer eram. poſtea ad Mundam in acie oculus mihi effoſſus eſt, & in capite lecta oſſa. [o] Nec galeam illam ſi videres, agnoſceres. [p] Machaera enim Hiſpana diuiſa eſt. Vetuit illi [q] exhiberi negotium Caeſar: [r] & agellos, in quibus vicinalis via, cauſa rixae ac litium fuerat, [s] militi ſuo donauit. Quid ergo? non repeteret bene- XXV.
ficium ab Imperatore, cuius memoriam multitudo rerum confuderat? quem fortuna ingens, exercitus diſponentem, non patiebatur ſingulis militibus occurrere? Non eſt hoc repetere beneficium, ſed reſumere bono loco poſitum & paratum: ad quod tamen vt ſumatur, manus porrigenda eſt. Repetam itaque, quia hoc aut neceſſitate facturus ero, aut illius cauſa, a quo repetam. Tiberius Caeſar inter initia dicenti cuidam, Meminiſti, antequam plures notas familiaritatis veteris proferret: Non memini, inquit, quid fuerim. Ab hoc nedum eſſet repetendum beneficium, [t] optanda erat obliuio. Auerſabatur omnium amicorum & aequalium notitiam, & illam ſolam praeſentem fortunam ſuam aſpici; illam ſolam cogitari ac narrari volebat: inquiſitorem habebat veterem amicum. Magis tempeſtiue repetendum eſt beneficium, quàm petendum. Adhibenda verborum moderatio, vt nec ingratus poſſit diſſimulare. Tacendum & expectandum, ſi inter ſapientes viueremus: & tamen ſapientibus quoque indicare [u] melius fuiſſet, quid rerum noſtrarum ſtatus poſceret. Deos, quorum notitiam nulla res effugit, rogamus: & illos vota non exorant, ſed admonent. Diis quoque, inquam, Homericus ille ſacerdos allegat officia, & aras religioſe cultas, quo obſequentes faciat. & parent. Moneri velle ac poſſe, ſecunda virtus eſt. Huc illuc fraenis leniter motis flectendus eſt animus, [v] paucis ſui rector optimus. proximi ſunt, qui admoniti in viam redeunt. His non eſt dux detrahendus. [w] Opertis oculis ineſt acies, ſed ſine vſu, [x] quam lumen a diis immiſſum ad miniſteria ſua euocat. Inſtrumenta ceſſant, niſi illa in opus ſuum artifex mouerit. Ineſt interim animis voluntas bona: ſed torpet, modo deliciis ac ſitu, modo officij inſcitia. Hanc vtilem facere debemus: nec irati relinquere in vitio, ſed vt magiſtri puerorum diſcentium patienter ferre offenſationes memoriae labentis. Quae, quemadmodum ſubiecto vno aut altero verbo, ad contextum reddendae orationis adducta eſt, ſic ad referendam gratiam admonitione reuocanda eſt.

LIBRI QVINTI DE BENEFICIIS FINIS.

M. ANTONII MVRETI AD QVINTVM LIBRVM SENECAE DE beneficiis Notae.

IN SVPERIORIBVS libris] *Opinor legendum*, Quattuor ſuperioribus libris. *Sed illud* Quattuor, *ita ſcriptum fuiſſe, IV. inde datam errori cauſam.* CAP. I.

2 Dependere.] *Soluere. Inde Actio de bene depenſo.*

3 Si illa concito odiſſe properaueris.] *Nihil velim temere affirmare. Sed pro* concito, *legendum putem*, non cito.

4 Aut omnino non reddidit,] *Alij*, aut omnia. *Sed haec veterum librorum ſcriptura eſt, & quidem perſpicue melior.* II.

5 Si ſcit debere,]*Particulam* ſi *alij omnes omiſerant, & locum male diſtinxerant.* IIII.

6 Alexander Macedonum rex] *Eadem gloriatio Scipionis:* VI.

Cui nemo ciuis neque hoſtis
Quiuit pro factis reddere opraepretium.

7 Id ex ipſo vocabulo apparet,] *Male alij* Idem, *pro* Id ex. X.

8 Quidni? cum inter ea] *In alys*, Quid? cum inter ea. *quomodo deprauatur sententia.*

XIII. 9 Illa a stulto ac malo submouentur.] *Voces duas ab aliis interiectas deleni, vt redundantes.*

10 Commoda & expetenda] εὔχρηστα καὶ προηγμένα. *Voces Stoicorum propria.*

XIIII. 11 Cui tamenetsi malus est,] *De hac voce scripsi capite xviij. libri xi. Var. lect.*

XV. 12 Ad alios spectat verum.] *In aliis omnibus editionibus ita deformatus erat hic locus, vt non intelligeretur.*

13 Non ex philosophotum domo clamat,] *Cum in vetere libro scriptum viderem* clamet, *ausus sum vnam litteram addere, & edendum curaui*, clam, set: *neque dum me illius mutationis piget.*

XVI. 14 Romana funera] *Ita melius indicaui, quàm, vt vulgo editum erat,* omnia funera. *Paulo post etiam, vbi legebatur* exilij, *malui* exitij.

15 Durioribus remediis quàm pericula erant,] *Videtur respexisse ad illum apud Graecos nobilem versum:*

Τὸ φάρμακόν σου τὴν νόσον μείζω ποιεῖ.

XVII. 16 Vltra res proximas] *Ita dicit res, vt cum dicimus res prolatas, aut ad res redire.*

17 Praefato tempore.] προειμαρμένῳ. *ab eadem enim origine est fatum.*

XX. 18 At si terram ignoto mortuo inieci,] *Hoc inter praecipua humanitatis officia numerabant. Virgilius*: aut tu mihi terram Iniice. *Horatius*: Licebit, iniecto ter puluere curras.

19 Si malo viro dedisti, flerem.] *Sunt qui legant*, Si malo viro dedisti, fle rem, *quo nihil stultius. Quando enim cuiquam auctor esset Seneca, vt fleret? Ego, extritis tribus litteris, lego*, Si malo viro dedisti, fer.

20 Ne esset mihi opus auxilio hominis ingrati.] *Alij omnes omiserant vocem* opus.

XXI. 21 Ne vltima quidem necessitas] *Male aly*, Nam vltima quoque.

LIBER SEXTVS.

CAP. I.

QVAEDAM, Liberalis virorum optime, exercendi tantum ingenij causa quaeruntur, & semper [1] extra viam iacent: quaedam & dum quaeruntur, oblectamento sunt, & quaesita vsui. Omnium tibi copiam faciam. Tu illa, vtcunque tibi visum erit, aut peragi iubeto, aut ad explicandum ludorum ordinem induci. [a] His quoque si abire protinus iusseris, nonnihil actum erit. Nam etiam quod discere superuacuum est, [b] prodest cognoscere. Ex vultu igitur tuo pendebo, prout ille suaserit mihi: alia de-
II. tinebo diutius, alia expellam. [c] An beneficium eripi possit, quaesitum est. Quidam negant posse. Non enim res est, sed actio: quomodo aliud est munus, aliud ipsa donatio: aliud qui nauigat, aliud ipsa nauigatio. Et quàuis aeger non sit sine morbo, non tamen idem est aeger & morbus. Ita aliud est beneficium ipsum, aliud quod ad vnumquenque nostrum beneficio peruenit. Illud incorporale est, irritum non fit: [d] materia illius huc & illuc iactatur, & dominum mutat. Itaque tu tuum eripis. ipsa rerum natura reuocare quod dedit non potest. Beneficia sua interrumpit, non rescindit. Qui moritur, tamen vixit: qui amisit oculos, tamen vidit. Quae ad nos peruenerunt, ne sint effici potest: [2] ne fuerint, non potest. Pars autem beneficij & quidem certissima est, quae fuit. Nonnunquam vsu beneficij longiore prohibemur, beneficium quidem ipsum non eraditur. Licet omnes in hoc vires suas natura aduocet, retro illi agere se non licet. Potest eripi domus, & pecunia, & mancipium, & quicquid est, in quo haesit beneficij nomen. Ipsum vero stabile & immotum est. Nulla vis
III. efficiet, ne hic dederit, ne ille acceperit. Egregie mihi videtur M. Antonius [e] apud Rabirium poetam cum fortunam suam transeuntem alio videat, & sibi nihil relictum, praeter ius mortis, id quoque, si cito occupauerit, exclamare: [3] Hoc habeo quodcunque dedi. O quantum habere potuit, si voluisset. Hae sunt diuitiae certae, in quacunque sortis humanae leuitate vno loco permansurae: quae quo maiores fuerint, hoc minorem habebunt

bunt inuidiam. Quid tanquam tuo parcis? Procurator es. Omnia ista quae vos tumidos, & supra humana elatos, obliuisci cogunt vestrae fragilitatis, quae ferreis claustris custoditis armati,[f] quae ex alieno sanguine rapta vestro defenditis, propter quae classes cruentaturas maria deducitis, propter quae quassatis vrbes, ignari, quantum telorum in aduersos fortuna comparet, propter quae ruptis toties affinitatis, amicitiae, collegij foederibus, inter contendentes duos terrarum orbis elisus est, non sunt vestra: in depositi causa sunt, iam iamque ad alium dominum spectantia, aut hostis illa, aut hostilis animi successor inuadet. Quaeris[g] quomodo illa tua facias? dono dando. Consule ergo rebus tuis, & certam tibi earum atque inexpugnabilem possessionem para, honestiores illas non solum, sed tutiores facturus. illud quod suspicis, quo te diuitem ac potentem putas, quandiu possides, sub nomine sordido iacet. Domus est, seruus est, nummi sunt. cum donasti, beneficium est.

IIII Fateris, inquit, nos aliquando beneficium non debere ei, a quo accepimus: ergo ereptum est. Multa sunt propter quae[h] beneficium debere desinimus: non quia ablatum, sed quia corruptum est. Aliquis reum me defendit: sed vxorem meam per vim stupro violauit. Non abstulit beneficium, sed opponendo illi parem iniuriam, soluit me debito: & si plus laesit, quàm ante profuerat, non tantum gratia extinguitur, sed vlciscendi querendique libertas fit, vbi in comparatione beneficij praeponderauit iniuria. ita non aufertur beneficium, sed vincitur.[i] Quid? non tam duri quidam, & tam scelerati patres sunt, vt illos auersari & eiurare ius fasque sit? Nunquid ergo illi abstulerũt, quae dederant? Minime. sed impietas sequentium temporum commendationem omnis prioris officij sustulit. Non beneficium tollitur, sed beneficij gratia: & efficitur, non, ne habeam, sed ne debeam.[k] Pecuniam aliquis mihi credidit: sed domum meam incendit. pensatum est creditum damno. nec reddidi illi, nec tamen debeo. Eodem modo & hic: quia aliquid benigne aduersus me fecit, aliquid liberaliter, sed postea multa superbe, contumeliose, crudeliter, eo loco me posuit, vt perinde liber aduersus eum sim, quasi non accepissem. Vim beneficiis suis attulit. Colonum suum non tenet, quamuis tabellis manentibus, qui segetem eius proculcauit, qui succidit arbusta: non quia recepit quod pepigerat, sed quia ne reciperet, effecit. Sic debitori suo creditor saepe damnatur, vbi plus ex alia causa abstulit,[l] quàm ex credito petit. Non tantum inter creditorem & debitorem iudex sedet qui dicat, Pecuniam credidisti. Quid ergo? pecus abegisti, seruum eius occidisti, agellum quem non emeras, possides: aestimatione facta, debitor discede,[4] qui creditor veneras[m].[n] Saepe etiam beneficium manet, nec debetur, si secuta est dantem paenitentia, si miserum se dixit, quòd dedisset, si cum daret, suspirauit, vultum obduxit, perdere se credidit, non donare: si sua causa, aut certe non mea dedit: si non desiit insultare, gloriari, & vbique iactare, & acerbum munus suum facere. Manet itaque beneficium, quamuis non debeatur: sicuti quaedam pecuniae, de quibus ius creditori non dicitur, debentur, sed non exiguntur.

V Inter beneficia quoque & iniurias ratio confertur. Dedisti beneficium: iniuriam postea fecisti. Et beneficio gratia debetur, & iniuriae vltio. Nec ego illi gratiam debeo, nec ille mihi poenam. Alter ab altero absoluitur. Cum dicimus, Beneficium illi reddidi: non hoc dicimus, illud nos quod acceperamus reddidisse, sed aliud pro illo.[5] Reddere enim est, rem pro re dare. Quid ni? cum omnis solutio non idem reddat, sed tantundem. Nam & pecuniam dicimur reddidisse, quamuis numerauimus pro argenteis aureos, quamuis non interuenerint nummi, sed[6] delegatione & verbis perfecta solutio sit. Videris mihi dicere: Perdis operam. Quorsum enim pertinet scire me, an maneat quod non debetur? Iurisconsultorum istae[7] [o]acutae ineptiae sunt, qui hereditatem negant vsucapi posse, sed ea quae in hereditate sunt: tanquam quicquam aliud sit hereditas, quàm ea quae in hereditate sunt. illud mihi potius distingue, quod potest ad rem pertinere, cum idem homo beneficium mihi dedit, & postea fecit iniuriam, vtrum & beneficium illi reddere debeam, & me ab illo nihilominus vindicare, ac veluti duobus nominibus separatim respondere: an alterum alteri[8] contribuere, & nihil negotij habere, vt beneficiũ iniuria tollatur, beneficio iniuria. Illud enim video in foro fieri. quid in vestra schola iuris sit, vos sciatis. Separantur actiones, & de eo quod agimus, de eodem nobiscum agitur. Confunditur formula. si qui apud me pecuniam deposuerit, idem mihi postea furtum fecerit, & ego cum illo furti agam, & ille mecum depositi.

VI Quae proposuisti, mi Liberalis, exempla, certis legibus continentur, quas necesse est sequi: lex legi non miscetur.[p] Vtraque sua via it: depositum habet suam actionem propriam, tam mehercule quàm furtum. Beneficium nulli legi subiectum est: me arbitro vtitur: licet me comparare inter se quantum profuerit mihi quisque, aut quantum nocuerit: tum pronuntiare, vtrum plus debeatur mihi, an debeam. In illis nihil est nostrae potestatis: eũdum est, quà ducimur. In beneficio tota potestas mea est.

ego itaque iudico illa, non ſeparo, nec diduco, ſed iniurias ac beneficia ad eundem iudicem mitto. Alioquin iubes me eodem tempore amare & odiſſe, queri & gratias agere: quod natura non recipit. Potius comparatione facta inter ſe beneficij & iniuriae, videbo [9] an etiam vltro mihi debeatur. Quomodo ſi quis ſcriptis noſtris, alios ſuperne imprimat verſus, priores litteras non tollit, ſed abſcondit: [6] ſic beneficium ſuperueniens iniuriam ap-
VII. parere non patitur. [7] Vultus tuus, cui regendum me tradidi, colligit rugas, & attrahit frontem, quaſi longius exeam. Videris mihi dicere:

[8] *Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige curſum.*
Littus ama. ——

Non poſſum magis. Itaque ſi huic ſatisfactum exiſtimas, illo tranſeamus, an ei debeatur aliquid qui nobis inuitus profuit. Hoc apertius potui dicere, niſi propoſitio deberet eſſe confuſior, vt diſtinctio ſtatim ſubſecuta oſtenderet vtrumque quaeri, an ei deberemus, qui nobis, dum non vult, profuit: & an ei, qui dum neſcit. Nam ſi quis coactus aliquid boni fecit, quin nos non obliget, manifeſtius eſt, quàm vt vlla in hoc verba impendenda ſint. Et haec quaeſtio facile expeditur, & ſi qua ſimilis huic moueri poteſt, ſi totiens illo cogitationem noſtram conuerterimus. Beneficium nullum eſt, niſi quod ad nos primum aliqua cogitatio defert, deinde amica & benigna. Itaque nec fluminibus gratias agimus, quamuis aut magna nauigia patiantur, & ad ſubuehendas copias largo ac perenni alueo currant, aut piſcoſa & amoena pinguibus aruis interfluant: nec quiſquam Nilo beneficium debere ſe iudicat, non magis quàm odium, ſi immodicus ſuperfluxit, tardeque receſſit: nec ventus beneficium dat, licet lenis & ſecundus aſpiret: nec vtilis & ſalubris cibus. Nam qui beneficium mihi daturus eſt, debet non tantum prodeſſe, ſed velle. Ideo nec mutis animalibus quicquam debetur. Et quàm multos e periculo velocitas equi rapuit? nec arboribus. Et quàm multos aeſtu laborantes, ramorum opacitas texit? Quid autem intereſt, vtrum mihi qui neſcit, profuerit, an qui ſcire non potuit? cum vtrique velle defuerit? Quid autem intereſt, vtrum me iubeas naui, aut vehiculo, aut lanceae debere beneficium: an ei qui aeque
VIII. quàm iſta propoſitum benefaciendi nullum habuit, ſed profuit caſu? Beneficium aliquis neſciens accipit, nemo a neſciente. Quomodo multos fortuita ſanant, nec ideo remedia ſunt, [6] & in flumen alicui cecidiſſe frigore magno, cauſa ſanitatis fuit: quomodo quorundam, flagellis quartana diſcuſſa eſt, & metus repentinus animum in aliam curam auertendo ſuſpectas horas fefellit: nec ideo quicquam horum etiam ſi ſaluti fuit, ſalutare eſt: ſic quidam nobis proſunt, dum nolunt: immo quia nolunt, non tamen ideo illis beneficium debemus. Quid ſi pernicioſa illorum conſilia fortuna deflexit in melius, an exiſtimas me debere ei quicquam, cuius manus cum me peteret, percuſſit hoſtem meum, qui nocuiſſet, niſi erraſſet? Saepe teſtis dum aperte peierat, etiam veris teſtibus abrogauit fidem, & reum velut factione circumuentum miſerabilem reddidit. Quoſdam ipſa quae premebat potentia eripuit: & iudices quem damnaturi erant cauſa, damnare gratia noluerunt. Non tamen hi beneficium dederunt, quamuis profuerint. Quia telum quo miſſum ſit, non quo peruenerit, quaeritur. Et beneficium ab iniuria diſtinguit, non euentus, ſed animus. Aduerſarius meus dum contraria dicit, & iudicem ſuperbia offendit, [11] & [10] vnum teſtem temere dimittit, cauſam meam erexit. Non quaero an pro me errauerit, quia contra me vo-
IX. luit. Nempe vt gratus ſim, velle debeo idem facere quod ille. Vt beneficium daret, velle debuit. Nam quid eſt iniquius homine, qui eum odit, a quo in turba calcatus, aut reſperſus, aut quo nollet, impulſus eſt? [y] At quid eſt aliud, quod illum querelae eximat, cum in re ſit iniuria, quàm neſciſſe quid faceret? Eadem res efficit ne hic beneficium dederit, ne ille iniuriam fecerit. Et amicum & inimicum voluntas facit. Quàm multos militiae morbus eripuit? quoſdam ne ad ruinam domus ſuae occurrerent, inimicus vadimonio tenuit: ne in piratarum manus peruenirent, quidam naufragio conſecuti ſunt. Nec his tamen beneficium debemus: quoniam extra ſenſum officij caſus eſt, nec inimico cuius nos lis exercuit, dum vexat ac detinet. Non eſt beneficium, niſi quod a bona voluntate proficiſcitur, niſi illud agnoſcit, qui dedit. Profuit aliquis mihi dum neſcit, nihil illi debeo. Profuit cum vel-
X. let nocere, imitabor ipſum. [u] Ad primum illum reuertamur. vt gratiam referam, aliquid facere me vis: ipſe vt beneficium mihi daret, nihil fecit. Vt ad alterum tranſeamus, vis me huic gratiam referre, vt quod a nolente accepi, volens reddam. Nam quid de tertio loquar, qui ab iniuria in beneficium delapſus eſt? Vt beneficium tibi debeam, parum eſt voluiſſe te dare: [x] vt non debeam, ſatis eſt, noluiſſe. Beneficium enim voluntas nuda non efficit: ſed quod beneficium non eſſet, ſi optimae ac pleniſſimae voluntati fortuna deeſſet, id aeque beneficiũ non eſt, niſi fortunam voluntas anteceſſit. Non enim profuiſſe te mihi oportet, vt

ob hoc

ob hoc tibi obliger, sed ex destinato profuisse. Cleanthes exemplo eiusmodi vtitur: xi.
Ad quaerendum, inquit, & accersendum ex academia Platonem, duos pueros misi. Alter
totam porticum perscrutatus est, alia quoque loca in quibus illum inueniri posse sperabat,
percurrit, & domum non minus lassus quàm irritus rediit. Alter apud proximum circulatorem
resedit, & dum vagus atque erro vernaculis congregatur & ludit, transeuntem Platonem,
quē non quaesierat, inuenit. Illum, inquit, laudabimus puerum, qui, quantum in se erat,
quod iussus est fecit: hunc feliciter inertē castigabimus. Voluntas est, quae apud nos ponit
officium: cuius vide quae cōditio sit, vt me debito obstringat. Parū est illi velle, nisi profuit:
parum est profuisse, nisi voluit. Puta enim aliquem donare voluisse, nec donasse. animū quidem
eius habeo, sed beneficiū non habeo: quod cōsummat & res, & animus. Quemadmodū
ei qui voluit mihi pecuniā credere, sed non credidit, nihil debeo: ita ei qui voluit mihi beneficium
dare, sed non potuit, amicus quidem ero, sed nō obligatus. Et volam illi aliquid praestare:
nam & ille voluit mihi. Ceterum si benigniore fortuna vsus praestitero, beneficium
dedero, non gratiam retulero. Ille mihi gratiam debebit referre: huic initium a me fiet numerandi.
Intelligo iam quid velis quaerere.[y] Non opus est te dicere. vultus tuus loqui- xii.
tur. Si quis sua causa nobis profuit, ei ne, inquis, debetur aliquid? Hoc enim saepe te conquerentem
audio, quòd '' quaedam homines sibi praestant, aliis imputant. Dicam, mi Liberalis:
sed prius hanc quaestiunculam diuidam, & rem aequam ab iniqua separabo. Multum enim
interest, vtrum aliquis beneficium nobis det sua causa, an nostra: an sua & nostra. Ille qui totus
ad se spectat, & nobis prodest, quia aliter sibi prodesse non potest: eo loco mihi est, quo
qui pecori suo hibernum & aestiuum pabulum prospicit: eo loco quo qui captiuos suos, vt
commodius veneant, pascit, & opimos boues saginat ac defricat; quo lanista, qui familiam
suam summa cura exercet atque ornat. Multum (vt ait Cleanthes) a beneficio distat negotiatio.
Rursus non sum tam iniquus, vt nihil ei debeam, qui cum mihi vtilis esset, fuit xiii.
& sibi. Non enim exigo, vt sine respectu sui mihi consulat: immo etiam opto, vt beneficium
mihi datum, vel magis danti profuerit: dummodo id qui dabat duos intuens dederit, & inter
me seque diuiserit. Licet id ipse ex maiore parte possideat, si modo me in consortium admisit,
si duos cogitauit, ingratus sum, non solū iniustus, nisi gaudeo hoc illi profuisse, quod
proderat mihi. Summae malignitatis est, non vocare beneficium, nisi quod dantem aliquo
incommodo affecit. Aliter illi qui beneficium dat sua causa, respondebo. [z] Quare potius te
mihi profuisse dices, quàm me tibi? Puta, inquit, aliter fieri non posse me magistratū, quàm si
decem captos ciues ex magno captiuorum numero redemero. nihil debebis mihi, cum te
seruitute ac vinculis liberauero? Atqui mea id causa faciam. [a] Aduersus hoc respondeo. Aliquid
istic tua causa facis, aliquid mea. Tua, quòd redimis: mea, quòd eligis: tibi enim ad vtilitatem
tuam satis est, quoslibet redemisse. Itaque debeo, non quòd redimis me, sed quòd
eligis. poteras enim & alterius redemptione [b] idem consequi quod mea. Vtilitatem rei partitis
mecum, & me in beneficium recipis, duobus profuturum. Praefers me aliis: hoc totum
mea causa facis. Itaque si praetorem te factura esset decem captiuorum redemptio, decem
autem soli captiui essemus, nemo quicquam tibi deberet ex nobis; quia nihil haberes quod
cuiquam imputares, a tua vtilitate seductum. Non sum iniquus beneficij interpres: nec desidero
illud mihi tantum dari, sed & tibi. Quid ergo, inquit, si in sortem nomina vestra xiiii.
coniici iussissem, & tuum nomen inter redimendos exisset, nihil deberes mihi? immo deberem,
sed exiguum. Quid sit hoc dicam. Aliquid mea causa facis, quòd me ad fortunam redemptionis
admittis. quòd nomen meum exiit, sorti debeo: quod exire potuit, tibi. Aditum
mihi ad beneficium tuum dedisti, cuius maiorem partem fortunae debeo: sed hoc ipsum tibi,
quod fortunae debere potui. Illos ex toto praeteribo, quorum mercenarium beneficium
est: quod qui dat, non computat cui, sed quanti daturus sit, quod vndique in se conuersum
est. Vendit mihi aliquis frumentum. viuere non possum, nisi emero: sed non debeo vitam,
quia emi. Nec quàm necessarium fuerit, aestimo, sine quo victurus non fui: [c] sed quàm gratuitum,
quod non habuissem, nisi emissem: in quo inuehendo mercator non cogitauit, quātum
auxilij allaturus esset mihi, sed quantum lucri sibi. Quod emi, non debeo. Isto mo- xv.
do, inquit, ne medico quidem debere te, nisi mercedulam dices: nec praeceptori, quia aliquid
numeraueris. Atqui omnium horum apud nos magna caritas, magna reuerentia est.
Aduersus hoc respondetur, quaedam pluris esse, quàm emūtur. Emis à medico rem inaestimabilem,
vitam ac valetudinem bonam: a bonarum artium praeceptore studia liberalia, &
animi cultum. Itaque his non rei pretium, sed operae soluitur, quòd deseruiunt, quòd a rebus
suis auocati nobis vacant. Mercedem non meriti, sed occupationis suae ferunt. Aliud
tamen dici potest verius, quod statim ponam, si prius quomodo istud refelli possit, osten-

dero. Quaedam, inquit, pluris sunt quàm vaenierunt, & ob hoc aliquid mihi extra pro illis, quamuis empta sint, debes. Primum quid interest quanti sint, cum de pretio inter ementem & vendentem conuenerit? Deinde non vaeniit illud suo pretio, sed tuo. Pluris est, inquit, quàm vaeniit. Sed pluris vaenire non potuit. Pretium autem cuiusque rei pro tempore est. Cum bene ista laudaueris: tanti sunt, quanto pluris vaenire non possunt. Praeterea nihil venditori debet, qui bene emit. Deinde etiam si pluris ista sunt, non tamen vllum istic tuum munus est, vt non ex vsu effectuue, sed ex consuetudine & annona aestimetur. Quod tu pretium ponis traiicienti maria, & per medios fluctus,[d] cum e terrae conspectu recessit, certam secanti viam, & prospicienti futuras tempestates, & securis omnibus iubenti subito vela stringi, armamenta demitti, paratos ad incursum procellae, & repentinum impetum stare? Huic tamen tantae rei praemium vectura persoluit. Quanti aestimas in solitudine hospitium, in imbre tectum, in frigore balneum, aut ignem? Scio tamen quanti ista consecuturus diuersoriū subeam. Quantum nobis praestat, qui labentem domum fulcit? & agentem ex imo rimas, insulam incredibili arte suspendit? Certo tamen & leui pretio fultura conducitur. Murus nos ab hostibus tutos, & a subitis latronum incursionibus praestat. Notum est tamen, illas turres pro securitate publica propugnacula habituras ex-

XVI. citaturus faber quid in diem mereat. Infinitum erit, si latius exempla conquiram, quibus appareat, paruo magna constare. Quid ergo? quare medico & praeceptori plus quiddam debeo, nec aduersus illos mercede defungor? Quia ex medico ac praeceptore in amicum transeunt, & nos non arte quam vendunt, obligant, sed benigna & familiari voluntate. Itaque medico qui nihil amplius quàm manum tangit, & me inter eos,[12] quos perambulat, ponit, sine vllo affectu facienda vitandaue praecipiens, nihil amplius debeo: [e] quia me non tanquam amicum vidit, sed[13] tanquam imperatorem. Ne praeceptorem quidem habeo cur venerer, si me in grege discipulorum habuit, si non putauit dignum propria & peculiari cura, si nunquam in me direxit animum, & cum in medium effunderet, quae sciebat, non didici, sed excepi. Quid ergo est, quare istis debeatur multum? non quia pluris est quod vendiderunt quàm emimus, sed quia nobis ipsis aliquid praestiterunt: [f] Ille plus impendit, quàm medico necesse est. Pro me, non pro fama artis, extimuit. Non fuit contentus remedia monstrare, sed admouit. Interea solicitus assedit, ad suspecta tempora occurrit. Nullum ministerium oneri illi, nullum fastidio fuit. Gemitus meos [14] non securus excepit. In turba multorum inuocantium, ego illi potissima cura fui. Tantum aliis vacauit, quantum mea valetudo permiserat. Huic ego non tanquam medico, sed tanquam amico obligatus sum. Alter rursus[g] in docendo & laborem & taedium tulit, praeter illa quae praecipientibus in commune dicuntur, aliqua instillauit ac tradidit, hortando bonam indolem erexit, & modo laudibus fecit animum, modo admonitionibus discussit desidiam. Tum ingenium latens & pigrum,[h] iniecta (vt ita dicam) manu, extraxit, nec quae sciebat, maligne dispensauit, quo diutius esset necessarius, sed cupiit,[i] si posset, vniuersa transfundere. Ingratus sum, nisi illum inter gratissimas necessitudines diligo.

XVII. Sordidissimorum quoque artificiorum institoribus supra constitutum aliquid adiicimus, si nobis opera illorum enixior visa est: & gubernatori, & opifici vilissimae mercis, & in diem se locanti corollarium aspersimus. In optimis vero artibus quae vitam aut conseruant, aut excolunt, qui nihil se plus existimat debere quàm pepigit, ingratus est. Adiice, quòd talium studiorum traditio miscet animos. hoc cum factum est, tam medico quam

XVIII. praeceptori pretium operae soluitur, animi debetur. Plato cum flumen naue transisset, nec ab illo quicquam portitor exegisset, honori hoc suo datum credens, dixit positum illi esse apud Platonem officium. Deinde paulo post, cum alium atque alium gratis eadem transueheret sedulitate, negauit illi iam apud Platonem positum officium. Nam vt tibi debeam aliquid, pro eo quod praestas, debes non tantum mihi praestare, sed tanquam mihi. Non potes ob id quenquam appellare, quod spargis in populum.[k] Quid ergo? Nihil debetur pro hoc? Nihil tanquam ab vno. cū omnibus soluam, quod tibi cum omnibus debeo.

XIX. Negas, inquit, vllum dare beneficium eum, qui me gratuita naue per flumen Padum tulit? Nego. Aliquid boni facit, beneficium non dat. Facit enim sua causa, aut vtique non mea. Ad summam, ne ipse quidem se mihi beneficium iudicat dare: sed aut reip. aut viciniae, aut ambitioni suae praestat: & pro hoc aliud quoddam commodum expectat, quàm[k] quod a singulis recepturus est. Quid ergo, inquit, si princeps ciuitatem dederit omnibus Gallis, si immunitatem Hispanis,[l] nihil hoc nomine singuli debebunt? Quid ni debeant? Debebunt autem non tanquam proprium beneficium, sed tanquam publici partem. Nullam, inquit, habuit cogitationem mei. Illo tempore, quo vniuersis proderat, noluit mihi

proprie

proprie ciuitatem dare:nec in me direxit animum. Ita quare ei debeā qui me ſibi non ſubſti-
tuit,cum facturus eſſet,quod fecit? Primum cum cogitauit Gallis omnibus prodeſſe,& mihi
cogitauit prodeſſe. Eram enim Gallus:& me,etiam ſi non mea, publica tamē nota compre-
hendit.[m] Deinde ego quoque illi non tanquam proprium debebo,ſed cōmune. Vnus e po-
pulo,non tāquam pro me ſoluam, ſed tāquam pro patria cōferam. Si quis patriae meae XXI.
pecuniam credat,non dicam me illius debitorem,[n] nec hoc aes alienum profitebor, aut cā-
didatus, aut reus:ad exoluendum tamen hoc,portionē meam dabo. Sic iſtius muneris quod
vniuerſis datur,debitorem me nego:[o] quia mihi dedit quidem, ſed non propter me:& mihi
quidem,ſed neſciēs an mihi daret:nihilominus aliquid mihi dependendū ſciam, quia ad me
quoq; circuitu longo peruenit. Propter me factum debet eſſe quod me obliget. Iſto, inquit,
modo nec Lunae,nec Soli quicquā debes. Non enim propter te mouentur. Sed cum in hoc
moueantur,vt vniuerſa conſeruēt, & pro me mouētur. Vniuerſorum enim pars ſum. Adiice
nūc,quòd noſtra & horum condicio diſſimilis eſt. Nam qui mihi prodeſt,vt per me proſit &
ſibi,non dedit beneficium:quia me inſtrumētum vtilitatis ſuae fecit. Sol autem & Luna etiā
ſi nobis proſunt,nō in hoc tamen proſunt,vt per nos proſint ſibi. Quid enim nos illis cōferre
poſſumus? Sciam,inquit,Solem ac Lunam nobis velle prodeſſe,ſi nolle potuerint.illis XXII.
autem non licet nō moueri. Ad ſummam, conſiſtant, & opus ſuum intermittant. Hoc vide
quot modis refellatur. Nō ideo minus vult,qui non poteſt nolle.[p] Immo magnum argumē-
tum eſt firmae voluntatis,ne mutare quidem poſſe. Vir bonus non poteſt non facere, quod
facit:nō enim erit bonus, niſi fecerit. Ergo nec bonus vir beneficium dat, quia facit quod
debet. non poteſt autem non facere quod debet. Praeterea multū intereſt, vtrum dicas, Nō
poteſt hoc non facere,quia cogitur:an, Non poteſt nolle. Nam ſi neceſſe eſt illi facere, non
debeo ipſi beneficium, ſed cogenti. Si neceſſe eſt illi velle ob hoc quia nihil habet melius
quod velit, ipſe ſe cogit.[q] Ita quod tanquam coacto non deberem,tanquam cogenti debeo.
Deſinant,inquit,velle. Hoc loco tibi occurrat, Quis tam demens eſt, vt eam neget volunta-
tem eſſe, cui non eſt periculum deſinendi, vertendique ſe in contrarium: cum ex diuerſo
nemo aeque videri debeat velle, quàm cuius voluntas vſque eo certa eſt, vt aeterna ſit? An
ſi is quoque vult,qui poteſt ſtatim nolle,is non videbitur velle, in cuius naturam non cadit
nolle? Agedum, inquit, ſi poſſunt, reſiſtant. Hoc dicis, Omnia iſta ingentibus inter- XXIII.
uallis diducta, & in cuſtodiam vniuerſi diſpoſita, ſtationes ſuas deſerant, ſubita confuſione
rerum ſidera ſideribus incurrant,& rupta rerum concordia in ruinam diuina labantur, con-
textusque velocitatis citatiſſimae,[r] in tot ſaecula promiſſas vices in medio itinere deſti-
tuat, & quae nunc eunt alternis redeuntque opportunis libramentis, mundum ex aequo
temperantia, repentino concrementur incendio, & ex tanta varietate ſoluantur, atque
eant in vnum omnia. Ignis cuncta poſſideat, quem deinde pigra nox occupet, & profun-
da vorago tot deos ſorbeat.[s] Eſt tanti, vt tu coarguaris. iſta tibi[t] proſunt etiam inuito,
euntque iſta tua cauſa: etiam ſi maior illis alia, ac prior cauſa eſt. Adiice nunc, quòd XXIIII.
non externa cogunt deos, ſed ſua illis in legem aeterna voluntas eſt. ſtatuerunt quae non
mutarent. Itaque non poſſunt videri facturi aliquid,quamuis nolint: quia quicquid deſine-
re non poſſunt, perſeuerare voluerunt. Nec vnquam primi conſilij deos paenitet. Sine du-
bio illis deſciſcere in contrarium non licet. Sed non ideo, quia vis ſua illos in propoſito te-
net,[u] ex imbecillitate permanent: ſed quia non licet ab optimis aberrare, & ſic ire decre-
tum eſt. In prima autem illa conſtitutione, cum vniuerſa diſponerent,etiam noſtra viderūt,
rationemque hominis habuerunt. Itaque non poſſunt videri ſua tantum cauſa decurrere,
& explicare opus ſuum:quia pars operis ſumus & nos. Debemus ergo & Soli, & Lunae, &
caeteris caeleſtibus beneficium: quia etiam ſi potiora illis ſunt, in quae oriuntur,[v] nos ta-
men in maiora ituri iuuant. Adiice, quòd deſtinato iuuant. Ideoque obligati ſumus, qui
non in beneficium ignorantium incidimus, ſed haec quae accipimus, accepturos ſcierunt:
& quanquam maius illis propoſitum ſit, maiorque actus ſui fructus, quàm ſeruare mortalia:
tamen in noſtras quoque vtilitates a principio rerum praemiſſa mens eſt, & is ordo mundo
datus, vt appareat curam noſtri non inter vltima habitam. Debemus parentibus noſtris pie-
tatem. & multi non vt gignerent,coierunt. Dij non poſſunt videri neſciſſe,quid effecturi eſ-
ſent, cum omnibus alimenta protinus,[w] & alia vtilia prouiderint. nec eos per negligentiam
genuere, quibus tam multa genuerant. Cogitauit enim nos ante natura,quàm fecit. Nec tā
leue opus ſumus,vt illi potuerimus excidere. Vide quantum nobis permiſerit,[x] quàm nō in-
tra homines,humani imperij condicio ſit. Vide in quantum corporibus vagari liceat,[y] quae
non coërcuit fine terrarum, ſed omnem in partem ſui miſit. Vide, animi quantum audeant,
quemadmodū ſoli aut nouerint deos, aut quaerāt, & mēte in altum data diuina comitētur.

Scias, non esse hominem tumultuarium & incogitatum opus. Inter maxima rerum suarum natura nihil habet quo magis glorietur, aut certe cui glorietur. Quantus iste furor est, controuersiam diis muneris sui facere? Quomodo aduersus eos hic erit gratus, quibus gratia referri sine impendio non potest,[a] qui negat ab his accepisse se, a quibus cum maxime accipit, qui & semper daturi sunt, & nunquam recepturi? Quanta autem peruersitas, ob hoc alicui non debere, quia etiam infitianti benignus est: & continuationem ipsam, seriemque beneficij, argumentum vocare necessario dantis? Nolo. sibi babeat. quis illum rogat?[a] & omnes alias impudentis animi voces his astrue. Non ideo de re minus meretur is, cuius liberalitas ad te etiam dum negas peruenit, cuiusque beneficiorum,[b] vel hoc maximum, quod etiã que-
XXIIII. renti daturus est. Non vides, quemadmodum teneram liberorum infantiam parentes ad salubrium rerum patientiam cogant? Flentium corpora, ac repugnantium, diligenti cura fouent: & ne membra libertas immatura detorqueat, in rectum exitura constringunt, & mox liberalia studia inculcant, adhibito timore nolentibus. Ad vltimum audacem iuuentã frugalitati, pudori, moribus bonis, si parum sequitur,[c] coactam applicant. Adolescentibus quoque, ac iam potentibus sui, si remedia metu aut intemperantia reiiciunt,[d] vis adhibetur, ac seruitus. Itaque beneficiorum maxima sunt, quae a parentibus accipimus, dum aut ne-
XXV. scimus, aut nolumus. His ingratis, & repudiantibus beneficia, non quia nolunt, sed ne debeant, similes sunt ex diuerso nimis grati, qui aliquid incommodi precari solent his quibus obligati sunt, aliquid aduersi, in quo affectum memorem accepti beneficij approbent. An boc recte faciant, & pia voluntate, quaeritur:[16] quorum animus similis est prauo amore flagrantibus, qui amicae suae optant exilium, vt desertam fugientemque comitentur: optãt inopiam, vt magis desideranti donent: optant morbum, vt assideant: & quicquid inimicus optaret, amantes vouent.[e] Fere idem itaque exitus est odij & amoris insani. Tale quiddam & his accidit, qui amicis incommoda optant, quae detrahant, & ad beneficium iniuria veniunt: cum sanctius sit vel cessare, quàm per scelus officio locum quaerere. Quid si gubernator a diis tempestates infestissimas & procellas petat, vt gratior ars sua periculo fiat? Quid si imperator deos oret, vt magna vis hostium circumfusa castris, fossas subito impetu compleat, & vallum trepidante exercitu conuellat, & in ipsis portis infesta signa constituat, quo maiore cum gloria rebus lapsis profligatisque succurrat? Omnes isti beneficia sua detestabili via ducunt, qui deos cõtra eum aduocant, cui ipsi affuturi sunt, & antè illos sterni, quàm erigi volunt. Inhumana ista, & peruersae grati animi natura est, contra eum optare, cui honeste
XXVI. deesse non possis. [f] Non nocet illi votum meum, inquit, quia simul opto & periculum & remedium. Hoc dicis, nonnihil te peccare, sed minus quàm si sine remedio periculũ optares. Nequitia est: vt extrahas, mergere: euertere, vt suscites: vt emittas, includere. Non est beneficium, iniuriae finis: nec vnquam id detraxisse meritum est, quod ipse qui detraxit, intulerat. Non vulneres me malo, quàm sanes. Potes inire gratiam, si quia vulneratus sum, sanas: non, si vulneras, vt sanandus sim. Nũquam cicatrix, nisi collata vulneri, placuit: quod ita coisse gaudemus, vt non fuisse mallemus. Si hoc ei optares, cuius nullum beneficium ha-
XXVII. beres, inhumanum erat votum: quãto inhumanius ei optas, cui beneficium debes? Simul, inquit,[g] vt possim ferre illi opem, precor. Primum, vt te in media parte voti tui occupem, iam ingratus es. Nondum audio quid illi velis praestare. scio quid illum velis pati. Sollicitudinem illi & metum, & maius aliquod imprecaris malum, vt ope indigeat. Hoc contra illum est.[h] Optas vt tua indigeat ope. Hoc pro te est. non succurrere vis illi, sed soluere. Qui sic properat,[17] ipse solui vult, non soluere. Ita quod vnum in voto tuo honestum videri poterat, turpe & ingratum est, nolle debere. Optas enim, non vt tu facultatem habeas referendae gratiae,[i] sed vt ille necessitatem implorandae. Superiorem te facis, & quod nefas est, bene meritum ad pedes tuos mittis. Quanto satius est, honesta volũtate debere, quàm per malam rationem soluere?[k] Si infitiareris quod acceperas, minus peccares: nihil enim nisi quod dederat, amitteret. Nunc vis illum subiici tibi iactura rerum suarum, & status mutatione in id deuocari, vt infra beneficia sua iaceat. Gratum te reputabo? coram eo, cui prodesse vis, opta. Votum tu istud vocas, quod inter gratum & inimicum potest diuidi? quod non dubites aduersarium & hostem fecisse, si extrema taceantur? Hostes quoque optauerunt capere quasdam vrbes, vt seruarent: & vincere quosdam, vt ignoscerent. Nec ideo non hostilia vota: in quibus quod mitissimum est, post crudelitatem venit. Denique qualia esse iudicas vota, quae nemo tibi minus volet, quàm is pro quo fiunt, succedere? Pessime cum eo agis, cui vis a diis noceri, a te succurri: inique cum ipsis diis. Illis enim durissimas partes imponis, tibi humanas. Vt tu prosis, dij nocebunt. Si accusatorem submitteres, quem deinde remoueres, si aliqua illum lite implicares, quam subinde discuteres, nemo de tuo scelere dubitaret. Quid

interest,

interest, vtrum istud fraude tentetur, an voto? Nisi quòd potentiores illi aduersarios quaeris. Non est quod dicas: Quam enim illi iniuriam facio? Votum tuum aut superuacuum est, aut iniuriosum: immo iniuriosum, etiam si irritum. Quicquid noo efficis, Dei muous est: iniuria vero, quicquid optas. Sat est. Tibi non aliter debemus irasci, quàm si feceris.

XXVIII. Si vota, inquit, valuissent, & in hoc valuissent, vt tutus esses. Primum certum mihi optas periculum sub incerto auxilio. Deinde vtrumque certum puta: quod nocet, prius est. Praeterea tu cōdicionem voti tui nosti. me tempestas occupauit, portus ac praesidij dubiū. Quantum existimas tormentum, etiam si accepero, eguisse? etiam si seruatus fuero, trepidasse? etiā si absolutus fuero, causam dixisse? Nullius metus tam gratus est finis, vt non gratior sit solida & inconcussa securitas. Opta vt reddere mihi beneficium possis, cum opus erit, non vt opus sit. Si esset in tua potestate quod optas, ipse fecisses.

XXIX. Quanto hoc honestius votū est? Opto in eo statu sit, quo semper beneficia distribuat, nunquam desideret. Sequatur illum materia, qua tam benigne vtatur largiendo iuuandoque, vt nunquam illi sit dandorum beneficiorum inopia, datorum paenitentia. Naturam per se pronam ad humanitatem, ad misericordiam & clementiam irritet ac prouocet turba gratorum: [l] quos illi & habere contingat, nec experiri necesse sit. Ipse nulli implacabilis sit, ipsi nemo placandus. Tam aequali in eum fortuna indulgentia perseueret, vt nemo in illum possit esse, nisi conscientia gratus. Quanto haec iustiora vota sunt, quae te in nullam occasionem differunt, sed gratum statim faciunt? Quid enim prohibet referre gratiam prosperis rebus? Quàm multa sunt, per quae quidquid debemus, reddere etiam felicibus possumos? Fidele consilium, assidua conuersatio, sermo comis, & sine adulatione iucundus, aures, si deliberare velit, diligentes, [m] tutae, secretae, cooiuictus familiaritas. Nemiocm tam alte secunda posuerunt, vt non illi eo magis amicus desit, quia nihil absit.

XXX. [n] Ista tristis, [o] & omni voto submouenda occasio, ac procul repellenda. Vt gratus esse possis, iratis diis opus est? Nec ex hoc quidem peccare te intelligis, quòd melius cum eo agitur, cui ingratus es. Propone in animo tuo carcerem, vincula, sordes, seruitutem, bellum, egestatem. Hae sunt occasiones tui voti. si quis tecum contraxit, per ista dimittitur. Quin potius eum potētem esse vis, cui plurimum debes, & beatum? Quid enim (vt dixi) vetat te referre etiam summa felicitate praeditis gratiam? cuius plena tibi occurret & varia materia. Quid? tu nescis debitum etiam locupletibus solui? Ne te inuitum distringam: Omnia sane excluserit opulenta felicitas: monstrabo tibi, cuius rei inopia laborent magna fastigia, quid omnia possideotibus desit. Scilicet ille, qui verum dicat, & hominem inter mentientes stupentem, ipsaque consuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum, [p] viodicet a consensu concentuque falsorum. Non vides quēadmodum illos in praeceps agat extincta libertas, & fides in obsequium seruile submissa, dū nemo ex animi sui sententia suader, dissuadetque, sed adulandi certamen est, & vnum amicorum omnium officium, vna contentio, quis blaodissime fallat? Ignorauere vires suas, & dum se tam magnos quàm audiunt, credunt, [q] attraxere superuacua, & in discrimen rerum omnium peruentura bella: vtilem & necessariam rupere concordiam: secuti itam, quam nemo reuocabat, multorum sanguinem hauserunt, fusuri nouissime suum, dum vindicant inexplorata pro certis, flectique noo minus existimant turpe quàm vinci, & perpetua credunt, quae in summum perducta maxime nutant. Ingentia [r] super se casura regna fregerunt, nec intellexerunt, in illa scena & vanis & cito diffluentibus bonis refulgente, ex eo tempore ipsos nihil noo aduersi expectare debuisse, ex quo nihil veri audire potuerunt.

XXXI. [s] Cū bellum Graeciae indiceret Xerxes, animum tumentem, oblitumque quàm caducis confideret, nemo non impulit. Alius aiebat, [t] non laturos nuntium belli, & ad primam aduentus famā, terga versuros. Alius, nihil esse dubij, quin illa mole non vinci solum Graecia, sed obrui posset: magis verendum, ne vacuas desertasque vrbes inuenirent, & profugis hostibus vastae solitudines relinquerentur, oon habituris, vbi tantas vires exercere possent. Alius, illi vix rerum naturam sufficere, angusta esse classibus maria, militi castra, explicandis equestribus copiis campestria, [u] vix patere caelum satis ad emittenda omni manu tela. Cum in hunc modū multa vndique iactarentur, quae hominem nimia aestimatione sui furentem concitarent, Demaratus Lacedaemonius solus dixit, ipsam illam qua sibi placeret multitudinem indigestam & grauem, metuendam esse ducenti: oon enim vires, sed poodus habere: immodica nunquam regi posse: nec diu durare, quicquid regi non potest. In primo, inquit, statim monte Lacones obiecti, dabunt tibi sui experimentum. Tot ista gentium milia trecenti morabūtur, haerebunt in vestigio fixi, [v] & cōmissas sibi angustias tuebuntur, & corporibus obstruēt. Tota illos Asia non mouebit loco. Tantas minas belli, & paene totius generis humani ruētis impetum, paucissimi sustinebunt. Cum te mutatis legibus suis natura transmiserit, in fo-

mita haerebis,& aestimabis futura damna,cum computaueris quanti Thermopylarum an-
gusta cōstiterint. Scies te fugari posse, cum scieris posse retineri. Cedent quidem tibi pluri-
bus locis [8] velut torrentis more ablati, cuius cum magno terrore prima vis defluit : [9] deinde
hinc atque illinc coorientur, & tuis te viribus prement. Verum est quod dicitur, maiorem
belli apparatum esse, quàm qui recipi ab his regionibus possit, quas oppugnare constituis.
Sed haec res cōtra nos est. Ob hoc ipsum te Graecia vincet,quia non capit. Vti toto te non
potes. Praeterea,quae vna rebus salus est,occurrere ad primos rerum impetus, & inclinatis
opem ferre nō poteris,nec fulcire ac firmare labātia. Multo ante vinceris, quàm victum esse
te sentias. Ceterum non est,quòd exercitum tuum ob hoc sustineri putes nō posse, quia nu-
merus eius duci quoque ignotus est. Nihil tam magnum est,quod perire nō possit:cui nasci-
tur in perniciem, vt alia quiescant, ex ipsa magnitudine sua causa. Acciderunt quae Dema-
ratus praedixerat. Diuina atque humana impellentem, & mutantem quicquid obstiterat,
trecenti stare iusserunt: [9] stratusque per totam passim Graeciam Xerxes intellexit,quantum
ab exercitu turba distaret. Itaque Xerxes pudore quàm damno miserior, Demarato gratias
egit,quòd solus sibi verum dixisset,& permisit petere quod vellet. petit ille, vt Sardis maxi-
mam Asiae ciuitatem curru vectus intraret, [10] rectam capite tiaram gerens. id solis datum
regibus. Dignus fuerat praemio antequam peteret: sed quàm miserabilis gens,in qua nemo
XXXII. fuit, qui verum diceret regi, [10] nisi qui non dicebat sibi. Diuus Augustus filiam intra
pudicitiae maledictum impudicam relegauit, & flagitia principalis domus in publicū emi-
sit: admissos gregatim adulteros,pererratam nocturnis comessationibus ciuitatem, forum
ipsum ac rostra,ex quibus pater legem de adulteriis tulerat, filiae in stupra placuisse, [11] quo-
tidianum ad Marsyam concursum: cum ex adultera in quaestuariam versa,ius omnis licen-
tiae sub ignoto adultero peteret. [a] Haec non tam vindicanda principi quàm tacenda (quia
quarundam rerum turpitudo etiam ad vindicantem redit) parum potens irae publicauerat.
Deinde cum,interposito tempore, in locum irae subiisset verecundia,gemens,quòd non il-
la silentio pressisset, quae tamdiu nescierat, donec loqui turpe esset, saepe exclamauit: Ho-
rum mihi nihil accidisset,si aut Agrippa,aut Maecenas vixisset. Adeo tot habenti millia ho-
minum,duos reparare difficile est. Caesae sunt legiones, & protinus scriptae. Fracta classis,
& intra paucos dies natauit noua. Saeuitum est in opera publica ignibus:surrexerunt melio-
ra consumptis. Tota vita,Agrippae & Maecenatis vacauit locus. Quid putem? defuisse simi-
les qui assumerentur,an ipsius vitium fuisse,qui maluit queri,quàm quaerere? Non est quod
existimemus, Agrippam & Maecenatem [a] solitos illi vera dicere: qui si vixissent, inter dissi-
mulantes fuissent. Regalis ingenij mos est, in praesentium contumeliam, amissa laudare, &
XXXIII. his virtutem dare vera dicendi,a quibus iam audiendi periculum non est. Sed vt me ad
propositum reducam,vides quàm facile sit,gratiam referre felicibus, & in summo humana-
rum opum positis: dic illis non quod volunt audire,sed quod audisse semper volent. Plenas
aures adulationibus,aliquando vera vox intret. Da consilium vtile. Quaeris quid felici prae-
stare possis? Effice, ne felicitati suae credat, vt sciat illam multis & fidis manibus continen-
dam. Parum in illum contuleris, si illi semel stultam fiduciam permansurae semper poten-
tiae excusseris, docuerisque mobilia esse quae dedit casus, & maiore cursu fugere quàm ve-
niunt: nec his portionibus, quibus ad summa peruentum est, retro iri? saepe inter fortunam
maximam & vltimam nihil interesse? Nescis quantum sit pretium amicitiae, si non intelli-
gis multum te ei daturum, cui dederis amicum, rem non domibus tantum, sed saeculis rarā,
quae non aliubi magis deest, quàm vbi creditur abundare. Quid? istos tu libros, quos vix no-
menclatorum complectitur aut memoria,aut manus,amicorum existimas esse? Nō sunt isti
amici, qui agmine magno ianuam pulsant, qui in primas & secundas admissiones digerun-
tur. Consuetudo ista vetus est regibus, regesque simulantibus, populum amicorum descri-
bere. Est proprium superbiae, magno aestimare introitum,ac tactum sui liminis, pro hono-
re dare, vt ostio suo propius assideas, vt gradum prior intra domum ponas, in qua deinceps
XXXIIII. multa sunt ostia, quae receptos quoque excludunt. Apud nos [12] primi omnium
C. Gracchus,& mox Liuius Drusus instituerūt segregare turbam suam, & alios in secretum
recipere, alios cum pluribus, [b] alios cum vniuersis. Habuerunt [c] itaque isti amicos primos,
habuerunt & secundos, [d] neutros veros. Amicum vocas,cuius disponitur salutatio? aut po-
test huius tibi patere fides, qui per fores maligne apertas non intrat, sed illabitur? Huic per-
uenire vsque ad distringendam libertatem licet, cuius vulgare & publicum verbum & pro-
miscuum ignotis, [13] AVE, non nisi suo ordine emittitur? Ad quemcumque itaque istorum
veneris, quorum salutatio vrbem concutit, scito, [e] etiam si animaduerteris obsessos ingenti
frequentia vicos, & commeantium in vtranque partem cateruis itinera compressa, tamen
venire

venire te in locum hominibus plenum,amicis vacuum. In pectore amicus,nō in atrio quae-
ritur. Illo recipiendus est, illic retinendus, & in sensibus recondendus.Hoc doce, gratus es:
Male de te existimas,si inutilis es,nisi afflicto, si rebus tutis superuacuus.Quemadmodum te
& in dubiis,& in aduersis,& in laetis sapienter geris,vt dubia prudenter tractes,aduersa for-
titer,laeta moderate: ita in omnia vtilem te amico exhibere potes. [e] Aduersa eius si nec de-
serueris,nec optaueris, multa nihilominus, vt non optes, in tanta varietate, quae tibi mate-
riam exercendae fidei praebeant, incidēt. Quemadmodum qui optat diuitias alicui in hoc,
vt illarūm partem ipse ferat,quamuis pro illo videatur optare, sibi prospicit: sic qui optat a-
mico aliquam necessitatem, quam adiutorio suo fideque discutiat: quod est ingrati, se illi
praefert, [f] & tanti aestimat illum miserum esse,vt ipse gratus sit,& ob hoc ipsum ingratus est.
Exonerare enim se vult, & graui sarcina liberare. Multum interest, vtrum properes referre
gratiam, vt reddas beneficium, [g] an vt ne debeas. Qui reddere vult,illius se commodo apta-
bit, & idoneum illi venire tempus volet. Qui nihil aliud quàm ipse liberari vult, quacunque
ad hoc cupiet peruenire: quod est pessimae voluntatis. Ista nimia festinatio ingrati est, XXXV.
id apertius exprimere non possum, quàm si repetiuero quod dixi. Non vis reddere acceptū
beneficium,sed effugere. Hoc dicere videris, Quando isto carebo? Quocunque modo mi-
hi laborandum est, ne isti obligatus sim. Si optares vt illi solueres de suo, multum abesse vi-
dereris a grato.hoc quod optas,iniquius est. Execraris enim illum, & caput sanctum tibi,di-
ra imprecatione defigis. Nemo,vt existimo,de immanitate animi tui dubitaret, si aperte illi
paupertatem, si captiuitatem, [h] si famem ac metum imprecareris. At quid interest, [i] vtrum
vox ista tua sit an votum? Sanus aliquid horum opta.I nunc, & hoc esse grati puta,quod ne
ingratus quidem faceret,qui modo non vsque in odium,sed tantum ad infitiationem bene-
ficij perueniret. Quis pium dicet AEnean, si patriam capi voluerit, vt captiuitate patrē XXXVI.
eripiat? Quis Siculos iuuenes, [k] vt bona liberis exempla monstrarent,si optauerunt [l] vt AE-
tna immensa ignium vi supra solitum ardens,daret ipsis occasionem exhibendae pietatis,ex
medio parentibus incendio raptis? Nihil debet Scipioni Roma, si Punicum bellum vt fini-
ret, perseuerare maluit. Nihil Deciis,quòd morte patriam seruauerunt, si prius optauerant,
vt deuotioni fortissimae locum vltima rerum necessitas faceret. [m] Grauissima infamia est
medici, opus quaerere. Multi quos auxerant morbos,& irritauerant,vt maiore gloria sana-
rent, non potuerunt discutere,aut cum magna miserorum vexatione vicerunt. Calli- XXXVII.
stratum aiunt,ita certe Hecaton auctor est,cum in exilium iret,in quod multos simul cū illo
seditiosa ciuitas & intemperanter libera expulerat, optante quodam, vt Atheniensibus ne-
cessitas restituendi exules esset, abominatum talem reditum. Rutilius noster animosius. Cū
enim quidam illum consolaretur, & diceret instare arma ciuilia: breui futurum, vt omnes
exules reuerterentur: Quid tibi, inquit, mali feci, vt mihi peiorem reditum, quàm exitum
optares? Malo, vt patria exilio meo erubescat, quàm reditu maereat.Non est istud exilium,
cuius neminem non magis quàm damnatum pudet. Quemadmodum illi seruauerūt bono-
rum ciuium officium,qui reddi sibi penates suos noluerūt clade communi, [n] quia satius erat
duos vnico malo affici, quàm omnes publico: ita non seruat grati hominis affectum, qui
bene de se merentem difficultatibus vult opprimi, quas ipse submoueat: qui etiam si bene
cogitat, male precatur.Ne in patrocinium quidem,nedum in gloriam est,incendium extin-
xisse quod feceris. In quibusdam ciuitatibus impium votū sceleris vicem tenuit. [o] De- XXXVIII.
mades certe Athenis eum qui necessaria funeribus venditabat, damnauit, cū probasset ma-
gnum lucrum optasse: quod contingere illi sine multorum morte non poterat. Quaeri ta-
men solet,an merito damnatus sit. Fortasse optauit, non vt multis venderet, sed vt care: vt
paruo sibi constarent quae venditurus esset. Cum constet negotiatio ex empto & vendito,
quare votum eius in vnam partem trahis,cum lucrum ex vtraque sit? Praeterea omnes licet,
qui in ista negotiatione sunt, damnes: omnes enim idem volunt, idem intra se optant. Ma-
gnam hominum partem damnabis. Cui enim non [p] ex alieno incommodo lucrum? [q] Miles
bellum optat. Agricolam annonae caritas erigit. [r] [s] Eloquens captat pretium ex litiū nume-
ro. Medicis grauis annus in quaestu est. Institores delicatarum mercium, iuuentus corrupta
locupletat. Nulla tempestate, nullo igne laedantur tecta: iacebit opera fabrilis. Vnius votū
deprehensum est, omnium simile est. An tu Arruntium, & Aterium, & ceteros qui captan-
dorum testamentorum artem professi sunt, non putas eadem habere quae designatores &
libitinarios vota? [t] Illi tamen quorum mortes optent, nesciunt: hi familiarissimum quem-
que, [s] [t] ex quo propter amicitiam spei plurimum est, mori cupiunt. Illorum damno nemo
viuit: hos quisquis differt, exhaurit. Optant ergo non tantum vt accipiant; quod turpi ser-
uitute meruerunt, sed etiam vt tributo graui liberentur. Non est itaque dubium, quin hi

magis quod damnatum est in vno, optent: quibus quisquis morte profuturus est, vita nocet. [v] Omnium tamen istorum tam nota sunt vota, quàm impunita. Denique se quisque cõsulat, & in secretum pectoris sui recedat, & inspiciat quid tacitus optauerit. Quàm multa sunt vota, quae etiam sibi fateri pudet: quàm pauca, quae facere coram teste possimus.

XXXIX. Sed non quicquid reprehendendum, etiam damnandum est: sicut hoc votum amici, [u] quod in manibus est, male vtentis bona voluntate, [x] & in id incidentis, quod euitat. Nam dum gratum animum festinat ostendere, ingratus est: Hic, ait, in potestatem meam recidat, gratiam meam desideret, sine me saluus, honestus, tutus esse non possit. Tam miser sit, vt illi beneficij loco sit quicquid redditur. Circumueniant illum domesticae insidiae, quas ego possim solus opprimere. Instet potens inimicus, & grauis, infesta turba, nec inermis, & creditor vrgeat & accusator.

XL. Vide quàm sis aequus, horum optares nihil, si tibi beneficium non dedisset. Vt alia taceam, quae grauiora committis, pessima pro optimis referendo, hoc certe delinquis, quòd non expectas suum cuiusque rei tempus, quod aeque peccat, qui non sequitur, quàm qui antecedit. Quomodo non semper beneficium recipiendum est, sic non vtique reddendum. Si mihi non desideranti redderes, ingratus esses: quanto ingratior es, qui desiderare me cogis? Expecta. Quare subsidere apud te munus meum non vis? Quare obligatus moleste fers? Quare quasi cum acerbo feneratore [y] signare rationem parem properas? Quid mihi negotium quaeris? Quid in me deos immittis? Quomodo exigeres, qui sic reddis?

XLI. Ante omnia ergo, Liberalis, hoc discamus, beneficia secure debere, & occasiones reddendorum obseruare, non manu facere. Hanc ipsam cupiditatem primo quoque tempore liberandi se, meminerimus ingrati esse. Nemo enim libenter reddit, quod inuitus debet: & quod apud se non vult esse, onus iudicat esse, non munus. Quanto melius ac iustius, in promptu habere merita amicorum: & offerre, non ingerere, nec obaeratum se iudicare? Quoniam beneficium commune vinculum est, & inter se duos alligat. Dic, Nihil moror, [z] quo minus tuum reuertatur: opto hilaris accipias. si necessitas alterutri nostrum imminet, fatoque quodam datum est, vt aut tu cogaris beneficium recipere, aut ego accipere, det potius qui solet. Ego paratus sum. [a] Nulla mora in Turno, ostendam hunc animum, cum primum tempus aduenerit. Interim dij testes sunt.

XLII. Soleo, mi Liberalis, notare hunc in te affectum, & quasi manu prendere, verentis & aestuantis, ne in vllo officio sis tardior. [b] Non decet gratum animum solicitudo, sed contra, summa fiducia sui: & ex conscientia veri amoris, [c] dimissa omnis anxietas. Tam cum vitio est recipere quod non debes, quàm non dare quod debes. Hoc beneficij primum dati sit ius, vt recipiendi tempus eligat qui dedit. At vereor, ne homines de me sequius loquantur. Male agit, qui famae, non conscientiae gratus est. [d] Duos istius rei iudices habes: te, quem non potes fallere, & illum, quem potes. Quid ergo, si nulla interuenerit occasio? semper debebo? Debebis: sed palam debebis, sed libenter debebis, sed cum magna voluptate apud te depositum intueberis. Paenitet accepti beneficij, quem nondum redditi piget. Quare qui tibi dignus visus est, a quo acciperes, indignus videatur, cui debeas?

XLIII. In magnis erroribus sunt, qui ingentis animi credunt, [e] proferre, donare, plurium sinum ad domum replere: cum ista interdum non magnus animus faciat, sed magna fortuna. Nesciunt, quanto maius ac difficilius interdum sit capere, quàm fundere. Nam vt nihil alteri detraham, [aa] quoniam vtrumque vbi ex virtute fit, par est, non minoris est animi beneficium debere, quàm dare. Eo quidem operosius hoc quàm illud, quo maiore diligentia custodiuntur accepta, quàm dantur. Ideo non est trepidandum, quàm cito reponamus, [f] nec properandum intempestiue: quia aeque delinquit, [g] qui ad referendam gratiam properat tempore alieno, quàm qui suo cessat. Positum est illi apud me. nec illius nomine, nec meo timeo. Bene illi cautum est. Non potest hoc beneficium perdere, nisi mecum: immo ne mecum quidem. Egi illi gratias, id est, retuli. Qui nimis de beneficio reddendo cogitat, nimis cogitare alterum de recipiendo putat. [h] Praestat esse in vtrumque facilem: si vult recipere beneficium, referamus, reddamusque laeti. illud apud nos custodiri mauult, [i] quid thesaurum eius eruimus? quid custodiam recusamus? Dignus est, cui vtrum volet, liceat. Opinionem quidem & famam eo loco habeamus, [k] tamquam quae non ducere, sed sequi debeat.

LIBRI SEXTI DE BENEFICIIS FINIS.

M. ANTONII

M. ANTONII MVRETI AD SEXTVM LIBRVM SENECAE DE beneficiis Notae.

EXTRA viam] *Ita vetus liber, non, vt vulgo,* Extra vitam. CAP. I.

2 Ne fuerint, non potest.] *Μόνου γὰρ αὐτοῦ καὶ θεὸς στερίσκεται, Ἀγένητα ποιεῖν, ἅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα, ait Agatho.* II.

3 Hoc habeo quodcumque dedi.] *Egregia vox: ad quam illustrandam valde pertinent ea quae Cyrus & fecisse & dixisse narratur libro octauo παιδείας, vt Croesum doceret, optime pecunias apud amicos deponi: neque vllos eis tutiores ac fideliores esse thesauros. sed & Alexandri Magni quiddam simile memoratur: & Alfonsus Siciliae Rex interrogatus, quid seruaret sibi, qui tam multis tam multa donaret, Ea, inquit, ipsa quae dono. cetera enim in meorum numero non habeo. Extat & scitum in primis & elegans in eandem sententiam Martialis Epigramma:* III.

Callidus effracta nummos fur auferet arca.
Prosternet patrios impia flamma lares.
Debitor vsuram pariter sortemque negabit.
Non reddet sterilis semina iacta seges.
Dispensatorem fallax spoliabit amica.
Mercibus exstructas obruet vnda rates.
Extra fortunam est, quicquid donatur amicis.
Quas dederis, solas semper habebis opes.

4 Qui creditor veneras.] *Post haec verba in aliis omnibus editionibus sequebantur haec,* Inter beneficia quoque & iniurias ratio confert. *quae leuiter emendata, & mota loco non suo, paulo inferius in suam sedem restitui. Dici autem non potest, quàm multa in optimis quibusque scriptoribus huius generis peccata sint.* IIII.

5 Reddere enim est rem pro re dare.] *Subfrigida vocabuli notatio: quales frequentissimae sunt apud Stoicos, & Stoicorum hac in re imitatores veteres Romanos iurisconsultos. Talis est & illa Ciceronis, fidem ex eo dictam, quia fiat quod dictum est: illae iurisconsultorum, testamentum, quòd sit testatio mentis: & mutuum, quòd fiat ex meo tuum: & similes.* V.

6 Delegatione] *Delegare dicitur, qui pro se alium debitorem volenti creditori substituit. Verbis autem perfectam solutionem vocare videtur accepti lationem.*

7 Acutae ineptiae] *Inepte acutus hoc loco videri Seneca ipse posset, si haec ex persona sua diceret. Nec enim ignotum esse cuiquam qui ius ciuile primoribus labris attigerit, potest, aliud esse hereditatem, aliud res hereditarias: eamque non ineptam & futilem, sed veram & vtilem esse distinctionem. Neque sane eius est qui beneficium a re quae tribuitur, tam acute distinguat, non eodem acumine videre, a rebus hereditariis differre ac distingui hereditatem. Sed Liberalem loquentem inducit, qui, vt homo neque in iure ciuili, neque in philosophia valde exercitatus, & hanc & illam distinctionem vt nimis subtiliter excogitatam, & in verbis tantum, vt ipse quidem putabat, positam, reiiciebat.*

8 Contribuere,] *Hae sunt, quae compensationes dicuntur. Modestinus: Compensatio est debiti & crediti inter se contributio. l. 1. De compens.*

9 Vultus tuus,] *Eruditus aliquis hoc loco notam apposuerat ex Quintiliano his verbis:* Notat hoc Quintilianus, quòd ex consuetudine scholae declamatoriae fingimus interdum manifesto falsa. facit hoc & alias frequenter Seneca. *Quam notam cum valde probarem, praetermittendam non esse ratus sum. locus Quintiliani est capite primo libri VI.* VII.

10 Vnum testem temere dimittit,] *id est, vnius testis sponte gratiam facit, causae suae nimium fidens. Pincianus locum hunc corruperat.* VIII.

11 Quaedam homines sibi praestant, aliis imputant.] *Hoc est, quod vere negat Pamphilus Terentianus ingenui hominis esse: ideoque id se facere nolle profitetur:* XII.

Ego, Charine, neutiquam esse id officium ingenui puto,
Cum is nil promereat, postulare id gratiae apponi sibi.

12 Quos perambulat,] *Proprie locutus est. nam & inde περιοδευταὶ dicuntur medici, qui perambulant vrbem, aegrotorum curandi gratia. Alij sunt quos circumforaneos Cicero vocat.* XVI.

13 Sed tanquam imperatorem.] *Putaui olim legendum,* non tanquam amicus, sed tãquam imperator. *Nam iubere & imperare verba sunt medicis vsitata. Terentius:*

Quod iussi ei dare bibere & quantum imperaui,
Date. *& paulo post:*

Non imperabat coram, quid facto opus esset puerperae.

Vbi autem aegroti medicis quorum vtuntur opera, imperare dicantur, non sane facile reperias. Vnus, quod sciam, locus est Alfeni, de operis libertorum, vbi ita legitur: Medicus, quod putaret, si liberti sui medicinam non facerent, multo plures imperantes sibi habiturum, postulabat, vt sequerentur se, neque opus facerent. *Quo ex vno loco quod Franciscus Duarenus colligit inualuisse hanc loquendi consuetudinem apud auctores Latinos, vt medici mei ego imperator dicar, crederem, si testes in eam rem aliquos produceret. Nunc illo tantum Alfeni loco nititur, & hoc Senecae: quem etsi homo eruditus Pincianus affirmat in omnibus vetustis libris eodem modo vt editus est legi; ego tamen vnum habeo, quo me donauit vir probus & eruditus, mihique insigniter carus, Antonius Constantinus, in quo sine vlla liturae suspicione ita legitur:* quia me non tanquam amicum, sed tanquam quemlibet alium vidit. *Quae scriptura non sane reycienda est.* quemlibet *enim* alium *dicit,* τὸν τυχόντα, ἕνα τῶν πολλῶν.

14 Non securus excepit.] *Ita idem ille liber melius, quàm vt in aliis,* audiuit.

XXIII. 15 Et alia vtilia] *Ab aliis libris vocum similitudo vltimam extriuerat.*

XXV. 16 Quorum animus similis est prauo amore flagrãtibus,] *Tales esse & eos qui flagitioso puerorum amore flagrant, ostendit & Socrates apud Platonem in Phaedro: cupere enim, eos quos amant, & animo esse remisso ac diffluenti, atque auerso ab omni honestate: & corpore languido atque effeminato, & bonis externis parum commode instructos, vt eos sibi obnoxios habeant. Itaque concludit pueros non secus amari ab eiusmodi impuris hominibus, quàm agnos a lupis.* Ὡς λύκοι ἄρνα φιλοῦσ᾽, ὣς παῖδα φιλοῦσιν ἐρασταί.

XXVII. 17 Ipse solui,] *Male antea in aliis,* ipsum solui.

XXXI. 18 Cum bellum Graeciae indiceret Xerxes,] *Hanc historiam elegantissime exponit Herodotus libro septimo.*

19 Rectam capite tiaram gerens.] *Quod hic dicitur, id solis regibus licuisse, testatur & Xenophon libro secundo anabaseos.*

20 Nisi qui non dicebat sibi.] *Fateor me non perspicere, quid sit, quòd Demaratus negatur sibi verum dixisse. Nam quod quidam exponunt* sibi, *id est, commodo suo, nugas agunt. In libro Constantiniano totus hic locus ita legitur:* Quàm miserabilis gens, in qua vix vnus inuectus est, qui verum regi diceret. *Quae scriptura plane perspicua est: fortassis etiam vera.*

XXXII. 21 Quotidianum ad Marsyam cõcursum:] *Marsyae statuam in foro fuisse notum est, & haud procul ab ea agi solitas causas. Eam interdum coronabant, qui dicendo placuerant, & diserti visi, popularem plausum tulerant. At Iulia eam coronari iubebat ab iis quos in illa nocturna palaestra valentissimos colluctatores experta esset. Eam filiae turpitudinem, aliasque eiusdem generis Augustus epistola cõplexus, eam epistolam per quaestorem in senatu recitari absente se voluit. Ea de re Plinij verba sunt libri xxi. capite tertio:* Apud nos exemplum licentiae huius non est aliud, quàm filia Diui Augusti, cuius luxuria noctibus coronatum Marsyam, litterae illius Dei gemunt. *Quem Plinij locum emendatione egere arbitratus est Laeuinus Torrentinus libro secundo commentariorum in Suetonium, legendumque hoc modo,* Litterae illius describunt. *Ego autem, quod bona venia viri optimi & eruditissimi, mihique amicissimi dictum sit, vulgatam scripturam retinendam arbitror, multorum ipsam quoque veterum codicum testimonio fultam. Deum enim vocat Augustum ipsum,* πάλαι ἀποθεωθέντα. *Sic de eodem libri septimi capite xlv.* In summa Deus ille, caelumque nescio adeptus magis an meritus, herede hostis sui filio excessit. *Eius litteras dicit gemere, quòd ita dolenter scriptae erant, vt ingemiscere quodammodo viderentur.*

XXXIII. 22 Primi omnium C.Gracchus] *In aliis omissum praenomen historiam dubiam relinquebat.*

XXXIIII. 23 Aue,] *Liber vetus* Habe. *& constat ex Quintiliano, eam illorum temporum & scribendi & pronuntiandi consuetudinem fuisse.*

XXXVIII. 24 Eloquentiae exceptat pretium litium numerus.] *Locus manifesto corruptus. Liber vetus sic habet:* Eloquens exceptat pretium litium numeros. *Vt fortasse legendum sit,* Eloquens captat pretium ex litium numero.

25 Ex quo propter amicitiam rei plurimum est,] *Pincianus:* Cum quo propter rem amicitiae plurimum est. *Ego pro rei, lego spei, cetera retineo.*

XLIII. 26 Quoniam vtrumque vbi ex virtute fit, par est.] *Stoici, vt omnia peccata, sic omnia recte facta paria esse dicebant: neque maiorem esse fortitudinem in vulneribus pro patria excipiendis, quàm in morsu pulicis fortiter ferẽdo: neque maiorem temperantiam, si quis a virgine formosa, & in ipso aetatis flore constituta, quàm si ab informi & capulari vetula abstineret: dum vtrumque ex virtute fieret. Auctor Plutarchus.*

LIBER

LIBER SEPTIMVS.

BOnum, mi Liberalis, habeas animum: CAP. I.

In manibus terrae. Non hic te carmine longo,
Atque per ambages & longa exorsa tenebo.

[a] Reliquias hic liber cogit. Exhausta materia, circumspicio, non quid dicam, sed quid non dixerim. Boni tamen consules quicquid superest, cum tibi superfuerit. Si voluissem lenocinari mihi, debuit paulatim opus crescere, & ea pars in finē reseruari, quam quilibet etiam satiatus appeteret. Sed quicquid maxime necessarium erat, [b] in primum statim congessi: nunc si quid effugit, recolligo. Nec mehercule, si me interrogas, nimis ad rem existimo pertinere, vbi dicta sint quae tegunt mores, persequi cetera, non in remedium animi, sed in exercitationem ingenij inuenta. Egregie enim hoc dicere Demetrius Cynicus, vir meo iudicio magnus, etiam si maximis cōparetur, solet, plus prodesse, si pauca praecepta sapientiae teneas, sed illa in promptu tibi & in vsu sint, quàm si multa quidem didiceris, sed illa non habeas ad manum. Quēadmodum, inquit, magnus luctator est, non qui omnes numeros nexusque perdidicit, quorum vsus sub aduersario rarus est, sed qui in vno se aut altero bene & diligenter exercuit, & eorum occasiones intentus spectat: nec enim refert, quàm multa sciat, si scit quantum victoriae satis est: sic in hoc studio multa delectant, [c] pauca vincunt. Licet nescias, quae ratio Oceanum effundat ac reuocet: quare septimus quisque annus [d] aetati signū imprimat: quare latitudo porticus ex remoto spectantibus, non seruet [e] proportionem suam, sed vltima in angustias coeant, [e] & columnarum nouissima interualla iungantur: quid sit, quod geminorum conceptum separet, partum iungat, vtrum vnus concubitus spargatur in duos, an toties concepti sint: cur pariter natis fata diuersa sint, maximisque rerum spatiis distent, quorum inter ortus minimum interest: non multum tibi nocebit transisse, quae nec licet scire, nec prodest. Inuoluta veritas in alto latet. Nec de malignitate naturae queri possumus: quia nullius rei difficilis inuentio est, nisi cuius hic vnus inuentae fructus est, inuenisse. Quicquid nos meliores beatosque facturū est, aut in aperto, aut in proximo posuit. Si animus fortuita cōtempsit, [f] si se supra metum sustulit, nec auida spe infinita complectitur, sed didicit a se petere diuitias: si deorum hominumq; formidinem eiecit, & scit non multum esse ab homine timendum, a Deo nihil: si contemptor omniū, quibus torquetur vita, dum ornatur, eo perductus est, vt illi liqueat, mortē nullius mali esse materiam, multorum finem: si animum virtuti consecrauit, & quacunque vocat illa, planum putat: si sociale animal est, & in cōmune genitus, mundum vt vnam domum spectat, & conscientiam suam diis aperit, semperque tanquam in publico viuit: si se magis veritus quàm alios, subductus illis tempestatibus, in solido ac sereno stetit, consummauit scientiam vtilem atque necessariam. Reliqua oblectamenta otij sunt. Licet enim iam in tutum retracto animo, ad haec quoque excurrere, cultum, non robur ingeniis afferentia. Haec Demetrius noster vtraque manu tenere [a] proficientem II iubet, nec vsquam dimittere, immo affigere & partem sui facere, eoque quotidiana meditatione perduci, vt sua sponte occurrāt salutaria, & vbique ac statim desiderata praesto sint, & sine mora vlla veniat illa turpis honestique distinctio, sciatque nec malum esse vllum nisi turpe, nec bonum nisi honestum. Hac regula vitae opera distribuat: ad hanc legem & agat cuncta, & exigat: miserrimosque mortalium iudicet, in quantiscunque opibus refulgebunt, ventri ac libidini deditos, quorum animus inerti otio torpet. Dicat ipse sibi: [g] Voluptas fragilis est & breuis: fastidit obiecta: quo auidius hausta est, citius in contrarium recidens, [h] cuius subinde necesse est aut paeniteat, aut pudeat. In qua nihil est aut magnificum, aut quod naturam hominis diis proximi deceat. Res humilis, membrorum turpium ac viliū ministerio veniens, exitu foeda. Ista est voluptas & homine & viro digna, non implere corpus, nec saginare, nec cupiditates irritare, quarum tutissima est quies: sed perturbatione carere, & ea quae hominum inter se rixantium ambitus concutit, & ea quae intolerabilis ex alto venit, vbi de diis famae creditum est, vitiisque illos nostris aestimauimus. Hanc voluptatem aequalem, intrepidam, nunquam sensuram sui taedium percipit hic [i] quem deformamus cum maxime, [l] qui, vt ita dicam, diuini iuris atque humani peritus, praesentibus gaudet, ex futuro nō pendet. Nihil enim firmi habet, qui in incerta propensus est. Magnis itaq; curis exēptus, & distorquentibus mentē, nihil sperat, aut cupit, nec se mittit in dubiū, suo contentus. Nec illum existimes paruo esse contentū. omnia illius sunt. Non sic, quemadmodū Alexandri fuerunt: cui, quanquā in littore maris rubri steterat, plus deerat quàm quà venerat.

Illius ne ea quidem erant, quae tenebat, aut vicerat, cum in Oceano Oneſicritus praefectus claſſibus praemiſſus explorator erraret, & bella in ignoto mari quaereret. Non ſatis apparebat inopem eſſe, qui extra naturae terminos arma proferret? qui ſe in profundum, inexploratum & immenſum, auiditate caeca prorſus immitteret? Quid intereſt, quot eripuerit regna, quot dederit, quantum terrarum tributo premat? Tantum illi deeſt, quantum cupit.

III. Nec hoc Alexandri tantum vitium fuit, quem per Liberi Herculiſque veſtigia felix temeritas egit, ſed omnium quos fortuna irritauit implendo. Cyrum & Cambyſen, & totũ regni Perſici ſtemma percenſe. Quem inuenies, cui modum imperij ſatietas fecerit? qui non vitã in aliqua vlterius procedendi cogitatione finierit? Nec id mirum eſt. Quicquid cupiditati contigit, penitus hauritur & conditur. Nec intereſt, [k] quantum in id quod inexplebile eſt, congeras. Vnus eſt ſapiens, cuius omnia ſunt, nec ex difficili tuenda. Non habet mittendos trans maria legatos, nec metanda in ripis hoſtilibus caſtra, non opportunis caſtellis diſponenda praeſidia, non opus eſt legione, nec equeſtribus turmis. Quemadmodum dij immortales regnum inermes regunt, & illis rerum ſuarum ex edito tranquilloque tutela eſt: ita hic officia ſua, quamuis latiſſime pateant, ſine tumultu obit: & omne humanum genus, potentiſſimus eius optimuſque infra ſe videt. Derideas licet: ingentis ſpiritus res eſt, cum Orientem Occidentemque luſtraueris animo, quo etiam remota, & ſolitudinibus interclusa penetrantur, cum tot animalia, tantam copiam rerum, quas natura beatiſſime fundit, aſpexeris, emittere hanc Dei vocem: Haec omnia mea ſunt. Sic fit, vt nihil cupiat: quia nihil eſt extra omnia.

IIII. Hoc ipſum, inquis, volui. teneo te: volo videre, quomodo ex his laqueis, in quos tua ſponte decidiſti, expliceris. Dic mihi. quemadmodum poteſt aliquis donare ſapienti, ſi omnia ſapientis ſunt? Nam id quoque quod illi donat, ipſius eſt. Itaque non poteſt dari beneficium ſapienti: cui quicquid datur, de ſuo datur. Atqui dicitis, ſapienti poſſe donari. Idem autem me ſcito & de amicis interrogare. Omnia dicitis illis eſſe communia: ergo nemo quicquam amico donare poteſt: donat enim illi communia.[l] Nihil prohibet aliquid & ſapientis eſſe, & eius qui poſſidet, cui datum & aſſignatum eſt. Sic omnia ſapientis eſſe dico, vt nihilominus proprium quiſque in rem ſuam dominium habeat. Iure ciuili omnia regis ſunt. Et tamen illa quorum ad regem pertinet vniuerſa poſſeſſio, in ſingulos dominos diſcripta ſunt, & vnaquaeque res habet poſſeſſorem ſuum. Itaque dare regi & domum, & mancipium, & pecuniam poſſumus: nec donare illi de ſuo dicimur. Ad reges enim poteſtas omnium pertinet, ad ſingulos proprietas. Fines Athenienſium aut Campanorum vocamus, quos deinde inter ſe vicini priuata terminatione diſtinguunt, [m] & totus ager huius aut illius reipublicae eſt: pars deinde ſuo domino quaeque cenſetur. Ideoque donare agros noſtros reip. poſſumus, quamuis illius eſſe dicantur. Quia aliter illius ſunt, aliter mei. Nunquid dubium eſt, quin ſeruus cum peculio, domini ſit? Dat tamen domino ſuo munus. Non enim ideo nihil habet ſeruus, quia non eſt habiturus, ſi dominus illum habere noluerit. Nec ideo non eſt munus, cum volens dedit, quia potuit eripi, etiamſi noluiſ-

• ſet. Quemadmodum probemus omnia (nunc enim omnia ſapientis eſſe, [*] inter nos conuenit) illud quod quaeritur colligendum eſt, quomodo liberalitatis materia aduerſus eum ſuperſit, [n] cuius vniuerſa eſſe contendimus. Omnia patris ſunt, quae in liberorum manu ſunt. Quis tamen neſcit, donare aliquid & filium patri? Omnia deorum ſunt: tamen diis poſuimus donum, & ſtipem iecimus. Non ideo quod habeo, meum non eſt, ſi tuum eſt. Poteſt enim idem eſſe meum & tuum. Is, inquis, cuius proſtitutae ſunt, leno eſt. Omnia autem ſapientis ſunt, inter omnia autem & proſtitutae ſunt: ergo & proſtitutae ſapientis ſunt. Leno autem eſt, cuius proſtitutae ſunt: ergo ſapiens eſt leno. Sic illum vetant emere. dicunt enim: Nemo rem ſuam emit: omnia autem ſapientis ſunt: ergo ſapiens nihil emit. Sic vetant & mutuum ſumere, quia nemo vſuram pro pecunia ſua pendit. Innumerabilia ſunt, per quae cauillantur, cum pulcherrime quid a nobis dicatur intelligant.

V. Enimuero ſic omnia ſapientis eſſe dico, vt nihilominus proprium quiſque in rebus ſuis dominium habeat. Quemadmodum ſub optimo rege, omnia rex imperio poſſidet, ſinguli dominio. Tempus iſtius probandae rei veniet. Interim hoc huic quaeſtioni ſat eſt, id quod aliter ſapientis, aliter meum eſt, me poſſe donare ſapienti. Nec mirum eſt, aliquid ei cuius eſt totum, poſſe donari. Conduxi domum a te. In hac aliquid tuum, aliquid meum. Res tua eſt: vſus rei tuae, meus eſt. Itaque nec fructus tanges, colono tuo prohibẽte, quamuis [o] tua in poſſeſſione naſcantur: & ſi annona carior fuerit, aut fames,

Heu fruſtra magnum alterius ſpectabis aceruum,

in tuo natum, in tuo poſitum, in horrea iturum tua. Nec conductum meum, quanquam ſis dominus, intrabis: nec ſeruum tuum, mercenarium meum abduces: & abs te rhedã ſi cõduxero,

duxero, beneficium accipies, si tibi in vehiculo tuo sedere permisero. Vides ergo posse fieri,
vt aliquis accipiendo quod suum est, munus accipiat. Io omnibus istis quae modo re- VI.
tuli, vterque eiusdem rei dominus est. Quomodo? quia alter rei dominus est, alter vsus. Li-
bros dicimus esse Ciceronis. Eosdem Dorus librarius suos vocat: & vtrunque verum est.
Alter illos tanquam auctor sibi, alter tanquam emptor asserit: [p] ac recte vtriusque dicuntur
esse. Vtriusque enim sunt, sed non eodem modo. Sic potest T. Liuius a Doro accipere, aut
emere libros suos. Possum donare sapienti, quod viritim meum est, licet illius sint omnia.
Nam cum regio more cuncta possideat, singularum autem retum in vnumquęque proprie-
tas sit sparsa: & accipere munus, & debere, & emere, & conducere potest. Caesar omnia
habet, fiscus eius priuata tantum, ac sua: & vniuersa in imperio eius sunt, in patrimonio pro-
pria. Quid eius sit, quid non sit, sine diminutione imperij quaeritur. Nam id quoque quod
tanquam alienum abiudicatur, aliter illius est. Sic sapiens vniuersa animo possidet, iure ac
dominio sua. Bion modo omnes sacrilegos argumentis esse colligit, modo neminem. VII.
Cum omnes de saxo deiecturus est, dicit: Quisquis id quod deorum est, sustulit & consum-
psit, atque in vsum suum vertit, sacrilegus est. Omnia autem deotum sunt. Quod quisque
ergo tollit, deorum tollit, quorum omnia sunt. Ergo quisquis tollit aliquid, sacrilegus est.
Deinde cum effringi templa, & expilari impune Capitolium iubet: dicit, nullum sacrilegiũ
esse. Quia quicquid sublatum est ex eo loco qui deorum erat, in eum transferiur locum, qui
deorum est. Hic respondetur: Omnia quidem deotum esse, sed non omnia diis dicata. In
his obseruari sacrilegium, quae religio numini adscripsit. Sic & totum mũdum deorum esse
immortalium templum, solum quidem amplitudine illotum ac magnificentia dignum: &
tamen a sacris profana discerni, & non omnia licere in angulo, cui oomen fani impositum
est, quae sub caelo & conspectu siderum licent. Iniuriam sacrilegus Deo quidem non po-
test facere, quem extra ictum sua diuinitas posuit: sed tamen punitur, quia tanquam Deo
fecit. Opinio illum nostra ac sua obligat poenae. Quomodo ergo sacrilegus videtur, qui
aliquid aufert sacri, & si quocunque transtulit, quod surripuerat, intra terminos est mun-
di: sic & sapienti furtum potest fieri. Aufertur enim illi non ex his quae vniuersa habet, sed
ex his quibus dominus ioscriptus est, [q] quae vicissim ei seruiunt. Illam alteram possessionem
agnoscet, hanc nolet habere, & si poterit: emittetque illam vocem, quam [r] Romanus Im-
perator emisit, cum illi ob virtutem & bene gestam Rempub. tantum agri decerneretur,
quantum arando vno die circuire potuisset: Non est, inquit, vobis eo opus ciue, cui plus
opus sit, quàm vni ciui. Quanto maioris viri putas, respuisse hoc munus, quàm meruisse?
Multi enim imperatores, fines aliis abstulerunt, sibi nemo constituit. Ergo cum ani- VIII.
mum sapientis intuemur potentem omnium, & per vniuersa dimissum, omnia illius esse di-
cimus: quum ad hoc ius quotidianum, si ita res tulerit, capite ceosebitur. Multum interest,
possessio eius animi magnitudine aestimetur, an censu. Haec vniuersa habere, de quibus
loqueris, abominabitur. Non referam ribi Socratem, Chrysippum, Zenonem, & ceteros
magnos quidem viros, maiores tamen, quia in laudem vetustorum inuidia non obstat. Pau-
lo ante Demetrium retuli: quem mihi videtur retum natura, nostris tulisse temporibus, vt
ostenderet nec illum a nobis corrumpi, nec nos ab illo corripi posse: virum exactae (licet
neget ipse) sapientiae, firmaeque in his quae proposuit constantiae: eloquentiae vero eius,
quae res fortissimas deceat, non cõcinnatae, nec in verba sollicitae, sed ingenti animo, pro-
ut impetus tulit, res suas prosequentis. Huic non dubito, quin prouidentia & talem vitam, &
talem dicẽdi facultatem dederit, ne aut exemplum saeculo nostro, aut conuicium deesset.
Demetrio si res nostras aliquis deorum possidendas velit tradere sub lege certa, ne liceat do- IX.
nare, affirmauerim repúdiaturum, dictutumque: Ego vero me ad istud inextricabile pon-
dus non alligo, nec in illam faecem retum hunc expeditum hominem demitto. Quid ad
me defers populorum omnium mala? quae nec daturus quidem acciperem: quoniam mul-
ta video, quae me donare non deceat. Volo sub conspectu meo ponere, quae gentium ocu-
los regumque perstringunt. Volo iotueri pretia sanguinis, animarumque vestrarum. Prima
mihi luxuriae spolia propone: siue illa vis [s] per ordinem expandere, siue (vt est melius) in
vnum aceruum dare. Video elaboratam scrupulosa distinctione testudinem, & foedissimo-
rum pigerrimorumque animalium testas, ingentibus pretiis emptas, in quibus [t] ipsa illa
quae placet varietas, subditis medicamentis, in similitudinem veri coloratur. Video istic
mensas, & aestimatum lignum senatoris censu, eo pretiosius, quo illud in plures nodos, ar-
boris infelicitas torsit. Video istic crystallina, quorum accendit fragilitas pretium. Omnium
enim rerum voluptas apud imperitos, ipso quo fugare debet periculo, crescit. Video mur-
rhina pocula. parum scilicet luxuria magno fuerat, nisi quod vomant, capacibus gemmis

inter se propinarent. Video vniones, non singulos singulis auribus comparatos: [s]iam enim exercitatae aures oneri ferendo sunt. Iunguntur inter se, & insuper alii binis superponuntur. Non satis muliebris insania viros subiecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent. Video sericas vestes, si vestes vocandae sunt, in quibus nihil est quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit. Quibus sumptis, mulier parum liquido nudam se non esse iurabit. Haec ingenti summa ab ignotis etiam ad commercium gentibus accersuntur, vt matronae nostrae, ne adulteris quidem, plus sui in cubiculo quàm in publico ostē-

x. dant. Quid agis auaritia? quot rerum caritate aurum tuum victum est? Omnia ista quae retuli, in maiore honore pretioque sunt. Nec volo tuas opes recognoscere, laminas vtriusque materiae, ad quas cupiditas nostra caligat. At mehercule terra quae quicquid vtile futurum nobis erat protulit, ista defodit, & mersit, & vt noxiis rebus ac malo gentium in mediũ prodituris, toto pondere incubuit. Video ferrum ex iisdem tenebris esse prolatum, quibus aurum & argentum: ne aut instrumentum in caedes mutuas deesset, aut pretium. Et adhuc ista aliquam materiam habent: est in quo errorem oculorũ animus subsequi possit. [t]Video istic diplomata, & syngraphas, & cautiones, vacua habendi simulacra, vmbras quasdam auaritiae laborantis, per quas decipiant animum, inanium opinione gaudentem. Quid enim ista sunt? Quid fenus, & kalendariũ, & vsura, nisi humanae cupiditatis extra naturam quaesita nomina? Possum de rerum natura queri, quòd aurum argentumque non interius absconderit, quòd non illis maius quàm quod detrahi posset pondus iniecerit. Quid sunt istae tabulae, quid computationes, & venale tempus, & sanguinolentae centesimae? Voluntaria mala ex constitutione nostra pendentia, in quibus nihil est, quod subiici oculis, quod teneri manu possit, inanis auaritiae somnia. O miserum si quem delectat sui patrimonij liber magnus, & vasta spatia terrarum colenda per vinctos, & immensi greges pecorum per prouincias ac regna pascendi, & familia bellicosis nationibus maior, & aedificia priuata laxitatem vrbium magnarum vincentia. Cum bene ista, per quae diuitias suas disposuit ac fudit, circumspexerit, superbumque se fecerit, si quicquid habet, ei quod cupit comparet, pauper est. Dimitte me, & illis diuitiis meis redde. Ego regnum sapientiae noui magnum, secu-

xi. rum. Ego sic omnia habeo, vt omnium sint. [u]Itaque cum C. Caesar illi ducenta donaret, ridens reiecit, ne dignam quidem summam iudicans, qua non accepta gloriaretur. Dij deaeque, quàm [x]pauxillo illum animum aut honorare voluit, aut corrumpere. Reddendum egregio viro testimonium est. Ingentem rem ab illo dici audiui, [y]cum miraretur dementiam eius, quòd se putasset tanti posse mutari. Si tentare, inquit, me constituerat, to-

xii. to illi fui experiendus imperio. Sapienti ergo donari aliquid potest, etiam si sapientis omnia sunt. AEque nihil prohibet, cum omnia amicis dicamus esse communia, aliquid amico donari. Non enim mihi sic cum amico communia omnia sunt, quomodo cum socio, vt pars mea sit, pars illius: sed quomodo patri matrique communes liberi sunt: [z]quibus cũ duo sint, non singuli singulos habent, sed singuli binos. Primum omnium iam efficiam, vt quisquis est iste, qui me in societatem vocat, sciat se nihil mecum habere commune. Quare? quia hoc consortiũ solum inter sapientes est, inter quos amicitia est. Ceteri non magis amici sunt, quàm socij. Deinde pluribus modis communia sunt. [a]Equestria omnium equitũ Romanorum sunt. [a]in illis tamen locus meus fit proprius, quem occupaui. Hoc si cui cessi, quãuis illi communi re cesserim, tamẽ aliquid dedisse videor. Quaedam quorũdam sub certa cõdicione sunt. Habeo in equestribus locum, non vt vendam, non vt locem, non vt habitem, in hoc tantum vt spectem. Propterea non mentiar, si dicã me habere in equestribus locum: sed cum in theatrum veni, si plena sunt equestria, & iure habeo locum illic, quia sedere est mihi liberum: & non habeo, quia ab his, cum quibus ius mihi loci commune est, occupatus est. Idem inter amicos puta fieri. Quicquid habet amicus, cõmune est nobis: sed illius propriũ est, qui tenet. [b]Vti illo nolente non possum. Derides me, inquis. Si quod amici est, meũ est, liceat mihi vendere. Non licet. Nam nec equestria, & tamen communia tibi cum ceteris equitibus sunt. Non est argumentum, ideo aliquid tuum non esse, quia vendere non potes, quia consumere, quia mutare in deterius aut melius non potes. Tuum enim est, etiam quod

xiii. sub lege certa tuum est. Accepi, sed certe non minus habes. [c]Ne te traham longius, Beneficium maius esse non potest. ea per quae beneficium datur, possunt esse maiora, & pluta, in quae se beneuolentia effundat, & sic sibi indulgeat, quemadmodum amantes solent: quorum plura oscula, & complexus arctiores non augent amorem, sed exercent. Haec quoque quae venit quaestio profligata est in prioribus. Itaque breuiter perstringetur. Possunt enim in hanc quae data sunt aliis argumenta transferri. Quaeritur, an qui omnia fecit, vt beneficium redderet, reddiderit. Vt scias, inquit, illum non reddidisse, omnia fecit, vt redderet.

Apparet

Apparet ergo, non esse id factum, cuius faciendi occasionem non habuit. Vt creditori suo
pecuniam non soluit is,qui vt solueret, vbique quaesiuit, nec inuenit. Quaedam eius con-
ditionis sunt, vt effectum praestare debeant:quibusdam pro effectu est,omnia attentasse,vt
efficerent. Si omnia fecit vt sanaret, peregit medicus partes suas. Etiam damnato reo, ora-
tori constat eloquentiae officium:si omni arte vsus est. Laus imperatori etiam victo,& duci
redditur,si & prudentia,& industria,& fortitudo munetibus suis functa est. Omnia fecit,vt
beneficium redderet.obstitit illi felicitas tua. Nihil incidit durius,[c] quod veram amicitiam
experiretur. Locupleti donare non potuit, sano assidere, felici succurrere. Gratiam retulit,
etiam si tu beneficium non recepisti. Praeterea huic intentus semper,& huius rei tempus o-
periens,qui in hoc multum curae,multum sedulitatis impendit,plus laborauit,quàm cui ci-
to referre gratiam contigit. Debitoris exemplum dissimile est : cui parum est pecuniã XIIII.
quaesisse,nisi soluit.Illic enim stat acerbus super caput creditor,qui nullum diem gratis oc-
cidere patiatur:[d]hic benignissimus,qui te cum cursantem & sollicitum atque anxium vide-
rit,dicat:Mitte hanc de pectore curam. Desine tibi molestus instare.Omnia a te habeo. In-
iuriam mihi facis,si me quicquam amplius desiderare iudicas. Plenissime ad me peruenit a-
nimus tuus. Dic, inquit, mihi. reddidisse beneficium dices illum, qui [e] sic gratiam retulit.
Eodem ergo loco est,qui reddidit, & qui non reddidit. [f]Contra nunc illud pone,si oblitus
esset accepti beneficij,si ne tentasset quidem gratus esse,negares illum gratiam retulisse? At
hic diebus noctibusque se lassauit,& omnibus aliis renuntiauit officiis, huic vni imminens,
& opperiens, ne qua se fugeret occasio. Eodem ergo loco erunt, ille qui curam referendae
gratiae abiecit,& hic qui nunquam ab illa recessit?Iniquus es,si rem a me exigis,cum videas
animum non defuisse. Ad summam,puta,cum captus esses,me pecuniam mutuatum,[g]rebus
meis in securitatem creditoris oppositis, nauigasse hieme tam saeua, per infesta latrociniis
littora,emensum quicquid periculi afferre potest etiam pacatum mare:peragratis omnibus
solitudinibus,cum quos nemo non fugiebat ego quaererem,tandem ad piratas perueni: &
iam te alius redemerat. negabis me gratiam retulisse? [h] etiam si in illa nauigatione pecuniã,
quam saluti tuae contraxeram, naufragus perdidi, etiam vbi in vincula quae detrahere tibi
volui,ipse incidi:negabis me retulisse gratiam? At mehercle [i] Athenienses,Harmodium &
Aristogitonem tyrannicidas vocant: & Mucij manus in hostili ara relicta, instar occisi Por-
senae fuit. Et semper contra fortunam luctata virtus, etiam citra effectum propositi operis
enituit. Plus praestitit, qui fugientes occasiones secutus est, & alia atque alia captauit, per
quae referre gratiam posset, quàm is quem sine vllo sudore gratum prima fecit occasio.
Duas,inquit,res ille tibi praestitit, voluntatem & rem. Tu quoque illi duas debes.Meri- XV.
to istud diceres ei qui tibi reddidit voluntatem otiosam.[i]Huic vero,qui & vult, & conatur,
& nihil intentatum relinquit, non potes dicere. vtrunque enim praestat,quantum in se est.
Deinde non semper numero numerus aequandus est.Aliquando vna res pro duabus valet.
Itaque in locum rei succedit tam propensa voluntas,& cupida reddendi.Quòd si animus si-
ne re ad referendam gratiam nõ valet,nemo aduersus deos gratus est, in quos voluntas sola
confertur. Diis,inquit,nihil aliud praestare possumus. Sed si huic quoque cui referre gratiã
debeo,nihil aliud praestare possum,quid est quare non eo aduersus hominẽ gratus sim,quo
nihil amplius in deos confero? Si tamen quid sentiam quaeris, & vis signare responsum: XVI.
Hic beneficium recepisse se iudicet: ille se sciat non reddidisse. Hic illum dimittat:ille se te-
neat.[k] Hic dicat,Habeo: ille respondeat, Debeo. In omni quaestione propositum sit nobis
bonum publicum. Praecludendae sunt excusationes ingratis, ad quas refugere possint, &
sub quibus infitiationem suam tegere.Omnia feci.Fac etiam nunc.Quid tu tam impruden-
tes iudicas maiores nostros fuisse,vt non intelligerent iniquissimum esse,eodem loco habe-
ri eum qui pecuniam, quam a creditore acceperat, libidine aut alea absumpsit, & eum qui
incendio,aut latrocinio,aut aliquo casu tristiore, aliena cum suis perdidit? Nullam excusa-
tionem receperunt, vt homines scirent fidem vtique praestãdam. Satius enim erat a paucis
etiam iustam excusationem non accipi, quàm ab omnibus aliquam tentari. Omnia fecisti
vt redderes.[l] Hoc illi satis sit: tibi parum. Nam quemadmodum ille, si enixam & sedulam
operam transire pro irrita patitur, cui gratia referatur indignus est: ita tu ingratus es, nisi ei
qui voluntatem bonam in solutum accepit, eo libentius debes,quia dimitteris. Non rapias
hoc, nec testeris: occasiones reddendi nihilominus quaeras. Redde illi, quia repetit : huic,
quia remittit.illi,quia malus:huic, quia non malus. Ideoque non est quòd ad te hanc quae-
stionem iudices pertinere: an quod beneficium quis a sapiente acceperit, reddere debeat,si
ille desinit esse sapiens,& in malum versus est. Redderes enim & depositum,quod a sapiente
accepisses,& etiam malo redderes creditum.quid est,cur non & beneficium?Quia mutatus

est ille, te mutat? Quid? si quid a sano accepisses, aegro non redderes: cum plus semper imbecillo amico debeamus? & hic aeger est animo, adiuuetur, feratur. Stultitia morbus est animi.

XVII. Distinguendum hoc, quo magis intelligatur, existimo. Duo sunt beneficia. Vnum, quod dare nisi sapiens sapienti non potest: hoc est absolutum & verum beneficium. Alterũ vulgare, plebeium, cuius [m] inter nos imperitos commercium est. De hoc non est dubium, quin illi qualiscunque est debeam reddere, siue homicida, siue fur, siue adulter euasit. Habent scelera leges suas. Melius istos iudex, quàm ingratus, emendat. Nemo te malum, quia est, faciat.[n] Malo beneficium proiiciam, bono reddam. Huic, quia debeo: illi, ne debeam.

XVIII. De altero beneficij genere dubitatur, quod si accipere non potui nisi sapiens, nec reddere quidem nisi sapienti possum. Puta enim me reddere, ille non potest recipere. Non est iam huius rei capax. Scientiam vtendi perdidit. Quid si me remittere manco pilam iubeas? Stultum est dare alicui, quod accipere non possit. Vt respondere ab vltimo incipiam: Non dabo illi, quod accipere non poterit: reddam, etiam si accipere non poterit. Obligare enim non possum, nisi accipientem: liberari tantum, si reddo, possum. Ille vti illo non poterit. Viderit.

XIX. penes illum erit culpa, non penes me. Reddere est, inquit, accepturo tradidisse. Quid enim si cui vinum debeas, & hoc ille infundere reticulo iubeat, aut cribro, reddidisse te dices, aut reddere voles, quod dum redditur, inter duos perit? Reddere, est id quod debeas, ei cuius est, volenti dare. Hoc vnum mihi praestandum est. [o]Vt quidem habeat, quod a me accepit, iam vlterioris est curae. Non tutelam illi, sed fidem debeo: multoque satius est, illum non habere, quàm me non reddere. Et creditori statim in macellum laturo, quod accepit, reddam. Etiam si mihi adulteram cui numerem, delegauerit, soluam: & si nummos quos accipiet, in sinum suum discinctum fundet, dabo. Reddendum enim mihi est: non seruandum, cum reddidero, aut tuendum. Beneficij accepti, non redditi custodiam debeo. Dum apud me est, saluum sit. Ceterum licet accipientis manibus effluat, dandum est reposcenti. Reddam bono, cum expediet: malo, cum petet. Tale, inquit, beneficium, quale accepisti, non illi potes reddere. Accepisti enim a sapiẽte: stulto reddis.[p] immo reddo illi quale nunc potest accipere: nec per me fit deterius, sed per illum. Id quod accepi, reddam. Cui si ad sapientiam redierit, reddam quale accepi: dum malus est, reddam quale ab illo potest accipi. Quid inquit, si non tantum malus factus est, sed ferus, sed immanis, qualis [10] Apollodorus, aut Phalaris: & huic beneficium quod acceperas, reddes? Mutationem sapientis tantam natura nõ patitur. Nam in pessima ab optimis lapsus, necesse est etiã in malo vestigia boni teneat. Nunquam in tantum virtus exstinguitur, vt non certiores animo notas imprimat, quàm vt illas eradat vlla mutatio. Ferae inter nos educatae cum in siluas eruperunt, aliquid mansuetudinis pristinae retinent: tantumque a placidissimis absunt, quantum a veris feris & nunquam humanam manum passis. Nemo in summam nequitiam incidit, qui vnquam haesit sapientiae. Altius infectus est, quàm vt ex toto elui, & trãsire in colorem alium possit. Deinde interrogo, vtrum iste ferus sit animo tãtum, an & in perniciem publicam excurrat. Proposuisti enim mihi Apollodorum & Phalarin tyrannum, quorum si naturam habet [q] intra se malus, quid ni ego isti beneficium suum reddam, ne quid mihi cum eo sit iuris amplius? Si vero sanguine humano non tantum gaudet & pascitur, sed & suppliciis omniũ aetatum crudelitatem insatiabilẽ exercet, nec ira, sed auiditate quadam saeuiendi furit, si in ore parentũ filios iugulat, si non cõtentus simplici morte, distorquet, nec vrit solum perituros, sed excoquit, [11] si ara eius cruore semper recenti madet: parum est huic beneficium non reddere. Quicquid erat, quo mihi cohaereret, intercisa iuris humani societas abscidit. Si praestitisset quidem mihi aliquid, sed arma patriae meae inferret: quicquid meruerat perdidisset, & referre illi gratiam scelus haberetur. si non patriam meam impugnat, sed suae grauis est, & sepositus a mea gente, suam exagitat, abscidit nihilominus illum tanta prauitas animi: etiam si non inimicum, inuisum mihi efficit: priorque mihi ac potior eius officij ratio est, quod hu-

XX. mano generi, quàm quod vni homini debeo. Sed quamuis hoc ita sit, & ex eo tempore [r] omnia mihi in illum sint libera, ex quo, corrumpendo fas omne, vt nihil in eum nefas esset, effecerit: illum mihi seruandum modum credam, vt si beneficium illi meum neque vires maiores daturum est in exitium commune, nec confirmaturum quas habet, id autem erit, quod illi reddi sine pernicie publica possit, reddam. Seruabo filium eius infantẽ. Quid hoc beneficium obest cuiquam eorum quos crudelitas eius lacerat? Pecuniam quae satellitem stipendio teneat, non subministrabo. Si marmora & vestes desiderabit, nihil oberit cuiquam id quo luxuria eius instruitur: militem & arma nõ suggeram. Si pro magno petet munere artifices scaenae, & scorta, & quae feritatem eius emolliant, libens offeram.[12] Cui trire mes & cerastas non mitterem, lusorias & [13] cubiculatas, & alia ludibria regum in mari lasciuien-

lasciuientium mittam. Et si ex toto eius sanitas desperata fuerit,[14] eadem manu beneficium
omnibus dabo, illi reddam:[t] quando ingeniis talibus vitae exitus remedium est:[v] optimum-
que est obire ei, qui ad se nunquam reditutus est. Sed haec tara nequitia est, & semper por-
tenti loco habita fuit, vt hiatus terrae, & de cauernis maris ignium eruptio. Itaque ab illa
recedamus. De his loquamur, quae detestamur sine horrore. Huic homini malo, quem in-
uenire in quolibet foro possum, quem singuli timent, reddam beneficium, quod accepi. Nō
oportet mihi nequitiam eius prodesse,[u] quòd i[illegible] non est, redeat domum bonus an ma-
lus.[x] Quàm diligenter istud excuterem, si non redderem, sed darem? Hic locus fabulam po-
scit. Pythagoricus quidam emerat a sutore [15] phaecasia, rem magnam, non praesentibus XXI.
nummis. Post aliquot dies venit ad tabernam redditutus: & cum clausam diu pulsaret, fuit
qui diceret: Quid perdis operam tuam? sutor ille quem quaeris, elatus combustus est. Quod
nobis fortasse molestum est, qui in aeternum nostros amittimus: tibi minime, qui scis futu-
rum, vt renascatur. iocatus in Pythagoricum.[y] At philosophus noster treis aut quatuor de-
narios (non inuita manu) domum retulit, subinde concutiens. Deinde cum reprehendisset
hanc suam non reddendi tacitam voluptatem, intelligens arrisisse sibi illud lucellum, redit
ad eandem tabernam, & ait: Ille tibi viuit. tu redde, quod debes. Deinde [16] per clostrum qua
se commissuta laxauerat, quatuor denarios in tabernam inseruit, ac misit, poenas a se exi-
gens improbae cupiditatis, ne alieno assuesceret. Quod debes, quaere cui reddas. Et si XXII.
nemo poscet, ipse te appella. Malus an bonus sit,[z] ad te non pertinet. Redde & accusa, non
oblitus,[a] quemadmodū inter vos officia diuisa sunt. Illi obliuio imperata est, tibi meminis-
se mandauimus. Errat tamen, si quis existimat, cum dicimus eum qui beneficium dedit, ob-
liuisci oportere, excutere nos illi memoriam rei praesertim honestissimae.[b] Quaedam
praecipimus vltra modum, vt ad verum & suum redeant. Cum dicimus, Meminisse non de-
bet: hoc volumus intelligi, praedicare non debet, nec iactare, nec grauis esse. Quidam enim
beneficium quod dederunt, omnibus circulis narrant. Hoc sobrij loquuntur, hoc ebrij non
continent: hoc ignotis ingerunt, hoc amicis committunt. Vt haec nimia & exprobratrix
memoria subsideret, obliuisci eum qui dedit, iussimus, & plus imperando quàm praestari
poterat, silentium suasimus. Quoties parum fiduciae est in his quibus imperas, am- XXIII.
plius est exigendum quàm satis est, vt praestetur quantum satis est.[c] In hoc omnis hyperbo-
le excedit, vt ad verum mendacio veniat.[d] Itaque ille cum dixit,

Quis candore niues anteirent, cursibus auras:

quod non poterat fieri, dixit: vt crederetur quantum plurimum posset. Et qui dixit,

His immobilior scopulis, violentior amne:

ne hoc quidem se persuasurum putauit, aliquem tam immobilem esse, quàm scopulum. Nū-
quam tantum sperat hyperbola, quantum audet: sed incredibilia affirmat, vt ad credibilia
perueniat. Cum dicimus, Qui beneficium dedit, obliuiscatur: hoc dicimus, similis sit oblito.
Memoria eius non appareat, nec incurrat. Cum dicimus, beneficium repeti non oportere,
non ex toto repetitionem tollimus: saepe enim opus est malis exactore, etiam bonis admo-
nitore. Quid ergo?[e] occasionem ignoranti non ostendam? necessitates illi meas non dete-
gam, quare nescisse se aut mentiatur, aut doleat? Interueniat aliquando admonitio, sed ve-
recunda, quae non poscat, nec in ius vocet. Socrates amicis audientibus: Emissem, XXIIII.
inquit, pallium, si nummos haberem. Neminem poposcit, omnes admonuit. a quo accipe-
ret, ambitus fuit. Quid ni esset? Quantulū enim erat, quod Socrates accipiebat? At multum
erat, fuisse, a quo Socrates acciperet. Non illos castigare mollius potuit, Emissem, inquit,
pallium, si nummos haberem. Post haec quisquis properauerit, sero dat. Iam Socrati defuit.
Propter acerbos exactores repetere prohibemus: non vt nunquam fiat, sed vt parce.
Aristippus aliquando delectatus vnguento: Male, inquit, istis effeminatis eueniat, qui rem XXV.
tam bellam infamauerunt. Idem dicendum est: Male istis improbis & importunis benefi-
ciorum suorum quadruplatoribus eueniat, qui tam bellam admonitionē inter amicos sus-
tulerunt. Ego tamen vtar hoc iure amicitiae, & beneficium ab eo repetam, a quo petissem,
qui alterius beneficij loco acceptutus est, potuisse reddere. Nunquam, ne querens quidem,
dicam: —— *Eiectum littore egentem*

Excepi, & regni demens in parte locaui.

[17] Non est ista admonitio, non: conuicium est. Hoc est in odiū beneficia perducere. Hoc est
efficere, vt ingratum esse, aut liceat, aut iuuet. Satis, abundeque est, submissis & familiaribus
verbis memoriam reuocare:

Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum. ——

XXVI. Ille inuicem dicat: Quid ni merueris? eiectum littore egentem excepisti. Sed nihil, in-
quit, profecimus: dissimulat, oblitus est. Quid facere debeam? Quaeris rem maxime necessa-
riam, & in qua hanc materiam consummari decet, quemadmodum ingrati ferendi sint. Pla-
cido animo, mansueto, magno. Nunquam te tam inhumanus, & immemor, & ingratus, of-
fendat, vt non tamen dedisse delectet. Nunquam in has voces iniuria impellat: Vellem non
fecisse. Beneficij tui etiam infelicitas placeat. Semper illum paenitebit, si te ne nunc quidem
paenitet. Non est, quòd indigneris tanquam aliquid noui acciderit: magis mirari deberes, si
non accidisset. Alium labor, alium impensa deterret: alium periculum, alium turpis verecũ-
dia, ne dum reddit, fateatur accepisse: alium ignorantia officij, alium pigritia, alium occupa-
tio. Aspice quemadmodum immensae hominum cupiditates hient semper & poscant. Non
miraberis ibi neminem reddere, vbi nemo satis accipit. Quis est istorum [f] tam firmae volũ-
tatis ac solidae, vt tuto apud eum beneficia deponas? Alius libidine insanit, alius abdomini
seruit, alius lucri totus est, cuius summam non vinces. alius inuidia laborat, alius caeca am-
bitione, & in gladios ruẽte. Adiice torporem mentis ac senium, & huic contrariam inquie-
ti pectoris agitationem, tumultusque perpetuos. Adiice aestimationem sui nimiam & tu-
morem, ob quae contemnẽdus est, insolentem. Quid contumaciam in peruersa nitentium,
quid leuitatem [g] semper alio transilientem loquar? Huc accedat temeritas praeceps, & nun-
quam fidele consilium daturus timor, & mille errores, [h] quibus voluimur: audacia timidissi-
morum, discordia familiarissimorum, & publicum malum, incertissimis fidere, fastidire pos-
XXVII. sessa, [i] quae consequi posse spes non fuit. Inter affectus inquietissimos, rem quietissi-
mam, fidem quaeris? Si tibi vitae nostrae vera imago succurret, videberis tibi videre [k] captae
cummaxime ciuitatis faciem, in qua, omisso pudoris rectique respectu, vires in consilio
sunt, velut signo ad permiscẽda omnia dato. Non igni, non ferro abstinetur. Soluta legibus
scelera sunt. Nec religio quidem, quae inter arma hostilia supplices texit, vllum impedimẽ-
tum est ruentium in praedam. Hic ex priuato, hic ex publico, hic ex profano, hic sacra rapit,
hic effringit, hic transilit, hic non contentus angusto itinere, [l] ipsa quibus arcetur, euertit, &
in lucrum ruina venit. Hic sine caede populatur, hic spolia cruenta manu portat. Nemo non
fert aliquid ex altero. In hac auiditate generis humani, ne tu nimis fortunae communis ob-
litus es, qui quaeris inter rapientes referentem. Si indignaris ingratos esse, indignare luxu-
riosos, indignare auaros, indignare impudicos, indignare aegros deformes, senes pallidos.
Est istud graue vitium, est intolerabile, & quod dissociet homines, quod concordiam, qua
imbecillitas nostra fulcitur, scindat ac dissipet: Sed vsque eo vulgare est, vt illud nec qui
XXVIII. queritur quidem effugerit. Cogita tecum, an quibuscunque debuisti, gratiam retule-
ris, an nullum vnquam apud te perierit officium, [m] an omnium te beneficiorum memoria
comitetur. Videbis quae puero data sunt, ante adolescentiam elapsa: quae in iuuenem col-
lata sunt, non perdurasse in senectutem. Quaedam perdidimus, quaedam proiecimus, quae-
dam e conspectu nostro paulatim exierunt: a quibusdam oculos auertimus. Vt excusem tibi
imbecillitatem tuam, in primis fragilis est memoria, & rerum turbae non sufficit. Necesse est
quantum recipit, emittat, & antiquissima recentissimis obruat. Sic factum est, vt minima a-
pud te nutricis esset auctoritas, quia beneficium eius longius aetas sequens posuit. Sic factũ
est, vt praeceptoris tibi non esset vlla veneratio. Sic euenit, vt circa consularia occupato co-
mitia, aut sacerdotiorum candidato, quaesturae suffragator excideret. Fortasse vitium, de
quo quereris, si te diligenter excusseris, in sinu inuenies. Inique publico irasceris crimini,
stulte tuo. Vt absoluaris, ignosce. Meliorem illum facies ferendo, vtique peiorem exprobrã-
do. Non est, quòd frontem eius indures. sine, si quid est pudoris residui, seruet. Saepe dubiã
verecundiam vox conuiciantis clarior rupit. Nemo id esse quod etiam videtur, timet. De-
XXIX. prehensus pudor amittitur. Perdidi beneficium. Nunquid quae consecrauimus, per-
didisse nos dicimus? Inter consecrata beneficium est, etiam si male respondit, bene collo-
catum. Non est ille, qualem sperauimus. [n] Simus quales fuimus nos, ei dissimiles. [o] damnum
tunc factum, nunc apparuit. Ingratus non sine nostro pudore protrahitur: quoniam quidem
querela amissi beneficij, non bene dati signum est. Quantum possumus, causam eius apud
nos agamus: fortasse non potuit, fortasse ignorauit: fortasse facturus est. Quaedam nomina
bona, lentus ac sapiens creditor fecit, qui sustinuit, ac mora fouit. Idem nobis faciendum.
XXX. Nutriamus fidem languidam. Perdidi beneficium. Stulte, non nosti detrimenti tui
tempora. perdidisti, sed cum dares. Nunc palam factum est. Etiam in his quae videntur in
perdito, moderatio plurimum profuit. Vt corporum, ita animorum molliter vitia tractan-
da sunt. Saepe quod explicauit mora, pertinacia trahentis abruptum est. Quid opus est ma-
ledictis? quid querelis? quid insectatione? quare illum liberas? quare dimittis? Si ingratus est,
iam

iam nihil debet. Quae ratio est exacerbare eum, in quem magna contuleris, vt ex amico dubio fiat non dubius inimicus, & patrocinium sibi nostra infamia quaerat? Nec desit qui dicat: Nescio quid est, quòd eum, cui tantum debuit, ferre non potuit. Subest aliquid. Nemo non superioris dignitatem querendo, etiam si non inquinauit, aspersit. Nec quisquam fingere contentus est leuia, cum magnitudine mendaciis fidẽ quaerat. Quanto illa me- XXXI.
lior via, qua seruatur illa species amicitiae, & si reuerti ad sanitatem velit, etiam amicitia? Vincit malos pertinax bonitas: nec quisquam tam duri infestique aduersus diligenda animi est,[18] vt etiam vi tractus bonos non amet: quibus hoc quoque coepit debere, quod impune non soluit. Ad illa itaque cogitationes tuas flecte. Non est mihi relata gratia. Quid faciam? Quod dij omnium rerum optimi auctores,[p] qui beneficia ignorantibus dare incipiũt, ingratis perseuerãt. Alius illis obiicit negligentiam nostri, alius iniquitatem: alius illos extra mundum suum proiicit, & ignauos, hebetesque sine luce, sine vllo opere destituit. Alius solem cui debemus, quòd inter laborem quietemque tempus diuisimus, quòd non tenebris immersi confusionem aeternae noctis effugimus, quòd annum cursu suo temperat, & corpora alit, sata euocat, percoquit fructus,[19] saxum aliquod, aut [10] fortuitorum ignium globũ, & quiduis potius quàm deum appellat. Nihilominus tamen more optimorum parentum, qui maledictis suorum infantium arrident, non cessant dij beneficia congerere, de beneficiorum auctore dubitantibus: sed aequali tenore bona sua per gentes populosque distribuunt, vnam potentiam sortiti, prodesse. Spargunt opportunis imbribus terras: maria flatu mouent, siderum cursu notant tempora, hiemes aestatesque interuentu lenioris spiritus molliunt, errorem labentium animarum placidi ac propitij ferunt. Imitemur illos. Demus, etiam si multa in irritum data sint. Demus nihilominus aliis, demus ipsis, apud quos iactura facta est. Neminem ab excitanda domo ruina deterruit: & cum penates ignis absumpsit, fundamenta tepente adhuc area ponimus, & vrbes haustas saepius eodem solo condimus. Adeo ad bonas spes pertinax animus est. Terra marique humana opera cessarent, nisi male cadentia iterum tentare libuisset. Ingratus est. non mihi fecit iniuriam, sed sibi. Ego XXXII.
beneficio meo, cum darem, vsus sum. Nec ideo pigrius dabo, sed diligentius. Quod in hoc perdidi, ab aliis recipiam. Sed huic ipsi beneficium dabo iterum, & tanquam bonus agricola, cura cultuque sterilitatem soli vincam. Periit mihi beneficium: iste omnibus.[t] Non est
magni animi, dare & perdere: hoc est magni animi, perdere & dare. 4.

LIBRI VLTIMI DE BENEFICIIS FINIS.

M. ANTONII MVRETI AD SEPTIMVM LIBRVM SENECAE DE beneficiis Notae.

NON[1] seruet portionem suam,] *Fortassis legendum* proportionem. CAP. I.

2 Proficientem] *τὸν προκόπτοντα, propria vox Stoicae disciplinae.* II.

3 Quem deformamus] *Deformare est ἀποτυπῶσαι. Vtitur hoc verbo & Cicero eodem sensu.*

4 Inter nos conuenit.] *Alij inepte,* Inter duos conuenit. IIII.

5 Romanus Imperator] *Vide quae scripsi capite XVII. libri XIX. Variarum lectionum.* VII.

6 Equestria] *Ita vocat quatuordecim illos gradus, in quibus spectandi causa sedere nisi equitibus Romanis, lege Roscia non licebat.* XII.

7 Ne te traham longius,] *Perspicuum est multa hoc loco deesse: in quibus hoc disputabatur, possetne beneficium aliud alio maius esse. Concludit autem Seneca conuenienter disciplinae Stoicorum, beneficia quidem ipsa neque maiora, neque minora esse posse: paria enim sunt omnia κατορθώματα, sed materiam beneficij posse esse aut maiorem aut minorem.* XIII.

8 Athenienses Harmodium & Aristogitonem tyrannicidas vocant.] *Quanquam non tyrannum ipsum, sed tantum fratrem illius interfecerunt. Vide Thucydidem libro sexto.* XIIII.

9 Immo reddo illi] *Locum hunc, vt alios sanequam multos, deprauauerat Erasmus.* XIX.

10 Apollodorus aut Phalaris] *Hos coniungit etiam libro secundo de ira. Et Phalaris quidem vulgo notus est: Apollodorus non item. Meminit illius Plutarchus in commentario quo docet, Philosophum vel maxime cum principibus viris disputare debere, his verbis: τοὺς δ᾽ Ἀπολλοδώρου τοῦ τυράννου, καὶ Φαλάριδος, καὶ Διονυσίου φίλους καὶ συνήθεις ἀποτυμπανίζων, ἔστρεβλουν, καὶ ἐνεπίμπρασαν. Memi-*

nit & Suidas vbi de Hieronymo tyranno differit, quo ait neque Phalarin, neque Apollodorum, neque alium fuisse vllum tyrannum saeuiorem.

11 Si ara eius eſt cruor & ſemper recenti madet:] *Non dubito quin legendum ſit*, Si ara eius cruore ſemper recenti madet. *Sed tamen quia coniectura tantum fretus ita iudico, aliorum indicium facere malui.*

XX. 12 Cui triremes & ceraſtas] *Ita plane legendum, non, vt antea,* ceratas. *Multis nauibus de nominibus animalium imponebant nomina, ceraſtas, priſtes, tigres, centauros, cercuros, alia eiuſmodi.*

13 Cubiculatas,] *Ita expreßit thalamegos. Suetonius Graecam appellationem retinere maluit.*

14 Eadem manu beneficium omnibus dabo, illi reddam:] *Hoc dicit: eum interficiam. Conſceleratis enim hominibus duo tantum bona euenire poſſe docet Plato: vt aut corrigantur, aut moriantur. Illo fit, vt boni eſſe incipiant: hoc, vt peccare deſinant.*

XXI. 15 Phaecaſia.] *Genus calceamenti ruſtici. Heſychius.*

16 Per cloſtrum] *Per ſeram. Cloſtrum ſeu clauſtrum a claudendo, vt hauſtrum ab hauriendo. Plautus:*

Bene vale anime mi: nam ſonitum & crepitum clauſtrorum audio.

Virgilius: Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum clauſtra fremunt.

Hoc enim dicit, eos fremere circa ipſos obices portarum, ſi qua exitus detur, erumpere cupientes.

XXV. 17 Non eſt iſta admonitio, non: conuicium eſt.] *Sic Cicero:* Non ſunt haec ab indulgentia noſtra, non. habent radices ſuas. *Alij inepte ſcripſerunt,* Immo.

XXXI. 18 Vt etiam vitiatus] *Corrupta vox, quam quomodo emendem, non habeo.*

19 Saxum aliquod,] *Anaxagorae ea ſtultitia fuit, qui dicebat ſolem eſſe μύδρον διάπυρον.*

20 Fortuitorum ignium globum,] *Epicuri deliramentum, conuenire ignes, & ardoris ſemina, Quae faciunt ſolis noua ſemper lumina gigni. Lucretius libro quinto.*

L. ANNAEI SENECAE AD LVCILIVM EPISTOLAE.

Epistola I.

I[1]TA fac, mi Lucili: vindica te tibi, & tempus quod adhuc [2] aut auferebatur, [3] aut surripiebatur, [4] aut excidebat, collige & serua.[5] Persuade tibi hoc sic esse vt scribo. quaedam tempora eripiuntur nobis, quaedam subducuntur, quaedam effluunt. Turpissima tamen est iactura, quae per negligentiam fit: & si volueris attendere, magna vitae pars elabitur [6] male agentibus, maxima [7] nihil agentibus, tota [8] aliud agentibus. Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem aestimet? qui intelligat se quotidie mori? In hoc enim fallimur, [a] quòd [9] mortem prospicimus. magna pars eius iam praeteriit. quicquid aetatis retro est, mors tenet. Fac ergo mi Lucili, quod facere te scribis, omnes horas complectere: sic fiet, vt minus ex crastino pendeas, si hodierno [10] manum inieceris.[11] Dum differtur vita, transcurrit. Omnia, mi Lucili, aliena sunt: tempus tantum nostrum est. [b] In huius rei vnius fugacis ac lubricae possessionem natura nos misit, [c] ex qua nos expellit quicunque vult. [d] sed tanta stultitia mortalium est, vt quae minima & vilissima sunt, certe reparabilia,[e] imputari sibi,[12] cum impetrauere, patiantur: nemo se iudicet quicquam debere, qui tempus accepit: cum interim hoc vnum est, quod ne gratus quidem potest reddere. Interrogabis fortasse, quid ego faciam, qui tibi ista praecipio. Fatebor ingenue: quod apud luxuriosum, sed diligentem, euenit. Ratio mihi constat impensae. Non possum dicere, me nihil perdere: sed quid perdam, & quare, & quemadmodum, dicam: causas paupertatis meae reddam. Sic euenit mihi, quod plerisque non suo vitio ad inopiam redactis, omnes ignoscunt, nemo succurrit.[f] Quid ergo est? Non puto pauperem,[13] cui quantulumcumque superest, sat est. Tu tamen malo serues tua, & [14] bono tempore incipias. Nam, vt visum est maioribus nostris: [15] Sera parsimonia in fundo est. [16] Non enim tantum minimum in imo, sed pessimum remanet.

Epistola II.

E[1]x his quae mihi scribis, ex his quae audio, bonam spem de te concipio. non discurris, nec locorum mutationibus inquietaris. AEgri animi ista iactatio est. Primum argumentum [a] compositae mentis existimo, posse consistere, & secum morari. Illud vide, ne ista lectio multorum auctorum & omnis generis voluminum, habeat aliquid vagũ & instabile. Certis ingeniis immorari & innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui vbique est. In peregrinatione vitã agentibus hoc euenit, vt multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est iis qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim & properantes transmittunt. Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur. Nihil aeque sanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo medicamẽta tentantur. Non coalescit planta quae saepe trãsfertur. nihil tam vtile est, quod in transitu prosit. Distrahit animum librorum multitudo. Itaque cum legere non possis quantum habueris, sat est habere quantum legas. Sed modo, inquis, hunc librum euoluere volo, modo illum. Fastidientis stomachi est, multa degustare:[b] quae vbi varia sunt & diuersa, inquinant, non alunt. Probatos itaque semper lege:[c] & si quando ad alios diuertere libuerit, ad priores redi. Aliquid quotidie aduersus paupertatem, aliquid aduersus mortem auxilij compara, nec minus aduersus ceteras pestes. Et cum multa percurreris, vnum excerpe, quod illo die concoquas. Hoc ipse quoque facio: ex pluribus quae lego, aliquid apprehendo. Hodiernum hoc est, quod apud Epicurum nactus sum. Soleo enim & in aliena castra transire, non tanquam transfuga, sed tanquam explorator. Honesta, inquit, res est, laeta paupertas. Illa vero non est paupertas, si laeta est. Cui enim cum paupertate bene conuenit, diues est. Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. Quid enim refert, quantum illi in arca, quantum in horreis iaceat, quantum pascat, aut feneret, si alieno imminet, si non acquisita, sed acquirenda computat? Quis sit diuitiarum modus, quaeris? Primus habere quod necesse est, proximus, quod sat est.

Epiſtola III.

E[a]PISTOLAS ad me perferendas tradidiſti,vt ſcribis, amico tuo. Deinde admones me, ne omnia cum eo ad te pertinentia communicem,quia non ſoleas nec ipſe quidem hoc facere.Ita eadem epiſtola illum & dixiſti amicũ,& negaſti.Itaque ſic priore illo verbo quaſi publico vſus es,& ſic illum amicum vocaſti,quomodo omnes candidatos, bonos viros dicimus,quomodo obuios,ſi oomen noo ſoccurrit,[b] dominos ſalutamus.Hoc abierit. Sed ſi aliquem amicum exiſtimas,cui non tantumdem credis quantum tibi, vehementer erras,& non ſatis noſti vim verae amicitiae.[c] [Errat & ille,qui amicum in atrio quaerit,in conuiuio probat. Nullum habet maius malum occupatus homo & bonis ſuis obſeſſus, quàm quòd amicos ſibi purat,quibus ipſe nõ eſt.]Tu vero omnia cum amico delibera,ſed de ipſo prius. Poſt amicitiam credendum eſt,ante amicitiam iudicãdum.Iſti vero praepoſtere officia permiſcent,qui contra praecepta [d] Theophraſti,cum amauerint,iudicant;& non amant, cum iudicauerint.Diu cogita,an tibi in amicitiã aliquis recipiendus ſit.cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte: tam audacter cum illo loquere quàm tecum. Tu quidem ita viue,vt nihil committas,niſi quod committere etiam inimico poſſis.ſed quia interueniunt quaedã quae conſuetudo fecit arcana,cũ amico omnes curas,omnes cogitationes tuas miſce.Fidelem ſi puraueris,facies.Nam[e]multi fallere docuerunt,dum timent falli: & aliis ius peccandi ſuſpicando fecerunt.Quid eſt ergo,quare verba coram amico tetraham?Quid eſt,quare me coram illo non putem ſolum? Quidam quae tantum amicis committenda ſunt,obuiis narrant,& in quaſlibet aures,quicquid illos vrit,exooeraot:quidam rurſus etiam cariſſimorum conſcientiam reformidant,&, ſi poſſent, ne ſibi quidem credituri, interius premunt omne ſecretum.Neutrum faciendum eſt.Vtrumque enim vitium eſt, & omnibus credere,& nulli: ſed alterum honeſtius dixerim vitium , alterum tutius. Sic vtroſque reprehendas, & eos qui ſemper inquieti ſunt,& eos qui ſemper quieſcunt.Nam illa tumultu gaudens, nõ eſt induſtria,ſed exagitatae mẽtis cõcurſatio:& haec noo eſt quies,quae motũ omoẽ moleſtiam iudicat,ſed diſſolutio & languor.Itaque hoc quod apud Pomponium legi,animo tuo mandabitur.Quidam adeo in latebras refugerunt,vt putent in turbido eſſe quicquid in luce eſt. Inter ſe iſta miſcenda ſunt, & quieſcenti agendum, & agenti quieſcendum eſt. Cum rerum natura delibera.[f] illa dicet tibi,ſe & diem feciſſe & noctem.

Epiſtola IIII.

P[a]ERSEVERA vt coepiſti,& quantum potes propera:quo diutius frui emendato animo & compoſito poſſis.Frueris quidem etiam dum componis,etiam dum emendas:alia tamen illa voluptas eſt,quae percipitur ex contẽplatione mẽtis ab omni labe purae & ſplẽdidae.Tenes vtique memoria,quantũ ſenſeris gaudium, cum praetexra poſita,ſumpſiſti virilẽ togam,& in forum deductus es.Maius expecta,cum puerilem animũ depoſueris,& te[b]in viros philoſophia trãſcripſerit.Adhuc enim oõ pueritia in nobis,ſed,quod eſt grauius , pueriIitas remanet:&hoc quidem peius eſt,quòd auctoritatem habemus ſeoũ,vitia puerorũ: nec puerorum tantũ,ſed infantiũ.[c] Illi leuia, hi falſa formidant: nos vtraque.[d] Proſice modo,& intelliges,quaedã ideo minus timenda,quia multũ metus auferuot.Nullum magnũ malum quod extremum eſt.Mors ad te venit.timenda erat,ſi tecum eſſe poſſet.Neceſſe eſt,aut non perueniat,aut pertrãſeat.Difficile eſt,inquis,animũ perducere ad contemptũ animae.Nõ vides,quã ex friuolis cauſis contẽnatur?Alius ante amicae fores laqueo pepẽdit,alius ſe praecipitauit a tecto,ne dominũ ſtomachantẽ diutius audiret: alius nę reduceretur e fuga,ferrũ adegit in viſcera.Noo putas virtutẽ boc effecturã,quod effecit nimia formido?Nulli poteſt ſecura vita cõtingere,qui de producẽda nimis cogitat: qui inter magna bona multos cõſules numerat.Hoc quotidie meditare,vt poſſis aequo animo vitã relinquere,quã multi ſic cõplectũtur & tenẽt,quomodo q a torrẽte rapiũt,ſpinas & aſpera.Plaeriq; inter mortis metũ, & vitae tormẽta miſeri fluctuãt: & viuere nolũt,& mori neſciũt.Fac itaq; tibi iucundã vitã, omnem pro illa ſolicitudinẽ deponẽdo. Nullũ bonũ iuuat habentẽ,niſi ad cuius amiſſionẽ praeparatus eſt animus.Nullius autẽ rei faciliot amiſſio eſt,quàm quae deſiderari amiſſa nõ poteſt.Ergo aduerſus omnia quae accidere poſſunt etiã potentiſſunis,adhortare te & indura.De Pompeij capite pupillus & ſpado tulere ſententiã. De Craſſo crudelis & inſolẽs Parthus.Caius Caeſar iuſſit [e] Lepidum Decimo tribuno ptaebere ceruicẽ:ipſe Cbaereae praeſtitit. Neminẽ eo fortuna prouexit, vt non tantũ illi minaretut, quantum permiſerat. Noli huic tranquillitati confidere.momento mare vertitur. eodẽ die vbi luſerunt nauigia ſorbẽtur.Cogita poſſe& latrooẽ & boſtem admouere iugulo tuo gladiũ.Vt poteſtas maior abſit, nemo oõ ſeruus habet in te vitae necisque arbitriũ . Ita dico, quisquis vitam ſuã cootẽpſit, tuae dominus eſt.recognoſce exẽplũ eorũ qui domeſticis inſidiis perierũt,aut aperta vi,aut

dolo:

dolo:& intelliges, non pauciores seruorum ira cecidisse, quàm regum. Quid ad te itaque, quàm potens sit quem times, cum id propter quod times, nemo non possit? At si forte in manus hostium incideris, victor te [*] duci iubebit, eo nempe quo duceris. Quid te ipse decipis, & hoc nunc primum, quod olim patiebaris, intelligis? Ita dico, ex quo natus es, duceris. Haec & huiusmodi versanda in animo sunt, si volumus illam vltimam horam placidi expectare, cuius metus omnes alias inquietas facit. Sed vt epistolae finem imponam, accipe quod hodierno die mihi placuit. & hoc quoque ex alienis hortulis sumptum est. Magnae diuitiae sunt, lege naturae composita paupertas. Lex autem illa naturae, scis quos nobis terminos statuit? Non esurire, non sitire, non algere. Vt famem sitimque depellas, non est necesse superbis assidere liminibus, nec supercilium graue, & contumeliosam etiam humanitatem pati. Non est necesse maria tentare, nec sequi castra. Parabile est quod natura desiderat, & expositum. Ad superuacua sudatur. Illa sunt quae rogam conterunt, quae nos senescere sub tentorio cogunt, quae in aliena littora impingunt. Ad manum est, quod sat est.

Epistola V.

QVOD pertinaciter studes, & omnibus omissis, hoc vnum agis, vt te quotidie meliorem facias, & probo & gaudeo: nec tantum hortor, vt perseueres, sed etiam rogo. Illud autem te admoneo, ne eorum more qui non proficere, sed [2] conspici cupiunt, facias aliqua, quae in habitu tuo, aut genere vitae notabilia sint. Asperum cultum, & intonsum caput, & negligentiorem barbam, & indictum argento odium, & [3] cubile humi positum, & quicquid aliud [4] ambitionem peruersa via sequitur, deuita. Satis ipsum nomen philosophiae, etiam si modeste tractetur, inuidiosum est. Quid si nos hominũ cõsuetudini coeperimus excerpere? Intus omnia dissimilia sint: frons nostra populo conueniat. Non splendeat toga: ne sordeat quidem. Non habeamus argentum, in quod solidi auri caelatura descenderit: sed non putemus frugalitatis indicium auro argentoque caruisse. Id agamus, vt meliorẽ vitam sequamur quàm vulgus, non vt contrariam. Alioqui quos emendari volumus, [4] fugamus, & a nobis auertimus. Illud quoque efficimus, vt nihil imitari velint nostri, dum timent ne imitanda sint omnia. Hoc primum philosophia promittit, sensum communem, humanitatem & congregationem, a qua professionis dissimilitudo separabit. Videamus ne ista per quae admirationem parare volumus, ridicula & odiosa fiant. Nempe propositum nostrum est, secundũ naturam viuere. Hoc contra naturam est, torquere corpus suum, & faciles odisse munditias, & squallorem appetere, & cibis non tantũ vilibus vti, sed taetris & horridis. Quemadmodum delicatas res desiderare, luxuriae est: ita vsitatas & non magno parabiles fugere, dementiae est. Frugalitatem exigit philosophia, non poenam. Potest autem esse non incompta frugalitas. Hic mihi modus placet. Temperetur vita inter bonos mores & publicos. Suspiciant omnes vitam nostram, sed & agnoscant. Quid ergo? Eadem faciemus, quae ceteri? Nihil inter nos & illos intererit? Plurimum. Dissimiles esse nos vulgo, sciat, qui inspexerit propius. qui domum intrauerit, nos potius miretur quàm supellectilem nostram. Magnus ille est, qui fictilibus sic vtitur, quemadmodum argẽto. nec ille minor est, qui sic argento vtitur, quemadmodum fictilibus. Infirmi animi est, pati non posse diuitias. Sed vt huius quoque diei lucellum tecum communicem, apud Hecatonem nostrum inueni, cupiditatum finem, etiam ad timoris remedia proficere. Desines, inquit, timere, si sperare desieris. Dices, quomodo ista tam diuersa pariter sunt? Ita est, mi Lucili: cum videantur dissidere, coniuncta sunt. Quemadmodum eadem catena & custodiam & militem copulat, sic ista quae tam dissimilia sunt, pariter incedunt. Spem metus sequitur. Nec miror ista sic ire. Vtrunque pendentis animi est, vtrumque futuri expectatione solicitum. Maxima autem vtriusque causa est, quòd non ad praesentia aptamur, sed cogitationes in longinqua praemittimus. Itaque prouidentia, maximum bonum condicionis humanae, in malum versa est. Ferae pericula quae vident, fugiunt: cum effugere, securae sunt. Nos & venturo torquemur, & praeterito. Multa bona nostra nobis nocent. Timoris enim tormentum memoria reducit, prouidentia anticipat. Nemo tantum praesentibus miser est.

Epistola VI.

INTELLIGO, Lucili, non emendari me tantum, sed transfigurari: nec hoc promitto iam aut spero, nihil in me superesse, quod mutandum sit. Quid ni multa habeam quae debeã corrigi, quae extenuari, quae attolli? Et hoc ipsum argumentum est in melius translati animi, quòd vitia sua, quae adhuc ignorabat, videt. [3] Quibusdam aegris gratulatio fit, cum se ipsos aegros esse senserunt. Cuperem itaque tecum communicare tam subitam mei mutationem: tunc amicitiae nostrae certiorem fiduciam habere coepissem, illius verae, quam non spes, non timor, non vtilitatis suae cura diuellit: illius, cum qua homines moriuntur,

pro qua moriuntur. Multos tibi dabo, qui noo amico, sed amicitia caruerunt. Hoc non potest accidere, cum animos in societatem hoocsta cupiendi par voluntas trahit. Quid ni oon possit? Sciunt enim ipsos omnia habere cõmunia, & quidem magis aduersa. Coocipere animo oon potes, quantum momenti afferre mihi singulos dies videam. Mitte, inquis, & nobis ista, quae tam efficacia expertus es. Ego vero cupio in te omnia transfundere, & in hoc gaudeo aliquid discere, vt doceam: nec me vlla res delectabit, licet eximia sit & salutaris, quam mihi vni sciturus sum. Si cum hac exceptione detur sapientia, vt illam inclusam teneam, nec enuntiem, reiiciam. Nullius boni sine socio iucunda possessio est. Mittam itaque ipsos tibi libros: & ne multum operae impendas, dum passim profutura sectaris, imponam notas, vt ad ea ipsa protinus quae probo & miror, accedas. Plus tamen tibi viua vox & conuictus, quàm oratio, proderit. Io rem praesentẽ venias oportet. Primum quia homines amplius oculis quàm auribus credunt: deinde quia longum iter est per praecepta, breue & efficax per exempla. Zenonẽ Cleanthes non expressisset, si eum tantummodo audisset. Vitae eius interfuit, secreta perspexit,[a] obseruauit illum, an ex formula sua viueret. Plato & Aristoteles, & omnis[3] in diuersum itura sapientium turba,[4] plus ex moribus quàm ex verbis Socratis traxit. Metrodorũ, & Hermachum, & Polyaenum, magnos viros non schola Epicuri, sed contubernium fecit. Nec in hoc te accerso tantum, vt proficias, sed vt prosis. Plurimum enim alter alteri conferemus. Interim quia diurnam tibi mercedulam debeo,[b] quid me hodie apud Hecatonem delectauerit, dicam. Quaeris, inquit, quid profecerim? Amicus esse mihi coepi. Multum profecit. ounquam erit solus. Qui sibi amicus est, scito huoc amicum omnibus esse.

Epistola VII.

Q[1]VID tibi vitandum praecipue existimem, quaeris? Turbam. Nondum illi te tuto commiseris. Ego certe confiteor imbecillitatem meam. Nunquam mores quos extuli, refero. Aliquid ex eo quod composui, turbatur: aliquid ex his quae fugaui, redit. Quod aegris euenit, quos looga imbecillitas vsque adeo affecit, vt ounquam sine offensa proferantur, hoc accidit oobis,[a] quorum animi ex loogo morbo reficiuntur. Inimica est multorum coouersatio. Nemo noo aliquod oobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut oescientibus allinit. Vtique quo maior est populus cui commiscemur, hoc periculi plus est. Nihil vero est tam damnosum bonis moribus, quàm in aliquo spectaculo desidere. Tunc enim per voluptatem facilius vitia surrepunt. Quid me existimas dicere? Auarior redeo, ambitiosior, luxuriosior? immo vero crudelior & inhumanior, quia inter homines fui. Casu in meridianum spectaculum incidi, losus expectans, & sales, & aliquid laxamenti, quo hominum oculi ab humano cruore acquiescant. Contra est, quicquid ante pugnatum est, misericordia fuit. Nuoc omissis ougis, mera homicidia suot, nihil habent quo tegantur, ad ictum totis corporibus expositi, nuoquam frustra manum mittunt. Hoc plerique ordinariis paribus & postulaticiis praeferunt. Quid ui praeferant? non galea, noo scuto repellitur ferrum. Quo munimenta? Quo artes?[b] Omnia ista mortis morae sunt. Mane leonibus & vrsis homines, meridie spectatoribus suis obiiciuntur.[1][c] Interfectores inter se iubentur obiici, & victorem in aliam detinent caedem. exitus pugnantium mors est: ferro & igne res geritur. Haec fiunt, dum vacat arena.[1] Sed latrocinium fecit aliquis: quid ergo meruit? vt suspendatur. Occidit hominem. quia occidit ille, meruit, vt hoc pateretur: tu quid meruisti miser, vt hoc spectes? Occide, vre, verbera.[4] Quare tam timide incurrit in ferrum? quare parum audacter occidit? quare parũ libenter moritur?[5] Plagis aguntur in vulnera, & mutuos ictus oudis & obuiis pectoribus excipiunt. Intermissum est spectaculum? interim iugulantur homines, oe nihil agatur. Age ne hoc quidem intelligitis,[6] mala exempla in eos redundare qui faciunt? Agite diis immortalibos gratias, quòd[7] cum docetis esse crudelem, qui noo potest discere. Subducendus populo est tener animus, & parum tenax recti. Facile transitur ad plures. Socrati, Catoni, & Laelio excutere mentem suam dissimilis multitudo potuisset: adeo nemo nostrum, qui cum maxime concinnamus ingenium, ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium potest.[d] Vnum exemplum aut luxuriae, aut auaritiae multum mali facit. Coouictor delicatus paulatim eneruat & emollit. Vicinus diues cupiditatem irritat: malignus comes quamuis candido & simplici, rubiginem suam affricuit. Quid tu accidere his credis, in quos publice factus est impetus? Necesse est aut imiteris, aut oderis. Vtrunque autem deuitandum est: ne vel similis malis fias, quia multi sunt: neue inimicus multis, quia dissimiles sunt. Recede in teipsum quantum potes: cum his versare, qui te meliorem facturi sunt. Illos admitte, quos tu potes facere meliores. Mutuo ista fiunt: & homines dum docent, discunt.[e] Non est ergo quòd te gloria publicandi

ingenij

ingenij producat in medium, vt recitare istis velis, aut disputare: quod facere te vellem, si haberes isti populo idoneam mentem. Nemo est qui intelligere te possit. Aliquis fortasse vnus aut alter incidet: & hic ipse formandus tibi erit, instituendusque ad intellectum tui. Cui ergo, inquis, ista didici? non est quod timeas, ne operam perdideris: [f] tibi didicisti. Sed ne mihi soli hodie didicerim, communicabo tecum quae occurrerunt mihi egregie dicta circa eundem fere sensum tria: ex quibus vnum haec epistola in debitum soluet: duo in antecessum accipe. Democritus ait: [g] Vnus mihi pro populo est, & populus pro vno. Bene & ille quisquis fuit (ambigitur enim de auctore) cum quaereretur ab illo, quo tanta diligentia artis spectaret ad paucissimos peruenturae: Satis sunt, inquit, mihi pauci, satis est vnus, satis est nullus. Egregie hoc tertium. Epicurus cum vni ex consortibus studiorum suorum scriberet: Haec, inquit, ego non multis, sed tibi: satis enim magnum alter alteri theatrum sumus. Ista, mi Lucili, condenda in animum sunt, vt contemnas voluptatem, ex plurium assensione venientem. Multi te laudant. Ecquid habes cur placeas tibi, si is es quem multi intelligunt? introrsus bona tua spectent.

Epistola VIII.

Tv[1] me, inquis, vitare turbam iubes, secedere, & conscientia esse contentum? vbi illa praecepta vestra, quae imperant in actu mori?[2] Quid? ego tibi videor interim sedere? in hoc me recondidi, & fores clausi, vt prodesse pluribus possem. Nullus mihi per otium dies exit: partem noctium studiis vindico: non vaco somno, sed succumbo, & oculos vigilia fatigatos, cadentesque in opere detineo. Secessi non tantum ab hominibus, sed etiam a rebus, & primum a meis.[3] Posterorum negotium ago: illis aliqua quae possint prodesse, conscribo: salutares admonitiones, velut medicamentorum vtilium compositiones, litteris mãdo, esse illas efficaces in meis vlceribus expertus: quae etiam si persanata non sunt, serpere desierũt. Rectum iter quod sero cognoui, & lassus errando, aliis monstro. Clamo, Vitate quaecunque vulgo placent, quae casus attribuit: ad omne fortuitum bonum, [4] suspiciosi pauidique subsistite. Et fera, & piscis spe aliqua oblectante decipitur. Munera ista fortunae putatis?[5] insidiae sunt.[a] Quisquis nostrum tutam agere vitam volet, quantum plurimum potest, ista viscata beneficia deuitet: in quibus hoc quoque miserrimi fallimur, [b] quod habere nos putamus. [c] habemur. In praecipitia cursus iste deducit. Huius eminentis vitae exitus cadere est. Deinde ne resistere quidem licet, cum cœpit transuersos agere felicitas.[7] Aut rectus sta, aut semel fuge. Qui hoc faciunt, non euertit fortuna, sed [8] cernulat & allidit. Hanc ergo sanam & salubrem formam vitae tenero, vt corpori tantum indulgeas, quantum bonae valetudini satis est. Durius tractandum est, ne animo male pareat: cibus famem sedet, potio sitim extinguat, vestis arceat frigus, domus munimentum sit aduersus infesta corpori.[c] Hanc vtrum cespes erexerit, an varius lapis gentis alienae, nihil interest. Scito hominem tam bene culmo quàm auro tegi. Contemne omnia, quae superuacuus labor velut ornamentum ac decus ponit. Cogita in te praeter animum nihil esse mirabile, cui magno nihil magnum est. Si hoc mecum, si hoc cum posteris loquor, non videor tibi plus prodesse, quàm cum ad vadimonium aduocatus descenderem, aut tabulis testamenti annulum imprimerem, aut in senatu candidato vocem & manum commodarem? [d] Mihi crede: qui nihil agere videntur, maiora agunt, humana diuinaque simul tractant. Sed iam finis faciendus est, & aliquid, vt institui, pro hac epistola dependendum. id de meo non fiet.[e] adhuc Epicurum compilamus, cuius hanc vocem hodierno die legi. Philosophiae seruias oportet, vt tibi contingat vera libertas. Non differtur in diem, qui se illi subiecit & tradidit. statim[9] circumagitur. hoc enim ipsum philosophiae seruire, libertas est. Potest fieri, vt me interroges, quare ab Epicuro tam multa bene dicta referam potius quàm nostrorum. quid est tamen, quare tu istas Epicuri voces putes esse non publicas? Quàm multa poëtae dicunt, quae a philosophis aut dicenda, aut dicta sunt? Non attingam tragicos aut togatas nostras. Habent enim hae quoque aliquid seueritatis, & sunt inter comoedias & tragoedias mediae. Quantum disertissimorum versuum inter mimos iacet? quàm multa Publij, non excalceatis, sed cothurnatis dicenda sunt? Vnum eius versum qui ad philosophiam pertinet, & ad hanc partem quae modo fuit in manibus, referam, quo negat fortuita in nostris habenda.

Alienum est omne quicquid optando venit.

Hunc versum a te dici non paulo melius, & astrictius, memini:

Non est tuum fortuna quod fecit tuum.

Illud etiam non melius dictum a te non praeteribo:

Dari bonum quod potuit, auferri potest.

Hoc non imputo in solutum. de tuo tibi.

Epistola IX.

AN merito reprehendat in quadam epistola Epicurus eos, qui dicunt sapientem seipso esse contentum, & propter hoc amico non indigere, desideras scire. Hoc obijcitur Stilponi ab Epicuro, & his quibus summum bonum visum est animus impatiens. In ambiguitatem incidendum est, si exprimere[a] ἀπάθειαν[a] vno verbo scite voluerimus, & impatientiam dicere. Poterit enim contrarium ei quod significare volumus, intelligi. Nos enim eum volumus dicere, qui respuat omnis mali sensum. accipietur is qui nullũ possit ferre malum. Vide ergo, num satius sit, aut inuulnerabilem animum dicere, aut animum extra omnem patientiam positum. Hoc inter nos & illos interest. Noster sapiens vincit quidem incommodum omne, sed sentit: illorum ne sentit quidem. Illud nobis cum illis commune est, sapientem seipso esse contentum: sed tamen & amicum habere vult, & vicinum, & contubernalem, quamuis sibi ipse sufficiat. Vide quàm sit se contentus. aliquando sui parte contentus est, si illi manum aut morbus, aut hostis inciderit.[b] Si quis oculum casus excusserit, reliquiae illi suae satisfacient:[c] & erit imminuto corpore & amputato tam laetus, quàm integro fuit.[d] Quae sibi desunt, non desiderat: sed non deesse mauult. Ita sapiens se contentus est, non vt velit esse sine amico, sed vt possit: & hoc quod dico possit, tale est. amissum aequo animo fert: sine amico quidem nunquam erit. in sua potestate habet, quàm cito reparet. Quomodo si perdiderit Phidias statuam, protinus alteram faciet: sic & hic faciendarum amicitiarum artifex, substituet alium in locum amissi. Quaeris quomodo amicum cito facturus sit: dicam si illud mihi tecum conuenerit, vt statim tibi soluam quod debeo, & quantum ad hanc epistolam, paria faciamus. Hecaton ait: Ego tibi monstrabo amatorium, sine medicamento, sine herba, sine vllius veneficae carmine.[f] Si vis amari, ama.[e] Habet autem non tantum amicitiae vsus veteris & certae magnam voluptatem, sed etiam initium & comparatio nouae. Quod interest inter metentem agricolam, & serentem: hoc inter eum qui parauit amicum, & qui parat. Attalus philosophus dicere solebat, Iucundius esse amicum facere quàm habere: quomodo artifici iucundius est pingere quàm pinxisse. Illa in opere suo occupata solicitudo, ingens oblectamentum habet in ipsa occupatione. Non aeque delectatur qui ab opere perfecto remouit manum. Iam fructu artis suae fruitur: ipsa fruebatur arte cum pingeret. Fructuosior est adolescentia liberorum, sed infantia dulcior. Nunc ad propositum reuertamur. Sapiens etiam si contentus est se, tamen habere amicum vult: si ob nihil aliud, vt exerceat amicitiam, ne tam magna virtus iaceat: non ob hoc quod Epicurus dicebat in hac ipsa epistola, vt habeat[e] qui sibi aegro assideat, succurrat in vincula coniecto vel inopi:[f] sed vt habeat aliquem, cui ipse aegro assideat, quem ipsum circumuentum hostili custodia liberet.[g] Qui se spectat, & propter hoc ad amicitiam venit, male cogitat: quemadmodum coepit, sic desinet. Parauit amicum aduersus vincula laturum opem: cum primum crepuerit catena, discedet. Hae sunt amicitiae, quas temporarias populus appellat.[h] Qui causa vtilitatis assumptus est, tandiu placebit, quandiu vtilis fuerit. Hac re florentes amicorum turba circumsedet: circa euersos ingens solitudo est: & inde amici fugiunt, vbi probantur: hac re ista tot nefaria exempla sunt aliorum metu relinquentium, aliorum metu prodentium. Necesse est initia inter se & exitus congruant. Qui amicus esse coepit, quia expedit, placebit ei aliquod pretium contra amicitiam, si vllum in illa placet pretium praeter ipsam. In quid igitur amicum paro? Vt habeam pro quo mori possim, vt habeam quem in exilium sequar, cuius me morti opponam & impendam. Ista quam tu describis, negotiatio est, non amicitia, quae ad commodum accedit, quae quid consecutura sit, spectat. Non dubie habet aliquid simile amicitiae, affectus amantium. Possis dicere illam esse insanã amicitiam. Nunquid ergo quisquam amat lucri causa? nunquid ambitionis aut gloriae? Ipse per se amor omnium aliarum rerum negligens, animos in cupiditatem formae, non sine spe mutuae caritatis accendit. Quid ergo? ex honestiori causa coit turpis affectus? Non agitur, inquis, nunc hoc, an amicitia propter se, an propter aliud sit expetenda. nam si propter seipsam expetenda est, potest ad illam accedere, qui seipso contentus est. Quomodo ergo ad illam accedit? Quomodo ad rem pulcherrimam: non lucro captus, nec varietate fortunae perterritus. Detrahit amicitiae maiestatem suam,[i] qui illam parat ad casus. Se contentus est sapiens. Hoc, mi Lucili, perperam plaerique interpretantur. Sapientem vndique submouent, & intra cutem suam cogunt. Distinguendum est autem, quid & quatenus vox ista promittat. Se contentus est sapiens ad beate viuendum, non ad viuendum. Ad hoc enim multis illi rebus opus est, ad illud tantum animo sano, & erecto, & despiciente fortunam.[k] Volo tibi Chrysippi quoque distinctionem indicare. Ait sapientem nulla re indigere, & ta-

men multis illi rebus opus eſſe. Contra, Stulto nulla re opus eſt, nulla enim re ſcit vti, ſed omnibus eget. Sapienti & manibus, & oculis, & multis ad quotidianũ vſum neceſſariis opus eſt, ſed eget nulla re: egere enim neceſſitatis eſt. Nihil autem neceſſe ſapienti eſt. Ergo quamuis ſeipſo contentus ſit, amicis illi opus eſt: hos cupit habere quàm plurimos: non vt beate viuat: viuet enim etiam ſine amicis beate. Summum bonum extrinſecus inſtrumenta non quaerit: domi colitur: ex ſe totum eſt. incipit fortunae eſſe ſubiectum, ſi quam partem ſui foris quaerit. Qualis tamen futura eſt vita ſapientis, ſi ſine amicis relinquatur in cuſtodiam coniectus, vel in aliqua gente aliena deſtitutus, vel in nauigatione longa retenrus, aut in deſertum littus eiectus?[f] qualis eſt Iouis, cum reſoluto mundo, & diis in vnum confuſis, paulisper ceſſante natura, acquieſcit ſibi, cogitationibus ſuis traditus. tale quiddam ſapiens facit. In ſe reconditur, ſecum eſt: quamdiu quidem illi licet ſuo arbitrio res ſuas ordinare, ſe contentus eſt: & ducit vxorem, ſe contentus: & liberos tollit, ſe contentus: & tamen non viuet, ſi fuerit ſine homine victurus.[g] Ad amicitiam fert illum nulla vtilitas ſua, ſed naturalis irritatio. Nam vt aliarum nobis rerum innata dulcedo eſt, ſic amicitiae. Quomodo ſolitudo in odio eſt, ſic in dulcedine appetitio ſocietatis. Quomodo hominem homini natura conciliat, ſic ineſt huic quoque rei ſtimulus, qui nos amicitiarum appetentes faciat. Nihilominus cum ſit amicorum amantiſſimus, cum illos ſibi comparet, ſaepe praeferat, omne intra ſe bonum terminabit,[h] & dicet quod[i] Stilpoo ille dixit, Stilpõ quem Epicuri epiſtola inſequitur. Hic enim capta patria, amiſſis liberis, amiſſa vxore, cum ex incendio publico ſolus, & tamẽ beatus exiret, interroganti Demetrio, cui cogoomen ab exitio vrbium Poliorcetes fuit, nũquid perdidiſſet: Omnia, inquit, bona mea mecum ſunt. Ecce vir fortis ac ſtrenuus. ipſam hoſtis ſui victoriam vicit. Nihil, inquit, perdidi. dubitare illum coegit an viciſſet. Omnia mea mecum ſunt. Iuſtitia, virtus, tempetantia, prudentia, hoc ipſum, nihil bonum putare quod eripi poſſit. Miramur animalia quaedam, quae pet medios ignes, ſine noxa corporum tranſeunt: quanto hic mirabilior vir, qui per ferrum & ruinas & ignes, illaeſus & indemnis euaſit? Vides quanto facilius ſit totam gentem, quàm vnum virum vincere. Haec vox illi eſt communis cum Stoico. aeque & hic intacta bona per concrematas vrbes fert. Se enim ipſo contenrus eſt, hoc felicitatem ſuam fine deſignat. Ne exiſtimes nos ſolos generoſa verba iactare, & ipſe Stilponis obiurgator Epicurus, ſimilem illi vocem emiſit, quam tu boni cõſule:[k] etiam ſi hunc diem iam expunxi. Si cui, inquit, ſua ooo videntur ampliſſima, licet totius mundi dominus ſit, tamen miſer eſt. Vel ſi hoc modo tibi melius enuntiari videtur: id enim agendum, vt non verbis ſeruiamus, ſed ſenſibus: Miſer eſt, qui ſe oon beatiſſimum iudicat, licet imperet mundo. Vt ſcias autem hos ſenſus communes eſſe, natura ſcilicet dictante, apud poetam comicum inuenies:

Non eſt beatus, eſſe ſe qui non putat.

Quid enim refert qualis ſtatus tuus ſit, ſi tibi videtur malus? Quid ergo, inquis, ſi beatum ſe dixerit ille turpiter diues, & ille multorum dominus, ſed plurium ſeruus, beatus ſua ſententia fiet? Non quid dicat: ſed quid ſentiat, refert: nec quid vno die ſentiat, ſed quid aſſidue. Non eſt autem quòd verearis, ne ad indignum res tanta perueniat. Niſi ſapienti ſua non placent. omnis ſtultitia laborat faſtidio ſui.

Epiſtola X.

S[a]IC eſt. non muto ſententiam. fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam vnum. Non habeo cum quo te communicatum velim, & vide quo iudicium meum abeat. Audeo te tibi credere. Crates, vt aiunt, huius ipſius Stilponis auditor, cuius mentionem priori epiſtola feci, cum vidiſſet adoleſcentulum ſecreto ambulantem, interrogauit, quid illic ſolus faceret. Mecum, inquit, loquor. cui Crates: Caue, inquit, rogo, & diligenter attende, ne cum homine malo loquaris. Lugentem timentemque cuſtodire ſolemus, ne ſolitudine male vtatur. Nemo eſt ex imprudentibus qui relinqui ſibi debeat. Tunc mala conſilia agitant: tunc aut aliis, aut ipſis futura pericula ſtruunt. Tunc cupiditates improbas ordinant: tunc quicquid aut metu, aut pudore animus celabat, expromit: tunc audaciam acuit, libidinem irritat, iracundiam inſtigat. Denique, quod vnum ſolitudo habet commodum, nihil vlli committere, non timere indicem, perit ſtulto. Ipſe ſe prodit. Vide itaque quid de te ſperem, immo quid ſpondeam mihi. ſpes enim incerti boni oomen eſt. Nõ inuenio cum quo te malim eſſe, quàm tecum. Repeto memoria, quàm magno animo quaedam verba proieceris, quàm robotis plena. Gratulatus ſum protinus mihi, & dixi: non a ſummis labris iſta venerunt. habent hae voces fundamentum. iſte homo oon eſt vnus e populo. ad ſalutem ſpectat. Sic loquere, ſic viue. Vide ne te vlla res deprimat. Votorum tuorum veterum licet diis gratiam facias. Alia de integro ſuſcipe: roga bonam meotem, bonam valetudinẽ animi, deinde cor-

poris. Quid ni tu ista vota saepe facias? Audacter Deum roga, nil illum de alieno rogaturus.

Sed vt more meo cum aliquo munusculo epistolam mittam, verum est, quod apud Athenodorum inueni: Tunc scito esse te omnibus cupiditatibus solutum, cum eo perueneris, vt nihil Deum roges, nisi quod rogare possis palam. Nunc enim quanta dementia est hominũ? [a] Turpissima vota diis insusurrant: si quis admouerit aurem, conticescent, & quod scire hominem nolunt, Deo narrant. Vide ergo ne hoc praecipi salubriter possit: Sic viue cum hominibus, tanquam Deus videat: sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.

Epistola XI.

L'OCVTVS est mecũ amicus tuus bonae indolis: in quo quantum esset animi, quantum ingenij, quantum iam etiam profectus, sermo primus ostendit. Dedit enim nobis gustum ad quem respondebit: non enim ex praeparato locutus est, sed subito deprehẽsus. Vbi se collegit, verecundiam, bonum in adolescente signum, vix potuit excutere: adeo illi ex alto suffusus est rubor. Hic illum, quantum suspicor, etiam cum se confirmauerit, & omnibus vitiis exuerit, sapientem quoque sequetur. Nulla enim sapientia, naturalia corporis aut animi vitia ponuntur: quicquid infixum & ingenitum est, lenitur arte, non vincitur. Quibusdã etiã constantissimis in conspectu populi sudor erumpit, non aliter quàm fatigatis & aestuantibus solet: quibusdam tremunt genua dicturis: quorundam dentes colliduntur, lingua titubat, labra concurrunt. Haec nec disciplina, nec vsus vnquam excutit: sed natura vim suam exercet, & illos vitij sui etiam robustissimos admonet. Inter haec & ruborem esse scio, qui grauissimis quoque viris subitus offunditur. Magis quidem in iuuenibus apparet, quibus & plus caloris est, & tenera frons: nihilominus veteranos & senes tangit. Quidam nunquam magis quàm cum erubuerint, timendi sunt, quasi omnem verecundiam effuderint. Sylla tunc erat violentissimus, cum faciem eius sanguis inuaserat. Nihil erat mollius ore Pompeij. nunquam non coram pluribus erubuit. vtique & in contionibus. Fabianum, cum in senatũ testis esset inductus, erubuisse memini: & hic mire illum pudor decuit. Non accidit hoc ab infirmitate mentis, sed a nouitate rei: quae inexercitatos etsi non concutit, mouet naturali in hoc facilitate corporis pronos. Nam vt quidam boni sanguinis sunt, ita quidam incitati & mobilis, & cito in os prodeuntis. Haec, vt dixi, nulla sapientia abigit: alioquin haberet rerum naturam sub imperio, si omnia eraderet vitia. Quaecunque attribuit condicio nascendi, & corporis temperatura, cum multum se diuque animus composuerit, haerebunt. Nihil horum vitari potest, non magis quàm accersi. Artifices scaenici, qui imitantur affectus, qui metum & trepidationem exprimunt, qui tristitiam repraesentant, hoc indicio imitantur verecundiam: deiiciunt vultum, verba submittunt, figunt in terram oculos & deprimunt, ruborem sibi exprimere non possunt. nec prohibetur hic, nec adducitur. Nihil aduersus haec sapientia promittit, nihil proficit: sui iuris sunt, iniussa veniunt, iniussa discedunt. Iam clausulam epistola poscit. Accipe, & quidem vtilem & salutarem, quã te affigere animo volo. Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, vt sic tanquam illo spectante viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Hoc, mi Lucili, Epicurus praecepit: custodem nobis & paedagogum dedit: nec immerito. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem illum, qui non aspectus tantum, sed etiam cogitatus emendat. O felicem, qui sic aliquem vereri potest, vt ad memoriam quoque eius se componat, atque ordinet. Qui sic aliquem vereri potest, cito erit verendus. Elige itaque Catonem. si hic videtur tibi nimis rigidus, elige remissioris animi virum Laelium, elige eum cuius tibi placuit & vita, & oratio, & ipsius animum ante te ferens & vultus, illum semper tibi ostende, vel custodem, vel exemplum. Opus est, inquam, aliquo, ad quem mores nostri se ipsi exigant. Nisi ad regulam, praua non corriges.

Epistola XII.

Q'VOCVNQVE me verto, argumenta senectutis meae video. Venerã in suburbanũ meũ, & querebar de impensis aedificij dilabentis. Ait villicus, non esse negligentiae suae vitium: omnia se facere, sed villam veterem esse. Haec villa inter manus meas creuit. Quid mihi futurum est, si iam putria sunt aetatis meae saxa? Iratus illi, proximam occasionem stomachandi arripio. Apparet, inquam, has platanos negligi. nullas habent frondes. quàm nodosi sunt, & retorridi rami? quàm tristes & squallidi trunci? Hoc non accideret, si quis has circumfoderet, si irrigaret. Iurat per genium meum, se omnia facere, in nulla re cessare curã suam: sed illas vetulas esse. [a] Quod inter nos dictum sit, ego illas posueram, ego illarum primum videram folium. Conuersus ad ianuam: Quis est, inquam, iste decrepitus, & merito ad ostium admotus? foras enim spectat. Vnde istum nactus es? quid te delectauit, alienũ mortuum

tuum tollere? At ille: Non cognoscis me?inquit. Ego sum Felicio, cui solebas sigillaria afferre: [b] ego sum Philositi villici filius, deliciolum tuum. Profecto, inquam, iste delirat. Pupulus, etiam deliciolum meum factus est. Prorsus potest fieri. dentes illi cum maxime cadunt. Debeo hoc suburbano meo, quòd mihi senectus mea, quocunque aduerteram, apparuit. Complectamur illam, & amemus. Plena est voluptatis, si illa scias vti. gratissima sunt poma, cum fugiunt. [c] Pueritiae maximus in exitu decor est. deditos vino potatio extrema delectat: illa quae mergit, quae ebrietati summam manum imponit. Quod in se iucundissimum hominis voluptas habet, in finem sui differt. iucundissima est aetas deuexa iam, non tamen praeceps: & illam quoque in extrema tegula stantem, iudico habere suas voluptates: aut hoc ꝗ sum succedit in locum voluptatum, nullis egere. Quàm dulce est, [c] cupiditates fugasse ac reliquisse? Molestum est, inquis, mortem ante oculos habere. Primum ista tam iuueni ante oculos debet esse, quàm seni. Non enim citamur [e] ex censu. Deinde nemo tam senex est, [d] vt improbe vnum diem speret. Vnus autem dies gradus est vitae. tota aetas partibus constat, & orbes habet circumductos maiores minoribus. Est aliquis, qui omnes complectatur & cingat. [e] hic pertinet a natali ad diem extremum. Est alter, qui annos adolescētiae excludit. Est qui totam pueritiam ambitu suo astringit. [f] Est deinde ipse annus, in se omnia continens tēpora, quorum multiplicatione vita componitur. Mensis arctiore praecingitur cingulo. angustissimum habet dies gyrum: sed & hic ab initio ad exitum venit, ab ortu ad occasum. Ideo Heracletus, [g] cui cognomen Scotinon fecit orationis obscuritas: Vnus, inquit, dies par omni est. Hoc alius aliter accepit: dixit enim parem esse horis: nec mentitur. Nam si dies tēpus est vigintiquattuor horarum, necesse est omnes inter se dies pares esse: quia nox habet quod dies perdidit. Alius ait, parem esse vnum diem omnibus similitudine: nihil enim habet longissimi temporis spatium, quod non in vno die inuenias, lucem & noctem, & alternas mundi vices. [h] Planiora facit ista nox alias contractior, alias productior. Itaque sic ordinandus est dies omnis, tanquam cogat agmen, & consummet atque expleat vitam. Pacuuius qui [d] Syriam vsu suam fecit, cum vino [i] & illis funereis epulis se sepelisset, quasi sibi parentaret, sic in cubiculum ferebatur a coena, vt inter plausus exoletorum hoc ad symphoniam caneretur: βεβίωκε, βεβίωκε. nullo non se die extulit. Hoc quod ille ex mala conscientia faciebat, nos ex bona faciamus, & in somnum ituri, laeti, hilaresque dicamus,

Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi.

Crastinum si adiecerit Deus, laeti recipiamus. Ille beatissimus est, & securus sui possessor, qui crastinum sine sollicitudine expectat. Quisquis dixit, Vixi, quotidie ad lucrum surgit. Sed iam debeo epistolam cludere. Sic, inquis, sine vllo ad me peculio veniet? Noli timere: aliquid secum feret. quare aliquid dixi? multum. Quid enim hac voce praeclarius, quam illi trado ad te perferendam? Malum est in necessitate viuere. sed in necessitate viuere, necessitas nulla est. [k] Quid ni nulla sit? patent vndique ad libertatem viae multae, breues, faciles. Agamus Deo gratias, quòd nemo in vita teneri potest. Calcare ipsas necessitates licet. Epicurus, inquis, dixit. Quid tibi cum alieno? Quod verum est, meum est. perseuerabo Epicurum tibi ingerere: vt isti qui in verba iurant, nec quid dicatur aestimāt, sed a quo, sciant, quae optima sunt, esse communia.

Epistola XIII.

MVLTVM tibi esse animi scio. nam etiam antequam instruerem te praeceptis salutaribus & dura vincentibus, satis aduersus fortunam placebas tibi, & multo magis, postquam cum illa conseruisti manum, viresque expertus es tuas: quae nunquam certam daro fiduciam sui possunt, nisi cum multae difficultates hinc & illinc apparuerint, aliquando vero & propius accesserint. Sic verus ille animus, & in alienum non venturus arbitrium probatur. Haec eius obrussa est. Non potest athleta magnos spiritus ad certamen adferre, qui nunquam suggillatus est. Ille qui fudit sanguinem suum, cuius dētes crepuerunt sub pugno, ille qui supplantatus aduersariū toto tulit corpore, nec proiecit animum proiectus, qui quoties cecidit contumacior resurrexit, cum magna spe descendit ad pugnam. Ergo, vt similitudinem istam prosequar, saepe iam fortuna supra te fuit: nec tamen tradidisti te, sed subsilisti, & acrior constitisti. Multum enim adiicit sibi virtus lacessita. Tamen si tibi videtur, accipe a me auxilia, quibus munire te possis. Plura sunt, Lucili, quae nos terrent, quàm quae premunt: & saepius opinione quàm re laboramus. Non loquor tecum Stoica lingua, sed hac submissiore. Nos enim dicimus omnia ista quae gemitus mugitusque exprimunt, leuia esse & contemnenda. Omittamus haec magna verba, [a] sed, dij boni, vera. Illud tibi praecipio, ne sis miser ante tempus: cum illa quae velut imminentia expauisti, fortasse nunquam ventura sint, [a] certe nondum venerint. [b] Quaedam enim nos magis torquent quàm debeant:

quaedam ante torquent quàm debeant: quaedam torquent cum omnino non debeant. Aut augemus dolorem, aut fingimus, aut praecipimus. [c] Primum illud, quia res in controuersia est, & litem contestatam habemus, in praesentia differatur. Quod ego leue dixero, tu grauissimum esse contendes. Scio alios inter flagella ridere, alios gemere sub colapho. Postea videbimus, vtrum ista suis viribus valeant, an imbecillitate nostra. Illud praesta mihi, vt quoties circumsteterint, qui tibi te miserum esse persuadeant, non quid audias, sed quid sentias cogites. & cum patientia tua deliberes, ac te ipse interroges, qui tua optime nosti: Quid est quare isti me complorent? quid est quod trepident, quod contagium quoque mei timeant, quasi transire calamitas possit? Est aliquid istic mali: an res ista magis infamis est quàm mala? Ipse te interroga: Nunquid sine causa crucior, & maereo, & quod non est malum facio? Quomodo, inquis, intelligam, vana sint, an vera, quibus angor? Accipe huius rei regulam. Aut praesentibus torquemur, aut futuris, aut vtrisque. De praesentibus facile est iudicium. si corpus tuum liberum est, sanum est, nec vllus ex iniuria dolor est: videbimus quid futurũ sit, hodie nihil negotij habet. At enim futurum est. Primum dispice, an certa argumenta sint venturi mali. Plaerunque enim suspicionibus laboramus, & illudit nobis illa quae conficere bellum solet fama: multo autem magis singulos conficit. Ita est, mi Lucili, cito accedimus opinioni: non coarguimus illa quae nos in metum adducunt: nec excutimus, sed trepidamus: & sic vertimus terga, quemadmodum illi, quos puluis motus fuga pecorum, exuit castris, aut quos aliqua fabula sine auctore sparsa conterruit. Nescio quomodo magis vana perturbant. vera enim modum suum habent. quicquid ex incerto venit, coniecturae & licentiae pauentis animi traditur. Nulli itaque tam perniciosi, tam irreuocabiles, quàm lymphatici metus sunt. Ceteri enim sine ratione, hi sine mente sunt. Inquiramus itaque rem diligenter. Verisimile est, aliquid futurum mali. Non statim verum est. Quàm multa non expectata venerunt, quàm multa expectata nusquam comparuerunt? Etiam si futurum est, quid iuuat dolori suo occurrere? [d] Satis cito dolebit, cũ venerit: interim tibi meliora promitte. [e] Quid facies lucri? tẽpus. Multa interuenient, quibus vicinum periculũ vel prope admotũ, aut subsistat, aut desinat, aut in alienum caput transeat. Incendium ad fugam patuit: quosdã molliter ruina deposuit: aliquando gladius ab ipsa ceruice reuocatus est: aliquis carnifici suo superstes fuit. Habet etiam mala fortuna leuitatem. fortasse erit, fortasse non erit: [f] interim dum non est, meliora propone. Nonnunquam nullis apparentibus signis, quae mali aliquid pronuntient, animus sibi falsas imagines fingit, aut verbum aliquod dubiae significationis detorquet in peius, aut maiorem sibi offensam proponit alicuius quàm est, & cogitat non quantum iratus ille sit, sed quantum liceat irato. Nulla autem caussa vitae est, nullus miseriarum modus, si timetur quantum potest. Hic prudentia prosit, hic robore animi euidentem quoque metum respue. Si minus, vitio vitium repelle, spe metum tempera. Nihil tam certũ est ex his quae timentur, vt non certius sit, & formidata subsidere, & sperata decipere. Ergo & spem ac metum examina: & quoties incerta erunt omnia, tibi faue, crede quod mauis: [g] si plures habebit sententias metus, nihilominus in hanc partem potius inclina, & perturbare te desine. Ac subinde hoc in animo volue, maiorem partem mortalium, [h] cũ illi nec sit quicquam mali, nec pro certo futurum sit, aestuare ac discurrere. Nemo enim resistit sibi cum coeperit impelli, nec timorem suum redigit ad verum. Nemo dicit, Vanus auctor est: aut finxit, aut credidit. Damus nos referentibus, expauescimus dubia pro certis, non seruamus modum rerum, statim in timorem venit scrupulus. Pudet me sic tecum loqui, [i] & tam leuibus te remediis refocillare. Alius dicat, Fortasse hoc non veniet: tu dic, Quid porro si veniet? [k] Videbimus vtrum veniet: fortasse pro me veniet: [l] & mors vitam honestabit. [m] Cicuta magnum Socratem fecit. Catoni gladium assertorem libertatis extorque, magnam partem detraxeris gloriae. Nimium diu te cohortor, cum tibi admonitione magis quàm exhortatione opus sit. Non in diuersum te a natura tua ducimus. natus es ad ista quae dicimus. Eo magis bonum tuum auge & exorna. Sed iam finem epistolae faciam, si illi signum suum impressero: id est, aliquam magnificam vocem perferendam ad te mãdauero. Inter cetera mala, hoc quoque habet stultitia, semper incipit viuere. Considera quid vox ista significet, Lucili virorum optime: & intelliges quàm foeda sit hominum leuitas, quotidie noua vitae fundamenta ponentium, nouas spes etiam in exitu inchoantium. Circunspice tecum singulos. occurrent tibi senes, [n] qui se cummaxime ad ambitionem, ad peregrinationes, ad negotiandum parent. Quid est autem turpius, quàm senex viuere incipiens? Non adiicerem auctorem huic voci, nisi esset secretior, nec inter vulgata Epicuri dicta, quae mihi & laudare, & adoptare permisi.

Epistola XIIII.

FATEOR insitam esse nobis corporis nostri caritatem. Fateor nos huius gerere tutelam: nec nego indulgendum illi: seruiendum nego. Multis enim seruiet, qui corpori seruit, qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert. Sic gerere nos debemus, non tanquã propter corpus viuere debeamus, sed tanquam non possimus sine corpore. Huius nos nimius amor timoribus inquietat, sollicitudinibus onerat, contumeliis obiicit. Honestum ei vile est, cui corpus nimis carum est. Agatur eius diligentissime cura: ita tamen, vt cum exiget ratio, cum dignitas, cum fides, mittendum in ignem sit. Nihilominus, quantum possumus, euitemus incommoda quoque, non tantum pericula: & in tutum nos reducamus, excogitantes subinde, quibus possint timenda depelli: quorum tria, ni fallor, genera sunt. Timetur inopia, timentur morbi, timentur quae per vim potentioris eueniunt. Ex his omnibus nihil magis nos concutit, quàm quod ex aliena potentia impendet. Magno enim strepitu & tumultu venit. Naturalia mala quae retuli inopiae atque morbi, silentio subeunt, nec oculis nec auribus quicquam terroris incutiũt. Ingens alterius mali pompa est, ferrum circa se & ignes habet, & catenas,[a] & turbam ferarum, quã in viscera immittat humana. Cogita hoc loco carcerem,[b] & cruces, & eculeos, & vncum, & adactum per medium hominẽ, qui per os emergat, stipitem, & distracta in diuersum actis curribus membra, illam tunicam, alimentis igniũ & illitam & intextam, quicquid aliud, praeter haec, commenta saeuitia est. Non est itaque mirum, si maximus huius rei timor est, cuius & varietas magna, & apparatus terribilis est. Nam quemadmodum plus agit tortor, quo plura instrumẽta doloris exposuit (specie enim vincuntur, qui patientia restitissent:) ita ex his quae animos nostros subigunt & domant, plus proficiunt, quae habent quod ostendant. Illae pestes non minus graues sunt, famem dico & sitim, & praecordiorum suppurationes, & febrem viscera ipsa torrentem: sed latent. Nihil habent quod intentent, quod praeferant. Haec, vt magna bella, aspectu paratuque vicerunt. Demus itaque operam, abstineamus offensis. Interdum populus est, quem timere debeamus: interdum, si ea ciuitatis disciplina est, vt plurima per senatum transigãtur, [c] gratiosi timeantur in eo viri: interdum singuli, quibus potestas populi & in populum data est. Hos omnes amicos habere, operosum est: satis est inimicos non habere. Itaque sapiens nũquam potentium iras prouocabit: immo declinabit, non aliter quàm in nauigando procellam. Cum peteres Siciliam, traiecisti fretum. temerarius gubernator cõtemnit austri minas. Ille est enim, [d] qui Siculum pelagus exasperet, & in vertices cogat. Non sinistrum petit littus, sed id, quo propior Charybdis maria conuoluit. At ille cautior, peritos locorum rogat, qui aestus sit, quae signa dent nubes, & lõge ab illa regione verticibus infami cursum tenet. Idem facit sapiens: nocituram potentiam vitat, hoc primum cauens, ne vitare videatur. Pars enim securitatis & in hoc est, non ex professo eam fugere: quia quae quis fugit, damnat. Circumspiciendum nobis est ergo, quomodo a vulgo tuti esse possimus. Primum nihil inde cõcupiscamus, [e] vnde rixa est inter competitores: deinde nihil habeamus, quod cum magno emolumento insidiantis eripi possit. Quàm minimum sit in corpore tuo spoliorum. Nemo ad humanum sanguinem propter ipsum venit, aut admodum pauci: [f] plures computant quã oderunt. Nudum latro transmittit: etiam in obsessa via pauperi pax est. Tria deinde ex praecepto veteri praestanda sunt, vt vitentur: Odium, inuidia, contemptus. Quomodo hoc fiat, sapientia sola monstrabit. Difficile enim temperamentum est, verendumque, ne in contemptum nos inuidiae timor transferat: ne dum calcari nolumus, videamur posse calcari. Multis timendi attulit causas, timeri posse. Vndique nos reducamus. non minus contemni quàm suspici nocet. Ad philosophiam ergo confugiendum est. Hae litterae non dico apud bonos, sed apud mediocriter malos, infularum loco sunt. Nam forensis eloquentia, & quaecunque alia populum mouent, aduersarium habent: haec quieta, & sui negotij, contemni non potest, cui ab omnibus artibus, etiam apud pessimos honor est. Nunquam in tantum conualescet nequitia, nunquam sic contra virtutes coniurabitur, vt non philosophiae nomen venerabile & sacrum maneat. Ceterũ philosophia ipsa tranquille modesteque tractanda est. Quid ergo, inquis? Videtur tibi M. Cato modeste philosophari, qui bellum ciuile sententia sua reprimit, qui furentium principum armis medius interuenit, qui aliis Pompeium offendentibus, aliis Caesarem, simul lacessit duos? Potest aliquis disputare, an illo tempore capessenda fuerit sapienti respublica. Quid tibi vis M. Cato? iam non agitur de libertate: olim pessumdata est. Quaeritur vtrum Caesar, an Pompeius possideat rempublicam. Quid tibi cum ista contentione? Nullae partes tuae sunt: dominus eligitur. [g] Quid tua, vter vincat? melior vincere non potest. potest esse peior qui victus fuerit, non potest melior, qui vicerit. Vltimas partes attigi Catonis: sed ne priores quidem anni fuerunt, qui sapientem in illam rui-

nam reipublicae admitterent. Quid aliud quàm vociferatus est Cato,[h] & misit irritas voces, cum modo per populi leuatus manus, & obrutus sputis,[i] extra forum traheretur, modo e senatu in carcerem duceretur? Sed postea videbimus,[k] an sapienti opera perdenda sit. Interim ad hos te voco, qui a republica exclusi, secesserunt ad colendam vitam, & humano generi iura condenda, sine vlla potentioris offensa. Non conturbabit sapiens publicos mores: nec populum in se vitae nouitate conuertet. Quid ergo? Vtique erit tutus, qui hoc propositum sequetur? Promittere tibi hoc non magis possum, quàm homini temperanti bonã valetudinem: & tamen facit temperantia bonam valetudinem. Perit aliqua nauis in portu: [l] sed tu quid accidere in medio mari credis? Quanto huic periculum paratius foret, multa agenti, molientique, cui ne otium quidem tutum est? Pereunt aliquando innocentes: quis negat? Nocentes tamen saepius. Ars ei constat, qui per ornamenta percussus est. Denique initium omnium rerum sapiens, non exitum spectat. Initia in potestate nostra sunt: de euentu fortuna iudicat, cui de me sententiam non do. At aliquid vexationis affert, aliquid aduersi. non damnatur latro, cum occidit. Nunc ad quotidianam stipem manum porrigis. aurea te stipe implebo. Et quia facta est auri mentio, accipe quemadmodum vsus fructusque eius tibi esse gratior possit. Is maxime diuitiis fruitur, qui minime diuitiis indiget. Ede, inquis, auctorem. Vt scias quàm benigni simus,[m] propositum est aliena laudare. Epicuri est, aut Metrodori, aut alicuius ex illa officina. Et quid interest, quis dixerit? Omnibus dixit. Qui eget diuitiis, timet pro illis. Nemo autem solicito bono fruitur. Adiicere illis aliquid studet, dum de incremento cogitat: oblitus est vsus. rationes accipit, forum conterit, kalendarium versat, fit ex domino procurator.

Epistola X V.

MOS antiquis fuit, vsque ad meam seruatus aetatem, primis epistolae verbis adiicere: Si vales, bene est. Recte & nos dicimus: Si philosopharis, bene est. Valere enim hoc demum est. Sine hoc, aeger est animus. Corpus quoque etiam si magnas habet vires, non aliter quàm furiosi aut phrenetici validum est. Ergo hanc valetudinem praecipue cura, deinde & illam secundam: quae non magno tibi constabit, si volueris bene valere. Stulta est enim, mi Lucili, & minime conueniens litterato viro, occupatio exercendi lacertos, & dilatandi ceruicem, ac latera firmandi. Cum tibi feliciter sagina cesserit, & tori creuerint, nec vires vnquam opimi bouis, nec pondus aequabis. Adijce nũc, quòd maiore corporis sarcina animus eliditur, & minus agilis est. Itaque quantum potes circunscribe corpus tuum, & animo locum laxa. Multa sequuntur incommoda huic deditos curae. Primum exercitationes, quarum labor spiritum exhaurit, & inhabilem intentioni ac studiis acrioribus reddit. Deinde copia ciborum, subtilitas animi impeditur. Accedunt pessimae notae mancipia in magisterium recepta, homines inter oleum & vinum occupati, quibus ad votum dies est actus, si bene desudauerunt, si in locum eius quod effluxit, multum potionis alterius, ieiuno gutture ingesserunt. Bibere & sudare, vita cardiaci est. Sunt exercitationes & faciles & breues, quae corpus & sine mora laxent, & tempori parcant: cuius praecipua ratio habenda est. Cursus, & cum aliquo pondere manus motae, & saltus, vel ille qui corpus in altum leuat, vel ille qui in longum mittit, vel ille (vt ita dicam) saliaris, aut (vt contumeliosius dicam) fullonius. [a] Quodlibet ex his elige, vsu fit facile. Quicquid facies, cito redi a corpore ad animum: illũ diebus ac noctibus exerce. Labore modico alitur ille. Hanc exercitationem non frigus, non aestus impediet, ne senectus quidem. Id bonum cura, quod vetustate fit melius. Neque ego te iubeo semper [b] imminere libro aut pugillaribus. Dandum & aliquod interuallum animo: ita tamen [c] vt non resoluatur, sed vt remittatur. Gestatio & corpus concutit, & studio non officit: possis legere, possis dictare, possis loqui, possis audire: quorum nihil nec ambulatio quidem vetat fieri. Nec tu [c] intentionem vocis contempseris: quam veto te [c] per gradus & certos modos attollere, deinde deprimere. [d] Quòd si velis deinde quemadmodum ambules discere, admittes istos, quos noua artificia docuit fames: erit qui gradus tuos temperet, & buccas edentis obseruet, & intantum procedet, inquantum eius audaciam patientiae lenitate produxeris. Quid ergo? a clamore protinus & a summa contentione vox tua incipiet? Vsque adeo naturale est, paulatim incitari, vt litigantes quoque a sermone incipiant, ad vociferationem transeant. Nemo statim Quiritum fidem implorat. Ergo vtcunque tibi impetus animi suaserit, modo vehementius [e] fac vitiis conuicium, modo lentius, prout vox quoque te hortabitur [f] & latus. Modesta, cum receperis illam, reuocarisque, descendat, non decidat: moderatoris sui temperamentum habeat, nec indocto & rustico more desaeuiat. Non enim id agitur, vt exerceatur vox, sed vt exerceat. Detraxi tibi non pusillum negotium, mercedula, & munus gratum, ad haec beneficia accedet. Ecce insigne praeceptum.

Stulti

Stulti vita ingrata est,trepida est, tota in futurum fertur. Quis haec, inquis,dicit? Idem qui supra.Quam tu nunc vitam dici existimas stultam?[e] Babae & Ixionis?Non ita est. nostra dicitur:quos caeca cupiditas in nocitura,certe nunquam satiatura praecipitat: quibus[f] si quid satis esse posset,fuisset:qui non cogitamus quàm iucundum sit nihil poscere,quàm magnificum sit plenum esse,nec ex fortuna pendere.Subinde itaque,Lucili, quàm multa sis consecutus, recordare.[g] Cum aspexeris quot te antecedant, cogita quot sequantur. Si vis gratus esse aduersus deos, & aduersus vitam tuam, cogita quàm multos antecesseris. Quid tibi cũ ceteris?[h] Te ipse antecessisti: finem constitue, quem transire ne possis quidem, si velis: discedent aliquando ista insidiosa bona,& sperantibus meliora quàm assecutis. Si quid in illis esset solidi, aliquando & implerent. Nunc haurientium sitim concitant,& inuitant speciosi apparatus.Quod futuri temporis incerta sors voluit, quare potius a fortuna impetrem, vt det,quàm a me,ne petam? Quare autem petam,oblitus fragilitatis humanae? Congeram? in quid?laborem?[i] Ecce hic vltimus dies.vt non sit,prope ab vltimo est.

Epistola XVI.

LIQVERE tibi hoc scio, Lucili,neminem posse beate viuere,ne tolerabiliter quidem,sine sapientiae studio: & beatam vitam perfecta sapientia effici, tolerabilem, etiam inchoata. Sed hoc quod liquet,firmandum, & altius[a] quotidiana meditatione figendum est. Plus operis est in eo,vt proposita custodias,quàm vt honesta proponas. Perseuerandum est, & assiduo studio robur addendum, donec bona mens fit, quod bona voluntas est. Itaque tibi apud me pluribus verbis opus non est,aut affirmatis,[b] aut tam longis. Intelligo enim te multum profecisse. Quae scribis, vnde veniant scio: non sunt ficta,nec colorata.Dicam tamen quid sentiam.[c] iam de te spem habeo, nondum fiduciam. Tu quoque idem facias volo. Non est quod tibi cito & facile eredas. Excute te, & varie scrutare, & obserua.Illud ante omnia vide, vtrum in philosophia, an in ipsa vita profeceris. Non est philosophia populare artificium,nec ostentationi paratum. Non in verbis, sed in rebus est. Nec in hoc adhibetur,[d] vt aliqua oblectatione consumatur dies, vt demarur orio nausea. Animum format & fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda & omittenda demonstrat, sedet ad gubernaculum, & per ancipitia fluctuantium dirigit cursum. fine hac nemo securus est. Innumerabilia accidunt singulis horis, quae consilium exigunt, quod ab hac petendum est. Dicet aliquis: Quid mihi prodest philosophia, si fatum est? quid prodest, si Deus rector est? quid prodest,si casus imperat? Nam & mutari certa non possunt, & nihil praeparari potest aduersus incerta,[e] si aut consilium meum Deus occupauit, decreuitque quid facerem, aut consilio meo nil fortuna permittit. Quicquid est ex his,Lucili,vel si omnia haec sunt,philosophandum est: siue nos inexorabili lege fata constringunt, siue arbiter Deus vniuersi cuncta disponit, siue casus res humanas sine ordine impellit & iactat, philosophia nos tueri debet. Haec adhortabitur, vt Deo libenter pareamus, vt fortunae contumaciter resistamus: haec docebit vt Deum sequaris, feras casum. Sed non est nunc in hanc disputationem trãseundum,quid sit iuris nostri,si prouidentia in imperio est, aut si fatorum series illigatos trahit,[f] aut si repentina,aut subita dominantur. Illo nunc reuertor, vt te moneam & exhorter, ne patiaris animi tui impetum delabi & refrigescere. Constitue illum, & contine,vt habitus fiat quod est impetus. Iam ab initio,[g] si bene te noui,circumspicis ecquid haec epistola munusculi attulerit. excute illam,& inuenies. Non est quod mireris animum meum. adhuc de alieno liberalis sum. Quare autem alienum dixi? quicquid bene dictum est ab vllo, meum est. Sic quoque quod ab Epicuro dictum est: Si ad naturam viues,nunquam eris pauper: si ad opinionem, nunquam diues. Exiguum natura desiderat, opinio immensum. Congeratur in te, quicquid multi locupletes possederunt. vltra priuatum pecuniae modum fortuna te prouehat, auro tegat, purpura vestiat, & eo deliciarum opumque perducat, vt terram marmoribus abscondas, & non tantum habere tibi liceat,sed calcare diuitias. accedant statuae & picturae, & quicquid ars vlla luxuriae laborauit. Maiora cupere ab his disces. Naturalia desideria finita sunt: ex falsa opinione nascentia,vbi desinant,non habent.nullus enim terminus falso est. Via eunti aliquid extremum est: error immensus est.[h] Retrahe te a vanis: & cum voles scire,quod petis,vtrum naturalem habeat,an caecam cupiditatem, considera an possit alicubi consistere. Si longe progresso, semper aliquid longius restat,scito id naturale non esse.

Epistola XVII.

PROIICE omnia ista, si sapis: immo vt sapias:& ad bonam mẽtem magno cursu ac totis viribus tẽde. Si quid est quo teneris,aut expedi,aut incide.Moratur, inquis, me res familiaris. sic illam disponere volo,[a] vt sufficere nihil agẽti possit,ne aut paupertas mihi oneri sit,

aut ego alicui. Cum haec dicis,non videris vim ac potentiam eius de quo cogitas boni nosse: & summam quidem rei peruides,quantum philosophia prosit,partes autem nondum satis subtilitet dispicis: nec dum scis quantum vbique nos adiuuet: quemadmodum & in maximis (vt Ciceronis vtar verbis) opituletur, & in minima descendat. Mihi crede, aduoca illam in consilium: suadebit tibi, ne ad calculos sedeas. Nempe hoc quaetis, & hoc ista dilatione vis consequi, ne tibi paupertas timenda sit. Quid si appetenda est? Multis ad philosophandum obstitere diuitiae: paupertas expedita est, secuta est. Cum classicum cecinit, scit non se peti: [b] cum aliqua cooclamatio est, quomodo exeat,non quid efferat,quaerit. Si nauigandum est, non perstrepunt portus, nec vnius comitatu inquieta sunt littora, non circunstat illam turba seruorum, ad quos pascendos transmarinarum regionum est optanda fertilitas. Facile est pascere paucos ventres, & bene institutos, & nihil aliud desideraotes, quàm impleri. Paruo fames constat, magno fastidium. Paupertas contenta est desideriis instantibus satisfacere. Quid est ergo, quare tu hanc recuses contubernalem, cuius mores sanus diues imitatur? Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. Non potest studium salutare fieri sine frugalitatis cura: frugalitas autem, paupertas voluntaria est. Tolle itaque istas excusationes: Quantum sat est, nondum habeo: si ad illam summam peruenero, tuoc me totum philosophiae dabo. Atqui nihil prius quàm hoc parandum est, quod tu differs, & post cetera paras. Ab hoc incipiendum est. Parare, inquis, vnde viuam, volo. Simul & parare disce. Si quid te vetat bene viuere, [c] bene mori non vetat. Non est quòd paupertas nos a philosophia reuocet, ne egestas quidem: toleranda est eoim ad hoc ptoperantibus vel fames, quam tolerauere quidam in obsidionibus. Et quod aliud erat illius patientiae ptaemium, quàm in arbitrium non cadere victoris? quanto hoc maius est, quo ptomittitut perpetua libertas, oullius nec hominis, nec Dei timor? Et quidem vel esuoenti ad ista veniendum est. Perpessi sunt exercitus inopiam omnium rerum, vixerunt herbarum radicibus, & dictu foedam tulerunt famem. Haec omnia passi sunt pro regno (quo magis mireris) alieno. Dubitabit aliquis ferre paupertatem, vt animum furoribus liberet? Non est ergo prius acquirendum. Licet ad philosophiam etiam sine viatico peruenire. Ita est, cum omnia habueris, tunc & sapientiam habere voles. Haec erit vltimum vitae instrumentum, & (vt ita dicam) additamentum. Tu vero, siue aliquid habes, iam philosophare: vnde enim scis, an iam nimis habeas? siue nihil, hoc prius quaere,quàm quicquam. At oecessatia deerunt. Primum deesse non poterunt, quia natura minimum petit. Naturae autem se sapiens accommodat. Sed si necessitates vltimae inciderint, iamdudum exiliet e vita, & molestus sibi esse desinet. Si vero exiguum fuerit & angustum, quo possit vita produci, id boni consuler, nec vltra necessaria solicitus aut anxius, ventri & scapulis suum reddet, & occupationes diuitum, concursatiooesque ad diuitias cuotium, securus laetusque ridebit, ac dicet: Quid in longum ipse te differs? expectabis ne fenoris quaestum, [d] aut ex merce compendium, aut tabulas beati senis, cum fieri possis statim diues? Repraesentat opes sapientia: quas cuicunque fecit supetuacuas, dedit. Haec ad alios pertinent: tu locupletibus propior es. Sacculum muta, nimis habes. Inest omni sacculo, quod sat est. Poteram hoc loco epistolam claudere, oisi te male instituissem. Reges Parthos non potest quisquam salutare sine munere, tibi valedicere noo licet gratis. Quid istuc? ab Epicuro mutuum sumam. Multis parasse diuitias, non finis miseriarum fuit, sed mutatio. Non hoc mirot. Non est enim in rebus vitium, sed in ipso animo. [e] Illud quod paupertatem grauem fecerat, & diuitias graues fecit. Quemadmodum nihil differt, vtrum aegrum in ligneo lecto, an in aureo colloces: quocunque illum transtuleris, morbum suum secum transfert: sic nihil refert, vtrum animus aeger in diuitiis, an in paupertare ponatur. malum suum, illum sequitur.

Epistola XVIII.

D[a]Ecember est mensis, [a] quo maxime ciuitas desudat. Ius luxuriae publice datum est: ingenti apparatu sonant omnia: tanquam quicquam inter Saturnalia nunc intersit, & dies rerum agendarum. Adeo nihil interest, vt oon videatur mihi errasse, qui dixit, olim mensem Decembrem fuisse, nunc annum. Si te hic haberem, libenter tecum conferrem, quid existimares esse faciendum, vtrum nihil ex quotidiana consuetudioe mouendum, an, ne dissidere videremur cum publicis moribus, & hilarius coenandum & exuendam togam. Nam quod fieri nisi in tumultu & tristi tempore ciuitatis non solebat, voluptatis causa ac festorum dierum vestem mutamus. Si te bene noui, arbitri partibus functus, nec per omnia nos similes esse pullatae turbae voluisses, nec per omnia dissimiles: nisi forte his maxime diebus animo imperàdum est, vt tunc voluptatibus solus abstineat, cum in illas omnis turba

turba procubuit. Certiſſimum argumentum firmitatis ſuae capit, ſi ad blanda & in luxuriam trahentia nec it, nec abducitur. Hoc multo fortius eſt, ebrio ac vomitãte populo, ſiccum ac ſobrium eſſe. Illud temperantius, non excerpere ſe, nec inſigniri, nec miſceri omnibus: & eadem, ſed non eodem modo, facere. Licet enim ſine luxuria agere feſtum diem. Ceterum adeo mihi placet tentare animũ tui firmitatem, vt ex praecepto magnorum virorũ tibi quoque praecipiam: interponas aliquot dies, quibus contentus minimo ac viliſſimo cibo, dura atque horrida veſte, dicas tibi: Hoc eſt quod timebatur? In ipſa ſecuritate animus ad difficilia ſe praeparet, & contra iniurias fortunae, inter beneficia firmetur. Miles in media pace decurrit ſine vllo hoſte, vallum iacit, & ſuperuacuo labore laſſatur, vt ſufficere neceſſario poſſit. Quem in ipſa re trepidare nolueris, ante rem exerce. Hoc ſecuti ſunt, qui omnibus menſibus paupertatem imitari, prope ad inopiam acceſſerunt, ne vnquam expaueſcerent, quod ſaepe didiciſſent. Non eſt nunc quòd exiſtimes me [a] dûcere te ad modicas coenas & pauperum cellas, & quicquid aliud eſt, per quod luxuria diuitiarum taedio ludit. [b] Grabatus ille verus ſit, & ſagum, & panis durus ac ſordidus. Hoc triduo & quatriduo fer, interdũ pluribus diebus: vt non luſus ſit, ſed experimentum. Tunc mihi crede, Lucili, exultabis, dupondio ſatur, & intelliges ad ſaturitatem non opus eſſe fortuna: hoc enim quod neceſſitati ſat eſt, debet etiam irata. Non eſt tamen quare tu multum tibi facere videaris: facies enim quod multa milia ſeruorum, multa milia pauperum faciunt. Illo nomine te ſuſpice, quòd facies non coactus. Tam facile erit tibi illud pati ſemper, quàm aliquando experiri. Exerceamur ad palum: & ne imparatos fortuna deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris. Securius diuites erimus, ſi ſcierimus quàm non ſit graue pauperes eſſe. Certos habebat dies ille magiſter voluptatis Epicurus, quibus maligne famem extingueret, viſurus an aliquid deeſſet ex plena & conſummata voluptate, vel quantum deeſſet, & an dignum, quod quis magno labore penſaret. hoc certe in his epiſtolis ait, quas ſcripſit, [c] Charino magiſtratu, ad Polyaenum. Et quidem gloriatur, non toto aſſe ſe paſci, Metrodorum, qui nondum tantum profecerit, toto. In hoc tu victu ſaturitatem non putas eſſe? Et voluptas eſt. Voluptas autẽ, non illa leuis & fugax, & ſubinde reficienda, ſed ſtabilis & certa. Non enim iucunda res eſt aqua & polenta, aut fruſtum hordeacei panis, ſed ſumma voluptas eſt, poſſe capere etiam ex his voluptatem, & ad id ſe reduxiſſe, quod eripere nulla fortunae iniquitas poſſit. Liberaliora ſunt alimenta carceris: ſepoſitos ad capitale ſupplicium, non tam anguſte qui occiſurus eſt, paſcit. Quanta eſt animi magnitudo, ad id ſua ſponte deſcendere, quod nec ad extrema quidem redactis timendum ſit? hoc eſt praeoccupare tela fortunae. Incipe ergo, mi Lucili, ſequi horum conſuetudinem, & aliquos dies deſtina, quibus ſecedas a tuis rebus, minimoque te facias familiarem. [d] Incipe cum paupertate habere commercium.

Aude hoſpes contemnere opes, & te quoque dignum
Finge Deo.—

Nemo alius eſt Deo dignus, quàm qui opes contempſit: quarum poſſeſſione tibi non interdico: ſed efficere volo, vt illas intrepide poſſideas: quod vno conſequeris modo, ſi te etiam ſine illis beate victurum perſuaſeris tibi, ſi illas tanquam exituras ſemper aſpexeris. Sed iam incipiamus epiſtolam complicare. Prius, inquis, redde quod debes. Delegabo tibi Epicurũ. ab illo fiet numeratio. Immodica ira gignit inſaniam. Hoc quàm verum ſit, neceſſe eſt ſcias, cum habueris [e] ſeruum & inimicũ. In omnes perſonas hic exardeſcit affectus: tam ex amore naſcitur, quàm ex odio: non minus inter ſeria, quàm inter luſus & iocos. Nec intereſt, ex quàm magna cauſa naſcatur, ſed in qualem perueniat animum. Sic ignis non refert quàm magnus, ſed quo incidat. Nam etiam maximum ſolida non receperunt: rurſus arida, & corripi facilia, ſcintillam quoque fouent vſque in incendium. Ita eſt, mi Lucili, ingentis irae exitus, furor eſt: & ideo ira vitanda eſt, non moderationis cauſa, ſed ſanitatis.

Epiſtola XIX.

E[a]XVLTO quotiens epiſtolas tuas accipio. implent enim me bona ſpe: iam non promittunt de te, ſed ſpondent. Ita fac oro atque obſecro: quid enim habeo melius, quod amicum rogem, quàm quod pro ipſo rogaturus ſum? ſi potes, ſubduc te iſtis occupationibus. ſi minus, eripe. Satis multum temporis ſparſimus, incipiamus in ſenectute vaſa colligere. Nunquid inuidioſum eſt? in freto viximus. moriamur in portu. Neque ego ſuaſerim tibi nomen ex otio petere, quod nec iactare debes, nec abſcondere. Nunquam enim vſque eo te abigã, generis humani furore damnato: vt latebram tibi aliquam parari ad obliuionem velim. Id age, vt otium tuũ non emineat, ſed appareat. Deinde videbunt de iſto, quibus integra ſunt & propria conſilia: an velint vitam per obſcurum tranſmittere. tibi liberum non eſt. In medium te protulit ingenij vigor, ſcriptorum elegãtia, clarae & nobiles amicitiae. Tãta notitia

te inuaſit. licet in extrema mergaris, ac penitus condaris, tamen priora te monſtrabunt: tenebras habere non potes. Sequetur priſtinae lucis multum, quocunque fugeris. Quietem potes vindicare, ſine vllius odio, ſine deſiderio, aut morſu animi tui. Quid enim relinques, quod inuitus relictum a te poſſis cogitare? clientes? quorum nemo teipſum ſequitur, ſed aliquid ex te. Amicos? olim amicitia petebatur: nunc praeda. Mutabunt teſtamenta deſtituti ſenes? migrabit ad aliud limen ſalutator? non poteſt paruo res magna conſtare. AEſtima vtrum te relinqoere, an aliquid ex tuis malis. [a] Vtinam tibi quidem ſeneſcere contigiſſet intra natalium tuorum modum, nec te in altum fortuna miſiſſet. Tulit te longe a conſpectu vitae ſalubris rapida felicitas, prouincia & procuratio, & quicquid ab iſtis promittitur. Maiora deinde officia te excipient, & ex aliis alia. Quis exitus erit? quid expectas donec deſinas? habere quod cupias? [b] Nunquam erit tempus. Qualem dicimus eſſe ſeriem cauſarum, ex quibus nectitur fatum, talem dicimus eſſe cupiditatum. Altera ex fine alterius naſcitur. Io eam demiſſus es vitam, quae nunquam tibi miſeriarum terminum ac ſeruitutis ipſa factura ſit. Subduc ceruicem iugo. ſemel illam incidi, quàm ſemper premi, ſatius eſt. Si te ad priuata retuleris, [c] minora eruot omnia, ſed affatim implebunt. At nunc plurima & vndique ingeſta non ſatiant. Vtrum autem malis, ex inopia ſaturitatem, an in copia famem? [d] Et auida felicitas eſt, & alienae auiditati expoſita. Quamdiu tibi ſatis nihil fuerit, ipſe aliis non eris. Quomodo, inquis, exibo? vtcunque. Cogita quàm multa temere pro pecunia, quàm multa laborioſe pro bonore tentaueris. Aliquid & pro otio audendum eſt, aut io iſta ſolicitudine procurationum, & deinde vrbanorum officiorum ſeneſcendum in tumultu, ac ſemper nouis fluctibus, quos effugere nulla modeſtia, nulla vitae quiete cótingit. Quid enim ad rem pertinet, an tu quieſcere velis? fortuna tua non vult. Quid ſi illi etiam nunc permiſeris creſcere? [e] quantum ad ſucceſſum acceſſerit, accedet ad metum. Volo tibi hoc loco referre dictum Maecenatis. Vera [f] in ipſo eculeo docuit. Ipſa enim altitudo attonat ſumma. Si quaeris, in quo libro dixerit, in eo qui Prometheus inſcribitur. hoc voluit dicere, attonita habet ſumma. Eſt ergo taoti vlla potẽtia, vt ſit tibi tam ebrius ſermo? Ingenioſus vir ille fuit, magnum exemplum Romanae eloquẽtiae daturus, niſi illum eneruaſſet felicitas, immo caſtraſſet. Hic te exitus manet, niſi iam cootrahas vela, niſi (quod ille ſero voluit) terram leges. Poteram tecum & hac Maecenatis ſententia parem facere rationem: ſed mouebis mihi controuerſiam, ſi te noui, oec voles quod debeo [g] in aſpero & probo accipere. Vt ſe res habet, ab Epicuro verſura facienda eſt. Ante, inquit, circunſpiciendum eſt, cum quibus edas & bibas, quàm quid edas & bibas. Nam ſine amico viſceratio, leonis ac lupi vita eſt. Hoc noo continget tibi, niſi ſeceſſeris: alioquin habebis conuiuas, quos ex turba ſalutantium nomenclator digeſſerit. Errat autem qui amicum in atrio quaerit, in conuiuio probat. Nullum habet maius malum occupatus homo, & bonis ſuis obſeſſus, quàm quòd amicos ſibi putat, quibus ipſe non eſt, quòd beneficia ſua efficacia iudicat ad conciliandos amicos: cum quidam, quo plus debent, magis oderint. Leue aes alienum debitorem facit: graue inimicum. Quid ergo? Beneficia non parant amicitias? Parant, ſi accepturos licuit eligere, ſi collata, noo ſparſa ſunt. Itaque dum incipis eſſe mentis tuae, interim hoc conſilio ſapientum vtere, vt magis ad rem exiſtimes pertinere, quis, quàm quid acceperit.

Epiſtola XX.

S[a]I vales, & te dignum putas qui aliquando fias tuus, gaudeo. Mea enim gloria erit, ſi te iſtinc vbi ſine ſpe exeundi fluctuaris, extraxero. Illud autem mi Lucili, te rogo atque hortor, vt philoſophiam in praecordia ima demittas, & experimentum tui profectus capias, non oratione, nec ſcripto: ſed animi firmitate, & cupiditatum deminutione. Verba rebus proba. Aliud propoſitum eſt declamantibus, & aſſenſionem coronae captantibus, aliud his qui [b] iuuenum otioſorum aures diſputatione varia aut volubili detinent. Facere docet philoſophia, non dicere: & hoc exigit, vt ad legem ſuam quiſque viuat, ne orationi vita diſſentiat, vt ipſa inter ſe vita vnius, ſine actionum diſſenſione, coloris ſit. Maximum hoc eſt & officium ſapientiae, & indicium, vt verbis opera concordent, vt & ipſe vbique par ſibi idemque ſit. Quis hoc praeſtabit? Pauci, aliqui tamen. Eſt difficile hoc: nec dico ſapientem ſemper vno iturum gradu, ſed vna via. Obſerua itaque nunquid veſtis tua domuſque diſſeotiãt: nunquid in te liberalis ſis, in tuos ſordidus: nuoquid coenes frugaliter, aedifices luxurioſe. Vnam ſemel ad quam viuas regulam prende, & ad hanc omnem vitam tuam exaequa. Quidam ſe domi contrahunt, dilatant foris, & extendunt. Vitium eſt haec diuerſitas, & ſignum vacillantis animi, ac nondum habentis tenorem ſuum. Etiamnum dicam vnde ſit iſta incóſtãtia, & diſſimilitudo rerũ conſiliorumque. Nemo proponit ſibi quid velit, nec ſi propoſuit, perſeuerat in eo, ſed tranſilit: nec tantum mutat, ſed redit, & in ea quae deſeruit ac damnauit,

uit, reuoluitur. Itaque vt relinquam definitiones sapientiae veteres, & totum complectar humanae vitae modum, hoc possum contentus esse. Quid est sapientia? Semper idem velle atque idem nolle. Licet illam exceptiunculam non adüciam, vt rectum sit quod velis. Non potest cuiquam semper idem placere, nisi rectum. Nesciunt ergo homines quid velint, nisi illo momento, quo volunt. In totum nulli velle aut nolle decretum est. Variatur quotidie iudicium, & in contrariū vertitur. Itaque plerisque agitur vita per lusum. Preme ergo quod coepisti: & fortasse perduceris aut ad summum, aut eo quod summum nondum esse solus intelligas. Quid fiet, inquis, huic turbae familiarium? Turba ista cum a te pasci desierit, ipsa se pascet: aut quod tu beneficio tuo non potes scire, paupertatis scies. Illa veros certosque amicos retinebit: discedet quisquis non te, sed aliud sequebatur. Non est autem vel ob hoc vnum amanda paupertas, quòd a quibus ameris, ostendit? O quando ille veniet dies, quo nemo in honorem tuum mentiatur. Huc ergo cogitationes tuae tendant, hoc cura, hoc opta, omnia alia vota Deo remissurus, vt contentus sis temetipso & ex te nascentibus bonis. Quae potest esse felicitas Deo propiot? Redige te ad parua, ex quibus cadere non possis: idque vt libentius facias, ad hoc pertinebit tributum epistolae huius: quod statim conferam. Inuideas licet: etiam nunc libenter pro me dependet Epicurus. Magnificentior (mihi crede) sermo tuus in grabato videbitur & in panno. non enim dicentur tantum illa, sed probabuntur. Ego certe aliter audio quae dicit Demetrius noster, [a] cum illum vidi nudum, quanto minus quàm stramentis incubantem? Tunc enim non praeceptor veri, sed testis est. Quid ergo? Non licet diuitias in sinu positas contemnere? quid ni liceat? Et ille ingentis animi est, qui illas circumfusas sibi multum diuque miratus, quòd ad se venerint, ridet, suasque audit magis esse quàm sentit. Multum est, non corrumpi diuitiarum contubernio. Magnus est ille qui in diuitiis pauper est: sed securior, qui caret diuitiis. Nescio, inquis, quomodo iste paupertatem laturus sit, si in illam inciderit. [b] Nec ego Epicuri angelus scio, an pauper iste contempturus sit diuitias, si in illas inciderit. Itaque in vtroque mens aestimanda est, inspiciendumque, an ille paupertati indulgeat, an hic diuitiis non indulgeat. Alioquin leue argumentum est bonae voluntatis grabatus, aut pannus, nisi apparuit aliquem illa non necessitate pati, sed malle. Ceterum magnae indolis est, ad ista non properare tanquam ad meliora, sed praeparare tanquam ad facilia. Et sunt, Lucili, facilia. cum vero multo ante meditatus accesseris, iucunda quoque. [c] Inest enim illis, sine qua nihil est iucundū securitas. Necessarium ergo iudico id quod tibi scripsi magnos viros saepe fecisse, aliquos dies interponere, quibus nos imaginaria paupertate exerceamus ad veram: quod eo magis faciendum est, quòd deliciis permaduimus, & omnia dura ac difficilia iudicamus. Potius excitandus e somno, & vellicandus est animus, admonendusque naturam nobis minimum constituisse. Nemo nascitur diues: quisquis exit in lucem, iussus est lacte & panno esse contentus. Ab his initiis nos regna non capiunt.

Epistola XXI.

CVM istis negotium tibi esse iudicas de quibus scripseras? Maximum negotium tecum habes: tu tibi molestus es. Quid velis, nescis: melius probas honesta, quàm sequeris. Vides vbi sit posita felicitas, sed ad illam peruenire non audes. Quid sit autem quod te impediat, quia parum ipse dispicis, dicam. Magna haec esse existimas, quae relicturus es: & cum proposuisti tibi illam securitatem, ad quam transiturus es, retinet te huius vitae, a qua recessurus es, fulgor, tanquam in sordida & obscura casurum. Erras, Lucili: ex hac vita ad illam ascenditur. Quod interest inter splendorem & lucem, cum haec certam originem habeat, ac suam, ille niteat alieno, hoc inter hanc vitam & illam. Haec, quia fulgore extrinsecus veniente percussa est, crassam illi statim vmbram faciet quisquis obstiterit: illa vero suo lumine illustris est. Studia te tua clarum & nobilem efficient. Exemplum Epicuri referam. cum Idomeneo scriberet, & illum a vita speciosa ad fidelem stabilemque gloriam reuocaret, rigidae tunc potentiae ministrum, & magna tractantem: Si gloria, inquit, tangeris, notiorem te epistolae meae facient, quàm omnia ista quae colis, & propter quae coleris. Nunquid ergo mentitus est? Quis Idomenea nosset, nisi Epicurus illum [d] suis litteris incidisset? Omnes illos megistanas & satrapas, & regem ipsum, ex quo Idomenei titulus petebatut, obliuio alta suppressit. Nomen Attici perire Ciceronis epistolae non sinunt. nihil illi profuisset gener Agrippa, & Tiberius progener, & Drusus Caesar pronepos. inter tam magna nomina taceretur, nisi Cicero illum aperuisset. Profunda supra nos altitudo temporis veniet, pauca ingenia caput exerent, & in idem quandoque silentium abitura obliuioni resistent, ac se diu vindicabunt. Quod Epicurus amico suo potuit promittere, hoc tibi promitto, Lucili. Habeo apud posteros gratiam, possum mecum duratura nomina

educere. Virgilius noster duobus memoriam aeternam promisit, & praestat:

Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt,
Nulla dies vmquam memori vos eximet aeuo:
Dum domus AEneae Capitoli immobile saxum
Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.

Quoscunque in medium fortuna protulit, quicunque membra ac partes alienae potentiae fuerant, horum gratia viguit, domus frequentata est, dum ipsi steterunt: post ipsos cito memoria defecit. Ingeniorum crescit dignatio: nec ipsis tantum habetur, sed quicquid illorum memoriae adhaesit, excipitur. Ne gratis Idomeneus in epistolam meam venerit, ipse eam de suo redimet. Ad hunc Epicurus illam nobilem sententiam scripsit, qua hortatur vt Pythoclea locupletem non publica, nec ancipiti via faciat. [a] Si vis, inquit, Pythoclea diuitem facere, non pecuniae adiiciendum, sed cupiditatibus detrahendum est. Et apertior ista sententia est, quàm vt interpretanda sit, & disertior quàm vt adiuuanda. Hoc vnum te admoneo, ne istud tantum existimes de diuitiis dictum. quocunque transtuleris, idem poterit. Si vis Pythoclea honestum facere, non honoribus adiiciendum est, sed cupiditatibus detrahēdum. Si vis Pythoclea esse in perpetua voluptate, non voluptatibus adiiciendum est, sed cupiditatibus detrahendum. Si vis Pythoclea senem facere, & implere vitam, non annis adiiciendum est, sed cupiditatibus detrahendum. Has voces non est quòd Epicuri esse iudices, publicae sunt. Quod fieri in senatu solet, faciendum ego in philosophia quoque existimo. Cum censuit aliquis, quod ex parte mihi placeat, iubeo illum diuidere sententiam, & sequor. Eo libentius Epicuri egregia dicta commemoro, vt istis qui ad illa confugient, spe mala inducti, qui velamētum se ipsos suorum vitiorum habituros existimant, probem, quocunque ierint, honeste esse viuendum. Cum adierint hos hortulos, & audierint inscriptum hortulis, Hospes hic bene manebis, hic summum bonum voluptas est: paratus erit istius domicilij custos, hospitalis, humanus, & te polenta excipiet, & aquam quoque large administrabit. & dicet: Ecquid bene acceptus es? [b] Non irritant, inquam, hi hortuli famem, sed extinguunt: nec maiorem ipsis potionibus sitim faciunt, sed naturali & gratuito remedio sedant. In hac voluprate consenui. De his tecum desideriis loquor, quae consolationem non recipiunt, quibus dandum est aliquid vt deficiant. Nam de illis extraordinariis quae licet differre, licet castigare & opprimere, hoc vnum commonefaciam, Ista voluptas non naturalis est, non necessaria: huic nihil debes. Si quid impendis, volūtarium est. Venter praecepta non audit, poscit, appellat. Non est tamen molestus creditor, paruo dimittitur: si modo das illi quod debes, non quod potes.

Epistola XXII.

I[a] Am intelligis educendum esse te ex istis occupationibus speciosis & malis: sed quomodo id consequi possis, quaeris. Quaedam non nisi a praesente monstrantur. Non potest medicus per epistolas cibi aut balnei tempus eligere. vena tangenda est. Vetus prouerbium est, Gladiatorem in arena capere consilium. Aliquid aduersarij vultus, aliquid manus mota, aliquid ipsa inclinatio corporis intuentem monet. Quid fieri soleat, quid oporteat, in vniuersum, & mandari potest, & scribi. Tale consilium non tantum absentibus, sed etiam posteris datur. Illud autem quando fieri debeat, aut quemadmodum, ex longinquo nemo suadebit. cum rebus ipsis deliberandum est. Non tantum praesentis, sed vigilantis est, occasionem obseruare properantem. Itaque hanc circumspice: hanc si videris, prende: & toto impetu, totis viribus id age, vt te istis officiis exuas. Et quidem quam sententiam feram, attende. Censeo aut ex ista vita tibi, aut e vita exeundū. Sed illud idem existimo, leni eundum via, vt quod male implicuisti, soluas potius quàm abrumpas: dummodo si alia soluendi ratio non erit, vel abrumpas. Nemo tam timidus est, vt malit semper pendere, quàm semel cadere. Interim, quod primum est, impedire te noli, contentus esto negotiis, in quae descendisti, vel quod videri mauis, incidisti. Non est quòd ad vlteriora nitaris. aut perdes excusationem, & apparebit te non incidisse. Ista enim quae dici solent, falsa sunt: Nō potui aliter. Quid si nollem? necesse erat. Nulli necesse est, felicitatem cursu sequi: est aliquid, etiam si non repugnare, subsistere, nec instare fortunae ferenti. Nunquid offenderis, si in consilium non venio tantum, sed aduoco? [a] & quidem prudētiores quàm ipse sum, ad quos soleo referre, si quid delibero. Epicuri epistolam ad hanc rem pertinentem legi. Idomeneo scribitur: quem rogat, vt quantum potest fugiat & properet, antequam aliqua vis maior interueniat, & auferat libertatem recedendi. Idem tamen subiicit, nihil esse tentandum, nisi cum apte poterit tempestiueque tentari. Sed cū illud tempus diu captatum venerit, exiliendum ait. Dormitare de fuga cogitantē vetat, & sperat etiam ex difficillimis salutarem exitū:

si

si nec properemus ante tempus, nec cessemus in tempore. Puto nũc & Stoicam sententiam quaeris. non est quòd quisquam illos apud te temeritatis infamet. cautiores quàm fortiores sunt. Expectas forsitan, vt tibi haec dicantur? Turpe est cedere oneri. luctare cum officio, quod semel recepisti. Non est vir fortis & strenuus, qui laborem fugit: verum vbi crescit illi animus ipsa rerum difficultate. Dicentur tibi ista, si operae pretium habebit perseuerantia, si nihil indignum bono viro faciendum patiendumue erit: alioquin sordido se & contumelioso labore non conteret, nec in negotiis erit negotij causa. Ne illud quidem quod existimas eum facturum, faciet, vt ambitiosis rebus implicitus, earum semper aestus ferat. Sed cũ viderit breuia in quibus volutatur, incerta, ancipitia, referet pedẽ, nec vertet terga, sed sensim recedet in tutum. Facile est autem, mi Lucili, occupationes euadere, si occupationum praemia contempseris. Illa sunt quae nos morantur & detinent. Quid ergo? Tam magnas spes relinquam? Ab ipsa messe discedam? Nudum erit latus? Incomitata lectica? Atrium vacuum? Ab his ergo inuiti homines recedunt, & mercedẽ miseriarum amant, ipsas execrãtur. Sic de ambitione, quomodo de amica queruntur: [b] & si verum affectum eorum inspicias, non oderunt, sed litigant. Excute istos, qui quae cupiere, deplorant, & de earum rerum loquuntur fuga, quibus carere non possunt. Videbis voluntariam esse illis in eo moram, quod aegre ferre ipsos & misere, loquuntur. Ita est, mi Lucili, paucos seruitus, plures seruitutem tenent. Sed deponere illam in animo est, & libertas bona fide placuit: in hoc autem vnum aduocationem petis, vt sine perpetua solicitudine id tibi facere contingat. quid ni te tota cohors Stoicorum probatura sit? Omnes Zenones & Chrysippi moderata, & honesta, & vera suadebunt. Sed si propter hoc tergiuersaris, vt circumspicias, quantum feras tecum, & quàm magna pecunia instruas otium, nunquam exitum inuenies. Nemo cum sarcinis enatat. Emerge ad meliorem vitam propitiis diis, sed non sic, quo modo istis propitij sunt, quibus bono ac benigno vultu mala magnifica tribuerũt, hoc vno excusati, quòd ista quae vrunt, quae excruciant, optantibus data sunt. Iam imprimebam epistolae signum. resoluenda est, vt cum sollemni ad te munusculo veniat, & aliquam magnificam vocem secum ferat. & ecce occurrit mihi nescio vtrum verior, an eloquentior. cuius? inquis. Epicuri. Adhuc enim alienas sarcinas adorno. Nemo non ita exit e vita tanquam modo intrauerit. Quemcunque vis occupa, adolescentem, senem, medium. inuenies aeque timidum mortis, aeque inscium vitae. nemo quicquam habet facti. In futurum enim nostra distulimus. Nihil me magis in ista voce delectat, quàm quòd exprobratur senibus infantia. Nemo, inquit, aliter, quàm quomodo natus est, exit e vita. Falsum est, peiores morimur quàm nascimur. Nostrum istud, non naturae vitium est. Illa de nobis conqueri debet, & dicere: Quid hoc est? Sine cupiditatibus vos genui, sine timoribus, sine superstitione, sine perfidia, caeterisque pestibus. quales intrastis, tales exite. Percepit sapientiam, si quis tam securus moritur, quàm nascitur. Nunc vero trepidamus, cum periculum accessit: non animus nobis, non color constat: lacrimae nihil profuturae cadunt. Quid est turpius, quàm in ipso limine securitatis esse solicitum? Causa autem haec est, quòd inanes omnium bonorum sumus, quorum in fine [c] vitae desiderio laboramus. Non enim apud nos pars eius vlla subsedit. transmissa est, & effluxit. Nemo quàm bene viuat, sed quamdiu, curat: cum omnibus possit contingere, vt bene viuant: vt diu, nulli.

Epistola XXIII.

PVTAS me tibi scripturum, quàm humane nobiscum hiems egerit, quae & remissa fuit, & breuis: quàm malignum ver sit, quàm praeposterum frigus, & alias ineptias verba quaerentium. Ego vero aliquid quod & mihi & tibi prodesse possit, scribam. Quid autem id erit, nisi vt te exhorter ad bonam mentem? Huius fundamentum quod sit, quaeris? ne gaudeas vanis. Fundamentum hoc esse dixi. etiam culmen est. Ad summa peruenit, qui scit quòd gaudeat, qui felicitatem suam in aliena potestate nõ posuit. Sollicitus est, & incertus sui, quem spes aliqua proritat, licet ad manum sit, licet non ex difficili petatur, licet illum nũquam sperata deceperint. Hoc ante omnia fac mi Lucili: disce gaudere. Existimas me nunc detrahere tibi multas voluptates, qui fortuita submoueo, qui spes, dulcissima oblectamẽta, deuitãdas existimo. Immo contra. nolo tibi vnquam deesse laetitiam. Volo illam tibi domi nasci. Nascitur, si modo intra teipsum sit. Ceterae hilaritates non implent pectus, sed frontẽ remittunt, leues sunt: nisi forte tu iudicas illũ gaudere, qui ridet. Animus debet esse alacer & fidens, & super omnia erectus. Mihi crede, res seuera est verum gaudium. An tu existimas quenquam soluto vultu, &, vt isti delicati loquuntur, hilari oculo mortem contemnere? paupertati domum aperire? voluptates tenere sub fraeno? meditari dolorum patientiam? Haec qui apud se versat, in magno gaudio est, sed parum blando. In huius gaudij possessione esse

te volo. Nunquam deficiet, cum semel vnde petatur inueneris. Leuium metallorum fructus in summo est: illa opulentissima sunt, quorum in alto latet vena, assidue plenius responsura fodienti. Haec quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac perfusoriam voluptatem: & quodcunque inuecticium gaudium est, fundamento caret. Hoc de quo loquor, ad quod te conor perducere, solidum est, & quod plus pateat introrsus. Fac oro te, Lucili carissime, quod vnum potest te praestare felicem. disijce & conculca ista quae extrinsecus splendent, quae tibi promittuntur ab alio: ad verum bonum specta, & de tuo gaude. Quid est autem hoc, de tuo? Te ipso & tui optima parte. Corpusculum quoque, etiam si nihil fieri sine illo potest, magis necessariam rem crede, quàm magnam. Vanas suggerit voluptates, breues, paenitendas, ac, nisi magna moderatione temperentur, in contrarium abituras. Ita dico, in praecipiti est voluptas, ad dolorem vergit, nisi modum teneat. Modum autem tenere in eo difficile est, quod bonum esse credideris. Veri boni auiditas tuta est. Quid sit istud, interrogas, aut vnde subeat? dicam. Ex bona conscientia, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitae & continuo tenore vnam ptementis viam. Nā illi qui ex aliis propositis in alia transiliunt, aut ne transiliunt quidem, sed casu quodam trāsmittuntur, quomodo babere quicquam certū mansurumve possunt, suspensi & vagi? Pauci sunt, qui consilio se suaque disponant: ceteri [a] eorum more quae fluminibus innatant, non eunt, sed feruntur.[b] Ex quibus alia leuior vnda detinuit, ac mollius vexit, alia vehementior rapuit, alia proxime ripam, cursu languescente deposuit, alia [c] torrens impetus deiecit in mare. Ideo constituendum est, quid velimus, & in eo perseuerandum. Hic est locus soluendi aeris alieni. Possum enim vocem tibi Epicuri tui reddere, & hanc epistolam liberare. Molestum est, sempet vitam inchoare. aut si hoc modo magis sensus potest exprimi: Male viuūt qui semper viuere incipiunt. Quare, inquis? desiderat enim explanationem ista vox. Quia semper illis imperfecta vita est. Non potest autem stare paratus ad mortem, qui modo incipit viuere. Id agendum est, vt satis vixerimus. Nemo hoc putat, qui orditur cum maxime vitam. Non est quòd existimes, paucos esse hos. propemodum omnes sunt. Quidam viuere tunc incipiunt, cum desinendum est. si boc iudicas mirum, adiciam quod magis admireris. Quidam ante viuere desierunt, quàm inciperent.

Epistola XXIIII.

S[1]OLLICITVM te esse scribis de iudicij euentu, quod tibi furor inimici denuntiat: & existimas me suasurum vt meliora tibiipsi proponas, & acquiescas spei blandae. Quid enim necesse est mala accersere, & satis cito patienda cum venerint, praesumere, ac praesens tempus futuri metu perdere? Est sine dubio stultum, quia quandoque sis futurus miser, esse iam miserum. Sed ego alia te ad securitatem via ducam. Si vis omnem solicitudinem exuere, quicquid vereris ne eueniat, euenturum vtique propone, & quodcunque illud est malum, tecum ipse metire, ac [2] timorem tuum taxa. intelliges profecto aut non magnum, aut non longum esse quod metuis. nec diu exempla quibus confirmeris, colligenda sunt. Omnis illa aetas tulit. In quamcunque partem rerum, vel ciuilium, vel externarum, memoriam miseris, occurrent tibi ingenia, aut profectus, aut impetus magni. Nunqnid accidere tibi, si damneris, potest durius, quàm vt mittaris in exilium? vt ducaris in carcerem?[4] nunquid vltra quicquam corpori timendum est,[5] quàm vt pereat? Singula ista constitue, & contemptores eorum cita, qui non quaerendi, sed eligendi sunt. Damnationem suam Rutilius sic tulit, tanquam nihil illi molestum esset aliud, quàm quòd male iudicaretur. Exilium Metellus fortiter tulit, Rutilius etiam libenter. Alter, vt rediret, Reipub. praestitit: alter reditum suum Syllae negauit, cui nihil tunc negabatur. In carcere Socrates disputauit, & exire (cum essent qui promitterent fugam) noluit, remansitque, vt duarum rerum grauissimarum hominibus metum demeret, mortis & carceris. Mucius ignibus manum imposuit. Acerbum est vri. quanto acerbius si id te faciente patiaris? Vides hominem non eruditum, nec vllis praeceptis contra mortem aut dolorem subornatum, militari tantum robore instructum, poenas a se irriti conatus exigentem. spectator distillantis in hostili foculo dextrae stetit, nec ante remouit nudis ossibus fluentem manum, quàm ignis illi ab hoste subductus est. Facere aliquid in illis castris felicius potuit, nihil fortius. Vide quanto acrior sit ad occupanda pericula virtus, quàm crudelitas ad irroganda. Facilius Porsena Mucio ignouit, quòd voluerat occidere, quàm sibi Mucius quòd non occiderit. Decantatae, inquis, in omnibus scholis fabulae istae sunt. Iam mihi, cum ad contemnendam mortem ventum fuerit, Catonem narrabis. Quid ni ego narrem? Vltima illa nocte Platonis librum legentem, posito ad caput gladio (duo haec in rebus extremis instrumenta prospexerat, alterum vt vellet mori, alterum vt posset) compositis ergo rebus, vtcunque componi fractae atque vltimae poterant, id agendum

gendũ existimauit, ne cui Catonem aut occidere liceret, aut seruare contingeret, & stricto gladio, quem vsque in illum diem ab omni caede purum seruauerat. Nihil, inquit, egisti fortuna omnibus conatibus meis obstãdo. non pro mea adhuc, sed pro patriae libertate pugnaui: nec agebam tanta pertinacia, vt liber, sed vt inter liberos viuerẽ. nunc quoniam deploratae sunt res generis humani, Cato deducatur in tutum: impressit deinde mortiferum corpori vulnus: quo obligato a medicis, cum minus sanguinis haberet, minus virium, animi idem iam non tantum Caesari, sed sibi iratus, nudas in vulnus manus egit, & generosum illum cõtemptoremque omnis potentiae spiritum non emisit, sed eiecit. Non in hoc exempla haec nunc congero, vt ingenium exerceam, sed vt te aduersus id quod maxime terribile videtur, exhorter. Facilius autem exhortabor, si ostendero non tantum fortes viros hoc momentũ efflandae animae contempsisse, sed quosdam ad alia ignauos, in hac re exaequasse animum fortissimorum: sicut illum Cn. Pompeij socerum Scipionem, qui contrario in Africam vento relatus, cum teneri nauem suam videret ab hostibus, ferro se transuerberauit, & quaerentibus vbi imperator esset: Imperator, inquit, bene se habet. Vox haec illum parem maioribus fecit, & fatalem Scipionibus in Africa gloriam non est interrumpi passa. Multum fuit Carthaginem vincere, sed amplius mortẽ. Imperator, inquit, bene se habet. An aliter debebat Imperator, & quidẽ Catonis, mori? Non reuoco te ad historias, nec ex omnibus saeculis contemptores mortis, qui sunt plurimi, colligo.[a] Respice ad haec nostra tempora, de quorũ languore ac deliciis querimur. Omnis ordinis homines succurrent, omnis fortunae, omnis aetatis, qui mala sua morte praeciderunt. Mihi crede, Lucili, adeo mors timenda non est,[b] vt beneficio eius nihil anteferendum sit. Securus itaque inimici minas audi: & quamuis conscientia tua tibi fiduciam faciat, tamen quia multa extra causam valent, & quod aequissimũ est spera, & ad id te quod est iniquissimum, compara. Illud ante omnia memento, demere rebus tumultum, ac videre quid in quaque re sit: scies nihil esse in istis terribile, nisi ipsum timorem. Quod vides accidere pueris, hoc nobis quoque maiusculis pueris euenit. Illi quos amant, quibus assueuerunt, cum quibus ludunt, si personatos vident, expauescũt. Non hominibus tantum, sed & rebus persona demenda est & reddenda facies sua. Quid mihi gladios & ignes ostendis, & turbam carnificum circa te frementium? Tolle istam pompam sub qua lates, & stultos territas. mors est, quam nuper seruus meus, quam ancilla contempsit. Quid tu rursus mihi flagella & eculeos magno apparatu explicas? Quid tu singulis articulis singula machinamenta, quibus extorqueantur, aptas, & mille alia instrumenta [4] excarnificandi particulatim hominis? Pone ista quae nos obstupefaciunt. iube conticescere gemitus & exclamationes, & vocum inter lacerationem elisarum acerbitatem. Nempe dolor est, quem podagricus ille contemnit, quem stomachicus ille in ipsis deliciis perfert, quem in puerperio puella perpetitur.[1] Leuis est, si ferre possum: breuis est, si ferre nõ possum. Haec in animo voluta, quae saepe audisti, saepe dixisti: sed an vere audieris, an vere dixeris, effectu proba. Hoc enim turpissimum est, quod nobis obiici solet, verba nos philosophiae, non opera tractare. Quid tu? Nunc primum tibi mortem imminere scisti, nunc exilium, nunc dolorem? In haec natus es. Quicquid fieri potest, quasi futurum cogitemus. [c] Quod facere te moneo, scio certe fecisse. Nunc admoneo, vt animum tuum nõ mergas in istam solicitudinem. Hebetabitur enim, & minus habebit vigoris, cum exurgendum erit. Abduc illum a priuata causa ad publicam: dic mortale tibi & fragile corpusculum esse, cui non ex iniuria tantum aut ex potentioribus viribus denuntiabitur dolor, sed ipsae voluptates in tormenta vertuntur. Epulae cruditatem afferunt: ebrietates neruorum torporem tremoremque: libidines, pedum, manuum, articulorum omnium deprauationes. Pauper fiam? Inter plures ero. Exul fiam? ibi me natum putabo, quo mittar. Alligabor? Quid enim? Nunc solutus sum? Ad hoc me natura graue corporis mei pondus astrinxit. Moriar? Hoc dicis, desinam aegrotare posse, desinam alligari posse, desinam mori posse. Non sum tam ineptus, vt Epicuream cantilenam hoc loco persequar, & dicam vanos esse inferorum metus, nec Ixionem rota volui, nec saxum humero Sisyphi trudi in aduersum, nec vllius viscera & renasci posse quotidie, & carpi. Nemo tam puer est, vt Cerberũ timeat, & tenebras, & laruarum habitum nudis ossibus cohaerentium.[d] Mors nos aut consumit, aut emittit. Emissis meliora restant, onere detracto: consumptis nihil restat: bona pariter malaque submota sunt. Permitte mihi referre hoc loco tuum versum, si prius admonuero, vt te iudices non aliis scripsisse ista, sed etiam tibi. Turpe est aliud loqui, aliud sentire: quanto turpius, aliud scribere, aliud sentire? Memini te illum locum aliquando tractasse, non repente nos in mortem incidere, sed minutatim procedere.[e] Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitae: & tunc quoque cum crescimus, vita decrescit. Infantiam amisimus,

deinde pueritiam, deinde adolescentiam: vsque ad hesternum, quicquid transiit temporis, periit. Hunc ipsum quem agimus diem, cum morte diuidimus. Quemadmodum clepsydrã non extremum stillicidium exhaurit, sed quicquid ante defluxit: sic vltima hora qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat. Tunc ad illam peruenimus, sed diu venimus. Haec cum descripsisses, quo soles ore, semper quidem magnus, nunquam tamen acrior, quàm vbi veritati commodas verba, dixisti:

[7] Mors non vna venit; sed quae rapit, vltima mors est.

Malo te legas, quàm epistolam meam. Apparebit enim tibi, hanc quam timemus mortem extremam esse, non solam. Video quo spectes. Quaeris quid huic epistolae infulserim, quod dictum alicuius animosum, quod praeceptum vtile. Ex hac ipsa materia quae in manibus fuit, mittetur aliquid. [a] Obiurgat Epicurus non minus eos qui mortem concupiscunt, quàm eos qui timent, & ait: Ridiculum est, currere ad mortem taedio vitae, cum genere vitae, vt currendum esset ad mortem, effeceris. Item alio loco dicit: Quid tam ridiculum, quã appetere mortem, cum vitam tibi inquietam feceris metu mortis? His adicias & illud eiusdem notae licet, tantam hominum imprudentiam esse, immo dementiam, vt quidam [b] timore mortis cogantur ad mortem. Quicquid horum tractaueris, confirmabis animum, [c] vel ad mortis, vel ad vitae patientiam. In vtrumque monendi ac firmandi sumus, & ne nimis amemus vitam, & ne nimis oderimus. etiam cum ratio suadet finire, [f] non temere, nec cum procursu capiendus est impetus. Vir fortis ac sapiens non fugere debet e vita, sed exire. Et ante omnia ille quoque vitetur affectus, qui multos occupauit, libido moriendi. Est enim, mi Lucili, vt ad alia, sic etiam ad moriendum inconsulta animi inclinatio: quae saepe generosos atque acerrimae indolis viros corripit, saepe ignauos iacentesque. Illi contemnunt vitam, hi grauantur. Quosdam subit eadem faciendi videndique satietas, & vitae non odiũ, sed fastidium, in quod prolabimur, ipsa impellente philosophia, dum dicimus: [10] Quousque eadem? Nempe expergiscar, dormiam, satiabor, esuriam, algebo, aestuabo: nullius rei finis est: sed in orbem nexa sunt omnia: fugiunt ac sequuntur: [11] diem nox premit, dies noctem: aestas in autumnum desinit, autumno hiems instat, quae vere compescitur. Omnia transeunt, vt reuertantur. Nihil noui video, nihil noui facio. Fit aliquando & huius rei nausea. Multi sunt, qui non acerbum iudicent viuere, sed superuacuum.

Epistola XXV.

QVOD ad duos amicos nostros pertinet, diuersa via eundum est. Alterius enim vitia emendanda, alterius frangenda sunt. Vtar libertate tota: non amo illum, nisi offendo. Quid ergo? inquis. Quadragenarium pupillũ cogitas sub tutela tua continere? Respice aetatem eius iam duram & intractabilem. non potest reformari. [1] tenera finguntur. An profecturus sim nescio. Malo successum mihi, quàm fidem deesse. Nec desperaueris, etiam diutinos aegros posse sanari, si contra intemperantiam steteris, si multa inuitos & facere coegeris & pati. Nec de altero quidẽ satis fiduciae habeo, excepto eo quòd adhuc peccare erubescit. nutriẽdus est hic pudor: qui quandiu in animo eius durauerit, aliquis erit bonae spei locus. Cum hoc veterano parcius agendum puto, ne in desperationem sui veniat. nec vllum tẽpus aggrediendi melius fuit, quàm hoc, dum interquiescit, dum emendato similis est. Aliis haec intermissio eius imposuit: mihi verba non dat. expecto cum magno foenore vitia reditura, quae nunc scio cessare, non deesse. Impendam huic rei dies: & vtrum possit aliquid agi, an non possit, experiar. Tu nobis te, vt facis, fortem praesta, & sarcinas contrahe. Nihil ex his quae habemus, necessarium est. ad legem naturae reuertamur. Diuitiae paratae sunt. Aut gratuitum est quo egemus, aut vile. [1] Panem & aquam natura desiderat. nemo ad haec pauper est: intra quae quisquis desiderium suum clusit, [4] cum ipso Ioue de felicitate contendat, vt ait Epicurus: cuius aliquam vocem huic epistolae inuoluam. Sic fac, inquit, omnia, tanquam spectet aliquis. Prodest sine dubio, custodem sibi imposuisse, & habere quem respicias, quem interesse cogitationibus tuis iudices. Hoc quidem longe magnificentius est, sic viuere tanquam sub alicuius boni viri, ac semper praesentis, oculis. Sed ego etiam hoc contentus sum, vt sic facias quaecunque facies, tanquam spectet aliquis. [a] Omnia nobis mala solitudo persuadet. Cum iam profeceris tantum, vt sit tibi etiam tui reuerentia, licebit dimittas paedagogum. Interim te aliquorũ auctoritate custodi. Aut Cato ille sit, aut Scipio, aut Laelius, aut cuius interuentu perditi quoque homines vitia supprimerent, dum te efficis eum coram quo peccare non audeas. Cum haec effeceris, & aliqua coeperit apud te tui esse dignatio, incipiam tibi permittere: quod idem suadet Epicurus. Tunc praecipue in te ipse secede, cum esse cogeris in turba. Dissimilem te fieri multis oportet. Dum tibi tutum non est a te recedere: circumspice singulos. Nemo est cui non satius sit, cum quolibet esse quàm secum.

ſecum. Tunc praecipue in te ipſe ſecede, cum eſſe cogeris in turba, ſi bonus vir, ſi quietus, ſi temperans es: alioquin in turbam tibi a te recedendum eſt. Iſtic enim malo viro propius es.

Epiſtola XXVI.

M[a]ODO dicebam tibi, in conſpectu eſſe me ſenectutis: iam vereor, ne ſenectutem poſt me reliquerim. Aliud iam his annis, huic corpori vocabulum conuenit: quoniam quidem Senectus laſſae aetatis, non fractae nomen eſt. Inter decrepitos me numera, & extrema tangentes. Gratias tamen mihi apud te ago. Non ſentio in animo aetatis iniuriam, cum ſentiam in corpore. tantum vitia, & vitiorum miniſteria ſenuerunt. Viget animus & gaudet, non multum ſibi eſſe cum corpore: magnam partem oneris ſui depoſuit, exultat, & mihi facit controuerſiam de ſenectute. Hunc ait eſſe florem ſuum. Credamus illi. bono ſuo vtatur. Ire in cogitationem iuuat, & diſpicere, quid ex hac tranquillitate ac modeſtia morum ſapientiae debeam, quid aetati: & diligenter excutere, quae non poſſim facere, quae nolim: [a] poſſim ne aliquid, quod nolim. Nam ſi quid nõ poſſum, non poſſe me gaudeo. Quae enim querela eſt, quod incommodum, ſi quod debet deſinere, defecit? Incommodum ſummum eſt, inquis, minui & deperire, &, vt proprie dicam, liqueſcere. Non enim ſubito impulſi ac proſtrati ſumus. Carpimur: ſinguli dies aliquid ſubtrahunt viribus. Et quis exitus eſt melior, [b] quàm in finem ſuum natura ſoluente dilabi? Non quia aliquid mali eſt ictus, & e vita repẽtinus exceſſus: ſed quia lenis haec via eſt, ſubduci. Ego certe, velut appropinquet experimẽtum, & ille laturus ſententiam de omnibus annis meis dies venerit, ita me obſeruo & alloquor. Nihil eſt, inquam, adhuc, quod aut rebus aut verbis exhibuimus. Leuia ſunt iſta & fallacia pignora animi, multiſque inuoluta lenociniis. Quid profecerim, morti crediturus ſum. Non timide itaque componor ad illũ diem, quo remotis ſtrophis ac fucis, de me pronuntiaturus ſum, vtrum loquar fortia, an ſentiam: nunquid ſimulatio fuerit & mimus, quicquid contra fortunam iactaui verborum contumacium. Remoue exiſtimationem hominum. dubia ſemper eſt, & in partem vtramque diuiditur. Remoue ſtudia: [c] totam vitam tractã. mors de te pronuntiatura eſt. Ita dico, diſputationes & litterata colloquia, & ex praeceptis ſapientium verba collecta, & eruditus ſermo, non oſtendunt verum robur animi. Eſt enim oratio etiam timidiſſimis audax. Quid egeris, tunc apparebit, cum animam ages. Accipio condicionem. non reformido iudicium. Haec mecũ loquor. ſed tecum quoque me locutum puta. Iunior es. Quid refert? Non dinumerantur anni. Incertum eſt, quo te loco mors expectet. Itaque tu illam omni loco expecta. [d] Finire iam volebam: & manus ſpectabat ad clauſulam: ſed conficienda ſunt ſagmata: & huic epiſtolae viaticum dandum eſt. [e] Puta me non dicere, vnde ſumpturus ſim mutuum. Scis cuius arca vtar. [f] Expecta puſillum, & de domo fiet numeratio: interim commodabit Epicurus, qui ait: Meditare vtrum commodius ſit, vel mortem tranſire ad nos, vel nos ad eam. Hic patet ſenſus. Egregia res eſt, mortẽ condiſcere. Superuacuum forſitan putas id diſcere, quo ſemel vtendum eſt? Hoc eſt ipſum, quare meditari debeamus. Semper diſcendum eſt, quod an ſciamus, experiri non poſſumus. Meditare mortem. Qui hoc dicit, meditari libertatem iubet. Qui mori didicit, ſeruire dedidicit. Supra omnem potentiam eſt: certe extra omnem. Quid ad illum carcer, & cuſtodia, & clauſtra? Liberum oſtium habet. Vna eſt catena quae nos alligatos tenet, amor vitae: qui vt non eſt abiiciendus, ita minuendus eſt: vt ſi quando res exiget, nihil nos detineat, nec impediat, quo minus parati ſimus, quod quandoque faciendum eſt, ſtatim facere.

Epiſtola XXVII.

T[a]V me, inquis, mones. iam enim te ipſe monuiſti, iam correxiſti: ideo aliorum emendationi vacas. Non ſum tam improbus, vt curationes aeger obeam: ſed tanquam in eodẽ valetudinario iaceam, de communi malo tecum colloquor, remedia communico. Sic itaque me audi, tanquam mecum loquar. in ſecretum te meum admitto, & te adhibito, mecum exigo. Clamo mihi ipſe, Numera annos tuos: & pudebit eadem velle, quae volueras puer, eadem parare. [a] Hoc denique tibi citra diem mortis praeſta: moriantur ante te vitia. [b] Dimitte iſtas voluptates turbidas, magno luendas. Non venturae tantum, ſed praeteritae nocent. Quemadmodum ſcelera etiam ſi non ſint deprehenſa cum fierent, ſolicitudo non cum ipſis abit: ita improbarum voluptatum, etiam poſt ipſas paenitentia eſt. Non ſunt ſolidae, non ſunt fideles. etiam ſi non nocent, fugiunt. Aliquod potius bonum manſurum circumſpice. Nullum autem eſt, niſi quod animus ex ſe ſibi inuenit. Sola virtus praeſtat gaudium perpetuum, ſecurum: etiam ſi quid obſtat, nubium modo interuenit, quae infra feruntur, nec vnquam diem vincunt. Quando ad hoc gaudium peruenire continget? Non quidem ceſſatur adhuc, ſed non feſtinatur. Multum reſtat operis, [c] in quod ipſe neceſſe eſt vigiles, ipſe laborem tuum impendas, ſi effici cupis. Delegationem res iſta non recipit. Aliud litte-

rarum genus adiutorium admittit. Caluiſius Sabinus memoria noſtra fuit diues, & patrimonium habebat liberum & ingenuum. Nunquam vidi hominem beatum indecentius. Huic memoria tam mala erat, vt illi modo nomen Vlixis excideret, modo Achillis, modo Priami:quos tam bene nouerat, [b] quàm paedagogos noſtros nouimus. Nemo vetulus nomenclator,qui nomina non reddit, ſed imponit, [d] tam perperam, quàm ille Troianos & Achiuos perſalutabat. Nihilominus eruditus volebat videri.Hãc itaque cõpendiariam excogitauit: magna ſumma emit ſeruos, vnum qui Homerum teneret, alterum qui Heſiodum. Nouem praeterea Lyricis ſingulos aſſignauit. Magno emiſſe illum non eſt quod mireris. Non inuenerat:faciendos locauit. Poſtquam haec familia illi comparata eſt,coepit conuiuas ſuos inquietare.Habebat ad pedes hos,a quibus ſubinde cum peteret verſus,quos referret,ſaepe [e] in medio verſu excidebat. Suaſit illi Satellius Quadratus, ſtultorum diuitum arroſor,& quod ſequitur,arriſor,& quod duobus his adiunctum eſt,deriſor, [f] vt Grammaticos haberet analectas. Cum dixiſſet Sabinus, centenis milibus ſibi conſtare ſingulos ſeruos: Minoris, inquit, totidem ſcrinia emiſſes. Ille tamen in ea opinione erat, vt putaret ſe ſcire, quod quiſquam in domo ſua ſciret. Idem Satellius illum hortari coepit, vt luctaretur, hominem aegrum,pallidum,gracilem. Cum Sabinus reſpondiſſet, Et quomodo poſſum? vix viuo.Noli,obſecro,inquit,iſtud dicere. Non vides quàm multos ſeruos valentiſſimos habeas?Bona mens nec commendatur, nec emitur: & puto, ſi venalis eſſet, non haberet emptorem.At mala quotide emitur. Sed accipe iam quod debeo,& vale.Diuitiae ſunt,ad legem naturae compoſita paupertas. Hoc ſaepe dicit Epicurus aliter atque aliter. Sed nunquam nimis dicitur, quod nunquam ſatis diſcitur. Quibuſdam remedia monſtranda, quibuſdam inculcanda ſunt.

Epiſtola XXVIII.

HOC tibi ſoli putas accidiſſe, & admiraris quaſi rem nouam, quòd peregrinatione tam longa & tot locorum varietatibus, non diſcuſſiſti triſtitiam grauitatemque mentis. [a] Animum debes mutare, non coelum. Licet vaſtum traieceris mare,licet (vt ait Virgilius noſter) Terraeque vrbeſque recedant,ſequentur te quocunque perueneris,vitia. Hoc idem cuidam querenti Socrates ait:Quid miraris,nihil tibi peregrinationes prodeſſe,cum te circumferas?Premit te eadem cauſa quae expulit.Quid terrarum iuuare nouitas poteſt? Quid cognitio vrbium,aut locorum?In irritum cedit iſta iactatio. Quaeris quare te fuga iſta non adiuuet? Tecum fugis. Onus animi deponendum eſt. Non ante tibi vllus placebit locus. Talem nunc eſſe habitum tuum cogita,qualem Virgilius noſter vatis inducit,iam concitatae & inſtigatae,multumque habentis in ſe ſpiritus,non ſui:

Bacchatur vates,magnum ſi pectore poßit
Excußiſſe Deum. ———

Vadis huc & illuc,vt excutias inſidens pondus,quod ipſa iactatione incommodius fit. ſicut in naui onera immota minus vrgent:inaequaliter conuoluta citius eam partem in quam incubuere demergunt.Quicquid facis,contra te facis,& motu ipſo noces tibi.AEgrum enim concutis.At cum iſtud exemeris malum,omnis mutatio loci iucunda fiet.In vltimas expellaris terras licebit,in quolibet barbariae angulo colloceris, hoſpitalis tibi illa qualiſcunque ſedes erit. [a] Magis quis veneris,quàm quò, intereſt: & ideo nulli loco addicere debemus animũ. Cum hac perſuaſione viuendum eſt: Non ſum vni angulo natus:patria mea totus hic eſt mundus.Quod ſi liqueret tibi,non admirareris,nil adiuuari te regionum varietatibus,in quas ſubinde priorum taedio migras. Prima enim quaeque placuiſſet, ſi omnem tuam crederes.Non peregrinaris,ſed erras & ageris,ac locum ex loco mutas: cum illud quod quaeris, [c] bene viuere,omni loco poſitum ſit.Num quid tam turbidum fieri poteſt,quàm forum? Ibi quoque licet quiete viuere, ſi neceſſe ſit. Sed ſi liceat diſponere ſe, conſpectum quoque & viciniam fori procul fugiam. Nam vt loca grauia, etiam firmiſſimam valetudinem tentant, ita bonae quoque menti, necdum adhuc perfectae, & conualeſcenti, ſunt aliqua parum ſalubria. Diſſentio ab his qui in fluctus medios eunt, & tumultuoſam probantes vitam,quotidie cum difficultatibus rerum,magno animo colluctantur.Sapiens feret iſta,non eliget: & malet in pace eſſe,quàm in pugna. Non enim multum prodeſt vitia ſua proieciſſe, ſi cum alienis rixandum eſt. Triginta, inquis, tyranni Socratem circumſteterunt, nec potuerunt animum eius infringere. Quid intereſt, quot domini ſint? Seruitus vna eſt. Hanc qui contempſit, in quantalibet turba dominantium liber eſt. Tempus eſt deſinere, ſed ſi prius portorium ſoluero. Initium eſt ſalutis, notitia peccati. Egregie mihi hoc dixiſſe videtur Epicurus. Nam qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, antequam emendes. Quidam vitiis gloriantur. Tu exiſtimas aliquid de remedio cogitare, qui

mala

mala sua virtutum loco numerant? Ideo quantum potes, teipsum coargue:[b] inquire in te: accusatoris primum partibus fungere, deinde iudicis, nouissime deprecatoris: aliquando te offende.

Epistola XXIX.

De Marcellino nostro quaeris, & vis scire quid agat. Raro ad nos venit, nulla alia ex causa quàm quia audire verum timet: a quo periculo iam abest: nulli enim nisi audituro dicendum est. Ideo de Diogene, nec minus de aliis Cynicis, qui libertate promiscua vsi sunt, & obuios quosque monuerunt, dubitari solet, an hoc facere debuerint. Quid enim si quis surdos obiurget, aut natura morbove mutos? Quare, inquis, verbis parcam? Gratuita sunt. Non possum scire an ei profuturus sim, quem admoneo. Illud scio, alicui me profuturum, si multos admonuero. Spargenda est manus: non potest fieri, vt non aliquando succedat, multa tentanti. Hoc, mi Lucili, non existimo faciendum magno viro. diluitur eius auctoritas, nec habet apud eos satis ponderis, quos posset minus obsolefacta corrigere. Sagittarius non aliquando ferire debet, sed aliquando deerrare. Non est ars, quae ad effectum casu venit. Sapientia ars est. certum petat: eligat profecturos: ab his quos desperauit, recedat: non tamē cito relinquat,[a] sed in ipsa desperatione extrema remedia tentet. Marcellinū nostrum ego nondum despero. Etiamnum seruari potest: sed si cito illi manus porrigitur. Est quidem periculum, ne porrigentem trahat. Magna in illo ingenij vis est, sed iam tendentis in prauum. Nihilominus adibo hoc periculum, & audebo illi mala sua ostendere. Faciet quod solet, aduocabit illas facetias, quae risum euocare lugentibus possunt: & in se primum, deinde in nos iocabitur: omnia quae dicturus sum, occupabit. Scrutabitur scholas nostras, & obiiciet philosophis congiaria, amicas, gulam. Ostendet mihi alium in adulterio, alium in popina, alium in aula: ostendet mihi lepidum philosophum Aristonem, qui in gestatione disserebat: hoc enim[b] ad edendas operas tempus acceperat. De cuius secta cum quaereretur, Scaurus ait: Vtique Peripateticus non est. De eodem cum consuleretur Iulius Graecinus, vir egregius, quid sentiret: Non possum, inquit, tibi dicere. nescio enim quid de gradu faciat: tanquam de essedario interrogaretur. Hos mihi circulatores, qui philosophiam honestius neglexissent, quàm vendunt, in faciem ingeret. Constitui tamen contumelias perpeti. Moueat ille mihi risum: ego fortasse illi lacrimas mouebo: aut, si ridere perseuerabit, gaudebo, tanquam in malis, quòd illi genus insaniae hilare contigerit. Sed nō est illa hilaritas longa. obserua. videbis eosdem intra exiguum tempus acerrime ridere & acerrime[c] rabere. Propositum est aggredi illum, & ostendere quanto pluris fuerit, quum multis minoris videretur. Vitia eius etiam si non excidero, inhibebo. non desinent, sed intermittentur: fortasse autem & desinent, si intermittendi consuetudinem fecerint. Non est hoc ipsum fastidiendum. quoniam quidem grauiter affectis, sanitatis loco est bona remissio. Dum me illi paro, tu interim qui potes, qui intelligis[d] vnde quo euaseris, & ex eo suspicaris, quousque sis euasurus, compone mores tuos, attolle animum, aduersus formidata consiste, numerare eos noli, qui tibi metum faciunt. Nonne videatur stultus, si quis multitudinem timeat eo loco, per quem transitus singulis est? AEque ad tuam mortem multis aditus non est, licet illam multi minentur. Sic istud natura disposuit. Spiritum tibi tam vnus eripiet, quàm vnus dedit. Si pudorem haberes, vltimam mihi pensionem remisisses. Sed ne ego quidem me sordide geram in fenore aeris alieni, & tibi quod debeo impingam. Nunquam volui populo placere. Nam quae ego scio, non probat populus: quae probat populus, ego nescio. Quis hoc? inquis: tanquam nescias cui imperem. Epicurus. Sed idem hoc omnes tibi ex omni domo conclamabunt; Peripatetici, Academici, Stoici, Cynici. Quis enim placere potest populo, cui placet virtus? Malis artibus[e] popularis fauor quaeritur: similem te illis facias oportet. Non probabunt, nisi agnouerint. Multo autem ad rem magis pertinet, qualis tibi videaris, quàm qualis aliis. Conciliari nisi turpi ratione amor turpium non potest. Quid ergo illa laudata, & omnibus praeferenda artibus rebusque philosophia praestabit? Scilicet vt malis tibi placere, quàm populo: vt aestimes iudicia, non numeres: vt sine metu deorum hominumque viuas: vt aut vincas mala, aut finias. Ceterum si te videro celebrem secundis vocibus vulgi, si intrante te clamor, plausus, & pantomimica ornamenta obstrepuerint, si tota ciuitate te feminae puerique laudauerint; quid ni ego tui miserear, cum sciam quae via ad istum fauorem ferat?

Epistola XXX.

Bassum Aufidium, virum optimum, vidi quassum, aetati obluctantem. Sed iam plus illum degrauat, quàm quod possit attolli. Magno senectus & vniuerso pōdere incubuit.

Scis illum ſemper infirmi corporis & exſucci fuiſſe: diu illud continuit, & vt verius dicam, concinnauit. ſubito deficit. Quemadmodum in naue quae ſentinam trahit, vni rimae aut alteri obſiſtitur: vbi plurimis locis laxari coepit & cedere, ſuccurri non poteſt nauigio dehiſcēti: ita in ſenili corpore aliquatenus imbecillitas ſuſtineri & fulciri poteſt: vbi tanquam in putri aedificio omnis iunctura dilabitur: & dum alia excipitur, alia diſcinditur, circunſpiciendum eſt quomodo exeas. Baſſus tamen noſter alacer animo eſt: hoc philoſophia praeſtat: in quocunque corporis habitu fortem, in conſpectu mortis hilarem, laetumque, nec deficientem, quamuis deficiat. Magnus gubernator & ſciſſo nauigat velo, & ſi exarmauit, tamen reliquias nauigij aptat ad curſum. Hoc facit Baſſus noſter: & eo animo vultuque finem ſuum ſpectat, quo alienum ſpectare, nimis ſecuri eſſe putares. Magna res eſt haec, Lucili, & diu diſcenda, cum aduentat hora illa ineuitabilis, aequo animo abire. Alia genera mortis, ſpei mixta ſunt. Deſinit morbus, incendium extinguitur, ruina quos videbatur oppreſſura depoſuit: mare quos hauſerat, eadem vi qua ſorbebat, eiecit incolumes: gladium miles ab ipſa perituri ceruice reuocauit. Nihil habet quod ſperet, quem ſenectus ducit ad mortem. Huic vni intercedi non poteſt. Nullo genere homines mollius moriuntur, ſed nec diutius. Baſſus noſter videtur mihi proſequi ſe,[3] & componere, & viuere tamquam ſuperſtes ſibi, & ſapienter ferre diſcidium ſui. Nam de morte multa loquitur, & id agit ſedulo, vt nobis perſuadeat, ſi quid incommodi aut metus in hoc negotio eſt, morientis vitium eſſe, non mortis: nec magis in ipſa quicquam eſſe moleſtiae, quàm poſt ipſam. Tam demens autem eſt qui timet quod non eſt ſenſurus, quàm qui timet quod non eſt paſſurus. An quiſquam hoc futurum credit, vt per quam fit, vt nihil ſentiatur, ea ſentiatur? Ergo, inquit, mors adeo extra omne malum eſt, vt ſit extra omnem malorum metum? Haec ego ſcio & ſaepe dicta, & ſaepe dicenda. ſed neque cum legerem, aeque mihi profuerunt,[4] neque cum audirem his dicentibus, qui negabant timenda a quorum metu aberant. Hic vero plurimum auctoritatis habuit, cum loqueretur de morte vicina. Dicam enim quid ſentiam. Puto etiam fortiorē eum eſſe qui in ipſa morte eſt, quàm qui circa mortē eſt. Mors enim admota, etiam imperitis animum dedit, non vitandi ineuitabilia. Sic gladiator tota pugna timidiſſimus iugulum aduerſario praeſtat, & errantem gladium ſibi attemperat. At illa quae in propinquo eſt, vtique ventura, deſiderat lentam animi firmitatem, quae eſt rarior, nec poteſt niſi a ſapiente praeſtari. Libentiſſime itaque illum audiebam, quaſi ferentem de morte ſententiam, & qualis eſſet eius natura, velut propius inſpectae, iudicantem. Plus, vt puto, fidei haberet apud te, plus ponderis, ſi quis reuixiſſet, & in morte nihil mali eſſe narraret expertus. Acceſſus mortis quam perturbationem afferat, optime hi tibi dicent, qui ſecundum illam ſteterunt, qui venientem & viderunt & receperūt. Inter hos Baſſum licet numeres, qui nos decipi noluit. Is ait, tam ſtultum eſſe qui mortem timeat, quàm qui ſenectutem. Nam quemadmodum ſenectus adoleſcentiam ſequitur, ita mors ſenectutem. Viuere noluit qui mori non vult. Vita enim cum exceptione mortis data eſt: ad hanc itur: quam ideo timere dementis eſt, quia certa expectantur, dubia metuuntur. Mors neceſſitatem habet aequam & inuictam. Quis queri poteſt, in ea condicione ſe eſſe, in qua nemo non eſt? Prima enim pars aequitatis, eſt aequalitas. Sed nunc ſuperuacuum eſt, naturae cauſam agere: quae non aliam voluit legem noſtram eſſe quàm ſuam. Quicquid compoſuit, reſoluit: & quicquid reſoluit, componit iterum. Iam vero ſi cui contigit, vt illum ſenectus leniter emitteret, non repente auulſum vitae, ſed minutatim ſubductum, ne ille gratias agere dijs omnibus debet, quòd ſatiatus ad requiem homini neceſſariam, laſſo gratam, perductus eſt. Vides quoſdam optantes mortem, & quidem magis quàm rogari ſolet vita. Neſcio vtros exiſtimem maiorem nobis animum dare: qui depoſcunt mortem, an qui hilares eam quieteque opperiuntur: quoniam illud ex rabie interdum ac repentina indignatione fit; haec ex iudicio certo tranquillitas eſt. Venit aliquis ad mortē iratus. mortem veniētem nemo hilaris excipit, niſi qui ſe ad illam diu cōpoſuerat. Fateor ergo, ad hominem mihi carum, ex pluribus me cauſis frequentius veniſſe, vt ſcirem an illum toties eundem inuenirem: nunquid cum corporis viribus minueretur animi vigor: qui ſic creſcebat illi, quomodo manifeſtior notari ſolet agitatorū laetitia, cum[5] ſeptimo ſpatio palmae appropinquant. Dicebat quidem ille Epicuri praeceptis obſequēs, primum ſperare ſe, nullum dolorem eſſe in illo extremo anhelitu: ſi tamen eſſet, habere aliquantulum in ipſa breuitate ſolatij. Nullum enim dolorem longū eſſe qui magnus eſt. Ceterum ſuccurſurum ſibi etiam in ipſa diſtractione animae corporiſque, ſi cum cruciatu id fieret, poſt illum dolorem ſe dolere non poſſe. Non dubitare autem ſe, quin ſenilis anima in primis labris eſſet, nec magna vi diſtraheretur a corpore. Ignis qui valentem materiam occupauit, aqua, & interdum ruina extinguēndus eſt. Ille qui alimentis deficitur, ſua ſponte ſubſidit.

subsidit. Libenter haec, mi Lucili, audio, non tanquam noua, sed tanquam in rem praesentem perductus. Quid ergo? non multos spectaui abrumpentes vitam? immo vero vidi. Sed plus momenti apud me habent, qui ad mortem veniunt sine odio vitae, & admittunt illam, non attrahunt. Illud quidem aiebat tormentum nostra nos sentire opera, quod tunc trepidamus, cum prope a nobis esse credimus mortem. A quo enim prope non est, parata omnibus locis, omnibusque momentis? Sed consideremus, inquit, tunc cum aliqua causa moriendi videtur accedere, quanto aliae propiores sint quae non timentur. Hostis alicui mortē minabatur: hanc cruditas occupauit. Si distinguere voluerimus causas metus nostri, inueniemus alias esse, alias videri. Non mortem timemus, sed cogitationem mortis: ab ipsa enim semper tantundem absumus. Ita si timenda mors est, semper timenda est. Quod enim tempus morti exemptum est? Sed vereri debeo, ne tam longas epistolas peius quàm mortem oderis: itaque finem faciam. Tu tamen mortem vt nunquam timeas, semper cogita.

Epistola XXXI.

AGNOSCO Lucilium meum, incipit quem promiserat exhibere. Sequere illum impetum animi, quo ad optima quaeque, calcatis popularibus bonis, ibas. Non desiderò maiorem melioremque te fieri quàm moliebaris. Fundamenta tua multum loci occupauerunt. Tantum effice, quantum conatus es: & illa quae tecum in animo tulisti, tracta. Ad summam, sapiens eris, si clauseris aures, quibus ceram parum est obdere. Firmiori spissamentò opus est, quàm vsum in sociis Vlixem ferunt. Illa vox quae timebatur, erat blanda, non tamen publica. At haec quae timenda est, non ex vno scopulo, sed ex omni parte terrarum circumsonat. Praeteruehere itaque non vnum locum insidiosa voluptate suspectum, sed omnes vrbes: surdum te amantissimis praesta. Bono animo male precantur. Et si vis esse felix, deos ora, ne quid tibi ex his quae optantur eueniat. Non sunt ista bona, quae in te isti volūt congeri: vnum bonum est, quod beatae vitae causa & firmamentum est, sibi fidere. Hoc autem contingere non potest, nisi contemptus est labor, & in eorum numero habitus quae neque bona sunt, neque mala. Fieri enim non potest, vt vna res modo mala sit, modo bona: modo leuis & perferenda, modo expauescenda. Labor bonum non est. Quid ergo est bonum? Laboris contemptio. Itaque in vanum operosos culpauerim: rursus ad honesta nitentes, quanto magis incubuerint, minusque sibi vinci ac strigare permiserint, admirabor & clamabo, Tanto melior surge & respira: & cliuum istum vno, si potes, spiritu exupera. Generosos animos labor nutrit. Non est ergo quòd ex illo veteri voto parentum tuórum eligas, quid contingere tibi velis, quid optes. & in totum, iam per maxima acto viro turpe est, etiamnum deos fatigare. Quid votis opus est? Fac te ipse felicem. facies autem, si intellexeris bona esse, quibus admixta est virtus: turpia, quibus malitia coniuncta est. Quemadmodum sine mixtura lucis nihil splendidum est: nihil atrum, nisi quod tenebras habet, aut aliquid in se traxit obscuri: quemadmodum sine adiutorio ignis, nihil calidum est, nihil sine aere frigidum: ita honesta & turpia virtutis & malitiae societas efficit. Quid ergo est bonum? rerum scientia. Quid malum est? rerum imperitia. Ille prudens atque artifex pro tempore quaeque repellet aut eliget. Sed nec quae repellit timet, nec miratur quae eligit, si modo magnus illi & inuictus animus est. Submitti te ac deprimi veto. laborem si non recuses, parum est. Posce. Quis ergo, inquis, labor friuolus & superuacuus est? In quem humiles causae vocauerint. non est malus, non magis quàm ille qui pulchris rebus impenditur: quoniam animi est ipsa tolerantia, quae se ad dura & aspera hortatur, & dicit: Quid cessas? Non est viri, timere sudorem. Huc & illud accedat, vt perfecta virtus sit aequalitas ac tenor vitae per omnia consonans sibi: quod non potest esse, nisi rerum scientia contingat, & ars, per quam diuina & humana noscantur. Hoc est summum bonum: quod si occupas, incipis deorum esse socius, non supplex. Quomodo, inquis, isto peruenitur? Non per Appenninum Graiumue montem, nec per deserta Candauiae: nec Syrtes tibi, nec Scylla, aut Charybdis adeundae sunt: quae tamen omnia transisti procuratiunculae pretio. Tutum iter est, iucundum est, ad quod natura te instruxit. Dedit tibi illa, quae si non deserueris, par Deo surges. Parem autem Deo pecunia non faciet. Deus nihil habet. Praetexta non faciet. Deus nudus est. Fama non faciet, nec ostentatio tui, & in populos nominis dimissa notitia. Nemo nouit Deum: multi de illo male existimant & impune. Non turba seruorum lecticam tuam per itinera vrbana ac peregrina portantium. Deus ille maximus potentissimusque ipse vehit omnia. Ne forma quidem & vires beatum te facere possunt. nihil horum non patitur vetustatē. Quaerendum est ergo quod non fiat in dies deterius, cui non possit obstari,

quo nil melius possit optari. Quid hoc est? animus: sed hic rectus, bonus, magnus. Quid aliud voces hunc, quàm [d] Deum in humano corpore hospitantem? Hic animus tam in equitem Romanum, quàm in libertinum, quàm in seruum, potest cadere. Quid est eques Romanus, aut libertinus, aut seruus? Nomina ex ambitione, aut ex iniuria nata. Subsilire in caelum ex angulo licet. Exurge modo, & te quoque dignum Finge Deo. Finges autem non auro, non argento. Non potest ex hac materia imago Deo exprimi similis. Cogita illos, cum propitij essent, fictiles fuisse.

Epistola XXXII.

INQVIRO in te, & ab omnibus sciscitor, qui ex ista regione veniũt, quid agas, vbi & cum quibus moteris. Verba dare non potes. tecum sum. Sic viue, tanquam quid facias auditurus sim: immo tanquam visurus. Quaeris, quid me maxime ex his quae de te audio, delectet? Quòd nihil audio, quòd plaerique ex his quos interrogo, nesciunt quid agas. Hoc est salutare, [a] non conuersari cum dissimilibus, & diuersa cupientibus. Habeo quidem fiduciam nõ posse te torqueri, mansurumque in proposito, etiam si solicitantium turba circumeat. Quid ergo est? non timeo ne immutent te. timeo ne impediant. Multum autem nocet & qui moratur, vtique in tanta breuitate vitae: quam breuiorem inconstantia facimus, aliud eius subinde atque aliud facientes initium. [b] Diducimus illam in particulas ac lancinamus. Propera ergo Lucili carissime, & cogita, quantum celeritati additurus fueris, si a tergo hostis instaret, si equitem aduentare suspicareris, ac fugientium premere vestigia. Fit hoc. premeris. accelera, & euade. perduc te in tutum, & subinde considera, quàm pulchra res sit consummare vitam ante mortem, deinde expectare securum reliquam temporis sui partem, in possessione beatae vitae positum: quae beatior non fit, si longior. O quando videbis illud tempus, quo scies tempus ad te non pertinere, quo tranquillus placidusque eris, & crastini negligẽs, & in summa tui satietate. Vis scire, quid sit quod faciat homines auidos futuri? [c] Nemo sibi contigit. Optauerunt tibi alia parentes tui: sed ego tibi contra, omnium tibi eorum contẽptum opto, quorum illi copiam. Vota illorum multos compilant, vt te locupletẽt. Quicquid ad te trãsferunt, alicui detrahendum est. Opto tibi tui facultatem, vt vagis cogitationibus agitata mens, tandem resistat, & certa sit: vt placeat sibi, & intellectis veris bonis, quae simul intellecta sunt, possidentur, aetatis adiectione non egeat. Ille demum necessitates supergressus est, & exauctoratus ac liber, qui viuit vita peracta.

Epistola XXXIII.

DESIDERAS his quoque epistolis, sicut prioribus, adscribi aliquas voces nostrorum procerum. Non fuerunt circa flosculos occupati. totus cõtextus illorum virilis est. Inaequalitatem scias esse, vbi quae eminent, notabilia sunt. Non est admirationi vna arbor, vbi in eandem altitudinem tota silua surrexit. Eiusmodi vocibus referta sunt carmina, refertae historiae. Itaque nolo Epicuri illas esse existimes. publicae sunt, & maxime nostrae. Sed in illo magis annotantur, quia rarae interueniunt, quia insperatae, quia mirum est aliquid fortiter dici ab homine mollitiem professo. Ita enim plaerique iudicant. Apud me vero Epicurus est & fortis, licet manulearus sit. Fortitudo, & industria, & ad bellum prompta mẽs, tam in Persas quàm in alte cinctos cadit. Non est ergo quòd exigas excerpta & repetita. Continuum est apud nostros, quicquid apud alios excerpitur. Non habemus itaque ista [a] odorifera, nec emptorem decipimus, nihil inuenturum cum intrauerit, praeter illa quae in fronte suspensa sunt. Ipsis permittimus vnde velint sumere exemplar. Putas nos velle singulares sententias ex turba separare? Cui illas assignabimus? Zenoni, an Cleanthi, an Chrysippo, an Panaetio, an Posidonio? Non sumus sub rege. sibi quisque se vindicat. apud istos quicquid dicit Hermachus, quicquid Metrodorus, ad vnum refertur. Omnia quae quisquam in illo contubernio locutus est, vnius ductu & auspiciis dicta sunt. Non possumus, inquam, ex tanta rerum aequalium copia, licet tentemus, aliquid educere.

Pauperis est numerare pecus.

Quocunque miseris oculum, id tibi occurrit quod eminere posset, nisi inter paria legeretur. Quare depone istam spem, posse te summatim degustare ingenia maximorum virorum. Tota tibi inspicienda sunt, tota tractãda. Res geritur, & per lineamenta sui ingenij opus nectitur, ex quo nihil subduci sine ruina potest. Nec recuso quo minus singula membra, dummodo in ipso homine, consideres. Non est formosa mulier, cuius crus laudatur aut brachiũ, sed illa cuius vniuersa facies admirationem singulis partibus abstulit. Si tamen exegeris, non tam mendice tecum agam: sed plena manu fiet. Ingens eorum turba est passim iacentium. Sumenda erunt, non colligenda. Non enim excidunt, sed fluunt perpetua, & inter se connexa sunt. Nec dubito, quin multum conferant rudibus adhuc, & extrinsecus auscul-

auscultantibus. Facilius enim singula insidunt circumscripta, & carminis modo inclusa. Ideo pueris & sententias ediscēdas damus, & has quas Graeci Chrias vocant: quia complecti eas puerilis animus potest: quia plus adhuc non capit certi profectus. Viro captare flosculos turpe est, & fulcire se notissimis & paucissi. vocibus, & memoria stare. Sibi iam innitatur. dicat ista, non teneat. Turpe est enim seni aut prospicienti senectutem, ex commentario sapere. Hoc Zeno dixit. tu quid? Hoc Cleanthes. tu quid? quousque sub alio moueris? Et impera, & dic, quod memoriae tradatur: aliquid & de tuo profer. Omnes itaque istos nunquā auctores, semper interpretes, sub aliena vmbra latentes, nihil puto habere generosi, nunquā ausos aliquando facere, quod diu didicerant. Memoriam in alienis exercuerunt. Aliud est, meminisse: aliud, scire. Meminisse, est rem commissam memoriae custodire. At contra scire, est, & sua facere quenque, nec ab exemplari pendere, & toties ad magistrum respicere. Hoc dicit Zeno, hoc Cleanthes. Aliquid intersit inter te & librum. Quousque disces? iam & praecipe. Quid est, quare audiam, quod legere possum? Multum, inquit, viua vox facit. Non quidem haec, quae alienis verbis commendatur, & actuarij vice fungitur. Adiice nunc, quòd isti qui nunquam tutelae suae fiunt, primum in ea re sequuntur priores, in qua nemo non a priore desciuit: deinde in ea re sequuntur, quae adhuc quaeritur. Nunquam autem inuenietur, si contenti fuerimus inuentis. Praeterea qui alium sequitur, nihil sequitur, nihil inuenit, immo nec quaerit. Quid ergo? non ibo per priorum vestigia? Ego vero vtar via veteri: sed si propiorem inuenero, hanc muniam. Qui ante nos ista mouerunt, non domini nostri, sed duces sunt. Patet omnibus veritas, nondum est occupata. Multum ex illa etiam futuris relictum est.

Epistola XXXIIII.

CRESCO & exulto, & discussa senectute recalesco, quoties ex his quae agis & scribis, intelligo quantum te ipse (nam turbam olim reliqueras) supergrederis. Si agricolam arbor ad fructum perducta delectat, si pastor ex fetu gregis sui capit voluptatem, si alumnū suum nemo aliter intuetur quàm vt adolescentiam illius suam iudicet: quid euenire credis his qui ingenia educauerunt, & quae tenera formauerunt, adulta subito vident? Assero te mihi. meum opus es. Ego cum vidissem indolem tuam, inieci manum, exhortatus sum, addidi stimulos, nec lente ire passus sum, sed subinde incitauit: & nunc idem facio. Sed iam currentem hortor & inuicem hortantem. Quid, aliud, inquis, adhuc volo? In hoc plurimum est. Non sic quomodo principia totius operis dimidium occupare dicuntur, ita res animo constat.[a] pars magna bonitatis est, velle fieri bonum. Scis quem dicam bonum? Perfectum, absolutum, quem malum facere nulla vis, nulla necessitas possit. Hunc in te prospicio, si perseueraueris & incubueris, & id egeris, vt omnia facta dictaque tua inter se congruant ac respondeant sibi, & vna forma percussa sint. Non est huius animus in recto,[b] cuius acta discordant.

Epistola XXXV.

CVM te tam obnixe rogo vt studeas, meum negotium ago. habere amicum volo: quod contingere mihi (nisi pergas excolere te, vt coepisti) non potest. Nunc enim amas me. amicus non es. Quid ergo? haec inter se diuersa sunt? immo dissimilia. Qui amicus est, amat: qui amat, non vtique amicus est. Itaque amicitia semper prodest. Amor etiam aliquando nocet. Si nihil aliud, ob hoc profice, vt amare discas. Festina ergo, dum mihi proficis, ne istuc alteri didiceris. Ego quidem percipio iam fructum, cum mihi fingo vno nos animo futuros, & quicquid aetati meae vigoris abscessit, id ad me ex tua, quanquam non multum abest, rediturum.[a] Sed tamen re quoque ipsa laetus esse volo. Venit ad nos ex his quos amamus etiam absentibus gaudium: sed id leue & euanidum. Conspectus, & praesentia, & conuersatio aliquid haber viuae voluptatis: vtique si non tantum quem velis, sed qualem velis videas. Affer itaque te mihi ingens munus: & quo magis instes, cogita me senem esse, te mortalē.[b] Propera ad me, sed ad te prius. profice, & ante omnia hoc cura, vt constes tibi. Quoties experiri voles, an aliquid actum sit, obserua an eadem velis hodie quae heri. Mutatio voluntatis indicat animum natare alibi, atque alibi apparere, prout tulit ventus. Non vagatur quod est fixum & fundatum. Istud sapienti perfecte contingit, aliquatenus & proficienti prouectoque. Quid ergo interest? Hic commouetur quidem, non tamen transit, sed suo loco nutat: ille nec commouetur quidem.

Epistola XXXVI.

A[a]MICVM tuum hortare, vt istos magno animo contemnat, qui illum obiurgant, quòd vmbram & otium petierit, quòd dignitatem suam destituerit, & cum plus consequi posset, praetulerit quietem omnibus. Quàm vtiliter negotium suum gesserit, quotidie illis

ostendet. Hi quibus inuidetur, non desinent transire. Alij elidentur, alij cadent. Res est inquieta, felicitas. Ipsa se exagitat, mouet cerebrum, non vno genere. Alios in aliud irritat: hos in potentiam, illos in luxuriam: hos inflat; illos mollit, & totos resoluit. At bene aliquis illam fert. sic, quomodo vinum. Itaque non est quòd tibi isti persuadeant, eum esse felicem, qui a multis obsidetur. Sic ad illum, quemadmodum ad lacum, concurritur, quem exhauriunt & turbant. Nugatorium & inertem vocant. Scis quosdam peruerse loqui, & signare contraria. Felicem vocabant. Quid ergo? Erat? Ne illud quidem curo, quod quibusdam nimis horridi animi videtur & taetrici.[a] Ariston aiebat, malle se adolescentem tristem, quàm hilarem & amabilem turbae. Vinum enim fieri bonum, quod recens durum & asperum visum est: non pati aetatem, quod in dolio placuit. Sine eum tristem appellent, & inimicum processibus suis. bene se dabit in vetustate ipsa tristitia, perseueret modo colere virtutem, [y] perbibere liberalia studia, non illa quibus perfundi satis est, sed haec quibus tingendus est animus. hoc est discendi tempus. Quid ergo? aliquod est, quo non sit discendum? Minime. Sed quemadmodum omnibus annis studere honestum est: ita non omnibus institui. Turpis & ridicula res est elementarius senex. Iuueni parandum, seni vtendum est. Facies ergo tē vtilissimā tibi, si illum quamoptimum feceris. Haec aiunt beneficia esse expetenda tribuendaque, non dubiae primae sortis, quae tam prodest dare quàm accipere. [a] Denique nihil illi iam liberum est. Spopondit. Minus autem turpe est creditori, quàm spei bonae decoquere. Ad illud aes alienum soluendum, opus est negotianti nauigatione prospera, agrum colenti vbertate eius quam colit terrae, & caeli fauore. Ille quod debet, sola potest volūtate persoluere. In mores fortuna ius non habet. Hos disponat: vt quàm tranquillissimus ille animus ad perfectum veniat. qui nec ablatum sibi quicquam sentit, nec adiectum, sed in eodem habitu est, quocunque res cadunt. Cui siue aggeruntur vulgaria bona, supra res suas eminet: siue aliquid ex istis vel omnia casus excussit, minor non fit. Si in Parthia natus esset, arcum infans statim tenderet. Si in Germania, protinus puer tenerum hastile vibraret. Si auorum nostrorum temporibus fuisset, equitare, & hostem cominus percutere didicisset. Haec singulis disciplina gentis suae suadet & imperat. Quid ergo huic meditandum est? quod aduersus omnia tela, quod aduersus omne hostium genus bene facit, mortem contemnere: quae quin habeat in se aliquid terribile, vt & animos nostros (quos in amorem sui natura formauit) offendat, nemo dubitat: [b] nec eum necesse esset in id comparari & acui, in quod instinctu quodam voluntario iremus, sicut feruntur omnes ad conseruationem sui. Nemo discit, vt, si necesse fuerit, aequo animo in rosa iaceat: sed in hoc duratur, vt tormentis non submittat fidem, vt, si necesse fuerit, stans etiam aliquando saucius, pro vallo peruigilet, & ne pilo quidē incumbat: quia solet obrepere interim somnus in aliquod adminiculum reclinatis. Mors nullum habet incommodum. Esse enim debet aliquid, cuius sit incommodum. Quòd si tanta cupiditas longioris aeui te tenet, cogita nihil eorum quae ab oculis abeunt, & in rerum naturam, ex qua prodierunt ac mox processura sunt, reconduntur, consumi. Desinunt ista, non pereunt. Et mors, quam pertimescimus ac recusamus, intermittit vitam, non eripit. [c] veniet iterum qui nos in lucem reponat dies, quem multi recusarent, nisi oblitos reduceret. Sed postea diligentius docebo, omnia quae videntur perire, mutari. AEquo animo debet rediturus exire. Obserua orbem rerum in se remeantium. videbis in hoc mundo nihil extingui, sed vicibus descendere ac resurgere. AEstas abit, sed alter annus illam adducit: hiems cecidit: referent illam sui menses. Solem nox obruit, sed ipsam statim dies abiget. Stellarum iste discursus, quicquid praeterierit, repetit. pars caeli leuatur assidue, pars mergitur. Denique finem faciam, si hoc vnum adiecero, nec infantes, nec pueros, nec mente lapsos, timere mortem: & esse turpissimum, si eam securitatem nobis ratio non praestat, ad quam stultitia perducit.

Epistola XXXVII.

QVOD maximum vinculum est ad bonam mentem, promisisti virum bonum. [a] Sacramento rogatus es. Decipit si quis tibi dixerit, mollem esse militiam & facilem. Nolo te decipi. Eadem honestissimi huius & illius turpissimi auctoramenti verba sunt, [b] vri virgis ferroque necari. Ab illis qui manus arenae locant, & edunt ac bibunt, quae per sanguinem reddant, cauetur vt ista vel inuiti patiantur: a te, vt volens libensque patiaris. Illis licet arma submittere, misericordiam populi tentare. Tu neque submittes, nec vitam rogabis. Recto tibi inuictoque moriendum est. Quid porro prodest, paucos dies aut annos lucrifacere? Sine missione nascimur. Quomodo ergo, inquis, me expediam? Effugere non potes necessitates: potes vincere. Fiat via, & hanc tibi viam dabit philosophia. ad hanc te confer, si vis saluus esse, si securus, si beatus. Denique si vis esse, quod est maximum, liber.

Hoc

Hoc contingere aliter non potest. Humilis res est stultitia, abiecta, sordida, seruilis, multis affectibus & saeuissimis subiecta. Hos tam graues dominos, interdum alternis vicibus imperantes, interdum pariter, dimittit a te sapientia, quae sola libertas est. Vna ad hanc fert via, & quidem recta. Non aberrabis. vade certo gradu. Si vis tibi omnia subiicere, te subiice rationi. multos reges, si ratio te rexerit. Ab illa disces, quid & quemadmodum aggredi debeas. non incides rebus. Neminem mihi dabis, qui sciat quomodo quod vult coeperit velle. Non consilio adductus vllo, sed impetu impactus est. Non minus saepe fortuna in nos incurrit, quàm nos in illam. Turpe est non ire, sed ferri: & subito in medio turbine rerum stupentem quaerere: Huc ego quemadmodum veni?

Epistola XXXVIII.

MERITO exigis, vt hoc inter nos epistolarum commerciũ frequentemus. Plurimũ proficit sermo, qui minutatim irrepserit animo. Disputationes praeparatae [a] & effusae audiente populo, plus habent strepitus, minus familiaritatis. Philosophia bonum consilium est. Consilium nemo clamore dat. Aliquãdo vtendum est & illis, vt ita dicam, concionibus; vbi qui dubitat, impellendus est. Vbi vero non hoc agendum est, vt velit discere, sed vt discat, ad haec submissiora verba veniendum est. Facilius intrant, sed haerẽt. Nec enim multis opus est, sed efficacibus. Seminis modo spargenda sunt: quod quamuis sit exiguum, cum occupauit idoneum locum, vires suas explicat, & ex minimo in maximos actus diffunditur. [b] Idem facit ratio: non late patet, si aspicias: in opere crescit. Pauca sunt quae dicuntur: sed si illa animus bene exceperit, conualescunt & exurgunt. Eadem est, inquam, praeceptorum condicio, quae seminum. Multum efficiunt, & si angusta sunt: tantum, vt dixi, idonea mens rapiat illa, & in se trahat. Multa inuicem & ipsa generabit, & plus reddet, quàm acceperit.

Epistola XXXIX.

COMMENTARIOS quos desideras, diligenter ornatos, & in angustũ coactos, ego vero cõponam: sed vide ne plus profectura sit oratio ordinaria, quàm haec quae nunc vulgo breuiarium dicitur. Olim cum Latine loqueremur, summarium vocabatur. Illa res discẽti magis necessaria est: haec scienti. Illa enim docet, haec admonet. Sed vtriusque rei tibi copiam faciam. Tu à me, non est quòd illum aut illum exigas. [c] Qui nototem dat, ignotus est. Scribam ego quod vis, sed meo more. Interim multos habes, quorum scripta nescio an satis ordinent. Sume in manus indicem philosophorum. Haec ipsa res expergisci te coget. Si videris quàm multi tibi laborauerint, concupisces & ipse ex illis vnus esse. Habet enim hoc in se generosus animus, quòd concitatur ad honesta. Neminem excelsi ingenij virum humilia delectant & sordida: magnarum rerum species ad se vocat & extollit. Quemadmodum flamma surgit in rectum, iacere ac deprimi nõ potest, non magis quàm quiescere: ita noster animus in motu est, eo mobilior & actuosior, quo vehemẽtior fuerit. Sed felix qui ad meliora hunc impetum dedit. Ponet se extra ius ditionemque fortunae. Secunda temperabit, aduersa comminuet, aliis admiranda despiciet. Magni animi est, [d] magna contemnere, ac mediocria malle, quàm nimia. Illa enim vtilia sunt: ad haec eo quòd superfluunt, nocent. Sic segetem nimia sternit vbertas: sic rami onere franguntur: sic ad maturitatem non peruenit nimia fecunditas. Idem animis quoque euenit, quos immoderata felicitas rumpit: qua non tantum in aliorum iniuriam, sed etiam in suam vtuntur. Quis hostis in quenquam tam contumeliosus fuit, quàm in quosdam voluptates suae sunt? quorum impotentiae atque insanae libidini ob hoc vnum possis ignoscere, quod quae fecere, patiuntur. Nec immerito hic illos furor vexat. Necesse est in immensum exeat cupiditas, quae naturalem modum trãsiliit. Illa enim habet suum finem: inania, & ex libidine orta sine termino sunt. Necessaria metitur vtilitas. superuacua quo redigis? Voluptatibus vtique se immergunt, quibus in consuetudinẽ adductis carere non possunt: & ob hoc miserrimi sunt, quòd eo perueniunt, vt illis quae superuacua fuerant, facta sint necessaria. seruiunt itaque voluptatibus suis, non fruuntur: & mala sua, quod malorum vltimum est, amant. Tunc autem consummata est infelicitas, vbi turpia non solum delectant, sed etiam placent: & desinit esse remedio locus, vbi quae fuerant vitia, mores sunt.

Epistola XL.

Q [e] VOD frequenter mihi scribis, gratias ago. Nam quo vno modo potes, te mihi ostendis. Nunquam epistolam tuam accipio, vt non protinus vna simus. Si imagines nobis amicorum absentium iucundae sunt, quae memoriam renouant, & desiderium absentiae, falso atque inani solatio leuant: quanto iucundiores sunt litterae quae vera amici absentis vestigia, veras notas afferunt? Nam quod in conspectu dulcissimum est, id amici manus epistolae impressa praestat agnoscere. Audisse te scribis, Serapionem philosophum, cum istuc

applicuisset, solere magno cursu verba conuoluere, [a] quae non effundit, sed premit & vrget. Plura enim veniunt, quàm quibus vox vna sufficiat. hoc noo probo in philosopho, cuius pronuntiatio quoque, sicut vita, debet esse composita. Nihil autem ordinatum est, quod praecipitatur & properat. Itaque oratio illa apud Homerum concitata, & sine intermissione in morem niuis superueniens, oratori data est: at lenis & melle dulcior seni profluit. Sic itaque habe, vt istam vim dicendi rapidam atque abundantem, aptiorem esse circulanti iudices, quàm agenti rem magnam ac seriam, docentique. AEque stillare illam nolo, quàm currere. Nec extendat aures, nec obruat. Nam illa quoque inopia & exilitas minus intentum auditorem habet, taedio interruptae tarditatis. Facilius tamen insidit quod expectatur, quàm quod praeteruolat. Denique tradere homines discipulis praecepta dicuntur. Non traditur quod fugit. Adiice nunc, quòd quae veritati operam dat oratio, incomposita debet esse & simplex. Haec popularis nihil habet veri: mouere vult turbam, & inconsultas aures impetu rapere. tractandam se non praebet: aufertur. Quomodo autem regere potest, quae regi non potest? Quid quòd haec oratio, quae sanandis mentibus adhibetur, descendere in nos debet? Remedia non prosunt, nisi immorentur. Multum praeterea habet inanitatis & vani: plus sonat quàm valet. Lenienda sunt quae me exterrent, compescenda quae irritant, discutienda quae fallunt: inhibenda luxuria, corripieoda auaritia. Quid horum raptim potest fieri? Quis medicus aegros in transitu curat? Quid quod ne voluptatem quidem vllam habet, talis verborum sine delectu ruentium strepitus? Sed vt pleraque quae fieri posse non crederes, cognouisse satis est, sic istos qui verba exercuerunt, abunde est semel audisse. Quid enim quis discere, quid imitari velit, quid de eorum animo iudicet, quorum oratio perturbata & admissa est, nec potest reprimi? Quemadmodum per procliue currentium, non vbi visum est, gradus sistitur, sed incitato corporis pondere se rapit, ac longius quàm voluit effertur: sic ista dicendi celeritas nec in sua potestate est, nec satis decora philosophiae: quae ponere debet verba, non proiicere, & pedetentim procedere. Quid ergo? non aliquando & insurget? Quid ni? sed salua dignitate morum: quam violenta ista & nimia vis exuit. Habeat vires magnas, moderatas tamen: perennis sit vnda, non torrens. Vix oratori permiserim talem dicendi velocitatem, irreuocabilem, ac sine lege vadentem. Quemadmodũ enim iudex subsequi poterit, aliquando etiam imperitus ac rudis: tum quoque cũ illum aut ostentatio abstulerit, aut effectus impotens sui? tantum festinet atque ingerat, quantum aures pati possunt. Recte ergo facies, si non videris istos, qui quantum dicant, non quemadmodum, quaerunt: & ipse malueris aliquando si necesse est, vel iuxta P. Vinicium dicere: qui cum quaereretur, quomodo diceret, Asellius ait, tractim. Nam Geminus Varius ait: quomodo istum disertum dicatis, nescio: tria verba non potest iungere. Quid ni malis tu sic dicere, quomodo Vinicius? Aliquis tam insulsus interuenerit, qui illi singula verba vellenti, tamquã dictaret, non diceret, ait: Dic, vel nunquam dicas. [a] Namque Haterij cursum suis temporibus oratoris celeberrimi, longe abesse ab homine sano volo. Nunquam dubitauit, nunquam intermisit: semel incipiebat, semel desinebat. quaedam tamen & nationibus puto magis aut minus conuenire. In Graecis hanc licentiam tuleris. [a] Nos etiam cum scribimus, interpungere consueuimus. Cicero quoque noster, [b] a quo Romana eloquentia extitit, gradarius fuit. Romanus sermo magis se circumspicit, & aestimat, & praebet aestimandum. Fabianus vir egregius & vita & scientia, &, quod post ista est, eloquentia quoque, disputabat expedite magis, quàm concitate: vt posses dicere, facilitatem esse illam, non celeritatem. Hanc ego in viro sapiente recipio, non exigo, vt oratio eius sine impedimento exeat: proferatur tamen malo, quàm profluat. Eo autem magis te deterreo ab isto morbo, quòd non potest tibi ista res contingere aliter, quàm si te pudere desierit. Perfrices frontem oportet, & ipse te non audias. Multa enim inobseruatus ille cursus feret, quae reprehendere velis. Non potest, inquam, tibi contingere res ista, salua verecundia. Praeterea exercitatione opus est quotidiana, & a rebus studium transferendum est ad verba. Haec autem etiam si aderunt, & poterũt sine vllo tuo labore decurrere, tamen temperanda sunt. Nam quemadmodum sapienti viro incessus modestior conuenit, ita oratio pressa, non audax. Summa ergo summarum haec erit: tardiloquum te esse iubeo.

Epistola XLI.

F[a]ACIS rem optimam, & tibi salutarem, si, vt scribis, perseueras ire ad bonam mentem: [a] quàm stultum est optare, cum possis a te impetrare. Non sunt ad caelum eleuandae manus, nec exorandus aedituus, vt nos ad aures simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat. Prope est a te Deus. tecum est. intus est. Ita dico, Lucili, sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum obseruator & custos: hic prout a nobis tractatus est, ita

nos

nos ipse tractat. Bonus vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam nisi ab illo adiutus exurgere? Ille dat consilia magnifica, & erecta. In vnoquoque virorum bonorum (Quis Deus, incertum est) habitat Deus. Si tibi occurrit vetustis arboribus & solitā altitudinem egressis frequens lucus, & conspectum caeli densitate ramorum aliorum alios protegentium submouens, illa proceritas siluae, & secretum loci, & admiratio vmbrae, in aperto tam densae atque continuae, fidem tibi numinis facit. Et si quis specus saxis penitus exesis montem suspenderit, non manufactus, sed naturalibus causis in tantam laxitatem excauatus, animum tuum quadam religionis suspicione percutiet. Magnorum fluminum capita veneramur: subita ex abdito vasti amnis eruptio aras habet. Coluntur aquarum calentiū fontes: & stagna quaedam, vel opacitas, vel immensa altitudo sacrauit. Si hominem videris interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter aduersa felicem, in mediis tempestatibus placidum, ex superiore loco homines videntem, ex aequo deos: non subibit te veneratio eius? Non dices: Ista res maior est altiorque, quàm vt credi similis huic, in quo est, corpusculo possit? Vis istuc diuina descendit: animum excellentem, moderatum, omnia tanquam minora transeuntem, quicquid timemus optamusque ridentem, coelestis potentia agitat. Non potest res tanta sine adminiculo numinis stare. Itaque maiore sui parte illic est, vnde descendit. Quemadmodum radij solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt vnde mittūtur: sic animus magnus & sacer, & in hoc demissus vt propius diuina nossemus, conuersatur quidem nobiscum, sed haeret origini suae. Illinc pendet: illuc spectat ac nititur: nostris tanquam melior interest. Quis est ergo hic? animus qui nullo bono nisi suo nitet. Quid enim est stultius, quàm in homine aliena laudare? Quid eo dementius, qui ea miratur, quae in alium protinus transferri possint? Non faciunt meliorem equum aurei fraeni. Aliter leo aurata iuba nitet, dum contrectatur, & ad patientiam recipiendi ornamenta cogitur fatigatus: aliter incultus, integri spiritus. Hic scilicet impetu acer, qualem illum esse natura voluit, speciosus ex horrido, cuius hic decor est, non sine timore aspici, praefertur illi languido, & bracteato. Nemo gloriari nisi suo debet. Vitem laudamus, si fructu palmites onerat, si ipsa ad terram, pondere eorum quae tulit, adminicula deducit. Num quis huic illam praeferet vitem, cui aureae vuae, aurea folia dependent? Propria virtus est in vite fertilitas. In homine quoque id laudandum est, quod ipsius est. Familiam pulchram habet, & domum pulchram: multum serit, multum fenerat. nihil horum in ipso est, sed circa ipsum. Lauda in ipso, quod nec eripi potest, nec dari: quod proprium est hominis. Quaeris quid sit? Animus, & ratio in animo perfecta. Rationale enim animal est homo. Consummatur itaque eius bonum, si id adimpleuit cui nascitur. Quid est autem quod ab illo ratio haec exigit? Rem facillimam, secundum naturam suam viuere: sed hanc difficilem facit communis insania. In vitia alter alterum trudimus. Quomodo autem ad salutem reuocari possunt, quos nemo retinet, populus impellit?

Epistola XLII.

IAM tibi iste persuasit, se virum bonum esse. Atqui vir bonus tam cito nec fieri potest, nec intelligi. Scis quem nunc virum bonum dicam? huius secundae notae. Nam ille alter fortasse tanquam phoenix semel anno quingentesimo nascitur: nec est mirum, ex interuallo magna generari. Mediocria & in turbam nascentia, saepe fortuna producit: eximia vero, ipsa raritate commendat. Sed iste multū adhuc abest ab eo quod profitetur: & si sciret quid esset vir bonus, nondum se esse crederet: fortasse etiam fieri posse desperaret. At male existimat de malis. Hoc etiam mali faciunt. nec vlla maior poena nequitiae est, quàm quòd sibi ac suis displicet. At odit eos qui subita & magna potentia insolenter vtuntur. Idem faciet, cum idem poterit. Multorum quia imbecilli sunt, latent vitia: non minus ausura, cum illis vires suae placuerint, quàm illa quae iam felicitas aperuit. Instrumenta illis explicandae nequitiae desunt. Sic tuto serpens etiam pestifera tractatur, dum riget frigore. Non desunt tūc illi venena, sed torpēt. Multorum crudelitas, & ambitio, & luxuria, ne paria pessimis audeat, fortunae fauore deficitur. Eadem velle eos cognosces. da posse quantum volunt. Meministi cum quendam affirmares esse in tua potestate, dixisse me, volaticum esse ac leuem, & te non pedem eius tenere, sed pennam. Mentitus sum: pluma tenebatur, quam remisit & fugit. Scis quos postea exhibuerit tibi ludos, quàm multa in caput suum casura tentauerit. Non videbat se per aliorum pericula in suum tuere, non cogitabat quàm onerosa essent quae petebat, etiam si superuacua non essent. Hoc itaque in his quae affectamus, ad quae labore magno cōtendimus, inspicere debemus, aut nihil in illis commodi esse, aut plus incommodi. Quaedam superuacua sunt, quaedam tanti non sunt. Sed haec non peruidemus. & gratuita nobis videntur, quae carissime constant. Ex eo licet stupor noster appareat, quòd ea sola putamus

emi, pro quibus pecuniam soluimus: ea gratuita vocamus, pro quibus nosipsos impendimus. Quae emere nollemus, si domus nobis nostra pro illis esset danda, si amoenum aliquod fructuosumve praedium: ad ea parati sumus peruenire cum solicitudine, cum periculo, cum iactura pudoris, & libertatis, & temporis. Adeo nihil est cuique se vilius. Idem itaque in omnibus cósiliis rebusque faciamus, quod solemus facere, quoties ad institoré alicuius mercis accessimus. videamus, hoc quod concupiscimus quanti deferatur. Saepe maximum pretium est, pro quo nullum datur. Multa possum tibi ostendere, quae acquisita acceptaque, libertatem nobis extorserunt. Nostri essemus, si ista nostra non essent. Haec ergo tecum ipse versa, non solum vbi de incremento agetur, [a] sed etiam vbi de iactura. Hoc periturum est. Nempe aduenticium fuit. tam facile sine isto viues, quàm vixisti. Si diu illud habuisti, [b] perdis postquam satiatus es. si non diu, perdis antequam assuescas. Pecuniam minorem habebis: nempe & molestiam: gratiam minorem: nempe & inuidiam. Circumspice ista quae nos agunt in insaniam, quae cum plurimis lacrymis amittimus. Scies non damnum in his molestum esse, sed opinionem damni. Nemo illa perisse sentit, sed cogitat. Qui se habet, nihil perdidit. Sed quoto cuique habere se contigit?

Epistola XLIII.

QVOMODO hoc ad me peruenerit, quaeris, quis mihi id te cogitare narrauerit, quod tu nulli narraueras. Is qui scit plurimum, rumor. Quid ergo, inquis, tantus sum, vt possim excitare rumorem? Non est quòd te ad hunc locum respiciens metiaris: ad istum respice, in quo moraris. Quicquid inter vicina eminet, magnum est illic vbi eminet. Nam magnitudo non habet certum modum: comparatio illam aut tollit, aut deprimit. Nauis quae in flumine magna est, in mari paruula est. [a] Gubernaculum quod naui alteri magnum, alteri exiguum est. Tu nunc in prouincia, licet contemnas ipse te, magnus es. Quid agas, quemadmodum coenes, quemadmodum dormias, quaeritur, scitur. [b] Eo tibi diligentius viuendum est. Túc felicem te esse iudica, cum poteris in publico viuere, cum te parietes tui tegent, non abscondent: quos plerunque circundatos nobis iudicamus, nó vt tutius viuamus, sed vt peccemus occultius. Rem dicam, ex qua mores aestimes nostros. vix quemquam inuenies, qui possit aperto ostio viuere. Ianitores conscientia nostra, non superbia opposuit. Sic viuimus, vt deprehendi sit, subito aspici. Quid autem prodest recondere se, & oculos hominum auresque vitare? Bona conscientia turbam aduocat, mala etiam in solitudine anxia atque solicita est. Si honesta sunt quae facis, omnes sciant: si turpia, quid refert neminem scire, cum tu scias? O te miserum, si contemnis hunc testem.

Epistola XLIIII.

ITERVM tu mihi te pusillum facis, & dicis, malignius tecũ egisse naturã prius, deinde fortunam, cum possis te eximere vulgo, & ad felicitatem omnium maximam emergere. Si quid aliud est in philosophia boni, hoc est, quòd stemma non inspicit. Omnes si ad primam originem reuocentur, a diis sunt. Eques Romanus es, & ad hunc ordinem tua te perduxit industria. At mehercules multis quartuordecim gradus sunt clausi. Nó omnes curia admittit. Castra quoque quos ad laborem & periculum recipiunt, fastidiose legunt. Bona mens omnibus patet: omnes ad hoc sumus nobiles. Nec reiicit quemquam philosophia, nec eligit: omnibus lucet. Patricius Socrates non fuit. Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locauit manus. Platonem non accepit nobilem philosophia, sed fecit. Quid est quare desperes his te posse fieri parem? Omnes hi maiores tui sunt, si te illis geris dignum. Geres auté, si hoc protinus tibi persuaseris, a nullo te nobilitate superari. Omnibus nobis totidem ante nos sunt. nullius non origo vltra memoriam iacet. Plato ait, Neminem regem non ex seruis esse oriundum, neminem non seruum ex regibus. Omnia ista longa varietas miscuit, & sursum deorsum fortuna versauit. Quis ergo generosus? Ad virtutem bene a natura compositus. Hoc vnum est intuendum. Alioqui si [a] ad vetera reuocas, nemo non inde est, ante quod nihil est. A primo mundi ortu vsque in hoc tempus perduxit nos ex splendidis sordidisque alternata series. Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus. Nemo in nostram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit, nostrum est. Animus facit nobilem: cui ex quacunque condicione supra fortunam licet surgere. Puta itaque te non esse equitem Romanum, sed libertinum: potes hoc consequi, vt solus sis liber inter ingenuos. Quomodo? inquis. Si mala bonaque non populo auctore distinxeris. Intuendum est, non vnde veniant, sed quo cant. Si quid est quod beatam vitam potest facere, id bonum est suo iure: deprauari enim in malũ non potest. Quid est ergo in quo erratur? Cum omnes beatã vitam optẽt, quod instrumenta eius pro ipsa habent, & illam dũ petunt, fugiunt. Nam cum summa beatae vitae sit solida tranquillitas, & eius inconcussa fiducia, solicitudinis colligunt causas, & per insidiosum iter

iter vitae non tantum ferunt sarcinas, sed trahunt. Ita longius ab effectu eius quod petunt, semper abscedunt, & quo plus operae impendunt, hoc se magis impediunt: feruntur retro. Quod euenit in labyrintho properantibus: ipsa illos velocitas implicat.

Epistola XLV.

L'IBRORVM istic inopiam esse quereris. Non refert quàm multos, sed quàm bonos habeas. Lectio certa prodest, varia delectat. Qui quo destinauit, peruenire vult, vnam sequatur viam, non per multas vagetur. Non ire istud, sed errare est. ' Vellem, inquis, magis libros mihi quàm consilium dares. Ego vero quoscunque habeo mittere paratus sum, & totũ horreum excutere: me quoque isto si possem, transferrem, & nisi matute te finem officij sperarem impleturum, hanc senilem expeditionem indixissem mihi: nec me Charybdis, & Scylla, & fabulosum istud fretum deterrere potuisset. Transnatassem ista, non solum traiecissem, dummodo te complecti possem, & praesens aestimare quantum animo creuisses. Ceterum quòd libros meos tibi mitti desideras, non magis ideo me disertum puto, quàm formosum putarem, si imaginem meam peteres. Indulgentiae scio istud esse, non iudicij: & si modo iudicij est, indulgẽtia tibi imposuit. Sed qualescunque sunt, tu illos sic lege, tamquam verum quaeram adhuc, non sciam, & contumaciter quaeram. Non enim me cuiquam mãcipaui, nullius nomen fero: multum magnorum virorum iudicio credo, aliquid & meo vindico. Nam illi quoque non inuenta, sed quaerenda nobis reliquerunt: & inuenissent forsitan necessaria, nisi & superflua quaesissent. Multum illis temporis verborum cauillatio eripuit, & captiosae disputationes, quae acumen irritum exercent. Nectimus nodos, & ambiguam significationem verbis alligamus, deinde dissoluimus: ac tantum nobis vacat iam viuere, iam mori scimus. Tota illo mente pergendum est, vbi prouideri debet, ne res nos, non verba, decipiant. Quid mihi vocum similitudines distinguis, quibus nemo vnquam nisi dũ disputat, captus est? Res fallunt. illas discerne. Pro bonis mala amplectimur. Optamus contra id quod optauimus: pugnant vota nostra cum votis, consilia cũ consiliis. Adulatio quàm similis est amicitiae? Non imitatur tantum illam, sed vincit & praeterit: apertis & propitiis auribus recipitur, & in praecordia ima descendit, eo ipso gratiosa quo laedit. Doce quemadmodum hanc similitudinem dignoscere possim. venit ad me pro amico blãdus inimicus. vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt. Temeritas sub titulo fortitudinis latet. Moderatio vocatur ignauia, pro cauto timidus accipitur. In his magno periculo erratur. his certas notas imprime. Ceterum qui interrogatur, an cornua habeat, non est tam stultus, vt frontem suam tentet: nec rursus tam ineptus aut hebes, vt non habere se nesciat, quod tu illi subtilissima collectione persuaseris. Sic ista sine noxa decipiunt, quomodo ' praestigiatorũ acetabula & calculi, in quibus fallacia ipsa delectat. Effice, vt quomodo fiat intelligam.' perdidi vsum. Idem de istis captionibus dico: quo enim nomine potius sophismata appellem? nec ignoranti nocent, nec scientem iuuant. Si vis vtique verborum ambiguitates diducere, hoc nos doce, beatum non eum esse, quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit: sed illum, cui bonum omne in animo est, erectum, & excelsum, & mirabilia calcantem: qui neminem videt, cum quo se commutatum velit: qui hominem ea sola parte aestimat, qua homo est: qui natura magistra vtitur, ad illius leges componitur, sic viuit, quomodo illa praescripsit: cui bona sua nulla vis excutit: qui mala in bonum vertit, certus iudicij, inconcussus, intrepidus: quem aliqua vis mouet, nulla perturbat: quem fortuna, cum in eum quod habuit telum nocentissimum, vi maxima intorsit, pongit, non vulnerat, & hoc raro. Nam cetera eius tela, quibus genus humanum debellatur, grandinis more dissultant: quae incussa tectis, sine vllo habitatoris incommodo crepitat, ac soluitur. Quid me detines in eo, quem tu ipse pseudomenon appellas, de quo tantum librorum compositum est? Ecce tota mihi vita mentitur: hanc coargue, hanc ad verum, si acutus es, redige. Necessaria iudicat, quorum magna pars superuacua est: etiam quae non est superuacua, nihil in se momenti habet in hoc, vt possit fortunarum beatumque praestare. Non enim statim bonum est, si quid necessarium est. At proiicimus bonum, si hoc nomen pani aut polentae damus, & ceteris sine quibus vita non ducitur. Quod bonum est, vtique necessarium est: quod autem necessarium est, non statim bonum est: quoniam quaedam necessaria sunt, eadem vilissima. Nemo vsque eo dignitatem boni ignorat, vt illud ad haec in diem vtilia demittat. Quid ergo? non eo potius curam transferes, vt ostendas omnibus, magno temporis impendio quaeri superuacua, & multos transisse vitam, dum vitae instrumenta conquirunt? Recognosce singulos: considera vniuersos. nullius non vita spectat in crastinum. Quid in hoc sit mali, quaeris? Infinitum. non enim viuunt, sed victuri sunt: omnia differunt. Etiam si attenderemus, tamen nos vita praecurreret: nunc vero cunctantes quasi aliena transcurrit, & vltimo die finitur,

omni perit. Sed ne epistolae modum excedam, quae non debet sinistram manum legentis implere, in alium diem hanc litem cum dialecticis differam, nimium subtilibus, [a] & hoc solum curantibus, Non & hoc.

Epistola XLVI.

LIBRVM tuum quem mihi promiseras, accepi, & tanquam lecturus ex commodo adaperui, ac tantum degustare volui. Deinde blanditus est ipse, vt procederem longius: qui quàm disertus fuerit, ex hoc intelligas licet. breuis mihi visus est, cum esset nec mei, nec tui temporis, sed qui primo aspectu aut T. Liuij, aut Epicuri posset videri: tanta autem dulcedine me tenuit & traxit, vt illum sine vlla dilatione perlegerem. Sol me inuitabat, fames admonebat, nubes minabantur. tamen exhausi totum. Non tantum delectatus, sed gauisus sum. Quid ingenij iste habuit? quid animi? dicerem, quid impetus, si interquieuisset, si interuallo surrexisset. Nunc non fuit impetus, sed tenor, compositio virilis & sancta. Nihilominus interueniebat dulce illud & loco lene. Grandis & rectus es. hoc te volo tenere, sic ire. Fecit aliquid & materia. Ideo eligenda est fertilis, quae capiat ingenium, quae excitet. De libro tuo plura scribam, cum illum retractauero: nunc vero parum mihi sedet iudicium: tanquam audierim illa, non legerim. Sine me & inquirere. Nō est quod verearis, verum audies. O te hominem felicem, quòd nihil habes, propter quod quisquam tibi tam longe mētiatur: nisi quòd etiam vbi causa sublata est, mentimur & consuetudinis causa.

Epistola XLVII.

L[a]IBENTER[b] ex his qui a te veniunt cognoui, familiariter te cum seruis tuis viuere. hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet. Serui sunt? immo homines. Serui sunt? immo contubernales. Serui sunt? immo humiles amici. Serui sunt? immo conserui, si cogitaueris tantundem in vtrosque licere fortunae. Itaque rideo istos qui turpe existimant cū seruo suo coenare. Quare? nisi quia superbissima consuetudo coenantem dominum stantium seruorum turba circumdedit. Est ille plus quàm capit, & ingenti auiditate onerat distentum ventrem, ac desuetum iam ventris officio, vt maiore opera omnia egerat, quàm ingessit. At infelicibus seruis mouere labra, ne in hoc quidem, vt loquantur, licet. virga murmur omne compescitur: & ne fortuita quidem verberibus excepta sunt, tussis, sternutamentum, singultus: magno malo vlla voce interpellatum silentium luitur: nocte tota ieiuni, mutique perstant. [c] Sic fit, vt isti de domino loquantur, quibus coram domino loqui nō licet. At illi quibus non tantum coram dominis, sed cum ipsis erat sermo, quorum os non consuebatur, parati erant pro domino porrigere ceruicem, periculum imminens in caput suum auertere. In conuiuiis loquebantur, sed in tormentis tacebāt. Deinde eiusdem arrogantiae prouerbium iactatur: [d] Totidem esse hostes, quot seruos. Non habemus illos hostes, sed facimus. Alia interim crudelia & inhumana praetereo, quòd nec tanquam hominibus quidem, sed tanquam iumentis abutimur: qui cum ad coenandum discumbimus, alius sputa detergit, alius reliquias temulentorum subditus colligit, alius pretiosas aues scindit: pectus & clunes certis ductibus circumferens [b] eruditam manum in frusta excutit. Infelix qui huic vni rei viuit, vt altilia decenter secet: nisi quòd miserior est, qui hoc voluptatis causa docet, quàm qui necessitatis discit. Alius vini minister in muliebrem modum ornatus, cum aetate luctatur. Effugit pueritia: sed retrahitur. Iamque militaris habitus glaber destrictis pilis, aut penitus euulsis, tota nocte peruigilat: quam inter ebrietatem domini ac libidinem diuidit, & in cubiculo vir, & in conuiuio puer est. Alius cui conuiuarum censura permissa est, perstat infelix, & expectat, quos adulatio, & intemperantia aut gulae, aut linguae, reuocet in crastinū. Adiice obsonatores, quibus dominici palati notitia subtilis est: qui sciunt, cuius rei illum sapor excitet, cuius delectet aspectus, cuius nouitate nauseabundus erigi possit, quid iam ipsa satietate fastidiat, quid illo die esuriat. Cum his coenare non sustinet, & maiestatis suae diminutionem putat, ad eandem mensam cum seruo suo accedere. Dij melius, quòd ex istis dominos habent. Stare ante limen [e] Callisti dominum suum vidi, & eum qui illi impegerat titulum, qui inter reijcula mancipia produxerat, aliis intrantibus excludi. Retulit illi gratiā seruus ille in primam decuriam coniectus, in qua vocem praeco experitur, & ipse illum inuicem apologauit: & ipse non iudicauit domo sua dignum. Dominus Callistum vendidit: sed domino quàm multa Callistus? Vis tu cogitare istum quem seruum tuum vocas, ex iisdem seminibus ortum, eodem frui caelo, aeque spirare, aeque viuere, aeque mori? [f] Tam tu illum ingenuum videre potes, quàm ille te seruum. Mariana clade quàm multos splēdidissime natos, senatorium per militiam auspicantes gradum, fortuna depressit? alium ex illis pastorem, alium custodem casae fecit. Contemne nunc eius fortunae hominem, in quam transire, dum contemnis, potes. Nolo in ingentem me locum immittere, & de vsu seruorum

disputare,

disputare, in quos superbissimi, crudelissimi, & contumeliosissimi sumus. Haec tamen praecepti mei summa est: Sic cum inferiore viuas, quemadmodum tecum superiorem velles viuere. Quoties in mentem venerit, quantum tibi in seruum liceat: veniat in mentem, tantundem in te domino tuo licere. At ego, inquis, nullum habeo dominum. Bona aetas est. forsitan habebis. Nescis qua aetate Hecuba seruire coeperit, qua Croesus, qua Darij mater, qua Plato, qua Diogenes? Viue cum seruo clementer. Comiter quoque & in sermonem admitte, & in consilium, & in conuictum. Hoc loco acclamabit mihi tota manus delicatorum: Nihil hac re humilius, nihil turpius. Hos ego eosdem deprehendam, alienorum seruorum osculantes manum. Ne illud quidem videtis, quàm omnem inuidiam maiores nostri dominis, omnem contumeliam seruis detraxerint? Dominum, patrem familiae appellauerunt: seruos (quod etiam in mimis adhuc durat) familiares. Instituerunt diem festum, quo non solum cum seruis domini vescerentur, sed vtique honores illis in domo gerere, ius dicere permiserunt, & domum pusillam rempublicam esse iudicauerunt. Quid ergo? Omnes seruos admouebo mensae meae? Non magis quàm omnes liberos. Erras, si existimas me quosdam quasi sordidioris operae reiecturum, vt puta illum mulionem, & illum bubulcum. Non ministeriis illos aestimabo, sed moribus. Sibi quisque dat mores: ministeria casus assignat. Quidam coenent tecum, quia digni sunt, quidam, vt sint. Si quid enim in illis ex sordida conuersatione seruile est, honestiorum conuictus excutiet. Non est, mi Lucili, quod amicum tantum in foro & in curia quaeras, si diligenter attenderis, & domi inuenies. Saepe bona materia cessat sine artifice. Tenta, & experire. Quemadmodum stultus est, qui equum empturus, non ipsum inspicit, sed stratum eius ac fraenos: sic stultissimus est, qui hominem aut ex veste, aut ex condicione, quae vestis modo nobis circumdata est, aestimat. Seruus est? sed fortasse liber animo. Seruus est? hoc illi nocebit: aliis non nocebit. Ostende quis non sit. Alius libidini seruit, alius auaritiae, alius ambitioni, omnes timori. Dabo consularem aniculae seruientem. Dabo ancillulae diuitem. Ostendam nobilissimos iuuenes mancipia Pantomimorum. Nulla seruitus turpior est, quàm voluntaria. Quare non est quòd fastidiosi te deterreant, quo minus seruis tuis hilarem te praestes, & non superbe, superiorem. Colant potius te, quàm timeant. Dicet nunc aliquis, me vocare ad pileum seruos, & dominos de fastigio suo deiicere: quod dixi, colant potius dominum, quàm timeant. [d]Ita ne, inquit, prorsus colant tanquam clientes, tanquam salutatores? Hoc qui dixerit, obliuiscetur, id dominis parum esse quod Deo satis est, qui colitur & amatur. Non potest amor cū timore misceri. Rectissime ergo te facere iudico, quòd timeri a seruis tuis non vis, quòd verborum castigatione vteris. [e]Verberibus multa admonentur. non quicquid nos offendit, & laedit. Sed ad rabiem cogunt venire deliciae, vt quicquid non ex voluntate respondit, iram prouocet. Regum nobis induimus animos. Nam illi quoque obliti & virium suarum, & imbecillitatis alienae, [f]sic exardescunt, sic saeuiunt, quasi iniuriam acceperint: a cuius rei periculo illos fortunae suae magnitudo tutissimos praestat. Nec hoc ignorant, sed occasionē nocendi captant querendo. acceperunt iniuriam, vt facerent. [g]Diutius te morari nolo. Nō † est enim tibi exhortatione opus. Hoc habent inter cetera boni mores: placent sibi, [h]& permanent. leuis est malitia, saepe mutatur: non in melius, sed in aliud.

Epistola XLVIII.

A[a]D epistolam quam mihi ex itinere misisti, tam longam, quàm ipsum iter fuit, postea rescribam. Seducere me debeo, & quid suadeam, circumspicere. Nam tu quoque, qui consulis, diu an consuleres cogitasti: quanto magis hoc mihi faciendum est, cum longiore mora opus sit, vt soluas quaestionem quàm vt proponas? Vtique cum aliud tibi expediat, aliud mihi: iterum ego tamquam Epicureus loquor. Mihi vero idem expedit, quod tibi: aut non sum amicus, nisi quicquid agitur ad te pertinens, meum est. Consortium rerum omniū inter nos facit amicitia: nec secundi quicquam singulis est, nec aduersi. In cōmune viuitur. Nec potest quisquam beate degere, qui se tātum intuetur, qui omnia ad vtilitates suas conuertit. Alteri viuas oportet, si vis tibi viuere. Haec societas diligenter & sanctè obseruāda est, quae nos omnes omnibus miscet, & indicat aliquod esse cōmune ius generis humani: plurimum ad illam quoque (de qua loquebar) interiorem societatem amicitiae colendam proficit. Omnia enim cum amico cōmunia habebit, qui multa cum homine. Hoc, Lucili virorum optime, mihi ab istis subtilibus praecipi malo, quid amico praestare debeā, quid homini, quàm quot modis amicus dicatur, & homo quàm multa significet. [a]In diuersum ecce sapientia & stultitia discedunt. cui accedo? in vtram ire partem iubes? Illi homo pro amico est, huic amicus non est pro homine: ille amicum sibi parat, hic se amico. Tu mihi verba distorques, & syllabas digeris. Scilicet nisi interrogationes vaferrimas struxe-

ro, & concluſione falſa a vero naſcens mendacium adſtruxero, non potero a fugiendis petenda ſecernere. Pudet me. [b] in re tam ſeria ſenes ludimus. Mus ſyllaba eſt: mus autem caſeum rodit: ſyllaba ergo caſeum rodit. Puta nunc me iſtud non poſſe ſoluere: quod mihi ex iſta ſententia periculum imminet? quod incommodum? Sine dubio verendum eſt, ne quādo in muſcipula ſyllabas capiam, aut ne quando ſi negligentior fuero, caſeum liber comedat. Niſi forte acutior eſt illa collectio: Mus ſyllaba eſt: ſyllaba autem caſeum non rodit: mus ergo caſeum non rodit. O pueriles ineptias, in hoc ſupercilia ſubduximus? in hoc barbam demiſimus? hoc eſt quod triſtes docemus & pallidi? Vis ſcire, quid philoſophia promittat generi humano? Conſilium. [a] Alium paupertas vrit, alium diuitiae vel alienae torquent, vel ſuae. Ille malam fortunam horret, hic ſe felicitati ſuae ſubducere cupit: hunc homines male habent, illum dij. Quid mihi luſoria iſta proponis? non eſt iocandi locus. ad miſeros aduocatus es. Opem te laturum naufragis, captis, aegris, egentibus, intentae ſecuri ſubiectum praeſtantibus caput, pollicitus es. Quo diuerteris? quid agis? hic cum quo ludis, timet. Succurre, quiſquis eloquentior es, pereuntium poenis. Omnes vndique ad te manus tendunt, perditae vitae, perituraeque auxilium aliquod implorant, in te ſpes opesque ſunt. Rogant vt ex tanta illos volutatione extrahas, vt diſiectis & errantibus clarum veritatis lumen oſtendas. Dic quid natura neceſſarium fecerit, quid ſuperuacuum, quàm faciles leges poſuerit, quàm iucunda ſit vita, quàm expedita illas ſequentibus, quàm acerba & implicita eorum qui opinioni plus quàm naturae crediderunt. Quid iſtorum cupiditates demit? quid temperat? Diſputationes iſtae vtinam tantum non prodeſſent. Nocent. Hoc tibi, cum voles, manifeſtiſſimum faciam, & comminui & debilitari generoſam indolem in iſtas argutias coniectam. Pudet dicere contra fortunam militaturis, quae porrigant tela, quemadmodum illos ſubornent. Hac ad ſummum bonum itur: per iſtud philoſophiae ſunt nigrae, & turpes, infameſque etiam ad album ſedentibus, exceptiones. Quid enim aliud agitis, cum eum quem interrogatis, ſcientes in fraudem inducitis, quàm vt formula cecidiſſe videatur? Sed quemadmodum illum praetor, ſic hos philoſophia in integrum reſtituit. Quid diſceditis ab ingentibus promiſſis, & grandia locuti, effecturos vos, vt non magis auri fulgor, quàm gladij perſtringat oculos meos, vt ingenti conſtantia, & quod omnes optant, & quod omnes timent, calcem, ad Grammaticorum elementa deſcenditis? Quid dicitis? ſic itur ad aſtra? hoc enim eſt quod philoſophia mihi promittit, vt me parem Deo faciat. ad hoc inuitatus ſum, ad hoc veni. [c] fidem praeſta. Quantum potes ergo, mi Lucili, reduc te ab iſtis exceptionibus & praeſcriptionibus philoſophorum. Aperta decent & ſimplicia bonitatem. Etiam ſi multum ſupereſſet aetatis, parce iam diſpenſandum erat, vt ſufficeret neceſſariis. Nunc quae dementia eſt, ſuperuacua diſcere in tanta temporis egeſtate?

Epiſtola XLIX.

E[a]ST quidem, mi Lucili, ſupinus & negligens, qui in amici memoriam ab aliqua regione admonitus reducitur: tamen repoſitum in animo noſtro deſiderium loca interdum familiaria euocant, nec extinctam memoriam reddunt, ſed quieſcentem irritant: ſicut dolorem lugentium, etiam ſi mitigatus eſt tempore, [a] aut ſeruuli familiaris admonitio, aut veſtis, aut domus renouat. Ecce Campania, & maxime Neapolis, ad Pompeiorum tuorum conſpectum incredibile eſt, quàm recens deſiderium tui fecerit. Totus mihi in oculis es: cum maxime a te diſcedo: video lacrimas combibentem, & affectibus tuis inter ipſam coercitionem exeuntibus [b] non ſatis reſiſtentem. Modo amiſiſſe te videor. Quid enim non modo eſt, ſi recorderis? Modo apud Sotionem philoſophum puer ſedi, modo cauſas agere coepi, modo deſij velle agere, modo deſij poſſe. Infinita eſt velocitas temporis, quae magis apparet reſpicientibus. Nam ad praeſentia intentos fallit: adeo praecipitis fugae tranſitus leuis eſt. Cauſam huius rei quaeris? quicquid temporis tranſiit, eodem loco eſt: pariter aſpicitur, vna iacet: omnia inde in profundum cadunt, & alioquin non poſſunt longa interualla eſſe in ea re, quae tota breuis eſt. Punctum eſt quod viuimus, & adhuc puncto minus: ſed hoc minimum ſpecie quadam longioris ſpatij natura diuiſit. Aliud ex hoc infantiam fecit, aliud pueritiam, aliud adoleſcentiam, aliud inclinationem quandam ab adoleſcentia ad ſenectutem, aliud ipſam ſenectutem. In quàm anguſto quot gradus poſuit? Modo te proſecutus ſum: & tamen hoc modo, [c] aetatis noſtrae bona portio eſt: cuius breuitatē aliquando futuram cogitemus. Nō ſolebat mihi tam velox tēpus videri. Nūc incredibilis curſus apparet: ſiue quia [d] admoueri lineas ſentio, ſiue quia attēdere coepi & cōputare damnum meū: eo magis vtique indignor, aliquos ex hoc tempore (quod ſufficere nec ad neceſſaria quidē poteſt, etiam ſi cuſtoditum diligentiſſime fuerit) in ſuperuacua maiorem partem erogare.

Negat

Negat Cicero, ſi duplicetur ſibi aetas, habiturum ſe tempus quo legat Lyricos, eodem modo Dialecticos. Triſtius inepti ſunt. Illi ex profeſſo laſciuiunt: hi agere ſeipſos aliquid exiſtimant. Nec ego nego proſpicienda iſta, ſed proſpicienda tantum, & a limine ſalutanda, in hoc vnum, ne verba nobis dentur, & aliquid eſſe in illis magni ac ſecreti boni iudicemus. Quid te torques & maceras in ea quaeſtione, quam ſubtilius eſt contempſiſſe, quàm ſoluere? Securi eſt, & ex commodo migrantis minuta conquirere. Cum hoſtis inſtat a tergo[c], & moueri iuſſus eſt miles, excutit neceſſitas quicquid pax otioſa collegerat. Non vacat mihi verba dubie cadentia conſectari, & vafritiam in illis meam experiri.

Aſpice qui coeant populi, quae moenia clauſis
Ferrum acuant portis.

Magno mihi animo ſtrepitus iſte belli circumſonantis exaudiendus eſt. Demens omnibus merito viderer, ſi cum ſaxa in munimentum murorum ſenes feminaeque congererent, cũ iuuẽtus intra portas armata ſignum eruptionis expectaret, aut poſceret, cum hoſtilia in portis tela vibrarent, & ipſum ſolum ſuffoſſionibus & cuniculis tremeret, ſederem otioſus, & eiuſmodi quaeſtiunculas ponens: Quod non perdidiſti, habes: cornua autem non perdidiſti: cornua ergo habes: aliaque ad exemplum huius acutae delirationis concinnata. Atqui aeque licet demens tibi videar, ſi iſtis impendero operam. Et nunc obſideor. Tunc tamen periculum mihi obſeſſo externum immineret, murus me ab hoſte ſecerneret: nunc mortifera mecum ſunt. Non vaco ad iſtas ineptias. Ingens negotium in manibus eſt. Quid agam? mors me ſequitur, fugit vita: [d] aduerſus haec me doce: aliquid affer, ne mortem fugiam, vita me non effugiat. Exhortare aduerſus difficilia, de aequanimitate: aduerſus ineuitabilia, anguſtias temporis mei laxa: doce non eſſe poſitum bonum vitae in ſpatio eius, ſed in vſu: poſſe fieri, immo ſaepe fieri, vt qui diu vixit, parum vixerit. Dic mihi dormituro, Potes nõ expergiſci: dic experrecto, Potes non dormire amplius. Dic exeunti, Potes non reuerti: dic redeunti, Potes non exire. Erras, ſi in nauigatione tantum exiſtimas minimum eſſe, quo a morte vita diducitur. In omni loco aeque tenue interuallum eſt. Non vbique ſe mors tam prope oſtẽdit: vbique tam prope eſt. Has tenebras diſcute: & facilius ea trades, ad quae praeparatus ſum. Dociles natura nos edidit, & rationẽ dedit imperfectam, ſed quae perfici poſſet. De iuſtitia mihi, de pietate diſputa, de frugalitate, de pudicitia vtraque, & illa cui alieni corporis abſtinentia eſt, & hac cui ſui cura. Si me nolueris per deuia ducere, facilius ad id quo tendo, perueniam. Nam (vt ille ait Tragicus) [e] Veritatis ſimplex oratio eſt. Ideoque illam implicare non oportet. nec enim quicquam minus conuenit, quàm ſubdola iſta calliditas, animis conantibus magna.

Epiſtola L.

E[a]PISTOLAM tuam accepi poſt multos menſes, quàm miſeras. ſuperuacuum itaque putaui, ab eo qui afferebat, quid ageres, quaerere. Valde enim bonae memoriae eſt, ſi meminit: & tamen ſpero te ſic iam viuere, vt vbicunque eris, ſciam quid agas. Quid enim aliud agas, quàm vt meliorem te ipſe quotidie facias, vt aliquid ex erroribus ponas, vt intelligas tua vitia eſſe, quae putas rerum? Quaedam enim locis & temporibus adſcribimus. At illa, quocunque tranſierimus, ſecutura ſunt. [b] Harpaſten vxoris meae fatuam, ſcis hereditarium onus in domo mea remanſiſſe. Ipſe enim auerſiſſimus ab iſtis prodigiis ſum. ſi quando fatuo delectari volo, non eſt mihi longe quaerendus. me rideo. Haec fatua ſubito deſiit videre. Incredibilem tibi narro rem, ſed veram. neſcit eſſe ſe caecam: ſubinde paedagogum ſuum rogat, vt migret: ait domum tenebroſam eſſe. Hoc quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere, liqueat tibi. Nemo ſe auarum eſſe intelligit, nemo cupidum. Caeci tamen ducem quaerunt: nos ſine duce erramus, & dicimus: Non ego ambitioſus ſum, ſed nemo aliter Romae poteſt viuere. Non ego ſumptuoſus, ſed vrbs ipſa magnas impenſas exigit. Non eſt meum vitium quòd iracundus ſum, quòd nondum conſtitui certum genus vitae: adoleſcentia haec facit. Quid nos decipimus? Non eſt extrinſecus malum noſtrum: intra nos eſt, in viſceribus ipſis ſedet. Et ideo difficulter ad ſanitatem peruenimus, quia nos aegrotare neſcimus. Si curari coeperimus, quando tot morbos, tantaſve aegritudines diſcutiemus? Nunc vero ne quaerimus quidem medicum: qui minus negotij haberet, ſi adhiberetur ad recens vitium. Sequerentur teneri & rudes animi, recta monſtrantem. Nemo difficulter ad naturam reducitur, niſi qui ab illa defecit. Erubeſcimus diſcere bonam mentem. At mehercules, turpe eſt magiſtrum huius rei quaerere. Illud deſperandum eſt, poſſe nobis caſu tantum bonum influere: laborandum eſt, &, vt verum dicam, ne labor quidem magnus eſt: ſi modo, vt dixi, ante animum noſtrum formare incipimus, & recorrigere, quàm indureſcat prauitas eius. Sed nec indurata deſpero. Nihil eſt quod non expugnet pertinax

opera, & intenta ac diligens cura. Robora in rectum, quamuis flexa, reuocabis. Curuatas trabes calor explicat, & aliter natae, in id finguntur, quod vſus noſter exigit. quanto facilius animus accipit formam, flexibilis, & omni humore obſequentior? Quid enim aliud eſt animus, quàm quodam modo ſe habens ſpiritus? Vides autem tanto ſpiritum eſſe faciliorē omni alia materia, quanto tenuior eſt. Illud, mi Lucili, non eſt quod te impediat, quo minus de nobis bene ſperes, quod malitia iam nos tenet, quòd diu in poſſeſſione noſtri eſt. Ad neminem ante bona mens venit, quàm mala. Omnes praeoccupati ſumus. Virtutes diſcere, vitia dediſcere: ſed eo maiore animo ad emendationem noſtri debemus accedere, quòd ſemel traditi boni perpetua poſſeſſio eſt. ' Non dediſcitur virtus. Contraria enim mala in alieno haerent. Ideo expelli & extirpari poſſunt. Fideliter ſedent, quae in locum ſuum veniunt. Virtus ſecundum naturam eſt: vitia inimica & infeſta ſunt. Sed quemadmodum virtutes receptae exire non poſſunt, facilisque earum tutela eſt: ita initium ad illas eundi arduum: quia hoc primum imbecillae mentis atque aegrae eſt; formidare inexperta. Itaque cogenda eſt mens, vt incipiat. Deinde non eſt acerba medicina: protinus enim delectat, dum ſanat. Aliorum remediorum poſt ſanitatem voluptas eſt: philoſophia pariter & ſalutaris & dulcis eſt.

Epiſtola LI.

QVOMODO quiſque poteſt, mi Lucili: tu iſtic habes " AEtnam, illum nobiliſſimum Siciliae montem: quem quare dixerit Meſſalla vnicum, ſiue Valgius (apud vtrumque enim legi) non reperio, cum plurima loca euomant ignem, non tantum edita, quod crebrius euenit, videlicet quia ignis in altiſſimum effertur, ſed etiam iacentia. Nos vtcunque poſſumus, contenti ſumus Baijs: quas poſtero die, quàm attigeram, reliqui: locum ob hoc deuitandum, cum habeat quaſdam naturales dotes, quia ſibi illum celebrandum luxuria deſumpſit. Quid ergo? vlli loco indicendum eſt odium? minime. Sed quemadmodum aliqua veſtis ſapienti ac probo viro magis conuenit quàm alia, nec vllum colorem ille odit, ſed aliquem putat parum aptum eſſe frugalitatem profeſſo: ſic regio quoque eſt, quam ſapiens vir, aut ad ſapientiam tendens declinet, tanquam alienam bonis moribus. Itaque de ſeceſſu cogitans, nunquam ' Canopum eliget, quamuis neminem Canopus eſſe frugi vetet. Ne Baias quidem. Diuerſorium vitiorum eſſe coeperunt. Illic ſibi plurimum luxuria permittit: illic tanquam aliqua licentia debeatur loco, magis ſoluitur. Non tantum corpori, ſed etiam moribus ſalubrem locum eligere debemus. Quemadmodum inter tortores habitare nolim, ſic nec inter popinas quidem. Videre ebrios per littora errantes, & comeſſationes nauigantium, & ſymphoniarum cantibus perſtrepentes lacus, & alia quae velut ſoluta legibus luxuria, non tantum peccat, ſed publicat, quid neceſſe eſt? Id agere debemus, vt irritamenta vitiorum quàm longiſſime profugiamus. Indurandus eſt animus, & a blandimentis voluptatum procul abſtrahendus. ' Vim Hannibalis hiberna ſoluerunt: & indomitum illum niuibus atque Alpibus virum eneruauerunt fomenta Campaniae. Armis vicit, vitiis victus eſt. Nobis quoque militandum eſt: & quidem genere militiae, quo nunquam quies, nunquam otium datur. Debellandae ſunt in primis voluptates: quae (vt vides) ſaeua quoque ad ſe ingenia rapuerunt. Si quis ſibi propoſuerit, quantum operis aggreſſus ſit, ſciet nihil delicate, nihil molliter eſſe faciendum. Quid mihi cum iſtis calentibus ſtagnis? quid cum ſudatoriis, in quae ſiccus vapor corpora exhauſturus includitur? Omnis ſudor per laborē exeat. Si faceremus quod fecit Hannibal, vt interrupto curſu rerum, omiſſoque bello, fouendis corporibus operam daremus, nemo non intempeſtiuam deſidiam, victori quoque, nedum vincenti periculoſam, merito reprehenderet. Minus nobis quàm illis Punica ſigna ſequentibus licet. Plus periculi reſtat cedentibus, plus operis etiam perſeuerantibus. fortuna mecum bella gerit. Non ſum imperata facturus. Iugum non recipio, immo quod maiore virtute faciendum eſt, excutio. Non eſt emolliendus animus. Si voluptati ceſſero, cedendum eſt dolori, cedendum labori, cedendum eſt paupertati. Idem ſibi in me iuris eſſe volet & ambitio, & ira. Inter tot affectus diſtrahar, immo diſcerpar. libertas propoſita eſt: ad hoc praemium laboratur. Quae ſit libertas, quaeris? Nulli rei ſeruire, nulli neceſſitati, nullis caſibus: fortunam in aequum deducere. quo die intellexero illam plus poſſe, nil poterit. Ego illam feram, cum in manu mors ſit? His cogitationibus intentum, loca ſeria ſanctaque eligere oportet. Effeminat animos amoenitas nimia: nec dubie aliquid ad corrumpendum vigorem poteſt regio. Quamlibet viam iumenta patiuntur, quorum durata in aſpero vngula eſt. In molli paluſtrique paſcuo ſaginata cito ſubteruntur. Et fortior miles ex confragoſo venit. Segnis eſt vrbanus & verna. Nullum laborem recuſant manus, quae ad arma ab aratro transferuntur. In primo deficit puluere ille

vnctus

vnctus & nitidus. Seuerior loci disciplina firmat ingenium, aptumque magnis conatibus reddit. Literni honestius Scipio quàm Baijs exulabat. Ruina eius non est tam molliter collocanda. Illi quoque ad quos primos fortuna Romani populi publicas opes transtulit, C. Marius, & Cn. Pompeius, & Caesar, extruxerunt quidem villas in regione Baiana, sed illas imposuerunt summis iugis montium. Videbatur hoc magis militare, ex edito speculari late longeque subiecta. Aspice quam positionem elegerunt, quibus aedificia excitauerunt locis, & qualia. scias non villas esse, sed castra. Habitaturum tu putas vnquam fuisse in Vtica Catonem, vt praeternauigantes adulteras dinumeraret,[b] & aspiceret tot genera cymbarum variis coloribus picta, & fluitantem toto lacu rosam, vt audiret canentium nocturna conuicia? nonne manere ille intra vallum maluisset,[c] quàm vnam noctem inter talia duxisse? Quid ni malit, quisquis vir est, somnum suum classico quàm symphonia rumpi? Sed satis diu cum Baijs litigauimus, nunquam satis cum vitiis: quae oro te, mi Lucili, persequere sine modo, sine fine: nam illis quoque nec finis est, nec modus. Proiice quaecunque cor tuum laniant: quae si aliter extrahi nequirent, cor ipsum cum illis reuellendum erat. Voluptates praecipue exturba, & inuisissimas habe, latronum more, quos[d] Philetas AEgyptij vocant. In hoc nos amplectuntur, vt strangulent.

Epistola LII.

QVID est hoc, Lucili, quod nos alio tendentes, alio trahit, & eo vnde recedere cupimus, impellit? quid colluctatur cum animo nostro, nec permittit nobis quicquam semel velle? fluctuamus inter varia consilia: nihil libere volumus, nihil absolute, nihil semper. Stultitia, inquis, est: cui nihil constat, nihil diu placet.[a] Sed quomodo, aut quando nos ab illa reuellemus? Nemo per se satis valet, vt emergat: oportet manum aliquis porrigat, aliquis educat.[b] Quosdam ait Epicurus ad veritatē sine vllius adiutorio exisse, fecisse sibi ipsos viam. Hos maxime laudat, quibus ex se impetus fuit, qui seipsos protulerunt: quosdam indigere ope aliena, non ituros si nemo praecesserit, sed bene secuturos. Ex his Metrodorum ait esse. Egregium hoc quoque, sed secundae sortis ingenium. Nos ex illa prima nota non sumus: bene nobiscum agitur, si in hanc secundam recipimur. Nec hunc quidem contempseris hominem, qui alieno beneficio esse saluus potest: & hoc multum est, velle seruari. Praeter haec adhuc inuenies aliud genus hominum, ne ipsum quidem fastidiendum, eorum qui cogi ad rectum compellique possunt: quibus non duce tantum opus sit, sed adiutore, &, vt ita dicam, coactore. Hic tertius color est. Si quaeris huius exemplar, Hermachum ait Epicurus talem fuisse. Itaque alteri magis gratulatur, alterum magis suspicit. Quāuis enim ad eundem finem vterque peruenerit: tamen maior est laus idem effecisse in difficiliore materia. Puta enim duo aedificia excitata esse, ambo paria, aeque excelsa, eaque magnifica:[c] alterum dura area accepit, illic protinus opus creuit: alterius fundamenta lapsabunda, in mollem ac fluidam demissa humum: multumque laboris exhaustum est, dum peruenitur ad solidum. Apparet in altero, quicquid factum est: alterius magna pars & difficilior latet. Quaedam ingenia facilia & expedita: quaedam manu (quod aiunt) facienda sunt, & in fundamentis suis occupanda. Itaque ego illum feliciorem dixerim, qui nihil negotij secum habuit. Hunc quidem de se melius meruisse, qui malignitatem naturae suae vicit, & ad sapientiam se non perduxit, sed extraxit. Hoc durum & laboriosum nobis datum scias, licet. Imus per obstantia. Itaque pugnemus, aliquorum inuocemus auxilium. Quem, inquis, inuocabo? hunc aut illum. Tu vero etiam ad priores reuertere qui vacant. Adiuuare nos possunt non tantum qui sunt: sed & qui fuerunt. Ex iis autem qui sunt, eligamus non eos, qui verba magna celeritate praecipitant, & communes locos voluunt, & in priuato circulantur: sed eos qui vita docent, qui cum dixerint quid faciendum sit, probant faciendo: qui docent quid vitandum sit, nec vnquam in eo quod fugiendum dixerint deprehenduntur. Eum elige adiutorem, quem magis admireris cum videris, quàm cum audieris. Nec ideo te prohibuerim hos quoque audire, quibus consuetudo est admittere populū, ac disserere: si modo hoc proposito in turbam prodeunt, vt meliores fiant faciantque meliores: si non ambitionis hoc causa exercent. Quid enim turpius philosophia captante clamores? Nunquid aeger laudat medicum secantem? Tacete, fauete, & praebete vos curationi. Etiam si exclamaueritis, non aliter audiam, quàm si ad tactum vitiorum vestrorum ingemiscatis. Testari vultis attendere vos mouerique rerum magnitudine? sane liceat. Vt quidem iudicetis & feratis de meliore suffragium, quid ni non permittam? Apud Pythagoram discipulis quinque annis tacendum erat. Nunquid ergo existimas, statim illis & loqui & laudare licuisse? Quanta autem dementia eius est, quem clamores imperitorum hilarem ex

auditorio dimittunt? Quid laetaris, quòd hominibus iis laudaris, quos non potes ipse laudare? Disserebat populo Fabianus: sed audiebatur modeste. Erumpebat interdum magnus clamor laudantium: sed quem magnitudo rerum euocauerat, non sonus inoffensae ac molliter lapsae orationis. Intersit aliquid inter clamorem theatri & scholae. Est aliqua & laudādi licentia. Omnia rerum omnium, si obseruentur, indicia sunt: & argumentum morum ex minimis quoque licet capere. Impudicum & incessus ostendit, & manus mota, & vnum interdum responsum, & relatus ad caput digitus, & flexus oculorum. Improbum risus, insanum vultus habitusque demonstrat. Illa enim in apertum per notas exeunt. Qualis quisque sit, scies, si quemadmodum laudetur, aspexeris. Hinc atque illinc philosopho manus auditor intentat, & super ipsum caput mirantium turba consistit. Non laudatur ille nunc, si intelligas, sed conclamatur. Relinquantur istae voces illis artibus, quae propositum habent placere populo: philosophia adoretur. Permittendum erit aliquando iuuenibus, sequi impetum animi. Tunc autem hoc ex impetu facient, cum silentium sibi imperare non poterunt. Talis laudatio aliquid exhortationis affert ipsis audientibus, & animos adolescentium extimulat. Ad rem commoueantur, non ad verba composita. Alioqui nocet illis eloquentia, si non rerum cupiditatem facit, sed sui. Differam hoc in praesenti. Desiderat enim propriam & longam executionem, quemadmodum populo disserendum, quid sibi apud populum permittendum sit, quid populo apud se. Damnum quidem fecisse philosophiam, non erit dubium, postquam prostituta est: sed potest in penetralibus suis ostendi, si modo non institorem, sed antistitem nacta est.

Epistola LIII.

QVID nō potest mihi persuaderi, cui persuasum est vt nauigarem? Solui mari languido. erat sine dubio caelum graue sordidis nubibus, quae fere aut in aquam, aut in ventum resoluuntur: sed putaui tam pauca millia a Parthenope tua vsque Puteolos surripi posse, quāuis dubio & impendente caelo. itaque quo celerius euaderem, protinus per altum ad Nesidia direxi, praecisurus omnes sinus. Cum iam eo processissem, vt mea nihil interesset, vtrum irem, an redirem, primum aequalitas illa quae me corruperat, periit. Nondum erat tempestas, sed iam inclinatio maris, ac subinde crebrior fluctus. Coepi gubernatorem rogare, vt me in aliquo littore exponeret. Aiebat ille, aspera esse & importuosa, nec quicquam se aeque in tempestate timere quàm terram. Peius autem vexabar, quàm vt periculum mihi succurreret. Nausea enim me segnis haec & sine exitu torquebat, quae bilem mouet, nec effundit. Institi itaque gubernatori, & illum vellet nollet coegi vt peteret littus. Cuius vt viciniam attigimus, non expecto vt quicquam ex praeceptis Virgilij fiat, Obuertant pelago proras, aut anchora de prora iaciatur: sed memor artificij mei veteris, mitto me in mare, quomodo psychrolutam decet, gausapatus. Quae putas me passum dum per aspera erepo, dum viam quaero, dū facio? Intellexi non immerito nautis terram timeri. Incredibilia sunt quae tulerim: cum me ferre non possem. Illud scito, Vlixem nō fuisse tam irato mari natum, vt vbique naufragia faceret. Nauseator erat. At ego quocunque nauigare debuero, vicesimo anno perueniam. Vt primum stomachum (scis non cum mari nauseam effugere) collegi, vt corpus vnctione recreaui, occoepi mecum cogitare, quanta nos vitiorum nostrorum sequeretur obliuio, etiam corporalium, quae subinde admonent sui, nedum illorum quae eo magis latent, quo maiora sunt. Leuis aliquem motiuncula decipit: sed cum creuerit, & vera febris exarserit, etiam duro & perpessitio confessionem extorquet. Pedes dolent, articuli punctiunculas sentiunt: adhuc dissimulamus, & aut talum extorsisse nos dicimus, aut in exercitatione aliqua laborasse. Dubio & incipiente morbo, quaeritur nomen: qui vbi ad talaria coepit tendere, necesse est podagram fateri. Contra euenit in iis morbis, quibus afficitur animi: quo quis peius se habet, minus sentit. Non est quod mireris, Lucili carissime. Nam qui leuiter dormit, & species secundū quietem capit, aliquādo dormire se dormiens cogitat. Grauis somnus etiam somnia extinguit, animumque altius mergit, quàm vt vllo intellectu sinat. Quare vitia sua nemo confitetur? Quia etiam nunc in illis est. Somniū narrare, vigilantis est: & vitia sua confiteri, sanitatis indicium est. Expergiscamur ergo, vt errores nostros coarguere possimus. Sola autem nos philosophia excitabit, sola somnum excutiet grauem. Illi te totum dedica: dignus illa es; illa te digna est. Ite in complexū alter alterius: omnibus aliis te nega, fortiter, aperte. Non est quòd precario philosopheris. Si aeger esses, curam intermisisses rei familiaris, & forensia tibi negotia excidissent: nec quenquam tāti putares, cui aduocatus in causam descenderes. Toto animo id ageres, vt quàm primum morbo liberareris. Quid ergo? Non & nunc idem facies? Omnia impedimenta dimitte, & vaca bonae mēti. Nemo ad illam peruenit occupatus. Exercet philosophia regnum suum: dat tempus, non accipit.

accipit. Non est res subsiciua. Ordinaria est, domina est: adest, & iubet. Alexander cuidam ciuitati, partem agrorum & dimidium rerum omnium promittenti, Eo, inquit, proposito veni in Asiam, non vt id acciperem quod dedissetis; sed vt id haberetis quod reliquissem. Itidem philosophia rebus omnibus: Non sum id tempus acceptura, quod vobis superfuerit: sed id habebitis, quod ipsa erogauero. Totam huc conuerte mentem, huic asside, hanc cole: ingens interuallum inter te & ceteros fiat. Omnes mortales multo antecedes, non multo te dij antecedent. Quid inter te & illos interfuturum sit, quaeris? Diutius erunt. At mehercule magni artificis est, clausisse totum in exiguo. Tantum sapienti sua, quantum Deo omnis aetas patet.[a] Est aliquid, quo sapiens antecedat Deum. Ille naturae beneficio, non suo sapiens est. Ecce res magna, habere imbecillitatem hominis, securitatem Dei. Incredibilis vis philosophiae est, ad omnem fortuitam vim retundendam. Nullum telum in corpore eius sedet: munita est solidaque: quaedam defatigat, & velut leuia tela laxo sinu excludit, quaedam discutit, & in eum vsque qui miserat respuit.

Epistola LIIII.

L[a]ONGVM mihi commeatum dederat mala valetudo: repente me inuasit. Quo genere? inquis. prorsus merito interrogas: adeo nullum mihi ignotum est. Vni tamen morbo quasi assignatus sum: quem quare Graeco nomine appellem, nescio. Satis enim apte dici suspirium potest. Breuis autem valde & procellae similis impetus est: intra horam fere desinit. Quis enim diu expirat? Omnia corporis aut incommoda aut pericula per me transierūt. Nullum mihi videtur molestius. Quid ni? Aliud enim quicquid est, aegrotare est: hoc, est animam agere. Itaque medici hanc meditationem mortis vocant. Facit aliquando spiritus ille, quod saepe conatus est. Hilarē me putas haec tibi scribere, quia effugi? Si hoc fine quasi bona valetudine delector, tam ridicule facio, quàm ille, quisquis se vicisse putat, cum vadimonium distulit. Ego vero & in ipsa suffocatione non desij cogitationibus laetis ac fortibus acquiescere. Quid hoc est? inquam. tam saepe mors experitur me: faciat. At ego illam diu expertus sum. Quando, inquis?[a] Antequam nascerer. Mors est, non esse. Id quale sit, iam scio: hoc erit post me quod ante me fuit. Si quid in hac re tormenti est, necesse est, & fuisse antequam prodiremus in lucem. Atqui nullam sensimus tunc vexationem. Rogo non stultissimum dicas, si quis existimet lucernae peius esse cum extincta est, quàm antequam accenderetur? Nos quoque & accendimur & extinguimur: medio illo tempore aliquid patimur. Vtrinque vero alta securitas est. In hoc enim, mi Lucili, nisi fallor, erramus, quòd mortem iudicamus sequi, quum illa & praecesserit & secutura sit. Quicquid ante nos fuit, mors est. Quid enim refert, vtrum non incipias, an desinas? vtriusque rei hic est effectus, non esse. His[a] & huiusmodi exhortationibus tacitis (nam verbis locus non erat) alloqui me non desij: deinde paulatim suspirium illud, quod esse iam anhelitus coeperat, interualla maiora fecit, & retardatum est, ac remansit. Nec adhuc, quamuis desierit, ex natura fluit spiritus. Sentio haesitationem quandam eius & moram. Quomodo volet, dum modo non ex animo suspirem. hoc tibi de me recipe: non trepidabo ad extrema: iam praeparatus sum:[b] nihil cogito de die.[a] Illum lauda & imitare: quem non piget mori, cum iuuat viuere. Quae enim virtus est, cum eiiciaris, exire? tamen est & hic virtus. Eiicior quidem, sed tanquam exeam. Et ideo nunquam eiicitur sapiens: quia eiici, est inde expelli, vnde inuitus recedas. Nihil inuitus facit sapiens. necessitatem effugit: quia vult quod ipsa coactura est.

Epistola LV.

A GESTATIONE cum maxime venio, non minus fatigatus, quàm si tantum ambulassem, quantum sedi. labor est enim, diu ferri: ac nescio an eo maior, quia contra naturam est: quae pedes dedit, vt per nos ambularemus: oculos, vt per nos videremus.[a] Debilitatem nobis indixere deliciae: & quod diu noluimus, posse desiuimus. Mihi tamen necessariū erat concutere corpus, vt siue bilis insederat faucibus, discuteretur, siue ipse ex aliqua causa spiritus densior erat, extenuaret illum iactatio, quam profuisse mihi sensi. Ideo diutius vehi perseueraui, inuitante ipso littore, quod inter Cumas & Seruilij Vatiae villam curuatur, & hinc mari, illinc lacu, velut angustum iter clauditur. Erat enim a recenti tempestate maris spissius. Fluctus autem illud (vt scis) frequens & concitatus exaequat, longior tranquillitas soluit, cum arenis, quae humore alligantur, succus abscessit. Ex consuetudine tamen mea circumspicere coepi, an aliquid illic inuenirem, quod mihi bono posset esse, & direxi oculos in villam, quae aliquando Vatiae fuit. In hac ille praetorius diues, nulla alia re quàm otio notus, consenuit, & ob hoc vnum felix habebatur. Nam quoties aliquos[b] amicitia Asinij Galli, quoties Seiani odium, deinde amor merserat, (aeque enim offendisse illum, quàm amasse, periculosum fuit) exclamabant homines: O Vatia solus scis viuere. At ille latere scie-

bat, non viuere. Multum autem interest, vtrum vita tua otiosa sit, an ignaua. Nunquam aliter hanc villam Vatia viuo praeteribam, quàm vt dicerem: Vatia hic situs est. Sed adeo, mi Lucili, philosophia sacrum quiddam est, & venerabile, vt etiam si quid illi simile est, mendacio placeat. Otiosum enim hominem seductum existimat vulgus, & securum, & se contentum, sibique viuentem: quorum nihil vlli cootingere, nisi sapienti, potest. Ille quidem nulla re sollicitus scit sibi viuere. Ille enim (quod est primum) scit viuere. Nam qui res & homines fugit, quem cupiditatum suarum infelicitas relegauit, qui alios feliciores videre non potuit, qui velut timidum atque iners animal, metu oblituit, ille sibi noo viuit, sed (quod est turpissimũ) ventri, somno, libidini. Non continuo sibi viuit, qui nemini. Adeo tamen magna res est cōstantia, & in proposito suo perseuerantia, vt habeat auctoritatem inertia quoque pertinax. De ipsa villa nihil possum tibi certi scribere: frontem enim eius tantum noui, & exposita: quae ostendit etiam transeuntibus. Speluncae sunt duae magni operis, laxo atrio pares, manufactae: quarum altera solem non recipit,[c] altera vsque in occidentem torretur.[d] Platanona medius riuus & a mari & ab Acherusio lacu receptus Euripi modo diuidit, alendis piscibus (etiam si assiduo exhauriatur) sufficiens. Sed illi, cum mare patet, parcitur: cum tempestas piscatoribus dedit ferias,[e] manus ad parata porrigitur. Hoc tamen est commodissimum in villa, quod Baias trans parietem habet: incommodis illarum caret, voluptatibus fruitur. Has laudes eius ipse noui: nunc esse villam totius anni credo. Occurrit enim Fauonio, & illũ adeo excipit,[f] vt Baiis neget. Non stulte videtur elegisse hunc locum Vatia, in quem otium suum pigrum iam & senile conferret. Sed non multum ad tranquillitatem locus coofert: [g] animus est, qui commendat omnia. Vidi ego in villa hilari & amoena maestos, vidi in media solitudine occupatis similes. Quare oon est quòd existimes, ideo parum bene compositum esse te, quòd in Campania non es. quare autem non es? bucusque cogitationes tuas mitte. Conuersari cum amicis absentibus licet: & quidem quoties velis, quandiu velis. magis hac voluptate, quae maxima est, fruimur, dum absumus. Praesentia enim nos delicatos facit: & quia aliquando vna loquimur, ambulamus, considemus, cum diducti sumus, nihil de his quos modo vidimus, cogitamus: & ideo aequo animo ferre debemus absentiam, quia nemo ooo multum etiam praesentibus abest. Pone hic primum ooctes separatas: deinde occupationes vtrinque diuersas, deinde studia secreta, suburbanas profectiones: videbis noo multum esse, quod nobis peregrinatio eripiat. Amicus animo possidendus est. hic autem nuoquam abest: quemcũque vult, quotidie videt. Itaque mecum stude, mecum coena, mecum ambula. In angusto viueremus, si quicquam esset cogitationibus clausum. Video te, mi Lucili, cum maxime audio: adeo tecum sum, vt dubitem, an incipiam non epistolas, sed codicillos tibi scribere.

Epistola LVI.

P[1]EREAM, si est tam necessarium quàm videtur silentium in studia seposito. Ecce varius clamor vndique me circumsonat. sopra ipsum balneum habito. Propone nunc tibi omnia genera vocum, quae in odium possunt aures adducere: cum fortiores exercentur, & manus plumbo graues iactant, cum aut laborant, aut laborantem imitantur, gemitus audio: quoties retentum spiritum remiserunt, sibilos, & acerbissimas respirationes:[a] cum in aliquẽ alipten inertem, & hac plebeia vnctione contentum incidi, audio crepitum illisae manus humeris: quae prout plaoa peruenit, aut coocaua, ita sonum mutat.[b] Si vero [2] pilicrepus superuenerit, & numerare coeperit pilas, actum est. Adiice nunc[3] scordalum, &[4] furem deprehensum, & illum cui vox sua in balneo placet. Adiice nunc eos qui in piscinam cum ingenti impulsae aquae sono saliunt. Praeter istos, quorum si nihil aliud, rectae voces sunt,[5] alipilum cogita, tenuem & stridulam vocem, quo sit notabilior, subinde exprimentem, nec vnquam tacentem, nisi dum vellit alas, & [6] alium pro se clamare cogit. Iam libarij varias exclamationes, & botularium, & crustularium, & omnes popioarum institores, mercem sua quadam & insignita modulatione vendentes. O te, inquis, ferreum, aut surdum, cui mens inter clamores tam varios, tam dissonos, constat:[7] cum Chrysippum nostrum assidua salutatio perducat ad mortem. At mehercules, ego istom fremitum non magis curo, quàm fluctum aut deiectum aquae. Quamuis audiam [8] cuidam genti hanc vnam fuisse causam, vrbem suam transferendi, quia fragorem Nili cadentis ferre noo potuit. Magis mihi vox auocare videtur, quàm crepitus. Illa enim animum abducit, hic tantum aures implet, ac verberat. In iis quae me sine auocatione circumstrepunt, essedas transcurrentes pono, & fabrum inquilinum, [c] & ferrarium vicinum, aut hunc qui ad [9] metam sodantem [d] tubas experitur & tibias, nec cantat, sed exclamat. Etiam molestior est mihi sonus, qui intermittitur subinde, quàm qui continuatur. Sed iam me sic ad omnia ista duraui, vt audire vel

pausarium

pausarium possim, voce acerbissima remigibus modos dantem. [e] Animum enim cogo sibi intentum esse, nec auocari ad externa. omnia licet foris resonent, dum intus nihil tumultus sit, dum inter se non rixentur cupiditas & timor, dum auaritia luxuriaque non dissideant, nec altera alteram vexet. Nam quid prodest totius regionis silentium, si affectus fremunt?

Omnia noctis erant placida composta quiete.

Falsum est. nulla placida quies est, nisi quam ratio composuit. Nox exhibet molestiam, non tollit, & solicitudines murat. Nam dormientiū quoque insomnia tam turbulēta sunt, quàm dies. Illa tranquillitas vera est, in quam bona mens explicatur. Aspice illum, cui somnus laxae domus silentio quaeritur, cuius aures ne quis agitet sonus, omnis seruorum turba conticuit, & suspensum, accedentium propius, vestigium ponitur. Huc nempe versatur atque illuc, somnum inter aegritudines leuem captans: quae non audit, audisse se quaeritur. Quid in causa putas esse? animus illi obstrepit: hic placandus est, huius compescenda est seditio: quem non est quod existimes placidū, si iacet corpus. Interdum quies inquieta est. [f] Et ideo ad rerum actus excitandi, ac tractatione bonarum artium occupandi sumus, quoties nos male habet inertia sui impatiens. Magni imperatores cum male parere militem vident, aliquo labore compescunt, & expeditionibus detinent. Nunquam vacat lasciuire districtis: nihilque tam certum est quàm otij vitia negotio discuti. Saepe videmur taedio rerum ciuilium, & infelicis atque ingratae stationis paenitentia secessisse: tamen in illa latebra, in quam nós timor & lassitudo coniecit, interdum recrudescit ambitio. Non enim excisa desiit, sed fatigata, aut etiam abiecta, rebus parum sibi cedentibus. Idem de luxuria dico, quae videtur aliquando cessisse: deinde frugalitatem professos sollicitat, atque in media parsimonia voluptates non damnatas, sed relictas petit: & quidem eo vehementius, quo occultius. Omnia enim vitia in aperto leuiora sunt: morbi quoque tunc ad sanitatem inclinant, cum ex abdito erumpunt, ac vim suam proferunt. Et auaritiam itaque & ambitionem, & cetera mala mentis humanae, tunc perniciosissima scias esse, cum simulata sanitate subsidunt. Otiosi videmur, & non sumus. Nam si bona fide sumus, si receptui cecinimus, si speciosa contempsimus, vt paulo ante dicebam, nulla res nos auocabit, nullus hominum auiumque concentus interrumpet cogitationes bonas, solidasque & iam certas. Leue illud ingenium, nec se adhuc reduxit introrsus, quod [g] ad vocem ex accidenti erigitur. Habet intus aliquid solicitudinis, & concepti pauoris, quod illum curiosum facit, vt ait Virgilius noster:

Et me, quem dudum non vlla iniecta mouebant
Tela, nec aduerso glomerati ex agmine Graij,
Nunc omnes terrent aurae, sonus excitat omnis
Suspensum, & pariter comitique onerique timentem.

Prior ille sapiens est, quem non tela vibrantia, non [h] arietata inter se arma agminis densi, nō vrbis impulsae fragor territat. Hic alter imperitus est, rebus suis timet, ad omnem crepitum expauescens, quem vna quaelibet vox pro fremitu accepta deiecit, quem motus leuissimi exanimant. Timidum illum sarcinae faciunt. Quemcunque ex istis felicibus elegeris, multa trahentibus, multa portantibus, videbis illum comitique onerique timentem. Tunc ergo te scito esse compositum, cum ad te nullus clamor pertinebit: cum te nulla vox tibi excutiet: non si blandietur, non si minabitur, non si inani sono varia circumstrepet. Quid ergo? non aliquando commodius est, [i] carere conuicio? fateor. Itaque ego ex hoc loco migrabo. [k] sed experiri & exercere me volui. Quid necesse est diutius torqueri: cum tam facile remedium Vlixes sociis etiam aduersus Sirenas inuenerit?

Epistola LVII.

CVM Baiis deberem Neapolim repetere, facile credidi tempestatem esse, ne iterum nauem experirer. [a] sed tantum luti tota via fuit, vt possem videri nihilominus nauigasse. Totam athletarum fatum mihi illo die perpetiendum fuit. [b] A ceromate nos haphe excepit in Crypta Neapolitana. Nihil illo carcere longius, nihil illis faucibus obscurius, quae nobis praestant, [c] non vt per tenebras videamus, sed vt ipsas. Ceterum etiam si locus haberet lucem, puluis auferret, in aperto quoque res grauis & molesta: quid illic, vbi in se volutatur, & cum sine vllo spiramento sit inclusus, in ipsos a quibus incitatus est recidit? Duo incommoda inter se contraria simul pertulimus. eadem via, eodem die, & luto, & puluere laborauimus. Aliquid tamen mihi illa obscuritas, quod cogitarem dedit. Sensi quendam ictum animi, & sine metu mutationem, quam insolitae rei nouitas simul ac fœditas fecerat. Non de me nunc tecum loquor, qui multum ab homine tolerabili, ne dum a perfecto absum, sed de illo in quē ius fortuna perdidit: huius quoque ferietur animus, mutabitur color. Quaedā enim sunt, mi Lucili, quae nulla virtus effugere potest: admonet illam natura mortalitatis

suae.[c] Itaque & vultum adducet ad tristitiam, & inhorrescet ad subita, & caligabit, si vastam altitudinem in crepidine eius constitutus despexerit. Non est hic timor, sed naturalis affectio inexpugnabilis rationi. Itaque fortes quidam & paratissimi fundere suum sanguinem, alienum videre non possunt: quidam ad vulneris noui, quidam ad veteris & putulenti tractationem inspectationemque concidunt & linquuntur animo: alij gladium facilius recipiunt, quàm vident. Sensi ergo (vt dicebam) quandam non quidem perturbationem, sed mutationem. Rursus ad primum conspectum redditae lucis alacritas incogitata rediit & iniussa. Illud deinde mecum loqui coepi, quàm inepte quaedã magis ac minus timeremus, cum omnium idem finis esset. Quid enim interest, vtrum supra aliquem[d] vigiliarium ruat, an mons, an turris? Nil inuenies. Erunt tamen qui hanc ruinam magis timeant, quamuis vtraque mortifera aeque sit.[e] Adeo non effectus, sed efficientia timor spectat. Nunc me putas de Stoicis dicere, qui existimant animam hominis magno pondere extriti[f] permeare non posse, & statim spargi, quia non fuerit illi exitus liber. Ego vero non facio. Qui hoc dicunt, videntur mihi errare. Quemadmodum flamma non potest opprimi: nam circa id diffugit, quo vrgetur: quemadmodum aer verbere aut ictu non laeditur, nec scinditur quidem, sed circa id cui cessit refunditur: sic animus qui ex tenuissimo constat, deprehendi non potest, nec intra corpus affligi: sed beneficio subtilitatis suae per ipsa quibus premitur, erumpit. Quomodo fulmini etiam cum latissime percussit ac fulsit, per exiguum foramen est reditus: sic animo qui adhuc tenuior est igne, per omne corpus fuga est. Itaque de illo quaerendum est, an possit immortalis esse. Hoc quidem certum habe, si superstes est corpori, propter hoc illum nullo genere posse perire, propter quod non perit: quoniam nulla immortalitas cum exceptione est, nec quicquam noxium aeterno est.

Epistola LVIII.

QVANTA verborum nobis[a] paupertas, immo egestas sit, nunquam magis quàm hodierno die intellexi. Mille res inciderunt, cum forte de Platone loqueremur, quae nomina desiderarent, nec haberent: quaedã vero cum habuissent, fastidio nostro perdidissent. Quis autem ferat in egestate fastidium? Hunc quem Graeci oestrum vocant, pecora peragentem, & totis saltibus dissipantem, asilum nostri vocabant. hoc Virgilio licet credas:

Et lucum Silari iuxta ilicibusque virentem
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo
Romanum est, oestrum Graeci vertere vocantes,
Asper, acerba sonans, quo tota exterrita siluis
Diffugiunt armenta. ———

Puto intelligi istud verbum interisse. Ne te longe differam, quaedam simplicia in vsu erant, sicut cernere ferro inter se dicebant. Idem Virgilius hoc probabit tibi:

——— *Stupet ipse Latinus,*
Ingentis genitos diuersis partibus orbis
Inter se coisse viros,[1] & cernere ferro.

quod nunc decernere dicimus. Simplicis illius verbi vsus amissus est. Dicebant antiqui, si iusso, id est, si iussero. Hoc nolo mihi credas, sit fides Virgilio:

Cetera qua iusso, mecum manus inferat arma.

Non id ago nunc hac diligentia, vt ostendam quantum tempus apud grammaticum perdiderim: sed vt ex hoc intelligas, quantum apud Ennium & Attium verborum, situs occupauerit: cum apud hunc quoque qui quotidie excutitur, aliqua nobis subducta sint. Quid, inquis, sibi ista vult praeparatio? quo spectat? Non celabo te. cupio, si fieri potest propitiis auribus tuis,[4] essentiam dicere: sin minus, dicam & iratis.[a] Ciceronem auctorem huius verbi habeo, puto locupletem. Si recentiorem quaeris, Fabianum, disertum & elegantem, orationis,[5] etiã ad nostrum fastidium, nitidae. Quid enim fiet, mi Lucili? quomodo dicetur[6] οὐσία res necessaria,[b] naturam continens, fundamentum omnium? Rogo itaque permittas mihi hoc verbo vti. nihilominus dabo operam, vt ius a te datum parcissime exerceam: fortasse contentus ero mihi licere. Quid proderit facilitas tua, cum ecce id nullo modo Latine exprimere possim, propter quod linguae nostrae conuicium feci? Magis damnabis angustias Romanas, si scieris vnam syllabam esse, quam mutare non possim. Quae haec sit, quaeris? [7] τὸ ὄν. Duri tibi videbor ingenij: in medio positum esse: posse sic trãsferri, vt dicam, Quod est. Sed multum interesse video. cogor verbum pro vocabulo ponere.[c] Sed id si necesse est, ponam, Quod est. Sex modis hoc a Platone dici, amicus noster homo eruditissimus hodierno die dicebat. Omnes tibi exponam, si ante indicauero,[d] esse aliquod genus. Nunc enim

enim primum illud genus quaerimus, ex quo ceterae species suspensae sunt, a quo nascitur omnis diuisio, quo vniuersa comprehensa sunt. Inuenietur autem, si coeperimus singula retro legere. sic enim perducemur ad primũ. Homo species est, vt Aristoteles ait. Equus species est, [e] canis species. ergo commnne aliquod quaerendum est his omnibus vinculum, quod illa complectatur, & sub se habeat. Hoc quid est? animal, Ergo genus esse coepit omnium horum quae modo retuli, hominis, equi, canis, animal. Sed sunt quaedam quae animam habent, nec sunt animalia. Placet enim satis & arbustis animam inesse. Itaque & viuere illa, & mori dicimus. Ergo animantia superiorẽ tenebunt locũ, quia & animalia in hac forma sunt, & sata. [f] Quaedam anima carent, vt saxa. Itaque aliquid erit animantibus antiquius, scilicet corpus. hoc sic diuidam, vt dicam corpora omnia aut animata esse, aut inanima. Etiamnum est aliquid superius, quàm corpus. Dicimus enim quaedam corporalia esse, quaedam incorporalia. Quid ergo erit ex quo haec diducantur? [g] Illud cui nomen modo parum propriũ imposuimus, Quod est. Sic enim in species secabitur, vt dicamus: Quod est aut corporale est aut incorporale. [9] Hoc ergo genus est primum & antiquissimum, &, vt ita dicam, generale. Cetera genera quidem sunt, sed specialia, tanquam [10] homo genus est. Habet enim in se nationum species, Graecos, Romanos, Parthos: colorum, albos, nigros, flauos: habet singulos, Catonem, Ciceronem, Lucretium. Itaque qua multa continet, in genus cadit: qua sub alio est, in speciem. Illud genus quod est generale, supra se nihil habet. Initium rerum est. omnia sub illo sunt. [11] Stoici volunt superponere huic etiam aliud genus magis principale: de quo statim dicam, si prius illud genus, de quo locutus sum, merito primum poni docuero, cum sit rerum omnium capax. Quod est, in has species diuido, vt sint corporalia, aut incorporalia. Nihil tertium est. Corpus quomodo diuido? vt dicam, aut animantia sunt, aut inanima. Rursus animantia quemadmodum diuido? vt dicam, quaedam animum habẽt, quaedam tantum animam: aut sic: quaedam impetum habent, incedunt, transeunt: quaedam solo affixa, radicibus aluntur & crescunt. Rursus animalia in quas species seco? aut mortalia sunt, aut immortalia. [12] [g] Primum genus Stoicis quibusdam videtur: sed quare videatur, subijciam. In rerum (inquiunt) natura quaedam sunt, quaedã non sunt. Et haec autem quae non sunt, rerum natura complectitur, quae animo succurrunt, tanquam Centauri, Gigantes, & quicquid aliud falsa cogitatione formatum, habere aliquam imaginem coepit, quamuis non habeat substantiam. [13] Nunc ad id quod tibi promisi, reuertor, quomodo quaecunque sunt, in sex modos Plato partiatur. Primum illud quod est, nec visu, nec tactu, nec vllo sensu comprehenditur: cogitabile est: quod generaliter est: tanquam homo generalis sub oculos non venit, sed specialis venit, vt Cicero & Cato. Animal non videtur, sed cogitatur: [14] videtur autem species eius, equus & canis. Secundum ex his quae sunt, ponit Plato, quod eminet & exuperat omnia. Hoc ait per excellentiam esse. vt [15] poeta communiter dicitur. omnibus enim versus facientib. hoc nomen est. sed iam apud Graecos in vnius notam cessit. Homerum intelligas, cum audieris poetam. Quid ergo hoc est? Deus scilicet maior ac potentior cunctis. Tertium genus est eorum [16] quae proprie sunt: innumerabilia haec sunt, sed extra nostrum posita conspectum. [h] Quae sunt, interrogas? Propria Platonis supellex est. Ideas vocat, [i] ex quibus [17] omnia quae fiunt, & ad quas cuncta formantur. Hae immortales, immutabiles, inuiolabiles sunt. Quid sit Idea, id est, quid Platoni esse videatur, audi. Idea est [k] eorum quae natura fiunt exemplar aeternum. Adijciam definitioni interpretationem, quo tibi res apertior fiat. Volo imaginem tuam facere. [l] exemplar picturae te habeo, ex quo capit aliquem babitum mens quem operi suo imponat. Ita illa quae me docet & instruit facies, a qua petitur imitatio, Idea est. Talia ergo exemplaria infinita habet natura rerum, hominum, piscium, arborum: ad quae [18] quodcunque fieri ab illa debet, exprimitur. Quartum locum habet εἶδος. Quid sit hoc εἶδος, attendas oporter: & Platoni imputes, non mihi, hanc rerum difficultatem. Nulla est autem sine difficultate subtilitas. Paulo ante pictoris imagine vtebar. Ille cum reddere Virgilium coloribus vellet, ipsum intuebatur: Idea erat Virgilij facies, futuri operis exemplar: ex hac quod artifex trahit, & operi suo imposuit, εἶδος est. Quid intersit, quaeris? alterum exemplar est, alterum forma ab exemplari sumpta, & operi imposita. Alteram artifex imitatur, alteram facit. Habet aliquam faciem statua: haec est Idos. Habet aliquam faciem exemplar ipsum, quod intuens opifex, statuam figurauit: haec Idea est. Etiamnum áliam desideras distinctionem? Idos in opere est: Idea extra opus: nec tantum extra opus est, sed [19] ante opus. Quintum genus est eorum quae communiter sunt: haec incipiunt ad nos pertinere: hic sunt omnia, homines, pecora, res. Sextum genus eorum est quae quasi sunt, tanquam inane, tanquam tempus. Quaecunque videmus ac tangimus, Plato in illis non numerat, quae esse proprie putat. Fluunt enim, & assidua diminu-

tione atque adiectione ſunt. Nemo noſtrum idem eſt in ſenectute, qui fuit iuuenis. Nemo eſt mane, qui fuit pridie. Corpora noſtra rapiuntur fluminum more. quicquid vides, currit cum tempore. Nihil ex his quae videmus, manet. Ego ipſe dum loquor mutari iſta, mutatus ſum. Hoc eſt quod ait Heracletus: [20] [m] In idem flumen bis non deſcendimus. Manet idem fluminis nomen, aqua tranſmiſſa eſt. Hoc in amne manifeſtius eſt, quàm in homine. Sed nos quoque non minus velox curſus praeteruehit: & ideo admiror dementiam noſtram, quòd tantopere amamus rem fugaciſſimam, corpus, timemusque ne quando moriamur: cum omne momentum, mors prioris habitus ſit. [21] Vis tu timere, ne ſemel fiat quod quotidie fit? De homine dixi, fluida materia & caduca, & omnib. obnoxia caſibus. Mundus quoque, aeterna res & inuicta, mutatur, nec idem manet. Quamuis enim omnia in ſe habeat quae habuit, aliter habet quàm habuit, ordinem mutat. Quid, inquis, iſta ſubtilitas mihi proderit? ſi me interrogas, nihil. Sed quemadmodum ille caelator oculos diu intentos ac fatigatos remittit atque auocat, &, vt dici ſolet, paſcit: ſic nos animum aliquando debemus relaxare, & quibuſdam oblectamentis reficere. ſed ipſa oblectaméta opera ſint: ex his quoque ſi obſeruaueris, [22] inuenies, quod poſſit fieri ſalutare. Hoc ego, mi Lucili, ſoleo facere: [23] ex omni vacatione, etiam ſi [24] a philoſophia longiſſime auerſa eſt, eruere aliquid conor, & vtile efficere. Quid de iſtis capiam, quae modo tractauimus, remotis a reformatione morum? Quomodo meliorem me facere Ideae Platonicae poſſunt? Quid ex iſtis traham, quod cupiditates meas comprimat? vel hoc ipſum, quòd omnia iſta quae ſenſibus ſeruiunt, quae nos accendunt & irritant, negat Plato ex iis eſſe qoae vere ſint. Igitur iſta imaginaria ſunt, & ad tempus aliquam faciem ferunt. [25] nihil horum ſtabile nec ſolidum eſt. & nos tamen cupimus [n] tanquã aut ſemper futura, aut ſemper habituri. imbecilli fluidique per interualla conſiſtimus. Mittamus animum ad illa quae aeterna ſunt. miremur [26] in ſublime volitantes rerum omnium formas, Deumque inter illa verſantem & prouidentem, quemadmodũ quae immortalia facere non potuit, [27] quia materia prohibebat, defendat a morte, [o] ac ratione vitium corporis vincat. Manent enim cuncta, non quia aeterna ſunt, ſed quia defenduntur cura regentis. Immortalia tutore non egent. Haec conſeruat artifex, fragilitatem materiae vi ſua vincens. [28] Contemnamus omnia, quae adeo pretioſa non ſunt, vt an ſint omnino, dubium ſit. [29] Illud ſimul cogitemus, ſi mundum ipſum nõ minus mortalem, quàm nos ſumus, prouidentia periculis eximit, [p] poſſe tandem aliquatenus noſtra quoque prouidentia longiorem protogari huic corpuſculo moram, ſi voluptates, quibus pars maior perit, potuerimus regere & coercere. Plato ipſe ad ſenectutem ſe diligentia pertulit. Erat quidem corpus validũ ac forte ſortitus, [30] & illi nomen latitudo pectoris fecerat: ſed nauigationes ac pericula multum detraxerunt viribus: parſimonia tamen, & eorum quae auiditatem euocant modus, & diligens ſui tutela, perduxit illum ad ſenectutem, multis prohibentibus cauſis. Nam hoc ſcis, puto, Platoni diligentiae ſuae beneficio contigiſſe, quòd natali ſuo deceſſit, & annum vnum atque octogeſimum impleuit, ſine vlla deductione. Ideo Magi, qui forte Athenis erant, immolauerunt defuncto, amplioris fuiſſe ſortis quàm humanae rati, quia conſummaſſet perfectiſſimum numerum, quem nouem nouies multiplicara componunt. Non dubito, quin paratus eſſet paucos dies ex iſta ſumma & ſacrificium remittere. Poteſt frugalitas prodocere ſenectutem: quam vt non puto concupiſcendam, ita ne recuſandam quidem. Iucundum eſt eſſe ſecum quàm diutiſſime, cum quis ſe dignum quo frueretur, effecit. Itaque de iſto feremus ſententiam, an oporteat faſtidire ſenectutis extrema, & finem non opperiri, ſed manu facere. Prope eſt a timente, qui fatum ſegnis expectat: ſicut ille vltra modum deditus vino eſt, qui amphoram exſiccat, & faecem quoque exſorbet. De hoc tamen quaeremus, pars ſumma vitae, [q] vtrum faex vitae haec ſit, an liquidiſſimum ac poriſſimum quiddã: ſi modo mens ſine iniuria eſt, & integri ſenſus animum iuoant, nec defectum & praemortuum corpus eſt. Plurimum enim refert, vitam aliquis extendat, an mortem. At ſi inutile miniſteriis eſt corpus, quid ni oporteat educere animum laborantem? & fortaſſe paulo ante quàm debet, faciendum eſt, ne cum fieri debeat, facere non poſſis: & cum maius periculum ſit male viuendi, quàm cito moriendi, ſtultus eſt qui non exigui temporis mercede, magnae rei aleam redimit. Paucos longiſſima ſenectus ad mortem ſine iniuria pertulit. Multis iners vita ſine vſu iacuit ſui. Quanto deinde crudelius iudicas, aliquid ex vita perdidiſſe, quamuis finienda? Noli me inuitus audire, tanquam ad te iam pertineat iſta ſententia: ſed quid dicam aeſtima. Non relinquam ſenectutem, ſi me totum mihi reſeruabit: totum autem ab illa parte meliore. At ſi coeperit concutere mentem, ſi partes eius conuellere, ſi mihi non vitam reliquerit, ſed animam: proſiliam [31] ex aedificio putrido ac ruenti. Morbum morte non fugiam, dumtaxat ſanabilem, nec officientem animo: non afferam mihi manus propter dolorem.

dolorem. sic mori, vinci est. Hunc tamen si sciero perpetuo mihi esse patiendum: exibo non propter ipsum, sed quia impedimento mihi futurus est ad omne propter quod viuitur. Imbecillus est & ignauus, qui propter dolorem moritur: stultus, qui doloris causa viuit. Sed in longum exeo. Est praeterca materia quae ducere diem possit. Et quomodo finem vitae imponere poterit, qui epistolae non potest? Vale ergo: quod libentius quàm [12] mortis meras lecturus es.

Epistola LIX.

M[1]AGNAM ex epistola tua percepi voluptatem: permitte enim mihi, vti verbis publicis; nec illa ad significationem Stoicam reuoca. Vitium esse voluptatem credimus. Sit sane: ponere tamen illam solemus ad demonstrandam animi hilarem affectionem. Scio, inquam, & voluptatem (si ad nostrum album verba dirigimus) rem infamem esse, & [2] gaudium nisi sapienti non contingere. Est enim animi elatio, suis bonis viribusque fidentis. vulgo tamen sic loquimur, vt dicamus, magnum gaudium nos ex illius consulatu, aut ex nuptiis, aut ex partu vxoris percepisse: quae adeo non sunt gaudia, vt saepe initia futurae tristitiae sint. Gaudio autem iunctum est, non desinere, nec in contrariã verti. Itaque cum dicit Virgilius noster: Et mala mentis gaudia; diserte quidem dicit, sed parum proprie: nullum enim malum gaudium est. Voluptatibus hoc nomen imposuit, & quod voluit, expressit: significauit enim homines, malo suo laetos. tamen ego non immerito dixeram, cepisse me magnam ex epistola tua voluptatem. Quamuis enim ex iusta causa imperitus homo gaudeat, tamen affectum eius impotentem, & in diuersa statim inclinaturum, voluptatem voco, [a] opinione falsi boni motam, immoderatam & immodicam. Sed vt ad propositum reuertar, audi quid me in epistola tua delectauerit. habes verba in potestate. non effert te oratio, nec longius quam destinasti, trahit. Multi sunt, qui ad id quod non proposuerant scribere, alicuius verbi decore placentis vocentur; quod tibi non euenit: pressa sunt omnia, & rei aptata. Loqueris quantum vis, & plus significas quàm loqueris. Hoc maiotis rei indicium est. apparet animum quoque nihil habere superuacui, nihil tumidi. [b] Inuenio tamen [3] translationes verborum, vt non temerarias, ita non indecoras, vt quae periculum sui fecerint. Inuenio imagines: quibus si quis nos vti vetat, & poetis illas solis iudicat esse concessas, neminem mihi videtur ex antiquis legisse, [4] apud quos nondum captabatur plausibilis oratio. Illi qui simpliciter & demonstrandae rei causa eloquebantur, [5] parabolis referti sunt: quas existimo necessarias, non ex eadem causa qua poetis, sed vt imbecillitatis nostrae adminicula sint, & vt discentem & audientem in rem praesentem adducant. Sextium ecce cummaxime lego, virum acrem, Graecis verbis, Romanis moribus philosophantem. mouit me imago ab illo posita: ire quadrato agmine exercitum, vbi hostis ab omni parte suspectus est, pugnae paratum. Idem, inquit, sapiens facere debet: omnes virtutes suas vndiqne expandat, vt vbicunque infesti aliquid oritur, illic parata praesidia sint, & ad nutum regentis sine tumultu respondeant: quod in exercitibus his quos imperatores magni ordinant, fieri videmus, vt imperium ducis simul omnes copiae sentiant, sic dispositae, vt signum ab vno datum, peditem simul equitemque percurrat: hoc aliquanto magis necessarium esse nobis, Sextius ait. Illi enim saepe hostem timuere sine causa, tutissimumque illis iter, quod suspectissimum fuit. Nil stultitia pacatum habet. Tam superne illi metus est, quàm infra. Vtrumque trepidat latus. Sequuntur pericula & occurrunt, ad omnia pauet. imparata est, & ipsis terretur auxiliis. Sapiens autem ad omnem incursum munitus & intentus, non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem referet. Interritus & contra illa ibit, & inter illa. Nos multa alligant, multa debilitant: diu in istis vitiis iacuimus. elui difficile est. Non enim inquinati sumus, sed infecti, ne ab alia imagine ad aliam transeamus. hoc quaeram, quod mecum saepe dispicio, quid ita nos stultitia tam pertinaciter teneat. Primo quia non fortiter illam repellimus: nec toto ad salutem impetu nitimur: deinde quia illa quae a sapientibus viris reperta sunt, non satis credimus, nec apertis pectoribus haurimus, leuiterque tam magnae rei insistimus. Quemadmodum autem potest aliquis, quantum satis sit, aduersus vitia discere, qui quantum a vitiis vacat, discit? Nemo nostrum in altum descendit. summa tantum decerpsimus: & exiguum temporis impendisse philosophiae, satis abundeque occupatis fuit. Illud praecipue impedit, quòd cito nobis placemus: si inuenimus qui nos bonos viros dicat, qui prudentes, qui sanctos, agnoscimus. Nec sumus modica laudatione contenti: quicquid in nos adulatio sine pudore congessit, tanquam debitum prendimus: optimos nos esse, sapientissimos affirmantibus assentimur, cum sciamus illos saepe mentiri.

Adeoque indulgemus nobis, vt laudari velimus in id, cui contraria cummaxime facimus. Mitissimum ille se in ipsis suppliciis audit, in rapinis liberalissimum, in ebrietatibus ac libidinibus temperantissimum. Sequitur itaque, vt ideo mutari nolimus, quia nos optimos esse credimus. Alexander cum iam in India vagaretur, & gentes, ne finitimis quidem satis notas, bello vastaret, in obsidione cuiusdam vrbis dum circuit muros, & dum imbecillissima moenium quaerit, sagitta ictus, diu persedere, & incoepta agere perseuerauit. Deinde cum, represso sanguine, sicci vulneris dolor cresceret, & crus equo suspensum paulatim obtorpuisset, coactus absistere, Omnes, inquit, iurant me Iouis esse filium, sed vulnus hoc hominem esse me clamat. Idem nos faciamus: cum pro sua quenque portione adulatio infatuat, dicamus: Vos quidem me dicitis prudentem esse: ego autem video quàm multa inutilia concupiscam, nocitura optem. ne hoc quidem intelligo, quod animalibus satietas monstrat, quis cibo debeat esse, quis potioni modus: quantum capiam, adhuc nescio. Iam docebo, quemadmodum intelligas te non esse sapientem. Sapiens ille est, qui plenus gaudio, hilaris & placidus, inconcussus, cum diis ex pari viuit. Nunc ipse te consule: si nunquam maestus es, nulla spes animum tuum futuri expectatione sollicitat, si per dies noctesque par & aequalis animi tenor erecti & placentis sibi est, peruenisti ad humani boni summam. Sed si appetis voluptates, & vndique, & omnes, scito tantum tibi ex sapientia, quantum ex gaudio, deesse. ad hoc cupis peruenire, sed erras, qui inter diuitias illuc venturum esse te speras. Inter honores gaudium, id est, inter solicitudines quaeris? Ista quae sic petis, tanquam datura laetitiam ac voluptatem, causae dolorum sunt. Omnes, inquam, illi tendunt ad gaudium: sed vnde stabile magnumque consequantur, ignorant. Ille ex conuiuiis & luxuria. Ille ex ambitione, & circumfusa clientiũ turba. Ille ex amica, alius ex studiorum liberalium vana ostentatione, & nihil sanantibus litteris. Omnes istos oblectamenta fallacia & breuia decipiunt, sicut ebrietas, quae vnius horae hilarem insaniam, longi temporis taedio pensat: sicut plausus & acclamationis secũdae fauor, qui magna solicitudine & partus est, & expiandus. Hoc ergo cogita, hunc esse sapientiae effectum, gaudij aequalitatem. Talis est sapientis animus, qualis mundi status super lunam. Semper illic serenum est. Habes ergo, quare velis sapiens esse. quia nunquam sine gaudio est. Gaudium hoc non nascitur, nisi ex virtutum conscientia. Non potest gaudere, nisi fortis, nisi iustus, nisi temperans. Quid ergo, inquis? stulti ac mali non gaudent? Non magis quàm praedam nacti leones. Cum fatigauerunt se vino & libidinibus, cum illos nox inter vina defecit, cum voluptates angusto corpori vltra quàm capiebat ingestae suppurare coeperunt, tunc exclamant miseri Virgilianum illum versum:

Namque vt supremam falsa inter gaudia noctem
Egerimus, nosti. ---

Omnem luxuriosi noctem inter falsa gaudia, & quidem tanquam supremam, agunt. Illud gaudium, quod deos deorumque aemulos sequitur, non interrumpitur, non desinit. desineret, si sumptum esset aliunde. Sed quia non est alieni muneris, nec arbitrij quidem alieni est. Quod non dedit fortuna, non eripit.

Epistola L X.

QVEROR, litigo, irascor. Etiamnum optas quod tibi optauit nutrix tua, aut paedagogus, aut mater. Nondum intelligis, quantum mali optauerint. O quàm inimica nobis sunt vota nostrorum, eo quidem inimiciora; quo cessere felicius. Iam non admiror, si omnia nos a prima pueritia mala sequuntur, inter execrationes parentum creuimus. Exaudiant dij quandoque nostram vocem gratuitam. Quousque poscemus aliquid Deos, quasi nondum ipsi alere nos possimus? Quàm diu sationibus implebimus magnarum vrbium campos? quàm diu nobis populus metet? quàm diu vnius mensae frumentum multa nauigia, & quidem non ex vno mari, subuehent? Taurus paucissimorum iugerum pascuis impletur: vna silua elephantis pluribus sufficit: homo & terra pascitur, & mari. Quid ergo? tam insatiabilem nobis natura aluum dedit, cum tam modica corpora dedisset, vt vastissimorum edacissimorumque animalium auiditatem vinceremus? Minime. Quantulum est enim quod naturae datur? Paruo illa dimittitur. Non fames nobis ventris nostri magno constat, sed ambitio. Hos itaque (vt ait Sallustius) ventri oboedientes, animalium loco numeremus, non hominum: quosdam vero ne animalium quidem, sed mortuorum. Viuit is, qui se vtitur. Qui vero latitant & torpent, sic in domo sunt, quasi in conditiuo. Horum licet in limine ipso nomen marmori inscribas, mortem suam antecesserunt.

Epistola LXI.

DESINAMVS quod volumus velle. Ego certe id ago senex, ne videar eadem velle, quae puer volui. In hoc vnũ eunt dies, in hoc noctes: hoc opus meũ est, haec cogitatio, imponere veteribus malis finem. Id ago, vt mihi instar totius vitae, sit dies. Nec mehercules tanquam vltimum rapio, sed sic illum aspicio, tanquam esse vel vltimus possit. Hoc animo tibi hanc epistolam scribo, tanquam cummaxime scribentem mors euocatura sit. Paratus exire sum, & ideo fruor vita: ᵃquia quàm diu futurum hoc sit, minimi pendo. Ante senectutem curaui vt bene viuerem: in senectute, vt bene morer. Bene autem mori, est libenter mori. Da operam, ne quid vnquam inuitus facias. quicquid necesse est, futurum est. Repugnanti, non volenti necessitas est: in volente necessitas non est. Ita dico, qui imperia libens excipit, partem acerbissimã seruitutis effugit, facere quod nolit. Non qui iussus aliquid facit, miser est: sed qui inuitus facit. Itaque sic animum componamus, vt quicquid res exiget, id velimus, & in primis finem nostri sine tristitia cogitemus: ante ad mortem quàm ad vitam praeparandi sumus. Satis instructa vita est: sed nos instrumentorum eius auidi sumus. Deesse nobis aliquid videtur, & semper videbitur. Vt satis vixerimus, nec anni nec dies faciunt, sed animus. Vixi, Lucili carissime, quantum satis erat: mortem plenus expecto.

Epistola LXII.

MENTIVNTVR, qui sibi obstare ad studia liberalia turbam negotiorum videri volunt. Simulant occupationes, & augent, & ipsi se occupant. Vaco, mi Lucili, vaco: & vbicunque sum, meus sum. Rebus enim non me trado, sed commodo: nec consector perdendi temporis causas: & quocunque constiti loco, ibi cogitationes meas tracto, & aliquid in animo salutare verso. Cum me amicis dedi, non tamen mihi abduco: nec cum illis moror quibus me tempus aliquod congregauit, aut causa ex officio nata, sed cum optimo quoque sum: ad illos in quocunque loco, in quocunque saeculo fuerint, animum meum mitto. Demetrium, virorum optimum, mecum circumfero, & relictis conchyliatis, cum illo seminudo loquor, illum admiror. Quid ni admirer? vidi nihil ei deesse. Contemnere omnia aliquis potest: omnia habere nemo potest. Breuissima ad diuitias per contemptum diuitiarum via est. Demetrius autem noster sic viuit, non tanquam contempserit omnia, sed tanquam aliis habenda permiserit.

Epistola LXIII.

MOLESTE fers decessisse Flaccum, amicum tuum: plus tamen aequo dolere te nolo. Illud, vt non doleas, vix audeo exigere: etsi esse melius scio. Sed cui ista firmitas animi continget, nisi iam multum supra fortunam elato? Illum quoque ista res vellicabit, sed tantum vellicabit. Nobis autem ignosci potest prolapsis ad lacrimas, si non nimiae decurrerunt, si ipsi illas repressimus. Nec sicci sint oculi amisso amico, nec fluant. Lacrimandum est, non plorandum. Duram tibi legem videor ponere: cum poetarum Graecorum maximus ius flendi dederit in vnum dumtaxat diem: cum dixerit, etiam Nioben de cibo cogitasse. Quaeris vnde sint lamentationes, vnde immodici fletus? Per lacrimas argumenta desiderij quaerimus: & dolorem non sequimur, sed ostendimus. Nemo tristis sibi est. O infelicem stultitiam. Est aliqua & doloris ambitio. Quid ergo? inquis. obliuiscar amici? Breuem illi apud te memoriam promittis, si cum dolore mansura est. Iam istam frontem ad risum quaelibet fortuita res transferet. Non differo in longius tempus, quo desiderium omne mulcetur, quo etiam acerrimi luctus residunt. Cum primum te obseruare desieris, imago ista tristitiae discedet. Nunc ipse custodis dolorem tuum, sed custodienti quoque elabitur: eoque citius, quo est acrior, desinit. Id agamus, vt iucunda fiat nobis amissorum recordatio. Nemo libenter ad id redit, quod non sine tormento cogitaturus est. Si tamen illud fieri necesse est, vt cum aliquo nobis morsu, amissorum quos amauimus nomen occurrat, hic quoque morsus habet suam voluptatem. Nam, vt dicere solebat Attalus noster; Sic amicorum defunctorum memoria iucunda est, quomodo in vino nimis veteri ᵃipsa nos amaritudo delectat: quomodo poma quaedam sunt suauiter aspera: cum vero interuenit spatium, omne quod angebat extinguitur, & pura ad nos voluptas venit. Si illi credimus, amicos incolumes cogitare, melle ac placenta frui est: eorum qui fuerũt retractatio, non sine acerbitate quadam iuuat. Quis autem negauerit, haec acria quoque, & habentia austeritatis aliquid, stomachum excitare? Ego non idem sentio. Mihi amicorum defunctorum cogitatio, dulcis ac blanda est. habui enim illos, tanquam amissurus: amisi, tanquam habeam. Fac ergo mi Lucili, quod tuam aequitatem decet. ᵃDesine beneficium naturae male interpretari. abstulit, sed dedit. Ideo amicis auide fruamur, quia

quamdiu contingere hoc possit, incertum est. Cogitemus quàm saepe illos reliquerimus, in aliquam peregrinationem longinquam exituri: quàm saepe eodem morantes loco, non viderimus. intelligemus plus nos temporis perdidisse in viuis. Feras autem bos, qui cum negligentissime amicos habeant, miserrime lugent: nec amant quemquam, nisi quum perdiderunt? Ideoque tunc effusius maerent, quia verentur ne dubium sit an amauerint. sera indicia affectus sui quaerunt. Si alios habemus amicos, male de his & meremur & existimamus: quia parum valent in vnius elati solatium: si non habemus, maiorem ipsi nobis iniuriam fecimus, quàm a fortuna accepimus. Illa vnum abstulit: nos quenquam non fecimus. Deinde ne vnum quidem amauit, qui plus quàm vnum amare non potuit. Si quis despoliatus, amissa vnica tunica, complorare se malit, quàm circunspicere quomodo frigus effugiat, & aliquid inueniat quo tegat scapulas, nonne tibi videatur stultissimus? Quem amabas, extulisti. quaere quem ames. Satius est amicum reparare, quàm flere. Scio pertritum iam hoc esse quod adiecturus sum. non tamen ideo praetermittam, [b] quia ab omnibus dictum est. FINEM dolendi etiam qui consilio non fecerat, tempore inuenit. Turpissimum autem est in homine prudente remedium maeroris, lassitudo maerendi. Malo relinquas dolorem, quàm ab illo relinquaris. quamprimum id facere desiste, quod, etiam si voles, diu facere non poteris. Annum feminis ad lugendum constituere maiores, non vt tamdiu lugerent, sed ne diutius: viris nullum legitimum tempus est, quia nullum honestum. Quam tamen mihi ex illis mulierculis dabis, vix retractis a rogo, vix a cadauere reuulsis, cui lacrimae in totum mensem durauerint? Nulla res citius in odium venit, quàm dolor: qui recens, consolatorem inuenit, & aliquos ad se adducit: inueteratus veró deridetur. nec immerito. aut enim simulatus, aut stultus est. Haec tibi scribo, is qui Annaeum Serenum carissimum mihi tam immodice fleui, vt (quod minime velim) inter exempla sim eorum quos dolor vicit. hodie tamen factum meum damno, & intelligo maximam mihi causam sic lugendi fuisse, quòd nunquam cogitaueram, mori eum ante me posse. Hoc vnum mihi occurrebat, minorem esse, & multo minorem: tamquam ordinem fata seruarent. Itaque assidue cogitemus, tam de nostra quàm omnium quos diligimus, mortalitate. Tunc ego dicere debui: Minor est Serenus meus. quid ad rem pertinet? post me mori deber, sed ante me potest. quia non feci, imparatum subito fortuna percussit: nunc cogito omnia & mortalia esse, & incerta lege mortalia. Hodie fieri potest, quicquid vnquam potest. Cogitemus ergo, Lucili carissime, cito nos eo peruenturos, quo illum peruenisse maeremus. Et fortasse (si modo sapientium vera fama est, recipitque nos locus aliquis) quem putamus perisse, praemissus est.

Epistola LXIIII.

FVISTI heri nobiscum. Potes queri, si heri tantum: ideo adieci, nobiscum: mecum enim semper es. Interuenerant quidam amici, propter quos maior fumus fieret: non hic qui erumpere ex lautorum culinis, & terrere vigiles solet: sed hic modicus, qui hospites venisse significaret. Varius nobis sermo fuit, vt in conuiuio, nullam rem vsque ad exitum adducens, sed aliunde alio transiliens. lectus est deinde liber Q. Sextij patris, magni, si quid mihi credis, viri, &, licet negent, Stoici. Quantum in illo, dij boni, vigoris est, quantum animi? hoc non in omnibus philosophis inuenies. Quorundam scripta clarum habent tantum nomen: cetera exsanguia sunt. Instituunt, disputant, cauillantur. Non faciunt animum, quia non habent. Cum legeris Sextium, dices: Viuit, viget, liber est, supra hominem est, dimittit me plenum ingentis fiduciae. In quacunque positione mentis sim, cum lego hunc (fatebor tibi) libet omnes casus prouocare, libet exclamare: Quid cessas fortuna? congredere. paratum vides. Illius animum induo, qui quaerit vbi se experiatur, vbi virtutem suam ostendat:

Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fuluum descendere monte leonem.

Libet aliquid habere quod vincam, cuius patientia exercear. Nam hoc quoque egregium Sextius habet, quod & ostendet tibi beatae vitae magnitudinem, & desperationem eius nõ faciet. Scies illam esse in excelso, sed volenti penetrabilem. hoc quidem virtus tibi ipsa praestabit, vt illam admireris, & tamen speres. Mihi certe temporis multum auferre solet contemplatio ipsa sapientiae. Non aliter illam intueor obstupefactus, quàm ipsum interim mundum, quem saepe tanquam spectator nouus video. Veneror itaque inuenta sapientiae, inuentoresque. Adire tanquam multorũ hereditatem iuuat. Mihi ista acquisita, mihi laborata sunt. Sed agamus bonum patremfamiliae: faciamus ampliora quae accepimus.

maior ista hereditas a me ad posteros transeat. Multum adhuc restat operis, multumque restabit: nec vlli nato post mille saecula praecludetur occasio aliquid adhuc adiiciendi. Sed etiam si omnia a veteribus inuenta sunt: hoc semper nouum erit, vsus, & inuentorum ab aliis scientia & dispositio. Puta relicta nobis medicamenta, quibus sanarentur oculi. Non opus est mihi alia quaerere.ª haec tantum morbis & temporibus aptanda sunt. Hoc asperitas oculorum conleuatur. hoc palpebrarum crassitudo tenuatur. hoc vis subita & humor auertitur.hoc acuitur visus.Teras ista oportet,& eligas tempus, adhibeas singulis modum. Animi remedia inuenta sunt ab antiquis: quomodo autem admoueantur, aut quando, nostri operis est quaerere.Multum egerunt qui ante nos fuerunt,sed non peregerunt.Suspiciendi tamen sunt, & ritu deorum colendi. Quid ni ego magnorum virorum & imagines habeam,incitamenta animi,& natales celebrem?Quid ni illos honoris causa semper appellem?Quam venerationem praeceptoribus meis debeo,eandem illis praeceptoribus generis humani,a quibus tanti boni initia fluxerunt.Si consulem videro aut praetorem,omnia quibus honor haberi solet,faciam,equo desiliam,caput adaperiam, semita cedam. Quid ergo? Marcum Catonem vtrumque,& Laelium Sapientem,& Socratem cum Platone, & Zenonem, Cleanthemque in animũ meum sine dignatione summa recipiam? Ego vero illos veneror,& tantis nominibus semper assurgo.

Epistola LXV.

HESTERNVM diem diuisi cum mala valetudine: antemeridianum illa sibi vindicauit: postmeridianum mihi cessit. Itaque lectione primum tentaui animum. Deinde cum hanc recepisset,plus illi imperare ausus sum,immo permittere.aliquid scripsi,& quidem intentius,quàm soleo,dum cum materia difficili cõtendo,& vinci nolo: donec interuenerunt amici, qui mihi vim afferrent, & tanquam aegrum intemperantem coercerent. In locum stili sermo successit: ex quo eam partem ad te perferam, quae in lite est: te arbitrum adegimus: plus negotij habes quàm existimas. Triplex causa est. Dicunt, vt scis, Stoici nostri, duo esse in rerum natura, ex quibus omnia fiant: causam & materiam. Materia iacet iners, res ad omnia parata, cessatura, si nemo moueat. Causa autem, id est ratio, materiam format, & quocunque vult versat: ex illa varia opera producit. ª Esse debet ergo vnde aliquid fiat, deinde a quo fiat. hoc causa est, illud materia. Omnis ars imitatio est naturae:itaque quod de vniuerso dicebam,ad haec transfer quae ab homine facienda sunt. Statua & materiam habuit, quae pateretur artificium: & artificem, qui materiae daret faciem. Ergo in statua materia aes fuit, causa artifex. Eadem condicio rerum omnium est. ex eo constant quod fit, & ex eo quod facit. Stoicis placet vnam causam esse, id quod facit. Causam Aristoteles putat tribus modis dici. Prima, inquit, causa est ipsa materia, sine qua nihil potest effici. Secunda opifex. Tertia forma, quae vnicuique operi imponitur, tanquam statuae. Nam hanc Aristoteles Idos vocat. Quarta quoque, inquit, his accedit, propositum totius operis. Quid sit hoc, aperiam. AEs prima statuae causa est: nunquam enim facta esset, nisi fuisset id ex quo ea funderetur, duceretutve. Secunda causa artifex est: non potuisset enim aes illud in habitum statuae figurari, nisi accessissent peritae manus. Tertia causa est forma: neque enim statua ista Doryphoros aut Diadumenos vocaretur, nisi haec illi esset impressa facies. Quarta causa est faciendi propositum: nam nisi hoc fuisset, facta non esset. Quid est propositum? quod inuitauit artificem, quod ille secutus fecit. Vel pecunia est hoc, si venditurus fabricauit: vel gloria, si laborauit in nomen: vel religio, si donum templo parauit. Ergo & haec causa est propter quam fit. An non putas inter causas facti operis numerandum, quo remoto factum non esset? His quintam Plato adiicit exemplar, quam ipse Ideam vocat: hoc est enim ad quod respiciens artifex, id quod destinabat,efficit. Nihil autem ad rem pertinet, vtrum foris habeat exẽplar, ad quod referat oculos:an intus,quod sibi ipse concepit & posuit. Haec exemplaria rerum omnium Deus intra se habet, numerosque vniuersorum quae agenda sunt, & modos mẽte complexus est.plenus his figuris est,quas Plato Ideas appellat immortales,immutabiles,infatigabiles.Itaque homines quidem pereunt: ipsa autem humanitas ad quam homo effingitur, permanet,& hominibus laborantibus, intereũtibus illa nil patitur. Quinque ergo causae sunt, vt Plato dicit:Id ex quo,id a quo,id quo,id ad quod,id propter quod.nouissime id quod ex his est. Tanquam in statua (quia de hac loqui coepimus) Id ex quo,aes est:Id a quo,artifex est: Id quo, forma est,quae aptatur illi:Id ad quod, exemplar est,quod imitatur is qui facit: Id propter quod,facientis propositum est.Id quod ex istis est,ipsa statua.Haec omnia mundus quoque (vt ait Plato)habet. Faciens; hic Deus est: Ex quo fit; haec materia est:Forma;

haec eſt habitus, & ordo mundi quem videmus: Exemplar, ſcilicet ad quod Deus hanc magnitudinem operis pulcherrimi fecit: Propoſitum, propter quod fecit. Quaeris, quid ſit propoſitum Deo? Bonitas. ita certe Plato ait. Quae Deo faciẽdi mundum cauſa fuit? bonus eſt, bona fecit; bono nulla cuiuſquam boni inuidia eſt. Fecit itaque quàm optimum potuit. Fer ergo iudex ſententiam, & proountia, quis tibi veriſimillimum videatur dicere, non quis verum dicat. Id enim tã ſupra nos eſt, quàm ipſa veritas. Haec quae ab Ariſtotele & Platone ponitur, turba cauſarum, aut nimium multa, aut nimium pauca comprehẽdit. Nam ſi quocunque remoto quid effici non poteſt, id cauſam iudicant eſſe faciendi, pauca dixerunt. Ponant inter cauſas tempus. nihil ſine tempore poteſt fieri. Ponant locum. ſi non fuerit vbi fiat aliquid, ne fiet quidem. Ponant motum. nil ſine hoc nec fit nec perit: [b] nulla ſine motu ars, nulla motatio eſt. Sed nos nunc primam & generalem cauſam quaerimus. haec ſimplex eſſe debet. Nam & materia ſimplex eſt. Quaerimus, quid ſit cauſa: Ratio faciens, id eſt, Deus. Ita enim quae nunc retuli, non ſunt multae & ſingulae cauſae, ſed ex vna pendent, ex ea quae facit. Formam dicis cauſam eſſe: hanc imponit artifex operi. pars eſt, non cauſa. Exemplar quoque non eſt cauſa, ſed inſtrumentum cauſae neceſſarium. Sic oeceſſarium eſt exemplar artifici, quomodo ſcalprum, quomodo lima. ſine his procedere ars non poteſt. non partes tamen haec artis, aut cauſae ſunt. Propoſitum, inquit, artificis, propter quod ad faciendum aliquid accedit, cauſa eſt. vt ſit cauſa, nõ eſt efficiens cauſa, ſed ſuperueniens. Hae autem innumerabiles ſunt. nos de cauſa quaerimus generali. Illud vero non pro ſolita ipſis ſubtilitate dixerunt, totum mundum & conſummatum opus cauſam eſſe. multum enim intereſt inter opus & cauſam operis. Aut fer ſententiam: aut (quod facilius in eiuſmodi rebus eſt) nega tibi liquere, & nos reuerti iube. Quid te, inquis, delectat tẽpus inter iſta conterere, quae tibi nullum affectum eripiunt, nullam cupiditatem abigunt? Ego quidem priora illa ago ac tracto, quibus pacatur animus, & me prius ſcrutor. Deinde huoc mundum. [c] Ne hoc quidem tempus, vt exiſtimas, perdo. Iſta enim omnia ſi nõ concidantur, nec in hanc ſubtilitatem inutilem diſtrahantur, attollunt & leuant animum, qui graui ſarcina preſſus, explicari cupit, & reuerti ad illa quorum fuit. Nam corpus hoc animi pondus ac poena eſt: premente illo vrgetur: in vinculis eſt, niſi acceſſit philoſophia: & illum reſpirare rerum naturae ſpectaculo iuſſit, & a terrenis dimiſit ad diuina. Haec libertas eius eſt, haec euagatio: ſubducit interim ſe cuſtodiae in qua tenetur, & caelo reficitur. [d] Quemadmodum artifices ex alicuius rei ſubtilioris intentione, quae oculos defatigat, ſi malignum & non praeclarum lumen habent, in publicum prodeunt, & in aliqua regione ad populi otium dedicata oculos libera luce delectant: ſic animus in hoc triſti & obſcuro domicilio cluſus, quoties poteſt, apertum petit, & in rerum naturae cootemplatione requieſcit. Sapiens aſſectatorque ſapientiae adhaeret quidem in corpore ſuo, ſed optima ſui parte abeſt, & cogitationes ſuas ad ſublimia inteodit, [e] & velut ſacramento rogatus, hoc quod viuit ſtipendium putat, & ita formatus eſt, vt illi nec amor vitae, oec odium ſit, patiturque mortalia, quamuis ſciat ampliora ſupereſſe. Interdices mihi inſpectione rerum naturae, ac toto abductum rediges in partem? Ego non quaeram, quae ſint initia vniuerſorum, quis rerum formator, quis omnia in vna maſſa & materia inerti conuoluta diſcreuerit? Non quaeram, quis ſit artifex huius mundi: qua ratione tanta magnitudo in legem & ordinem venerit, quis ſparſa collegerit, confuſa diſtinxerit, nimia deformitate latentibus faciem diuiſerit: vnde lux tanta fundatur: ignis ſit, an aliquid igne lucidius? Ego iſta non quaeram? ego neſciam vnde deſcenderim? ſemel haec mihi videnda ſint, [f] an ſaepe? Neſciam quo hinc iturus ſim? quae ſedes expectet animam ſolutam legibus ſeruitutis humanae? Veras me caelo iotereſſe, id eſt, iubes me viuere capite demiſſo? Maior ſum, & ad maiora genitus, quàm vt mancipium ſim mei corporis: quod equidem non aliter aſpicio, quàm vinculum libertati meae circundatum. Hoc itaque oppono fortunae, in quo reſiſtat: nec per illud ad me vllum tranſire vulnus ſino. Quicquid in me poteſt iniuriam pati, hoc eſt in hoc obnoxio domicilio: animus liber habitat: nunquam me caro iſta compellet ad metum, nunquam ad indignam bono ſimulationem, nunquam in honorem huius corpuſculi mentiar. Cum viſum fuerit, diſtraham cum illo ſocietatem: [g] & nunc tamen dum haeremos, non erimus aequis partibus ſocij: animus ad ſe omne ius ducet. Contemptus corporis ſui, certa libertas eſt. Vt ad propoſitum reuertar, huic libertati multũ conferet & illa, de qua modo loquebamur, inſpectio. Nempe vniuerſa ex materia & ex Deo conſtant. Deus iſta temperat, quae circumfuſa rectorem ſequuntur, & ducem. Potentius autem eſt quod facit, quod eſt Deus, quàm materia patiens Dei. Quem in hoc mundo locum Deus obtinet, hunc in homine animus: quod eſt illic materia, id nobis corpus eſt. Seruiant ergo deteriora melioribus: fortes ſimus aduerſus fortuita: non contremiſcamus iniurias,

iurias, non vulnera, non vincula, non egestatem. Mors quid est? aut finis est, aut transitus. nec desinere timeo; idem est enim quod non coepisse: nec transire, quia nusquam tam anguste ero.

Epistola LXVI.

C[1] LARANVM condiscipulum meum vidi post multos annos: non puto expectas, [2] vt adiiciam senem: sed mehercules viridem animo ac vigentem, & cum corpusculo suo colluctantem. Inique enim se natura gessit, & talem animum [3] male collocauit: aut fortasse voluit hoc ipsum nobis ostendere, posse ingenium fortissimum ac beatissimum sub qualibet cute latere. Vicit tamen omnia impedimenta, & ad cetera contemnenda a contemptu sui venit. Errare mihi visus est qui dixit:

[a] *Gratior est pulchro veniens e corpore virtus.*

Nullo enim honestamento eget: ipsa & magnum sui decus est, & corpus suum consecrat. Certe Claranum nostrum coepi intueri: formosus mihi videtur, & tã rectus corpore quàm est animo. Potest ex casa vir magnus exire: potest & ex deformi humilique corpusculo, formosus animus ac magnus. Quosdã itaque videtur mihi in hoc natura tales generare, vt approbet virtutem omni loco nasci. Si posset per se nudos edere animos, fecisset. nunc quod amplius est, facit: quosdam enim edit corporibus impeditos, sed nihilominus perrumpentes obstantia. Claranus mihi videtur in exemplar editus: vt scire possemus, non deformitate corporis foedari animum, sed pulchritudine animi corpus ornari. Quamuis autem paucissimos vna egerimus dies, tamen multi nobis sermones fuerunt, quos subinde egeram, & ad te mittam. Hoc primo die quaesitum est, [4] quomodo possint paria bona esse, si triplex eorũ condicio est. Quaedam (vt nostris videtur) prima bona sunt: tanquam gaudium, pax, salus patriae. Quaedam secunda, in materia infelici expressa: tanquam tormentorum patientia, & in morbo graui temperantia. Illa bona directo optamus nobis: haec, si necesse erit. Sunt adhuc tertia: tamquam modestus incessus, & compositus, ac probus vultus, & cõueniens prudenti viro gestus. Quomodo ista inter se paria esse possunt, cum alia optanda sint, alia auersanda? Si volumus ista distinguere, ad primum reuertamur, & consideremus id quale sit. Animus intuens vera, peritus fugiendorum ac petendorum, non ex opinione, sed ex natura pretia rebus imponens, toti se inferens mundo, & in omnes eius actus contemplationem suam mittens, cogitationibus actionibusque intentus, ex aequo magnus ac vehemens, asperis blandisque pariter inuictus, neutri se fortunae submittens, supra omnia quae contingunt acciduntque eminens, pulcherrimus cum decore, cum viribus sanus ac siccus, imperturbatus, intrepidus, quem nulla vis frangat, quem nec attollant fortuita, nec deprimant. Talis animi virtus est, haec eius facies, si sub vnum veniat aspectum, & semel tota se ostendat. Ceterum multae eius species sunt, quae pro vitae varietate & pro actionibus explicantur: nec minor fit aut maior ipsa. Decrescere enim summum bonum non potest, nec virtuti ire retro licet: sed in alias atque alias qualitates conuertitur, ad rerum quas actura est habitum figurata: quicquid attigit, [b] in similitudinem sui adducit & tinguit: actiones, amicitias, interdum domos totas, quas intrauit disposuitque, condecorat: quicquid tractauit, id amabile, conspicuum, mirabile facit. Itaque vis eius & magnitudo vltra non potest surgere, quando incrementum maximo non est. Nihil inuenies rectius recto, non magis quàm verius vero, quàm temperato temperatius. omnis in modo est virtus. modus certa mensura est. Constantia non habet quo procedat, non magis quàm fiducia, aut veritas, aut fides. Quid accedere perfecto potest? Nihil. Aut perfectum non erat, cui accessit. Ergo ne virtuti quidem: cui si quid adiici potest, defuit. Honestum quoque nullam accessionem recipit: honestum est enim propter quod illa quae retuli. Quid porro decorum & iustum, & legitimum? non eiusdem esse formae putas, certis terminis comprehensum? Crescere posse, imperfectae rei signum est: bonũ omne in easdem cadit leges: iuncta est priuata & publica vtilitas, tam mehercules, quàm inseparabile est, laudandum petendumque. [5] Ergo virtutes inter se pares sunt, & opera virtutum, & omnes homines quibus illa contigere. Satorum vero animaliumque virtutes, cum mortales sint, fragiles, caducaeque, & incertae, exiliunt residuntque: & ideo non eodem pretio aestimantur. Vna inducitur humanis virtutibus regula: vna enim est ratio recta, simplexque. Nihil est diuino diuinius, caelesti caelestius. Mortalia [c] eminent, cadunt, deteruntur, crescunt, exhauriuntur, implentur. Itaque illis in tam incerta sorte inaequalitas est. Diuinorum vna natura est. Ratio autem nihil aliud est, quàm in corpus humanum pars diuini spiritus mersa. Si ratio diuina est, nullum autem bonum sine ratione est, bonum omne diuinum est. Nullũ porro inter diuina discrimen est: ergo nec inter bona. Paria itaque sunt gaudium, & fortis atque obstinata tormentorum perpessio. In vtroque enim eadem est animi

magnitudo: sed in altero remissa, & laxa, in altero pugnax & intenta. Quid? tu non putas, parem esse virtutem eius qui fortiter hostium moenia expugnat, & eius qui obsidionem patientissime sustinet? Et magnus Scipio, qui Numantiam claudit & comprimit, cogitque inuictas manus[d] in exitium ipsas sui verti: & magnus ille obsessorum animus, qui scit nihil esse clausum, cui mors aperta est, & in complexu libertatis expirat. AEque reliqua quoque inter se paria sunt, tranquillitas, simplicitas, [e] libertas, constantia, aequanimitas, tolerantia: omnibus enim istis vna virtus subest, quae animum rectum & indeclinabilem praestat. Quid ergo? nihil interest [f] inter gaudium, & dolorum inflexibilem patientiam? Nihil, quantum ad ipsas virtutes: [g] plurimum, quantum ad illa, in quibus virtus vtraque ostenditur. In altero nanque [h] naturalis animi remissio ac laxitas, in altero contra naturam dolor. Itaque media sunt haec, quae plurimum interualli recipiunt. Virtus in vtraque par est. Virtutem materia non mutat: nec peiorem facit dura & difficilis, nec meliorem hilaris & laeta. Necesse est ergo aequalia sint bona vtraque: quia nec hic potest se melius in hoc gaudio gerere, nec ille melius in illis cruciatibus. duo vero, quibus nihil fieri melius potest, paria sunt. Nam si quae extra virtutem posita sunt, aut minuere illam, aut augere possunt, desinit vnum bonum esse quod honestum est. Si hoc concesseris, omne honestum perit. Quare? dicam: quia nihil honestum est, quod ab inuito, quod a coacto fit. Omne honestum voluntarium est. Admisce illi pigritiam, querelam, tergiuersationem, metum, quod haber in se optimum, perdidit, sibi placere. Non potest honestum esse, quod non est liberum. Nam quod timet, seruit. Honestum omne securum est, tranquillum est. Si recusat aliquid, si complorat, si malum iudicat, perturbationem recipit, & in magna discordia volutatur. Hinc enim species recti vocat, illinc suspicio mali retrahit. Itaque qui honeste aliquid facturus est, quicquid opponitur, id etiam si incommodum putat, malum non putat. Omne honestum iniussum, incoactumq; est, sincerum, & nullo malo mixtum. Scio quid mihi hoc loco responderi possit. Hoc nobis persuadere conaris, nihil interesse, vtrum aliquis in gaudio sit, an [i] in equuleo iaceat, & tortorem suum lasset. Poteram respondere quod Epicurus ait, Sapientem, si in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum: Dulce est, & ad me nil pertinet. Quid miraris, si ego paria bona dico, [l] vnius in conuiuio iacentis, alterius inter tormenta fortissime stantis: cum (quod incredibilius est) dicat Epicurus, dulce esse torqueri? Et hic respondeo, plurimum interesse inter gaudium & dolorem. Si quaeratur electio, alterum petam, alterum vitabo. Illud secũdum naturam est, hoc contra. Quamdiu sic aestimantur, magno inter se dissident spatio. Cũ vero ad virtutem ventum est, vtraque par est, & quae per laeta procedit, & quae per tristia. Nullum habent momentum vexatio & dolor, & quicquid aliud incommodi est: virtute enim obruitur. Quemadmodum minora lumina claritas solis obscurat: sic dolores, molestias, iniurias, virtus magnitudine sua elidit atque opprimit, & quocunque affulsit, ibi quicquid sine illa apparet, extinguitur: nec magis vllam portionem habent incommoda, cum in virtutem inciderint, quàm in mari nimbus. Hoc vt scias ita esse, ad omne pulchrum vir bonus sine vlla cunctatione percurret: stet illic licet carnifex, stet tortor atque ignis, perseuerabit: nec quid passurus, sed quid facturus sit, aspiciet: & se honestae rei tanquam bono viro credet: vtilem illam sibi iudicabit, tutam, prosperam. Eundem ergo locum habebit apud illum honesta res, sed tristis atque aspera, quem vir bonus, pauper, aut exul, ac pallidus. Agedum pone ex alia parte virum bonum, diuitiis abundantem, ex altera nihil habentem, sed in se omnia: vterque aeque bonus vir erit, etiam si fortuna dispari vtetur. Idem (vt dixi) in rebus iudiciũ est, quod in hominibus. AEque laudabilis est virtus in corpore valido ac libero posita, quàm in morbido ac vincto. [k] Ergo tua quoque virtus non magis laudabilis, si corpus illaesum tibi & integrum fortuna praestiterit, quàm si ex aliqua parte mutilatum. Alioqui hoc erit, ex seruorum habitu dominum aestimare. Omnia enim ista in quae dominium casus exercet, seruilia sunt, pecunia, & corpus, & honores: imbecilla, fluida, mortalia, possessionis incertae. Illa rursus libera & inuicta opera virtutis, quae non ideo magis appetenda sunt, si benignius a fortuna tractantur, nec minus, si aliqua rerum iniquitate premuntur. Quod amicitia in hominibus est, hoc in rebus appetitio est. Non, puto, magis amares virum bonum locupletem, quàm pauperem: nec robustum & lacertosum, quàm gracilem, & languidi corporis. Ergo ne rem quidem magis appetes hilarem aut pacatam, quàm distractam & operosam. & si hoc est, magis diliges ex duobus aeque bonis viris nitidum & vnctum, quàm puluerulentum & horrentem. Deinde hucusque peruenies, vt magis diligas integrum omnibus membris & illaesum, quàm debilem aut luscum. Paulatim fastidium tuum illo vsque procedet, vt ex duobus aeque iustis ac prudentibus comatum & crispulum malis, quàm recaluastrum. Vbi par est in vtroque virtus, non comparet aliarum rerum inaequalitas. Omnia enim alia

alia non partes, sed accessiones sunt. Nam quis tam iniquam censuram inter suos agit, vt filium sanum quàm aegrum magis diligat? proceremve & excelsum, [l] quàm breuem & modicum? Fetus suos non distinguunt ferae, & se in alimentum pariter omnium sternunt. Aues ex aequo partiuntur cibos. Vlixes ad Ithacae suae saxa sic properat, quemadmodum Agamemnon ad Mycenarum nobiles muros. Nemo enim patriam, quia magna est, amat, sed quia sua. Quorsum haec pertinent? vt scias, virtutem omnia opera sua, velut fetus suos, iisdē oculis intueri, aeque indulgere omnibus, & quidem impensius laborātibus. Quoniam quidem etiam parentum amor, magis in ea quorum miseretur, inclinat. Virtus quoque opera sua quae videt affici & premi, non magis amat, sed parentum bonorum more, magis complectitur ac fouet. Quare non est vllum bonum altero maius? quia non est quicquam apto aptius, quia plano nihil est planius. Non potes dicere, Hoc magis par est alicui quàm illud: ergo nec honesto honestius quicquam est. Quòd si par omnium virtutum natura est, tria genera bonorum in aequo sunt. Ita dico, in aequo est, moderate gaudere, & moderate dolere. Laetitia illa non vincit hanc animi firmitatem sub tortore gemitus deuorantem. Illa bona optabilia sunt, haec mirabilia. vtraque nihilominus paria: quia quicquid incommodi est, velamēto maioris boni tegitur. Quisquis haec imparia iudicat, ab ipsis virtutibus auertit oculos, & exteriora circumspicit. Bona vera idem pendunt, idem patent: [m] falsa multum habent vani. Itaque speciosa & magna contra visentibus, cum ad pondus reuocata sunt, fallūt. Ita est, mi Lucili, quicquid vera ratio commendat, solidum & aeternum est, firmat animum, attollitque, semper futurum in excelso. Illa quae temere laudantur & vulgi sententia bona sunt, inflant inanibus laetos. Rursus ea quae timentur tanquam mala, iniiciunt formidinem mentibus, & illas non aliter quàm animalia species periculi agitant. Vtraque res ergo sine causa animū & diffundit, & mordet: nec illa gaudio, nec haec metu digna est: sola ratio immutabilis & iudicij tenax est. Non enim seruit, sed imperat sensibus. Ratio rationi par est, sicut rectum recto: ergo & virtus, quae non aliud est quàm recta ratio. Omnes virtutes rationes rectae sunt. Si rectae sunt, & pares sunt. Qualis ratio est, tales & actiones sunt: ergo omnes pares sunt. Nam cum similes rationi sint, similes & inter se sunt: pares autem actiones inter se esse dico, qua rectae sunt, & honestae. Ceterum magna habebunt discrimina, variāte materia: quae modo latior est, modo angustior; modo illustris, modo ignobilis; modo ad multos pertinens, modo ad paucos. In omnibus tamen istis, id quod optimum est, par est: tanquam viri boni, omnes pares sunt, qua boni sunt: sed habent differentias aetatis: alius senior, alius iunior. habent corporis: alius formosus, alius deformis est. habent fortunae: ille diues, hic pauper est: ille gratiosus, potens, vrbibus notus & populis; ignotus hic plaerisque, & obscurus. Sed per illud quod boni sunt, pares sunt. De bonis ac malis sensus non iudicat: quid vtile sit, quid inutile, ignorat. Non potest ferre sententiam, nisi in rem praesentem perductus est: nec futuri prouidus est, nec praeteriti memor: quid sit consequens nescit. Ex hoc autem rerum ordo seriesque contexitur, & vnitas vitae [7] in perfectum itura. Ratio ergo arbitra est bonorum ac malorum: aliena & externa pro vilibus habet: & ea quae neque bona sunt, neque mala, accessiones minimas ac leuissimas iudicat. omne illi bonum in animo est. Ceterum quaedam prima existimat, ad quae ex proposito venit, tanquam victoriam, bonos liberos, patriae salutem: quaedam secunda, quae non apparent nisi in rebus aduersis: tanquam aequo animo pati morbum magnum, exilium: quaedam media, quae nihilo magis secundum naturam sunt, quàm contra naturam: tanquam prudenter ambulare, composite sedere. Non enim minus secundum naturam est, sedere, quàm aut stare, aut ambulare. Duo illa superiora diuersa sunt. Prima enim secundum naturam sunt, gaudere liberorum pietate, patriae incolumitate. Secunda contra naturam sunt, fortiter obstare tormentis, & sitim perpeti, morbo vrente praecordia. Quid ergo? aliquid contra naturam bonum est? Minime. Sed illud aliquando cōtra naturam est, [8] in quo bonum illud existit. vulnerari enim, & subiecto igne tabescere, & aduersa valetudine affligi, contra naturam est: sed inter ista seruare animum infatigabilem, secundum naturam est. Et vt, quod volo, exprimam breuiter, materia boni aliquando contra naturam: at bonum nunquam: quoniam bonum sine ratione nullum est: sequitur autem ratio naturam. Quid est ergo ratio? naturae imitatio. Quid est summum hominis bonum? ex naturae voluntate se gerere. Non est, inquit, dubium, quin felicior pax sit nunquam lacessita, [n] quàm multo reparata sanguine. Non est dubium, inquit, quin felicior sit inconcussa valetudo, quàm ex grauibus morbis & extrema minitantibus in tutum [o] vi quadam & patientia educta. Eodem modo non erit dubium, quin maius bonum sit gaudium, quàm obnoxius animus ad perpetiendos cruciatus vulnerum aut ignium. Minime: illa enim quae fortuita sunt, plurimum discriminis recipiunt: aestimantur enim vtili-

tate ſumentium. Bonorum vnum propoſitum eſt, conſentire naturae. Hoc in omnibus par eſt. [o] Cum alicuius in ſenatu ſententiam ſequimur, non poteſt dici: Ille magis aſſentitur quã ille. ab omnibus in eandem ſententiam itur. idem de virtutibus dico: omnes naturae aſſentiuntur. Idem de bonis dico: omnia naturae aſſentiuntur. Alter adoleſcens deceſſit, alter ſenex, aliquis praeter hos infans, cui nihil amplius contigit, quàm proſpicere vitam. Omnes hi aeque fuere mortales, etiam ſi mors aliorum longius vitam paſſa eſt procedere, aliorum in medio flore praecidit, aliorum interrupit principia. Alius inter coenandum ſolutus eſt, alterius continuata mors ſomno eſt, aliquem concubitus extinxit. His oppone ferro transfoſſos, aut exanimatos ſerpentum morſu, aut fractos ruina, aut per longam neruorum contractionem extortos minutatim. Aliquorum melior dici, aliquorum peior poteſt exitus: mors quidem omnium par eſt: per quae venit, diuerſa ſunt, id in quod deſinunt, vnum eſt. mors nulla maior aut minor eſt: habet enim eundem in omnibus modum, finiſſe vitam. Idem tibi de bonis dico: hoc bonum inter meras voluptates eſt, hoc inter triſtia & acerba: illud fortunae indulgentiam rexit, hoc violentiam domuit: vtrunque aeque bonum eſt, quamuis illud plana emolliuerit, hoc aſpera. Idem finis omnium eſt. bona ſunt, laudanda ſunt, virtutẽ rationemq; comitantur. virtus aequat inter ſe, quicquid agnoſcit. Nec eſt quòd hoc inter noſtra placita mireris. apud Epicurum duo bona ſunt, ex quibus ſummũ illud beatumque componitur: vt corpus ſine dolore ſit, animus ſine perturbatione. Haec bona non creſcunt, ſi plena ſunt. Quo enim creſcet, quod plenum eſt? Dolore corpus caret: quid ad hanc accedere indolentiam poteſt? Animus conſtat ſibi, & placidus eſt: quid accedere ad hanc trãquillitatem poteſt? Quemadmodum ſerenitas caeli non recipit maiorem adhuc claritatem, in ſinceriſſimum nitorem repurgata, ſic hominis corpus animumque curãtis, & bonum ſuũ ex vtroque nectẽtis, perfectus eſt ſtatus, & ſummam voti ſui inuenit, ſi nec aeſtus animo eſt, nec dolor corpori. Si qua extra blandimenta contingunt, non augent ſummum bonum, ſed, vt ita dicam, condiunt & oblectant: abſolutum enim illud humanae naturae bonum corporis & animi pace contentum eſt. Dabo apud Epicurum tibi etiamnum ſimillimã huic noſtrae diuiſionem bonorum. Alia enim ſunt apud illum, quae malit contingere ſibi: vt corporis quietem, ab omni incommodo liberam, & animi remiſſionem, bonorum ſuorum cõtemplatione gaudentis. Alia ſunt, quae quamuis nolit accidere, nihilominus & laudat & cõprobat: tanquam illam, quam paulo ante dicebam, malae valetudinis, & dolorum grauiſſimorum perpeſſionem, in qua Epicurus fuit illo ſummo ac fortunatiſſimo die ſuo: ait enim ſe veſicae & exulcerati ventris tormenta tolerare, vlteriorem doloris acceſſionem non recipientia: eſſe nihilominus ſibi illum beatum diem: beatum autem agere, niſi qui eſt in ſummo bono, non poteſt. Ergo & apud Epicurum ſunt haec bona, quae malles nõ experiri, ſed quia ita res tulit, & amplexanda & laudanda & exaequanda ſummis ſunt. Non poteſt dici hoc non eſſe par maximis bonum, quod beatae vitae clauſulam impoſuit, cui Epicurus extrema voce gratias egit. Permitte mihi, mi Lucili, virorum optime, aliquid audacius dicere. ſi vlla bona [p] maiora eſſe aliis poſſent, haec ego quae triſtia vidẽtur, mollibus illis & delicatis praetuliſſem. Maius eſt enim perfringere difficilia, quàm laeta moderari. Eadem ratione fit, ſcio, vt aliquis felicitatem bene [q] & calamitatem fortiter ferat. AEque fortis eſſe poteſt, qui pro vallo ſecurus excubuit, nullis hoſtibus caſtra tentantibus: & qui ſuccisis poplitibus in genua ſe excepit, nec arma dimiſit. Macte virtute eſto, ſanguinolentis & ex acie redeuntibus dicitur. Itaque haec magis laudauerim bona exercitata & fortia, & cum fortuna rixata. Ego dubitem quin magis laudem truncam illam & retorridam manum Mucij, quàm cuiuſlibet fortiſſimi ſaluam? Stetit hoſtium flammarumque contemptor, & manum ſuam in hoſtili foculo diſtillantem perſpectauit, donec Porſenna, cuius poenae ſauebat, gloriae inuidit, & ignem inuito eripi iuſſit. Hoc bonum quid ni inter prima numerem, tantoque maius putem, quàm illa ſecura & intentata fortunae, quanto rarius eſt hoſtem amiſſa manu viciſſe, quàm armata? Quid ergo? inquis, hoc bonum tibi optabis? Quid ni? hoc enim, niſi qui poteſt & optare, non poteſt facere. An potius optem, [r] vt malaciſſandos articulos exoletis meis porrigam, vt muliercula, aut aliquis in mulierculam ex viro verſus, digitulos meos ducat? Quid ni ego feliciorem putem Mucium, qui ſic tractauit ignem, quaſi illã manum tractatori praeſtitiſſet? In integrum reſtituit, quicquid errauerat. Confecit bellum inermis ac mancus, & illa manu trunca reges duos vicit.

Epiſtola LXVII.

VT a communibus initium faciam, ver aperire ſe coepit: ſed iam inclinatum in aeſtatem, quo tempore calere debebat, intepuit: nec adhuc illi fides eſt: ſaepe enim in hiemem reuoluitur. Vis ſcire quàm dubium adhuc ſit? [a] nondum me committo frigido aeri: [b] adhuc

rigorem

rigorem eius infringo. Hoc eſt,inquis,nec calidum,nec frigidum pati. Ita eſt,mi Lucili.iam aetas mea contenta eſt ſuo frigore: vix media regelatur aeſtate. [c] Itaque maior pars in ſtramentis degitur. Ago gratias ſenectuti, [a] quòd me lectulo affixit. Quid ni gratias illi hoc nomine agam? Quicquid debebam nolle, non poſſum. Cum libellis mihi plurimus ſermo eſt. Si quando interueniunt epiſtolae tuae,tecum eſſe mihi videor:& ſic afficior animo, tãquam tibi non reſcribam,ſed reſpondeam. Itaque & de hoc quod quaeris, [d] quaſi colloquar tecũ: quale ſit,vna ſcrutabimur. Quaeris an omne bonum optabile ſit. Si bonum eſt,inquis,fortiter torqueri,& magno animo vri, & patienter aegrotare,ſequitur vt iſta optabilia ſint. Nihil autem video ex iſtis voto dignum. Neminem certe adhuc ſcio eo nomine votum ſoluiſſe, quòd flagellis caeſus eſſet, aut podagra diſtortus, aut equuleo longior factus. [b] Diſtingue, mi Lucili, iſta: & intelliges eſſe in his aliquid optandum. Tormenta abeſſe a me velim: ſed ſi ſuſtinenda fuerint, vt me in illis fortiter, honeſte, animoſe geram, optabo. Quid ni ego malim non incidere bellum? ſed ſi inciderit,vt vulnera, vt famem, & omnia quae bellorum neceſſitas fert, generoſe feram, optabo. Non ſum tam demens, vt aegrotare cupiam: ſed ſi aegrotandum fuerit, vt nihil intemperanter, nihil effeminate faciam, optabo. Ita non incommoda optabilia ſunt, ſed virtus qua perferuntur incommoda. Quidam ex noſtris exiſtimant, [e] omnino aſperorum fortem tolerantiam non eſſe optabilem, ſed nec abominandam quidem:quia voto purum bonum peti deber, & tranquillum, & extra moleſtiam poſitum. Ego diſſentio. Quare? primum quia fieri non poteſt, vt aliqua res bona quidem ſit,ſed optabilis non ſit. deinde ſi virtus optabilis eſt, nullum autem ſine virtute bonum, & omne bonum optabile. Deinde etiam, ſi tormentorum fortis patientia optabilis non eſt: etiamnum interrogo,Nonne fortitudo optabilis eſt? Atqui pericula contemnit & prouocat. Pulcherrima pars eius,maximeque mirabilis illa eſt, nõ cedere ignibus,obuiam ire vulneribus. Interdum tela ne vitare quidem,ſed pectore excipere. Si fortitudo optabilis eſt, & tormenta patienter ferre optabile eſt:nec tamen ideo ſolummodo ferre tormenta optabile eſt. Hoc enim, fortitudinis pars eſt. Sed ſepara iſta,vt dixi.nihil erit quod tibi faciat errorem. Nõ enim pati tormenta optabile eſt,ſed pati fortiter. Illud opto fortiter, quod eſt virtus. Quis tamen vnquam hoc ſibi optauit? Quaedam vota aperta & profeſſa ſunt, cum particulatim fiunt: quaedam latent, cum vno voto multa comprehenſa ſunt. Tanquam opto mihi vitam honeſtam: vita autem honeſta actionibus variis conſtat. In hac eſt Reguli arca, Catonis ſciſſum manu ſua vulnus, Rutilij exilium,calix venenatus, qui Socratem tranſtulit e carcere in caelum. Ita cum optaui mihi vitam honeſtam,& haec optaui, ſine quibus interdum honeſta nõ poteſt eſſe.

— O terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum,Troiae ſub moenibus altis
Contigit oppetere.

Quid intereſt,optes hoc alicui, an optabile fuiſſe fatearis? Decius ſe pro rep. deuouit, & in medios hoſtes concitato equo mortem petens irruit. Alter poſt hunc paternae virtutis aemulus, conceptis ſolemnibus ac iam familiaribus verbis, in aciem confertiſſimam incurrit, de hoc ſolicitus tantum vt litaret, optabilem rem putans bonam mortem. Dubitas ergo, an optimum ſit memorabilem mori,& in aliquo opere virtutis? Cum aliquis tormenta fortiter patitur, omnibus virtutibus vtitur fortaſſe, cum vna in promptu ſit, & maxime appareat patientia. Ceterum illic eſt fortitudo: cuius patientia & perpeſſio, & tolerantia, rami ſunt. Illic eſt prudentia, ſine qua nullum initur conſilium: quae ſuadet, quod effugere non poſſis, quàm fortiſſime ferre. Illic eſt conſtantia: quae deiici loco non poteſt,& propoſitum nulla vi extorquente dimittit. Illic eſt indiuiduus ille comitatus virtutum. Quicquid honeſte fit, vna virtus facit, ſed de conſilij ſententia. Quod autem ab omnibus virtutibus comprobatur, etiam ſi ab vna fieri videtur,optabile eſt. Quid? tu exiſtimas ea tantum optabilia eſſe, quae per voluptatem & otium veniunt? quae excipiuntur foribus ornatis? Sunt quaedam triſtes voluptates, ſunt quaedam vota, quae nõ gratulantium coetu,ſed adorantium venerantiumque celebrantur. Ita tu non putas Regulum optaſſe, vt ad Poenos perueniret? Indue magni viri animum,& ab opinionibus vulgi ſecede paulisper:cape quantũ debes virtutis pulcherrimae ac magnificentiſſimae ſpeciem,quae nobis non ſertis, ſed ſudore & ſanguine colenda eſt,aſpice M. Catonem, ſacro illi pectori puriſſimas manus admouentem,& vulnera parum demiſſa laxantem. Vtrum illi tandem dicturus es, [4] Vellem quae velles, &,Moleſte fero, [f] an, Feliciter, quod agis? Hoc loco mihi Demetrius noſter occurrit, qui vitam ſecuram, & ſine vllis fortunae incurſionibus mare mortuum vocat. Nihil habere ad quod exciteris, ad quod te concites, cuius denuntiatione & incurſu firmitatem animí

Epistola LXIX.

MVTARE te loca, & in alium de alio transilire nolo. Primum, quia tam frequens migratio instabilis animi est. coalescere otio non potes, nisi desinas circumspicere & errare. Vt animum possis continere, prius corporis tui fugam siste. Deinde plurimum remédia continuata proficiunt. Interrumpenda non est quies, & vitae prioris obliuio. Sine dediscere oculos tuos: sine aures assuescere sanioribus verbis. quoties processeris, in ipso transitu aliqua quae renouent cupiditates tuas, tibi occurrent. quemadmodum ei qui amorem exuere conatur, euitanda est omnis admonitio dilecti corporis: nihil enim facilius quàm amor recrudescit: ita qui deponere vult desideria rerum omnium, quarũ cupiditate flagrauit, & oculos & aures ab his quae reliquit, auertat. Cito rebellat affectus: quocunque se verterit, pretiũ aliquod praesens occupationis suae aspiciet. Nullum sine auctoramento malum est. Auaritia pecuniam promittit: luxuria multas ac varias voluptates: ambitio purpuram & plausum, & ex hoc potentiam, & quicquid potentia potest. Mercede te vitia sollicitant. hic tibi gratis viuendum est. Vix effici toto saeculo potest, vt vitia tam longa licentia tumida subigantur & iugum accipiant: nedum, [a] si tam breue tempus per interualla discindimus. Vnam quamlibet rem vix ad perfectum adducit assidua vigilia & intentio. Si me quidem velis audire, hoc meditare. exerce te, vt mortem & excipias, & si ita res suadebit, accersas. Interest nihil, an illa ad nos veniat, an ad illam nos. Illud imperitissimi cuiusque verbum falsum esse ipse tibi persuade: Bella res est, mori sua morte. Illud praeterea tecum licet cogites: Nemo nisi suo die moritur. Nihil perdis ex tuo tempore. Nam quod relinquis, alienum est.

Epistola LXX.

[c] POST longum interuallum Pompeios tuos vidi. in conspectum adolescẽtiae meae reductus sum. quicquid illic iuuenis feceram, videbar mihi facere adhuc posse, & paulo ante fecisse. [c] Praenauigamus, mi Lucili, vitam;[a] & quemadmodũ in mari, vt ait Virgilius noster,

--- *Terraeque vrbesque recedunt:*

sic in hoc cursu rapidissimi temporis primum pueritiam [b] abscondimus, deinde adolescentiam, deinde quicquid est illud inter iuuenem & senem medium, in vtriusque confinio positum: deinde ipsius senectutis optimos annos. Nouissime incipit ostendi publicus finis generis humani. Scopulum esse illum putamus, dementissimi? Portus est, aliquando perẽdus, nunquam recusandus. In quem si quis intra primos annos delatus est, non magis queri debet, quàm qui cito nauigauit. Alium enim, vt scis, venti segnes ludunt ac detinent, & tranquillitatis lentissimo taedio lassant: alium pertinax flatus celerrime perfert. Idem euenire nobis puta. alios vita velocissime adduxit, quo veniendum erat etiam cunctantibus: alios macerauit & coxit: quae, vt scis, non semper retinenda est. Non enim viuere bonum est, sed bene viuere. Itaque sapiens viuit, quantum debet, non quantum potest. Videbit vbi victurus sit, cum quibus, quomodo, quid acturus. Cogitat semper, qualis vita, non quanta sit. Si multa occurrunt molesta, & tranquillitatem turbantia, [a] emittit se: nec hoc tantum in necessitate vltima facit, sed cum primum illi coeperit suspecta esse fortuna, diligenter circunspicit, nunquid illo die desinendum sit. Nihil existimat sua referre, faciat finem, an accipiat: tardius fiat, an citius. Non tanquam de magno detrimento timet. Nemo multũ ex stillicidio potest perdere. Citius mori, vel tardius, ad rem non pertinet: bene mori, aut male, ad rem pertinet. bene autem mori, est effugere male viuendi periculum. Itaque effeminatissimam vocem illius Rhodij existimo, qui cum in caueam coniectus esset a tyranno, & tanquam ferum aliquod animal aleretur, suadenti cuidam vt abstineret cibo: Omnia, inquit, homini, dũ viuit, speranda sunt. Vt sit hoc verum, non omni pretio vita emenda est. Quaedam, licet magna, licet certa sint, tamen ad illa turpi infirmitatis confessione non veniam. Ego cogitem in eo qui viuit omnia posse fortunam, potius quàm cogitem in eo qui scit mori, nihil posse fortunam? Aliquando tamen, etiam si certa mors instabit, & destinatum sibi supplicium sciet, non commodabit poenae suae manum. [1 b] Stultitia est, timore mortis mori. Venit qui occidat. Expecta. quid occupas? quare suscipis alienae crudelitatis procurationem? Vtrum inuides carnifici tuo, an parcis? Socrates potuit abstinentia finire vitam, & inedia potius quã veneno mori. triginta tamen dies in carcere & in expectatione mortis exegit: non hoc animo tanquam omnia fieri possent, tanquam multas spes tam longum tempus reciperet, sed vt praeberet se legibus, vt fruendum amicis extremum Socratem daret. Quid erat stultius, quàm mortem contemnere, venenum timere? [e] Scribonia grauis femina, amita Drusi Libonis fuit, adolescentis tam stolidi, quàm nobilis, maiora sperantis, [c] quã aut illo saeculo quisquã sperare poterat, aut ipse vllo. cum aeger a senatu in lectica relatus esset, [d] nõ sane frequẽtibus obsequiis, (omnes enim necessarij deseruerant impie, iam nõ reum, sed funus) habere

coepit consilium, [c] vtrum consisceret sibi mortem, an expectaret. Cui [d] Scribonia: Quid te, inquit, delectat alienum negotium agere? Persuasit. Manus sibi attulit, nec sine causa. Nam post diem tertium aut quartum inimici moriturus arbitrio, si viuit, alienum negotium agit. Non possis itaque de re in vniuersum pronuntiare, cum mortem vis externa denuntiat, occupanda sit, an expectanda. Multa enim sunt, quae in vtramque partem trahere possunt. Si altera mors cum tormento, altera simplex & facilis est, quid ni huic iniicienda sit manus? Quemadmodum nauim eligam nauigaturus, & domum habitaturus, ita mortem vtiq; qua sum exiturus e vita meliorem. Praeterea quemadmodum non vtique melior est longior vita, sic peior vtique mors longior. In nulla re magis, quàm in morte, morem animo gerere debemus. Exeat quà impetum cepit: siue ferrum appetit, siue laqueum, siue aliquam potionem venas occupantem, pergat, & vincula seruitutis abrumpat. Vitam & aliis approbare quisque debet, mortem sibi. optima est, quae placet. Stulte haec cogitantur. Aliquis dicet me parum fortiter fecisse, aliquis nimis temere, aliquis fuisse aliquod genus mortis animosius. Vis tu cogitare id in manibus esse consilium, ad quod fama non pertinet? Hoc vnum intuere. vt te fortunae quàm celerrime eripias. Alioqui aderunt qui de facto tuo male existiment. Inuenies etiam professos sapientiam, qui vim afferendam vitae suae negent, & nefas iudicent ipsum interemptorem sui fieri. Expectandum esse exitum, quem natura decreuit. Hoc qui dicit, non videt se libertati [e] viam claudere. Nil melius aeterna lex fecit, quàm quòd vnum introitum nobis ad vitam dedit, exitus multos. Ego expectem vel morbi crudelitatem, vel hominis, cum possim per media exire tormenta, & aduersa discutere? Hoc est vnum, cur de vita non possimus queri. neminem tenet. Bono loco res humanae sunt, quòd nemo nisi vitio suo miser est. Placet? viue. non placet? licet eo reuerti vnde venisti. Vt dolorem capitis leuares, sanguinem saepe emisisti: ad extenuandum corpus vena percutitur. Non opus est vasto vulnere diuidere praecordia. scalpello aperitur ad illam magnam libertatem via: & puncto securitas constat. Quid ergo est, quod nos facit pigros inertesque? Nemo nostrum cogitat, quandoque sibi ex hoc domicilio exeundum. Sic veteres inquilinos indulgentia loci & consuetudo, etiam inter iniurias detinet. Vis aduersus hoc corpus liber esse? Tanquam migraturus habita: propone tibi quandoque hoc contubernio carendum. fortior eris ad necessitatem exeundi. Sed quemadmodum suus finis veniet in mentem, omnia sine fine concupiscentibus? Nullius rei meditatio tam necessaria est. [f] Alia enim exercentur fortasse in superuacuum. aduersus paupertatem praeparatus est animus? permansere diuitiae. ad contemptum nos doloris armauimus? [g] nunquam a nobis exiget huius virtutis experimentum integri ac sani felicitas corporis. vt fortiter amissorum desideria pateremur, praecepimus nobis? omnes quos amabamus, superstites fortuna seruauit. [h] huius vnius rei vsum qui exigat dies, veniet. Non est quòd existimes, magnis tantum viris hoc robur fuisse, quo seruitutis humanae claustra perrumperent. Non est quòd iudices, hoc fieri nisi à Catone nō posse, qui quam ferro non emiserat animam, manu extraxit: cum vilissimae sortis homines ingenti impetu in tutum euaserint, [i] cumque commodo mori non licuisset, nec ad arbitrium suum instrumenta mortis eligere: obuia quaeque rapuerunt, & quae natura non erant noxia, vi sua tela fecerunt. Nuper in ludo bestiariorum vnus e Germanis cum ad matutina spectacula pararetur, secessit ad exonerandum corpus. nullum aliud illi dabatur sine custode secretum. Ibi lignum id quod ad emundanda obscoena adhaerente spongia positum est, totum in gulam farsit, [k] & vi praeclusis faucibus spiritum elisit. Hoc fuit morti contumeliam facere. ita prorsus. parum munde, & parū decenter. Quid est stultius, quàm fastidiose mori? O virum fortem! o dignum, cui fati daretur electio! quàm fortiter ille gladio vsus esset! quā animose in profundam se altitudinem maris, aut abscissae rupis immisisset! Vndique destitutus inuenit, quemadmodum & mortem sibi deberet, & telum: vt scias ad moriendum nihil aliud in mora esse, quàm velle. Existimetur de facto hominis acerrimi, vt cuique visum erit, dum hoc constet, praeferendam esse spurcissimam mortem seruituti mūdissimae. Quoniam coepi sordidis exemplis vti; perseuerabo. plus enim a se quisque exiget, si viderit hanc rem etiam a contemptissimis posse contemni. Catones, Scipionesque, & alios, quos audire cum admiratione consueuimus, supra imitationem positos putamus. Iam ego istam virtutem habere tam multa exempla in ludo bestiario, quàm in ducibus belli ciuilis ostendam. Cum adueheretur nuper inter custodias quidam ad matutinum spectaculum missus, tanquam somno premente nutaret, caput vsque eo demisit, donec radiis insereret, & tamdiu se in sedili suo tenuit, donec ceruicem circumactu rotae frangeret. eodem vehiculo quo ad poenam ferebatur, poenā effugit. Nihil obstat, erumpere & exire cupienti. In aperto nos natura custodit. Cui permittit necessitas sua, circumspiciat exitum mollem. Cui ad manum

plura

plura sunt,per quae sese asserat,is delectum agat,& qua potissimum liberetur consideret. Cui difficilis occasio est, is proximam quamque pro optima arripiat, sit licet inaudita, sit noua. Non deerit ad mortem ingenium,cui non defuerit animus. Vides quemadmodum extrema quoque mancipia,vbi illis stimulos adegit dolor, excitentur, & intentissimas custodias fallant. Ille vir magnus est,qui mortem sibi non tantum imperauit, sed inuenit. Ex eodem tibi munere plura exempla promisi. Secundo Naumachiae spectaculo vnus e barbaris lanceam, quam in aduersarios acceperat,totam iugulo suo immersit. Quare,inquit,non omne tormentum, omne ludibrium iam dudum effugio? Quare ego mortem armatus expecto? Tanto hoc speciosius spectaculum fuit, quanto honestius mori discunt homines, quàm occidere. Quid ergo? quod animi perditi, noxiosique habent, non habebunt illi, quos aduersus hos casus instruxit longa meditatio,& magistra rerum omnium ratio? Illa nos docet,fati varios esse accessus,finem eundem. Nihil autem interesse,vnde incipiat quod venit. Eadem illa ratio monet,vt,si licet,moriaris sine dolore. Sin autem non potest,fac quemadmodum potes, & quicquid obuenerit ad vim afferendam tibi,inuadas. Iniuriosum est rapto viuere: at contra pulcherrimum, mori rapto.

Epistola LXXI.

SVBINDE me de rebus singulis consulis, oblitus vasto nos mari diuidi. cum magna pars consilij sit in tempore, necesse est euenire, vt de quibusdam rebus tunc ad te perferatur sententia mea, cum iam contraria potior est. Consilia enim rebus aptantur: res nostrae feruntur, immo voluuntur. [a] Ergo consilium sub die nasci debet: & hoc quoque tardum est nimis: sub manu, quod aiunt, nascatur. Quemadmodum autem inueniatur, ostendā. Quoties quid fugiendum sit,aut quid petendum,voles scire, ad summum bonum & propositum totius vitae respice. Illi enim consentire debet quicquid agimus. non disponet singula, nisi cui iam vitae suae summa proposita est. Nemo, quamuis paratos habeat colores, similitudinem reddet, nisi iam constet quid velit pingere. Ideo peccamus, quia de partibus vitae omnes deliberamus,de tota nemo deliberat. Scire debet quid petat ille, qui sagittā vult mittere: & tunc dirigere,& moderari manu telum. Errant consilia nostra,quia non habent quo dirigantur. Ignoranti quem portum petat, nullus suus ventus est. Necesse est multum in vita nostra casus possit,quia viuimus casu. Quibusdam autem euenit,vt quaedam scire se nesciāt: quemadmodum quaerimus saepe eos, cum quibus stamus,ita plaerunque finem summi boni ignoramus appositum. nec multis verbis, nec circuitu longo, quid sit summum bonum colliges. digito, vt ita dicam, demonstrandum est, nec in multa spargendum. Quid enim ad rem pertinet in particulas illud diducere, cum possis dicere: [b] Summum bonum est, quod honestum est? & quod magis admireris, Vnum bonum est, quod honestum est. Cetera falsa & adulterina bona sunt. Haec si persuaseris tibi, & virtutem adamaueris (amare enim parum est) quicquid illa contigerit, id tibi, qualecunque aliis videbitur, faustum felixque erit: & torqueri, si modo iacueris ipso torquente securior: & aegrotare, si non maledixeris fortunae, si non cesseris morbo. Omnia denique quae ceteris videntur mala,& mansuescent, & in bonum abibunt,si super illa eminueris,hoc liqueat,nihil esse bonum,nisi honestum: & omnia incommoda suo iure bona vocabuntur, quae modo virtus honestauerit. Multis videmur maiora promittere,quàm recipit humana condicio. non immerito.ad corpus enim respiciunt. reuertantur ad animum. iam hominem Deo metientur. Erige te, Lucili virorum optime, & relinque istum ludum litterarium philosophorum, qui rem magnificentissimam ad syllabas vocant, [c] qui animum minuta docendo diminuunt & conterunt. fies similis illis, qui inuenerunt ista, non qui docent, & id agunt vt philosophia potius difficilis quàm magna videatur. Sequere illos, si quid apud te habeo auctoritatis. Socrates, qui totam philosophiam reuocauit ad mores, [d] hanc summam dixit esse sapientiam,bona malaque distinguere. Vt sis beatus,inquit, & te alicui stultum videri sine. quisquis volet tibi contumeliam facere, faciat. tu tamen nihil patieris, si modo tecum erit virtus. Si vis, inquit, beatus esse, si fide bona vir bonus, sine contemnat te aliquis. Hoc nemo praestabit, nisi qui omnia bona exaequauerit: quia nec bonum sine honesto est, & honestum in omnibus par est. Quid ergo? nihil interest inter praeturam Catonis, & repulsam? Nihil interest vtrum Pharsalica acie Cato vincatur,an vincat? Hoc eius bonū,quo victis partibus non potest vinci,par erat illi bono,quo victor rediret in patriam,& componeret pacem? Quid ni par sit? eadem enim virtute & mala fortuna vincitur, & ordinatur bona. virtus autem non potest maior aut minor fieri. Vnius staturae est. Sed Cn. Pompeius amittet exercitū: sed ille pulcherrimus reip. praetextus optimates,& prima acies Pompeianarum partiū, senatus ferens arma, vno proelio profligabuntur: & tam magni ruina imperij, in totum dissiliet orbē. aliqua pars

eius in AEgypto, aliqua in Africa, aliqua io Hispania cadet. ne hoc quidem miserae Reip. continget, semel ruere. Omnia licet fiant, Iubam in regno suo, non locorum notitia adiuuet, non popularium pro rege suo virtus obstinatissima. Vticensium quoque fides malis fracta deficiat, & Scipionem in Africa nominis sui fortuna destituat. olim prouisum est, ne quid Cato detrimenti capiat. Victus est tamen. Et hoc numera inter repulsas Catonis. Tam magno animo feret aliquid sibi ad victoriam, quàm ad praeturam obstitisse. Quo die repulsus est, lusit: qua nocte periturus fuit, legir. Eodem loco habuit, praetura & vita excedere. omnia quae acciderent, ferenda esse persuaserat sibi. Quid ni ille mutationẽ Reip. forti & aequo pateretur animo? Quid enim mutationis periculo exceptum? non terra, non caelum, non rotus hic rerum omnium contextus, quamuis Deo agente ducatut. [d] Non semper tenebit hunc ordinem: sed illum ex hoc cursu aliquis dies deiiciet. Certis eunt cuncta temporibus: nasci debent, crescere, extingui. Quaecunque vides supra nos currere, & haec quibus innixi atque impositi sumus veluti solidissimis, carpentur ac desinent. Nulli non senectus sua est. Ioaequalibus ista spatiis [e] eodem natura demittit. quicquid est, non erit, nec peribit, sed resoluetur. Nobis solui perire est. Proxima enim intuemur: ad vlteriora oon prospicit mens hebes, & quae se corpori addixerit: alioqui fortius fioem sui suorumque pateretur, si speraret omnia illa sic in vitam mortemque per vices ire, & composita dissolui, dissoluta componi: in hoc opere aeternam aitem cuncta temperantis Dei verti. Itaque Cato cum aeuum animo percurrerit, dicet: Omne humanum genus, quodque est, quodque erit, morte damnatum est. omnes quae vsquam rerum potiuntur vrbes, quaeque alienorum imperiorum magoa sunt & decora, vbi fuerint, aliquando quaeretur, & vario exitij genere tollentur: alias destruent bella: alias desidia, paxque ad inertiam versa consumet, & magnis opibus exitiosa res luxus.[3] Omoes bos fertiles campos repentina maris inundatio abscoodet, aut io subitam cauernam considentis soli lapsus abducet. Quid est ergo, quare indigner, aut doleam, si exiguo momento publica fata praecedo? Magnus animus Deo pareat: & quicquid lex vniuersi iubet, sine cunctatione patiatur. aut in meliorem emittitur vitam, lucidius tranquilliusque inter diuina mansurus: aut certe sine vllo futurus incommodo, naturae suae remiscebitur, & reuertetur in totum. Non est ergo M. Catonis maius bonum honesta vita, quàm mors bonesta: quoniam non intenditur virtus. Idem esse dicebat Socrates veritatem & virtutem: quomodo illa non crescit, sic nec virtus quidẽ. Habet numeros suos, plena est. Non est itaque quòd mireris paria esse bona, & quae ex proposito sumenda sunt, & quae subita res tulit. Nam si hanc inaequalitatem receperis, vt fortiter torqueri in minoribus bonis numeres, numerabis etiam in malis: & infelicem Socratem dices in carcere, infelicem Catonem vulnera sua animosius quàm fecerat, retractantem: calamitosissimum omnium Regulum, fidei poenas etiam bostibus seruatae pendentem. Atqui nemo boc dicere ne ex mollissimis quidem, ausus est. Negant enim illum esse beatum, sed tamen oegant miserum. Academici veteres beatum quidem esse etiam inter hos cruciatus fatentur, sed non ad perfectum, nec ad plenum: quod oullo modo potest recipi. Si beatus est, in summo bono est. Quod summum bonum est, supra se gradum non habet: si modo illi virtus inest, si illam aduersa non minuunt, si maoet etiam comminuto corpore incolumis. Manet autem. Virtutem enim intelligo animosam & excelsam: quam incitat, quicquid infestat. Hunc animum quem saepe induunt generosae indolis iuuenes, quos alicuius honestae rei pulchritudo percussit, vt omnia fortuita conremnant, profecto sapientia infundet, & tradet: persuadebit vnum bonum esse quod honestum. Hoc nec remitti nec intendi posse, non magis quã regulam, qua rectum probari solet. Quam si flectes, quicquid ex illa mutaueris, iniuria est recti. Idem ergo de virtute dicemus: & haec recta est. Flexuram non recipit: [f] rigida est: amplius intendi non potest. Haec de omnibus rebus iudicat, de hac nulla. Si rectior ipsa non potest fieri, [g] nec quae ab illa quidem fiunt, alia aliis rectiora sunt. Huic enim necesse est respondeant. ita paria sunr. Quid ergo? inquis. iacere in coouiuio, & torqueri, paria sunt? Hoc mirum videtur tibi? Illud licer magis admireris. Iacere in conuiuio, malum est: torqueri in equuleo, bonom est: si illud turpiter, hoc honeste fit. booa ista aut mala, non efficit materia, sed virtus. Haec vbicunqoe apparuit, omnia eiusdem mensurae ac pretij sunt. In oculos nunc mihi manus intentat ille, qui omnium animum aestimar ex suo, quòd dicã paria bona esse aduersa fortiter portantis, & prospera honeste iudicantis: quòd dicam paria bona esse eius qui triumphat, & eius qui ante currum vehitur inuictus animo. Noo putant enim fieri, quicquid facere non possunt: ex infirmitate sua de virtute ferunt sententiam. Quid miraris, si vri, vulnerari, occidi, alligari iuuat? aliquando etiam liber. Luxurioso frugalitas poena est, pigro supplicij loco labor est, delicatus miseretur industrij, desidioso studere

torqueri eſt. Eodem modo haec, ad quae omnes imbecilli ſumus, dura atque intoleranda credimus, obliti quàm multis tormentum ſit vino carere, aut prima luce excitari. Non iſta difficilia ſunt natura, ſed nos fluidi & enerues. Magno animo de rebus magnis iudicandum eſt: alioqui videbitur illarum vitium eſſe, quod noſtrum eſt. Sic quaedam rectiſſima, cum in aquam demiſſa ſunt, ſpeciem curui praefractique viſentibus reddunt. Non tantum quid videas, ſed quemadmodum, refert. Animus noſter ad vera perſpicienda caligat. Da mihi adoleſcentem incorruptum, & ingenio vegetum, dicet fortunatiorem ſibi videri, qui omnia rerum aduerſarum onera rigida ceruice ſuſtollit, [h] quàm qui ſupra fortunam extat. Non mirum eſt, in tranquillitate non concuti. Illud mirare, ibi extolli aliquem, vbi omnes deprimuntur: ibi ſtare, vbi omnes iacent. Quid eſt in tormentis, quid eſt in aliis quae aduerſa appellamus, mali? vt opinor, ſuccidere mentem, & incuruari, & ſuccumbere: quotum nihil ſapienti viro poteſt euenire. Stat rectus ſub quolibet pondere. Nulla illum res minorem facit, nihil illi eorum quae ferenda ſunt, diſplicet. Nam quicquid cadere in hominem poteſt, in ſe cecidiſſe non queritur: vires ſuas nouit: ſcit ſe eſſe oneri ferendo. Non educo ſapientem ex hominum numero, nec dolores ab illo, ſicut ab aliqua rupe nullum ſenſum admittēte, ſubmoueo. Memini ex duabus partibus illum eſſe compoſitum. Altera eſt irrationalis: haec mordetur, vritur, dolet. Altera rationalis: haec inconcuſſas opiniones habet, intrepida eſt, & indomita. In hac poſitum eſt ſummum illud hominis bonum, quod antequam impleatur, incerta mentis volutatio eſt: cum vero perfectum eſt, immota illa ſtabilitas eſt. Itaq; inchoatus ad ſumma procedens, cultorque virtutis, etiamſi appropinquat perfecto bono, ſed ei nondum ſummam manum impoſuit, ibi interim ceſſabit, & remittet aliquid ex intentione mentis. nondum enim incerta tranſgreſſus eſt, etiam nunc verſatur in lubrico. beatus vero, & virtutis exactae, tunc ſe maxime amat, cum fortiſſime expertus eſt: & metuenda ceteris, ſi alicuius honeſti officij pretia ſunt, non tantum fert, ſed amplexatur, multoque audire mauult, Tanto melior, quàm, Tanto felicior. Venio nūc illo, quo me vocat expectatio tua: ne extra rerum naturam vagari virtus veſtra videatur. & tremet ſapiens, & dolebit, & expalleſcet: hi enim omnes corporis ſenſus ſunt. [i] Vbi ergo eſt origo calamitatis? vbi illud malum verum eſt? illic ſcilicet, [k] ſi iſta animum diſtrahunt, ſi ad confeſſionem ſeruitutis adducunt, ſi illi paenitentiam ſui faciunt. Sapiens quidem vincit virtute fortunam. At multi profeſſi ſapientiam, leuiſſimis nonnunquam minis exterriti ſunt. Hoc loco noſtrum vitium eſt, qui quod dicitur de ſapiente, exigimus & a proficiente. Suadeo adhuc mihi iſta quae laudo, nondum perſuadeo: etiamſi perſuaſiſſem, nondum tam parata haberem, aut tam exercitata, vt ad omnes caſus procurrerem. Quemadmodum lana quoſdam colores ſemel ducit, quoſdam niſi ſaepius macerata & recocta non perbibit: ſic alias diſciplinas ingenia cum accepere, protinus praeſtant: haec niſi alte deſcendit, & diu ſedit, animum non colorauit, ſed infecit. nihil ex his quae promiſerat, praeſtat. Cito hoc poteſt tradi, & pauciſſimis verbis, vnum bonum eſſe virtutem: nullum certe ſine virtute: & ipſam virtutem in parte noſtri meliore, id eſt rationali poſitam. Quid erit haec virtus? iudicium verum & immotum: ab hoc enim impetus veniet mentis, ab hoc omnis ſpecies quae impetum mouet, redigetur ad liquidū. Huic iudicio conſentaneum erit, [l] omnia quae virtute contracta ſunt, & bona iudicare, & inter ſe paria. Corporum autem bona corporibus quidem bona ſunt, ſed in totum non ſunt bona. His pretium quidem erit aliquod, ceterum dignitas non erit: magnis inter ſe interuallis diſtabunt, alia maiora, alia minora erunt. Et in ipſis ſapientiam ſectantibus magna diſcrimina eſſe fateamur neceſſe eſt. alius iam in tantum profecit, vt contra fortunam audeat attollere oculos, ſed non pertinaciter: cedunt enim nimio ſplendore praeſtricti: alius in tantum, vt poſſit cum illa conferre vultum, ſi iam peruenit ad ſummum, & fiduciae plenus eſt. Imperfecta neceſſe eſt labent, & modo prodant, modo ſublabantur, aut ſuccidant. Sublabentur autem, niſi ire & niti perſeuerauerint: ſi quicquam ex ſtudio & fideli intentione laxauerint, retro eundū eſt. Nemo profectum ibi inueniet, vbi reliquerat. Inſtemus itaque, & perſeueremus. plus quā profligauimus, reſtat: ſed magna pars eſt profectus, velle proficere. Huius rei conſcius mihi ſum. volo, & tota mente volo. Te quoque inſtinctum eſſe, & magno ad pulcherrima properare impetu video. Properemus. ita demum vita beneficium erit: alioqui mora eſt, & quidē turpis inter foeda verſantibus. Id agamus, vt noſtrum omne tempus ſit. Non erit autem, niſi prius nos noſtri eſſe coeperimus. Quando continget contemnere vtramque fortunā? quando continget omnibus oppreſſis affectibus, & ſub arbitrium adductis, hanc vocem emittere? Vici. Quem vicerim, quaeris? Non Perſas, nec extrema Medorum, nec ſi quid vltra Dacas bellicoſum iacet: ſed auaritiam, ſed ambitionem, ſed metum mortis, qui victores gentium vicit.

Epistola LXXII.

QVOD quaeris a me,[a] liquebat mihi, si reminiscerer: sed diu nõ retentaui memoriã meam. Itaque non facile me sequitur. quod euenit libris situ cohaerentibus, hoc euenisse mihi sentio: explicandus est animus, & quaecunque apud illum deposita sunt, subinde excuti debent, vt parata sint quoties vsus exegerit. Ergo hoc in praesentia differamus: multum enim operae, multum diligentiae poscit. Cum primum longiorem eodem loco sperauero moram, tunc in manus sumam.[b] Quaedam enim sunt, quae possis & in cisio scribere: quaedam lectũ, & otium, & secretum desiderant. nihilominus his quoque occupatis diebus agatur aliquid, & quidem totis: nunquam enim non succedent occupationes nouae. serimus illas: itaque ex vna exeunt plures: deinde ipsi nobis dilationem damus. Cum hoc peregero, toto animo incumbam: & si hanc rem molestam composuero: studio me dabo. Non cum vacaueris, philosophandum est: omnia alia negligẽda, vt huic assideamus: cui nullum tempus satis magnũ est, etiam si a pueritia vsque ad longissimos humani aeui terminos vita protenditur. Nõ multum refert, vtrum omittas philosophiam, an intermittas. Non enim vbi interrupta est manet, sed eorum more, quae intenta dissiliunt, vsque ad initia sua recurrit, quod a continuatione sua discessit. Resistendum est occupationibus: nec explicandae, sed submouendae sunt. Tempus quidem nullum est parum idoneũ studio salutari. atqui multi inter illa non student, propter quae studendum. Incidet aliquid quod impediat, non equidem eum, cuius animus in omni negotio laetus atque alacer est. Imperfectis adhuc interscinditur laetitia.[c] Sapienti vero contexitur gaudium, nulla rumpitur causa, nulla fortuna: semper & vbique tranquillũ est. Non enim ex alieno pendet, nec fauorem fortunae, aut hominis expectat: domestica illi felicitas est. exiret ex animo, si intraret. ibi nascitur. Aliquando extrinsecus, quo admoneatur mortalitatis, interuenit: sed id leue, & quod summam cutem stringat.[d] Aliquo, inquam, incommodo afflatur. maximum eius illud bonum est fixum. Ita dico, extrinsecus aliqua sunt incommoda, velut in corpore interdum robusto solidoque eruptiones quaedam pustularum & vlcuscula, nullum in alto malum est. Hoc, inquam, interest inter consummatae sapientiae virum, & alium procedentis, quod inter sanum & ex morbo graui ac diutino emergentem. cui sanitatis loco est leuior accessio. Hic, nisi attendit, subinde grauatur, & in eadem reuoluitur. Sapiens recidere non potest, ne incidere quidem amplius. Corpori enim ad tempus bona valetudo est: quam medicus etiam si reddidit, non praestat. Saepe ad eundem quem excitauerat, aduocatur. Animus semel in totum sanatur. Dicam quomodo intelligas sanum. si se ipse contentus est, si confidit sibi, si scit omnia vota mortalium, omnia beneficia quae dantur petunturque, nullum in beata vita habere momentum. Nam cui quid accedere potest, id imperfectum est. Cui quid abscedere non potest, id perpetuum est: cuius perpetua futura laetitia est, is suo gaudeat. Omnia autem quibus vulgus inhiat, vltto citroque fluunt. Nihil dat fortuna mancipio: sed haec quoque fortuita tunc delectant, cum illa ratio temperauit ac miscuit.[e] haec est etiam quae externa commendet, quorum auidus vsus ingratus est. Solebat Attalus hac imagine vti: Vidisti aliquando canem missa a domino frusta panis aut carnis aperto ore captantem? quicquid excepit, protinus integrum deuorat, & semper ad spem futuri hiat. Idem euenit nobis. quicquid expectantibus fortuna proiecit, id sine vlla voluptate demittimus, statim [f] ad rapinam alterius erecti & attenti. Hoc sapienti non euenit: plenus est. etiam si quid obuenit, secure excipit, ac reponit: laetitia fruitur maxima, continua, sua. Habet aliquis bonam voluntatem: habet profectum, sed cui multum desit a summo? hic deprimitur alternis, & extollitur, ac modo in caelum alleuatur, modo defertur ad terram. Imperitis ac rudibus nullus praecipitationis finis est: in Epicureum illud chaos decidunt inane, sine termino. Adhuc est genus tertium eorum qui sapientiae alludunt:[g] quam non quidem attigerunt, in conspectu tamen, &, vt ita dicam, sub ictu habent: hi non concutiuntur, ne defluunt quidem: nondum in sicco, iam in portu sunt. Ergo cum tam magna sint inter summos imosque discrimina,[h] cum medios quoque sequatur fructus suus, sequatur ingens periculum ad deteriora redeundi, nõ debemus occupationibus indulgere: excludendae sunt: si semel intrauerint, in locum suum alias substituent. Principiis illarum obstemus. melius non incipient quàm desinent.

Epistola LXXIII.

ERRARE mihi videntur, qui existimant philosophiae fideliter deditos cõtumaces esse ac refractarios, & cõtemptores magistratuum ac regum, eorumve per quos publica administrantur. E contrario enim nulli aduersus illos gratiores sunt: nec immerito. Nullis enim plus praestant, quàm quibus frui trãquillo otio licet. Itaque hi, quibus ad propositũ bene viuendi aditum confert securitas publica, necesse est auctorẽ huius boni, vt parentem colant: multo

multo quidem magis quàm illi inquieti, & in medio positi; qui multa principibus debent, sed multa & imputant: quibus nunquam tam plene occurrere vlla liberalitas potest, vt cupiditates illorum quae crescunt, dum implentur, exsatiet. Quisquis autem de accipiẽdo cogitat, oblitus accepti est. Nec vllum habet malum cupiditas maius, quàm quòd ingrata est. Adiice nunc, quòd nemo eorum qui in republica versantur, quos vincat; sed a quibus vincatur, aspicit: & illis non tam iucundum est, multos post se videre, quàm graue, aliquẽ ante se. Habet hoc vitium omnis ambitio: non respicit. Nec ambitio tantum instabilis est, verum cupiditas omnis: quia incipit semper a fine. At ille vir sincerus ac purus, qui reliquit & curiam, & forum, & omnem administrationem Reip. vt ad ampliora secederet, diligit eos per quos hoc ei facere tuto licet, solusque illis gratuitum testimonium reddit, & magnam rem nescientibus debet. Quemadmodum praeceptores suos veneratur ac suspicit, quorum beneficio illis se vitiis exuit: sic & his, sub quorum tutela positus exercet artes bonas. Verum alios quoque rex viribus suis protegit. quis negat? Sed quemadmodum Neptuno plus debere se iudicat, ex his qui eadem tranquillitate vsi sunt, qui plura & pretiosiora illo mari vexit: & animosius a mercatore quàm a vectore soluitur votum, & ex ipsis mercatoribus effusius gratus est, qui odores ac purpuras & auro pensanda portabat, quàm qui vilissima quaeque & saburrae loco futura congesserat: sic huius pacis beneficium ad omnes pertinens, altius ad eos peruenit, qui illa bene vtuntur. Multi enim sunt ex his togatis quibus pax operosior bello est. An idem existimas pro pace debere eos, qui illam ebrietati aut libidini impendunt, aut aliis vitiis, quae vel bello rumpenda sunt? nisi forte tam iniquum putas esse sapientem, vt nihil viritim se debere pro communibus bonis iudicet. Soli lunaeque plurimum debeo: & non vni mihi oriuntur: anno, temperantique annum Deo priuatim obligatus sum, quamuis non in meum honorem descripta sint. Stulta auaritia mortalium possessionẽ proprietatemque discernit, nec quicquam suum credit esse, quod publicum est. At ille sapiens nihil iudicat suum magis, quàm cuius illi cum humano genere consortium est. Nec enim essent ista communia, nisi pars illorum pertineret ad singulos. Socium efficit etiam quod ex minima portione commune est. Adiice nunc, quòd magna & vera bona non sic diuiduntur, vt exiguum in singulos cadat: ad vnumquemque tota perueniunt. Ex congiario tantum ferunt homines, quantum in capita promissum est. Epulum & visceratio, & si quid aliud capitur manu, discedit in partes. At haec indiuidua bona, pax, & libertas, tam omnium tota, quàm singulorum sunt. Cogitat itaque sapiens, per quem sibi horum vsus fructus contingat, per quem non ad arma illũ, nec ad seruandas vigilias, nec ad tuenda moenia, & multiplex belli tributũ publica necessitas vocet: agitque gubernatori suo gratias. Hoc docet philosophia praecipue, bene debere beneficia, bene soluere. Interdum autem solutio est ipsa confessio. Confitebitur ergo multum se debere ei, cuius administratione ac prouidentia contingit illi pingue otium, & arbitrium sui temporis, & imperturbata publicis occupationibus quies.

O Meliboee, Deus nobis haec otia fecit.
Nanque erit ille mihi semper Deus. ---

Si illa quoque otia multum auctori suo debent, quorum munus hoc maximum est:

Ille meas errare boues (vt cernis) & ipsum
Ludere quae vellem, calamo permisit agresti:

quanti æstimamus hoc otium, quod inter deos agitur, quod deos facit? Ita dico, Lucili, & te in caelum compendiario voco. Solebat Sextius dicere, Iouem plus non posse quàm bonũ virum. Plura Iupiter habet quae praestet hominibus: sed inter duos bonos nõ est melior, qui locupletior: non magis quàm inter duos, quibus par scientia regendi gubernaculum est, meliorem dixeris, cui maius speciosiusque nauigium est. Iupiter quo antecedit virum bonum? diutius bonus est. Sapiens nihilo se minoris æstimat, quòd virtutes eius spatio breuiore clauduntur. Quemadmodum ex duobus sapientibus qui senior decessit, non est beatior eo, cuius intra pauciores annos terminata virtus est: sic Deus non vincit sapientem felicitate, etiamsi vincit aetate. Non est virtus maior, quae lõgior. Iupiter omnia habet: sed nempe aliis tradidit habenda. Ad ipsum hic vnus vsus pertinet, quòd vtendi etiam omnibus causa est. Sapiens tam aequo animo omnia apud alios videt, contemnitque, quàm Iupiter: & hoc se magis suspicit, quòd Iupiter vti illis non potest, sapiens non vult. Credamus itaque Sextio, monstranti pulcherrimum iter, & clamanti, Hac itur ad astra, hac secundum frugalitatem, hac secundum temperantiam, hac secundum fortitudinem. Non sunt dij fastidiosi, non inuidi: admittunt, & ascendentibus manum porrigunt. Miraris hominem ad deos ire? Deus ad homines venit, immo (quod propius est) in homines venit. Nulla sine

Deo mens bona est. Semina in corporibus humanis diuina dispersa sunt: quae si bonus cultor excipit, similia origini prodeunt, & paria his ex quibus orta sunt surgunt: si malus, non aliter quàm humus sterilis ac palustris necat, ac deinde creat purgamenta pro frugibus.

Epistola LXXIIII.

EPISTOLA tua delectauit me,& marcentem excitauit:memoriam quoque meam, quae iam mihi segnis ac lenta est,euocauit.Quid ni tu,mi Lucili, maximum putes instrumentum beatae vitae hanc persuasionē,vnum bonum esse,quod honestum est?Qui omne bonū honesto circumscripsit,intra se felix est.Nam qui alia bona iudicat,in fortunae venit potestatem,alieni arbitrij fit.Hic amissis liberis maestus,hic sollicitus aegris, hic turpibus & aliquam passis infamiam tristis. Illum videbis alienae vxoris amore cruciari, illum suae. Non deerit, quem repulsa distorqueat: erunt quos honor ipse vexet.[a] Illa vero maxima est ex omni mortalium populo turba miserorum,quam expectatio mortis exagitat vndique impēdens. Nihil enim est, vnde non subeat. Itaque vt in hostili regione versantibus, huc & illuc circumspiciendum est, & ad omnem strepitum circumagenda ceruix , nisi hic timor e pectore eiectus est,palpitantibus praecordiis viuitur. Occurrent acti in exilium,& euoluti bonis: occurrent (quod genus egestatis grauissimum est) in diuitiis inopes: occurrent naufragi,similiave naufragis passi,quos aut popularis ira, aut inuidia, perniciosum optimis telum, inopinantes securosque disiecit, procellae more, quae in ipsa sereni fiducia solet emergere, aut fulminis subiti, ad cuius ictum etiam vicina tremuerunt. Nam vt illic quisquis ab igne propior stetit,percusso similis obstupuit:sic in his per aliquam vim accidentibus vnum calamitas opprimit,ceteros metus:paremque passis tristitiam facit,pati posse. Omnium animos mala aliena ac repentina sollicitant. Quemadmodum aues etiam inanis fundae sonus territat,ita nos non ad ictum tantum exagitamur, sed ad crepitum. Non potest ergo quisquam beatus esse,qui huic se opinioni credidit.Non enim beatum est,nisi quod intrepidum.Inter suspecta male viuitur. Quisquis se multum fortuitis dedit, ingentem sibi materiam perturbationis & inexplicabilem fecit. Vna haec via est ad tuta vadenti, & externa despicere, & honesto contentum esse. Nam qui aliquid virtute melius putat, aut vllum praeter illam bonum, ad haec quae a fortuna sparguntur, sinum expandit, sollicitus missilia eius expectat. Hanc imaginem animo tuo propone, ludos facere fortunam, & in hunc mortalium coetū honores, diuitias, gratiam excutere: quorum alia inter diripientium manus scissa sunt, alia infida societate diuisa, alia magno detrimento eorum in quos deuenerant prensa: ex quibus quaedam aliud agentibus inciderunt,quaedam quia nimis captabantur,amissa,& dum auide rapiuntur,excussa sunt. Nulli vero etiam cui rapina feliciter cessit, gaudium rapti durauit in posterum. Itaque prudentissimus quisque cum primum induci videt munuscula, a theatro fugit,& scit magno parua constare. Nemo manum conserit cum excedente: nemo exeuntem ferit.[b] Circa praemium rixa est. Idem in his euenit, quae fortuna desuper iactat. AEstuamus miseri, distringimur, multas habere cupimus manus: modo in hunc, modo in illum respicimus. nimis tarde nobis mitti videntur, quae cupiditates nostras irritant, ad paucos peruentura, expectata omnibus. Ire obuiam cadentibus cupimus: gaudemus si quid inuasimus:[c] inuadendique aliquos spes vana delusit: vilem praedam magno aliquo incommodo luimus,[d] aut inde fallimur. Secedamus itaque ab istis ludis,& demus raptoribus locum.Illi spectent bona ista pendentia,& ipsi magis pendeant.[e] Quicunque beatus esse constituit, vnum esse bonum putet, quod honestum est. Nam si vllum aliud existimat, primum male de prouidentia iudicat: quia multa incommoda iustis viris accidunt: & quia quicquid nobis dedit, breue est & exiguum, si compares mundi totius aeuo. Ex hac deploratione nascitur, vt ingrati diuinorum interpretes simus. Querimur, quòd non semper, & quòd pauca nobis, & incerta, & abitura contingant. Inde est quòd nec viuere, nec mori volumus. Vitae nos odium tenet, timor mortis. Nutat omne consilium, nec implere nos vlla felicitas potest. Causa autem est, quòd non peruenimus ad illud bonum immensum & insuperabile, vbi necesse est resistat voluptas nostra, quia vltra summum non est locus. Quaeris,quare virtus nullo egeat? praesentibus gaudet,non concupiscit absentia.Nihil non illi magnum est,quia satis.Ab hoc discede iudicio:non pietas cōstabit,non fides: multa vtranque praestare cupienti patienda sunt, ex his quae mala appellantur: multa impendenda sunt ex his, quibus indulgemus tamquam bonis. Perit fortitudo,quae periculum facere debet sui: perit magnanimitas, quae non potest eminere, nisi omnia velut minuta contempserit, quae pro maximis vulgus optat: perit gratia & relatio gratiae. AEstimatur labor, si quicquam pretiosius fide nouimus,si non optima spectamus.

Sed vt

Sed vt illa praetereã, aut ista bona non sunt quae vocantur, aut homo felicior Deo est. Quoniam quidem quae parata nobis sunt, non habet in vsu Deus: nec enim libido ad illum, nec epularum lautitia, nec opes, nec quicquam ex his hominem inescantibus, & vili voluptate ducentibus pertinet. Ergo aut, quod incredibile est, bona Deo desunt, aut hoc ipsum argumentum est, bona non esse, quae Deo desunt. Adiice quòd multa quae bona videri volunt, animalibus quàm homini pleniora contingunt. Illa cibo auidius vtuntur: Venere non aeque fatigantur. Virium illis maior est & aequabilior firmitas. Sequitur vt multo feliciora sint homine. Nam sine nequitia, sine fraudibus degunt; fruuntur voluptatibus, quas & magis capiunt & ex facili sine vllo pudoris aut paenitentiae metu. Considera tu itaque, an id bonum vocandum sit, quo Deus ab homine vincitur. Summum bonum in animo constituamus. obsolescit, si ab optima nostri parte ad pessima transit, & transfertur ad sensus, qui agiliores sunt animalibus mutis. Non est summa felicitatis nostrae in carne ponenda. Bona illa sunt vera, quae ratio dat: solida ac sempiterna, quae cadere non possunt, nec decrescere quidem aut minui. Cetera opinione bona sunt: & nomen quidem habent commune cum veris: proprietas in illis boni non est. Itaque commoda vocentur,[f] & (vt nostra lingua loquar) producta: ceterum sciamus mancipia nostra esse, non partes, & sint apud nos, sed ita vt meminerimus extra nos esse. Etiam si apud nos sint, inter subiecta & humilia numerentur, propter quae nemo se attollere debeat. Quid enim stultius, quàm aliquem eo sibi placere, quod ipse non fecit? Omnia ista nobis accedant, non haereant: si abducantur, sine vlla nostri laceratione discedant. Vtamur illis, non gloriemur: & vtamur parce, tanquam depositis apud nos, & abituris. Quisquis illa sine ratione possedit, non diu tenuit. Ipsa enim felicitas se,[g] nisi temperat, premit: si fugacissimis bonis credidit, cito deseritur, & vt non deseratur, affligitur. Paucis deponere felicitatem molliter licuit: ceteri cum his inter quae eminuere labuntur, & illos degrauant ipsa quae extulerant. Ideo adhibebitur prudentia, quae modum illis ac parsimoniam imponat: quoniam quidem licentia opes suas praecipitat atque vrget: nec vnquam immodica durarunt, nisi illa moderatrix ratio compescuit. Hoc multarum tibi vrbium ostendet euentus, quarum in ipso flore luxuriosa imperia ceciderunt, & quicquid virtute erat partum, intemperantia corruit. Aduersus hos casus muniendi sumus. Nullus autem contra fortunam inexpugnabilis murus est. Intus instruamur. Si illa pars tuta est, pulsari homo potest, capi non potest. Quod sit hoc instrumentum, scire desideras? Nihil indignetur sibi accidere, sciatque illa ipsa quibus laedi videtur,[h] ad conseruationem vniuersi pertinere, & ex his esse, quae cursum mundi officiumque consummant. Placeat homini, quicquid Deo placuit: ob hoc seipsum suaque miretur, quòd non potest vinci, quòd mala ipsa sub se tenet, quòd ratione, qua valentius nihil est, casum doloremque & iniuriam subigit. Ama rationem: huius te amor contra durissima armabit. Catulorum amor in venabula impingit feras, quas feritas & inconsultus impetus praestat indomitas. Iuuenilia nonnunquã ingenia cupido gloriae in contemprum tam ferri quàm ignium misit. Species quosdam atque vmbra virtutis in mortem voluntariam trudit. Quanto his omnibus fortior ratio est, quanto constantior: tanto vehementior per metus ipsos & pericula exibit. Nihil agitis, inquit,[i] quòd negatis vllum esse aliud ab honesto bonum. Non faciet vos haec munitio tutos a fortuna, & immunes. Dicitis enim inter bona esse liberos pios, & bene moratam patriam, & parentes bonos; horum pericula non potestis spectare securi; perturbabit vos obsidio patriae, liberorum mors, parentum seruitus. Quid aduersus hos pro nobis responderi soleat, ponam. Deinde tunc adiiciam, quid praeterea respondendum putem. Alia condicio est in his quae ablata in locum suum aliquid incommodi substituunt: tamquam bona valetudo vitiata in malam transfertur: acies oculorum extincta, caecitate nos afficit: non tantum velocitas perit poplitibus incisis, sed debilitas pro illa subit. Hoc periculum nõ est in his, quae paulo ante retulimus.[k] Si amicum bonum amisi, non est mihi pro illo perfidia patienda: nec si bonos liberos extuli, in illorum locum impietas succedit. Deinde non amicorum ille aut liberorum interitus, sed corporum est. Bonum autem vno modo perit, si in malum transit, quod natura non patitur: quia omnis virtus & opus omne virtutis incorruptũ manet. Deinde etiam si amici perierunt, etiam si probati respondentesque voto patris liberi, est quod illorum expleat locum.[l] Quid sit, quaeris?[m] quod illos bonos fecerat, virtus. Haec nihil vacare patitur loci: totum animum tenet, desideriũ omnium tollit: sola satis est. Omnium enim bonorum vis & origo in ipsa est. Quid refert, an aqua decurrens intercipiatur atque abeat, si fons ex quo fluxerat, saluus est? Non dices virum iustiorem saluis liberis, quàm amissis, nec ordinatiorem, nec prudentiorem, nec honestiorem: ergo nec meliorem quidem.[n] Non facit collectio amicorum sapientiorem, non facit stultiorem detractio: ergo nec beatiorem,

aut miseriorem.quandiu salua fuerit virtus,non senties quid abscesserit.Quid ergo?Non est beatior & amicorum & liberorum turba succinctus?Quid ni non sit?Summum enim bonũ nec infringitur,nec augetur : in suo modo permanet : vtcunque fortuna se gessit, siue illi senectus longa contigit, [o] siue citra senectutem finitus est, eadem mensura summi boni est, quanuis aetatis diuersa sit.Vtrum maiorem an minorem circulum scribas , ad spatium eius pertinet,non ad formam: licet alter diu manserit, alterũ statim obduxeris, & in eum in quo scriptus est puluerem solueris,in eadem vterque forma fuit.Quod rectum est,nec magnitudine aestimatur,nec numero, nec tempore:non magis produci, quàm contrahi potest.Honestam vitam ex centum annorum numero inquantum voles corripe,& in vnum diem coge,aeque honesta est.modo latius virtus funditur,regna,vrbes,prouincias temperat:fert leges , colit amicitias , inter propinquos liberosque dispensat officia:modo arcto fine circundatur paupertatis,exilij,orbitatis:non tamen minor est,si ex altiore fastigio in priuatum, ex regio in humilem subducitur , ex publico & spatioso iure in angustias domus vel anguli coit.AEque magna est,etiam si in se recessit,vndique exclusa.Nihilominus enim magni spiritus est & erecti,exactae prudentiae, indeclinabilis iustitiae. Ergo aeque beata est. Beatum enim illud in vno loco positum est , in ipsa mente , stabile, grande, tranquillum , quod sine scientia diuinorum humanorumque non potest effici. Sequitur illud , quod me responsurum esse dicebam.Non affligitur sapiens liberorum amissione,non amicorum.eodem enim animo fert illorum mortem,quo suam expectat. Non magis hanc timet, quàm illam dolet. Virtus enim conuenientia constat : omnia opera eius cum ipsa concordant, & congruunt. Haec concordia perit,si animus, quẽ excelsum oportet esse,lucto aut desiderio submittitur. Inhonesta est omnis trepidatio & solicitudo,[p] & in vllo actu pigritia.Honestum enim securum & expeditum est,interritum est, in procinctu stat.Quid ergo?non aliquid perturbationi simile patietur?non & color eius mutabitur,& vultus eius agitabitur,& artus refrigescẽt? & quicquid aliud, non ex imperio animi, sed inconsulto quodam naturae impetu geritur? Fateor:sed permanebit illi persuasio eadem,nihil illorum malum esse,nec dignum,ad quod mens sana deficiat.Omnia quae facienda erunt,audacter facit & prompte.Hoc enim stultitiae proprium quis non dixerit , ignaue & contumaciter facere quae facit , & alio corpus impellere, alio animum, distrahique inter diuersissimos motus? Iam propter illa ipsa quibus extollit se miraturque, contempta est, & ne illa quidem quibus gloriatur, libenter facit. Si vero aliquod timetur malum, eo perinde, dum expectatur, quasi venisset vrgetur : & quicquid ne patiatur timet , iam metu patitur. Quemadmodum in corporibus futuri languoris signa praecurrunt,quaedam enim segnitia neruis inest,& sine labore vllo lassitudo & oscitatio & horror membra percurrens : sic infirmus animus multo antequam opprimatur, malis qoatitur. Praesumit illa, & ante tempus cadit. Quid dementius autem quàm angi futuris,nec se tormento reseruare,sed accersere sibi miserias,& admouere, quas optimum est differre,si discutere non possis? Vis scire, futuro neminem debere torqueri ? quicunque audierit post quinquagesimum annum sibi patienda supplicia, nõ perturbatur, nisi si medium spatium transilierit , & se in illam saeculo post futuram solicitudinem immiserit. Eodem modo fit, vt animos libenter aegros, & captantes causas doloris , vetera atque oblitterata contristent.& quae praeterierunt,& quae futura sunt, absunt.neutra sentimus. Non est autem, nisi ex eo quod sentias, dolor.

Epistola LXXV.

MINVS tibi accuratas a me epistolas mitti quereris. Quis enim accurate loquitur , nisi qui vult putide loqui ? Qualis sermo meus esset, si vna sederemus,aut ambularemus, illaboratus & facilis,tales esse epistolas meas volo,quae nihil habeãt accersitũ, nec fictum. Si fieri posset, quid sentiam, ostendere quàm loqui mallem.Etiam si disputarem , nec supploderem pedem,nec manum iactarem,nec attollerem vocem, sed ista oratoribus reliquissem,contentus sensus meos ad te pertulisse, quos nec exornassem, nec abiecissem. hoc vnũ plane tibi approbare vellem,omnia me illa sentire quae dicerẽ:nec tantum sentire,sed amare. Aliter homines amicam, aliter liberos osculantur : tamen in hoc quoque amplexu tam sancto & moderato , satis apparet affectus. Non mehercules ieiuna esse & arida volo , quae de rebus tam magnis dicentur. Neque enim philosophia ingenio renuntiat.[a] multum tamẽ operae impendi verbis non oportet.Haec sit propositi nostri summa:quod sentimus,loquamur:quod loquimur , sentiamus. Concordet sermo cum vita. Ille promissum suum impleuit,qui & cum videas illum,& cum audias,idem est.Videbimus qualis sit,quantus sit.Vnus sit. Non delectent verba nostra , sed prosint. Si tamen contingere eloquentia non solicito potest,aut si parata est,aut paruo constat,assit ,& res pulcherrimas prosequatur, talis, vt res

potius

potius quàm se ostendat. Aliae artes ad ingenium totae pertinent: hic animi negotium agitur. Non quaerit aeger medicum eloquentem, sed sanantem: sed si ita competit, vt idem ille qui sanare potest, compte de his quae facienda sunt differat, boni consulet, oon tamen erit, quare gratuletur sibi, quòd inciderit in medicum etiam disertum. Hoc enim tale est, quale si peritus gubernator etiam formosus est.[b] Quid aures meas scalpis? Quid oblectas? Aliud agitur. Vrendus, secandus, abstinendus sum. Ad haec adhibitus es: curare debes morbum veterem, grauem, publicum. Tantum negotij habes, quantum in pestilentia medicus. Circa verba occupatus es? Iamdudum gaude, si sufficis rebus. quando molta disces? quando quae didiceris affiges tibi, ita vt excidere non possint? quando illa experieris? Non enim vt cetera memoriae tradidisse satis est. In opere tentanda sunt. Non est beatus qui scit illa, sed qui facit. Quid ergo? infra illum nulli gradus sunt? statim ad sapientiã praeceps est? Non existimo. Nam qui proficit, in oumero quidem stultotum est, magno tamen interuallo ab illis diducitur: inter ipsos quoque proficientes sunt magna discrimina. Io tres classes (vt quibusdam placet) diuiduntur: primi suot, qui sapientiam oondum habent, sed iam in vicinia eius constiterunt. tamen etiam quod prope est, extra est. Qui sint hi, quaeris? qui omnes iam affectus ac vitia posuerunt: quae erant complectenda, didicerunt: sed illis adhuc inexperta fiducia est: bonum suum nondum in vsu habent. Iam tamen in illa quae fugerunt, recidere non possunt. Iam ibi sunt, vbi oon est retro lapsus: sed hoc illis de se oondum liquet, & quod in quadam epistola scripsisse me memini, scire se nesciunt. Iam contigit illis bono suo frui, nondũ confidere. Quidam hoc proficientium genus, de quo locutus sum, ita complectuntur, vt illos dicant iam effugisse morbos animi, affectus nondum, & adhuc in lubrico stare: quia nemo sit extra periculum malitiae, nisi qui totam eam excussit. Nemo autem illam excussit, nisi qui pro illa sapientiam assumpsit. Quid inter morbos animi intersit & affectus, saepe iam dixi. Nũc quoque te admonebo. Morbi sunt inueterata vitia, & dura, vt auaritia, vt ambitio nimia,[c] postquam haec animum implicuerunt, & perpetua esse mala eius coeperunt. Vt breuiter finiam, morbus est iudicium io prauo pertinax, tanquam valde expetenda sint, quae leuiter expetenda sunt. vel, si mauis, ita finiamus: Nimis imminere leuiter petendis, vel ex toto non petendis, aut in magno pretio habere in aliquo habẽda, vel in nullo. Affectus sunt motus animi improbabiles, subiti & concitati, qui frequentes neglectique fecere morbum: sicut distillatio vna, nec adhuc in morem adducta, tussim facit,[d] assidua & vetus phthisin. Itaque qui plurimum profecere, extra morbos sunt, affectus adhuc sentiunt, perfecto proximi. Secundum genus est eorum, qui & maxima animi mala & affectus deposuerunt, sed ita, vt non sit illis securitatis suae certa possessio: possunt enim in eadem relabi. Tertium illud geous extra multa & magna vitia est, sed non extra omnia. Effugit auaritiam, sed iram adhuc sentit.[e] Iam non solicitatur libidine, sed habet etiam num ambitionem: iam non concupiscit, sed adhuc timet: & in ipso metu ad quaedam satis firmus est, quibusdam cedit: mortem contemnit, dolorem reformidat. De hoc loco aliquid cogitemus: bene nobiscum agetur, si in hunc admittimur numerum. Magna felicitate naturae, magnaque & assidua intentione studij, secundus occupatur gradus: sed nec hic quidem contemnendus est color tertius. Cogita, quantum circa te videas malorum: aspice, quàm nullum sit nefas sine exemplo, quantum quotidie nequitia proficiat, quantum publice priuatimque peccetur. intelliges satis oos consequi, si inter pessimos non sumus. Ego vero, inquis, spero me posse & amplioris ordinis fieri. Optauerim hoc oobis, magis quàm promiserim. praeoccupati sumus: ad virtutem contendimus, inter vitia districti: pudet dicere; honesta colimus quantum vacat. At quàm grande praemium oos expectat, si occupationes nostras & mala tenacissima abrumpimus? Non cupiditas nos, non timor pellet: inagitati terroribus, incorrupti voluptatibus, nec mortem horrebimus, nec deos: sciemus mortem malum non esse, deos malos non esse. Tam imbecillum est, quod nocet, quàm cui nocetur.[f] Optima, & noxa carentia expectant oos, si ex hac aliquando faece in illud euadimus sublime & excelsum: tranquillitas animi, & expulsis erroribus absoluta libertas. Quaeris, quae sit ista? non homines timere, non deos: nec turpia velle, nec nimia: in seipsum habere maximam potestatem. Inaestimabile bonum est, suum fieri.

Epistola LXXVI.

INIMICITIAS mihi denuntias, si quicquam ex his quae quotidie facio, ignoraueris. Vide quàm simpliciter tecum viuam: hoc quoque tibi committam. Philosophum audio,[a] & quidem quintum iam diem habeo, ex quo in scholam eo, & ab octaua disputantem audio. Bona, inquis, aetate. Quid ni bona? Quid autem stultius, quàm quia diu non didiceris, oon discere? quid ergo? Idem faciam quod trossuli & iuuenes? Bene mecum agitur,[b] si hoc

vnum ſenectutem meam dedecet. Omnis aetatis bomines baec ſchola admittit: in hac ſeneſcamus: hanc vt iuuenes ſequamur. In theatrum ſenex ibo, & in circum deferar, & nullum par ſine me depugnabit: ad philoſophum ire erubeſcam? Tam diu diſcendum eſt, quàm diu neſcias, &, ſi prouerbio credimus, quàm diu viuas. Nec vlli hoc rei magis conuenit, quàm huic: tam diu diſcendum eſt quemadmodum viuas, quàm diu viuis. Ego tamen hic aliquid & doceo. Quaeris quid doceam? Etiam ſeni eſſe diſcendum. Pudet autem me generis humani. Quoties ſcholam intraui, praeter ipſum theatrum Neapolitanorum (vt ſcis) tranſeundũ eſt, [c] Metronactis petentibus domum. [d] Illud quidem, farctum eſt: & hoc ingenti ſtudio, quis ſit pithaules bonus, iudicatur. Habet tibicen quoque Graecus & praeco concurſum. At in illo loco, in quo vir bonus diſcitur, pauciſſimi ſedent: & hi plaeriſque videntur nihil boni negotij habere quod agant: inepti & inertes vocantur. Mihi contingat iſte deriſus. AEquo animo audienda ſunt imperitorum conuicia: & ad honeſta vadenti contemnendus eſt iſte contemptus. Perge, Lucili, & propera, ne tibi accidat quod mihi, vt ſenex diſcas: immo ideo magis propera, quoniam id nunc aggreſſus es, quod perdiſcere vix ſenex poſſis. Quantum, inquis, proficiam? quantum tentaueris. Quid expectas? Nulli ſapere caſu obtigit. Pecunia veniet vltro, [e] honor offeretur, gratia ac dignitas fortaſſe ingerentur tibi: virtus in te non incidet, ne leui quidem opera aut paruo labore: ſed eſt tanti laborare, omnia bona ſemel occupaturo. [f] Vnum enim eſt bonum quod honeſtum. In illis nihil inuenies veri, nihil certi, quaecunque famae placent. Quare boc vnum ſit bonum, quod honeſtum, dicam, quoniam me parum exſecutum priore epiſtola iudicas, magisque hanc rem tibi laudatam quàm probatam putas: [g] & vt in arctum, quae dicta ſunt, contraham: Omnia ſuo bono conſtant. vitem fertilitas commendat, [h] ſapor vinum, velocitas ceruum. [i] Quare fortia dorſo iumenta ſint, quaeris? quia eorum hic vnus eſt vſus, ſarcinam ferre. In cane ſagacitas prima eſt, ſi inueſtigare debet feras: curſus, ſi conſequi: audacia, ſi mordere & inuadere. Id in quoque optimũ eſt cui naſcitur, quo cenſetur. In homine optimum quid eſt? Ratio: bac antecedit animalia, deos ſequitur. Ratio ergo perfecta, proprium hominis bonum eſt: cetera illi cum animalibus ſatisque communia ſunt. Valet? & leones. formoſus eſt? & pauones. velox eſt? & equi. non dico, in his omnibus vincitur. Non quaero quid in ſe maximum habeat, ſed quid ſuum. Corpus habet? & arbores. habet impetum & motum voluntarium? & beſtiae & vermes. habet vocem? ſed quanto clariorem canes, acutiorem aquilae, grauiorem tauri, dulciorem mobilioremque luſciniae? Quid in homine proprium? Ratio. haec recta & conſummata, felicitatem hominis impleuit. Ergo ſi omnis res cum bonum ſuum perfecit, laudabilis eſt, & ad finem naturae ſuae peruenit, homini autem ſuum bonum ratio eſt, ſi hanc perfecit, laudabilis eſt, & finem naturae ſuae attigit. haec ratio perfecta, virtus vocatur, eademque honeſtum eſt. Id itaque vnum bonum eſt in homine, quod vnum bominis eſt. Nunc enim non quaerimus quid ſit bonũ, ſed quod ſit hominis bonum. Si nullum aliud eſt hominis, quàm ratio, haec erit vnum eius bonum, ſed penſandum cum omnibus. Si ſit aliquis malus, puto improbabitur: ſi bonus, puto probabitur. Id ergo in homine proprium ſolumque eſt, quo & probatur, & improbatur. Non dubitas, an hoc ſit bonum: dubitas, an ſolum bonum ſit. Si quis omnia alia babeat, valetudinem, diuitias, imagines multas, frequens atrium, ſed malus ex confeſſo ſit: improbabis illum. Item ſi quis nihil quidem illorum quae retuli, habeat, deficiatur pecunia, clientum turba, nobilitate, & auorum proauorumque ſerie, ſed ex confeſſo bonus ſit: probabis illum. Ergo eſt vnum bonum bominis: quod qui habet; etiam ſi aliis deſtituitur, laudandus eſt: qui non habet, in omnium aliorum copia damnatur ac reiicitur. Quae condicio rerum, eadem & hominum eſt. Nauis bona dicitur, non quae pretioſis coloribus picta eſt, [k] nec cui argenteum aut aureum roſtrum eſt, nec cuius tutela ebore caelata eſt, nec quae fiſcis ac opibus regiis preſſa eſt: ſed ſtabilis, & firma, & iuncturis aquam excludentibus ſpiſſa, ad ferendum incurſum maris ſolida, gubernaculo parens, [l] velox, & conſentiens vento. Gladium bonum dices, non cui deauratus eſt baltheus, nec cui vagina gemmis diſtinguitur: ſed cui & ad ſecandum ſubtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus. Regula non quàm formoſa, ſed quàm recta ſit, quaeritur. Eo quodque laudatur, cui comparatur, quod illi proprium eſt. Ergo in homine quoque nihil ad rem pertinet, quantũ aret, quantum feneret, a quàm multis ſalutetur, quàm pretioſo incumbat lecto, quàm pellucido poculo bibat, ſed quàm bonus ſit. Bonus autem eſt, ſi ratio explicita & recta eſt, & ad naturae voluntatem accommodata. Haec vocatur virtus: hoc eſt honeſtum & vnicum hominis bonum. Nam cum ſola ratio perficiat hominem, ſola ratio perfecta beatum facit. Hoc autem vnum hominis bonum eſt, quo vno beatus efficitur. Dicimus & illa bona eſſe, quae a virtute profecta contractaque ſunt, id eſt opera eius omnia. Sed ideo vnum ipſa

bonum

bonum est, quia nullum sine illa est. Si omne in animo bonum est, quicquid illum cōfirmat, extollit, amplificat, bonum est: validiorem autem animum, & excelsiorem, & ampliorem, facit virtus: nam cetera quae cupiditates nostras irritant, deprimunt quoque animum & labefaciunt: & cum videntur attollere, inflant, ac multa vanitate deludunt. Ergo vnum id boum est, quo melior animus efficitur. Omnes actiones totius vitae honesti ac turpis respectu temperantur: ad haec faciendi & oon faciendi ratio dirigitur. Quid sit hoc, dicam. Vir bonus quod hooeste se facturum putauerit, faciet, etiam si laboriosum erit: faciet, etiam si damnosum erit: faciet, etiā si periculosum erit. Rursus quod turpe erit, nō faciet, etiam si pecuniam affert, etiam si voluptatem, etiam si potentiā. Ab honesto nulla re deterrebitur, ad turpia nulla spe inuitabitur. Ergo si honestum vtique secuturus est, turpe vtique vitaturus: & in omni actu vitae spectaturus haec duo: oullum aliud bonum quàm honestum, oec aliud malum quàm turpe. Si vna indepravata virtus est, & sola permanet tenoris sui, vnum est bonū virtus: cui iam accidere vt non sit bonum, non potest. Mutationis periculum effugit sapientia. Sapientia non eripitur, sapientia in stultitiam oon reuoluitur. Dixi, si forte meministi, cōcupita vulgo, & formidata inconsulto impetu plerosque calcasse. inuentus est qui flammis impooeret manum: cuius risum non interrumperet tortor: qui in funere liberorum lacrimā non mitteret: qui morti intrepidus occurreret. amor, ira, cupiditas, pericula depoposcerunt. Quòd si hoc potest breuis obstinatio animi, aliquo stimulo excitata: quanto magis virtus quae non ex impetu, nec subito, sed aequaliter valet: cui perpetuum robur est? Sequitur, vt quae ab inconsultis saepe contemnuntur, a sapientibus semper, ea nec bona sint, nec mala. Vnum ergo bonum ipsa virtus est, quae inter hanc fortunam & illam superba incedit, cum magno vtriusque contemptu. Si hanc opinioocm receperis, aliquid bonum esse praeter hoc estum, nulla non virtus laborabit. Nulla enim obtineri poterit, si quidquam extra se respexerit. Quod si est, rationi repugnat, ex qua virtutes sunt: & veritati, quae sine ratione nō est. Quaecūque autem opinio veritati repugnat, falsa est. Virum bonū concedas necesse est sum mae pietatis erga deos esse. Itaq; quicquid illi acciderit, aequo animo sustinebit. Sciet enim id accidisse lege diuina, qua vniuersa procedūt. Quod si est, vnum illi bonū erit, quod honestum: io hoc enim positum est & parere diis, nec excādescere ad subita, nec deplorare sortē suam, sed patienter excipere fatū, & facere imperata. Si vllum aliud est bonū quàm honestū, sequetur nos auiditas vitae, auiditas rerum vitam instruentiū, quod est intolerabile, infinitū, vagūm. Solum ergo bonū est honestū, cui modus est. Diximus, hominum futurā feliciorem vitam quā deorum, si ea bona sunt, quorum oullus diis vsus est, tanquā pecunia & honores. Adiice nunc, quòd si modo solutae corporibus animae maneot, felicior illis status restat, quàm est dū versantur in corpore. Atqui si ista bona sunt, quibus per corpora vtimur, emissis erit peius; quod cootra fidem est, feliciores esse liberis, & in vniuersum datis, clausas & obsessas. Illud quoque dixeram, si bona sunt ea quae tam homini contingunt quàm mutis animalibus, & muta animalia beatam vitam actura: quod fieri nullo modo potest. Omnia pro honesto patienda sunt: quod noo erat faciendum, si esset vllum aliud bonum quàm honestum. Haec quamuis latius executus essem priore epistola, constrinxi, & breuiter percurri. Nunquā autem vera tibi opinio talis videbitur, nisi animū alleues & teipsum interroges: si res exegerit, vt pro patria moriaris, & salutem omnium ciuiū tua redimas, an porrecturus sis ceruicem, non tantum patienter, sed etiā libenter. Si hoc facturus es, nullū aliud bonum est. Omnia relinquis, vt hoc habeas. Vide, quanta vis honesti sit. Pro Rep. morieris [m] etiam si nō statim facturus hoc eris, cum scieris tibi esse faciendum. [n] interdū ex re pulcherrima magnū gaudium etiā tempore breui ac exiguo capitur: & quāuis fructus operis peracti nullus ad defunctū exemptumque rebus humanis pertineat, ipsa tamen contēplatio futuri operis iuuat: & vir fortis & iustus cum mortis suae pretia ante se posuit, libertatē patriae, salutem omniū pro quibus dependit animam, in summa voluptate est, & periculo suo fruitur. [o]Sed ille quoque, cui etiam hoc gaudium eripitur, quod tractatio operis maximum & vltimum praestat, nihil cunctatus desiliet in mortem, facere recte pieque contentus. Oppone etiam nunc illi multa quae dehortentur. Dic, Factum tuum matura sequetur obliuio: [p] & parum grata existimatio ciuium respondebit tibi. Ista omnia extra opus meum sunt. ego ipsum contemplor: hoc esse honestum scio. Itaque quocunque ducit ac vocat, venio. Hoc ergo vnum bonum est, quod non tantum perfectus animus, sed generosus quoque & indolis bonae sentit: cetera leuia sunt, mutabilia. Itaque sollicite possidentur, etiam si fauente fortuna in vnum congesta sunt: dominis suis incūbunt grauia, & illos semper premunt, aliquando & elidūt. Nemo ex istis quos purpuratos vides, felix est, non magis quàm ex illis quibus sceptrum & chlamydem in scaena fabulae assignant, cum praesente populo elati incesserunt, & cothur-

n

nati, ſimul exierunt, excalceantur, & ad ſtaturam ſuam redeunt. Nemo iſtorum quos diuitiae honoresque in altiore faſtigio ponunt, magnus eſt. Quare ergo magnus videtur?[¹] Cum baſi illum ſua metiris. Paruus pumilio, licet in monte conſtiterit. Coloſſus magnitudinem ſuam ſeruabit, etiam ſi ſteterit in puteo. Hoc laboramus errore: ſic nobis impotitut: quod neminem aeſtimamus eo quo eſt, ſed adiicimus illi & ea quibus adornatus eſt. Atqui cum voles veram hominis aeſtimationem inire, & ſcire qualis ſit, nudum inſpice. ponat patrimonium, ponat honores, & alia fortunae mendacia: corpus ipſum exuat: animum intuere, qualis quantusque ſit, alieno an ſuo magnus. ſi erectis oculis gladios micantes videt, & ſi ſcit ſua nihil intereſſe vtrum anima per os, an per iugulum exeat, beatum voca. Si cum illi denuntiata ſunt corporis tormenta, & qnae caſu veniunt, & quae potentioris iniuria, ſi vincula & exilia, & vanas humanarum formidines mentium, ſecurus audit, & dicit,

—— Non vlla laborum,
O virgo, noua mi facies inopinave ſurgit.
Omnia praecepi, atque animo mecum ipſe peregi.

Tu hodie iſta denuntias: ego ſemper denuntiaui mihi. hominem paraui ad humana. praecogitati mali mollis ictus venit. At ſtultis & fortunae credentibus, omnis videtur noua terũ & inopinata facies. Magna autem pars eſt apud imperitos mali, nouitas. Hoc vt ſcias, ea quae putauerunt aſpera, cum aſſueuete, patiuntut. Ideo ſapiens aſſueſcit futuris malis: & quae alij diu patiendo leuia faciunt, hic leuia facit diu cogitando. Audimus aliqnando voces imperitorum, dicentium:' Neſciebam hoc mihi reſtare. Sapiens ſcit ſibi omnia reſtare. quicquid factum eſt, dicit, Sciebam.

Epiſtola LXXVII.

S'. V. B. Hodie nobis Alexandrinae naues apparuerunt, quae praemitti ſolent & nuntiare ſecuturae claſſis aduentum: tabellarias vocant. Gratus illarum Campaniae aſpectus eſt. Omnis in pilis Puteolorum turba conſiſtit, & ex ipſo genere velorum Alexandrinas, quamuis in magna turba nauium, intelligit. Solis enim licet ſupparum intendere, quod in alto omnes habent naues. Nulla enim res aeque adiuuat curſum, quàm ſumma pars veli. illinc maxime nauis vrgetur. Itaque quoties ventus increbruit, maiorque eſt quàm expedit, antemna ſubmittitut. Minus habet virium flatus ex humili. Cum intrauere Capreas & promontorium, ex quo

Alta procelloſo ſpeculatur vertice Pallas,

ceterae velo iubentut eſſe contentae: ſupparum Alexandrinarum inſigne eſt. In hoc omtiũ diſcurſu properantium ad litus, magnam ex pigritia mea ſenſi voluptatem, quòd epiſtolas meorum accepturus, non properaui ſcire, quis illic eſſet rerum mearum ſtatus, quid afferrét. Olim iam nec perit quicquam mihi, nec acquiritur. Hoc etiam ſi ſenex non eſſem, fuerat ſentiendum. Nunc vero multo magis, quia quantulumcumque haberem, tamen plus iam mihi ſupereſſet viatici, quàm viae: praeſertim cum eam viam ſimus ingreſſi, quam peragere non eſt neceſſe. Iter imperfectum erit, ſi in media parte, aut citra petitum locum ſteteris. Vita non eſt imperfecta, ſi honeſta eſt. Vbicunque deſines, ſi bene deſinis, tota eſt. Saepe autem & fortiter deſinendum eſt, & non ex maximis cauſis. Nam nec hae maximae ſunt, quae nos tenent. Tullius Marcellinus, quem optime noueras, adoleſcens quietus & cito ſenex, morbo, & non inſanabili correptus, ſed longo & moleſto & multa imperante, coepit deliberare de morte. conuocauit complures amicos. vnuſquisque aut quia timidus erat, id illi ſuadebat, quod ſibi ſuaſiſſet: aut quia adulatot & blandus, id conſilium dabat, quod deliberanti gratius fore ſuſpicabatur. Amicus noſter Stoicus, homo egregius, &, vt verbis illum quibus laudari dignus eſt, laudem, vir fortis ac ſtrenuus, videtur mihi optime illum cohortatus. Sic enim coepit: Noli, mi Marcelline, torqueri, tanquam de re magna deliberes. Non eſt res magna, viuere. omnes ſerui tui viuunt, omnia animalia. Magnum eſt, honeſte mori, prudenter, fortiter. Cogita quamdiu iam idem facias. Cibus, ſomnus, libido. Per hunc circulum curritur. Mori velle non tantum prudens, & fortis aut miſer, ſed etiam faſtidioſus poteſt. Non opus erat ſuaſore illi, ſed adiutore. Serui parere nolebant. Primum detraxit illis metum, & indicauit [²] tunc familiam periculum adire, cum incertum eſſet, an mors domini voluntaria fuiſſet: alioquin tam mali exempli eſſe prohibere dominum, quàm occidere. Deinde ipſum Marcellinum admonuit, non eſſe inhumanum, quemadmodum coena peracta reliquiae circunſtantibus diuiduntur: ſic peracta vita aliquid porrigi his qui totius vitae miniſtri fuiſſent. Erat Matcellinus facilis animi, & liberalis, etiã cum de ſuo fieret. Minutas itaque ſummulas diſtribuit flentibus ſeruis, & illos vltro conſolatus eſt. Non fuit illi opus ferro, non ſanguine. Tridno abſtinuit, & in ipſo cubiculo poni tabernaculum iuſſit.

Solium

Soliũ deinde illatũ est, inquo diu iacuit, & calida subinde suffusa paulatim defecit, vt aiebat, non sine quadam voluptate, quam afferre solet lenis dissolutio animi, non inexperta nobis, quos aliquando liquit animus. In fabellam excessi non ingratam tibi: exitum enim amici tui cognosces, non difficilem, nec miserum. Quamuis enim mortem sibi consciuerit, tamen mollissime excessit, & vitae elapsus est. Sed ne inutilis quidem haec fabella fuerit. Saepe enim talia exempla necessitas exigit. Saepe debemus mori; nec volumus: morimur, nec volumus. Nemo tam imperitus est, vt nesciat sibi quandoque moriendum: tamen cum prope accesserit, tergiuersatur, tremit, plorat. Nonne tibi videbitur stultissimus omnium, qui fleuerit quòd ante annos mille non vixerat? AEque stultus est, qui flet, quòd post annos mille non viuet. Haec paria sunt: Non eris, nec fuisti. Vtrunque tempus alienum est. In hoc punctum coniectus es: quod vt extendas, quousque extendes? Quid fles? quid optas? Perdis operam.

Desine fata Deum flecti sperare precando.

rata & fixa sunt, atque magna & aeterna necessitate ducuntur. Eo ibis, quo omnia eũt. Quid tibi nouum est? ad hanc legem natus es: hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc maioribus, hoc omnibus ante te, hoc omnibus post te. Series inuicta, & nulla mutabilis ope illigat ac trahit cuncta. Quantus te populus mortuo sequetur, quantus comitabitur? Fortior, vt opinor, esses, si multa millia tibi commorerentur. Atqui multa millia hominum & animalium hoc ipso momento, quo tu mori dubitas, animam varijs generibus emittunt. Tu autem non putabas te aliquando peruenturum ad id, ad quod semper ibas? Nullum sine exitu iter est. Exempla nunc magnorum virorum me tibi iudicas relaturum? Puerorum referam. Lacon ille memoriae traditur impubes adhuc, qui captus clamabat, Non seruiam, sua illa Dorica lingua, & verbis fidem imposuit. Vt primum iussus est fungi seruili & contumelioso ministerio, afferre enim vas obscoenum iubebatur, illisum parieti caput rupit. Tam prope libertas est: & seruit aliquis? Ita non sic perire filium tuum malles, quàm per inertiam senem fieri? Quid ergo est, cur perturberis, si mori fortiter etiam puerile est? Puta te nolle sequi, duceris. Fac tui iuris, quod alieni est. Non sumes pueri spiritum, vt dicas, Non seruio? Infelix, seruis hominibus, seruis rebus, seruis vitae. Nam vita, si moriendi virtus abest, seruitus est. Ecquid habes propter quod expectes? Voluptates quae te morantur ac retinent, consumpsisti: nulla tibi noua est: nulla non iam odiosa ipsa satietate. quis sit vini, quis mulsi sapor, scis: nihil interest, centum per vesicam tuam an mille amphorae transeant. saccus es. quid sapiat ostreum, quid mullus, optime nosti. nihil tibi luxuria tua in futuros annos intactum reseruauit. Atqui haec sunt, a quibus inuitus diuelleris. Quid est aliud quod tibi eripi doleas? Amicos & patriam? Tanti enim illam putas, vt tardius coenes? solem, si posses, extingueres. Quid enim vnquam fecisti luce dignum? confitere non curiae te, non fori, non ipsius naturae rerum desiderio, tardiorem ad moriendum fieri. Inuitus relinquis macellum, in quo nihil reliquisti. Mortem times. at quomodo illam media oblectatione contemnis? Viuere vis. scis enim. mori times. Quid porro ista vita non mors est? Caesar, cum illum transeuntem per Latinam viam, vnus ex custodiarum agmine demissa vsque in pectus vetere barba, rogaret mortem: Nunc enim, inquit, viuis? Hoc istis respondendum est, quibus succursura mors est: Mori times? nunc enim viuis? Sed ego, inquit, viuere volo, qui multa honeste facio. Inuitus relinquo officia vitae, quibus fideliter & cum industria fungor. Quid? tu nescis vnum esse ex vitae officiis & mori? Nullum officium relinquis.[2] Non enim certus numerus quem debeas explere, finitur. Nulla vita est non breuis. Nam si ad naturam rerum respexeris, etiam [3] Nestoris & [4] Statiliae breuis est, quae inscribi monumento suo iussit, annis se nonagintanouẽ vixisse. Vides aniculam gloriari senectute longa. quis illam ferre potuisset, si contigisset centesimum implere? Quomodo fabula, sic vita: non quàm diu, sed quàm bene acta sit, refert. Nihil ad rem pertinet, quo loco desinas. quocunque voles, desine: tantum bonam clausulam impone.

Epistola LXXVIII.

VEXARI te destillationibus crebris ac febriculis, quae longas destillationes & in consuetudinem adductas sequuntur, eo molestius mihi est, quia expertus sum hoc genus valetudinis: quod inter initia contempsi. Poterat adhuc adolescentia iniurias ferre, & se aduersus morbos contumaciter gerere: deinde succubui, & eo perductus sum, vt ipse destillarem. Ad summam maciem deductus, saepe impetum cepi abrumpendae vitae. patris me indulgentissimi senectus retinuit. Cogitaui enim, non quàm fortiter ego mori possem, sed quã ille fortiter desiderare me posset. Itaque imperaui mihi vt viuerem. aliquando enim & viuere, fortiter facere est. Quae mihi tunc fuerint solatio, dicam: si prius hoc dixero, haec ipsa quibus acquiescebam, medicinae vim habuisse. In remedium cedunt honesta solatia:

& quicquid animum erexit, etiam corpori prodest. Studia mihi nostra saluti fuerunt. Philosophiae acceptum fero quòd surrexi, quòd cõualui: illi vitam debeo, & nihil illi minus debeo. Multum mihi contulerunt ad bonam valetudinem amici, quorum adhortationibus, vigiliis, sermonibus alleuabar. Nihil aeque, Locili virorum optime, aegrum reficit atque adiuuat, quàm amicorum affectus: nihil aeque expectationem mortis ac metum surripit. Non iudicabam me, cum illos superstites relinquerem, mori: putabam, inquam, me victurum, nõ cum illis, sed per illos: non effundere spiritum mihi videbar, sed tradere. Haec mihi dederũt voluntatem adiouandi me, & patiendi omne tormentum. alioqui miserrimum est, cum animum moriendi proieceris, non habere viuendi. Ad haec ergo remedia te confer. Medicus tibi quantum ambules, quantum exercearis, monstrabit: ne indulgeas otio, ad quod vergit iners valitudo: vt legas clarius, & spiritum, cuius iter & receptaculum laborat, exerceas: vt nauiges, & viscera molli iactatione concutias: quibus cibis vtaris: vinum quando viriũ causa aduoces, quando intermittas, ne irritet & exasperet tussim. Ego tibi illud praecipio, quod non tãtum huius morbi, sed totius vitae remedium est. Contemne mortem. Nihil triste est, cùm huius metum effugimus. Tria haec in omni morbo grauia sunt, metus mortis, dolor corporis, intermissio voluptatum. De morte satis dictum est. hoc vnum dicam, non morbi hunc esse, sed naturae metum. multorum mortem distulit morbus: & saluti illis fuit, videri perire. Morieris, non quia aegrotas, sed quia viuis. Ista te res & sanatum manet. cum conualueris, non mortem, sed valitudinem effugies. Ad illud nunc proprium incommodum reuertamur. magnos cruciatus habet morbus. sed hos tolerabiles interualla faciũt. Nam summi doloris intentio inuenit finem. Nemo potest valde dolere, & diu. sic nos amantissima nostri natura disposuit, vt dolorem aut tolerabilem, aut breuem faceret. Maximi dolores consistũt in macerrimis corporis partibus. Nerui, articulique, & quicquid aliud exile est, acerrime saeuit, cum in arcto vitia concepit. Sed cito hae partes obstupescunt, & ipso dolore sensum doloris amittunt, siue quia spiritus naturali prohibitus cursu, & mutatus in peius, vim suam qua viget, admonetque nos, perdit: siue quia corruptus humor cum desiit habere quò confluat, ipse se elidit, & his quae nimis impleuit, excutit sensum. Sic podagra & chiragra, & omnis vertebrarum dolor, neruorumque interquiescit, cum illa quae torquebat hebetauit: omnium istorum prima ' verminatio vexat, impetus mora extinguitur, & finis dolendi est obtorpuisse. Dentium, oculorum, aurium dolor ob hoc ipsum acutissimus est, quòd inter angusta corporis nascitur: [a] non minus mehercule quàm capitis ipsius. Sed quo incitatior est, eo citius in alienationem stuporemque conuertitur. Hoc itaque solatium vasti doloris est, quòd necesse est desinas illum sentire, si nimis senseris. Illud autem est quod imperitos in vexatione corporis male habet: non assueuerunt animo esse cõtenti: multum illis cum corpore fuit. Ideo vir magnus ac prudens [b] animum deducit a corpore, & multum cum meliore & diuina parte versatur: cum hac querula ac fragili, quantum necesse est. Sed molestum est, inquis, carere assuetis voluptatibus, abstinere cibo, sitire, esurire. Haec prima abstinentia grauia sunt: deinde cupiditas relanguescit, ipsis per quae cupimus fatigatis, ac deficiẽtibus. Inde morosus est stomachus: inde quorum fuit auiditas, odium est. desideria ipsa moriuntur. Non est autem acerbum carere eo quod cupere desieris. Adiice, quòd nullus non intermittitur dolor, aut certe remittitur. Adiice, quòd licet & cauere venturum & obsistere imminenti remediis. Nullus enim non signa praemittit, vtique qui ex solito reuertitur. Tolerabilis est morbi praesentia, si contempseris id quod extremum minatur. Noli mala tua facere tibi ipsi grauiora, & te querelis onerare. leuis dolor est, si nihil illi opinio adiecerit. Contra si exhortari te coeperis, ac dicere, Nihil est, aut certe exiguum est, duremus, iam desinet: leuem illum, dum putas, facies. Omnia ex opinione suspensa sunt. non ambitio tantum ad illam respicit, & luxuria, & auaritia. Ad opinionem dolemus. tam miser est quisque, quàm credit. Detrahendas praeteritorum dolorum conquestiones puto, & illa verba: Nulli vnquam fuit peius. Quos cruciatus, quanta mala pertuli? Nemo me surrecturum putauit. Quoties deploratus sum a meis, quoties a medicis relictus? In equuleum impositi non sic distrahuntur. Etiam si sunt vera ista, transierũt. Quid iuuat praeteritos dolores retractare, & miserum esse, quia fueris? Quid, quòd nemo non multum malis suis adiicit, & sibi ipse mentitur? Deinde quod acerbum fuit, retulisse iucundum est. Naturale est, mali sui fine gaudere. Circumcidenda ergo duo sunt, & futuri timor, & veteris incommodi memoria. hoc ad me iam non pertinet, illud nondum. In ipsis positus difficultatibus dicat:

—— *Forsan & haec olim meminisse iuuabit.*

Toto contra illum pugnet animo. vincetur, si cesserit. vincet, si se contra dolorem suum intenderit. Nunc hoc plaerique faciunt, attrahunt in se ruinam, cui obstandum est. istud quod premit,

ptemit, quod impendet, quod vrget, si subducere te coeperis, sequetur & grauius incumbet: si contra steteris, & obniti volueris, repelletur. Athletae quantum plagarum ore, qoantum toto corpore excipiunt? ferunt tamen omne tormentum gloriae cupiditate: nec tantum quia pugnant, ista patiuntur, sed vt pugnent. exercitatio ipsa tormentum est. Nos quoque euincamus omnia, quorum ptaemium non cotona, nec palma est, nec tubicen praedicationi nominis nostri silentium faciens, sed virtus & firmitas animi & pax in ceterum parta, si semel in aliquo certamine debellata fortuna est. Dolorem grauem sentio. Quid ni sentias, si illum muliebriter tuleris? Quemadmodum perniciosior est hostis fugientibus, sic omne fortuitum incommodum magis instat cedenti & auerso. Sed graue est. quid? nos ad hoc fortes sumus, vt leuia portemus? Vtrum vis, longum esse morbum, an concitatum & breuē? Si longus est, habet intercapedinem, dat refectioni locum: multum temporis donat. necesse est vt exurgat & desinat. Breuis morbus ac praeceps alterutrum faciet: aut extinguetur, aut extinguet. Quid autem interest, noo sit, an noo sim? In vtroque finis dolendi est. Illud quoque proderit, ad alias cogitationes auertere animum, & a dolore discedere. Cogita quid honeste, quid fortiter feceris: bonas partes tecum ipse tracta: memoriam in ea quae maxime miratus es, sparge. tunc tibi fortissimus quisque & victor doloris occurrat. Ille qui dum varices exsecandas praeberet, legere librū perseuerauit. Ille qui non desiit ridere, cum ob hoc ipsum irati tortores omnia instrumenta crudelitatis experirētur. Noo vincetur dolor ratione, qui victus est risu? Quicquid vis, nunc licet dicas, destillationes, & vim continuae tussis egerentem viscerum partes, & febrem praecordia ipsa torrentem, & sitim, & artus in diuersum articulis exeuntibus tortos: plus est flamma, & equuleus, & lamina, & vulneribus ipsis intumescentibus, quod illa renouaret & altius vrgeret impressum. inter haec tamen aliquis non gemuit: parum est. non rogauit: parum est. oon respondit: parum est. risit, & quidem ex animo. vis tu post hoc dolorem deridere? Sed nihil, inquit, agere finit morbus, qui me omnibus abduxit officiis. [c] Corpus tuum valitudo tenet, non animum. Itaque cursoris moratur pedes, sutoris ac fabri manus impediet. Si animos tibi esse in vsu solet, suadebis, docebis, audies, disces, qoaeres, recordaberis. Quid porro? nihil agere te credis, si temperans aeger sis? Ostendes morbum posse superari, vel certe sustineri. Est, mihi crede, virtuti etiam in lectulo locus. Noo tantum arma & acies dant argumenta alacris animi, indomitique terroribus: & in vestimentis vir fortis apparet. Habes quod agas. bene luctare cum morbo. si nihil te coegerit, si nihil exorauerit, insigne prodis exemplum. O quàm magna erat gloriae materia, si spectaremur aegri. Ipse te specta, ipse te lauda. Praeterea duo sunt genera voluptatum: corporales morbus inhibet, non tamen tollit, immo, si verum aestimes, incitat. magis iuuat bibere sitientem. gratior est esurienti cibus. Quicquid ex abstinentia contigit, auidius excipitur. Illas vero animi voloptates, quae maiores certioresque sunt, nemo medicus aegro negat: has quisquis sequitur, & bene intelligit, omnia sensuum blandimenta contemnit. O infelicem aegrum. quare? quia noo vino niuem diluit: quia non rigorem potionis suae, quam capaci scypho miscuit, renouat fracta insuper glacie: quia non ostrea illi Lucrina in ipsa mensa aperiuntur: quia non circa coenationem eius tumultus coquorum est, ipsos cum obsoniis focos transferentium: hoc enim iam luxuria commenta est. Ne quis intepescat cibus, ne quid palato iam calloso parum ferueat, coenā culina prosequitur. O infelicem aegrum. edet quantum concoquat: non iacebit in conspectu aper, vt vilis caro, a mensa relegatus, nec in repositorio eius pectora auium, totas enim videre fastidium est, congesta pooentur. Quid tibi mali factum est? Coenabis tanquam aeger: immo aliquando tanquam sanus. Sed omnia ista facile perferemus, sorbitiooem, aquam calidam, & quicquid aliud intolerabile videtur delicatis & luxu fluentibus, magisque animo quàm corpore morbidis: tantum mortem desinamus horrere. Desinemus autem, si fines booorum ac malorum cognooerimus. Ita demum nec vita taedio erit, nec mors timori. Vitam enim occupare satietas sui noo potest, tot res, varias, magnas, diuinas percensentem. in odium illam sui adducere solet iners otium. Rerum naturam peragranti nuoquam in fastidium veritas veniet: falsa satiabunt. Rursus, si mors accedit & vocat, licet immatura sit, licet mediam ptaecidat aetatem, perceptus longissimae fructus est. Cognita est illi ex magna parte natura, scit tempore honesta oon crescere. his oecesse est videri omnem vitam breuem, qui illam voluptatibus vanis & ideo infinitis metiuntur. His te cogitationibus recrea, & interim epistolis nostris vacaodo veniet aliquod tempus, quod oos iterum iungat ac misceat: [d] quantum libet sit illud, longum faciet scientia vtendi. [e] Nam, vt Posidonius ait, vous dies hominum eruditorum plus patet, quàm imperiti longissima aetas. Interim tene hoc mordicus: aduersis non succumbere, laetis non credere, omnem fortunae licentiam in oculis habere: tanquam quic-

quid potest facere, factura sit. Quicquid expectatum est diu, leuius accedit.

Epistola LXXIX.

EXPECTO epistolas tuas, quibus mihi indices, circumitus Siciliae totius quid tibi noui ostenderit, & omnia de ipsa Charybdi certiora. Nam Scyllam saxum esse, & quidem non terribile nauigantibus, optime scio. Charybdis an respondeat fabulis, perscribi mihi desidero. Et si forte obseruaueris, (dignum est autem vt obserues) fac nos certiores, vtrum vno tantum vento agatur in vortices, [a] an omnis tempestas aeque mare illud contorquear: & an verum sit, [b] quicquid illo freti turbine arreptum est, per multa millia trahi conditum, & circa Tauromenitanum littus emergere. Si haec mihi perscripseris, tunc tibi audebo mandare, vt in honorem meum AEtnam quoque ascendas: quam consumi, & sensim subsidere, ex hoc colliguot, [c] quòd aliquanto longius nauigantibus solebat ostendi. Potest hoc accidere, non quia montis altitudo desedit, sed quia ignis euanuit, & minus vehemens ac largus effertur, ob eandem causam [d] fumo quoque per diem segniore. Neutrum autem incredibile est, nec montem qui deuoretur quotidie minui, nec ignem oon manere eundem: qui non ipse ex se est, sed in aliqua inferna valle conceptus exaestuat, & alibi pascitur, in ipso monte non alimentum habet, sed viam. In Lycia regio notissima est, Ephestion incolae vocant, [e] perforatum pluribus locis solum, quod sine vllo nascentium damno ignis innoxius circuit. Laeta itaque regio est, & herbida, nil flammis adurentibus, sed tantum vi remissa ac languida refulgentibus. Sed reseruemus ista, tunc quaesituri, cum tu mihi scripseris, quantum ab ipso ore montis niues absint, quas ne aestas quidem soluit: adeo tutae sunt ab igne vicino. Non est autem, quòd istam curam imputes mihi: morbo enim tuo daturus eras, etiam si nemo mandaret tibi, donec AEtnam describas in tuo carmine, & hunc sollemnem omnibus Poetis locum attingas: quem quo minus Ouidius tractaret, nihil obstitit, quòd iam Virgilius impleuerat. ne Seuerum quidem Cornelium vterque deterruit. Omnibus praeterea feliciter hic locus se dedit: & qui praecesserant, non praeripuisse mihi videntur quae dici poterant, sed aperuisse. Sed multum interest, vtrum ad consumptam materiam an ad subactam accedas. Crescit io dies, & inuentutis iouenta oon obstant. Praeterea condicio optima est vltimi. Parata verba inuenit, quae aliter instructa nouam faciem habent: nec illis manus iniicit tanquam alienis. Sunt enim publica. Iurisconsulti negant quicquam publicum vsu capi. Aut ego te non noui, aut AEtna tibi saliuam mouet. Iam cupis grande aliquid, & par prioribus scribere. Plus enim sperare modestia tibi tua non permittit: quae tanta in re est, vt videaris mihi [f] retractaturus ingenij tui vires, si vincendi periculum sit, tanta tibi priorum reuerentia est. Inter cetera hoc habet boni sapientia. Nemo ab altero potest vinci, nisi dum ascenditur. dum ad summum perueneris, paria sunt. Non est incremento locus. statur. Numquid sol magnitudini suae adiicit? Numquid luna vltra quàm solet procedit? Maria non crescunt: mundus eundem habitum ac modum seruat. Extollere se, quae iustam magnitudinem impleuere, non possunt. Quicunque fuerint sapientes, pares erunt & aequales: habebit vnusquisque ex his proprias dotes. Alius erit affabilior, alius expeditior, alius promptior in eloquendo, alius facundior. Illud de quo agitur, quod beatum facit, aequale erit in omnibus. An AEtna tua possit sublabi, & in se ruere, an hoc excelsum cacumen & conspicuum per vasti maris spatia [f] deterat assidua vis ignium, nescio: virtutem nõ flamma, [h] non ruina inferius adducet. Haec vna maiestas deprimi nescit, nec proferri vltra, nec referri potest. Sic huius, vt caelestium, stata magnitudo est. Ad hanc nos conemur educere. iam multum operis effectum est: immo si verum fateri volo, nõ multum. Nec enim bonitas est, pessimis esse meliorem. Quis oculis glorietur, qui suspicentur diem, quibus sol per caliginem splendet? licet cootentus interim sit effugisse tenebras, adhuc non fruitur bono lucis. Tunc animus noster habebit quod gratuletur sibi, cum emissus his tenebris, in quibus volutatur, non tenui visu clara prospexerit, sed totum diem admiserit, & redditus caelo suo fuerit, cum receperit locum quem occupauit sorte nascendi. Sursum vocant illum initia sua. Erit autem illic etiam antequam hac custodia exsoluatur, cum vitia disiecerit, purusque ac leuis in cogitationes diuinas emicuerit. Hoc nos oportet agere, Lucili carissime, in hoc ire impetu toto: licet pauci sciant, licet nemo videat. Gloria, vmbra virtutis est: etiam inuitos comitabitur. Sed quemadmodum aliquando vmbra antecedit, aliquando sequitur, ita gloria aliquando ante nos est, visendamque se praebet, aliquando in auerso est, maiorque quo serior, vbi inuidia secessit. Quamdiu videbatur furere Democritus? vix recepit Socratem fama. Quamdiu Catonem ciuitas ignorauit? respuit: nec intellexit, nisi cum perdidit. Rutilij innocentia ac virtus lateret, nisi accepisset iniuriam: dum violatur, effulsit. Nunquid non sorti suae gratias egit, & exilium suum complexus est? De

his

his loquor, quos illustrauit fortuna, dum vexat. Quàm multorum profectus in notitiã euasere post ipsos? quàm multos fama non excepit, sed eruit? Vides Epicurum, quantopere non tantum eruditiores, sed haec quoque imperitorum turba miretur. Hic ignotus ipsis Athenis fuit,[i] circa quas delituerat. Multis itaque iam annis Metrodoro suo superstes, in quadam epistola, cum amicitiam suam & Metrodori, grata commemoratione cecinisset, hoc nouissime adiecit, nihil sibi & Metrodoto inter bona tanta nocuisse, quòd ipsos illa nobilis Graecia non ignotos solum habuisset, sed paene inauditos. Numquid ergo non postea quàm esse desierat, inuentus est?[k] Nunquid non opinio eius emicuit? Hoc Metrodorus quoq; in quadã epistola cõfitetur, se & Epicurum non satis emicuisse: sed post se & Epicurum, magnum paratumque nomen habituros, apud eos[l] qui voluissent per eadem ire vestigia. Nulla virtus latet: & latuisse, non ipsius est damnum. Veniet qui conditam, & saeculi sui malignitate cõpressam dies publicet. Paucis natus est, qui populum aetatis suae cogitat. Multa annorum millia, multa populorum superuenient. Ad illa respice. etiam si omnibus tecum viuentibus silentium liuor indixerit, venient qui sine offensa, sine gratia iudicent. Si quod est pretium virtutis ex fama, nec hoc interit. Ad nos quidem nihil pertinebit posterorum sermo: tamen etiam non sentientes colet ac frequentabit. Nulli non virtus & viuo & mortuo retulit gratiam, si modo illam bona secutus est fide, si se non exornauit & pinxit, sed idem fuit, siue ex denuntiato videbatur, siue imparatus ac subito. Nihil simulatio proficit. paucis imponit leuiter extrinsecus inducta facies. veritas in omnem partem sui semper eadem est. Quae decipiunt, nihil habent solidi. Tenue est mendacium: perlucet, si diligenter inspexeris.

Epistola LXXX.

HODIERNO die non tantum meo beneficio mihi vaco, sed spectaculi, quod omnes molestos[1][a] ad sphaeromachian auocauit. Nemo irrumpit, nemo cogitationem meam impedit, quae hac ipsa fiducia procedit audacius. Non crepuit subinde ostium,[2][b] non alleuatur velum. licebit[3] vni vadere, quod magis necessarium est per se eunti, & suam sequenti viam. Non ergo sequor priores? facio. sed permitto mihi & inuenire aliquid, & mutare, & relinquere. Non seruio illis, sed assentior. Magnum tamen verbum dixi, qui mihi silentium promittebam, & sine interpellatore secretum. Ecce ingens clamor ex stadio profertur, & me non excutit mihi, sed in huius ipsius rei contentionem transfert. Cogito mecum, quàm multi corpora exerceant, quàm ingenia pauci: quantus ad spectaculum non fidele & lusorium fiat concursus, quanta sit circa artes bonas solitudo: quàm imbecilli animo sint, quorum lacertos humerosque miramur. Illud maxime reuoluo mecum. si corpus perduci exercitatione ad hanc patientiam potest, qua & pugnos pariter & calces non vnius hominis ferat, qua solem ardentissimum in feruentissimo puluere sustinens aliquis, & sanguine suo madens diem ducat: quanto facilius animus corroborari possit, vt fortunae ictus inuictus excipiat, vt proiectus, vt cõculcatus exsurgat. Corpus enim multis eget rebus, vt valeat. Animus ex se crescit, se ipse alit, se exercet. Illi multo cibo, multa potione opus est, multo oleo, longa denique opera: tibi continget virtus sine apparatu, sine impensa. Quicquid facere te potest bonum, tecum est. Quid tibi opus est vt sis bonus? velle. Quid autem melius potes velle, quàm eripere te huic seruituti, quae omnes premit, quam mancipia quoque condicionis extremae, & in his sordibus nata, omni modo exuere conantur? peculium suum, quod cõparauerunt ventre fraudato, pro capite numerant. Tu non concupisces quanticunque ad libertatem peruenire, qui te putas in illa natum? Quid ad arcam tuam respicis? emi nõ potest. Itaque in tabellas vanum coniicitur nomen libertatis: quam nec qui emerunt habent, nec qui vendiderunt. Tibi des oportet istud bonum: a te petas. Libera te primum metu mortis. illa nobis primum iugum imponit. Deinde metu paupertatis. Si vis scire quàm nihil in illa mali sit, compara inter se pauperum & diuitum vultus. Saepius pauper & fidelius ridet. nulla sollicitudo in alto est. etiam si qua incidit cura, velut nubes leuis transit. Horum qui felices vocantur, hilaritas ficta est, aut grauis & [a] suppurata tristitia: & quidem grauior, quia interdum non licet palam esse miseros: sed inter aerumnas cor ipsum exedentes, necesse est agere felicem. Saepius hoc exemplo mihi vtendum est: nec enim vllo efficacius exprimitur hic humanae vitae mimus,[c] qui nobis partes has, quas male agamus, assignat. Ille qui in scaena[d] elatus incedit, & haec resupinus dicit,

[1] En impero Argis: regna mihi liquit Pelops,
Qua Ponto ab Helles atque ab Ionio mari
Vrgetur Isthmos:

seruus est,[e] quinque modios accepit, & quinque denarios. Ille qui superbus, atque impotens, & fiducia virium tumidus ait,

Quod niſi quieris Menelae, hac dextra occides:

diurnum accipit,[f] in coenaculo dormit. Idem de iſtis licet omnibus dicas, quos ſupra capita hominum, ſupraque turbam delicatos lectica ſuſpendit. Omnium iſtorum perſonata felicitas eſt. Contemnes illos, ſi deſpoliaueris.[g] Eqnum empturus, ſolui iubes ſtratum, detrahis veſtimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant: hominem inuolutum aeſtimas? Mangones, quicquid eſt quod diſpliceat, aliquo lenocinio abſcondunt. Itaque ementibus ornamenta ipſa ſuſpecta ſunt: ſiue crus alligatum, ſiue brachiũ aſpiceres, nudari iuberes, & ipſum tibi corpus oſtendi. Vides illum Scythiae Sarmatiaeve regem inſigni capitis decorum? ſi vis illum aeſtimare, totumque ſcire qualis ſit, faſciam ſolue. multum mali ſub illa latet. [h] Quid de aliis loquor? ſi perpendere te voles, ſepone pecuniam, domum, dignitatem: intus te ipſe conſidera. Nunc qualis ſis, aliis credis.

Epiſtola LXXXI.

QVERERIS incidiſſe te in hominem ingratum. Si hoc nunc primum, age aut fortunae, aut diligentiae tuae gratias. Sed nihil facere hoc loco diligentia poteſt, niſi te malignum. Nam ſi hoc periculum vitare volueris, non dabis beneficia. Ita ne apud alium pereãt, apud te peribunt. Non reſpondeant potius, quàm non dentur. Et poſt malam ſegetem ſerẽdum eſt. Saepe quicquid perierat aſſidua infelicis ſoli ſterilitate, vnius anni reſtituit vbertas. Eſt tanti, vt gratum inuenias, experiri & ingratos. Nemo habet tam certam in beneficiis manum, vt non ſaepe fallatur. Aberrent, vt aliquando haereant. Poſt naufragium maria tentantur: [a] feneratorem non fugat a foro decoctor. Cito inerti otio vita torpebit, ſi relinquendum eſt quicquid offendit. Te vero benigniorẽ haec ipſa res faciat. Nam cuius rei euentus incertus eſt, id, vt aliquando procedat, ſaepe tentandũ eſt. Sed de iſto ſatis multa in iis libris locuti ſumus, qui de Beneficiis inſcribuntur. Illud magis quaerendũ videtur, quod non ſatis (vt exiſtimo) explicatum eſt: An is qui profuit nobis, ſi poſtea nocuit, paria fecerit, & nos debito ſoluerit. Adiice ſi vis & illud: Multo plus poſtea nocuit, quàm ante profuerat. Si rectam illam rigidi iudicis ſententiam quaeris, alterum ab altero abſoluet. & dicet: [b] Quamuis iniuria praeponderet, tamen beneficiis donetur, quod ex iniuria ſupereſt. plus nocuit, ſed prius profuit. Itaque habeatur & temporis ratio. Iam illa manifeſtiora ſunt quàm vt admoneri debeas, quaerendum eſſe, quàm libenter profuerit, quàm inuitus nocuerit: quoniam animo & beneficia & iniuriae conſtant. Nolui beneficium dare. Victus ſum aut verecundia, aut inſtantis pertinacia, aut ſpe. Eo animo quidque debetur, quo datur: nec quantum, ſed a quali profectum ſit voluntate, perpenditur. Nunc coniectura tollatur. Et illud beneficium fuit, & hoc quod modum beneficij prioris exceſſit, iniuria eſt. Vir bonus vtroſque calculos ſic ponit, vt ſe ipſe circumſcribat: beneficio adiicit, iniuriae demit. Ille alter remiſſior iudex, quem eſſe me malo, iniuriae obliuiſci debebit, officij meminiſſe. Hoc certe, inquam, iuſtitiae conuenit, ſuum cuique reddere, beneficio gratiam, iniuriae talionem, aut certe malam gratiam. Verum erit iſtud, cum alius iniuriam fecerit, alius beneficium dederit. Nam ſi idem eſt, beneficio vis iniuriae extinguitur. Nam cui, etiam ſi merita non anteceſſiſſent, oportebat ignoſci, poſt beneficia laedenti, plus quàm venia debetur. Non pono vtrique par pretium: pluris aeſtimo beneficium quàm iniuriam. Non omnes ſciunt referre beneficium. Poteſt etiam imprudens, & rudis, & vnus e turba,[c] vtique dum prope eſt ab accepto, reddere beneficium, & penſare: ignorat autem quantum debeat. Vni ſapienti notum eſt, quãti res quaeque taxanda ſit. Nam ille de quo loquebar modo, ſtultus, etiam ſi bonae voluntatis eſt, aut minus qnàm debet, aut tempore, aut quo non debet loco, reddit: id quod referendum eſt, effundit atque abiicit. Mira in quibuſdam rebus verborum proprietas eſt: & conſuetudo ſermonis antiqui quaedam efficaciſſimis & officia docentibus notis ſignat. Sic certe ſolemus loqui: Ille illi gratiam retulit. Referre eſt vltro quod debeas afferre. Non dicimus, Gratiam reddidit. Reddunt enim, & qui repoſcuntur, & qui inuiti, & qui vbilibet, & qui per alium. Non dicimus, Repoſuit beneficium, aut ſoluit: nullum enim nobis placuit, quod aeri alieno conuenit, verbum. Referre, eſt ad eum a quo acceperis, ferre. Haec vox ſignificat voluntariam relationem. Qui retulit, ipſe ſe appellauit. Sapiens omnia examinabit ſecum, quantum acceperit, a quo, qnando, vbi, quemadmodum. Itaque negamus quenquam ſcire gratiam referre, niſi ſapientem. Non magis quàm beneficium dare quiſquam ſcit, niſi ſapiens: hic ſcilicet qui magis daro gaudet, quàm alius accepto. Hoc aliquis inter illa numerat, quae videmur inopinata omnibus dicere, παράδοξα Graeci vocant: & ait, Nemo ergo ſcit praeter ſapientem referre gratiam? ergo nec quod debet creditori ſuo, reponere quiſquam ſcit alius? nec cum emit aliquam rem, pretium venditori perſoluere? Sed ne nobis fiat inuidia, ſcito idem dicere Epicurum.

Metrodorus

Metrodorus certe ait, solum sapientem referre gratiam scire. Deinde idem admiratur, cum dicimus, Solus sapiens scit amare, solus sapiens amicus est. Atqui & amoris & amicitiae pars est, referre gratiam. immo hoc magis vulgare est, & in plures cadit, quàm vera amicitia. Deinde idem admiratur, quòd dicimus fidem nisi in sapiente non esse: tanquam non ipse idem dicat. An tibi videtur fidem habere, qui referre gratiam nescit? Desinant itaque infamare nos, tanquam incredibilia iactantes: & sciant apud sapientem esse ipsa honesta, apud vulgū simulacra rerum honestarum & effigies. Nemo referre gratiam scit, nisi sapiēs. Stultus quoque vtcunque scit, & quemadmodum potest referat. scientia illi potius quàm voluntas desit. Velle non discitur. Sapiens intra se omnia comparabit. Maius enim aut minus fit (quamuis idem fit) tempore, loco, causa. Saepe enim hoc non potuere diuitiae in domum infusae, quod opportune dari mille denarij. Multum enim interest, donaueris, an succurreris: seruauerit illum tua liberalitas, an instruxerit. Saepe quod datur, exiguum est: quod sequitur ex eo, magnum. [d] Quantum autem existimas interesse, vtrum aliquis quod dederat, sumpserit, an beneficium acceperit, vt daret? Sed ne in eadem quae satis scrutati sumus, reuoluamur, in hac comparatione beneficij & iniuriae vir bonus iudicabit quidem quod erit aequissimum, sed beneficio fauebit, in hanc erit partem procliuior. Plurimum autem momenti persona solet afferre in rebus eiusmodi. Dedisti mihi beneficium in seruo, iniuriam fecisti in patre: seruasti mihi filium, sed patrem abstulisti. Alia deinceps, per quae procedit omnis collatio, prosequetur. Et si pusillum erit quod intersit, dissimulabit. [e] Etiam si multum fuerit, si id donari salua pietate ac fide poterit, remittet, id est, si ad ipsum tota pertinebit iniuria. Summa rei haec est: Facilis erit in commutando: patietur plus imputari sibi: inuitus beneficium per compensationem iniuriae soluet: in hanc partem inclinabit, huc verget, vt cupiat debere gratiam, cupiat referre. Errat enim, si quis beneficiū libentius accipit quàm reddit. Quanto hilarior est qui soluit, quàm qui mutuatur: tanto debet laetior esse, qui se maximo aere alieno accepti beneficij exonerat, [f] quàm qui cummaxime obligatur. Nam in hoc quoque falluntur ingrati, quòd creditori quidem praeter sortem extra ordinem numerant, beneficiorum autem vsum esse gratuitum putant. [g] Et illa crescunt mora: tantoque plus soluendū est, quanto tardius. Ingratus est, qui beneficium reddit sine vsura. Itaque huius quoque rei habebitur ratio, cum conferentur accepta & expensa. Omnia facienda sunt, vt quàm gratissimi simus. [h] Nostrum enim hoc bonum est, non quemadmodum iustitia, vt vulgo creditur, ad alios pertinens: maxima pars eius in se redit. Nemo non cum alteri prodest, sibi profuit. Non eo nomine dico, quòd volet adiuuare adiutus, protegere defensus, quòd bonum exemplum circuitu ad facientem reuertitur: sicut mala exempla recidunt in auctores, [i] nec vlla miseratio contingit his, qui patiuntur iniurias, quas posse fieri, faciendo docuerunt: sed quòd virtutum omnium pretium in ipsis est. Non enim exercentur ad praemium. Recte facti, fecisse merces est. Gratus sum: non vt alius mihi libentius praestet, priori irritatus exemplo, sed vt rem iucundissimam ac pulcherrimam faciam. Gratus sum: non quia expedit, sed quia iuuat. Hoc vt scias ita esse, si gratum esse non licebit, nisi vt videar ingratus, si reddere beneficium non aliter quàm per speciem iniuriae potero, aequissimo animo ad honestum consilium per mediam infamiam tendam. Nemo mihi videtur pluris aestimare virtutem, nemo illi magis esse deuotus, quàm qui boni viri famam perdidit, ne conscientiam perderet. Itaque, vt dixi, maiore tuo quàm alterius bono gratus es. Illi enim vulgaris & quotidiana res contigit, recipere quod dederat: tibi magna, & ex beatissimo animi statu profecta, gratum fuisse. Nam si malitia miseros facit, virtus beatos, gratum autem esse virtus est, rem vsitatam reddidisti, inaestimabilem consecutus es, conscientiam grati: quae nisi in animum diuinum, fortunatumque non peruenit. In contrarium autem huic affectum summa infelicitas vrget. [k] Nemo si ingratus est, non miser erit: non differo illum, statim miser est. Itaque ingrati esse vitemus, non aliena causa, sed nostra. Minimum ex nequitia leuissimumque ad alios redundat: [l] quod pessimum ex illa est, & (vt ita dicam) spississimum, domi remanet, & premit habentem: quemadmodum Attalus noster dicere solebat, Malitia ipsa maximam partem veneni sui bibit. [m] Illud venenum quod serpentes in alienam perniciem proferunt, sine sua continent, non est huic simile: hoc habentibus pessimum est. Torquet ingratus se, & macerat: odit quae accepit, quia redditurus est, & extenuat: iniurias vero dilatat atque auget. Quid autem eo miserius, cui beneficia excidunt, haerent iniuriae? At contra sapientia exornat omne beneficium, ac sibi ipsi commendat, & se assidua eius commemoratione delectat. Malis vna voluptas est, & haec breuis, dum accipiunt beneficia: ex quibus sapienti longum gaudium manet, ac perenne. Non enim illum accipere, sed accepisse delectat: quod immortale est, & assiduum. Illa contemnit, quibus laesus est: nec obliuiscitur per negligen-

tiam, ſed volens. Non vertit omnia in peius: [n] ſed nec quaerit cui imputet caſum, & peccata hominum ad fortunam potius refert. Non calumniatur verba, nec vultus: quicquid accidit, benigne interpretando leuat: nec offenſae potius quàm beneficij meminit: quantum poteſt, in priore ac meliore ſe memoria detinet: nec mutat animum aduerſus bene meritos, niſi multum malefacta praecedant, & manifeſtum etiam conniuenti diſcrimen eſt: tūc quoque in hoc duntaxat, vt talis ſit poſt maiorem iniuriam, qualis ante beneficium. Nam cum beneficio par eſt iniuria, aliquid in animo beneuolētiae remanet. Quemadmodum reus ſententiis paribus abſoluitur, & ſemper quicquid dubium eſt, humanitas inclinat in melius: ſic animus ſapientis, vbi paria maleficiis merita ſunt, deſinet quidem debere, ſed non deſinet velle debere: [o] & hoc facit, quod qui poſt tabulas nouas ſoluunt. Nemo autem gratus eſſe poteſt, niſi contempſerit iſta, propter quae vulgus inſanit. Si referre vis gratiam, & in exiliū eundum eſt, & effundendus ſanguis, & ſuſcipienda egeſtas, & ipſa innocentia ſaepe maculāda, indignisque obiicienda rumoribus. Non paruo ſibi conſtat homo gratus. Nihil carius aeſtimamus, quàm beneficiū, quamdiu petimus: nihil vilius, cum accepimus. Quaeris, quid ſit quod obliuionem acceptorum nobis faciat? Cupiditas accipiendorum. [p] Cogitamus nō quid impetratum, ſed quid impetrandum ſit. Abſtrahunt a recto diuitiae, honores, potentia, & cetera, quae opinione noſtra cara ſunt, pretio ſuo vilia. Neſcimus aeſtimare res: de quibus non cum fama, ſed cum rerum natura deliberandum eſt. Nihil habent iſta magnificum, quo mentes in ſe noſtras trahant, praeter hoc, quòd mirari illa conſueuimus. Non enim quia cōcupiſcenda ſunt, laudantur; ſed concupiſcuntur, quia laudata ſunt: & cum ſingulorum error publicum fecerit, ſingulorum errorem facit publicus. Sed quemadmodum illa credidimus, [q] ſic & in hoc fidem populo demus, nihil eſſe grato animo honeſtius. Omnes hoc vrbes, omnes etiā ex barbaris regionibus gentes conclamabunt. In hoc bonis maliſque conueniet. Erunt, qui voluptates laudent, erunt qui labores malint: erunt qui dolorem maximum malum dicant, erunt qui ne malum quidem appellent: diuitias aliquis ad ſummum bonum admittet, alius illas dicet humanae malo vitae repertas: nihil eſſe eo locupletius, cui quod donet fortuna non inuenit. In tanta iudiciorum diuerſitate, referendam bene merentibus gratiam, omnes vno tibi, quod aiunt, ore affirmabunt: in hoc tam diſcors turba conſentiet, cum interim iniurias pro beneficiis reddimus. Et prima cauſa eſt, cur quis ingratus ſit, ſi ſatis gratus eſſe non potuit. Eo perductus eſt furor, vt periculoſiſſima res ſit, beneficia in aliquē magna conferre. Nam quia putat turpe non reddere, non vult eſſe cui reddat. Tibi habe quod accepiſti. Non repeto: nō exigo. Profuiſſe tutum ſit. Nullum eſt odium pernicioſius, [r] quàm beneficij violati pudere.

Epiſtola LXXXII.

Desii iam de te eſſe ſolicitus. Quem, inquis, deorum ſponſorem accepiſti? eum ſcilicet qui neminem fallit, animum, recti ac boni amatorem. In tuto pars tui melior eſt. poteſt fortuna tibi iniuriam facere, quod ad rem magis pertinet, non timeo ne tu facias tibi. I, qua coepiſti: & in iſto te vitae habitu compone, placide, non molliter. [s] Male mihi eſſe malo, quā molliter. Male [a] nunc ſic excipe, quemadmodum a populo ſolet dici, dure, aſpere, laborioſe. Audire ſolemus ſic quorundam vitam laudari, quibus inuidetur: Molliter viuit. [t] hoc dicūt, malus eſt. Paulatim enim effeminatur animus, atque in ſimilitudinem otij ſui & pigritiae, in qua iacet, ſoluitur. Quid ergo? viro non vel obrigeſcere ſatius eſt? Deinde delicati timent mortem, cui vitam ſuam fecere ſimilem. Multum intereſt inter otium, & conditiuum. Quid ergo, inquis, non ſatius eſt vel ſic iacere, quàm iſtis officiorum vorticibus volutari? [u] Vtraq; res letalis eſt, & contractio, & torpor. Puto, aeque qui in odoribus iacet, mortuus eſt, quàm qui rapitur vnco. Otium ſine litteris mors eſt, & hominis viui ſepultura. Quid denique prodeſt ſeceſſiſſe, tanquam non trans maria nos ſolicitudinum cauſae perſequantur? Quae latebra eſt, in quam non intret metus mortis? Quae tam munita, & in altum ſubducta vitae quies, quam non dolor territet? Quocunque te abdideris, mala humana circumſtrepent. Multa extra ſunt, quae circumeunt nos, quae aut fallant, aut vrgeant. Multa intus, quae etiā in media ſolitudine exaeſtuant. Philoſophia circumdanda eſt, inexpugnabilis murus, quem fortuna multis machinis laceſſitum non tranſit. [b] In inſuperabili loco ſtat animus, qui externa deſeruit, & arce ſe ſua vindicat: infra illum omne telum cadit. Non habet, vt putamus, fortuna longas manus: neminem occupat, niſi haerentem ſibi. Itaque quantum poſſumus, ab illa reſiliamus: quod ſola praeſtabit ſui naturaeque cognitio. Sciat quo iturus ſit, vnde ortus: quod illi bonum, quod malum ſit: quid petat, quid deuitet: quae ſit illa ratio, quae appetenda ac fugienda diſcernat, qua cupiditatum manſueſcit inſania, timorum ſaeuitia compeſcitur. Haec quidam putant ipſos etiam ſine philoſophia repreſſiſſe: ſed cū ſecuros aliquis

casus expertus est, exprimitur sera confessio. Magna verba excidunt: cum tortor poposcit manum, cum mors propius accessit. Possis illi dicere: Facile prouocabas mala absentia. Ecce dolor, quem tolerabilem esse dicebas: Ecce mors, cõtra quam multa animose locutus es: sonant flagella, gladius micat.

Nunc animis opus AEnea, nunc pectore firmo.

Faciet autem illud firmum assidua meditatio: si non verba exercueris, sed animum: si contra mortem te praeparaueris: aduersus quam non exhortabitur, nec attollet, qui cauillationibus tibi persuadere tentauerit, mortem malum non esse. Libet enim, Lucili virorum optime, ridere ineptias Graecas, quas nondum, quamuis mirer, excussi. Zeno noster hac collectione vtitur: Nullum malum gloriosum est: mors autem gloriosa est: mors ergo non est malum. Profecisti. liberatus sum metu. Post haec non dubitabo porrigere ceruicem. Non vis seuerius loqui, nec morituro risum mouere? Non mehercule facile tibi dixerim, vtrum ineptior fuerit, qui se hac interrogatione iudicauit mortis metum extinguere, an qui hóc tamquam ad rem pertineret, conatus est soluere. Nam & ipse interrogationem contrariam opposuit, ex eo natam, quòd mortem inter indifferentia ponimus, quae ἀδιάφορα Graeci vocant. Nihil, inquit, indifferens gloriosum est: mors autem gloriosum est: ergo mors non indifferens. Haec interrogatio vides vbi obrepat. mors non est gloriosa, sed fortiter mori gloriosum est: & cum dicit, indifferens nihil gloriosum est, concedo tibi, ita vt dicam, nihil gloriosum esse, nisi circa indifferentia: indifferẽtia autem esse dico, nec bona, nec mala, tanquam morbum, dolorem, paupertatem, exilium, mortem: nihil horum per se gloriosum est, nihil tamen sine his. Laudatur enim non paupertas, sed is quem non submittit, nec incuruat. [c] Laudatur non exilium, sed qui hoc non doluit. Laudatur non dolor, sed ille quem nihil coegit dolor. Nemo mortem laudat, sed eum cui mors ante abstulit animum, quàm conturbauit. Omnia ista per se non sunt honesta, nec gloriosa: sed quicquid virtus ex illis adiit, tractauitque, honestũ & gloriosum facit. Illa in medio posita sunt. Interest, vtrum malacia illis an virtus manum admouerit. Mors enim illa quae in Catone gloriosa est, in Bruto statim turpis est & erubescenda. [a] Hic est enim Brutus, qui cum periturus mortis moras peteret, ad exonerandum vẽtrem secessit, & euocatus ad mortem, iussusque praebere ceruicem: Praebebo, inquit, ita viuam. Quae dementia est fugere, cum retro ire non possis? Praebebo, inquit, ita viuam. paene adiecit, vel sub Antonio. O hominem dignum, qui vitae dederetur. Sed, vt coeperam dicere, vt des ipsam mortem nec malum esse, nec bonum, Cato illa honestissime vsus est, turpissime Brutus. Omnis res, quod non habuit decus, virtute addita sumit. Cubiculum lucidum dicimus. hoc idem obscurissimum est nocte. Dies illi lucem infundit, nox eripit. Sic istis quae a nobis indifferentia ac media dicuntur, diuitiis, viribus, formae, honoribus, regno: & contra, morti, exilio, malae valetudini, doloribus, quaeque alia aut minus aut magis pertimuimus: aut malitia, aut virtus dat boni vel mali nomẽ. Massa per se nec calida, nec frigida est. In fornacem coniecta concaluit: in aquam remissa refrixit. Mors honesta est, per illud quod honestum est. Id est virtus, & animus externa contemnens. Est & horum, Lucili, quae appellamus media, grande discrimen. Non enim sic mors indifferens est, quomodo vtrum capillos pares habeas. Mors inter illa est, quae mala quidem non sunt, tamen habent mali speciem. Sui amor est, & permanendi conseruandique se insita voluntas, atque aspernatio dissolutionis, quia videtur multa nobis bona eripere, & nos ex hac cui assueuimus rerum copia educere. Illa quoque res morti nos alienat, quòd haec iam nouimus: illa ad quae transituri sumus, nescimus qualia sint, & horremus ignota. Naturalis praeterea tenebrarum metus est, in quas adductura mors creditur. Itaque etiamsi indifferens mors, non tamen inter ea est quae facile negligi possint. Magna exercitatione durandus est animus, vt conspectum eius accessumque patiatur. Mors contemni debet, magis quàm solet. multa enim de illa credimus. [c] Multorum ingeniis certatum est ad augendam eius infamiam. Descriptus est carcer infernus, & perpetua nocte oppressa regio, in qua ingens ianitor Orci

Ossa super recubans antro semesa cruento,
AEternum latrans exangues territat vmbras.

[d] Sed etiam cum persuaseris ista fabulas esse, nec quicquam defunctis superesse quod timeãt, subit alius metus. AEque enim timent, ne apud inferos sint, quàm ne nusquam. His aduersantibus quae nobis infudit longa persuasio, fortiter pati mortem, quid ni gloriosum sit, & inter maxima opera mentis humanae? quae nunquam ad virtutem exurget, si mortem malum esse crediderit: exsurget, si putabit indifferens esse. Non recipit rerum natura, vt aliquis magno animo accedat ad id quod malum iudicat. pigre veniet, & cunctantet. Non est autem gloriosum, quod ab inuito & tergiuersante fit. Nihil facit virtus, quia necesse est. Adiice

nunc, quod nihil honeste fit, nisi cui totus animus incubuit atque affuit, cui nulla parte sui repugnauit. Vbi autem ad malum acceditur, aut peiorum metu fit, aut spe bonorũ, ad quae peruenire tanti sit, deuorata vnius mali patientia. Diffident inter se iudicia facientis. Hinc est, quod iubeat proposita perficere: illinc, quod retrahat, [e] & ab re suspecta ac periculosa fuget. Igitur in diuersa distrahitur. Si hoc est, perit gloria. Virtus enim concordi animo decrera peragit: non timet quod facit.

[e] *Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.*

[f] Non ibis audentior, si mala illa esse credideris. Eximẽdum hoc e pectore est: alioquin haesitabit impetum moratura suspicio. Trudetur in id, quod inuadeodum est. Nostri quidem videri volunt Zenonis interrogatiooem veram esse, fallacem autem alteram & falsam, quae illi opponitur. Ego noo redigo ista ad legem Dialecticam, & ad illos artificij veternosissimi oodos: totum genus istud exturbandum iudico, quo circumscribi se qui interrogatur, existimat, & ad coofessionem perductus aliud respondet, aliud putat. Pro veritate simplicius agendum est: contra metum fortius. Haec ipsa quae voluuntur ab illis, soluere malim & expendere, vt persuadeam, ooo vt impooam. In aciem eductutus exercitum, pro coniugibus ac liberis mortem obitutum, quomodo exhortabitur? Do tibi Fabios, totum Reip. bellum in vnam transferentes domum. Laconas tibi ostẽdo, in ipsis Thermopylarum angustiis positos, [g] nec victoriam sperantes, nec reditum. Ille locus illis sepulcrum futurus est. Quemadmodum exhortaris, vt totius gentis ruinam, obiectis corporibus excipiant, & vita potius quàm loco cedant? Dices, quod malum est, gloriosum non est. Mors gloriosa est: mors ergo noo malum. O efficacem cootionem. Quis post hanc dubitet se infestis ingerere mucronibus, & stans mori? At ille Leonidas quàm fortiter illos allocutus est? Sic, inquit, commilitones prandete, tanquam apud inferos coenaturi. Non in ore creuit cibus, non haesit in faucibus, noo elapsus est manibus. Alacres illi & ad prandium processerunt, & ad coenam. Quid dux ille Romanus, qui ad occupandum locum milites missos, cum per ingentem hostium exercitum ituri essent, sic allocutus est? Ire commilitones illo necesse est: redire non est necesse. Vides quàm simplex & imperiosa virtus sit. Quem mortalium circumscriptiones nostrae fortiorem facere, quem erectiorem possunt? Frangunt animum, qui nuoquam minus contrahendus est, & in minuta ac spinosa cogendus quàm cum aliquid grãde componitur. Noo trecentis, sed omnibus mortalibus mortis timor detrahi debet. Quomodo illos docebis malum non esse? Quomodo opiniooes totius aeui, quibus protinus infantia imbuitur, euinces? Quod auxilium inuenies? Quid dices imbecillitati humanae? Quid dices quo inflammati in media pericula irruant? qua oratione hunc timendi consensum, quibus ingenij viribus obnixam contra te persuasionem humani generis auertes? Verba mihi captiosa cõponis, & interrogatiunculas nectis. Magnis telis magna portenta feriuntur. Serpẽtem illum in Africa saeuum, & Romanis legionibus bello ipso terribiliorem, frustra sagittis fundisque petierunt. [h] Ne Python quidem vulnerabilis erat, cum ingens magnitudo pro vastitate corporis solida, ferrum, & quicquid humanae torserant manus, reiiceret. molaribus demum fracta saxis est. & aduersus mortem tu tam minuta iacularis? Subula leonem excipis. Acuta sunt ista quae dicis. Nihil est acutius arista. Quaedam inutilia & inefficacia, ipsa subtilitas reddit.

Epistola LXXXIII.

SINGVLOS dies tibi meos, & quidẽ totos, indicari iubes. Bene de me iudicas, si nihil esse in illis putas quod abscoodam. Sic certe viuendum est, tanquam in conspectu viuamus: sic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum inspicere possit. & potest. Quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum? Nihil Deo clusum est. Ioterest animis nostris, & cogitationibus mediis interuenit. [a] Sic ioteruenit dico, tanquam aliquãdo discedat. Faciam ergo quod iubes, & quid agam, & quo ordine, libenter tibi scribam. obseruabo me protinus: & quod est vtilissimum, diem mecum recognoscam. Hoc nos pessimos facit, quòd nemo vitam suam respicit. Quid facturi simus, cogitamus, & id raro: quid fecerimus, nõ cogitamus. Atqui consilium futuri ex praeteritò venit. Hodiernus dies solidus est. Nemo ex illo quicquam mihi eripuit: totus inter stratum lectionemque diuisus est. Minimum exercitationi corporis datum: & hoc oomine ago gratias senectuti. oon magno mihi cõstat. cum me moui, lassus sum. Hic autem exercitationis, etiã fortissimis, finis est. [i] Progymnasios meos quaeris? vous mihi sufficit, Earinus, puer (vt scis) amabilis: sed mutabitur. Iam aliquem teneriorem quaero. Hic quidem ait, nos eandem crisin habere, quia vtrique dentes cadunt. sed iam vix illum assequor currentem, & intra paucissimos dies non potero. vide quid exercitatio quotidiana proficiat. Cito magnum interuallum fit, inter duos itinere diuerso eũtes. eodem

tempore

tempore ille ascendit, ego descendo: nec ignoras, quanto ex his velocius alterum fiat. Merititus sum. iam enim aetas nostra non descendit, sed cadit. Quomodo tamen hodiernum certamen nobis cesserit, quaeris? Quod raro cursoribus euenit, [a] Hieran fecimus. Ab hac fatigatione magis quàm exercitatione in frigidam descendi. Hoc apud me vocatur parum calda. Ille tantus [3] Psychrolutes, qui [4] Kalendis Ianuariis in Euripum saltabam, qui anno nouo quemadmodum legere, scribere, dicere aliquid, sic auspicabar in Virginem desilire, primum ad [5] Tiberim transtuli castra: deinde ad hoc solium, quod cum fortissimus sum, & omnia booa fide fiunt, sol temperat, non multum mihi ad balneum superest. Panis deinde siccus, & sine mensa prandiom: post quod non sunt lauandae manus. Dormio minimum. Consuetudinem meam oosti. [b] Breuissimo somno vtor, & quasi [6] interiũgo. satis est mihi vigilare desiisse. Aliquando dormisse me scio, aliquando suspicor. Ecce Circensium obstrepit clamor: subita aliqua & vniuersa voce feriuntur aures meae. Nec cogitationem meam excutiunt, nec interrumpunt quidem. fremitum patientissime fero: multae voces, & in vnum confusae, pro fluctu mihi sunt, aut vento siluam verberante, & ceteris sine iotellectu sonantibus. Quid ergo est? nunc cui animum adiecerim, dicam. Supetest ex hesterno mihi cogitatio, quid sibi voluerint prudentissimi viri, qui rerum maximarum probationes leuissimas & perplexas fecerunt, quae, vt sint verae, mendacio tamen similes sunt. Vult nos ab ebrierate deterrere Zeno, vir maximus, huius sectae fortissimae ac sanctissimae conditor. Audi ergo quemadmodum colligat, virum bonum noo futurum ebrium. Ebrio secretuo sermooem nemo committit: viro autem bono committit: ergo vir bonus ebrius non erit. Quemadmodum opposita interrogatione simili derideatur, attende. Satis enim est, vnam ponere ex multis. Dormienti nemo secretum sermonem committit: viro autem bono committit: ergo vir bonus non dormit. Quo vno modo potest, Posidonius Zenonis nostri causam agit: sed ne sic quidem, vt existimo, agi potest. Ait enim ebrium duobus modis dici: altero, cum aliquis vino grauis est, & impos sui: altero, si solet ebrius fieri, & huic obnoxius vitio est. Hunc a Zenone dici qui soleat fieri ebrius, non qui fit. Huic autem neminem commissurum arcana, quae per vinum eloqui possit. quod est falsum. Prima enim illa interrogatio complectitur eum qui est ebrius, non eum qui futurus est. Plurimum enim interesse concedes inter ebrium & ebriosom. Potest & qui ebrius est, tunc primum esse, nec habere hoc vitium: & qui ebriosus est, saepe extra ebrietatem esse. Itaque id intelligo, quod significari verbo isto solet: praesertim cum ab homine diligentiam professo ponatur, & verba examioante. Adüce nunc, quòd si hoc intellexit Zeno, & nos intelligere voluit, ambiguitate verbi quaesiuit locum fraudi: quod faciendum ooo est, vbi veritas quaeritur. [c] Sed sane hoc senserit: quod sequitur, falsum est, ei qui soleat ebrius fieri, non committi sermonem secretum. Cogita enim quàm multis militibus, non semper sobriis, & imperator, & tribunus, & centurio, tacenda mandauerit. De illa C. Caesaris caede, illius dico qui superato Pompeio Rempublicam tenuit, [d] tam creditum est [7] Tillio Cimbro, quàm C. Cassio. Cassius tota vita aquam bibit. Tillius Cimber & nimius erat in vino, & [8] scordalus. io hanc rem iocatus est ipse: Ego, inquit, quemquam feram, qui vinum ferre non possum? Sibi quisque ounc nominet eos, quibus scit & vinum male credi, & sermonem bene. Vnum tamen exemplum, quod occurrit mihi, referam, oe intercidat. Instruenda est enim vita exemplis illustribus. Non semper confugiamus ad vetera. [9] L. Piso, vrbis custos, [e] ebrius ex quo semel factus fuit, maiorem partem noctis in conuiuio exigebat: vsque in horam sextam fere dormiebat: hoc erat eius matutinum. Officium tamen suum, quo tutela vrbis continebatur, diligentissime administrauit. Huic & diuus Augustus dedit secreta mandata, cum illum praeponeret Thraciae, quam perdomuit: & Tiberius proficiscens in Campaniam, cum multa in vrbe & suspecta relinqueret & inuisa, puto quia illi bene cesserat Pisonis ebrietas, postea Cossum fecit vrbis praefectum, virum grauem, moderatum, sed mersum vino, & madentem: adeo, vt ex senatu aliquando, in quem e conuiuio venerat, oppressus inexcitabili somno, tolleretur. Huic tamen Tiberius multa sua manu scripsit, quae committenda ne ministris quidem suis iudicabat. nullum Cosso aut priuatum secretum, aut publicum elapsum est. Itaque declamationes istas de medio remoueamus. Non est animus in sua potestate, ebrietate deuinctus. Quemadmodum musto dolia ipsa rumpuntur, & omoe quod in imo iacet, in summam partem vis caloris eiectat: sic vino exaestuante, quicquid in imo iacet abditum, effertur, & prodit in medium. Onerati mero quemadmodum non continent cibum, vino redundante, ita oe secretum quidem. quod suum alienumque est, pariter effundunt. Sed quamuis hoc soleat accidere, ita & illud solet, vt cum his quos scimus libentius bibere, de rebus necessariis deliberemus. Falsum est ergo hoc, quod patrocinij loco ponitur,

ei qui soleat ebrius fieri, non dari tacitum. Quanto satius est, aperte accusare ebrietatem, & vitia eius exponere? quae etiam tolerabilis homo vitauerit, nedum perfectus ac sapiens: cui satis est sitim extinguere: qui etiam si quando orta est hilaritas, aliena caussa producta longius, tamen citra ebrietatem resistit. Nam de illo videbimus, an sapientis animus nimio vino turbetur, & faciat ebriis solita. Interim si hoc colligere vis, virum bonum non debere ebrium fieri, cur syllogismis agis? dic quàm turpe sit, plus sibi ingerere quàm capiat, & stomachi sui non nosse mensuram: quàm multa ebrij faciant, quibus sobrij erubescant: nihil aliud esse ebrietatem, quàm voluntariam insaniam.[f] Extende in plures dies illum ebrium habitum: nunquid de furore dubitabis? Nunc quoque non est minor, sed breuior. Refer Alexandri Macedonis exemplum, qui Clitum carissimum sibi ac fidelissimum inter epulas trãsfodit,[g] & intellecto facinore, mori voluit,[°] certe debuit. Omne vitium ebrietas & intẽdit, & detegit: obstantem malis conatibus verecundiam remouet. Plures enim pudore peccandi, quàm bona voluntate, prohibitis abstinent. Vbi possedit animum nimia vis vini, quicquid mali latebat, emergit. Nõ facit ebrietas vitia, sed prodit. tunc libidinosus ne cubiculum quidem expectat, sed cupiditatibus suis quantum petierint, sine dilatione permittit: tunc impudicus morbum profitetur ac publicat: tunc petulans non linguam, non manum continet. Crescit insolenti superbia, crudelitas saeuo, malignitas liuido. omne vitium detegitur & prodit. Adiice illam ignorationem sui, dubia & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum: stomachi tormenta, cum efferuescit merum, ac viscera ipsa distendit. Tunc tamen vtcunque tolerabile est, dum illi vis sua est. Quid cum somno vitiatur, & quae ebrietas fuit, cruditas facta est? Cogita quas clades ediderit publica ebrietas. Haec acerrimas gẽtes, bellicosasque, hostibus tradidit: haec multorum annorũ pertinaci bello defensa moenia patefecit: haec contumacissimos, & iugum recusantes, in alienum egit arbitrium: haec inuictos acie mero domuit. Alexandrum, cuius modo feci mentionem, tot itinera, tot proelia, tot hiemes, per quas, victa temporum locorumque difficultate, transierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiserunt: intemperantia bibendi, & ille Herculaneus ac fatalis scyphus condidit. Quae gloria est, capere multum? Cum penes te palma fuerit, & propinationes tuas strati somno ac vomitantes recusauerint, cum superstes toti conuiuio fueris, cum omnes viceris virtute magnifica, & nemo tam vini capax fuerit, vinceris a dolio. M. Antonium, magnum virum & ingenij nobilis, quae alia res perdidit, & in externos mores ac vitia nõ Romana traiecit, quàm ebrietas, nec minor vino Cleopatrae amor? Haec illum res hostem reipublicae, haec hostibus suis imparem reddidit, haec crudelem fecit, cum capita principum ciuitatis coenanti referrentur, cum inter apparatissimas epulas luxusque regales ora ac manus proscriptorum recognosceret, cum vino grauis, sitiret tamen sanguinem. Intolerabile erat quod ebrius faciebat, etiam si sobrius faceret: quanto intolerabilius, quòd haec in ipsa ebrietate faciebat? Fere violentiam crudelitas sequitur.[h] violatur enim exasperaturque sanitas mentis. Quemadmodum difficiles faciunt oculos diutini morbi, etiam ad minimam radij solis offensionem: ita ebrietates continuae efferant animos.[i] Nam cum saepe apud se non sint, consuetudine insaniae durata vitia, vino concepta, etiam sine illo valent. Dic ergo, quare sapiens non debeat ebrius fieri. Deformitatem rei & importunitatem ostende rebus, non verbis: quod facillimum est. Proba istas, quae voluptates vocantur, vbi transcenderint modum, poenas esse. Nam si illud argumentaberis, sapientem multo vino inebriari, & retinere rectum tenorem, etiam si temulentus sit: licet colligas, nec veneno poto moriturum, nec opio sumpto dormiturum, nec elleboro accepto quicquid in visceribus haerebit, eiecturum, deiecturumque. Sed si tententur pedes, lingua non constat: quid est, quare illum existimes in parte sobrium esse, in parte ebrium?

Epistola LXXXIIII.

ITINERA ista quae segnitiam mihi excutiunt, & valitudini meae prodesse iudico, & studiis. Quare valitudinem adiuuent, vides. cum pigrum me, & negligentem corporis, litterarum amor faciat, aliena opera exerceor. Studiis quare prosint, indicabo.[a] A lectionibus recessi. Sunt autem, vt existimo, necessariae. Primum, ne sim me vno contentus: deinde, vt cum ab aliis quaesita cognouero, tum & de inuentis iudicem, & cogitem de inueniendis. Alit lectio ingenium: & studio fatigatum, non sine studio tamen, reficit. Nec scribere tantum, nec tantum legere debemus. Altera res contristabit, & vires exhauriet: de stylo dico: altera soluet ac diluet.[b] Inuicem hoc illo commutandum est,[c] & alterum altero temperandum; vt quicquid lectione collectum est, stilus redigat in corpus. Apes (vt aiunt) debemus imitari,

imitari, quae vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt: deinde quicquid attulere, disponunt, ac per fauos digerunt: &, vt Virgilius noster ait,

— liquentia mella
Stipant, & dulci distendunt nectare cellas.

De illis non satis constat, vtrum succum ex floribus ducant, qui protinus mel sit: an quae collegerunt, in hunc saporem mixtura quadam & proprietate spiritus sui mutent. Quibusdam enim placet, non faciendi mellis scientiam esse illis, sed colligendi. Aiunt inueniri apud Indos mel in arũdinum foliis, quod aut ros illius caeli, aut ipsius arundinis humor dulcis & pinguior gignat. In nostris quoque herbis vim eandem, sed minus manifestam & notabilem poni, quam persequatur & contrahat animal huic rei genitum. Quidam existimant, conditura & dispositione in hãc qualitatem verti, quae ex tenerrimis virentium florentiumque decerpserint, non sine quodam, vt ita dicam, fermento, quo in vnum diuersa coalescũt. Sed ne ad aliud, quàm de quo agitur, abducar, nos quoque apes debemus imitari, & quaecunque ex diuersa lectione congessimus, separare, melius enim distincta seruantur. Deinde adhibita ingenij nostri cura & facultate, in vnum saporem varia illa libamenta confundere: vt etiam si apparuerit vnde sumptum sit, aliud tamen esse quàm vnde sumptum est, appareat: quod in corpore nostro videmus sine vlla opera nostra facere naturam. Alimenta quae accepimus, quamdiu in sua qualitate perdurant, & solida innatant stomacho, onera sunt. At cum ex eo quod erant, mutata sunt, tunc demum in vires & in sanguinem transeunt. Idem in his quibus aluntur ingenia, praestemus: vt quaecunque hausimus, non patiamur integra esse, ne aliena sint: sed concoquamus illa: alioquin in memoriam ibunt, non in ingenium. Assentiamur illis fideliter, & nostra faciamus: vt vnum quiddam fiat ex multis: sicut vnus numerus fit ex singulis, cum minores summas & dissidentes computatio vna comprehendit. Hoc faciat animus noster. Omnia quibus est adiutus, abscondat: ipsum tantum ostendat, quod effecit. [d] Etiam si alicuius in te comparebit similitudo, quam admiratio tibi altius fixerit, similem esse te volo quomodo filium, non quomodo imaginem. Imago res mortua est. Quid ergo? non intelligetur cuius imiteris orationem? cuius argumentationem? cuius sententias? Puto aliquando [e] ne intelligi quidem posse, si magni viri: [f] nec enim omnibus quae ex quoque velut exemplaria traxit, formam suam impressit, [g] vt in vnitatem illam competant. Non vides quàm multorum vocibus chorus constet? vnus tamen ex omnibus sonus redditur. aliqua illic acuta est, aliqua grauis, aliqua media. accedunt viris feminae: interponuntur tibiae: singulorum illic latent voces: omnium apparent. De choro dico, quem veteres philosophi nouerant. In comessationibus nostris plus cantorum est, quàm in theatris olim spectatorum fuit. cum omneis vias ordo canentium impleuit, [h] & cauea aeneatoribus cincta est, & ex pulpito omne tibiarum genus organorumque consonuit, fit concentus ex dissonis. Talem animum esse nostrũ volo, vt multae in illo artes, multa praecepta sint, multarum aetatum exempla, sed in vnum conspirata. Quomodo, inquis, hoc effici poterit? assidua intentione. si nihil egerimus, nisi ratione suadente. hanc si audire volueris, dicet tibi: Relinque ista iamdudum, ad quae discurritur. Relinque diuitias, aut periculum possidentiũ, aut onus. Relinque corporis atque animi voluptates. molliunt & eneruant. Relinque ambitum. tumida res est, vana, ventosa. nullum habet terminum. tam solicita est, ne quem ante se videat, [i] quàm ne se post alium. laborat inuidia, & quidem duplici. Vides autem quàm miser [k] sit is, cui inuidetur, si & inuidet. Intueris illas potentium domos, illa tumultuosa, rixa salutantium, limina? multum habent contumeliarum, vt intres: plus, cum intraueris. Praeteri istos gradus diuitum, & magno aggestu suspensa vestibula. Non in praerupto tantum istic stabis, sed in lubrico. Huc potius te ad sapientiam dirige, [l] tranquillissimasque res & simul amplissimas pete. Quaecunque videntur eminere in rebus humanis, quamuis pusilla sint, & comparatione humillimorum extent, per difficiles tamen & arduos tramites adeuntur. Cõfragosa in fastigium dignitatis via est. At si conscendere hunc verticem libet, cui se fortuna submisit, omnia quidem sub te quae pro excelsissimis habentur, aspicies, sed tamen venies ad summa per planum.

Epistola LXXXV.

P[1]EPERCERAM tibi, & quicquid nodosi adhuc supererat, praeterieram, contentus quasi [2] gustum tibi dare eorum quae a nostris dicuntur, vt probetur virtus ad explendam beatam vitam sola satis efficax. Iubes me, [3] quicquid est interrogationum aut nostrarum, aut ad traditionem nostram excogitatarum comprehendere: quod si facere voluero, non erit epistola, sed liber. Illud toties testor, hoc me argumentorum genere non delectari. Pudet in aciem descendere pro diis hominibusque susceptam, subula armatum. [4] Qui prudens

est, & temperans est. Qui temperans est, & constans. Qui constans est, & imperturbatus est. Qui imperturbatus est, sine tristitia est. Qui sine tristitia est, beatus est. Ergo prudens beatus est, & prudentia ad beatam vitam satis est.[1] Huic collectioni hoc modo Peripateticorum quidam respondent, vt imperturbatum, & constantem, & sine tristitia, sic interpretentur, tanquam imperturbatus dicatur, qui raro perturbatur & modice, non qui nunquam. Item sine tristitia eum dici aiunt, qui non est obnoxius tristitiae, nec frequens, nimiusve in hoc vitio. Illud enim, humanam naturam negare, alicuius animum immunem esse tristitia: sapientem non vinci maerore, ceterum tangi: & cetera in hunc modum sectae suae respondentia. non his tollunt affectus, sed temperant. Quantulum autem sapienti damus, si imbecillimis fortior est, & maestissimis laetior, & effraenatissimis moderatior, & humillimis maior? Quid si miretur velocitatem suam [6] Ladas, ad claudos debilesque respiciens?

Illa vel intactae segetis per summa volaret
Gramina, nec cursu teneras laesisset aristas,
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti,
Ferret iter, celeres nec tingueret aequore plantas.

Haec est pernicitas per se aestimata, non quae tardissimorum collatione laudatur. Quid si sanum voces, leuiter febricitantem? non est bona valetudo, mediocritas morbi. Sic, inquit, sapiens imperturbatus dicitur, quomodo [7] apyrina dicuntur, non quibus nulla inest duritia granorum, sed quibus minor. Falsum est. Non enim diminutionem malorum in bono viro intelligo, sed vacationem. nulla debent esse, non parua. Nam si vlla sint, crescent, & interim impedient. Quomodo oculos maior & perfecta suffusio excaecat, sic modica turbat. Si das aliquos affectus sapienti, impar illis erit ratio, & velut torrente quodam auferetur: praesertim cum illi non vnum, sed vniuersum affectuum coetum relinquis, cum quo colluctetur. [8] [9] plus potest quamuis mediocrium turba, quàm vnius magni violentia. Habet pecuniae cupiditatem, sed modicam: habet ambitionem, sed non concitatam: habet iracundiam, sed placabilem: habet inconstantiam, sed minus vagam ac mobilem: habet libidinem, non insaniam. Melius cum illo ageretur, qui vnum vitium integrum haberet, quàm cum eo qui leuiora quidem, sed omnia. Deinde nihil interest, quàm magnus sit affectus. quantuscunque est, parere nescit, consilium non accipit. quemadmodum rationi nullum animal obtemperat, non ferum, non domesticum & mite; natura enim illorum est surda suadenti: sic non sequuntur, non audiunt affectus, quantulicunque sint. Tigres, leonesque nunquam feritatem exuunt, aliquando submittunt: & cum minime expectaueris, exasperatur toruitas mitigata. Nunquam bona fide vitia mansuescunt. Deinde si ratio proficit, ne incipient quidem affectus. si inuita ratione coeperint, inuita perseuerabunt. Facilius est enim, initia illorum prohibere, quàm impetũ regere. Falsa est vtique ista mediocritas & inutilis, eodemque loco habenda, quo si quis diceret modice insaniendum, modice aegrotandum. Sola virtus habet, non recipiunt animi mala, temperamentum. facilius sustuleris illa, quàm rexeris. Nunquid dubium est, quin vitia mentis humanae inueterata & dura, quae morbos vocamus, immoderata sint: vt auaritia, vt crudelitas, vt impotentia, vt impietas? ergo immoderati sunt & affectus: ab his enim ad illa transitur. Deinde si das aliquid iuris tristitiae, timori, cupiditati, ceterisque moribus prauis, non erunt in nostra potestate. Quare? quia extra nos sunt, quibus irritantur. Itaque crescunt, prout magnas habuerint minoresve causas, quibus concitentur. maior erit timor, si plus quo exterreatur, aut propius aspexerit: acrior cupiditas, quo illam amplioris rei spes euocauerit. Si in nostra potestate nõ est, an sint affectus; ne illud quidem est, quanti sint: si ipsis permisisti incipere, cum causis suis crescent, tantique erunt, quanti fient. Adiice nunc, quod ista quantumuis exigua sint, in maius excedunt. Nunquam perniciosa seruant modum. Quamuis leuia initia morborum, serpunt: & [10] aegra corpora, minima interdum mergit accessio. Illud vero cuius dementiae est, credere, quarum rerum extra nostrum arbitrium posita principia sunt, earum nostri esse arbitrij terminos? Quomodo ad id finiendum satis valeo, ad quod prohibendum parum valui? cum facilius sit excludere, quàm admissa comprimere. Quidam ita distinxerunt, vt dicerent, Temperans ac prudens positione quidem mentis, & habitu tranquillus est, euentu non est. nam quantum ad habitum mentis suae, non perturbatur, nec contristatur, nec timet: sed multae extrinsecus causae incidunt, quae illi perturbationem afferant. Tale est quod volunt dicere: Iracundum quidem illum non esse, irasci tamen aliquando: & timidum quidem illum non esse, timere tamen aliquando: id est, vitio timoris carere, affectu non carere. Quod si recipitur, vsu frequẽti timor transit in vitium: & ira in animum admissa, habitum illum ira carentis animi [11] retexit. Praeterea si non contemnit venientes extrinsecus causas, & aliquid timet, cum fortiter

eundum

cundum erit aduersus tela, ignes, pro patria, legibus, libertate, cunctanter exibit, & animo recedente. Non cadit autem in sapientem haec diuersitas mentis. Illud praeterea iudico obseruandum, ne duo quae separatim probanda sunt, misceamus. Per se enim colligitur, vnum bonum esse quod honestum: per se rursus, ad vitam beatam satis esse virtutem. Si vnum bonum est, quod honestum, omnes concedunt ad beate viuendum sufficere virtutem: ecōtrario non remittetur, si beatum sola virtus facit, vnum bonum esse quod honestum est. Xenocrates & Speusippus putant beatum vel sola virtute fieri posse: non tamē vnum bonum esse, quod honestum est. Epicurus quoque iudicat, cum virtutem habeat, beatum esse, sed ipsam virtutem non satis esse ab beatam vitam: quia beatum efficiat voluptas, quae ex virtute est, non ipsa virtus. Inepta distinctio. [b] Idem enim negat vnquam virtutem esse sine voluptate. ita si ei iuncta semper est, atque inseparabilis, & sola satis est. habet enim secum voluptatem, sine qua non est, etiam cum sola est. Illud autem absurdum est, quòd dicitur beatum quidem futurum vel sola virtute: non futurum autem perfecte beatum: quod quemadmodum fieri possit, non reperio. Beata enim vita bonum in se perfectum habet, inexuperabile: quod si est, perfecte beata est. Si deorum vita nihil habet maius aut melius: beata autem vita diuina est: nihil haber, in quod amplius possit attolli. Praeterea si beata vita nullius est indigens, omnis beata vita perfecta est, eademque est & beata, & beatissima. Nunquid dubitas, quin beata vita summum bonum sit? ergo si summum bonum habet, summe beata est. Quemadmodum summum, adiectionem non recipit (quid enim supra summum erit?) ita ne beata quidem vita, quae sine summo bono non est. Quòd si aliquem magis beatum induxeris, & multo magis innumerabilia discrimina summi boni facies: cum summum bonum intelligam, quod supra se gradum non habet. Si est aliquis minus beatus quàm alius, sequitur, vt hic alterius vitam beatioris magis concupiscat, quàm suam. beatus autem nihil suae praefert. Vtrumlibet ex his incredibile est: aut aliquid beato restare, quod esse quàm quod est malit: aut id illum non malle, quod illo melius est. Vtique enim quo prudentior est: hoc magis se ad id quod est optimum, extendet, & id omni modo consequi cupiet. Quomodo autem beatus est, qui cupere etiamnum potest, immo qui debet? Dicam quid sit, ex quo veniat hic error. Nesciunt beatam vitam vnam esse. In optimo illam statu ponit qualitas sua, non magnitudo. '' Itaque in equo est longa & breuis, diffusa & angustior: in multa loca, multasque partes distributa, & in vnum coacta. Qui illam numero aestimat, & mensura, & partibus, id illi quod habet eximium, eripit. Quid autem est in beata vita eximium? quòd plena est. finis, vt puta, edendi bibendique satietas est: hic plus edit, ille minus. quid refert? vterque iam satur est. Hic plus bibit, ille minus. quid refert? vterque non sitit. Hic pluribus annis vixit, hic paucioribus. Nihil interest: si tam illum multi anni beatum fecerunt, quàm hunc pauci. Ille quem tu minus beatum vocas, non est beatus. non potest nomen imminui. Qui fortis est, sine timore est: qui sine timore est, sine tristitia est: qui sine tristitia est, beatus est. Nostrorum haec interrogatio est. Aduersus hanc sic respondere conantur, falsam nos rem & controuersam pro confessa inducere, eum qui fortis est, sine timore esse. Quid ergo? inquit. fortis imminentia mala non timebit? Istud dementis alienatique, non fortis est. Ille vero, inquit, moderatissime timet, sed in totum extra metum non est. Qui haec dicunt, rursus in idem reuoluuntur, vt illis virtutum loco sint minora vitia. Nam qui timet quidem, sed rarius & minus, non caret malitia, sed leuiore vexatur. Atenim dementem puto, qui mala imminentia non extimescit. Verum est quod dicit, si mala sunt: sed si scit mala illa nō esse, & vnam tantum turpitudinem malū iudicat, debebit secure pericula aspicere, & aliis timenda contemnere: [c] aut si stulti & amentis est, mala non timere: quo quis prudentior est, hoc timebit magis. Vt vobis, inquit, videtur, praebebit se periculis fortis. Minime. Non timebit illa, sed vitabit. cautio illum decet, timor non decet. Quid ergo? inquis. mortem, vincula ignes, alia tela fortunae non timebit? Non: scit enim illa non esse mala, sed videri: omnia ista humanae vitae formidines putat. Describe captiuitatem, verbera, catenas, egestatem, & mēbrorum lacerationes, vel per morbum, vel per iniuriam: & quicquid aliud attuleris, [d] inter lymphaticos metus numera. Ista timidis timenda sunt. An id existimas malum, ad quod aliquando nostra sponte veniendū est? Quaeris, quid sit malum? Cedere his quae mala vocantur, & illis libertatem suam dedere, pro qua cuncta patienda sunt. Perit libertas, nisi illa contemnimus, quae nobis iugū imponunt. Non dubitarent quid conueniret forti viro, si scirent quid esset fortitudò. Non est enim incōsulta temeritas, nec periculorum amor, nec formidabilium appetitio. Scientia est distinguendi quid sit malum, & quid non sit: diligentissima in tutela sui fortitudo est, & eadem patientissima eorum, quibus falsa species malorū est. Quid ergo, si ferrum intentatur ceruicibus viri fortis, si pars subinde alia atque alia suffoditur, si

viscera sua in sinu suo vidit, [e] si ex interuallo, quo magis tormenta sentiat; repetitur, [f] & per siccata viscera recens demittitur sanguis, non timere istum tu dices, nõ dolere? Iste vero dolet: sensum enim hominis nulla exuit virtus: sed non timet: inuictus ex alto dolores suos spectat. Quaeris, quis tunc animus illi sit? qui aegrum amicum adhortantibus. Quod malum est, nocet: quod nocet, deteriorem facit. Dolor & paupertas deteriorem non faciunt: ergo mala non sunt. Falsum est, inquit, quod proponitur: non enim si quid nocet, etiam deteriorem facit. Tempestas & procella nocet gubernatori, nõ tamen illum deteriorem facit. Quidam Stoici ita aduersus hoc respondent: Deteriorem fieri gubernatorem tempestate ac procella, quia non possit id quod proposuit efficere, nec tenere cursum suum: deteriorem illum in arte sua non fieri, in opere fieri. quibus Peripateticus: Ergo, inquit, & sapientem deteriorem faciet paupertas & dolor, & quicquid aliud tale fuerit: virtutem enim illi non eripiet, sed opera eius impediet. Hoc recte diceretur, nisi dissimilis esset gubernatoris condicio, & sapientis. Huic enim propositum est in vita agenda, non vtique quod tentat efficere, sed omnia recte facere. Gubernatori propositum est vtique nauem in portum perducere. Artes ministrae sunt: praestare debent, quod promittunt. Sapientia domina rectrixque est. Artes seruiunt vitae, sapientia imperat. Ego aliter respondendum iudico, nec artem gubernatoris deteriorem vlla tempestate fieri, nec ipsam administrationem artis. Gubernator tibi non felicitatem promisit, sed vtilem operam, & nauis regendae scientiam. haec eo magis apparet, quo illi magis aliqua fortuita vis obstitit. Qui hoc potuit dicere, [g] Neptune nunquam hanc nauem, nisi rectam: arti satisfecit. tempestas non opus gubernatoris impedit, sed successum. Quid ergo? inquis. non nocet gubernatori ea res quae illum tenere portum vetat? quae conatus eius irritos efficit? quae aut refert illum, aut detinet, & exarmat? Non tanquã gubernatori, sed tanquam nauiganti nocet. Alioquin gubernatoris artem adeo non impedit, vt ostendat. Tranquillo enim, vt aiunt, quilibet gubernator est. Nauigio ista obsunt, non rectori eius, qua rector est. Duas personas habet gubernator: alteram communem cum omnibus qui eandem conscenderunt nauem, qua ipse quoque vector est: alteram propriam, qua gubernator est. Tempestas tanquam vectori nocet, non tanquam gubernatori. Deinde gubernatoris ars alienum bonum est, ad eos quos vehit, pertinet: quomodo medici ars ad eos quos curat. Sapientia commune bonum est, & eorum cum quibus viuit, & proprium ipsius. Itaque gubernatori fortasse nocetur, cuius ministerium aliis promissum tempestate impeditur. Sapienti non nocetur a paupertate, non a dolore, non ab aliis tempestatibus vitae. Non enim prohibentur opera eius omnia, sed tantum ad alios pertinentia: ipse semper [g] in actu est: tunc maximus, cum illi fortuna se opposuit, tunc ipsius sapientiae negotium agit: quam diximus & alienum bonum esse, & suum. Praeterea ne aliis quidem tunc prodesse prohibetur, cum illum aliquae necessitates premunt. Propter paupertatem prohibetur docere, quemadmodum tractanda respublica sit: at illud docet, quemadmodum tractanda sit paupertas. per totam vitam opus eius extenditur. Ita nulla fortuna, nulla res, actus sapientis excludit. Id enim ipsum agit, quo alia agere prohibetur. Ad vtrosque casus aptus est: bonorum rector est, malorum victor. Sic, inquam, se exercuit, vt virtutem tam in secundis quàm in aduersis exhibeat, nec materiam eius, sed ipsam intueatur. Itaque nec paupertas illum, nec dolor, nec quicquam aliud quod imperitos auertit & praecipites agit, prohibet. Tu illum premi putas malis? Vtitur. Non ex ebore tantum Phidias sciebat facere simulacra: faciebat ex aere: si marmor illi, si adhuc viliorem materiam obtulisses, fecisset quale ex illa fieri optimum posset. Sic sapiens virtutem, si licebit, in diuitiis explicabit; si minus, in paupertate: si poterit, in patria; si minus, in exilio: si poterit, imperator; si minus, miles: si poterit, integer; si minus, debilis. quamcunque fortunam acceperit, aliquid ex illa memorabile efficiet. Certi sunt domitores ferarum, qui saeuissima animalia & ad occursum exterrentia hominẽ, docent pati iugum: nec asperitatem excussisse contenti, vsque in contubernium mitigant. Leonibus magister manum insertat, [h] osculatur Tigrim suus custos. [i] Elephãtem mimus AEthiops iubet subsidere in genua, & ambulare per funem. Sic sapiens est artifex domandi mala. Dolor, egestas, ignominia, carcer, exilium, & cetera [k] horrenda, cum ad hunc peruenere, mansuera sunt.

Epistola LXXXVI.

In ipsa Scipionis Africani villa iacens haec tibi scribo, adoratis manibus eius & ara, quam sepulcrum esse tanti viri suspicor: animum quidem eius in caelum, vnde erat, redisse persuadeo mihi: non quia magnos exercitus duxit (hoc enim & Cambyses furiosus, ac furore feliciter vsus habuit) sed ob egregiam moderationem pietatemque magis in illo admirabilem, cum reliquit patriam, quàm cum defendit. [a] Aut Scipio Romae deesse debebat, [b] aut Romae

Romae libertas. Nihil, inquit, volo derogare legibus, nihil institutis. aequum ĩnter omnes ciues ius sit.vtere sine me beneficio meo patria.causa tibi libertatis fui,ero & argumentum: Exeo, si plus quàm tibi expedit, creui. Quid ni ego admirer hanc magnitudinem animi?in exilium voluntarium secessit, & ciuitatem exonerauit. Eo perducta res erat, vt aut libertas Scipioni, aut Scipio libertati faceret iniuriam. Neutrum fas erat. Itaque dedit locum legibus, & se Liternum recepit, tam suum exilium Reip.imputaturus, quàm Hannibalis. Vidi villam structam lapide quadrato,murum circumdatum siloae,turres quoque in propugnaculum villae vtrinque subrectas.Cisternam aedificiis ac [a] viridibus subditam,quae sufficere io vsum vel exercitus posset.Balneolum angustum,tenebricosum ex consuetudine antiqua. Non videbatur maioribus nostris caldum,nisi obscurũ. Magna ergo me voluptas subit,cõtemplantem mores Scipionis ac nostros. In hoc angulo ille Carthaginis horror, cui Roma debet, quòd tantum semel capta est, abluebat corpus laboribus rusticis fessum: exercebat enim opere se,terramque (vt mos fuit priscis) ipse subigebat.Sub hoc ille tecto tam sordido stetit,hoc illum pauimenrum tam vile sustinuit.At nunc quis est,qui sic lauari sustineat?pauper sibi videtur ac sordidus,nisi parietes magnis & pretiosis orbibus tefulserunt,nisi Alexãdrina marmora Numidicis crustis distincta suot, nisi illis vndique operosa & in picturae modum variata circumlitio praetexitur, nisi vitro abscoodinir camera, nisi Thasius lapis, quoodam rarum in aliquo spectaculum templo, piscinas nostras circumdedir,in quas multa sudatione corpora exinanita demittimus,nisi aquam argentea epistomia fuderũt. Et adhuc plebeias fistulas loquor: quid cum' ad balnea libertinorum peruenero? quantum statuarum, quantum columnarum est nihil sustinentium, sed io ornamentum positarum impensae causa?quantum aquarum pet gradus cum fragore lab entium?Eo deliciarum peruenimus,vt nisi gemmas calcare oolimus.In hoc balneoScipionis minimae sunt rimae,magis quàm fenestrae, muro lapideo exsectae, vt sine iniuria munimenti, lumen admitterent. At nunc blattaria vocant balnea, si qua ooo ita aptata suot, vt totius diei solem fenestris amplissimis tecipiant, nisi & lauantur simul & colorantur, nisi ex solio agros & maria prospiciunt. Itaque quae concursum & admirationem habuerant cum dedicatentur, haec in antiquorum numerum teiiciuntur,cum aliquid noui luxutia commẽta est, quo ipsa se obrueret. At olim & pauca eraot balnea, nec vllo cultu exornata. Cut enim ornaretut res quadrantatia, & in vsum, ooo in oblectamenta reperta? Non suffundebatut aqua, oec recens semper velut ex calido foote currebat: nec referre credebant, in quàm perlucida sotdes depooerent.Sed,dij boni, quàm iuuabat illa balnea intrare obscura, & gregali tectorio inducta,quae scires Catonem tibi aedilem, aut Fabium Maximum, aut ex Corneliis aliquem manu sua temperasse?Nam hoc quoque nobilissimi aediles fungebantut officio,intrandi ea loca quae populum receptabant, exigeodique munditias, & vtilem ac salubrem temperaturam,noo hanc quae nuper inuenta est,similis incendio, adeo quidem vt conuictum in aliquo scelete seruum,viuum lauari oporteat. Nihil mihi videtur iam interesse, ardeat balneum,an caleat.Quantae nunc aliqui rusticitatis damnant Scipionem, quòd non in caldarium suum latis specularibus diem admiserat,quòd non in multa luce decoquebatur,& spectabat,vt in balneo cõcoqueret? O hominem calamitosum,nescit viuete.Non pacata aqua lauabatut,sed saepe turbida, & cum plueret vehemẽtius,paene lutulenta. Nec multum eius intererat,an sic lauaretut: veniebat enim,vt sudotem illic ablueret,noo vt vnguentũ. Quas nunc quotundam futuras voces credis? Non inuideo Scipioni: vere in exilio vixit, qui sic lauabanır.Immo si scias,noo quotidie lauabatur.Nam,vt aiunt qui priscos mores vtbis tradiderunt,brachia & crura quotidie abluebant,quae scilicet sordes opere collegerant:ceterum toti nundinis lauabantur.Hoc loco dicet aliquis, liquet immundissimos fuisse.[b] Quid putas illos oluisse? Militiam, laborem, virum. Postquam munda balnea inuenta sunt, spurciotes sunt.Descripturus infamem & nimiis notabilem deliciis Horatius Flaccus,quid ait?

Pastillos Rufillus olet. —

Dares nunc Rufillum,perinde esset, ac si hitcum oleret, & Gorgonij loco esset, quem idem Horatius Rufillo opposuit. Parum est sumere vnguentum, ni bis die terque renouetur, ne euanescat in corpore. Quid, quòd odote tanquam suo gloriantur? Haec si tibi nimium tristia videbuntur, villae imputabis:in qua didici ab AEgialo diligentissimo patrefamiliae (is enim ounc huius agri possessor est) quamuis vetus arbustum posse transferri. Hoc nobis senibus discere oecessarium est,quorum nemo oon oliuetum alteri ponit. Quod vidi,hoc dico:illud atboretum trimum aut quadrimum fastidienti fructus autumno deponere,te quoque proteget illa quae

Tarda venit,seris factura nepotibus vmbram,

vt ait Virgilius noster: qui non quid verissime, sed quid decentissime diceretur, aspexit, nec agricolas docere voluit, sed legentes delectare. Nam (vt omnia alia transeam) hoc quod hodie mihi necesse fuit reprehendere, ascribam:

Vere fabis satio est, tunc te quoque medica putres
Accipiunt sulci, & milio venit annua cura.

[c] An vno tempore ista ponenda sint: & an vtriusque verna sit satio, hinc aestimes licet. Iunius mensis est quo tibi scribo, iam procliuius in Iulium. Eodem die vidi fabam metentes, milium serentes. Ad oliuetum reuertor, quod vidi duobus modis dispositum. Magnarum arborum truncos circumcisis ramis, & ad vnum redactis pedem, cum scapo suo transtulit, amputatis radicibus, [d] relicto tantum capite ipso, ex quo illae pependerant. Hoc fimo tinctum in scrobem demisit: deinde terram non aggessit tantum, sed calcauit & pressit. Negat quicquam esse hac (vt ait) [e] pisatione efficacius. videlicet frigus excludit & ventum. minus praeterea mouetur: & ob hoc nascentes radices prodire patitur, ac solum apprehendere, quas necesse est teneras adhuc, & precario haerentes, leuis quoque reuellat agitatio. [f] parum autem arboris antequam obruat radix. ex omni enim materia quae nudata est, vt ait, exeunt radices nouae. Non plures autem super terram eminere debet truncus, quàm tres aut quatuor pedes: statim enim ab imo vestietur: nec magna pars, quemadmodum in oliuetis veteribus, arida & retorrida erit. Alter ponendi modus hic fuit. Ramos fortes, nec corticis duri, quales esse nouellarum arborum solent, eodem genere deposuit. Hi paulo tardius surgunt: sed cum tanquam a planta processerint, nihil habent in se horridum, nec triste. Illud etiam nunc vidi, vitem ex arbusto suo annosam transferri: huius capillamenta quoque (si fieri potest) colligenda sunt, deinde liberalius sternenda vitis, vt etiam ex corpore radicescat. Et vidi non tantum mense Februario positas, sed etiam Martio exacto tenent, & complexae sunt non suas vlmos. Omnes autem istas arbores, quae (vt ita dicam) [g] grandiscapiae sunt, ait aqua adiuuandas cisternina: quae si prodest, habemus pluuiam in nostra potestate. Plura te docere non cogito: ne quemadmodum AEgialus noster me sibi aduersarium parauit, sic ego parem te mihi.

Epistola LXXXVII.

NAVFRAGIVM, antequam nauim ascenderem, feci: quomodo acciderit, non adiicio, ne & hoc putes inter Stoica paradoxa ponendum: quorum nullum esse falsum, nec tam mirabile quàm prima facie videtur, cum volueris approbabo, immo etiam si nolueris. Interim hoc me iter docuit, quàm multa haberemus superuacua, & quàm facile iudicio possemus contemnere, quae si quando necessitas abstulit, non sentimus ablata. Cum paucissimis seruis, quos vnum capere vehiculum potuit, sine vllis rebus, nisi quae corpore nostro continebantur, ego & Maximus meus biduum iam beatissimum agimus. Culcitra in terra iacet, ego in culcitra. Ex duabus penulis, altera stragulum, altera opertorium facta est. De prandio nihil detrahi potuit. paratum fuit [a] non magis hora, nusquam sine caricis, nusquam sine pugillaribus. Illae, si panem habeo, pro pulmentario sunt: si non, pro pane: quotidie mihi [a] annum nouum faciunt, quem ego faustum & felicem reddo bonis cogitationibus, & animi magnitudine: qui nunquam maior est, quàm vbi aliena seposuit: & fecit sibi pacem, nihil timendo: fecit sibi diuitias, nihil concupiscendo. Vehiculum in quod impositus sum, rusticu est. Mulae viuere se ambulando testantur, mulio excalceatus non propter aestatem. Vix a me obtineo, vt hoc vehiculum velim videri meum. Durat adhuc peruersa recti verecundia: quoties in aliquem comitatum lautiorem incidimus, inuitus erubesco: quod argumentum est, ista quae probo, quae laudo, nondum habere certam sedem & immobilem. Qui sordido vehiculo erubescit, pretioso gloriabitur. Parum adhuc profeci, [a] nondum audeo frugalitatē palam ferre, etiam nunc curo opiniones viatorum. Contra totius generis humani opiniones mittenda vox erat: Insanitis, erratis, stupetis ad superuacua, neminem aestimatis suo. Cum ad patrimonium ventum est, diligentissimi computatores, sic rationem ponitis singulorum, quibus aut pecuniam credituri estis, aut beneficia. Nam haec quoque iam expensa fertis. Late possidet, sed multum debet: habet domum formosam, sed alienis nummis paratam: familiam nemo cito speciosiorem producet, sed nominibus non respondet. Si creditoribus soluerit, nihil illi supererit. Idem in reliquis quoque facere debebatis, excutere quantum proprij quisque habeat. Diuitem illum putas, quia aurea supellex etiam in via eum sequitur, quia in omnibus prouinciis arat, [b] quia magnus kalendarij liber euoluitur, quia tantum suburbani agri possidet, quantum inuidiose in desertis Apuliae possideret: [c] & cum omnia dixeris, pauper est. quare? quia debet. quantum, inquis? omnia: nisi forte iudices interesse, vtrum aliquis ab homine, an a fortuna mutuum sumpserit. Quid ad rem pertinent

mulae saginatae, vnius omnes coloris? Quid ista vehicula caelata?

—— Instrati ostro alipedes, pictisque tapetis.
Aurea pectoribus demissa monilia pendent.
Tecti auro, fuluum mandunt sub dentibus aurum.

Ista oec dominum meliorem possunt facere, nec mulam. M. Cato Censorius ([d] quem tam Romano populo hercule profuit nasci quàm Scipionem: alter enim cum hostibus nostris bellum, alter cum moribus gessit) cantelio vehebatur, & [e] hippoperis quidem impositis, vt secum vtilia portaret. O quàm cuperem illi nunc occurrere aliquem ex his trossulis in via diuitibus, [f] cursores & Numidas, & multū ante se pulueris agentem. Hic sine dubio [g] cultior comitatiorque quàm M. Cato videretur: hic inter illos apparatus delicatos, qui cummaxime dubitat, [i] vtrum se ad gladium locet, an ad cultrum. O quantum erat saeculi decus, imperatorem triumphalem Censorium (& quod super omnia haec est) Catonem, vno caballo esse contentum, & oe toto quidem. Partem enim sarcinae ab vtroque latere dependentes occupabant. Ita non omnibus obesis mannis & asturcooibus & tollutariis praeferres vnicum illum equum [h] ab ipso Catone [4] defrictum? Video non futurum finem in ista materia vllum, nisi quem mihi ipse fecero. Hic itaque cooticescam, quantum ad ista: quae sine dubio talia diuinauit futura, qualia ounc sunt, qui primus appellauit impedimenta. Nunc volo paucissimas adhuc interrogationes nostrorum tibi reddere ad virtutem pertinentes, quā satisfacere vitae beatae contendimus. Quod bonum est, bonos facit. Nam & in arte musica [i] quod bonum est, facit musicum. Fortuita bonum non faciunt: ergo non sunt bona. Aduersus hoc sic respoodent Peripatetici, vt quod primum proponimus, falsum esse dicant. [k] Ab eo, inquiunt, quod est booum, non vtique fiunt boni. In musica est aliquod bonum, tanquam tibia, aut chorda, aut organum aliquod aptatum ad vsus canendi: nihil tamen horum facit musicum. Hic respondebimus. Non intelligitis [l] quomodo posuerimus quod bonum est musico. Non enim id dicimus quod instruit musicum, sed quod facit. tu ad supellectilem artis, non ad artem venis. Si quid autem in ipsa arte musica bonum est, id vtique musicum faciet. [m] Etiamnum facere id planius volo. Bonum in arte musica duobus modis dicitur: altero, quo effectus musici adiuuatur: altero, quo ars. Ad effectum pertinent instrumēta, tibiae, & organa, & chordae, ad artem ipsam non pertinent. Est enim artifex etiam sine istis. vti forsitan noo potest arte. Hoc ooo est aeque duplex in homine. idem enim booum & hominis & vitae. Quod contēptissimo cuiq; contiogere ac turpissimo potest, bonū non est. Opes autem & lenoni, & lanistae contingunt: ergo non sunt bona. Falsum est, inquiūt, quod proponitur. Nam in grammatica & io arte medendi, aut gubernandi, videmus bona humilimis quibusque contingere. Sed istae artes non sunt, magnitudinem animi professae, non cōsurgunt in altum, nec fortuita fastidiunt. Virtus extollit hominem, & supra cara mortalibus collocat: oec ea quae bona, nec ea quae mala vocantur, [n] aut cupit nimis, aut expauescit. [o] Chelidon, vnus ex Cleopatrae mollibus patrimonium grande possedit. nuper Natalis, tā improbae linguae quàm impurae, io cuius ore feminae purgabantur, & multorum heres fuit, & multos habuit heredes. Quid ergo? vtrū illum pecunia purum effecit, an ipse pecuniā conspurcauit? quae sic in quosdam homines, quomodo denarius in cloacam cadit. Virtus supra ista consistit, suo aere censetur: nihil ex istis quomodolibet incurrentibus bonum iudicat. Medicina & gubernatio non interdicit sibi ac suis admirationem talium rerum. Qui non est vir bonus, potest nihilominus medicus esse: potest gubernator, potest grammaticus, tam mehercules quàm coquus. [1] [p] Cui contigit habere rem non quamlibet, hunc non quēlibet dixeris. Qualia quisque habet, talis est. Fiscus tanti est, quantum habet: immo in accessione eius venit quod habet. Quis pleno sacculo vllum pretium ponit, nisi quod pecuniae in eo conditae numerus effecit? Idem euenit magnorum dominis patrimoniorum: accessiones illorum & appendices sunt. Quare ergo sapiens magnus est? quia magnum animum habet. [q] Verum est ergo, quod contemptissimo cuique contingit, bonum non esse. Itaque indolentiam nunquam bonum dicam. habet illam cicada, habet pulex. Ne quietem quidem, & molestia vacare, bonum dicam. Quid est otiosius verme? Quaeris, quae res sapientem faciat? quae Deum. Des oportet illi aliquid diuinum, aliquid caeleste, magnificum. Non in omnes bonum cadit, nec quemlibet possessorem patitur. Vide

Quid quaeque ferat regio, & quid quaeque recuset.
Hic segetes, illic veniunt felicius vuae:
Arborei fetus alibi, atque iniussa virescunt
Gramina. nonne vides, croceos vt Tmolus odores,
India mittit ebur, molles sua tura Sabaei?

At Chalybes nudi ferrum. ----

Iſta in regiones deſcripta ſunt, vt neceſſarium mortalibus eſſet inter ipſos commercium, ſi inuicem alius ab alio aliquid peteret. Summum illud bonum & ipſum ſuam habet ſedē: non naſcitur vbi ebur, nec vbi ferrum. Quis ſit ſummi boni locus, quaeris? Animus. hic niſi purus ac ſanctus eſt, Deum non capit. Bonum ex malo non fit. diuitiae fiunt ex auaritia: diuitiae ergo non ſunt bonum. Non eſt, inquit, verum, bonum ex malo non naſci. Ex ſacrilegio enim & furto pecunia naſcitur. Itaque malum quidem eſt ſacrilegium & furtum: ſed ideo, quia plura mala facit quàm bona. Dat enim lucrum, ſed cum metu, ſolicitudine, tormentis & corporis & animi. Quiſquis hoc dicit, ' neceſſe eſt recipiat, ſacrilegium ſicut malum ſit, quia multa mala facit, ita bonum quoq; ex aliqua parte eſſe, quia aliquid boni facit: ' quo quid fieri portentoſius poteſt, quàm ſacrilegium, furtum & adulterium inter bona haberi? ' Prorſus perſuaſimus. Quàm multi furto non erubeſcunt, quàm multi adulterio gloriãtur? Nam ſacrilegia minuta puniuntur, magna in triumphis feruntur. Adiice nunc, quòd ſacrilegium, ſi omnino ex aliqua parte bonum eſt, etiam honeſtum erit, & recte factum vocabitur: noſtra enim actio eſt: quod nullius mortalium cogitatio recipit. ergo bona naſci ex malo non poſſunt. Nam ſi, vt dicitis, ob hoc vnum ſacrilegium malū eſt, quia multum mali affert: ſi remiſeris illi ſupplicia, ſi ſecuritatem ſpoponderis, ex toto bonum erit. Atqui maximum ſcelerum ſupplicium in ipſis eſt. Erras, inquam, ſi illa ad carnificem aut ad carcerem differs. ſtatim puniuntur cum facta ſunt, immo dum fiunt. Non naſcitur itaque ex malo bonū, non magis quàm ficus ex olea. ad ſemen nata reſpōdent. bona degenerare non poſſunt. Quemadmodum ex turpi honeſtū non naſcitur, ita ne ex malo quidem bonū: nam idem eſt honeſtum & bonū. Quidam ex noſtris aduerſus hoc ſic reſpondent: putemus pecuniã bonū eſſe vndecunq; ſumptam, non tamen ideo ex ſacrilegio pecunia eſt, etiãſi ex ſacrilegio ſumitur. Hoc ſic intellige. In eadem vrna & aurū eſt, & vipera. Si aurum ex vrna ſuſtuleris, quia illic & vipera eſt, non ideo mihi vrna aurum dat, quia viperam habet, ſed aurum dat, cum & viperã habeat. Eodem modo ex ſacrilegio lucrum fit: non qua turpe & ſceleratum eſt ſacrilegium, ſed qua lucrum habet. quemadmodum in illa vrna vipera malum eſt, non aurum quod cum vipera iacet, ſic in ſacrilegio malum eſt ſcelus, non lucrū. Quibus opponitur." Diſſimillima vtriuſq; rei condicio eſt. Illic aurū poſſum, ſine vipera tollere: "hic lucrū ſine ſacrilegio facere non poſſum. lucrū iſtud non eſt appoſitum ſceleri, ſed immixtū. Quod dum conſequi volumus, in multa mala incidimus: id bonū non eſt. Dum diuitias conſequi volumus, in multa mala incidimus. ergo diuitiae bonū non ſunt.' Duas, inquit, ſignificationes habet propoſitio veſtra. vnã, dum diuitias conſequi volumus, in multa nos mala incidere. In multa autem mala incidimus, & dum virtutē conſequi volumus. Aliquis, dū nauigat ſtudij cauſa, naufragiū fecit: aliquis captus eſt. Altera ſignificatio talis eſt: Per quod in mala incidimus, id bonū non eſt. Huic propoſitioni non erit conſequens, per diuitias nos, aut per voluptates in mala incidere: aut ſi per diuitias in multa mala incidimus, non tantum bonum diuitiae non ſunt, ſed malum ſunt. Vos autem illas dicitis tantum bonum non eſſe. Praeterea, inquit, conceditis diuitias habere aliquid vſus. Inter cōmoda illas numeratis. Atqui eadem ratione ne commodū quidem erūt: per illas enim multa nobis incōmoda eueniunt. His quidã hoc reſpondēt. Erratis, qui incōmoda diuitiis imputatis. Illae neminē laedunt. 'aut ſua cuiq; nocet ſtultitia, aut aliena nequitia. Sic, quemadmodum gladius, qui neminem occidit, occidentis telum eſt. Non ideo diuitiae tibi nocent, ſi propter diuitias tibi nocetur. Poſidonius (vt ego exiſtimo) melius: qui ait diuitias eſſe cauſam malorum, non quia ipſae faciant aliquid, ſed quia facturos irritãt. Alia eſt enim cauſa efficiens quae protinus neceſſe eſt noceat: alia praecedens. hanc praecedentem cauſam diuitiae habent. Inflant animos, ſuperbiam pariunt, inuidiam contrahunt, & vſq; eo mentem alienant, vt fama pecuniae nos etiam nocitura delectet. Bona autem omni carere culpa decet. pura ſunt, non corrumpunt animos, non ſolicitant: extollunt quidem & dilatant, ſed ſine tumore. Quae bona ſunt, fiduciam faciunt: diuitiae audaciam. Quae bona ſunt, magnitudinem animi dant: diuitiae inſolentiam. Nihil autem aliud eſt inſolentia, quàm ſpecies magnitudinis falſa. Iſto modo, inquis, etiam malum ſunt diuitiae, non tantum bonum non ſunt.' Eſſent malum, ſi per ſe nocerent, ſi (vt dixi) haberent efficientē cauſam: nunc praecedentē habent, & quidem non irritantē tantū animos, ſed attrahentē. Speciē enim boni oſtēndunt veriſimilē, ac pleriſque credibilē. Habet virtus quoq; praecedentē cauſam ad inuidiã: multis enim propter ſapientiã, multis propter iuſtitiã inuidetur: ſed nec ex ſe hãc cauſam habet, nec veriſimilē. Contra enim veriſimilior illa ſpecies hominum animis obiicitur a virtute, quae illos in amorē & admirationem vocet. Poſidonius ſic interrogãdū ait: Quae neq; magnitudinē animo dant, nec fiduciã, nec ſecuritatē,

non

non ſunt bona : diuitiae autem, & bona valetudo, & ſimilia his, nihil horum faciunt : ergo non ſunt bona. Hanc interrogationem magis etiamnum hoc modo intendit: Quae neque magnitudinem animo dant, nec fiduciam, nec ſecuritatem, contra autem inſolentiam, tumorem, arrogantiam creant, mala ſunt: a fortuitis autem in haec impellimur: ergo non ſunt bona. Hac, inquit, ratione nc commoda quidem iſta erunt. Alia eſt commodorũ condicio, alia bonorum. Commodum eſt, quod plus vſus habet quàm moleſtiae. Bonum ſincerum eſſe debet, & ab omni parte innoxium. Non eſt id bonum, quod plus prodeſt: ſed quod tantum prodeſt. Propterea commodum & ad animalia pertinet, & ad imperfectos homines, & ad ſtultos. Itaque poteſt ei eſſe incommodum mixtum. Sed commodum dicitur a maiore ſui parte aeſtimatum: bonum ad vnum ſapientem pertinet. Inuiolatum eſſe oportet.[b] Bonũ animum habe. Vnus tibi nodus, ſed Herculaneus, reſtat. Ex malis bonum non fit: ex multis paupertatibus diuitiae fiunt : ergo diuitiae bonum non ſunt. Hanc interrogationem noſtri non agnoſcunt. Peripatetici & fingunt illam, & ſoluunt. Ait autem Poſidonius, hoc ſophiſma per omnes dialecticorum ſcholas iactatum, ſic ab Antipatro refelli. Paupertas non per poſitionem, ſed per detractionem dicitur, vel (vt antiqui dixerunt) per orbationem:[c] Graeci dicunt κατὰ ςέρησιν. non quòd habeat, dicitur, ſed quòd nõ habeat. Itaque ex multis inanibus nihil impleri poteſt: diuitias multae res faciunt, nõ multae inopiae.[d] Aliter quàm debes, paupertatem intelligis. Paupertas eſt, non quae pauca poſſidet, ſed quae multa non poſſidet. Ita non ab eo dicitur quod habet, ſed ab eo quod ei deeſt. Facilius quod volo exprimerem, ſi Latinum verbum eſſet, quo ἀνεχία ſignificatur. Hãc paupertati Antipater aſſignat. Ego non video quid aliud ſit paupertas, quàm parui poſſeſſio. De iſto videbimus, ſi quando valde vacabit, quae ſit diuitiarum, quae paupertatis ſubſtantia. Sed tunc quoque conſiderabimus, nunquid ſatius ſit paupertatem permulcere, diuitiis demere ſupercilium, quàm litigare de verbis, quaſi iam de rebus iudicatum ſit. Putemus nos ad concionem vocatos. Lex de abolendis diuitiis fertur. his interrogationibus ſuaſuri aut diſſuaſuri ſumus? his effecturi, vt populus Romanus paupertatem, fundamentum, & cauſam imperij ſui, requirat ac laudet? diuitias autem ſuas timeat? vt cogitet has ſe apud victos reperiſſe? Hinc ambitum, & largitiones, & tumultus, in vrbẽ ſanctiſſimam temperantiſſimamque irrupiſſe? nimis luxurioſe oſtentari gentium ſpolia. quod vnus populus eripuerit omnibus, facilius vni ab omnibus eripi poſſe. Haec ſatius eſt ſuadere, & expugnare affectus, non circumſcribere. Si poſſumus, fortius loquamur: ſi minus, apertius.

Epiſtola LXXXVIII.

De[a] liberalibus ſtudiis quid ſentiam, ſcire deſideras. Nullum ſuſpicio, nullum in bonis numero,[b] quod ad aes exit. Meritoria artificia ſunt, hactenus vtilia, ſi praeparant ingenium, non detinent. Tamdiu enim iſtis immorandum eſt, quamdiu nihil animus agere maius poteſt. rudimenta ſunt noſtra, non opera. Quare liberalia ſtudia dicta ſint vides, quia homine libero digna ſunt. Ceterum vnum ſtudium vere liberale eſt, quod liberum facit. Hoc ſapientiae ſtudium eſt, ſublime, forte, magnanimum : cetera puſilla & puerilia ſunt. An tu quicquam in iſtis eſſe credis boni, quorum profeſſores turpiſſimos omnium ac flagitioſiſſimos cernis? Non diſcere debemus iſta, ſed didiciſſe. Quidam illud de liberalibus ſtudiis quaerendum iudicauerunt, an virum bonum facerent. Ne promittunt quidem, nec huius rei ſcientiam affectãt. Grammaticus circa curam ſermonis verſatur, &, ſi latius euagari vult, circa hiſtorias. Iam vt longiſſime fines ſuos proferat, circa carmina. Quid horum ad virtutẽ viam ſternit?[c] Syllabarum enarratio, & verborum diligentia, & fabularum memoria, & verſuum lex ac modificatio? Quid ex his metum demit, cupiditatem eximit, libidinem fraenat? Ad geometriam tranſeamus, & ad muſicam: nihil apud illas inuenies, quod vetet timere, vetet cupere: quae quiſquis ignorat, alia fruſtra ſcit. Videndum vtrum doceant iſti virtutem, an non: ſi non docent, nec tradunt quidem: ſi docent, philoſophi ſunt. Vis ſcire quàm non ad docendam virtutem cõſederint? aſpice quàm diſſimilia inter ſe omnium ſtudia ſint. Atqui ſimilitudo eſſet idem docentium.[d] Niſi forte tibi Homerum philoſophum fuiſſe perſuadent, cum his ipſis quibus colligunt, negent. Nam modo Stoicum illum faciunt,[e] virtutem ſolam probantem, & voluptates refugientem, & ab honeſto ne immortalitatis quidem pretio recedentem:[f] modo Epicureum, laudantem ſtatum quietae ciuitatis, & inter conuiuia cantuſque vitam exigentis :[g] modo Peripateticum, bonorum tria genera inducentem: modo Academicum, incerta omnia dicentem. Apparet nihil horum eſſe in illo, quia omnia ſunt. Iſta enim inter ſe diſſident. Demus illis, Homerum philoſophum fuiſſe. nempe ſapiens factus eſt, antequam carmina vlla cognoſceret. ergo illa diſcamus, quae Homerum fecere ſapientem. Hoc quidem me quaerere,[h] vtrum maior aetate fuerit Homerus an Heſiodus,

non magis ad rem pertinet, quàm ſcire,[8] an minor Hecuba fuerit, quàm Helena: & quare tam male tulerit aetatem. Quid, inquam, annos [9] Patrocli & Achillis inquirere ad rem exiſtimas pertinere? Quaeris, Vlixes vbi errauerit, potius quàm efficias, ne nos ſemper erremus? Non vacat audire,[10] vtrum inter Italiam & Siciliam iactatus ſit, an extra notum nobis orbem: neque enim potuit in tam anguſto error eſſe tam longus. Tempeſtates animi nos quotidie iactant, & nequitia in omnia.[11] Vlixis mala impellit. non deeſt forma quae ſollicitet oculos, non hoſtis: hinc monſtra effera, & humano cruore gaudentia: hinc inſidioſa blãdimenta aurium: hinc naufragia, & tot varietates malorum. Hoc me doce, quomodo patriam amem, quomodo vxorẽ, quomodo patrem, quomodo ad haec tam honeſta vel naufragus nauigẽ. Quid inquiris,[12] an Penelopa impudica fuerit, an verba ſaeculo ſuo dederit, an Vlixem illum eſſe quem videbat, antequam ſciret, ſuſpicata ſit? Doce me, quid ſit pudicitia, & quantum in ea bonum: in corpore, an in animo poſita ſit.[13] Ad muſicum tranſeo. Doces me, quomodo inter ſe acutae ac graues voces conſonent, quomodo neruorum diſparẽ reddentium ſonum fiat concordia. Fac potius, quomodo animus ſecum meus conſonet, nec conſilia mea diſcrepent. Monſtras mihi, qui ſint modi flebiles. monſtra potius, quomodo inter aduerſa non emittam flebilem vocem. Metiri me geometres docet latifundia. potius doceat, quomodo metiar quantum homini ſit ſatis. Numerare docet me arithmetica, & auaritiae commodare digitos. potius doceat, nihil ad rem pertinere iſtas computationes. non eſſe feliciorẽ, cuius patrimoniũ tabularios laſſat, immo quàm ſuperuacua poſſideat, qui infeliciſſimus futurus eſt, ſi quantum habeat, per ſe computare cogatur. Quid mihi prodeſt, ſcire agellum in partes diuidere, ſi neſcio cum fratre diuidere? Quid prodeſt colligere ſubtiliter pedes iugeri, & comprehendere etiam ſi quid decempedam effugit,[b] ſi triſtem me facit vicinus potens, & aliquid ex meo abradens? Doces me, quomodo nihil perdam ex finibus meis? at ego diſcere volo, quomodo totos hilaris amittam. Paterno agro, inquit, & auito expellor. Quid? Ante auum tuum quis iſtum agrum tenuit? Cuius, non dico hominis, ſed populi fuerit, expedire potes? Non dominus iſto, ſed colonus intraſti. Cuius colonus es? Si bene tecum agitur, heredis. Negant iuriſconſulti quicquam vſucapi, quod publicum eſt. Publicum eſt hoc quod tenes, & quidem generis humani. O egregiam artem: ſcis rotunda metiri, in quadratum redigis quamcunque acceperis formam: interualla ſiderum dicis: nihil eſt quod in menſuram tuam non cadat. Si artifex es, metire hominis animum. dic quàm magnus ſit, dic quàm puſillus ſit. Scis quae recta ſit linea: quid tibi prodeſt, ſi quid in vita rectum ſit, ignoras? Venio nunc ad illum qui caeleſtium notitia gloriatur.

Frigida Saturni quo ſeſe ſtella receptet,
Quos ignis caeli Cyllenius erret in orbes:

Hoc ſcire quid proderit? vt ſollicitus ſim, cum Saturnus & Mars ex contrario ſtabunt, aut cum Mercurius veſpertinum faciet occaſum vidente Saturno. Potius hoc diſcam, vbicunque ſunt iſta, propitia eſſe, non poſſe mutari. Agit illa continuus ordo fatorum, & ineuitabilis curſus. Per ſtatas vices remeant. Effectus rerum omnium aut mouent, aut notant. Sed ſiue quicquid euenit faciunt,[c] quid immutabilis rei notitia proficiet? ſiue ſignificant, quid refert prouidere, quod effugere non poſſis? Scias iſta, neſcias, fient.

Si vero ſolem ad rapidum ſtellasque ſequentes
Ordine reſpicias, nunquam te craſtina fallet
Hora, nec inſidiis noctis capere ſerenae.

Satis abundeque prouiſum eſt,[d] vt ab inſidiis tutus eſſem. Nunquid me craſtina non fallit hora? fallit enim, quod neſcienti euenit. Ego quid futurum ſit, neſcio: quid fieri poſſit, ſcio. Ex hoc nihil deſperabo. totum expecto. Si quid remittitur, boni conſulo. Fallit me hora, ſi parcit: ſed nec ſic quidem fallit. Nam quemadmodum ſcio omnia accidere poſſe, ſic ſcio & non vtique caſura. Vtique ſecunda expecto, malis paratus ſum. in illo feras me neceſſe eſt non ad praeſcriptum euntem. Non enim adducor, vt in numerum liberalium artium pictores recipiam, non magis, quàm ſtatuarios, aut marmorarios, aut ceteros luxuriae miniſtros. AEque luctatores, & totam [14] oleo ac luto conſtantem ſcientiam expello ex his ſtudiis liberalibus: aut & vnguentarios recipiam, & cocos, & ceteros voluptatibus noſtris ingenia accommodantes ſua. Quid enim, oro te, liberale habent iſti [15] ieiuni vomitores, quorum corpora in ſagina, animi in macie & veterno ſunt? An liberale ſtudium iſtud eſſe iuuentuti noſtrae credimus, quam maiores noſtri rectam exercuerunt, haſtilia iacere, ſudem torquere, equum agitare, arma tractare? Nihil liberos ſuos docebant, quod diſcendum eſſet iacentibus. Sed nec hae nec illae docent, aluntve virtutem. Quid enim prodeſt equum regere, & curſum eius fraeno temperare, affectibus effraenatiſſimis abſtrahi? Quid prodeſt multos

vincere

vincere luctatione vel cestu,ab iracundia vinci? Quid ergo?nihil liberalia nobis conferunt studia?ad alia mulrum,ad virtutem nihil. Nam & haec viles ex professo artes quae manu cōstant, ad instrumenta vitae plurimum conferunt, tamen ad virtutem non pertinent. Quare ergo liberalibus studiis filios erudimus? Non quia virtutem dare possunt,sed quia animum ad accipiendam virtutem praeparant. Quemadmodum prima illa,vt annqui vocabant, litteratura,per quam pueris elementa traduntur,non docet liberales artes, sed mox percipiēdis locum parat:sic liberales artes non perducunt animum ad virtutē,sed expediunt. Quattuor ait esse Posidonius artiū genera. Sunt vulgares & sordidae, sunt ludicrae, sunt pueriles, sunt liberales. Vulgares opificum,quae manu constant, & ad instruendam vitam occupatae sunt:in quibus nulla decoris,nulla honesti simulatio est. Ludicrae sunt,quae ad voluptatem oculorum atque aurium tendunt. His annumeres licet machinatores,qui [16] pegmata per se surgentia excogitant, & tabulata tacite in sublime crescentia,& alias ex inopinato voluptates,aut dehiscentibus quae cohaerebant, aut his quae distabant sua sponte coeuntibus, aut his quae eminebant,paulatim in se residentibus.[e] His imperitorum feriuntur oculi, omnia subita (quia causas non nouere) mirantium.[f] Pueriles sunt, & aliquid habentes liberalibus simile,hae [17] artes quas ἐγκυκλίους Graeci,nostri liberales vocant. Solae autem liberales sunt, immo(vt dicam verius) liberae,quibus curae virtus est. Quemadmodum,inquit, est aliqua pars philosophiae naturalis,[g]est aliqua moralis,est aliqua rationalis;sic & haec quoque liberalium artium turba locū sibi in philosophia vindicat. Cum ventum est ad naturales quaestiones,geometriae testimonio statur. Ergo eius quam adiuuat,pars est? Multa adiuuāt nos, nec ideo partes nostrae sunt:immo si partes essent, non adiuuarent. Cibus adiutorium corporis, nec tamen pars est.[h] Aliquid nobis praestat geometriae ministeriū. Sic philosophiae necessaria est, quomodo ipsi faber: sed nec hic geometriae pars est, nec illa philosophiae. Praeterea vtraque fines suos habet. Sapiens enim causas naturaliū & quaerit & nouit,quorū numeros mensurasq; geometres persequitur& supputat. Qua ratione cōstent caelestia,quae illis sit vis,quae natura,sapiēs scit:cursus & recursus & obseruationes,per quas descendūt & alleuantur, ac speciem interdum stantium praebent, cū caelestibus stare non liceat, colligit mathematicus. Quae causa in speculo imagines exprimat, scit sapiens. Illud tibi geometer potest dicere,quantū abesse debeat corpus ab imagine,& qualis forma speculi, quales imagines reddat. Magnum esse solem philosophus probabit:quantus sit,mathematicus,qui vsu quodam & exercitatione procedit:sed vt procedat,impētrāda illi quaedam principia sunt. Non est autem ars sui iuris, cui precarium fundamentum est. Philosophia nil ab alio petit, totum opus a solo excitat. Mathematica(vt ita dicam)superficiaria est,in alieno aedificat,aliena accipit principia, quorum beneficio ad vlteriora perueniat: si per se iret ad verū,si totius mundi naturam posset comprehendere,dicerem multum collaturam mentibus nostris quae tractatu caelestium crescunt,trahuntque aliud ex alio. Vna re consummatur animus, scientia bonorum ac malorum immutabili, quae soli philosophiae competit. Nulla autem ars alia de bonis ac malis quaerit. Singulas lubet circumire virtutes. Fortitudo contemptrix timendorum est:terribilia,& sub iugum libertatem nostram mittentia, despicit, prouocat, frangit. Nunquid ergo hanc liberalia studia corroborant? Fides sanctissimum humani pectoris bonum est,nulla necessitate ad fallendum cogitur,nullo corrumpitur praemio. Vre, inquit,caede,occide,non prodam:sed quo magis secreta quaeret dolor,[i] hoc illa altius cōdam. Nūquid liberalia studia hos animos facere possunt? Temperantia voluptatibus imperat:alias odit atque abigit, alias dispēsat, & ad sanū modum redigit,nec vnquā ad illas propter ipsas venit. Scit optimū esse modū cupitorum,non quantum velis, sed quantū debeas, sumere. Humanitas vetat superbum esse aduersus socios,vetat auarum:verbis,rebus,affectibus comem se,facilemque omnibus praestat:nullum alienum malum putat,bonum autem suum id maxime,quod alicui bono futurum est,amat. Nunquid liberalia studia hos mores praecipiunt? non magis quàm simplicitatem, ac modestiam, ac frugalitatem, ac parsimoniam:non magis quàm clementiam,quae alieno sanguini tanquam suo parcit,& scit homini non esse homine prodige vtendum. Cum dicatis,inquit,sine liberalibus studiis ad virtutem non perueniri, quemadmodum negatis illa conferre virtuti? quia nec sine cibo ad virtutem peruenitur, cibus tamen ad virtutē non pertinet. Ligna nihil naui conferunt, quāuis non fiat nauis sine lignis. Non est,inquam,cur aliquid putes eius adiutorio fieri,sine quo nō potest fieri. Potest quidem etiam illud dici,sine liberalibus studiis veniri ad sapientiam posse:quāuis enim virtus discenda sit, tamen non per haec discitur. Quid est autē,quare existimem, non futurum sapientem eum qui litteras nescit: cum sapientia non sit in litteris? Res tradit,non verba:& [18] nescio an certior memoria sit,quae nullum extra se subsidium habet.

Magna & ſpatioſa res eſt ſapientia: vacuo illi loco opus eſt:[k] de diuinis humaniſque diſcendum eſt, de praeteritis, de futuris, de caducis, de aeternis, de tempore: de quo vno vide quã multa quaerantur.[l] Primum, an per ſe ſit aliquid:[m] deinde, an aliquid ante tempus ſit, ſi tempus cum mundo coepit, an & ante mundum quia fuerit aliquid, fuerit & tempus. Innumerabiles quaeſtiones ſunt de animo: vnde ſit, qualis ſit, quando eſſe incipiat, quandiu ſit: an aliunde alio tranſeat, & domiciliũ mutet, ad alias animalium formas, aliaſque coniectus, an non amplius quàm ſemel ſeruiat, & emiſſus vagetur in toto: vtrum corpus ſit, an non ſit: quid ſit facturus, cum per nos aliquid facere deſierit: quomodo libertate ſua vſurus, cum ex hac effugerit cauea: an obliuiſcatur priorum, & illic noſſe ſe incipiat, poſtquam de corpore abductus in ſublime ſeceſſit. Quamcumque partem rerum humanarum diuinarumque cõprehenderis, ingenti copia quaerendorum ac diſcendorum fatigaberis. Haec tam multa, tã magna, vt habere poſſint liberum hoſpitium, ſuperuacua ex animo tollenda ſunt. Non dabit ſe in has anguſtias virtus. Laxum ſpatium res magna deſiderat. Expellantur omnia: totum pectus illi vacet. Atenim delectat artium notitia multarum. Tantum itaque ex illis retineamus, quantum eſt neceſſarium. An tu exiſtimas reprehendendum qui ſuperuacua vſu ſibi comparat, & pretioſarum rerum pompã in domo explicat: non putas eũ qui occupatus eſt in ſuperuacua litterarũ ſupellectile? Plus ſcire velle quàm ſit ſatis, intẽperãtiae genus eſt. Quid, quòd iſta liberaliũ artiũ conſectatio moleſtos, verboſos, intẽpeſtiuos, ſibi placẽtes facit, & ideo non diſcentes neceſſaria, quia ſuperuacua didicerũt? Quatuor millia librorũ Didymus grammaticus ſcripſit:[n] miſer, ſi tam multa ſuperuacua legiſſet. In his libris de patria Homeri quaeritur, in his de AEneae matre vera: in his libidinoſior Anacreon, an ebrioſior vixerit: in his, an Sappho publica fuerit: & alia, quae erant dediſcẽda, ſi ſcires. I nunc & longam eſſe vitã nega. Sed ad noſtros quoq; cũ perueneris, oſtendã multa ſecuribus recidẽda. Magno impẽdio temporũ, magna alienarũ auriũ moleſtia, laudatio haec conſtat: O hominẽ litteratũ. Simus hoc titulo ruſticiore cõtenti: O virũ bonũ. Itane eſt? annales euoluã omniũ gentiũ, & quis prima carmina ſcripſerit, quaerã: quantũ tẽporis inter Orphea interſit & Homerũ, cũ faſtos nõ habeã, cõputabo: & Ariſtarchi notas quibus aliena carmina compũxit, recognoſcã: & aetatẽ in ſyllabis conterã? Itane in geometriae puluere haerebo? Adeo mihi praeceptũ illud ſalutare excidit: Tempori parce? Haec ſciã, vt quid ignorẽ? Appion grãmaticus qui ſub C. Caeſare tota circumlatus eſt Graecia, & in nomen Homeri ab omnibus ciuitatibus adoptatus, aiebat: Homerũ vtraq; materia conſummata, & Odyſſea, & Iliade, principium adieciſſe operi ſuo, quo bellum Troianum complexus eſt. Huius rei argumentũ afferebat, quòd [19] duas litteras in primo verſu poſuiſſet ex induſtria librorũ ſuorum numerũ continentes. Talia ſciat oportet, qui multa vult ſcire.[o] Nunc cogita, quantũ temporis tibi auferat mala valetudo, quantum occupatio publica, quantum occupatio priuata, quantũ occupatio quotidiana, quantum ſomnus. metire aetatem tuam. tam multa non capit. de liberalibus ſtudijs loquor. Philoſophi quantum habent ſuperuacui, quãtum ab vſu recedentis? Ipſi quoque ad ſyllabarum diſtinctiones, & coniunctionũ ac praepoſitionũ proprietates deſcenderunt, & inuidere grãmaticis, inuidere geometris. Quicquid in illorũ artibus ſuperuacuum erat, tranſtulere in ſuam. Sic effectũ eſt, vt diligentius ſciant loqui, quàm viuere. Audi, quantum mali faciat nimia ſubtilitas, & quàm infeſta veritati ſit. Protagoras ait, de omni re in vtranque partem diſputari poſſe, ex aequo: & de hac ipſa, an omnis res in vtramque partem diſputabilis ſit. Nauſiphanes ait, ex his quae videntur eſſe, nihil magis eſſe, quàm non eſſe. [p] Parmenides ait, Ex his quae videntur, nihil eſſe in vniuerſum. Zenon Eleates [q] omnia negotia de negotio deiecit: ait nihil eſſe. Circa eadem fere Pyrrhonij verſantur, [r] & Megarici, & [20] Eretrici, & Academici, qui nouam induxerunt ſcientiam, nihil ſcire. Haec omnia in illum ſuperuacuum ſtudiorum liberalium gregem conijce. Illi mihi non profuturam ſcientiam tradunt, hi ſpem omnis ſcientiae eripiunt. Satius eſt ſuperuacua ſcire, quàm nihil. Illi non praeferunt lumen, per quod acies dirigatur ad verum: hi oculos mihi effodiunt. Si Protagorae credo, nihil in rerũ natura eſt, niſi dubium. Si Nauſiphani, hoc vnum certum eſt, nihil eſſe certi. Si Parmenidi, nihil eſt praeter vnum. Si Zenoni, ne vnum quidem. Quid ergo nos ſumus? quid iſta quae nos circunſtant, alunt, ſuſtinẽt? Tota rerum natura vmbra eſt, aut inanis, aut fallax. Non facile dixerim, vtrum magis iraſcar illis, qui nos nihil ſcire voluerunt: an illis, qui ne hoc quidem nobis reliquerunt, nihil ſcire.

Epiſtola LXXXIX.

REM vtilem deſideras, & ad ſapientiam properanti vtique neceſſariam, diuidi philoſophiam, & ingens corpus eius in mẽbra diſponi. Facilius enim per partes in cognitionẽ totius

totius adducimur. Vtinam quemadmodum vniuersi mundi facies in conspectum venit, ita philosophia tota nobis posset occurrere, [a] simillimum mundo spectaculum. Profectò enim omnes mortales in admirationem sui raperet, relictis his quae nunc magna, magnorũ ignorantia credimus. Sed quia contingere hoc non potest, [b] sic erit a nobis aspicienda, quemadmodum mundi secreta cernuntur. Sapientis quidẽ animus totam molẽ eius amplectitur, nec minus illam velociter obit, quàm caelum acies nostra. Nobis autem, quibus perrumpenda caligo est, & quorũ visus in proximo deficit, singula quaeque ostẽdi facilius possunt, vniuersi nondum capacibus. Faciam ergo quod exigis, & philosophiã io partes, non in frusta, diuidam. Diuidi enim illam, non concidi, vtile est. Nam comprehendere quemadmodum maxima, ita minima, difficile est. Describitur in tribus populus, in centurias exercitus. Quicquid in maius creuit, facilius agnoscitur, si discessit in partes, quas (vt dixi) innumerabiles esse & paruas non oportet. Idem enim vitij habet nimia, quod nulla diuisio. Simile cõfuso est, quicquid vsque in puluerem sectum est. Primum itaque, sicut videtur tibi, dicam, inter sapientiam & philosophiam quid intersit. Sapientia perfectum bonum est mentis humanae. Philosophia sapientiae amor est & affectatio. Haec ostẽdit, quo illa peruenit. Philosophia vnde dicta sit, apparet: ipso enim nomine fatetur. Quidam sapientiã ita finierunt, vt dicerent eam diuinorum & humanorum scientiam. Quidam ita: Sapientia est, nosse diuina & humana, & horũ causas. Superuacua mihi videtur haec adiectio, [c] quia causae diuinorum humanorumque partes sunt. Philosophiã quoque fuerunt, qui aliter atque aliter definirẽt. Alij studium illam virtutis esse dixerunt, alij studium corrigendae mẽtis. A quibusdã dicta est appetitio rectae rationis. [d] Illud quasi constet, aliquid inter philosophiam & sapientiam interesse. Neque enim fieri potest, vt idem sit quod affectatur, & quod affectat. Quomodo multũ inter auaritiam & pecuniã interest, cum illa cupiat, haec cõcupiscatur: sic inter philosophiã & sapientiã. Haec enim illius effectus & praemiũ est. Illa venit, ad hanc itur. Sapiẽtia est, quã Graeci σοφίαν vocant. Hoc verbo quoq; Romani vtebantur, sicut philosophia nunc quoq; vtũtur. Quod & togatae tibi antiquae probabũt, & inscriptus Dossenni monumẽto titulus: *Hospes resiste, & sophiam Dossenni lege.*

Quidam ex nostris, quamuis philosophia studiũ virtutis esset, & haec peteretur, illa peteret, tamen non putauerũt illas distrahi posse. Nam nec philosophia sine virtute est, nec sine philosophia virtus est. Philosophia studium virtutis est, sed per ipsam virtutem. [e] Nec virtus autẽ esse sine studio sui potest, nec virtutis studiũ sine ipsa. Non enim quemadmodum in his qui aliquid ex distanti loco ferire conantur, alibi est qui petit, alibi quod petitur: nec quemadmodum itinera quae ad vrbes perducunt, extra ipsas sunt: [f] ad virtutem venitur per ipsam. Cohaerent ergo inter se philosophia virtusque. Philosophiae tres partes esse dixerũt & maximi, & plurimi auctores: Moralem, Naturalem, & Rationalem. Prima componit animũ, secunda rerum naturam scrutatur, tertia proprietates verborũ exigit, & structuram, & argumentationes, ne pro vero falsa surrepant. Ceterũ inuenti sunt & qui in pauciora philosophiã & qui in plura diducerent. Quidã ex Peripateticis quartã partem adiecerunt, Ciuilẽ: quia quandã propriam exercitationẽ desideret, & circa aliam materiam occupata sit. Quidã adiecerunt his partem, quam Graeci οἰκονομικὴν vocant, administrandae rei familiaris scientiã. Quidam & de generibus vitae locum separauerunt. Nihil autem horum in illa parte morali non reperitur. Epicurei duas partes philosophiae putauerũt esse, Naturalẽ atque Moralem: Rationalem remouerunt. Deinde cum ipsis rebus cogerentur ambigua secernere, falsa sub specie veri latentia coarguere, ipsi quoque locum, quẽ [1] de iudicio, & regula appellant, alio nomine rationalem induxerunt: [g] sed eam accessionem esse naturalis partis existimant. Cyrenaici naturalia cum rationalibus sustulerunt, & contenti fuerunt moralibus. Sed hi quoque quae remouent, aliter inducunt. In quinque enim partes moralia diuidunt: vt vna sit de fugiendis & expetendis, altera de affectibus, tertia de actionibus, quarta de causis, quinta de argumentis. Causae rerum ex naturali parte sunt, argumenta ex rationali, actiones ex morali. Aristo Chius non tantũ superuacuas esse dixit naturalem & rationalem, sed etiã contrarias. Moralem quoque, quam solam reliquerat, circũcidit. Nam cum locum qui monitiones continet, sustulit, & paedagogi esse dixit, non philosophi: tanquã quicquam aliud sit sapiẽs, quàm humani generis paedagogus. Ergo cũ tripertita sit philosophia, moralem eius partem primum incipiamus disponere. Quam in tria rursus diuidi placuit: vt prima esset inspectio suũ cuique distribuens, & aestimans quanto quidque dignũ sit, maxime vtilis. Quid enim est tam necessarium, quàm pretia rebus imponere? Secũda de impetu: tertia de actionibus. Primum enim est, vt quanti quidque sit, iudices. Secundum, vt impetum ad illa capias ordinatum temperatumque. Tertium, vt inter impetum tuum, actionemque conueniat, vt in

omnibus istis tibi ipsi consentias. Quicquid ex his tribus defuerit, turbat & cetera. Quid enim prodest, intus aestimata habere omnia, si sis impetu nimius? Quid prodest impetus repressisse, & habere cupiditates in tua potestate, si in ipsa rerum actione tempora ignores, nec scias quando quidquê, & vbi, & quemadmodum agi debeat? Aliud est enim, dignitates & pretia rerũ nosse: aliud articulos: aliud impetus refraenare, & ad agenda ire, non ruere. Tunc ergo vita sibi concors est, vbi actio non destituit impetum. Impetus ex dignitate rei cuiusque concipitur, perinde remissus acriorve, prout illa digna est peti. Naturalis pars philosophiae in duo scinditur: Corporalia, & incorporalia. Vtraque diuidũtur in suos, vt ita dicam, gradus. Corporum locus in hos primũ, in ea quae faciunt, & quae ex his gignuntur. Gignũtur autem elementa.[h] Ipse elementi locus, vt quidam putant, simplex est: vt quidam, in materiam & causam omnia mouentem, & elementa diuiditur. Superest vt rationalem partem philosophiae diuidamus. Omnis oratio aut continua est, aut inter respondentem & interrogantem diuisa.[i] [l] Hanc διαλεκτικὴν, illam ῥητορικὴν placuit vocari. Haec verba curat, & sensus, & ordinem.[k] διαλεκτικὴ in duas partes diuiditur: in verba, & significationes: id est, in res quae dicuntur, & vocabula quibus dicuntur. Ingens deinde sequitur vtriusque diuisio. [l] Itaque hoc loco finem faciam:

— *Et summa sequar fastigia rerum.*

Alioqui si voluero facere partium partes, quaestionum liber fiet. Haec, Lucili virorum optime, quo minus legas nõ deterreo: dummodo quicquid legeris, ad mores statim referas. Illos compesce, marcentia in te excita, soluta constringe, contumacia doma, cupiditates tuas, publicasque quantum potes vexa: & istis dicentibus, Quousque eadem? responde, Ego debeo dicere, Quousque eadem peccabitis? Remedia ante vultis, quàm vitia desinere. ego vero eo magis dicam, & quia recusatis, perseuerabo. Tunc incipit medicina proficere, vbi in corpore alienato dolorem tactus expressit. Dicam etiam inuitis profutura. Aliquando aliqua ad vos non blanda vox veniet: & quia verum singuli audire non vultis, publice audite. Quousque fines possessionũ propagabitis? Ager vni domino, qui populum cepit, angustus est.[m] Quousque arationes vestras porrigetis, ne prouinciarum quidem satione contenti circumscribere praediorum modum? Illustrium fluminum[n] per priuatum decursus, & amnes magni, magnarumque gentium termini, vsque ad ostium a fonte, vestri sunt. Hoc quoque parum est, nisi latifundiis vestris maria cinxistis,[o] nisi trans Hadrianum, & Ionium, AEgaeũque vester villicus regnet. Nisi insulae, ducum domicilia magnorum, inter vilissima rerum numerentur.[p] Quàm vultis, late possidete. Sit fundus, quod aliquando imperium vocabatur. Facite vestrum quicquid potestis, dum plus sit alieni. Nunc vobiscum loquor, quorum aeque spatiose luxuria, quàm illorum auaritia diffunditur. Vobis dico; quousque nullus erit lacus, cui non villarum vestrarum fastigia immineant? nullum flumen, cuius non ripas aedificia vestra praetexant? Vbicunque scatebunt aquarum calentium venae, ibi noua diuersoria luxuriae excitabuntur. Vbicunque in aliquem sinum littus curuabitur, vos protinus fundamenta iacietis,[q] nec contenti solo, nisi quod manu feceritis, maria agetis introrsus. Omnibus licet locis tecta vestra splendeant, alicubi imposita montibus, in vastum terrarum marisque prospectum, alicubi ex plano in altitudinem montium educta, cum multa aedificaueritis, cum ingentia, tamen & singula corpora estis, & paruula. Quid prosunt multa cubicula? In vno iacetis. Non est vestrum, vbicunque non estis. Ad vos deinde transeo, quorum profunda & insatiabilis gula, hinc maria scrutatur, hinc terras. Alia hamis, alia laqueis, alia retium variis generibus cum magno labore persequitur. Nullis animalibus, nisi ex fastidio, pax est.[r] Quantulum enim ex istis epulis, quae per tot comparatis manus, fesso voluptatibus ore libatis? Quantulum ex ista fera periculose capta, dominus crudus ac nauseans gustat? Quantulum ex tot conchyliis, tam longe aduectis, per istum stomachum inexplebilem labitur? Infelices etiam, quòd non intelligitis, vos maiorem famem habere, quàm ventrem. Haec aliis dic: vt dum dicis, audias ipse. Scribe: vt dum scripseris, legas: omnia ad mores, & ad sedandam rabiem affectuum referens. Stude, non vt plus aliis scias, sed vt melius.

Epistola XC.

QVIS dubitare, mi Lucili, potest, quin Deorum immortalium munus sit, quòd viuimus:[a] philosophiae, quòd bene viuimus? Itaque tanto plus nos debere huic, quã Diis, quãto maius beneficium est bona vita, quàm vita?[b] pro certo deberetur, nisi ipsam Dij philosophiam tribuissent:[c] cuius scientiã nulli dederunt, facultatẽ omnibus. Nam si hanc quoq; bonũ vulgare fecissent, & prudentes nasceremur,[d] sapientia quod in se optimũ habet perdidisset, quòd inter fortuita nõ est. Nunc enim hoc in illa pretiosum atq; magnificũ est, quòd nõ obuenit, quòd illam sibi quisque debet, quòd non ab alio petitur. Quid haberes, quod in

philosophia

philosophia suspiceres, si beneficiaria res esset? Huius opus vnum est, de diuinis humanisque verum inuenire: ab hac nunquam recedit iustitia, pietas, religio, & omnis alius comitatus virtutum consertarum, & inter se cohaerentium. Haec docuit colere diuina, humana diligere, & penes Deos imperium esse, & inter homines consortium: quod aliquandiu inuiolatum mansit, antequam societatem auaritia distraxit, & paupertatis causa etiam his quos fecit locupletissimos, fuit. Desierunt enim omnia possidere, dum volunt propria. Sed primi mortalium, quique ex his geniti, naturam incorrupti sequebantur, eundem habebant & ducem, & legem, commissi melioris arbitrio. Naturae est enim, potioribus deteriora submittere. Mutis quidem gregibus aut maxima corpora praesunt, aut vehemẽtissima. Non praecedit armenta degener taurus, sed qui magnitudine ac totis ceteros mares vicit. Elephantorum gregem excelsissimus ducit. Inter homines pro summo est optimus. Animo itaque rector eligebatur. Ideoque summa felicitas erat gentium: in quibus non poterat potentior esse, nisi melior. Tantum enim quantum vult potest, qui se nisi quod debet, non putat posse. Illo ergo saeculo quod aureum perhibetur, penes sapientes fuisse regnum Posidonius iudicat. Hi continebant manus, & infirmiores a validioribus tuebantur. Suadebant, dissuadebantque, & vtilia atque inutilia monstrabant. Horum prudentia, ne quid deesset suis, prouidebat. Fortitudo arcebat pericula, beneficentia augebat, ornabatque subiectos. officium erat imperare, non regnum. Nemo quantum posset aduersus eos experiebatur, per quos coeperat posse. Nec erat cuiquam aut animus in iniuriam, aut causa: cum bene imperanti bene pareretur, nihilque rex maius minari male parentibus posset, quàm vt abiret e regno. Sed postquam surrepentibus vitijs, in tyrannidem regna versa sunt, opus esse coepit legibus, quas & ipsas inter initia tulere sapientes. Solon, qui Athenas aequo iure fundauit,[e] inter septem aeui sapientia notos. Lycurgum si eadem aetas tulisset, sacro illi numero accessisset octauus. Zaleuci leges Charondaeque laudantur. Hi non in foro, nec in consultorum atrio, sed in Pythagorae tacito illo sanctoque secessu didicerunt iura, quae florenti tunc Siciliae, & per Italiam Graeciae ponerent. Hactenus Posidonio assentior: artes quidem a philosophia inuentas, quibus in quotidiano vsu vita vtitur, non concesserim,[f] nec illam fabricae asseram gloriam. Illa, inquit, sparsos & casulis tectos, aut aliqua rupe suffossa, aut exesae arboris trunco, docuit tecta moliri. Ego vero philosophiam iudico, non magis excogitasse has machinationes tectorum supra tecta surgentium, & vrbes prementium, quàm viuaria piscium in hoc clausa, vt tempestatum pericula non adiret gula, & quamuis acerrime pelago saeuiente, haberet luxuria portus suos, in quibus distinctos piscium greges saginaret. Quid ais? Philosophia docuit homines habere clauem & seram? & quid aliud erat, auaritiae signum dare? Philosophia haec cum tanto habitantium periculo imminentia tecta suspendit? Parum enim erat fortuitis tegi, & sine arte & difficultate naturale sibi inuenire aliquod receptaculum. Mihi crede, felix illud saeculum[g] ante architectonas fuit. Ista nata sunt, iam nascente luxuria, in quadratum tigna decidere,[h] & ferro per designata currente, certa manu trabem scindere.

Nam primi cuneis scindebant fissile lignum.

[i] Non enim tecta coenationum epulas receptura parabantur: nec in hunc vsum pinus aut abies deferebatur longo vehiculorum ordine, vicis intrementibus, vt ex illa lacunaria auro grauia penderent. Furcae vtrinque suspensae fulciebant casam: spissatis ramalibus, ac fronde congesta,[k] & in procliue disposita, decursus imbribus quamuis magnis erat. Sub his tectis habitauere securi. Culmus liberos texit. Sub marmore atque auro seruitus habitat. In illo quoque dissentio a Posidonio, quòd ferramenta fabrilia excogitata à sapientibus vitis iudicat. Isto enim modo dicat licet, sapientes, per quos

Tunc laqueis captare feras, & fallere visco
Inuentum, & magnos canibus circundare saltus.

Omnia enim ista sagacitas hominum, non sapientia inuenit. In hoc quoque dissentio sapiẽtes fuisse, qui ferri metalla & aeris inuenerunt, cum incendio siluarum adusta tellus[l] in summo venas iacentes liquefacta fudisset.[m] Ista tales inueniunt, quales colunt. Nec illa quidem tam subtilis quaestio mihi videtur, quàm Posidonio: Vtrum malleus in vsu esse prius, an forcipes coeperint. Vtraque inuenit aliquis exercitati ingenij, acuti, non magni, nec elati, & quicquid aliud corpore incuruato[n] & humum spectante quaerendum est. Sapiens facilis victu fuit. Quid ni, cum hoc quoque saeculo esse quàm expeditissimus cupiat? Quomodo oro te conuenit,[o] vt Diogenem mireris, & Talum? Vter ex his sapiens tibi videtur, qui serram commentus est: an ille, qui cum vidisset puerum caua manu bibentem aquam, fregit protinus exemptum e perula calicem, hac obiurgatione sui: Quàm diu homo stultus

superuacuas sarcinas habui? qui se complicuit in dolio, & in eo cubitauit? Hodie vtrum tãdem sapientiorem putas, qui inuenit quemadmodum in immensam altitudinem crocum latentibus fistulis exprimat, qui Euripos subito aquarum impetu implet, aut siccat, versatilia coenationum laquearia ita coagmentat, vt subinde alia facies atque alia succedat, & toties tecta, quoties fercula mutentur: an eum, qui & aliis & sibi hoc monstrat, quàm nihil nobis natura durum ac difficile imperauerit? Posse nos habitare sine marmorario fabro, posse nos vestitos esse sine commercio Serum, posse nos habere vsibus nostris necessaria, si contenti fuerimus his quae terra posuit in summo? [u] Quae si audire humanum genus voluerit, tam superuacuum sciet sibi coquum esse, quàm militem. Illi sapientes fuerunt, aut certe sapientibus similes, quibus expedita erat tutela corporis. Simplici cura constant necessaria [x] in delicias laboratur. Non desiderabis artifices, si sequere naturam: illa noluit esse districtos: ad quaecunq; nos cogebat, instruxit. Frigus intolerabile est corpori nudo. Quid ergo? Nunquid non pelles ferarum & aliorum animalium a frigore satis abundeque defendere queunt? Non corticibus arborum plaeraeque gentes tegunt corpora? Non auium plumae in vsum vestis conseruntur? Non hodieque magna Scytharum pars, tergis vulpium induitur ac murium, quae tactu mollia, & impenetrabilia ventis sunt? Opus est tamen calorem solis aestiui vmbra crassiore propellere. Quid ergo? Non vetustas multa abdidit loca, quae vel iniuria temporis, vel alio quolibet casu excauata in specum recesserunt? Quid ergo? Non quamlibet virgeam cratem texuerunt manu, & vili obleuerunt luto, deinde stipula alijsque siluestribus operuere fastigium, & pluuijs per deuexa labentibus, hiemem transiere securi? Quid ergo? Non in defosso latent Syrticae gentes? quibus propter nimios solis ardores, nullum tegumentum satis repellendis caloribus solidum est, nisi ipsa arens humus. Non fuit tam inimica natura, vt cum omnibus alijs animalibus [z] facilem actum vitae daret, homo solus non posset sine tot artibus viuere. Nihil horum ab illa nobis imperatum est, nihil aegre quaerendum vt possit vita produci. Ad parata nati sumus: nos omnia nobis difficilia facilium fastidio fecimus. Tecta tegumentaque, & fomenta corporum, & cibi, & quae nunc ingens negotium facta sunt, obuia erant, & gratuita, & opera leui parabilia. Modus enim omnium, prout postulabat necessitas, erat: [a] nos ista pretiosa, nos mira, nos magnis multisq; conquirenda artibus fecimus. Sufficit ad id natura quod poscit. A natura luxuria desciuit, quae quotidie seipsam incitat, & tot saeculis crescit, & ingenio adiuuat vitia. Primo superuacua coepit concupiscere, inde contraria, nouissime corpori animum addixit, & illius deseruire libidini iussit. Omnes istae artes, quibus aut excitatur ciuitas, aut strepit, corporis negotium gerunt: cui omnia olim tanquam seruo praestabantur, nunc tanquam domino parantur. [b] Itaque hinc textorum, hinc fabrorum officinae sunt, hinc odores coquẽtium, hinc molles corporis motus docentium mollesque cantus & infractos. Recessit enim ille naturalis modus, desideria ope necessaria finiens. Iam rusticitatis & miseriae est, velle quantum sat est. Incredibile est, mi Lucili, quàm facile etiam magnos viros dulcedo orationis abducat a vero. Ecce Posidonius, vt mea fert opinio, vnus ex ijs qui plurimum philosophiae contulerunt, dum vult describere primum, quemadmodum alia torqueantur fila, alia ex molli solutoque ducantur: deinde quemadmodum tela suspensis ponderibus rectum stamen extendat, quemadmodum subtemen insertum, quod duritiam vtrinq; comprimentis tramae remolliat, [c] spata coire cogantur, & iungi, [d] textricum quoque artem a sapientibus dixit inuentam, oblitus postea repertum hoc subtilius genus, in quo

Tela iugo iuncta est, stamen secernit arundo.
Inseritur medium radiis subtemen acutis,
[e] *Quod lato feriunt insecti pectine dentes.*

Quid si contigisset illi videre has nostri temporis telas, quibus vestis nihil celatura conficitur, in qua non dico nullum corpori auxilium, sed nullum pudori est? Transit deinde ad agricolas, nec minus facunde describit [f] proscissum aratro solum, & iteratum, quo solutior terra facilius pateat radicibus: tum sparsa semina, & collectas manu herbas, ne quid fortuitum & agreste succrescat, quod necet segetem. Hoc quoque opus ait esse sapientium: tanquam non nunc quoque plurima cultores agrorum noua inueniant per quae fertilitas augeatur. Deinde non est contentus his artibus, sed in pistrinum sapientem submittit. Narrat enim quemadmodum rerum naturã imitatus panem coepit facere. Receptas, inquit, in os fruges, concurrẽs inter se duritia dentiũ frangit, & quicquid excidit, ad eosdẽ dentes lingua refertur: tunc vero saliuae miscetur, vt facilius per fauces lubricas transeat. Cum peruenit in ventrẽ, aqualiculi feruore concoquitur, tunc demũ corpori accedit. Hoc aliquis secutus exẽplar, lapidem asperum aspero imposuit, ad similitudinem dentium, quorum pars immobilis motum

motum alterius expectat. Deinde vtriusque attritu grana franguntur,[a] & saepius teretuntur, donec ad minutiam frequenter trita redigantur. Tunc farinam aqua sparsit, & assidua tractatione perdomuit, finxitque panem: quem primo cinis calidus, & feruens testa percoxit. Deinde furni paulatim reperti, & alia genera, quorum feruor seruiret arbitrio. Non multum abfuit, quin sutrinum quoque inuentum a sapientibus diceret. Omnia ista ratio quidem, sed non recta ratio commenta est. Hominis enim, non sapientis inuenta sunt, tam mehercules quàm nauigia, quibus amnes, quibusque maria transimus, aptatis ad excipiendum ventorũ impetũ velis, & additis a tergo gubernaculis, quae huc atque illuc cursum nauigij torqueãt: & exemplum a piscibus tractum est, qui cauda reguntur, & leui eius in vtrunque momento velocitatem suam flectunt.[a] Omnia haec quidem, inquit, sapiens inuenit: sed minora, quàm vt ipse tractaret, sordidioribus ministris dedit. Immo non ab aliis excogitata ista sunt, quàm a quibus hodieque curantur. Quaedam nostra demum prodisse memoria scimus: vt specularioru m vsum, perlucente testa, clarum transmittentium lumen: vt suspensuras balneorum, & impressos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima simul & summa foueret aequaliter. Quid loquar marmora, quibus templa, quibus domus fulgent? Quid lapideas moles in rotundum ac leue formatas, quibus porticus & capacia populorum tecta suscipimus? Quid verborum notas, quibus quamuis citata excipitur oratio, & celeritatem linguae manus sequitur? Vilissimorum mancipiorum ista commenta sunt. Sapientia altius sedet, nec manus edocet, animorum magistra est. Vis scire, quid illa eruerit, quidve effecerit? Non indecoros corporis motus, nec varios per tubam ac tibiam cãtus, quibus exceptus spiritus, aut in exitu, aut in transitu formatur in vocem: non arma, nec muros, nec bella. Vtilia molitur, paci fauet, & genus humanum ad concordiam vocat. Non est inquam instrumentorum ad vsus necessarios opifex. Quid illi tam paruula assignas? Artificem vides vitae. alias quidem artes sub dominio habet. Nam cui vita, illi vitae quoque ornamenta seruiunt. Ceterum ad beatum statum tendit, illo ducit, illo vias aperit. Quae sint mala, quae videantur, ostendit: vanitatem exuit mentibus, dat magnitudinem solidam: inflatam vero, & ex inani speciosam reprimit: nec ignorari sinit, inter magna quid intersit & tumida: totius naturae notitiã, ac suae tradit. Quid sint dij, qualesque, declarat: quid inferi, quid lares & genij. Quid in secundam numinum sortem animae perpetuae, vbi consistant, quid agant, quid possint, quid velint. Haec eius initiamenta sunt, per quae non municipale sacrum, sed ingens omniũ deorum templũ mundus iste reseratur: cuius vera simulacra, verasque facies cernendas mẽtibus protulit: nam ad spectacula tam magna hebes visus est. ad initia deinde rerum redit, & aeternam rationem toti inditam, & vim omnium seminum singula proprie figurãtem. Tum de animo coepit inquirere, vnde esset, vbi, quamdiu, in quot mẽbra diuisus.[b] Deinde a corporalibus se ad incorporalia transtulit, veritatemque & argumenta eius excussit. Post haec, quemadmodum discernerentur vitae ac necis ambigua. In vtraque enim falsa veris immixta sunt. Non abduxit, inquam, se, vt Posidonio videtur, ab istis artibus sapiens, sed ad illas omnino non venit. Nihil enim dignum inuentu iudicasset, quod non erat dignum perpetuo vsu iudicaturus. ponenda non sumeret. Anacharsis, inquit, inuenit rotam figuli, cuius circuitu vasa formantur. Dein quia apud Homerum inuenitur figuli rota, mauult videri versus falsos esse, quàm fabulam. Ego nec Anacharsin huius rei fuisse auctorem contendo: & si fuit, sapiens quidem hoc inuenit, sed non tanquam sapiens: sicut multa sapientes faciunt,[c] qua homines sunt, non qua sapientes. Puta velocissimum esse sapientem:[d] cursu omnes anteibit, qua velox est, non qua sapiens. Cuperem Posidonio[e] aliquem vitrarium ostendere, qui spiritu vitrum in habitus plurimos format,[f] qui vix diligenti manu effingerentur. Haec inuenta sunt, postquam sapientem inuenire desiuimus. Democritus, inquit, inuenisse dicitur fornicem, vt lapidum curuatura paulatim inclinatorum medio saxo alligaretur. Hoc dicam falsum esse. Necesse est enim ante Democritum & pontes & portas fuisse, quarum fere summã curuantur. Excidit porro vobis eundem Democritum inuenisse,[g] quemadmodum ebur poliretur, quemadmodum decoctus calculus in smaragdum conuerteretur, qua hodieque coctura inuenti lapides coctiles colorantur. Ista sapiens licet inuenerit,[h] non qua sapiens erat, inuenit. Multa enim facit, quae ab imprudentissimis aut aeque fieri videmus, aut peritius, aut exercitatius. Quid sapiens inuestigauerit, quid in lucem protraxerit, quaeris? Primum verã naturam, quam non vt cetera animalia oculis secutus est, tardis ad diuina. Deinde vitae legem, quam ad vniuersa direxit: nec nosse tantum, sed sequi docuit deos, & accidentia non aliter excipere, quàm imperata. Vetuit parere opinionibus falsis, & quanti quidque esset, vera aestimatione perpendit: damnauit mixtas paenitẽtiae voluptates. Et bona semper placitura laudauit, & palam fecit, felicissimum esse, cui felicitate opus nõ est: potentissimum esse,

qui se habet in potestate. Non de ea philosophia loquor, quae ciuem extra patriam posuit, extra mundum deos, quae virtutem donauit voluptati: [i] sed de illa, quae nullum bonum putat, nisi quod honestum est, quae nec hominis, nec fortunae muneribus deleniri potest: cuius hoc pretium est, non posse pretio capi. Hanc philosophiam fuisse illo rudi saeculo, quo adhuc artificia deerant, & ipso vsu discebât vtilia, non credo: sicut ante fortunata tempora, cum in medio iacerent beneficia narurae promiscue vtenda, antequam auaritia atque luxuria dissociauere mortales, & ad rapinam ex consortio discurrere, oon erant illi sapientes viri, etiam si faciebant facienda sapientibus. Statum quidem generis humani, non alium quisquam suspexerit magis: nec si cui permittat Deus terrena formare, & dare gentibus mores, aliud probauerit, quàm quod apud illos fuisse memoratur, apud quos nulli subigebant arua coloni,

Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quaerebant, ipsaque tellus
Omnia liberius, nullo poscente, ferebat.

Quid hominum illo genere felicius? In commune rerum natura fruebantur: sufficiebat illa vt parens in tutelam omnium: haec erat publicarum opum secura possessio. Quid ni ego illud locupletissimum mortalium genus dixerim, in quo pauperem inuenire non posses? Irrupit in res optime positas auaritia: & dum seducere aliquid cupit, atque in suum vertere, omnia fecit aliena, & in angustû ex immenso redacta, paupertatem intulit, & multa concupisceodo, omnia amisit. Licet itaque velit nunc concurrere & reparare quod perdidit, licet agros agris adiiciat, vicinum vel pretio pellat agris, vel iniuria, licet in prouinciarum spatium rura dilatet, & possessionem vocet, per sua longam peregrioationem, nulla nos finium propagatio eo reducet, vnde discessimus. Cum omnia fecerimus, multum habebimus. Vniuersum babebamus. Terra ipsa fertilior erat illaborata, & in vsus populorum oon diripientium larga. Quicquid natura ptorulerat, id non minus inuenisse, quàm inueotum monstrare alteri, voluptas erat: nec aut vlli supetare poterat, aut deesse. inter concotdes diuidebatur. Nondum valentior imposuerat infirmiori manum, nondum auarus abscondendo quod sibi iaceret, alium necessariis quoque excluserat. Par erat alterius ac sui cura. Arma cessabant, incruentaeque humano sanguine manus, odium omne in feras verterant. Illi quos aliquod nemus densum a sole protexerat, qui aduersus saeuitiam biemis, aut imbris, vili receptaculo tuti sub fronde viuebant, placidas transigebant sine suspirio noctes. Sollicitudo nos in nostra purpura versat, & acerrimis excitat stimulis: mollem somnum illis dura tellus dabat. Nô impendebant caelata laquearia: sed in aperto iacentes sidera superlabebantur, & insigne spectaculum noctium, mundus in praeceps agebatur, silentio tantum opus ducens: [k] tam interdiu illis quàm noctu patebat prospectus huius pulcherrimae domus. Libebat intueri signa, ex media caeli parte vergentia, rursus ex occulto alia surgentia. Quid ni iuuaret vagari inter tam late sparsa miracula? At vos ad omnem tectorum pauetis sonum, & inter picturas vestras si qoid increpuit, fugitis attoniti. Non habebant domos instar vrbium. Spintus ac liber inter aperta flatus, & leuis vmbra rupis aut arboris, & perlucidi fontes, riuique nô opere, nec fistula, nec vllo coacto itioere obsolefacti, sed sponte currentes, & prata sine arte formosa, inter haec agreste domicilium, rustica positum manu. Haec erat secundum oaturam domus, in qua libebat habitare, nec ipsam, nec pro ipsa timentem. Nunc magna pars oostri metus, tecta sunt. Sed quamuis egregia illis vita fuerit, & carens fraude, non fuere sapiêtes, quando hoc iam in opere maximo nomen est. Non tamen negauerim fuisse alti spiritus viros, [l] &, vt ita dicam, a diis recentes. Neque enim dubium est, quin meliora mundus nondû effetus ediderit. Quemadmodum autem omnibus indoles fortior fuit, & ad labores paratior: ita non erant ingenia omnibus consummata. Non enim dat natura virtutem. Ars est, bonum fieri. Illi quidem nô aurum, nec argentum, nec perlucidos lapides ima terrarum faece quaerebant, parcebantque adhuc etiam mutis animalibus: tantum aberat, vt homo hominem non iratus, non timens, tantum spectaturus occideret. Nondum vestis illis erat picta, nondum texebatur aurum, adhuc non eruebatur. Quid ergo? Ignorantia rerum innocentes erant. Multùm autem interest, vtrum peccare aliquis nolit, an nesciat. Deerat illis iustitia, deerat prudentia, deerat temperantia ac fortitudo. Omnibus his virtutibus habebat similia quaedam rudis vita. Virtus noo contingit animo, nisi instituto & edocto, & ad summum assidua exercitatione perducto. Ad hoc quidem, sed sine hoc nascimur: & in optimis quoque antequam erudias, virtutis materia, noo virtus est.

Epistola

Epistola XCI.

LIBERALIS noster nunc tristis est, nuntiato incendio, quo Lugdunensis colonia exusta est. Mouere hic casus quemlibet posset, nedum hominem patriae suae amantissimum. Quae res efficit, vt firmitatem animi sui quaerat, quam videlicet ad ea quae timeri posse putabat, exercuit. Hoc vero tam inopinatum malum, paene inauditum, non miror si sine metu fuit, cum esset sine exemplo. Multas enim ciuitates incendium vexauit, nullam abstulit. Nam etiam vbi hostili manu in tecta ignis immissus est, multis locis deficit: & quamuis subinde excitetur, raro tamen sic cuncta depascitur, vt nihil ferro relinquat. Terratum quoque vix vnquam tam grauis & perniciosus fuit motus, vt tota oppida euerteret. Nunquam denique tam infestum vlli exarsit incendium, vt nihil alteri superesset incendio. Tot pulcherrima opera quae singula illustrare vrbes singulas possent, vna nox strauit, & in tanta pace, quantum ne bello quidem timeri potest, accidit. Quis hoc credat? vbique armis quiescentibus, cum toto orbe terrarum diffusa securitas sit,[a] Lugdunum quod ostendebatur in Gallia, quaeritur. Omnibus fortuna quos publice afflixit, quod passuri erant, timere permisit. Nulla res magna non aliquod habuit ruinae suae spatium. In hac vna nox interfuit inter vrbẽ maximam & nullam. Denique diutius illam tibi perisse, quàm periit, narro. Haec omnia Liberalis nostri affectum inclinant, aduersus sua firmum & erectum. nec sine causa concussus est. Inexpectata plus aggrauant. Nouitas adiicit calamitatibus pondus. Nec quisquam mortalium non magis quod etiam miratus est, doluit. Ideo nihil nobis improuisum esse debet. In omnia praemittendus est animus: cogitandumque, non quicquid solet, sed quicquid potest fieri. Quid enim est, quod non fortuna cum voluit, & florentissimo detrahat? quod non eo magis aggrediatur & quatiat, quo speciosius fulget? Quid illi arduum, quidve difficile est? Non vna via semper, ne tota quidem incurrit. Modo nostras in nos manus aduocat, modo suis contenta viribus, inuenit pericula sine auctore. nullũ tempus exceptum est. in ipsis voluptatibus causae doloris oriũtur. Bellum in media pace consurgit, & auxilia securitatis in metum transeunt. Ex amico inimicus, hostis ex socio. In subitas tempestates, hibernisque maiores agitur aestiua tranquillitas. Sine hoste patimur hostilia: & cladis causas, si alia deficiunt, nimia sibi felicitas inuenit. Inuadit temperatissimos morbus,[b] validissimos phthisis, innocentissimos poena, secretissimos tumultus. Eligit aliquid noui casus, per quod velut oblitis vires suas ingerat. Quicquid longa series multis laboribus, multa Dei indulgentia struxit, id vnus dies spargit ac dissipat. Longam moram dedit malis properantibus,[c] qui diem dixit, horam, momentumque temporis, euertendis imperiis sufficere. Esset aliquod imbecillitatis nostrae solatium, rerumque nostrarũ;[d] si tanta celeritate repararentur cuncta, quanta finiuntur. Nunc incrementa lente exeunt, festinatur in damnum: nihil priuatim, nihil publice stabile est: tam hominum quàm vrbium fata voluuntur. Inter placidissima terror existit, nihilque extra tumultuantibus causis, mala vnde minime expectabantur, erũpunt. Quae domesticis bellis steterant regna, quae externis, impellente nullo ruunt. Quota quaeque felicitatem ciuitas pertulit? Cogitanda ergo sunt omnia, & animus aduersus ea quae possunt euenire, firmandus. Exilia, tormenta, bella, morbos, naufragia meditare. Potest te patriae, potest patriam tibi casus eripere: potest te in solitudinem abiicere, potest hoc ipsum in quo turba suffocatur, fieri solitudo. Tota ante oculos sortis humanae condicio ponatur: nec quãtum frequenter euenit, sed quantũ plurimum potest euenire, praesumamus animo, si nolumus opprimi, nec vllis inusitatis velut nouis obstupefieri. In plenum cogitanda fortuna est. Quoties Asiae, quoties Achaiae vrbes vno tremore ceciderunt? quot oppida in Syria? quot in Macedonia deuorata sunt? Cyprum quoties vastauit haec clades? Quoties in se Paphus corruit? Frequenter nobis nuntiati sunt totarum vrbiũ interitus: & nos, inter quos frequenter ista nuntiantur, quota pars omnium sumus? Consurgamus itaque aduersus fortuita: & quicquid inciderit, sciamus non esse tam magnũ, quàm rumore iactetur. Ciuitas arsit opulenta,[e] ornamentumque prouincialium, quibus & inserta erat, & excepta, vni tamen imposita, & huic non altissimo monti. Omnium istarũ ciuitatum, quas nunc magnificas ac nobiles audis, vestigia quoque tempus eradet. Non vides, quemadmodum in Achaia clarissimarum vrbium iam fundamenta consumpta sint, nec quicquam extet, ex quo appareat illas saltem fuisse? Non tantũ manufacta labuntur, non tantum humana arte atque industria posita vertit dies. Iuga montiũ diffluunt, totae desedere regiones. Operta sunt fluctibus, quae procul a conspectu maris stabant. Vastauit ignis colles, per quos elucebat: erosit & quõdam altissimos vertices, solatia nauigantium,[f] ac speculas, ad humilem arenam deduxit. Ipsius naturae opera vexantur. & ideo aequo animo ferre debemus vrbium excidia. Casura omnia extant:[g] omnibus exitus manet:[h] siue interna vi flatuque praeclusi venti, pondus, sub quo

tenentur, excusserint: [i] siue torrentium in abdito vis obstantia effregerit: siue flammarum violentia compaginem soli ruperit: siue vetustas, a qua nihil tutum est, expugnauerit minutatim: siue grauitas caeli eiecerit populos, & situs deserta corruperit. Enumerare omnes fatorum vias, longum est. Hoc vnum scio. omnia mortalium opera, mortalitate damnata sunt: inter peritura viuimus. Haec ego atque eiusmodi solatia admoueo Liberali nostro, incredibili quodam patriae suae amore flagranti: quae fortasse consumpta est, vt in melius excitaretur. Saepe maiori fortunae locum fecit iniuria. Multa ceciderunt, vt altius surgerent, & in maius. [i] Timagenes [k] felicitati vrbis inimicus aiebat, Romae sibi incendia ob hoc vnum dolori esse, quòd sciret meliora resurrectura quàm arsissent. In hac quoque vrbe verisimile est certaturos omnes esse, vt maiora certioraque quàm amisere restituantur. Sint vtinam diuturna, & melioribus auspiciis in aeuum longius condita. Nam huic coloniae ab origine sua centesimus annus est, [l] aetas ne homini quidem extrema. Deducta in hanc frequentiam, loci opportunitate conualuit. Quae tamen grauissimos casus intra spatium humanae pertulit senectutis. Itaque formetur animus ad intellectum, patientiamque fortis suae, & sciat nihil inausum esse fortunae. Aduersus imperia illam idem habere iuris, quod aduersus imperantes: aduersus vrbes idem posse, quod aduersus homines. [m] Nihil horum indignandum est. In eum intrauimus mundum, in quo his legibus viuitur. Placet? pare. non placet? quacunque vis exi. Indignare, si quid in te inique propríe cõstitutum est. Sed si haec imos summosque necessitas alligat, in gratiam cum fato reuertere, a quo omnia resoluuntur. Non est quòd nos tumulis metiaris, & his monumentis, quae viam disparia praetexunt. AEquat omnes cinis. impares nascimur, pares morimur. Idem de vrbibus, quod de vrbium incolis dico. [n] Tam Ardea capta, quàm Roma est. Conditor ille iuris humani, non natalibus nos, nec nominum claritate distinxit, nisi dum sumus. Vbi vero ad finem mortalium ventum est: [o] Discede, inquit, ambitio: omnium quae terrã premunt, [t] siremps lex esto. Ad omnia patiẽda pares sumus. Nemo altero fragilior est, nemo in crastinum sui certior. Alexander Macedonũ rex discere Geometriam infelix coeperat, sciturus quàm pusilla terra esset, ex qua minimum occupauerat. Ita dico infelix ob hoc, quòd intelligere debebat falsum se gerere cognomen. Quis enim esse magnus in pusillo potest? Erant illa quae tradebantur, subtilia, & diligenti intentione discenda: nõ quae percipere posset vaesanus homo, & trans oceanum cogitationes suas mittens. Facilia, inquit, me doce. Cui praeceptor: Ista, inquit, omnibus eadẽ sunt, aeque difficilia. Hoc puta rerum naturam dicere: [p] Ista de quibus quereris, omnibus eadem sunt: nulli dari faciliora possunt: sed quisquis volet, sibiipsi illa reddet faciliora. Quomodo? aequanimitate. Et doleas oportet, & sitias, & esurias, & senescas, & si tibi longior cõtigerit inter homines mora, & aegrotes, & perdas aliquid, & pereas. Non est tamẽ quod istis qui te circumstrepunt credas. Nihil horum malum est, nihil intolerabile, aut durum. Ex consensu istis metus est. Sic mortem times, quomodo famam. Quid autem stultius homine, verba metuente? Eleganter Demetrius noster solet dicere, eodem loco sibi esse voces imperitorum, quo ventre redditos crepitus. Quid enim, inquit, mea refert, sursum isti an deorsum sonent? Quanta dementia est vereri, ne infameris ab infamibus? Quemadmodum famam extimuistis sine causa, sic & illa, quae nunquam timereris, [q] nisi fama iussisset. Nunquid detrimenti faceret vir bonus, iniquis rumoribus aspersus? [r] nec morti quidem haec apud nos noceat: [s] & haec malam molitionem habet. Nemo eorum qui illam accusant, expertus est. Interim temeritas est, damnare quod nescias. At illud scis, quàm multis vtilis sit, quàm multos liberet tormentis, egestate, querelis, suppliciis, taedio. Non sumus in vllius potestate, cum mors in nostra potestate sit.

Epistola XCII.

PVTO, inter me teque conuenit, externa corpori acquiri, corpus in honorem animi coli, in animo esse partes ministras, per quas mouemur alimurque, [a] propter ipsum principale nobis datas. In hoc principali est aliquid irrationale, est & rationale. Illud huic seruit. Hoc vnum est, quod alio non refertur: sed omnia ad se perfert. Nam illa quoque diuina ratio omnibus praeposita est, ipsa sub nullo est. Et haec autẽ nostra eadem est, quia ex illa est. Si de hoc inter nos conuenit, sequitur vt de illo quoque conueniat, in hoc vno positam esse beatã vitam, vt in nobis ratio perfecta sit. Haec enim sola non submittit animum, stat contra fortunam. In quolibet rerum habitu, seruata seruat. Id autem vnum bonum est, quod nunquam defringitur. [a] Is, inquam, beatus, quem nulla res minorem facit. tenet summa, & ne vlli quidem, nisi sibi, innixus. Nam qui aliquo auxilio sustinetur, potest cadere. Si aliter est, incipient in nobis multum valere non nostra. Quis autem vult constare fortuna, aut quis se prudens ob aliena miratur? Quid est beata vita? securitas & perpetua tranquillitas.

Hanc

Hanc dabit animi magnitudo,dabit constantia bene iudicati tenax.Ad hoc quomodo peruenitur? [b] si veritas tota perspecta est, si seruatus est in rebus agendis ordo, modus,decor, & innoxia voluntas,aut benigna,intenta rationi,nec vnquam ab illa recedens,amabilis simul, mirabilisque. Denique, vt breuiter tibi formulam scribam, talis animus sapientis esse viri debet,qualis Deum deceat. Quid potest desiderare is cui omnia honesta contingunt? Nam si possunt aliquid non honesta conferre ad optimum statum,in iis erit beata vita,sine quibus non est. Et quid stultius,turpiusve,quàm bonum rationalis animi ex irratiooalibus nectere? Quidam tamen augeri summum bonum iudicant,quia parum plenum sit,fortuitis repugnātibus. Antipater quoque ioter magnos sectae buius auctores, aliquid se tribuere dicit externis,sed exiguum admodū. [c] Vides autem quale sit,sole non esse contentum,nisi aliquis igniculus alluxerit.Quod potest in bac claritate solis habere scintilla momentum? Si noo es sola honestate contentus,necesse est aut quietem adiici velis, [*] quam besychian vocant Graeci, aut voluptatem. Horum alterum vtcunque recipi potest. Vacat enim animus molestia, [d] liber ad conspectum vniuersi, nihilque illum auocat a contemplatiooe oaturae. Alterum illud, voluptas,booum pecoris est. Adiicimus rationali irrationale,honesto inhonestū. Magnam vitam facit titillatio corporis? Quid ergo dubitatis dicere,bene esse homini,si palato bene est? Et huoc tu, non dico inter viros oumeras,sed inter homines, cuius summum bonum saporibus,ac coloribus,ac sonis constat? Excedat ex hoc animalium numero pulcherrimo,ac diis secundo,mutis aggregetur animal pabulo natum. [*] Irratiooalis pars animi duas habet partes: alteram animosam,ambitiosam,impotentem, positam in affectionibus: alterā humilem,languidam,voluptatibus deditam.Illam effraenatam,meliorem tamen,certe fortiorem ac digniorem viro,reliquerunt. Hanc oecessariam beatae vitae putauerunt, [*] eneruē & abiectam. Huic rationem seruire iusserunt,& fecerunt animalis generosissimi bonum,demissum & ignobile.Praeterea mixtum,portentosumque,& ex diuersis animalium congruētibus membris. Nam, vt ait Virgilius noster in Scylla,

Prima hominis facies & pulchro pectore virgo
Pube tenus,postrema immani corpore pistrix,
Delphinum caudas vtero commissa luporum.

Huic tamen Scyllae fera animalia iuncta sunt, horrenda, velocia: at isti sapientiam ex quibusnam composuere portentis? Prima hominis pars,est ipsa virtus. Huic committitur futilis caro, & fluida,& receptandis tantum cibis habilis, vt ait Posidooius. Virtus illa diuina in lubricum desinit,& superioribus eius partibus veneraodis atque caelestibus,animal iners ao marcidum attexitur. Illa vtcunque alta quies nihil quidem ipsa animo praestabat,sed impedimenta remouebat. Voluptas vltro dissoluit, & omne robur emollit. Quae inuenietur [e] tā discors inter se iunctura corporum? Fortissimae rei inertissima astruitur, seuerissimae parum seria, [f] sanctissimae intemperans vsque & indigesta. Quid ergo,inquit, si virtutem nihil impeditura sit bona valetudo,& quies,& dolorum vacatio, [g] oon petes illa? Quid ni petā? Non quia bona sunt,sed quia secundum oaturam sunt, & quia bono a me iudicio sumūtur. Quod erit in illis tunc bonum? [h] hoc vnum,bene eligi. Nam cum vestem qualem decet sumo,cum ambulo vt oportet,cum coeno quemadmodum debeo: non coena,aut ambulatio,aut vestis bona sunt, sed meum in his propositum, seruandi in quaque re rationi conuenientem modum. Etiam nunc adiiciam: Mundae vestis electio appetenda est homini. Natura enim homo mundum & elegans animal est. Itaque non est bonum per se munda vestis, sed mundae vestis electio: quia non io re bonum est,sed in electione: quia actiones nostrae honestae sunt, non ipsa quae aguntur. Quod de veste dixi,idem de corpore me existima dicere. Nam hoc quoque natura, vt quandam vestem,animo circumdedit. velameotum eius est. Quis autem vnquam vestimenta aestimauit arcula? Nec bonum,nec malum vagina gladium facit. [i] Ego de corpore quoque idem tibi respondeo. Sumpturum quidem me,si detur electio,& sanitatem & vires. Bonum autem futurum, iudicium de illis meum,ooo ipsa. Est quidem, inquit, sapiens beatus. [k] Summum tamen illud bonum non assequitur, nisi illi & naturalia instrumeota respondeant. Ita miser quidem esse,qui virtutem habet,oon potest: beatissimus autē oon est, qui naturalibus bonis destituitur, vt valetudine, & membrorum integritate. Quod incredibilius videtur,id concedis,aliquem in maximis & continuis doloribus [l] non esse miserum,esse etiam beatum: quod leuius est,oegas,beatissimum esse. Atqui si potest virtus efficere, ne miser aliquis sit,facilius efficiet, vt beatissimus sit. Minus enim interualli a beato ad beatissimum restat,quàm à misero ad beatum. An quae res tantum valet,vt ereptum calamitatibus inter beatos locet: non potest adiicere quod superest,vt beatissimum faciat? In summo deficit cliuo? Commoda sunt in vita,& incommoda: vtraque extra nos. Si non est miser

vir bonus, quamuis omnibus prematur incommodis: quomodo non beatissimus, & si aliquibus commodis deficitur? Nam quemadmodum incommodorum onere vsque ad miserum non deprimitur, sic commodorum inopia non deducitur a beatissimo. Sed tam sine cõmodis beatissimus est, quàm non est sub incommodis miser. An non potest illi eripi bonum suum, si potest minui? Paulo ante dicebam, igniculum nihil conferre lumini solis. Claritate enim eius quicquid sine eo lucet, absconditur. Sed quaedam, inquit, soli quoque obstant. At solis vis & lux integra est, etiã inter opposita: & quamuis aliquid interiaceat, quod nos prohibeat eius aspectu, in opere est, cursu suo fertur. Quoties inter nubila luxit, non est sereno minor, nec tardior quidem: quoniam multum interest, vtrum aliquid obstet tantum, an impediat. Eodem modo virtuti opposita nihil detrahunt. Non est minor, sed minus fulget: nobis forsitan non aeque apparet ac nitet: sibi eadem est, & more solis obscuri, in occulto vim suam exercet. Hoc itaque aduersus virtutẽ possunt calamitates, & damna, & iniuriae, quod aduersus solem potest nebula. Inuenitur qui dicat, sapientem corpore parũ prospero vsum, nec miserum esse, nec beatum. Hic quoque fallitur. Exaequat enim fortuita virtutibus, & tantundem tribuit honestis, quantum honestate carentibus. Quid autem foedius, quid indignius, quàm comparare veneranda contemptis? Veneranda enim sunt, fides, iustitia, pietas, fortitudo, prudentia. E contrario vilia sunt, quae saepe contingunt pleniora vilissimis, crus solidum, & lacertus, & dentes, & horum sanitas, firmitasque. Deinde si sapiẽs cui corpus molestum est, nec miser habebitur, nec beatus, sed in medio relinquetur, vita quoq; eius nec appetenda erit, nec fugienda. Quid autem tam absurdum, quàm sapientis vitam appetendam non esse? Aut quid tam extra fidem, quàm esse aliquam vitam nec appetendam, nec fugiendam? Deinde si damna corporis miserum non faciunt, beatum esse patiuntur. Nam quibus potentia non est in peiorẽ transferendi statum, nec interpellandi quidem optimum. Frigidum, inquit, aliquid & calidum nouimus: inter vtrunque tepidum est. Sic aliquis beatus est, aliquis miser: aliquis nec miser, nec beatus. Volo hanc contra nos positam imaginem excutere. Si tepido illi plus frigidi ingessero, fiet frigidum: si plus calidi affudero, fiet nouissime calidum. At huic, nec misero, nec beato, quantumcunque ad miserias adiecero, miser non erit, quemadmodum dicitis. Ergo imago ista dissimilis est. Deinde trado tibi hominem, nec miserum, nec beatum. Huic adiicio caecitatem, non fit miser. Adiicio debilitatem, non fit miser. Adiicio dolores continuos & graues, non fit miser. Quem tam multa mala in miseram vitam non transferunt, nec ex beata quidem educunt. Si non potest, vt dicitis, sapiens ex beato in miserum decidere, non potest in non beatum. Quare enim qui labi coepit, alicubi subsistat? Quae res non patitur illum ad imum deuolui, retinet in summo. Quid ni non possit beata vita rescindi? Nec remitti quidem potest: & ideo virtus ad illam per se ipsa satis est. Quid ergo? inquit. sapiens non est beatior qui diutius vixerit, quem nullus auocauit dolor, quàm ille qui cum mala fortuna saepe luctatus est? Responde mihi: Nunquid & melior est, & honestior? Si haec non sunt, nec beatior quidem est. Rectius viuat, oportet, vt beatius viuat: si rectius non potest, ne beatius quidem. Non intenditur virtus: ergo ne beata quidem vita, quae ex virtute est. Virtus enim tantum bonum est, vt istas accessiones minutas non sentiat, breuitarem aeui, & dolorem, & corporũ varias offensiones. Nam voluptas non est digna, ad quam respiciat. Quid est in virtute praecipuum? Futuro non indigere, nec dies suos computare. " In quantolibet tempore bona aeterna consummat. Incredibilia nobis haec videntur, & supra humanam naturam excurrentia. Maiestatem enim eius ex nostra imbecillitate metimur, & vitiis nostris nomen virtutis imponimus. Quid porro, non aeque incredibile videtur, aliquem in summis cruciatibus positũ, dicere, Beatus sum? Atqui haec vox in ipsa officina voluptatis est audita. Beatissimum, inquit, hunc & vltimũ diem ago, Epicurus: cum illum hinc vrinae difficultas torquerẽt, hinc insanabilis exulcerati dolor ventris. Quare ergo incredibilia sunt ista apud eos qui virtutem colũt: cum apud eos quoque reperiantur, apud quos voluptas imperat? Hi quoque degeneres & humillimae mentis aiunt, in summis doloribus, in summis calamitatibus, sapientem nec miserum futurum, nec beatum. Atqui hoc quoque incredibile est, immo incredibilius. Nõ video enim quomodo non in infimum agatur, e fastigio suo deiecta virtus. Aut beatum praestare debet: aut si ab hoc depulsa est, non prohibebit fieri miserum. Stans non potest vinci: aut vincatur oportet, aut vincat. Diis, inquit, immortalibus solis & virtus & beata vita contingit. Nobis vmbra quaedam illorum bonorum, & similitudo. Accedimus ad illa, non perueniinus. Ratio vero diis hominibusque communis. Haec in illis consummata est, in nobis consummabilis. Sed ad desperationem nos vitia nostra perducunt. Nam ille alter secundus, vt aliquis parum constans ad custodiẽda optima, cuius iudicium labat etiamnum & incertũ est,

est, desiderat oculorum atque aurium sensum, bonam valetudinem, & non foedum aspectum corporis, [a] sed habitu manentem suo, aetatis praeterea longius spatium. Per hanc potest non paenitenda agitare, [a] vt imperfecto viro. [e] Huic malitiae vis quaedam inest, qua animum habet mobilem, [f] ad praua: [g] ille agit carens malitia, & ea agitario abest a bono. Non est adhuc bonus, sed in bonum fingitur. Cuicuoque autem deest aliquid ad bonum, malus est.

Sed si cui virtus animusque in corpore praesens,

hic deos aequat, illo tendit originis suae memor. Nemo improbe eo conatur ascendere, vnde descenderat. Quid est autem, cur non existimes in eo diuini aliquid existere, qui Dei pars est? Totum hoc qno continemur, & vnum est, & Deus, & socij eius sumus, & membra. Capax est noster animus: perfertur illo, si vitia noo deprimãt. Quemadmodum corporum nostrorum habitus erigitur, & spectat in caelum; ita animus, cui inquantum vult, licet porrigi, in hoc a natura rerum formatus est, vt paria diis velit, & sic vtatur suis viribus, ac se in spatiũ suum extendat. Nam si aliena vi ad summa niteretur, magnus erat labor, ire in caelum. Redit. cum hoc iter ad quod natus est, vadit audacter, & contemptor omnium, nec ad pecuniã respicit: aunm argentumque, illis in quibus iacuere tenebris dignissima, oon hoc aestimat splendore, quo imperitorum verberant oculos, & auerterunt a caelo, ex quo illa secreuit cupiditas nostra & effodit. Scit, inquam, alibi positas esse diuitias, quàm quo congeruntur: animum impleri debere, oon arcam. Hunc imponere dominio omnium rerum licet, hunc in possessionem rerum naturae inducere, [q] vt suotum Oriens Occidensque terminus fiat, deorumque ritu cuncta possideat; cum opibus suis diuites superne despiciat: quorum nemo tam laetus est suo, quàm tristis alieno. Cum se in hanc sublimitatem tulit, corporis quoque, velut oneris necessarij, non amator, sed procurator est: nec se illi cui impositus est, subiicit. Nemo liber est, qui corpori seruit. Nam vt alios dominos, quos nimia pro illo sollicitudo inuenit, transeas, ipsius morosum imperium delicatumque est. Ab hoc, modo aequo animo exit, modo magno prosilit: nec quis deinde reliquiis eius futurus sit exitus, quaerit. Sed vt ex barba capillos detonsos oegligimus, ita ille diuinus animus egressurus hominem, quo receptaculum suum conferatur, ignis illud exutat, an ferae distrahant, an terra contegat, non magis ad se iudicat pertinere, quàm [s] secundas ad editum infantem. [t] Vtrum proiectum aues differant, an consumatur

canibus data praeda marinis,

[u] quid ad illum? Qui tunc quoque, cum inter homines est, nullas minas timet: vllasne timebit post mortem minas eorum quibus vsque ad mortem timeri parũ est? Non conteret, inquit, me, nec vocus, nec proiecti ad contumeliam cadaueris laceratio, foeda visuris. Neminem de supremo officio rogo. Nulli reliquias meas commendo. ne quis insepultus esset, rerum natura prospexit. Quem saeuitia proiecerit, dies condet. Diserte Maecenas ait:

Nec tumulum curo, sepelit natura relictos.

[z] Alte cinctum putes dixisse. Habuit enim ingenium & grande & virile, [a] oisi illud ipse discinxisset.

Epistola XCIII.

In epistola qua de morte Metronactis philosophi querebaris, tanquam & potuisset diutius viuere, & debuisset, aequitatem tuam desideraui: quae tibi in omni persona, in omni negorio superest, in vna re deest, in qua omnibus. Multos inueni aequos aduersus homines: aduersus deos neminem. Obiurgamus quotidie fatum. Quare ille in medio cursu raptus est? Quare ille oon rapitur? Quare senectutem & sibi & aliis grauem extendit? Vtrum obsecro te, aequius iudicas, te naturae, an tibi parere naturam? Quid autem interest quàm cito exeas, [a] vnde vtique exeundum est? Noo vt diu viuamus, curandum est: sed vt satis. Nam vt diu viuas, fato opus est: vt satis, animo. Longa est vita, si plena est. Impletur autem, cum animus sibi bonum suũ reddidit, & ad se potestatem sui transtulit. Quid illum octoginta anni iuuãt, per inertiam exacti? Nõ vixit iste, sed in vita moratus est, [h] nec sero mortuus est, sed diu. Octoginta annis vixit. Interest, mortem eius ex quo die numeres. At ille obiit viridis: sed officia boni ciuis, boni amici, boni filij executus est. In oulla parte cessauit. licet eius aetas imperfecta sit, vita perfecta est. Octoginta annis vixit. Immo octoginta annis fuit: nisi forte sic vixisse cum dicis, quomodo dicuntur arbores viuere. Obsecro te mi Lucili, hoc agamus, vt quemadmodũ pretiosa rerum, sic vita nostra non pareat multum, sed multũ pendat. Actu illam metiamur, non tẽpore. Vis scire, quid inter hunc intersit vegetũ contemptoremq; fortunae, functũ omnibus vitae humanae stipendiis, atque in summnm bonum euectum, & illum cui multi anni transmissi sunt? Alter post mortem quoque est, alter ante mortem periit.

Laudemus itaque, & in numero felicium reponamus eum, cui quantulumcunque tempori[a] contigit, bene collocatum eſt. Vidit enim veram lucem, non fuit vnus e multis. [c] & vixit, & viguit. Aliquando ſereno vſus eſt: aliquando, vt ſolet, validi ſideris fulgor per nubila emicuit. Quid quaeris, quamdiu vixerit? Vixit ad poſteros vſque. tranſiliit, & ſe in memoriam dedit. Nec ideo mihi plures annos accedere recuſauerim: nihil tamen ad beatam vitam defuiſſe dicam, ſi ſpatium eius inciditur. Non enim ad eum diem me aptaui quem vltimum mihi ſpes auida promiſerat: ſed nullum non tanquam vltimum aſpexi. Quid me interrogas, quando natus ſim? An inter iuniores adhuc cenſear? Habeo meum. Quemadmodum in minore corporis habitu poteſt homo eſſe perfectus, ſic & in minore temporis modo poteſt eſſe vita perfecta. AEtas inter externa eſt. Quamdiu ſim, alienum eſt: quamdiu vir bonus ſim, meum eſt. Hoc a me exige, ne velut per tenebras aeuum ignobile emetiar, [d] vt agam vitam, non vt praetereuehar. Quaeris quod ſit ampliſſimum vitae ſpatium? Vſque ad ſapientiam viuere. Qui ad illam peruenit, attigit non longiſſimum finem, ſed maximum. Ille vero glorietur audacter, & diis agat gratias, interque eos ſibi & rerum naturae imputet, quod fuit. Merito enim imputabit: meliorem illi vitam reddidit, quàm acceperat. Exemplar boni viri poſuit. qualis quantusque eſſe oſtendit. Si quid adiecisſet, fuiſſet ſimile praeterito. Et tamen quouſque viuimus? omnium rerum cogitatione fruiti ſumus. [e] Scimus a quibus principalis natura ſe attollat, quemadmodum ordinet mundum, per quas vices annum reuocet, quemadmodum omnia quae vſquam erant, cluſerit, & ſeipſam ſui finem fecerit. Scimus, ſidera impetu ſuo vadere: praeter terram nihil ſtare, cetera continua velocitate decurrere. Scimus quemadmodũ ſolem luna praetereat: quare tardior velociorem poſt ſe relinquat: quomodo lumen accipiat, aut perdat: quae cauſa inducat noctem, quae reducat diem. Illuc eundum eſt, vbi iſta propius aſpicias. nec hac ſpe, inquit ſapiens ille, fortius exeo, quòd patere mihi ad deos meos iter iudico. Merui quidem admitti, [f] & iam inter illos fui: animumque illo meum miſi, & ad me illi ſuum miſerunt. Sed tolli me de medio puta, & poſt mortem nihil ex homine reſtare. AEque magnum animum habeo, [g] etiam ſi nuſquam tranſiturus excedo. Non tam multis vixit annis, quàm potuit. Et paucorum verſuum liber eſt, & quidem laudandus, atque vtilis. [h] Annales Tamuſij ſcis [i] quàm non decori ſint, [k] & qui vocentur. [l] AEque eſt vita quorundam longa, & quod Tamuſij ſequitur annales. Nunquid feliciorem iudicas eum qui ſummo die muneris, quàm eum qui medio occiditur? [m] Nunquid aliquem eſſe tam cupidum vitae putas, vt iugulari in ſpoliario quàm in arena malit? Non maiore ſpatio alter alterum praecedimus. Mors per omnes it. Qui occidit, conſequitur occiſum. Minimum eſt, de quo ſollicitiſſime agitur. [n] Quid autem ad rem pertinet, quamdiu vites, quod euitare non poſſis?

Epiſtola XCIIII.

E[a]AM partem philoſophiae, quae dat propria cuique perſonae praecepta, nec in vniuerſum componit hominem, ſed marito ſuadet, quomodo ſe gerat aduerſus vxorem: patri, quomodo educet liberos: domino, quomodo ſeruos regat: quidam ſolam receperunt, ceteras quaſi extra noſtram vtilitatem vagantes reliquerunt: tanquam quis poſſit de parte ſuadere, niſi qui ſummam prius totius vitae complexus eſt. Sed Ariſto Stoicus econtrario hãc partem leuem exiſtimat, & quae non deſcendat in pectus vſque. [a] At illam non habentem praecepta, plurimum ait proficere, ipſaque decreta philoſophiae, conſtitutionem eſſe ſummi boni, quam qui bene intellexit & didicit, quid in quaque re faciendum ſit, ſibiipſe praecepit. Quemadmodum qui iaculari diſcit, deſtinatum locum captat, & manum format ad dirigenda quae mittit: cum hanc vim ex diſciplina & exercitatione percepit, [b] quocunque vult, illa vtitur. Didicit enim non hoc aut illud ferirè, ſed quodcunque voluerit. Sic qui ſe ad totam vitam inſtruxit, non deſiderat particulatim admoneri, doctus in totum, non quomodo cum vxore aut cum filio viueret, ſed quomodo bene viueret. In hoc eſt, & quomodo cum vxore ac liberis viuat. Cleanthes vtilem quidem iudicat & hanc partem, ſed imbecillem niſi ab vniuerſo fluit, niſi decreta ipſa philoſophiae & capita cognouit. In duas ergo quaeſtiones locus iſte diuiditur. Vtrum vtilis, an inutilis ſit: & an ſolus virum bonum poſſit efficere, id eſt, vtrum ſuperuacuus ſit, an omnes faciat ſuperuacuos. Qui hanc partem videri volunt ſuperuacuam, hoc aiunt. Si quid oculis oppoſitum moratur aciem, remouendum eſt. illo quidem non abiecto operam perdidit, qui praecepit, Sic ambulabis, illo manũ porrigens. Eodem modo vbi aliqua res obcaecat animum, & ad officiorum diſpiciendum ordinem impedit, nihil agit qui praecipit, Sic viues cum patre, ſic cum vxore. Nihil enim proficient praecepta, quamdiu menti error obfuſus eſt. ſi ille diſcutitur, apparebit quid cuique debeatur officio. [c] Alioquin doces illum, quid ſano faciendum ſit, non ſanum efficis.

Pauperi,

Pauperi, vt agat diuitem, monstras. Hoc quomodo manente paupertate fieri potest? Ostendis esurienti, quid tamquam satur faciat. Fixam potius medullis famem detrahe. Idem tibi de omnibus vitiis dicam. ipsa remouenda sunt, non praecipiendum, quod fieri illis manẽtibus non potest. Nisi opiniones falsas, quibus laboramus, expuleris, nec auarus, quomodo vtendum pecunia sit, exaudiet: nec timidus, quomodo pericula contemnat. Efficias oportet, vt sciat pecuniam nec bonum, nec malum esse. Ostendas illi miserrimos diuites. Efficias, vt quicquid publice expauimus, sciat non esse tam timendum, quàm fama circumfert, nec dolorem quoque nec mortem. Saepe in morte, quàm pati lex est, magnum esse solatiũ, quod ad neminem redit: in dolore pro remedio futuram obstinationem animi, qui leuius facit sibi, quicquid contumaciter passus est. Optimam doloris esse naturam, quòd non potest, nec qui extenditur, magnus esse, nec qui est magnus, extendi. Omnia fortitet excipienda, quae nobis mundi necessitas imperat. His decretis cum illum in conspectum suae condicionis adduxeris, & cognouerit beatam vitam esse, non quae secundum voluptatem est, sed secũdum naturam: cum virtutem vnicum bonum hominis adamauerit, turpitudinem solũ malum fugerit, reliqua omnia, diuitias, honotes, bonam valetudinem, vires, imperia, scierit esse mediam partem, nec bonis annumetandam, nec malis: monitorem non desidetabit ad singula, qui dicat: [d] Sic incede, sic coena: hoc viro, hoc feminae, hoc marito, hoc caelibi conuenit. Ista enim qui diligentissime monent, ipsi facere non possunt. Haec paedagogus puero, haec auia nepoti ptaecipit: & irascendum non esse, magistet iracundissimus disputat. Si ludum litterarium intraueris, scies ista quae ingenti supercilio philosophi iactant, in puerill esse praescripto. [e] Vtrum manifesta demum, an dubia praecipies? Non desidetant manifesta monitores: praecipienti dubia non creditur. Superuacuum est ergo praecipere. Id adeo sic disce. [f] Si id mones quod obscurum est & ambiguum, probationibus adiuuandum erit. Si probaturus es, illa per quae ptobas, plus valent, satisque per se sunt. Sic amico vtere, sic ciue, sic socio. Quare? quia iustum est. Omnia ista mihi locus de iustitia tradit. Illic inuenio aequitatem per se expetendam, nec metu nos ad illam cogi, nec mercede conduci. Non esse iustum, cui quicquam in hac virtute placet, praeter ipsam. Haec cum persuasi mihi, & perbibi, quid ista praecepta proficiunt, quae eruditum docent? Praecepta dare scienti, superuacuum est: nescienti, parum. Audire enim debet, non tantum quid sibi praecipiatur, sed etiam quare. Vtrum inquam, veras opiniones habenti de bonis malisque, sunt necessaria, an non babenti? Qui non habet, nihil a te adiuuabitur. aures eius contraria monitionibus tuis fama possedit. Qui habet exactum iudicium de fugiendis petendisque, [g] scit quid sibi faciendum sit, etiam te tacente. Tota ergo pars ista philosophiae submoueri porest. Duo sunt, propter quae delinquimus. Aut inest animo prauis opinionibus malitia contracta: aut etiam si non est falsis occupatus, ad falsa procliuis est, & cito specie quo non oportet trahente, corrumpitur. Itaque debemus [h] aut curare mentem aegram, & vitiis liberare: [a] [i] aut vacãtem quidem, sed ad peiora pronam, praeoccupare. Vtrunque decreta philosophiae faciunt. Ergo tale praecipiendi genus nihil agit. Praeterea si ptaecepta singulis damus, incomprehẽsibile opus est. Alia enim dare debemus feneranti, alia colenti agrum, alia negotianti, alia regum amicitias sequenti, alia pares, alia inferiores amaturo. In matrimonio praecipias, quomodo viuat cum vxote aliquis quam virginem duxit, quomodo cum ea quae alicuius matrimonium experta est, quemadmodum cum locuplete, quemadmodum cum indotata. An non putas aliquid esse discriminis inter sterilem, & foecundam; inter prouectiorem, & puellam; inter matrem, & nouercam? Omnes species complecti non possumus. Atqui singulae propria exigunt. Leges autem philosophiae bteues sunt, & omnia alligant. Adiice nunc, quòd sapientis praecepta finita esse debent, & certa: si qua finiri non possunt, extra sapientiam sunt. Sapientia terum terminos nouit. Ergo ista pars praeceptiua submouenda est: quia quod paucis promittit, praestare omnibus non potest. Sapientia autem omnes tenet. [l] Inter insaniam publicam, & hanc quae medicis traditur, nihil interest: nisi quòd haec morbo laborat, illa opinionibus falsis. Altera causas furoris traxit ex valetudine, altera animi mala valetudo est. Si quis furioso praecepta det, quomodo loqui debeat, quomodo procedere, quomodo in publico se gerere, quomodo in priuato, erit ipso quem monebit insanior. Bilis nigra curanda est, & ipsa furoris causa remouenda. Idem in hoc alio animi furore faciendum est. Ipse discuti debet: alioquin abibunt in vanum monẽtium verba. Haec ab Aristone dicuntur. Cui respondebimus ad singula. Primum aduersus illud quod ait, si quid obstat oculo, & impedit visum, debere temoueri. Fateot, huic non esse opus praeceptis [a] ad videndum, sed remedio quo purgetur acies, & officientem sibi moram effugiat. Natura enim videmus: cui visum sui reddit, qui remouet obstantia. Quid autem

cuique debeatur officio, oatura noo docet. Deinde cuius curata ſuffuſio eſt, is oon ptotinus cum viſum recepit, aliis quoque poteſt reddere. [k] Malitia liberatus, & liberat. Noo eſt opus exhortatione, nec conſilio quidem: vt colorum proprietates oculus intelligat. a oigro album, etiam oullo monente, diſtinguet. Multis contra praeceptis eget animus, vt videat quid agendum ſit in vita. Quanquam oculos quoque aegros medicus non tantum curat, ſed etiã monet. Non eſt, inquit, quòd protinus imbecillam aciem committas improbo lumini: a tenebris ptimo ad vmbroſa procede, deinde plus aude, & paulatim claram lucem pati aſſueſce. Non eſt quòd poſt cibum ſtudeas, oon eſt quòd plenis oculis ac tumeotibus imperes. Afflatum & vim frigoris in os occurrentis euita: alia eiuſmodi, quae oon minus quàm medicamenta ptoficiunt. Adiicit remediis medicina conſilium. Error, inquit, eſt cauſa peccandi. Hunc nobis praecepta non detrahunt, noo expugnãt opiniooes de bonis ac malis falſas. Concedo, per ſe efficacia praecepta non eſſe ad auertendam prauam animi perſuaſionem: ſed noo ideo, ne aliis quidem adlecta proficiunt. Primum memoriam renouant. Deiode quae io vniuerſo confuſius videbantur, in partes diuiſa diligentius cooſiderantur. Aut tu iſto modo licet & conſolationes dicas ſuperuacuas, & exhortatiooes. Atqui ooo ſunt ſupetuacuae. Ergo ne monitiones quidem. Stultum eſt, ioquit, praecipere aegro, quid facere tanquam ſanus debeat: cum reſtituenda ſanitas ſit, ſine qua irrita ſunt praecepta. Quid quòd habent aegri ſanique quaedam communia, de quibus admonendi ſunt? taoquam ne auide cibos appetant, vt laſſitudinem vitent. Habent quaedam praecepta communia pauper & diues. Sana, inquit, auaritiam, & nihil habebis, quod admoneas aut pauperem, aut diuitem, ſi cupiditas vtriuſque conſidet. Quid quod aliud eſt, non coocupiſcere pecuniam: aliud, vti pecunia ſcire? cuius auari modum ignorant, etiam non auari vſum. Tolle, inquit, errores. ſuperuacua praecepta ſunt. Falſum eſt. Puta enim auaritiam relaxatam: puta aſtrictam eſſe luxuriam, temeritati fraenos iniectos, ignauiae ſubditum calcar. etiã remotis vitiis, quid & quemadmodum debeamus facere, diſcendum eſt. Nihil, inquit, efficient monitiones admotae grauibus vitiis. Ne medicina quidem morbos inſanabiles vincit: tamen adhibetur aliis in remedium, aliis in leuamẽtum. Ne ipſa quidem voiuerſae philoſophiae vis, licet tota in hoc vires ſuas aduocet, duram iam & veterem animis extrahet peſtem: ſed non ideo nihil ſanat, quia non omnia. Quid prodeſt, inquit, aperta monſtrare? Plurimum. Interdum enim ſcimus, nec attendimus. Non docet admonitio, ſed aduertit, ſed excitat, ſed memoriam continet, nec patitur elabi. Plaeraque ante oculos poſita trãnſimus. Admooere, genus adhortandi eſt. Saepe animus etiam aperta diſſimulat. Ingerenda eſt itaque illi notitia retum notiſſimarum. Illa hoc loco in Vatinium Calui repetenda ſententia eſt: Factum eſſe ambitum, ſcitis: & hoc vos ſcire, omnes ſciuot. Scis amicitias ſancte colendas eſſe: ſed non facis. Scis improbum eſſe, qui ab vxore pudicitiam exigit, ipſe alienarum corruptor vxorum. Scis vt illi nil cum adultero, ſic nihil tibi eſſe debere cum pellice: & non facis. Itaque ſubinde reducendus es ad memoriam. Non enim repoſita illa eſſe oportet, ſed in promptu. Quaecunque ſalutaria ſunt, ſaepe agitari debent, ſaepe verſari: [l] vt non tantum oota ſint oobis, ſed etiam parata. Adiice nunc, quòd aperta quoque apertiora fieri ſolent. Si dubia ſunt, inquit, quae praecipis, probationes adiicere debebis. Ergo illae, non praecepta, proficient. Quid quod etiam ſine probationibus, ipſa monentis auctoritas prodeſt: ſic quomodo iuriſconſultorum valent reſponſa, etiamſi ratio non redditur? Praeterea ipſa quae praecipiuntut, per ſe multum habent ponderis: vtique ſi aut carmini intexta ſunt, aut proſa oratione in ſententiam coartata. Sicut illa Catoniana: [m] Emas, non quod opus eſt, ſed quod neceſſe eſt. Quod oon opus eſt, aſſe carum eſt. Qualia ſunt illa, aut reddita oraculo, aut ſimilia: Tempori parce, Te noſce. Nunquid ratiooem exiges, cum tibi aliquis hos dixerit verſus?

Iniuriarum remedium eſt oblinio.
Audentes fortuna iuuat.
Piger ſibiipſe obſtat.

Aduocatum iſta oon quaerunt, affectus ipſos tangunt, & natura vim ſuam exercente proficiuot. Omnium honeſtarum rerum ſemina animi geruot, quae admonitione excitantur: non aliter quàm ſcintilla flatu leui adiuta, ignem ſuum explicat. Erigitur virtus, cum tacta eſt & impulſa. Praeterea quaedam ſunt quidem in animo, ſed parum prompta, quae incipiunt in expedito eſſe, cum dicta ſunt. Quaedam diuerſis locis iacent ſparſa, quae cootrahere inexercitata mens non poteſt. Itaque in voum conferenda ſunt, & iungenda, vt plus valeant, [n] animumque magis alleuent. Aut, ſi praecepta nihil adiuuant, omnis inſtitutio tollenda eſt. Ipſa oatura contenti eſſe debemus. Hoc qui dicunt, [o] oon vident alium ingenij eſſe

mobilis

mobilis & erecti, alium tardi & hebetis. [p] Vtique alius alio iogeniosiot est. Ingenij vis praeceptis alitur & crescit, nouasque persuasiooes adiicit innatis, & deptauata corrigit. Si quis, inquit, non habet recta decreta, quid illum admonitiones iuuabunt vitiis obligatum? [q] Hoc scilicet, vt illis liberetur. Non enim extincta in illo indoles naturalis est, sed obscurata & oppressa. Sic quoque tentat resurgere, & cootra praua nititur. Nacta vero ptaesidium, & adiuta praeceptis, conualescit: [r] si tamen illam diutina pestis infecit, non enecuit. Hanc enim ne disciplina quidem philosophiae toto impetu suo connixa, restituet. Quid enim interest inter decreta philosophiae & praecepta, nisi quòd illa generalia praecepta suot, haec specialia? Vtraque res praecipit: sed altera in totum, particulatim altera. Si quis, inquit, recta habet & honesta decreta, hic ex superuacuo monetur. Minime. Nam hic quoque doctus quidem est facere, quae debet, [s] sed haec non satis perspicit. Non enim tantum affectibus impedimut, quo minus probaoda faciamus, sed imperitia inueniendi, quid quaeque res exigat. Habemus interdum compositum animum, sed tesidem & inexercitatum ad inueniendam officiorum viam, quam admonitio demonstrat. Expelle, inquit, falsas opiniooes de bonis & malis: in locum autem earum veras tepooe: & nihil habebit admonitio, quod agat. Ordinatut ista sine dubio ratione animus, sed non ista tantum. Nam quamuis argumentis collectum sit, quae bona, quae mala sint: nihilominus habeot praecepta partes suas: & prudentia, & iustitia officiis constant: officia praeceptis disponuntur. Praeterea ipsum de bonis malisque iudicium confirmarut officiorum executione, ad quam praecepta perducunt. Vtraque enim inter se consentiunt: nec illa possuot praecedere, vt non haec sequantur, & haec ordinem sequunrur suum. Vnde appater illa praecedere. Infinita, inquit, praecepta sunt. Falsum est. Nam de maximis ac oecessariis rebus non suot infinita. Tenoes autem differentias habent, quas exigunt tempora, loca, personae. Sed his quoque dantur praecepta generalia. Nemo, inquit, praeceptis curat insaniam, ergo nec malitiam quidem. Dissimile est. Nā si insaniam sustuleris, sanitas reddita est. Si falsas opiniones exclusimus, non statim sequitut dispectus rerum agendarum: & vt sequatur, tamen admonitio corroborabit rectam de bonis malisque sententiam. Illud quoque falsum est, nihil apud insanos proficere praecepta. Nam quemadmodum sola non prosunt, sic curatiooem adiuuant. Et denūtiatio, & castigatiō insanos coercuit. De illis insanis ounc loquor, quibus mens mota est, nō erepta. Leges, inquit, vt faciamus quod oportet, non efficiunt. Et quid aliud sunt, quàm minis mixta praecepta? Primum omnium ob hoc illae non persuadent, quia minantur. At haec non cogunt, sed exorant. Deinde leges a scelere deterrent: praecepta in officium adhortantur. His adiice, quòd leges quoque proficiunt ad bonos mores: vtique si non tantum imperant, sed docēt. In hac re dissentio a Posidooio. [t] Noo probo, quod Platonis legibus adiecta principia sunt. Legem enim breuem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatut, velut emissa diuinitus vox sit. Iubeat, noo disputet. Nihil viderur mihi frigidius, nihil ineptius, quàm lex cum prologo. Mone, dic quid me velis fecisse. Non disco, sed pareo. Proficiunt. itaque malis moribus vti videbis ciuitates vsas malis legibus. At non apud omnes proficiunt. Ne philosophia quidem: nec ideo inutilis, & formandis animis inefficax est. Quid autem philosophia, nisi vitae lex est? Sed putemus non proficete leges: non ideo sequirut, vt ne monitiones quidē ptoficiant. Aut sic & consolationes nega proficere, dissuasionesque, & adhortationes, obiurgationes, & laudationes. Omnia ista monitionum genera sunt. per ista ad perfectum animi statum peruenitur. Nulla res magis animos hooesta induit, [u] dubiosque & in prauum inclinantes reuocat ad rectum, quàm bonorum virorum conuersatio. Paulatim enim descendit io pectora: & vim ptaeceptorum obtiner, frequeoter audiri, aspici frequeoter. Occursus mehercule ipse sapientium iuuat: & est aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias. Nec tibi facile dixerim quemadmodum profit, sicut illud intelligam, profuisse. Minuta quaedam, vt ait Phaedon, animalia, cum mordeot, non sentiuntur, adeo tenuis illis & fallens in periculum vis est. tumot indicat morsum, & in ipso tumore nullum vulnus apparer. Idem tibi in conuersatione virorum sapientium eueniet. noo deprehendes quemadmodum aut quando tibi prosit: profuisse deprehendes. Quorsum, inquit, hoc pertinet? AEque praecepta bona, [x] si saepe tecum sint, profutura, quàm booa exempla. [y] Pythagoras ait, alium animum fieri intrantibus templum, deorumque simulachra ex vicino cernentibus, & alicuius oraculi opperientius vocem. Quis autem negauerit, feriri quibusdam praeceptis efficaciter etiam imperitissimos? velut his breuissimis vocibus, sed multum habentibus ponderis: Nihil nimis.

Auarus animus nullo satiatur lucro.
Ab alio expectes, alteri quod feceris.

Haec cum ictu quodam audimus, nec vlli licet dubitare, aut interrogare, Quare? adeo etiam sine ratione ipsa veritas ducit. Si reuerentia fraenat animos, aut vitia compescit: cur non admonitio idem possit? Si imponit pudorem castigatio: cur admonitio non faciat, [y] etiamsi nudis praeceptis vtitur? Illa vero efficacior est, & altius penetrat, [z] quae adiuuat ratione, quod praecipit, quae adiicit, quare quidque faciendum sit, & quis facientem oboedientemque praeceptis fructus expectet. [a] Si imperio proficitur, & admonitione proficitur. Atqui proficitur imperio. ergo & admonitione. In duas partes virtus diuiditur, in contemplationem veri, & actionem. Contemplationem institutio tradit, actionem admonitio. Virtutem & exercet, & ostendit recta actio. Acturo autem si prodest qui suadet, & qui monet, proderit. Ergo si recta actio virtuti necessaria est, rectas autem actiones admonitio demonstrat, & admonitio necessaria est. Duae res plurimum roboris animo dant, fides veri, & fiducia. [b] Vtramque admonitio facit. Nam & creditur illi, & cum creditum est, magnos animus spiritus concipit, ac fiducia impletur. Ergo admonitio non est superuacua. M. Agrippa, vir ingentis animi, qui solus ex his quos ciuilia bella claros porentesque fecerunt, felix in publicum fuit, dicere solebat, multum se huic debere sententiae: Nam concordia paruae res crescūt, discordia maximae dilabuntur. Hac se aiebat, & fratrem, & amicum optimum factum. Si eiusmodi sententiae familiariter in animum receptae formant eum: cur nō haec pars philosophiae quae talibus sententiis constat, idem possit? Pars virtutis disciplina constat, pars exercitatione. Et discas oportet: & quod didicisti, agendo confirmes. Quod si ita est, non tantum scita sapientiae prosunt, sed etiam praecepta, [c] quae affectus nostros velut edicto coercent & obligant. Philosophia, inquit, diuiditur in haec, scientiam & habitum animi. [d] Nam illam qui didicit, & facienda ac vitanda percipit, nondum sapiens est, nisi in ea quae didicit, animus eius transfiguratus est. Tertia pars ista praecipiendi ex vtroque est, & ex decretis & ex habitu. Itaque superuacua est ad implendam virtutem, [e] cum duo illa sufficiant. Isto ergo modo & cōsolatio superuacua est, nam haec quoque ex vtroque est: & exhortatio, & suasio, & ipsa argumētatio. Nam & haec ab habitu animi compositi validiq; proficiscitur. Sed quamuis ista ex habitu animi veniant, optimus animi habitus & ex his est, & ex illis. Deinde istud quod dicis, iam perfecti viri est, ac summam cōsecuti felicitatis humanae. Ad hoc autem tarde peruenitur. Interim etiam imperfecto, sed proficienti, demonstranda est in rebus agendis via. Hanc forsitan etiam sine admonitione dabit sibi ipsa sapientia: quae iam eo perduxit animum, vt moueri nequeat, nisi in rectū. Imbecillioribus quidem ingeniis necessarium est aliquem praeire: Hoc vitabis, hoc facies. Praeterea si expectat tempus quo per se sciat, quid optimum factu sit: interim errabit, & errando impedietur, quo minus ad illud perueniat, quo possit se esse contentus. Regi ergo debet, dum incipit posse se regere. Pueri ad praescriptum discunt, digiti illorum tenentur, & aliena manu per litterarum simulacra ducuntur. Deinde imitari iubentur proposita, & ad illa reformare chirographum. Sic animus noster dum eruditur ad praescriptum, iuuatur. Haec sunt per quae probatur, hanc philosophiae partem superuacuam non esse. Quaeritur deinde, an ad faciendum sapientem sola sufficiat. Huic quaestioni suum diem dabimus. Interim omissis argumentis, nonne apparet nobis esse opus aliquo aduocato, qui contra populi praecepta praecipiat? [f] Nulla ad aures nostras vox impune perfertur. Nocent qui optant, nocent qui execrantur. Nam & horum imprecatio falsos nobis metus inserit, & illorum amor male docet bene optando. Mittit enim nos ad longinqua bona, & incerta & errantia, cum possimus felicitatem domo promere. Non licet, inquam, ire recta via. Trahunt in prauum parentes, trahunt serui. [g] Nemo errat vni sibi, sed dementiam spargit in proximos, accipitque inuicem. Et ideo in singulis vitia populorum sunt, quia illa populus dedit. dum facit quisque peiorem, factus est. Didicit deteriora, deinde docuit: effectaque est ingens illa nequitia, congesto in vnum, quod cuique pessimum scitur. Sit ergo aliquis custos, & aures subinde peruellat, abigatque rumores, & reclamet populis laudantibus. Erras enim, si existimas nobiscum vitia nasci. superuenerunt, ingesta sunt. Itaque monitionibus crebris, [h] opiniones quae nos circumsonant, compescamus. Nulli nos vitio natura conciliat. Nos illa integros ac liberos genuit. Nihil quidē quod auaritiam nostram irritaret, posuit in aperto. Pedibus aurum & argentum subiecit, [i] calcandumque ac premendū dedit, & quicquid est, propter quod calcamur ac premimur. Illa vultus nostros erexit in caelum, & quicquid magnificum mirumque fecerat, videri a suspicientibus voluit: ortus occasusque, & properantis mundi volubilem cursum, interdiu terrena aperientem, noctu caelestia: tardos siderum incessus, si compares toti: citatissimos, si cogites, quanta spatia nunquam intermissa velocitate circumeant: defectus solis & lunae inuicem obstantium. Alia deinceps digna miratu, siue per ordinem subeunt, siue subditis

causis

causis mota prosiliunt, vt nocturni ignium tractus,[k] & sine vllo ictu sonituque fulgores caeli fatiscentis, columnaeque ac trabes, & varia simulacra flammatum.[l] Haec supra nos natura disponit. Aurum quidem & argentum: & propter ista nunquā pacem agens ferrum, quasi male nobis committerentur, abscondit. Nos in lucē propter quae pugnaremus, extulimus. Nos & causas periculorum nostrotum, & instrumenta, disiecto terrarū pondere eruimus. Nos fortunae mala oostra tradidimus: nec erubescimus summa apud nos haberi, quae fuerant ima terrarum. Vis scire quàm falsus oculos tuos decipit fulgor? Nihil est istis, quamdiu mersa & inuoluta coeno suo iaceot, foedius, nihil obscurius. quid ni? quando per lōgissimorum cuniculorum tenebras extrahuotur. Nihil est illis dum fiunt, & a faece sua separantur, informius. Denique ipsos opifices iotuere, per quorum manus [m] sterile terrae genus & informe perpurgatur, videbis quanta fuligine oblinantur. Atqui ista magis inquinant animos quàm corpora: & in possessore eorum, quàm in artifice plus est sordium. Necessarium itaq; est admooeri, & habere aliquem aduocatum booae mentis, eque tāto fremitu tumultuque falsorum [n] veram denique audire vocem. Quae erit illa vox? Ea scilicer quae tibi tantis clamoribus ambitiosis exsurdato, salubria insusurret verba: quae dicat, Non est quòd inuideas istis, quos magnos felicesque populus vocat. Non est quòd tibi compositae mentis habitū & sanitatem plausus excutiat. Non est quòd tibi trāquillitatis tuae fastidium faciat ille, sub illis fascibus, purpura cultus. Noo est quòd feliciorem eum iudices, cui submouetur,[o] quàm quem lictor semita deiicit. Si vis exercete tibi vtile, nulli autem graue imperium, submoue vitia. Multi inueniuntur, qui ignem inferant vrbibus, qui inexpugnabilia saeculis, & per aliquot aetates tuta prosternant, qui aequum arcibus aggerem attollant, & muros in miram altitudinem adductos arietibus ac machinis quassent: multi sunt, qui aote se agant agmina, & tergis bostium graues instent, & ad mare magnum perfusi caede gentium veniant: sed hi quoque, vt vincerent bostem, cupiditate victi sunt.[p] Nemo illis venientibus restitit, sed nec ipsi ambitioni, crudelitatique restiterant. Tunc cum agere visi sunt alios, agebantur. Agebat infelicem Alexandrum furor aliena deuastandi, & ad ignota mittebat. An tu putas sanum, qui a Graeciae primum cladibus,[q] in qua eruditus est, incipit, qui quod cuique optimum est, eripuit?[r] Lacedaemona seruire iubet, Athenas tacere. Non contentus tot ciuitatū strage quas aut vicerat Philippus, aut emerat,[s] & alias alio loco proiicit, & toto orbe arma circumfert:[t] occ subsistit vnquam lassa crudelitas immaniū ferarum modo, quae plus quā exigit fames, mordent. Iam in voum regnum multa regna coniecit. Iam Graeci Persaeque eundem timent, iam etiam a Dario liberae nationes iugum accipiunt. ire tamen vult vltra Oceanum solemque: indignatur ab Herculis Liberique vestigiis victoriam flectere. Ipsi naturae vim parat. Non ille ire vult, sed non potest stare: non aliter, quàm in praeceps deiecta pondera, quibus eundi finis est, iacuisse. Ne Cn. quidē Pompeio externa inire bella aut domestica, virtus aut ratio suadebat: sed insanus amore magnitudinis falsae, modo in Hispaniā & Sertoriana arma, modo ad cogendos piratas ac maria pacanda vadebat. Hae praetexebantur causae ad cootinuandam potentiam. Quid illum in Africam, quid in Septentrionē? quid in Mithridatem, & Armeniam, & omoes Asiae angulos traxit? Infioita scilicet cupido crescendi: cum sibi vni parum magnus videretur. Quid C. Caesarem in sua fata pariter ac publica immisit? gloria & ambitio, & nullus supra ceteros eminendi modus. Vnum ante se ferre non potuit, cum resp. supra se duos ferret. Quid tu C. Marium semel consulem (vnum enim consulatum accepit, ceteros rapuit)[u] cum Theutonicos Cimbrosque concideret, cum Iugurtham per Africae deserta sequeretur, tot pericula putas appetisse, virtutis instinctu? Marius exercitum, Marium ducebat ambitio. Isti cum omnia concuterent, cōcutiebantur turbinum more,[x] qui rapta conuoluūt, sed ipsi ante voluūtur, & ob baec maiore impetu incurrunt, quia nullum illis sui fraenum est.[y] Ideoque cum multis fuerunt mali, pestiferam illam vim, qua plerisque nocuerunt, ipsi quoque sentiunt. Non est quòd credas quenquam fieri aliena infelicitate felicem. Omnia ista exempla, quae oculis atque auribus nostris ingeruntur, retexenda sunt, & plenum malis sermonibus pectus exhauriendum. Inducēda est in occupatum locum virtus, quae mendacia contra verum placentia exstirpet, quae nos a populo, cui nimis credimus, separet, ac sinceris opinionibus reddat. Haec est enim sapiētia, in naturam conuerti, & eo restitui, vnde publicus error expulerit. Magna pars sanitatis est, hortatores insaniae reliquisse,[z] & ex isto coetu inuicem noxio procul abiisse. Hoc vt esse verum scias, aspice, quanto aliter vnusquisque populo viuat, aliter sibi. Non est per se magistra solitudo innocentiae, occ frugalitatem docent rura: sed vbi testis ac spectator abscessit, vitia subsidunt, quorum monstrari & conspici fructus est. Quis eam quam nulli osteoderet, induit purpuram? Quis posuit secretam in auro dapem?[a] Quis sub alicuius rusticae

arboris proiectus vmbra, luxuriae suae pompam solus explicuit? Nemo oculis suis lautus est, ne paucorum quidem & familiarium, sed apparatum vitiorum suorũ pro modo turbae spectantis expandit. Itaque irritamentum est omnium in quae insanimus, admirator & cõscius. Ne concupiscamus efficies,[b] si ne ostendamus effeceris. Ambitio, & luxuria, & impotentia scaenam desiderant. Sanabis ista, si absconderis. Itaque si in medio vrbium fremitu collocati sumus, ster ad latus monitor, & contra laudatores ingentium patrimoniorum laudet paruo diuitem, & vsu opes metientem. Contra illos qui gratiam ac potentiam attollũt, otium ipse suspiciat traditum litteris, & animum ab externis ad sua reuersum. Ostendat ex constitutione vulgi beatos, in isto inuidioso fastigio suo trementes & attonitos, longeque aliam de se opinionem habentes, quàm ab aliis habetur. Nam quae aliis videntur excelsa, ipsis praerupta sunt. Itaque exanimantur, & trepidant, quoties despexerunt in illud magnitudinis suae praeceps. Cogitant enim varios casus, & in sublimi maxime lubricos: tunc appetita formidant, & quae & illos graues aliis reddit, grauior ipsis felicitas incumbit. Tunc laudant otium lene & sui iuris. odio est fulgor, & fuga iam a rebus adhuc stantibus quaeritur: tunc demum videas philosophantes metu, & aegrae fortunae sana consilia. Nam quasi ista inter se contraria sint, bona fortuna, & mens bona, ita melius in malis sapimus: secunda rectum auferunt.

Epistola XCV.

P[1]ETIS a me, vt id quod in diem suum dixeram debere referri, repraesentem, & scribam tibi, an haec pars philosophiae, quam Graeci παραινετικὴν vocant, nos praeceptiuam dicimus, satis sit ad consummandam sapientiam. Scio te in bonam partem accepturum,[2] si negauero.[3] Eo magis promitto, & verbum publicum perire non patior. Postea noli rogare quod impetrare nolueris. Interdum enim obnixe petimus id quod recusaremus, si quis offerret. Haec siue leuitas est, siue vernilitas, punienda est promittendi facilitate. Multa videri volumus velle, sed nolumus. Recitator historiam ingentem attulit, minutissime scriptam, arctissime plicatam, & magna parte perlecta: Desinam, inquit, si vultis. Acclamatur, Recita, recita, ab his qui illum obmutescere illico cupiunt. Saepe aliud volumus,[4] aliud optamus: & verum ne diis quidem dicimus, sed dij [5]aut non exaudiunt, aut miserentur. Ego me, omissa misericordia, vindicabo, & tibi ingentem epistolam impingam: quam tu si inuitus leges, dicito: Ego mihi hoc contraxi. teque inter illos numera, quos vxor magno ducta ambitu torquet: inter illos, quos diuitiae per summum acquisitae sudorem, male habent: inter illos, quos honores, nulla non arte atque opera petiti, discruciant, & ceteros malorum suorum compotes. Sed vt, omisso principio, rem ipsam aggrediar. Beata, inquiunt, vita constat ex actionibus rectis: ad actiones rectas, praecepta perducunt. Ergo ad beatam vitã praecepta sufficiunt.[a] Non tamen semper ad actiones rectas praecepta perducunt, sed cum obsequens ingenium est. Aliquando frustra admouentur, si animum opiniones obsident prauae. Deinde[6] etiam si recte faciunt, nesciunt facere se recte. Non potest enim quisquam nisi ab initio formatus, & tota ratione compositus, omnes exsequi numeros, vt sciat quando oporteat, & in quantum, & cum quo, & quemadmodum. Quare non potest toto animo ad honesta conari, ne constanter quidem, aut libenter, sed respiciet, sed haesitabit. Si honesta, inquit, actio ex praeceptis venit, ad beatam vitam praecepta abunde sunt.[b] Atqui est illud. ergo & hoc. His respondemus, Actiones honestas ex decretis fieri, non tantum praeceptis. Si aliae, inquit, artes contentae sunt praeceptis, contenta erit & sapientia. Nam & haec ars vitae est. Atqui gubernatorẽ facit ille qui praecipit, Sic moue gubernaculum, sic vela submitte, sic secundo vento vtere, sic aduerso resiste, sic dubium communemque tibi vindica. Alios quoque artifices praecepta confirmant. Ergo non hoc idem poterunt artifices viuendi? Omnes istae artes circa instrumenta vitae occupatae sunt, nõ circa totam vitam. Itaque multa illas inhibent extrinsecus, & impediunt, spes, cupiditas, timor. At haec quae artem vitae professa est, nulla re, quo minus se exerceat, vetari potest. Discutit enim impedimenta, & tractat obstantia.[7] Vis scire quàm dissimilis sit harum artium condicio, & huius? In illis excusatius est voluntate peccare, quàm casu: in hac maxima culpa est, sponte delinquere. Quod dico, tale est. Grammaticus non erubescit soloecismum, si sciens facit: erubescit, si nesciens. Medicus si deficere aegrum non intelligit, quantum ad artem magis peccat, quàm si se intelligere dissimulat. At in hac arte viuendi, turpior volentium culpa est. Adiice nunc, quòd artes quoque pleraeque, immo ex omnibus liberalissimae, habent decreta sua, non tãtum praecepta, sicut medicina. Itaque alia est Hippocratis secta, alia Asclepiadis, alia Themisonis. Praeterea nulla ars contemplatiua sine decretis suis est, quae Graeci vocant δόγματα: nobis vel decreta licet appellare: vel scita, vel placita, quae in geometria & in astronomia inuenies.

Philosophia

Philoſophia autem & contemplatiua eſt, & actiua: ſpectat, ſimulque agit. Erras enim, ſi illam putas tantum terreſtres operas promittere: altius ſpirat. Totum, inquit, mũdum ſcrutor, nec me intra contubernium mortale contineo, ſuadere vobis, ac diſſuadere contenta. Magna me vocant, ſupraque vos poſita.

Nam tibi de ſumma caeli ratione deumque
Diſſerere incipiam, & rerum primordia pandam,
[c] *Vnde omnis natura creet res, auctet, alatque,*
Quoque eadem rurſus natura perempta reſoluat:

vt ait Lucretius. Sequitur ergo, vt cum contemplatiua ſit, habeat decreta ſua. Quid, quòd facienda quoque nemo rite obibit, niſi is cui ratio erit tradita, qua in quaque re omnes officiorum numeros exſequi poſſit? Quos non ſeruabit, [8][d] qui mera praecepta acceperit. Imbecilla ſunt per ſe, &, vt ita dicam, ſine radice, quae partibus dãtur. Decreta ſunt quae muniãt, quae ſecuritatem noſtram, tranquillitatemque tueantur, quae totam vitam, totamque rerum naturam ſimul contineant. Hoc intereſt inter decreta philoſophiae & praecepta, quod inter elementa & membra. Haec ex illis dependent: illa & horum cauſae ſunt & omnium. Antiqua, inquit, ſapientia nihil aliud quàm facienda & vitãda praecepit. Et tunc longe meliores erant viri. Poſtquam docti prodierunt, boni deſunt. Simplex enim illa & aperta virtus in obſcuram & ſolertem ſcientiam verſa eſt, docemurque diſputare, non viuere. Fuit ſine dubio, vt dicitis, vetus illa ſapientia, cum maxime naſcens rudis, non minus quàm ceterae artes, quarum in proceſſu ſubtilitas creuit. Sed ne opus quidem adhuc erat remedijs diligentibus. Nondum in tantum nequitia ſurrexerat, nec tam late ſe ſparſerat. Poterant vitijs ſimplicibus obſtare remedia ſimplicia. Nunc neceſſe eſt tanto operoſiora eſſe munimẽta, quanto valentiora ſunt quibus petimur. Medicina quondam paucarum fuit ſcientia herbarum, quibus ſiſteretur fluens ſanguis, vulnera coïrent paulatim. Deinde in hanc peruenit tam multiplicem varietatem. Nec eſt mirum, tunc illam minus negotij habuiſſe, firmis adhuc, ſolidisque corporibus, & facili cibo, nec per artem voluptatemque corrupto. Qui poſtquam coepit, non ad tollendam, ſed ad irritandam famem quaeri, & inuentae ſunt mille conditurae, quibus auiditas excitaretur: quae deſiderantibus alimenta erant, onera ſunt plenis. Inde pallor, & neruorum vino madentium tremor, & miſerabilior ex cruditatibus quàm ex fame macies. Inde incerti labantium pedes, & ſemper qualis in ipſa ebrietate titubatio. Inde in totam cutem humor admiſſus, diſtentusque venter, dum male aſſueſcit plus capere, quàm poterat. Inde ſuffuſio luridae bilis, & decolor vultus, tabesque in ſe putreſcentium, & retorti digiti articulis obrigeſcentibus, neruorum ſine ſenſu iacentium torpor, aut palpitatio ſine intermiſſione vibrantium. Quid capitis vertigines dicam? Quid oculorum auriumque tormenta, & cerebri aeſtuantis verminationes, & omnia per quae exoneramur, internis vlceribus affecta? Innumerabilia praeterea febrium genera, [e] aliarum impetu ſubeuntium, aliarum tenui peſte repentium, aliarum cum horrore & multa membrorum quaſſatione veniẽtium? Quid alios referam innumerabiles morbos, ſupplicia luxuriae? Immunes erant ab iſtis malis, qui nondum ſe delicijs ſoluerant, qui ſibi imperabant, ſibi miniſtrabant. Corpora opere ac vero labore durabant, [f] aut curſu defatigati, aut venatu, aut tellure verſata. excipiebat illos cibus, qui niſi eſurientibus placere non poterat. Itaque nihil opus erat tam magna medicorum ſupellectile, nec tot ferramentis atque pyxidibus. Simplex erat ex ſimplici cauſa valetudo. Multos morbos multa fercula fecerunt. Vide quãtum rerum per vnam gulam tranſiturarum permiſceat luxuria, terrarum marisque vaſtatrix. Neceſſe eſt itaque inter ſe tam diuerſa diſſideant, & hauſta male digerantur, alijs alio nitentibus. Nec mirum, quòd inconſtans variusq; ex diſcordi cibo morbus eſt. & illa ex contrarijs naturae partibus in eundem compulſa redundant. Inde tam nullo aegrotamus genere, quàm viuimus. Maximus ille medicorum, [g] & huius ſcientiae conditor, [9] feminis nec capillos defluere dixit, nec pedes laborare. [h] Atqui hae iam & capillis deſtituuntur, & pedibus aegrae ſunt. Non mutata feminarũ natura, ſed vita eſt. Nam cum virorum licentiam aequauerint, corporum quoque virilium vitia aequauerunt. [i] Non minus peruigilant, non minus potant, & oleo & mero viros prouocant. AEque inuitis ingeſta viſceribus per os reddunt, & [10][k] vinum omne vomitu remetiuntur: aeque niuem rodunt, ſolatium ſtomachi aeſtuantis. Libidine vero, nec maribus quidem cedunt, pati natae. Dij illas deaeque male perdant: adeo peruerſum commentae genus impudicitiae, viros ineunt. Quid ergo mirandum eſt, maximum medicorum ac naturae peritiſſimum, in mendacio prehendi, cum tot feminae podagricae caluaeque ſint? Beneficium ſexus ſui vitijs perdiderunt: & quia feminã exuerunt, damnatae ſunt morbis virilibus. [l] Antiqui medici neſciebant dare cibum ſaepius, & [11] vino fulcire venas cadentes: neſciebant ſa-

niem emittere, & diutinam aegrotationem balneo ſudoribusque laxare: [m] neſciebant crutum vinculo, brachiorumque, latentem vim, & in medio ſedentem, ad extrema reuocare. Non erat neceſſe circumſpicere multa auxiliorum genera, cum eſſent periculorum pauciſſima. Nunc vero quàm longe proceſſerunt mala valetudinis? Has vſuras voluptatum pendimus, vltra modum faſque coocupitarum. Innumerabiles eſſe morbos miraris? coquos numera. Ceſſat omne ſtudium: & liberalia profeſſi, ſine vlla frequentia, deſertis angulis praeſideot. In rhetorum ac philoſophorum ſcholis ſolitudo eſt. At quàm celebres culinae ſunt, [n] quanta oepotum focos iuuentus premit? Tranſeo puetorum infelicium greges: quos poſt tranſacta conuiuia, [o] aliae cubiculi contumeliae expectant. Tranſeo agmina exoletorum, per nationes coloreſque deſcripta, vt eadem omnibus leuitas ſit, [p] eadem primae menſura lanuginis, eadem ſpecies capillorum, [q] ne quis cui rectior eſt coma, criſpulis miſceatur. Trāſeo piſtorum turbam, tranſeo miniſtratorum, per quos ſigno dato ad inferendam coenam diſcurritur. Dij boni, quantum hominum vnus venter exercet. Quid tu illos boletos, voluptarium venenum, nihil occulri operis iudicas facere, etiam ſi praeſentanei [12] non furant? Quid tu illam aeſtiuam niuem non putas callum iecinoribus obducere? Quid illa oſtrea, inertiſſimam carnem, coeno ſaginatam, nihil exiſtimas limoſae grauitatis inferre? [r] Quid illud [13] Sociorum garum, pretioſam malorum piſciū ſaniem, non credis vrere ſalſa tabe praecordia? Quid illa purulenta, & quae tantum noo ab ipſo igne in os transferuntur, iudicas ſine noxa, io ipſis viſceribus extingui? Quàm foedi atque peſtilentes ructus ſunt; quantum faſtidium ſui, [s] exhalantibus crapulam veterem. Scias putreſcere ſumpta, ooo concoqui. [t] Memini fuiſſe quondā AEſopi [14] nobilem patinam, in quam quicquid [u] apud lautos ſolet diem ducere, properans in damnum ſuum popina congeſſerat: [15] veneriae ſpondylique, [x] & oſtrea eatenus circumciſa, qua eduntur, interuenientibus diſtinguebantur echinis, torti, [y] diſtracti ſine vllis oſſibus mulli [z] conſtrauerant. Piget eſſe ſingula. coguotur io vnum ſapores. In coena fit, quod fieri debet ſaturo in ventre. Expecto iam vt manducata ponātur. Quantulo autem hoc minus eſt, teſtas excerpere atque oſſa, & deotium opera coquum fungi? Graue eſt luxuriari per ſingula. [a] omnia ſemel & in eundem ſaporem verſa ponantur. Quare ego ad vnam rem manum porrigam? Plura veniant ſimul. Multorum ferculorum ornamenta coeant & cohaereant. Sciant protinus hi qui iactationem ex iſtis peti & gloriam aiebaot, non oſtendi iſta, ſed conſcientiae dari. Pariter ſint, quae diſponi ſolent, iure vno perfuſa. Nihil interſit, oſtrea echinis, ſpondyli perturbati mullis concoctique ponantur. Non eſſet confuſior vomentium cibus. Quomodo iſta perplexa ſuot, ſic ex iſtis non ſingulares morbi naſcuntur, ſed inexplicabiles, diuerſi, multiformes: aduerſus quos & medicina armare ſe coepit multis generibus, multis obſeruationibus. Idem de philoſophia dico. Fuit aliquando ſimplicior intet minora peccātes, & leui quoque cura medicabiles. Aduerſum tantam morum euerſionem omnia conanda. Et vtinam ſic denique lues iſta vioceretur. Non priuatim ſolum, ſed publice furimus. Homicidia compeſcimus, & ſingulas caedes. Quid bella, & occiſarum gentium glorioſum ſcelus? Non auaritia, non crudelitas modum nouit: & iſta quamdiu furtim & a ſingulis fiunt, minus noxia, minuſque monſtroſa ſunt. Ex ſenatuſconſultis plebiſqueſcitis ſcelera exercentut, & publice iubeotur, vetita [a] priuatim. Quae clam commiſſa capite luerent, eadem quia palam fecere, laudamus. [b] Non pudet homines, mitiſſimum genus, gaudere ſanguine alterno, bella gerere, gerendaque liberis tradere: cum inter ſe etiam mutis ac feris pax ſit? Aduerſus tam potentem explicitumque late furorem operoſior philoſophia facta eſt, & tantum ſibi virium ſumpſit, quantum his, aduerſus quae parabatur, acceſſerat. Expeditum erat, obiurgare indulgentes mero, & petentes delicariorem cibum. non erat animus ad frugalitatem magna vi reducendus, a quo paululum diſceſſerat.

Nunc manibus rapidis opus eſt, nunc arte magiſtra.

[c] Voluptas ab omni parte quaeritur. Nullum intra ſe manet vitium. In auaritiam praeceps luxuria eſt. [d] honeſtatis obliuio inuaſit. Nihil turpe eſt, cuius placet pretium. [e] Homo, ſacra res, homo iam per luſum & iocum occiditur: & quem erudiri ad inferenda accipiendaque vulnera nefas erat, is iam oudus inermiſque producitut: [f] ſatiſque ſpectaculi in homine mors eſt. In hac ergo morum peruerſitate deſideratur ſolito vehementius aliquid, quod mala inueterata diſcutiat. Decretis agendum eſt, vt reuellatur penitus falſorum recepta perſuaſio. His ſi adiunxerimus praecepta, conſolationes, adhortationes, poterunt valere: per ſe ineſficaces ſunt. Si volumus ſoluere obligatos, & malis quibus iam tenentur, auellere, diſcant quid malū, quid bonū ſit. Sciant omnia praeter virtutē mutare nomē, modo mala fieri, modo bona. Quemadmodū primum militiae vinculum eſt religio, & ſignorum amor, &

deferendi nefas:tunc deinde facile cetera exiguntur mandáturque ad iusiurandum adactis: ita in his quos velis ad beatã vitã perducere, prima fundamenta iacienda sunt,& insinuanda virtus. Huius quadam superstitione teneantur: hanc ament: cum hac viuere velint, sine hac nolint. Quid ergo? Non quidam [g] sine institutione subtili euaserunt probi, magnosque profectus assecuti sunt,dum nudis tantum praeceptis obsequuntur? Fateor: sed felix ingenium illis fuit, & salutaria in transitu rapuit. Nam vt dij immortales nullam didicere virtutem,cum omni editi,& pars naturae eorum est,esse bonos: ita quidam ex hominibus egregiam sortiti indolem,in ea quae tradi solent, perueniunt sine longo magisterio: & honesta complexi sunt,cum primum audierunt. Vnde ista tam rapacia virtutis ingenia,vel ex se fertilia. At illis aut hebetibus & obtusis,aut mala consuetudine obsessis diu,rubigo animorum effricãda est. Ceterum vt illos in bonum pronos citius educit ad summa, & hos imbecilliores adiuuabit,malisq; opinionibus extrahet,qui illis philosophiae placita tradiderit: [h] quae quàm sint necessaria, licet videas. Quaedam insident nobis quae nos ad alia pigros,ad alia temerarios faciunt. Nec haec audacia reprimi potest,nec illa inertia suscitari,nisi causae eorum eximantur,falsa admiratio,falsa formido. Haec nos quãdiu possident,dicas licet: Hoc patri praestare debes,hoc liberis,hoc amicis,hoc hospitibus: tentantem auaritia retinebit. Sciet pro patria pugnandum esse:dissuadebit timor. Sciet pro amicis desudandum esse, ad extremum vsque sudorem:sed deliciae vetabunt. [i] Sciet in vxorem grauissimum esse genus iniuriae, habere pellicem: sed illum libido in contraria impiriget. Nihil ergo proderit dare praecepta,nisi prius amoueris obstantia praeceptis: non magis quàm proderit arma in conspectu posuisse, propiusque admouisse, nisi vsurae manus expediuntur. [k] Vt ad praecepta quae damus,possit animus ire,soluendus est. Putemus aliquem facere quod oportet. non faciet assidue,nõ faciet aequaliter:nescit enim quare faciat. Aliqua vel casu vel exercitatione [l] exibũt recta:sed non erit in manu regula,ad quã exigãtur; cui credat recta esse quae fecit. Nõ promittet se talem in perpetuũ,qui casu bonus est. Deinde praestabũt tibi fortasse praecepta,vt quod oportet facias: [m] non praestabũt,vt quemadmodũ oportet: & si hoc nõ praestant, ad virtutem non perducunt. [n] Faciet quod oportet monitus. concedo. Sed id parum est:quoniam quidem non in facto laus est,sed in eo quemadmodũ fiat. Quid est coena sumptuosa flagitiosius, & equestrem censum consumente? Quid tam dignum censoria nota,si quis,vt isti ganeones loquuntur,sibi haec & genio suo praestet?& tricies tamen HS adijciales coenae frugalissimis viris constiterunt. Eadem res si gulae datur, turpis est:si honori, reprehensionem effugit. Non enim luxuria,sed impẽsa solemnis est. Mullum ingentis formae (quare autem non pondus adijcio,& aliorum gulam irrito? quattuor pondo & ad selibram fuisse aiebant) Tiberius Caesar missum sibi,cum in macellum deferri & venire iussisset: [o] Amici,inquit,omnia me fallunt,nisi istum mullum aut Apicius emerit,ant P. Octauius. Vltra spem illi coniectura processit. Licitati sunt. Vicit Octauius: & ingentem consecutus est inter suos gloriam, cum quinque millibus HS emisset piscem, quem Caesar vendiderat, ne Apicius quidem emerat. Numerare tantum Octauio fuit turpe, [p] non illi qui emerat,vt Tiberio mitteret. quanquam illum quoque reprehenderim. Admiratus est rem, qua putauit Caesarem dignum. Amico aegro aliquis assidet.probamus. At hoc si hereditatis causa facit, vultur est,cadauer expectat. Eadẽ & turpia sunt,& honesta. Refert,quare, ant quemadmodum fiant. Omnia autem honeste fient, si honesto nos addixerimus, idque vnum in rebus humanis bonum iudicauerimus, [q] quaeque ex eo sunt: cetera in diem bona sunt. Ergo infigi debet persuasio ad totam pertinens vitam. Hoc est quod decretum voco. Qualis haec persuasio fuerit,talia erunt quae agentur,quae cogitabuntur. Qualia autem haec fuerint, talis vita erit. In particulas suasisse,totum ordinanti parum est. M. Brutus in eo libro, quem [s] περὶ καθήκοντος inscripsit, dat multa praecepta & parẽtibus & liberis & fratribus. haec nemo faciet quemadmodum debet,nisi habuerit quo referat. Proponamus oportet finem summi boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum nostrum dictumque respiciat, veluti nauigantibus ad aliquod sidus dirigendus est cursus. Vita sine proposito vaga est. Quod si vtique proponendum est,incipiunt necessaria esse decreta. Illud,puto,concedes, nihil esse turpius dubio, & incerto ac timido, pedem modo referente, modo producente. Hoc in omnibus rebus accidet nobis: [r] nisi eximantur quae reprehendunt animos ac detinent, & conari totos vetant. Quomodo sint dij colendi, solet praecipi. Accendere aliquem lucernam sabbathis prohibeamus:quoniam nec lumine dij egent, & ne homines quidem delectantur fuligine. Vetemus salutationibus matutinis fungi, & foribus assidere templorum. humana ambitio istis officijs capitur. Deum colit, qui nouit. Vetemus lintea & strigiles Ioui ferre, & speculum tenere Iunoni. Non quaerit ministros Deus. Quid ni? ipse humano generi ministrat.

Vbique & omnibus praesto est. Audiat licet, quemadmodum se gerere in sacrificiis debeat, quàm procul resilire a molestis superstitionibus: [s] nunquam satis profectum erit, nisi qualem debet Deum, mente conceperit, omnia habentẽ, omnia tribuentem, beneficia gratis dantẽ. Quae causa est diis benefaciẽdi? natura. [t] Errat, si quis putat illos nocere velle. Non possunt. nec accipere iniuriam queunt, nec facere. Laedere etenim laedique coniunctum est. Summa illa ac pulcherrima omnium natura, quos periculo exemit, nec periculosos quidem fecit. Primus est deorum cultus, deos credere. Deinde, reddere illis maiestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla maiestas est. Scire, illos esse qui praesident mũdo, qui vniuersa vt sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt, interdum curiosi singulorum. Hi nec dant malum, nec habent. Ceterum castigant quosdam, & coërcent, & irrogant poenas, [u] & aliquando specie mali puniunt. Vis deos propitiare? Bonus esto. Satis illos coluit, quisquis imitatus est. Ecce altera quaestio, quomodo hominibus sit vtendum. Quid agimus? quae damus praecepta? Vt parcatur sanguini humano? Quantulum est ei non nocere, cui debeas prodesse? Magna scilicet laus est, si homo mansuetus homini est. Praecipiemus vt naufrago manum porrigat, [x] erranti vt viam monstret, [y] cum esuriente panem suum diuidat? Quando omnia quae praestanda sunt ac vitanda, dicam, cum possim breuiter hanc formulam humani officij tradere? Omne hoc quod vides, quo diuina atque humana cõclusa sunt, vnũ est. membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem & in eadem gigneret. Haec nobis amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit. Illa aequum iustumque composuit. Ex illius constitutione miserius est nocere, quàm laedi. Et illius imperio [y] paratae sunt iuuantis manus. [z] Iste versus & in pectore & in ore sit:

Homo sum, humani nihil a me alienum puto.

[a] Habeamus in commune, quòd nati sumus. Societas nostra lapidum fornicationi simillima est, quae casura, nisi inuicẽ obstarent, hoc ipso sustinetur. Post deos hominesque, dispiciamus quomodo rebus sit vtẽdum. In superuacuũ praecepta iactauimus, nisi illud praecesserit, qualem de quaque re habere debeamus opinionem, de paupertate, de diuitiis, de gloria, de ignominia, de patria, de exilio. AEstimemus singula, fama remota: & quaeramus quid sint, non quid vocentur. Ad virtutes transeamus. praecipiet aliquis, vt prudẽtiam magni aestimemus, vt fortitudinem complectamur: temperantiam amemus: iustitiam, si fieri potest, propius etiam quàm ceteras nobis applicemus. Sed nihil agetur, si ignoramus, quid sit virtus: vna sit, an plures: separatae, an annexae, an qui vnam habet, & ceteras habeat: quomodo inter se differant. Non est necesse fabro de fabrica quaerere, quod eius initium, quis vsus sit, non magis quàm pantomimo de arte saltandi. Omnes istae artes se sciunt: nihil deest. Non enim ad totam pertinent vitam. Virtus & aliorum scientia est, & sui: discendum de ipsa est, vt ipsa voluntas discatur. Actio recta non erit, nisi recta fuerit volũtas. Ab hac enim est actio. Rursus voluntas non erit recta, nisi habitus animi rectus fuerit. Ab hoc enim est voluntas. Habitus porro animi non erit in optimo, nisi totius vitae leges perceperit, & quid de quoque iudicandum sit, exegerit, nisi res ad verum redegerit. Non contingit tranquillitas, nisi immutabile certumque iudicium adeptis. Ceteri decidunt subinde, & reponũtur, & inter omissa appetitaque alternis fluctuantur. [b] Causa huius iactationis est, quòd nihil liquet incertissimo regimine vtentibus, fama. Si vis eadem semper velle, vera oportet velis. Ad verum sine decretis non peruenitur: [c] continent vitam. Bona & mala, honesta & turpia, iusta & iniusta, pia & impia, virtutes vsusque virtutum, [d] rerum commodarum possessio, existimatio ac dignitas, valetudo, vires, forma, sagacitas sensuum, haec omnia aestimatorem desiderãt, quanti quidque in censum deferendum sit. Falleris enim, & pluris quaedam quàm sunt, putas: adeoque falleris, vt quae maxima inter vos habentur, diuitiae, gratia, potentia, sestertio nummo aestimanda sint. [e] Hoc nescis, nisi constitutionẽ ipsam, qua ista inter se aestimantur, inspexeris. Quemadmodum folia virere per se non possunt, ramum desiderant, cui inhaereant, ex quo trahant succum: sic ista praecepta si sola sunt, marcent: infigi volunt. Praeterea non intelligunt hi qui decreta tollunt, eo ipso confirmari illa quo tolluntur. Quid enim dicunt? praeceptis satis vitam explicari, superflua esse decreta sapientiae, id est, dogmata. Atqui hoc ipsum quod dicunt, decretum est, tam hercule, quàm si nunc ego dicerẽ [f] recedendum esse a praeceptis, & in haec sola studium conferendum: hoc ipso quo negarem curanda esse praecepta, praeciperem. Quaedam admonitionem philosophiae desiderant, quaedam probationem: [g] & quidem multa ita inuoluta sunt, vix summa diligentia ac summa subtilitate aperiuntur. Si probationes necessariae sunt, & decreta, quae veritatem argumentis colligunt. Quaedam aperta sunt, quaedam obscura. [h] Aperta, quae sensu comprehenduntur: obscura, quae extra haec sunt. Ratio autem non impletur manifestis. Maior

eius

eius pars pulchriorque in occultis est. Occulta probarionem exigunt. probatio non sine decretis est. necessaria ergo decreta sunt. Quae res communem sensum facit, eadem perfectum, certarum rerum persuasio,[i] sine qua omnia in animo natant. Necessaria ergo sunt decreta, quae dant animis inflexibile iudicium. Denique cum monemus aliquem, vt amicum eodem habeat loco quo se, vt ex inimico cogitet posse fieri amicum, in illo amorem incitet, in hoc moderetur odium,[k] adiicimus iustum & honestum. Iustum autem honestumque decretorum nostrorum continet ratio. Ergo haec necessaria est, sine qua nec illa sunt. Sed vtraque iungamus. Namque & sine radice inutiles rami sunt, & ipsae radices his quae genuere adiuuantur. Quantum vtilitatis manus habeant, nescire nulli licet.[l] apette iuuant. Cor, illnd quo manus viuunt, ex quo impetum sumũt, qno mouentur, latet. Idem dicere de praeceptis possum: aperta sunt; decreta vero sapientiae in abdito. Sicut sanctiora sacrorum tantum initiati sciunt, ita in philosophia, arcana illa[m] admissis receptisque in sacra ostenduntur. At praecepta, & alia huiusmodi, profanis quoque nota sunt. Posidonius non tantum praeceptionem (nihil enim nos hoc verbo vti prohibet) sed etiam suasionem, & consolationem, & exhortationem necessariam iudicat.[n] His adiicit causarum inquisitionem, quã cur [18] aetiologian dicere non audeamus, cum Grammarici, custodes Latini sermonis, suo iure ita appellent, non video.[o] Ait vtilem futuram esse descriptionem cuiusque virtutis.[p] Hanc Posidonius aetiologian vocat: quidam χαρακτηρισμὸν appellant, signa cuiusque virtutis & vitij ac notas reddentem, quibus inter se similia discriminentur. Haec res eandem vim habet, quam praecipere. Nam qui praecipit, dicit: Illa facies, si voles temperans esse. Qui describit, ait, Temperans est, qui facit illa, qui illis abstinet. Quaeris, quid intersit? Alter praecepta virtutis dat, alter exemplar. Descriptiones has, & (vt publicanorum vtar verbo) εἰκονισμοὺς, ex vsu esse confiteor. Proponamus laudãda: inuenietur imitator. Putas vtile tibi dari argumenta, per quae intelligas nobilem equum, ne fallaris empturus, ne operam perdas in ignauo. Quanto hoc vtilius est, excellentis animi notas nosse, quas ex alio in se transferre permittitur?

Continuo pecoris generosi pullus in aruis
Altius ingreditur, & mollia crura reponit.
Primus inire viam, & fluuios tentare minaces
Audet, & ignoto sese committere ponto.
Nec vanos horret strepitus: illi ardua ceruix,
Argutumque caput, breuis aluus, obesaque terga:
[q] *Luxuriatque toris animosum pectus.*
----tum si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit, micat auribus, & fremit artus,
Collectumque premens voluit sub naribus ignem.

Dum aliud agit Virgilius noster, describit virum fortem. Ego certe non aliam imaginem magno viro dederim. si mihi Cato exprimendus inter fragores bellorum ciuilium impauidus,[r] & primus incessens admotos iam exercitus alpibus, ciuilique se bello ferens obuium, non alium illi assignauerim vultum, non alium habitum: altius certe nemo ingredi potuit, quàm qui simul contra Caesarem Pompeiumque se sustulit, & alijs Caesarianas opes, alijs Pompeianas fouentibus, vtrumque prouocauit, ostenditque aliquas esse reip. partes. Nam parum est in Catone dicere: *Nec vanos horret strepitus*. Quid ni, cum veros vicinósque non horreat? Cum contra decẽ legiones & Gallica auxilia, & mixta barbarica arma ciuilibus, vocem liberam mittat, & Remp. hortetur, ne pro libertate decidat, sed omnia experiatur, honestius in seruitutem casura, quàm itura? Quantum in illo vigoris ac spiritus, quantum in publica trepidatione fiduciae est? Scit se vnum esse, de cuius statu non agatur:[s] non quaeri, an liber Cato, sed an inter liberos sit. Inde periculorum gladiorumque contemptus. Libet admirantem inuictam constantiam viri,[t] inter publicas ruinas non labantis, dicere: *Luxuriatque toris animosum pectus*. Proderit non tantum quales esse soleant boni viri, dicere, formamque eorum & lineamenta deducere, sed quales fuerint, narrare, & exponere Catonis illud vltimum ac fortissimũ vulnus, per quod liber amisit animã: Laelij sapientiã, & cũ suo Scipione concordiam: alterius Catonis domi forisque egregia facta:[17][u] Tuberonis ligneos lectulos, cũ in publicum sternerentur, haedinasq; pro stragulis pelles, & ante ipsius Iouis cellam proposita conuiuis vasa fictilia. quid aliud est, paupertatem in Capitolio consecrare? Vt nullum aliud factũ eius habeam, quo illum Catonibus inserã, hoc parũ credimus? Censura fuit illa, non coena. O quàm ignorant homines cupidi gloriae, quid illa sit, aut quemadmodum petenda. Illo die populus Romanus multorum supellectilẽ spectauit, vnius miratus est.

Omnium illotum autum argentumque [x] fractum est, & millies conflatum. At omnibus saeculis Tuberonis fictilia durabunt.

Epistola XCVI.

TAMEN tu indignaris aliquid aut quereris: & non intelligis, nihil esse in istis mali, nisi hoc vnum, quòd indignaris & quereris? Si me interrogas, nihil puto viro miserũm, nisi aliquid esse in rerum natura putet miserum. Non feram me, quo die aliquid ferre non potero. Male valeo? pars fati est. Familia decubuit? fenus offendit? domus crepuit? Damna, vulnera, labores, metus incurrerunt? Solet fieri. hoc parum est. debuit fieri. decernuntur ista, non accidunt. Si quid credis mihi, intimos affectus meos tibi cummaxime detego: in omnibus quae aduersa videntur & dura, sic formatus sum. Non pareo Deo, sed assentior: ex animo illum, non quia necesse est, sequor. Nihil vnquam mihi incidet, quod tristis excipiam, quod malo vultu: nullum tributum inuitus conferam. Omnia autem ad quae gemimus, quae expauescimus, tributa vitae sunt. Horum, mi Lucili, nec speraueris immunitatem, nec petieris. Vesicae te dolor inquietauit. Epulae fuerunt parum dulces, detrimenta continua: propius accedam, de capite timuisti. Quid tu nesciebas haec te optare, cum optares senectutem? Omnia ista in longa vita sunt, [a] quomodo in longa via & puluis & lutum & pluuia. Sed volebam viuere, carere tamen incommodis omnibus. Tam effeminata vox virum dedecet. Videris quemadmodum hoc votum meum excipias. Ego illud magno animo, non tantũ bono facio. Neque dij, neque deae faciant, vt te fortuna in deliciis habeat. Ipse te interroga, si quis potestatem tibi Deus faciat, vtrum velis viuere in macello, an in castris. Atqui viuere, mi Lucili, militare est. Itaque hi qui iactantur, & per operosa atque ardua sursum atq; deorsum eunt, & expeditiones periculosissimas obeunt, fortes viri sunt, primoresque castrorum. Isti quos publica quies, aliis laborantibus molliter habet, [b] Turdilli sunt, tuti contumeliae causa.

Epistola XCVII.

E[1]RRAS, mi Lucili, si existimas nostri saeculi esse vitium, luxuriam & negligentiam boni moris, & alia [2] quae obiicit suis quisque temporibus. Hominum sunt ista, non temporũ. Nulla aetas vacauit a culpa. Et si aestimare licentiam cuiusque saeculi incipias, pudet dicere. Nunquam apertius quàm coram Catone peccatum est. Credat aliquis pecuniam esse versatam in eo iudicio, in quo reus erat Clodius, ob id adulterium, [a] quod cum Caesaris vxore in operto commiserat, [b] violatis religionibus sacrificij, quod pro populo fieri dicitur, [c] sic submotis extra conspectum omnibus viris, vt picturae quoque masculorum animaliũ contegantur. Atqui dati iudicibus nummi sunt, & quod hac etiamnũ pactione turpius est, stupra insuper matronarum & adolescentulorum nobilium salarij loco exacta sunt. Minus crimine, quàm absolutione, peccatum est. Adulterij reus adulteria diuisit: nec ante fuit de salute securus, quàm similes sui iudices suos reddidit. Haec in eo iudicio facta sunt, in quo, si nihil aliud, Cato testimonium dixerat. ipsa ponam [3] verba Ciceronis, quia res fidem excedit. Accersiuit ad se, promisit, intercessit, dedit. Iam vero, o dij boni, rem perditam, [d] etiã noctes certatum mulierum atque adolescentulorum nobilium perductiones, nonnullis iudicibus pro mercedis cumulo fuerunt. Non vacat de pretio queri, plus in accessionibus fuit. Vis seueri illius vxorem? dabo illam. Vis diuitis? huius quoque tibi praestabo concubitum. Adulterium vbi feceris, damna. Illa formosa quam desideras, veniet: illius tibi noctem promitto, nec differo. Intra comperendinationem fides promissi mei stabit. Plus est distribuere adulteria, quã facere. [e] Illud est matribus familiae denuntiare, hoc illudere. Hi iudices Clodiani a senatu petierant praesidium, quod non erat nisi damnaturis necessarium: & impetrauerant. Itaque eleganter illis Catulus, absoluto reo: Quid vos, inquit, praesidiũ a nobis petebatis? An, ne nummi vobis eriperentur? Inter hos tamen iocos impune tulit ante iudicium adulter, in iudicio leno, qui damnationẽ peius effugit, quàm meruit? [f] Quicquam fuisse corruptius illis moribus credis, quibus libido non sacris inhiberi, non iudiciis poterat? quibus in ea ipsa quaestione quae extra ordinem senatusconsulto exercebatur, plus quàm quaerebatur admissum est? Qoaerebatur, an post adulterium aliquis posset tutus esse. appatuit, sine adulterio tutum esse non posse. Hoc inter Pompeium & Caesarem, inter Ciceronem Catonemque commissum est: Catonem inquam illum, quo sedente negatur populus permisisse sibi postulare [g] Florales iocos nudarum meretricum. Credis spectasse tunc seuerius homines quàm iudicasse? [h] & fient, & facta sunt ista: & licentia vrbiũ, aliquando disciplina metuque, nunquã sponte considet. Non est itaque quòd credas, nũc plurimũ libidini permissum esse, legibus minimum. Longe enim frugalior haec iuuentus, quàm illa, est, cum reus adulterium apud iudices negaret, [i] iudices apud reum confiterentur: cum stuprum committeretur

rei iudican-

[k] rei iudicandae caufa : cum Clodius iifdem viriis gratiofus quibus nocens, [4] conciliaturas exerceret in ipfa caufae dictione. Credat hoc quifquam? qui damnabatur vno adulterio, abfolutus eft multis. Omne tempus Clodios, [l] non omne Catones feret. Ad deteriora faciles fumus : quia nec dux poteft, nec comes deeffe: & res etiam ipfa fine duce, fine comite procedit: [m] non pronũ iter eft tantũ ad vitia, fed praeceps. Et, quod plerosq; inemendabiles facit, omnium aliarum artium peccata, artificibus pudori funt, [n] offenduntque: errantem in vita peccata delectant. Non gaudet nauigio gubernator euerfo, non gaudet aegro medicus elato, non gaudet orator, fi patroni culpa reus cecidit. At contra omnibus crimen fuum voluptati eft. Laetatur ille adulterio, in quod irritatus eft ipfa difficultate: [o] laetatur ille circũfcriptione furtoque: nec ante illi culpa, quàm culpae fortuna difplicuit. Id praua confuetudine euenit. Alioqui vt fcias, [p] fubeffe animis, etiam in peffima abductis, boni fenfum, nec ignorari turpe, fed negligi, omnes peccata diffimulant, & quamuis feliciter cefferint, fructu illorum vtuntur, ipfa fubducunt. At bona confcientia prodire vult, & confpici. Ipfas nequitia tenebras timet. Eleganter itaque ab Epicuro dictum puto, Poteft nocenti contingere vt lateat, [q] latendi fides non poteft. Aut fi hoc modo melius hũc explicari poffe iudicas fenfum: Ideo non prodeft latere peccanribus, [r] quia latendi etiam fi facultatem habent, fiduciam nõ habent. Ita eft. tuta fcelera effe poffunt : fecura non poffunt. [s] Hoc ego repugnare fectae noftrae, fi fic expediatur, non iudico. Quare? quia prima & maxima peccãtium eft poena, peccaffe. Nec vllum fcelus, licet illud fortuna exornet muneribus fuis, licet tueatur ac vindicet, impuninm eft : quoniam fceleris in fcelere fupplicium eft, Sed nihilominus & haec & illa fecundae poenae premunt ac fequuntur, timere femper & expauefcere, & fecuritati diffidere. Quare ego hoc fupplicio nequitiam liberem? Quare non fempet illam in fufpenfo relinquam? Illic diffentiamus cum Epicuro, vbi dicit nihil iuftum effe natura, & crimina vitanda effe, quia vitari metus non poffit. Hic confentiamus, mala facinora confcientia flagellari, & plurimum illi tormentorum effe, eo quòd perpetua illam folicitudo vrget ac verberat, quòd fponforibus fecuritatis fuae non poteft credere. Hoc enim ipfum argumentum Epicuri eft, natura nos a fcelere abhorrere, quòd nulli non etiam inter nita timor eft. Multos fortuna liberat poena, metu neminem. Quare? quia infixa nobis eius rei auerfatio eft, quam natura damnauit. Ideo nunquam fides latendi fit etiam latentibus, quia coarguit illos confcientia, & ipfos fibi oftendit. Proprium autem eft nocentium, trepidare. Male de nobis actum erat, quòd multa fcelera [t] legem & iudicem effugiunt, & fcripta fupplicia, nifi illa naturalia & grauia de praefentibus foluerent, & in locum paenitentiae timor cederet.

Epiftola XCVIII.

N[a]VNQVAM crediderís felicem quenquam, ex felicitate fufpenfum. fragilibus innititur, qui aduenticio laetus eft. exibit gaudium quod intrauit. At illud ex fe ortum, [b] fidele, firmumque eft, & crefcit, & ad extremum vfque profequitur. Cetera quorum admiratio eft vulgo, in diem bona funt. Quid ergo? non vfui ac voluptati effe poffuut? Quis negat? Sed ita, fi illa ex nobis pendent, non ex illis nos. [c] Omnia quae fortuna intuetur, ita fructifera ac iucunda fiunt, [d] fi quis habens illa, fe quoque habet, nec in rerum fuarum poteftate eft. Errant enim, mi Lucili, qui aut boni aliquid nobis, aut mali iudicant tribuere fortunam. Materiam dat bonorum ac malorũ, & initia rerum apud nos in malum bonumve exiturarum. Valentior enim omni fortuna animus eft: in vtranque partem ipfe res fuas ducit, beataeque ac miferae vitae fibi caufa eft. Malus animus omnia in malum vertit, etiam quae fpecie optimi venerant. Rectus atque integer corrigit praua fortunae, & dura atque afpera ferendi fcientia mollit: idemque & fecunda grate excipit modefteque, & aduerfa conftanter atque fortiter. Qui licet prudens fit, licet exacto faciat cuncta iudicio, licet nihil fupra vires fuas tentet : non contingit illi bonum integnm illud, & extra minas fortunae pofitum, nifi certus aduerfus incerta eft. Siue alios obferuare volueris (liberius enim inter aliena iudicium eft) fiue teipfum fauore fepofito; & fenties hoc, & confiteberis, nil ex his optabilibus & caris vtile effe, nifi te contra leuitatem cafus, rerumque cafum fequentium inftruxeris : nifi illud frequenter & fine querela inter fingula damna dixeris : *Dŷs aliter vifum eft*. Immo mehercule, [e] vt carmen fortius ac iuftius repetam, qno animum tuum magis fulcias, hoc dicito, quoties aliquid aliter quàm cogitabas euenerit : *Dŷ melius*. Sic compofito nihil accidet. fic autem componetur, fi, quid humanarum rerum varietas poffit, cogitauerit, antequam fenferit. Si & liberos, & coniugem, atque patrimonium fic habnerit, tanquam non vtique femper habiturus, & tanquam non funirus ob hoc miferior, fi habere defierit. Calamitofus eft animus futuri anxius, & ante miferias mifer, qui folicitus

est,vt ea quibus delectatur,ad extremum vsque permaneât. Nullo enim tempore conquiescet,& expectatione fururi, praesentia,quibus frui poterat, amittet.In aequo est autem dolor amissae rei, & timot amittendae. Nec ideo praecipio tibi negligentiam. [f] Tu vero metuenda declina, & quicquid consilio prospici potest, prospice. Quodcunque laesurum est, multo ante quàm accidat, speculare & auerte. In hoc ipsum tibi plurimum conferet fiducia, [g] & ad tolerandum omnino obfirmata mens. Potest fortunam cauete, qui potest ferre. Certe in tranquillo non tumultuatur.Nil est oec miserius oec stultius,quàm semper timere. Quae ista dementia est, malum suum antecedere? Denique, vt breuiter includam quod sentio, & istos satageos, ac sibi molestos describam tibi,[h] tam intemperâtes in ipsis miseriis sunt, quàm ante illas.[i] Plus dolet quàm oecesse est, qui ante dolet quàm necesse sit. Eadem enim infirmitate dolorem non aestimat, qua non expectat.[k] Eadem intemperâtia fingit sibi perpetuam felicitatem,fingit sibi ctescere debere quaecunque cootigerunt,oon tâtum durare:[l] & oblitus fati quo humaoa iactantur, sibi vni fortuitorum constantiam spondet.Egregie itaque videtut mihi Metrodorus dixisse in ea epistola, qua sororem,amisso optimae indolis filio,alloquitur:[l] [m] Mottale est omne mortalium bonum.de his loquitur bonis,ad quae concurritut. Nam illud verum bonum noo moritut: certum est sempiternumque,sapientia & virtus:hoc vnum contingit immortale mottalibus. Cererum tam improbi suot, tamque obliti quo eant,[n] quo illos singuli dies trudât, vt mirentur aliquid se amittere, amissuri voo die omnia. Quicquid est, cui dominus inscriberis, apud te est, tuum non est. Nihil firmum infitmo, nihil fragili aeternum & inuictum est. Tam necesse est perire quàm perdere: & hoc ipsum,si intelligimus,solatium est,[o] aequo animo perdere, quod periturum est. Quid ergo aduersus has amissiones auxilij inueniemus? Hoc, vt memoria teneamus amissa,nec cum ipsis fructum excidere patiamur,quem ex illis percepimus.Habere,eripitur: habuisse,nuoquam. Peringratus est,qui cum amiserit, pro accepto nihil debet. Rem nobis eripit casus,vsum fructumque apud nos relinquit, quem nos iniquitate desiderij perdimus. Dic tibi,Ex istis quae terribilia vidêtur,nihil est inuictum. Singula vicere iam multi: ignem Mucius,crucem Regulus,venenum Socrates,exilium Rutilius,mortem ferro adactam Cato.Et nos vincamus aliquid. Rursus ista,quae vt speciosa & felicia trahunt vulgum,a multis & saepe contempta sunt.Fabricius diuitias imperatot reiecit, censor notauit: Tubero paupertatem & se dignam & Capitolio iudicauit,cum fictilibus in publica coena vsus,ostendit debere his hominem esse contentum,quibus dij etiamnum vterentut.[a] Hooores repulit pater Sextius,qui ita natus vt temp. dcberet capessete,latum clauum diuo Iulio dante,noo recepit.[p] Intelligebat enim,quod dari posset,& eripi posse. Nos quoque aliquid ex his faciamus [q] animose.Simus inter exempla. Quare deficimus? Quare desperamus? Quicquid fieri potuit,potest. Nos modo purgemus aoimum, seqoamutque naturam, a qua aberranti cupiendum timendumque est, & fottuitis seruiêdum. Licer reuerti in viam, licet in integrum restitui.Restituamut,vt possimus dolores,quocunque modo corpus inuaserint, perferre,& fortunae dicere: Cum vito tibi negotium est, quaere quem vincas. His sermonibus, & his similibus,lenitur [r] illa vis vlceris:quam opto mehercules mitigari, & aut sanari, aut stare, & cum ipso senescere.[s] Sed securus de ipso sum.de nostro damno agitur,[t] quibus senex egregius eripitut. Nam ipse vitae plenus est, cui adiici nihil desiderat sua causa, sed eorum quibus vtilis est. Liberaliter facit quòd viuit. Alius iam hos cruciatus finisset. hic tam turpe putat mottem fugere, quàm ad mottem confugere.[t] Quid ergo? oon si suadebit, exibit? Quid ni exeat?si nemo iam eo vti poterit? si nihil aliud quàm dolori operam dabit? Hoc est, mi Lucili,[u] philosophiam in opere discere,& ad verum exerceri: videre quid homo prudens animi habeat contra mortem,contra dolotem: cum illa accedat, hic premat. Quid faciendum sit,a faciente discendum est. Adhuc argumentis actum est, an possit aliquid dolori resistete, an mors magnos quoque animos admota submittere. Quid opus est verbis? In tem ptaesentem eamus:nec mors illum contra dolotem facit fortiotem,nec dolor contra mortem. Contra vtrunque sibi fidit: nec spe mortis patienter dolet, oec taedio doloris libenter moritur. hunc fert, illam expectat.

Epistola XCIX.

EPISTOLAM quam scripsi Marullo,cum filium paruulum amisisset,& diceretut mollitet ferre,misi tibi.In qua non sum morem solitum secutus, nec puraui leniter illum debere tractari,cum obiurgatione esset, quàm consolatione digniot. Afflicto enim,& magnû vulnus male ferenti,paulisper cedendum est. Exsatiet se,aut cette primum impetum effundat. Hi qui sibi lugere sumpserunt, protinus castigentur, & discant quasdam etiam lacrimarum ineptias esse.Solatia expectas?côuicia accipe.Tam mollitet tu fers mottê filij? quid faceres,

si amicum perdidisses? Decessit filius incertae spei, paruulus: pusillũ temporis periit. Causas doloris conquirimus, & de fortuna etiã inique queri volumus, quasi non sit iustas querendi causas praebitura. At mehercule satis mihi iam videbaris animi habere etiam aduersus solida mala, nedum ad istas vmbras malorũ,[a] quibus ingemiscunt homines moris causa. Quod damnorum omnium maximum est, si amicum perdidisses, danda opera erat, vt magis gauderes quòd habueras, quàm maereres quòd amiseras. Sed plerique non computant, quanta perceperint,[b] quantumve gauisi sint.[c] Hoc habet inter reliqua mala dolor, quòd non superuacuus tantum, sed ingratus est. Ergo quod habuisti talem amicum, periit opera? Tot annis, tanta coniunctione vitae, tam familiari studiorum societate nihil actum est? Cum amico effers amicitiã. & quid doles amisisse, si habuisse non prodest? Mihi crede, magna pars ex illis quos amauimus, licet ipsos casus abstulerit, apud nos manet. Nostrum est quod praeteriit tempus: nec quicquã est loco tutiore, quàm quod fuit. Ingrati aduersus percepta spe futuri sumus: quasi non quod futurum est, si modo successerit nobis, cito in praeterita transiturum sit. Anguste fructus rerum determinat, qui tantum praesentibus laetus est. Et futura & praeterita delectant: haec expectatione, illa memoria. sed alterum pendet, & non fieri potest: alterum non potest non fuisse. Quis ergo furor est, certissimo excidere? Acquiescamus his quae iam hausimus, si modo non perforato animo hauriebamus, & transmittente quicquid acceperat. Innumerabilia sunt exempla eorum qui liberos iuuenes sine lacrimis extulerint: qui in senatum, aut in aliquod publicum officium a rogo redierint, & statim aliud egerint: nec immerito. Nam primum superuacuum est dolere, si nihil dolendo proficias. Deinde iniquum est queri de eo quod vni accidit, & omnibus restat. Deinde desiderij stulta conquestio est, vbi minimum interest inter amissum & desiderãtem. Eo itaque aequiore animo esse debemus, quòd quos amisimus sequimur. Respice celeritatem rapidissimi temporis: cogita breuitatem huius spatij, per quod citatissimi currimus. Obserua hunc comitatum generis humani, eodem tendentis, minimis interuallis distinctum, etiam vbi maxima videntur. Quem putas periisse, praemissus est. Quid autem dementius, quàm cum idem tibi iter emetiendum sit, flere eum qui antecessit? Flet aliquis factum, quod non ignorauit futurum:[d] aut si mortem in homine non cogitauit, sibi imposuit.[e] Flet aliquis factum, quod aiebat non posse non fieri. Quisquis aliquem queritur mortuum esse, queritur hominem fuisse. Omnes eadem condicio deuinxit. Cui nasci contigit, mori restat. Interuallis distinguimur, exitu aequamur. Hoc quod inter primum diem & vltimum iacet, varium, & incertum est. Si molestias aestimas, etiam puero longum: si velocitatem, etiam seni angustum. Nil non lubricum & fallax, & omni tempestate mobilius. Iactantur cuncta, & in contrarium transeunt, iubente fortuna: & in tanta volutatione rerum humanarum, nil cuiquam, nisi mors, certum. Tamen de eo queruntur omnes, in quo vno nemo decipitur. Sed puer decessit. Nondum dico melius agi cum eo qui vita defungitur. Ad eum transeamus qui consenuit: quantulo vincit infantem? Propone profundi temporis vastitatem, & vniuersum complectere: deinde hoc quod aetatem vocamus humanam, compara immenso: videbis quàm exiguum sit quod optamus, quod extendimus. Ex hoc quantum lacrimae, quantum sollicitudines occupant, quantum mors, antequam veniat, optata, quantum valetudo, quantum timor, quantum teneri aut rudes aut inutiles anni. Dimidium ex hoc edormitur. Adiice labores, luctus, pericula: & intelliges etiam in longissima vita, minimum esse quod viuitur.[f] Sed quis tibi concedat, non melius se habere eum cui cito reuerti licet, cui ante lassitudinem peractum est iter? Vita, nec bonum nec malum est: boni ac mali locus est.[g] Ita nihil perdidit ille, nisi aleã in damnum certiorem. Potuit euadere modestus ac prudens, potuit sub cura tua in meliora formari: sed (quod iustius timetur) potuit fieri pluribus similis. Aspice illos iuuenes, quos ex nobilissimis domibus in arenam luxuria proiecit. aspice illos, qui suam alienamque libidinem exercent mutuo impudici: quorum nullus sine ebrietate, nullus sine aliquo insigni flagitio dies exit. plus timeri quàm sperari potuisse manifestum erit. Non debes itaque causas doloris accersere, nec leuia incommoda indignãdo cumulare. Non hortor, vt nitaris & vrgeas. Non tam male de te iudico, vt tibi aduersus haec totam putem virtutem aduocandã. Non est dolor iste, sed morsus: tu illum dolorem facis. Sine dubio multum philosophia profecit, si puerum nutrici adhuc quàm patri notiorem animo forti desideras. Quid? nunc ego duritiam suadeo, & in funere ipso erigere vultũ volo, & animum ne contrahi quidẽ patior? Minime. inhumanitas est ista, non virtus, funera suorũ iisdem oculis, quibus ipsos videre, nec commoueri ad primam familiarium diuisionem.[h] Puta autem me vetare. Quaedam sunt sui iuris. Excidunt etiam retinentibus lacrimae, & animum profusae leuant. Quid ergo est? Permittamus illis cadere, non imperemus. Fluant quantum affectus eiecerit, non quantum

poſcet imitatio. Nihil vero maerori adiiciamus, nec illum ad alienum augeamus exemplum. Plus oſtentatio doloris exigit, quàm dolor. Quotus quiſque ſibi triſtis eſt?[a] Clarius cum audiuntur, gemunt: & taciti quietique, dum ſecretum eſt, cum aliquos viderint, in fletus nouos excitantur. Tum capiti ſuo manus ingerunt: quod poterant facere, nullo prohibente, liberius: tunc mortem comprecantur ſibi, tunc lectulo deuoluuntur. Sine ſpectatore ceſſat dolor. Sequitur nos vt in aliis rebus, ita in hac quoque hoc vitium, ad plurium exépla componi, nec quid oporteat, ſed quid ſoleat, aſpicere. A natura diſcedimus: populo nos damus, nullius rei bono auctori, & in hac te, ſicut in omnibus, inconſtantiſſimo. Videt aliquem fortem in luctu ſuo: impium vocat, & efferatum. Videt aliquem collabentem, & corpori affuſum: effeminatum ait, & eneruem. Omnia itaq; ad rationem reuocanda ſunt. Stultius vero nihil eſt, quàm famam captare triſtitiae, & lacrimas approbare: quas iudico ſapiéti viro alias permiſſas cadere, alias vi ſua latas. Dicam quid interſit. Cum primum nos nuntius acerbi funeris perculit, cum tenemus corpus e complexu noſtro in ignem tranſiturum, lacrimas naturalis neceſſitas exprimit: & ſpiritus ictu doloris impulſus, quemadmodum totum corpus quatit, ita oculos,[g] quibus adiacentem humorem premit & expellit. Hae lacrimae per eliſionem caduot, nolentibus nobis. Aliae ſunt quibus exitum damus, cum memoria eorum quos amiſimus, tractatur: & ineſt quiddam dulce triſtitiae: cum occurrũt ſermones eorum iucundi, conuerſatio hilaris, officioſa pietas, tunc oculi velut in gaudio relaxantur. His indulgemus, illis vincimur. Non eſt itaque, quòd lacrimas propter circumſtantes aſſidentesque aut contineas, aut exprimas. nec ceſſant,[h] nec fluunt vnquam tam turpiter, quàm finguntur. Eant ſua ſponte. Ire autem poſſunt placidis atque compoſitis. Saepe ſalua ſapientis auctoritate fluxerunt, tanto temperamento, vt illis nec humanitas, nec dignitas deeſſet. Licet, inquam, naturae obſequi, grauitate ſeruata. Vidi ego in funere ſuorum verendos, in quorum ore amor eminebat, remota omni lugẽtium ſcaena. Nihil erat, niſi quod veris dabatur affectibus. Eſt aliquis & dolendi decor. hic ſapienti ſeruandus eſt: & quemadmodum in ceteris rebus, ita & in lacrimis aliquid ſat eſt. Imprudentium vt gaudia, ſic dolores exundauere. AEquo animo excipe neceſſaria. Quid incredibile, quid nouum euenit? Quàm multis cummaxime funus locatur.[l] quàm multis vitalia eruuntur. quàm multi poſt luctum tuum lugent? Quoties cogitaueris puerum fuiſſe, cogita & hominem, cui nihil certi promittatur, quem fortuna non vtique perducit ad ſenectutem: vnde viſum eſt, dimittit. Ceterum de illo frequenter loquere, & memoriam eius quantum potes, celebra. quae ad te ſaepius reuertetur, ſi erit ſine acerbitate vẽtura. Nemo enim libenter triſti conuerſatur, nedũ triſtitiae. Si quos ſermones eius, ſi quos quãuis paruuli iocos cũ voluptate audieras, ſaepius repete: potuiſſe illũ implere ſpes tuas, quas paterna mente cóceperas, audacter affirma. Obliuiſci quidem ſuorum, ac memoriam cum corporibus efferre, & effuſiſſime flere, meminiſſe parciſſime, inhumani animi eſt.[m] Sic aues, ſic ferae fetus ſuos diligunt, quarũ concitatus eſt amor, & paene rabidus, ſed cum amiſſis totus extinguitur. Hoc prudentem virum non decet. Meminiſſe perſeueret. lugere deſinat. Illud nullo modo probo, quod ait Metrodorus,[n] eſſe aliquam cognatã triſtitiae voluptatem,[n] hanc ipſam captandam in eiuſmodi tẽpore.[o] Ipſa Metrodori verba ſubſcripſi. De quibus non dubito, quid ſis cẽſurus. Quid enim turpius, quàm captare in ipſo luctu voluptatẽ, immo per luctum & inter lacrimas quoque quod iuuet quaerere? Hi ſunt qui nobis obiiciunt nimiũ rigorẽ, & infamant praecepta noſtra duritia, quòd dicamus[o] dolorem in animum aut admittendũ non eſſe, aut cito expellendum. Vtrum tandem eſt aut incredibilius, aut inhumanius, non ſentire amiſſo amico dolorem, an voluptatem in ipſo dolore aucupari? Nos quod praecipimus, honeſtum eſt. Cum aliquid lacrimarum affectus effuderit, &, vt ita dicam, deſpumauerit, non eſſe tradendum animũ dolori. Quid tu dicis? miſcendam ipſi dolori voluptatem. Sic conſolamur cruſtulo pueros, ſic infantium fletum infuſo lacte compeſcimus. Ne illo quidem tempore quo filius ardet, aut amicus exſpirat, ceſſare pateris voluptatem, ſed ipſum vis titillare maerorem. Vtrum honeſtius dolor animo ſubmouetur, an voluptas ad dolorem quoque admittitur?[p] admittitur, dico? captatur, & quidem ex ipſo. Eſt aliqua, inquit, voluptas cognata triſtitiae. Illud nobis licet dicere: vobis quidem non licet. Vnum bonum noſtis voluptatem, vnum malum dolorem. Quae poteſt inter bonum & malum eſſe cognatio? Sed puta eſſe. Nunc potiſſimum eruitur: & ipſum dolorem ſcrutamur an aliquid habeat iucundum circa ſe & voluptarium. Quaedam remedia aliis partibus corporis ſalutaria, velut foeda & indecora, adhiberi aliis nequeunt: & quod alibi prodeſſet ſine damno verecundiae, id fit inhoneſtum loco vulneris. Non te pudet luctum voluptate ſanare? Seuerius iſta plaga ſananda eſt. illud potius admone, nullum mali ſenſum ad eum qui perit, peruenire. Nam ſi peruenit, non periit.

Nulla,

Nulla,inquam,cum res laedit,qui nullus est. Viuit, si laeditur. Verũ putas illi male esse,quòd nullus est,an quòd est adhuc aliquis? Atqui nec ex eo potest ei tormentum esse, quòd non est: quis enim nullius sensus est? nec ex eo,quòd est.Effugit enim maximum mortis incommodum,non esse. Illud quoque dicamus ei qui deflet ac desiderat in aetate prima raptum: Omnes quantum ad breuitatem aeui, si vniuerso compares,& iuuenes & senes in aequo sumus. Minus enim ad nos ex omni aetate venit,quàm quod minimum esse quis dixerit,quoniam quidem minimum aliqua pars est. Hoc quod viuimus, proximum nihilo est:& tamen ob dementiam nostram late disponitur. Haec tibi scripsi, non tanquam expectaturus esses remedium a me tam serum: liquet enim mihi te locutum tecum,quicquid lecturus es:sed vt castigarem illam exiguam moram,qua a te recessisti,& in reliquum exhortarer, contra fortunam tolleres animos,& omnia eius tela,non tanquam possent venire,sed tanquam vtique essent ventura,prospiceres.

Epistola C.

FABIANI Papirij libros,[a] qui inscribuntur ciuilium, legisse te cupidissime scribis,[b] sed nõ respondisse expectationi tuae. Deinde, oblitus de philosopho agi, compositionem eius accusas.[c] Puta esse quod dicis:& effundi verba,non fingi. Primum habet ista res suam gratiam:& est decor proprius orationis leniter lapsae. Multum enim interesse existimo, vtrum exciderit,an fluxerit. Nunc in hoc quoque quod dicturus sum,ingens differentia est.Fabianus mihi[d] non effundere videtur orationem, sed fundere. Adeo larga est, & sine perturbatione,non sine cursu tamen,veniens. illud plane fatetur & praefert,non esse se tractatã, nec diu tortam, sed ita, vt eius esse credamus. Mores ille, non verba composuit: & animis scripsit ista,non auribus. Praeterea ipso dicente non vacasset tibi partes intueri: adeo te summa rapuisset. & fere quae impetu placent, minus praestant ad manum relata. Sed illud quoque multum est,[e] primo aspectu oculos occupasse,etiam si contemplatio diligens inuentura est, quod arguat. Si me interrogas,maior ille est qui iudicium abstulit,quàm qui meruit.Et scio hunc tutiorem esse: scio audacius sibi de futuro promittere. Oratio solicita philosophum non decet. Vbi tandem erit fortis & constans,vbi periculum sui faciet,qui timet verba? Fabianus non erat negligens in oratione, sed securus. Itaque nihil inuenies sordidum. Electa verba sunt,non captata, nec huius saeculi more contra naturam suam posita & inuersa,splẽdida tamen: quamuis sumantur e medio: sensus honestos & magnificos habent, non coactos in sententiam,sed altius ductos. Videbimus,[f] quid parum recisum sit,quid parum structum, quid non huius recentis politurae. Cum circumspexeris omnia,nullas videbis angustias inaneis.Desit sane varietas marmorum: & concisura aquarum cubiculis interfluentiũ, & [i] pauperis cella,& quicquid aliud luxuria,nõ contenta decore simplici,miscet.Quod dici † solet,domus recta est. Adiice nunc,quod de compositione non constat. Quidam illam volunt esse ex horrido comptam: quidam vsque eo aspera gaudent, vt etiam quae mollius casus explicuit,ex industria dissipent,& clausulas abrumpant, ne ad expectatum respondeant. Lege Ciceronem.Compositio eius vna est: pedem seruat,curata,lenta,& sine infamia mollis. At contra Pollionis Asinij salebrosa & exsiliens,& vbi minime expectes,relicta.Denique apud Ciceronem omnia desinunt: apud Pollionem cadunt: exceptis paucissimis, quae ad certum modum & ad vnum exemplar astricta sunt.Humilia praeterea tibi videri dicis omnia,& parum erecta: quo vitio carere eum iudico. Non sunt humilia illa,sed placida.[g] Sũt enim tenore quieto compositoque formata, nec depressa,sed plana. Deest illis oratorius vigor,stimulique quos quaeris,& subiti ictus sententiarum.[h] Sed totum corpus vide,quamuis non sit comptum, honestum est. Non habet oratio eius dignitatem. Affer quem Fabiano possis praeponere. Dic Ciceronem,cuius libri ad philosophiam pertinentes, paene totidem sunt, quot Fabiani. Cedam. sed non statim pusillum est,si quid maximo minus est. Dic Asinium Pollionem. Cedam. sed vt respondeam:In re tanta eminere est,& post duos esse. Nomina adhuc Liuium. Scripsit enim & dialogos,[i] quos non magis philosophiae annumerare possis,quàm historiae: & ex professo philosophiam continentes libros. Huic quoque dabo locum.Vide tamen,quàm multos antecedat,qui a tribus vincitur,& tribus eloquentissimis. Sed non praestat omnia.[k] Non est fortis oratio eius, quamuis elata sit:non est violenta, nec torrens,quamuis effusa sit:non est perspicua, sed pura.[l] Desideras, inquis, contra vitia aliquid aspere dici,contra pericula animose, contra fortunam superbe, contra ambitionem contumeliose. Volo luxuriam obiurgari,libidinem traduci,impotentiam frangi.Sit aliquid oratorie acre, tragice grande, comice exile.Vis illum assidere pusillae rei,verbis? Ille rerum se magnitudini addixit: eloquentiam,velut vmbram,non hoc agens,trahit.[m] Non erunt sine dubio singula circumsecta,nec in se collecta, nec omne verbum excitabit ac punget. Fa-

teor. exibunt multa, nec ferient, & interdum otiosa praeterlabetur oratio: [n] sed multum erit in omnibus locis, & ingens sine taedio spatium. Denique illud praestabit, vt liqueat tibi, illum sensisse, quae scripsit. Intelliges actum hoc, vt tu scires quid illi placeret, non vt ille placeret tibi. Ad profectum omnia tendunt, & ad bonam mentem. Non quaeritur plausus. Talia esse scripta eius non dubito, etiam si magis reminiscor quàm teneo: haeretque mihi color eorum, non ex recenti conuersatione familiariter, sed summatim, vt solet, ex vetere notitia. Cum audirem certe illum, talia mihi videbantur, non solida, sed plena, quae adolescentem indolis bonae attollerent, & ad imitationem sui vocarent, sine desperatione vincendi. Quae mihi adhortatio videtur efficacissima. [o] Deterret enim, qui imitandi cupiditatem modo fecit, spem abstulit. Ceterum verbis abundabat, sine commendatione partium singularum, in vniuersum magnificus.

Epistola CI.

OMNIS dies, omnis hora, quàm nihil simus ostendit, & aliquo argumento recenti admonet fragilitatis oblitos, [a] cum aeterna meditantes respicere cogit ad mortem. Quid sibi istud principium velit, quaeris. Senecionem Cornelium, equitem Romanum splendidum & officiosum, noueras. ex tenui principio se ipse promouerat, & iam illi decliuis erat cursus ad cetera. Facilius enim crescit dignitas, quàm incipit. [b] Pecunia quoque circa paupertatem [c] plurimam moram habet, dum ex illa ereptat. Hic etiam Senecio diuitiis imminebat, ad quas illũ duae res ducebant efficacissimae, & quaerendi, & custodiendi scientia, quarum vel altera locupletem facere potuisset. Hic homo summae frugalitatis, non minus patrimonij quàm corporis diligens, cum me ex consuetudine mane vidisset, cum per totum diem amico grauiter affecto, & sine spe iacenti, vsque in noctem assedisset, cum hilaris coenasset, genere valetudinis praecipiti abreptus, angina, vix compressum arctatis faucibus spiritum traxit in lucem. Intra paucissimas ergo horas, postquam omnibus erat sani ac valentis officiis functus, decessit. [c] Ille qui & mari & terra pecuniam agitabat, qui ad publica quoque, nullum relinquens inexpertum genus quaestus, accesserat, [d] in ipso actu bene cedentium rerum, in ipso procurrentis pecuniae impetu, taptus est.

Insere nunc Meliboee pyros, pone ordine vites.

Quàm stultum est aetatem disponere, ne crastino quidem dominamur. O quanta dementia est spes longas inchoantium. Emam, aedificabo, credam, exigam, honores geram, tum demum lassam & plenam senectutem in otium referam. Omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia sunt. Nihil sibi quisquam de futuro debet promittere. Id quoque quod tenetur, per manus exit: & ipsam quam premimus [e] oram, casus incidit. Voluitur tempus rata quidem lege, sed per obscurum. Quid autem ad me, an naturae certum sit, quod mihi incertum est? Nauigationes longas, & pererratis littoribus alienis, seros in patriam reditus proponimus, militiam, [e] & castrensium laborum tarda manupretia, procurationes, officiotumque per officia processus: cum interim ad latus mors est: [f] quae quoniam nunquam cogitatur, nisi aliena, nobis subinde ingeruntur mortalitatis exempla, non diutius, quàm dum miramur, haesura. Quid autem est stultius, quàm mirari id vllo die factum, quod omni potest fieri? Stat quidem terminus nobis, vbi illum inexorabilis fatorum necessitas fixit: sed nemo scit nostrum, quàm prope versetur. Sic itaque formemus animum, [g] tanquam ad extremum ventum sit. Nihil differamus. Quotidie cum vita paria faciamus. Maximũ vitae vitium est, quòd imperfecta semper est, [h] quòd etiam aliquid ex illa differtur. Qui quotidie vitae suae summam manum imposuit, non indiget tempore. Ex hac autem indigentia timor nascitur, & cupiditas futuri exedens animum. [i] Nihil est miserius dubitatione venientium, quorsum euadant. Quantum sit illud quod restat, aut quale, [k] collecta mens inexplicabili formidine agitatur. Quomodo effugiemus hanc volutationem? Vno, si vita nostra non prominebit, si in se colligetur. Ille enim ex futuro suspenditur, cui irritum est praesens. Vbi vero, quicquid mihi debui, redditum est, vbi stabilita mens scit, nihil interesse inter diem & saeculum, quicquid deinceps dierum rerumque venturum est, ex alto prospicit, & cum multo risu seriem temporum cogitat. Quid enim varietas mobilitasque casuum perturbabit, [l] si certus sis aduersus incerta? Ideo, mi Lucili, propera viuere: & singulos dies, singulas vitas puta. Qui hoc modo se aptabit, cui vita sua quotidie fuit tota, securus est. In spe viuentibus, proximum quodque tempus elabitur, [m] subitque auiditas, & miserrimum atque miserrima omnia efficiens, metus mortis. Inde illud Maecenatis turpissimum votum: quo & debilitatem non recusat, & deformitatem, & nouissime acutam crucem, dummodo inter haec mala spiritus prorogetur.

[n] *Debilem*

[n] *Debilem facito manu,*
Debilem pede, coxa:
Tuber adstrue gibberum,
Lubricos quate dentes.
Vita dum superest, bene est.
[o] *Hanc mihi, vel acutam,*
Si das, sustineo crucem.

Quod miserrimum erat, si incidisset, optatur, & tanquam vita petitur, supplicij mora. Contemptissimum putarem, si viuere vellet vsque ad crucem. Tu vero, inquit, me debilites licet, dum spiritus in corpore fracto & inutili maneat: depraues licet, dum monstroso & distorto temporis aliquid accedat: suffigas licet, & acutam sensuro crucem subdas. Est tanti, vulnus suum premere, & patibulo pendere destrictum, dum differat id quod est in malis optimum, supplicij finem. Est tanti, habere animam, vt agam. Quid huic optes, nisi deos faciles? quid sibi vult ista carminis effeminati turpitudo? quid timoris dementissimi pactio? [p] quid tam foeda vitae mendicatio? Huic putas vnquam recitasse Virgilium,

Vsque adeone mori miserum est?

Optat vltima malorum: & quae pati grauissimum est, extendi ac sustineri cupit. qua mercede? scilicet vitae longioris. Quid autem huius viuere est? Diu mori. Inuenitur aliquis, qui malit inter supplicia tabescere, & perire membratim, & toties per stillicidia amittere animã, quàm semel exhalare? Inuenitur qui velit adactus ad illud infelix lignum, iam debilis, iam prauus, & in foedum scapularum ac pectoris tuber elisus, cui multae moriendi causae etiam citra crucem fuerant, trahere animam tot tormenta tracturam? Nega nunc magnum beneficium esse naturae, quòd necesse est mori. Multi peiora pacisci adhuc parati sunt: etiam amicum prodere, vt diutius viuant: & liberos ad stuprum manu sua tradere, vt contingat lucem videre, tot consciam scelerum. Excutienda vitae cupido est: discendumque nihil interesse quando patiaris, quod quandoque patiendum est: quàm bene viuas referre, non quamdiu: saepe autem in hoc esse bene, ne diu.

Epistola CII.

QVOMODO molestus est iucundum somnium videnti qui excitat: aufert enim voluptatem, etiam si falsam, [a] effectum tamen veri habentem: sic epistola tua mihi fecit iniuriã. reuocauit enim me [b] cogitationi aptae traditum, & iturum, si licuisset, vlterius. Iuuabat de aeternitate animarum quaerere, immo mehercule credere. [c] Credebam enim facile opinionibus magnorum virorum, rem gratissimam promittentium magis quàm probantium. Dabam me spei tantae. Iam eram fastidio mihi, iam reliquias aetatis infractae contemnebam, in immensum illud tempus, & in possessionem omnis aeui transiturus, cum subito experrectus sum, epistola tua accepta, & tam bellum somnium perdidi, quod repetam, si te dimisero, & redimam. [d] Negas me epistola prima totam quaestionem explicuisse, in qua probare conabar id quod nostris placet, claritatem quae post mortem cõtingit, bonum esse. Id enim me non soluisse, quod opponitur nobis. Nullum, inquiunt, bonum ex distantibus. Hoc autem ex distantibus constat. Quod interrogas, mi Lucili, eiusdem quaestionis est, loci alterius: & ideo non hoc tantum, sed alia quoque eodem pertinentia distuleram. Quaedã enim, vt scis, moralibus rationalia immixta sunt. Itaque illam partem recta ad mores pertinentem tractaui, Nunquid stultum sit ac superuacuum, vltra extremum diem curas transmittere. An cadant bona nostra nobiscum, nihilque sit eius qui nullus est. [e] An ex eo quodcunque erit, sensuri simus aliquid fructus, antequam percipi possit. Haec autem omnia ad mores spectãt. Itaque suo loco posita sunt. At quae a dialecticis contra hanc opinionem dicuntur, segregãda fuerunt: & ideo seposita sunt. Nunc quia omnia exigis, omnia quae dicunt persequar, deinde singulis occurram. [f] Nisi aliquid praedixero, intelligi non poterunt quae refellentur. [g] Quid est, quod praedicere velim? Quaedam continua esse corpora, vt hominem: quaedam composita, vt nauem, domum, omnia denique quorum diuersae partes iunctura in vnum sunt coactae: quaedam ex distantibus, quorum adhuc membra separata sunt, tãquam exercitus, populus, senatus. Illi enim per quos ista corpora efficiuntur, iure aut officio cohaerent, natura diducti & singuli sunt. Quid est, quod etiam nunc praedicere velim? Nullum bonum putamus esse, quod ex distantibus constat. [h] Vno enim spiritu vnum bonum contineri ac regi debet, vnum esse vnius boni principale. Hoc si quando desideraueris, per se probatur. Interim ponendum fuit, [i] quo nostra tela nitatur. [k] Dicitis, inquit, nullum bonum ex distantibus esse. [l] Claritas autem ista, bonorum virorum opinio est. Nam quomodo fama non est vnius sermo, nec infamia vnius mala existimatio: sic nec claritas, vni bono placuisse. Con-

sentire in hoc plures insignes & praestantes viri debent, vt claritas sit. Haec autem ex iudiciis plurium efficitur, id est, distantium: ergo oon est bonum. Claritas, inquit, laus est a bonis bono reddita: laus oratio: oratio vox est aliquid significans.[m] Vox autem, licet virorum sit bonorum, bonum non est. Neque enim quicquid vir bonus facit, bonum est. Nam & plaudit, & sibilat: sed nec plausum quisquam, nec sibilum, licet omnia eius admiretur & laudet, bonũ dicit, non magis quàm sternutamentum aut tussim. Ergo claritas bonum non est. Ad summam, dicite nobis, vtrum laudantis, an laudati bonum sit? Si laudantis bonum esse dicitis, tam ridiculã rem facitis, quàm si affirmetis meum esse, quòd alius bene valeat. Sed laudare dignos, honesta actio est: ita laudantis bonum est, cuius actio est, nõ nostrum qui laudamur. Atqui hoc quaerebatur. Respondebo nunc singulis cursim. Primum, an sit aliquid ex distãtibus bonum, etiam nunc quaeritur, & pars vtraque sententias habet. Deinde claritas oon desiderat multa suffragia: potest & vnius boni viri iudicio esse contenta. Nam omnes bonos bonus vnus iudicat. Quid ergo, inquit, & fama erit vnius hominis existimatio, & infamia vnius malignus sermo? Gloriã quoque, inquit, latius fusam intelligo. Consensum enim multorum exigit.[n] Diuersa horum condicio est, & illius. Quare? Quia si de me bene vir bonus seotit, eodem loco sum, quo, si omnes boni idem sentirent. Omnes enim si me cogoouerint, idem senrient. Par illis idemque iudicium est:[o] aeque vero seotitur ab his qui dissidere non possuot. Ita pro eo est, ac si omnes idem sentiant: quia aliud sentire non possunt. Ad gloriam & famam non est satis vnius opinio.[p] Illic idem potest vnius sententia, quod omnium:[q] quia omnium si rogentur, vna erit. Hic diuersa dissimilium iudicia sunt, dissimiles affectus. Dubia omnia inuenias, leuia, suspecta. Putas tu posse sententiam vnam omniũ esse? [r] Non est vnius vna. Illis placet verum. Veritatis vna vis, vna facies est. Apud hos falsa sunt, quibus asseotiuntur. Nunquam autem falsis constantia est. Variantur & dissident. Sed laus, inquit, nihil aliud quàm vox est. Vox autem bonum non est.[s] Cum dicant claritatem laudẽ esse bonorum, a bonis redditam, iam noo ad vocem referunt, sed ad sententiam. Licet enim vir bonus taceat, sed aliquem iudicet dignum laude, laudatus est. Praeterea aliud est laus, aliud laudatio. Haec & vocem exigit. Itaque oemo dicit laudem funebrem, sed laudatiooẽ, cuius officium oratione constat. Cum dicimus aliquem laude dignum, non verba illi benigna bominum, sed iudicia promittimus. Ergo laus etiam taciti est bene sentientis, ac booum virum apud se laudantis. Deinde, vt dixi, ad animum refertur laus, non ad verba, quae conceptam laudem egerunt, & in notitiam plurium emittunt. Laudat, qui laudandum esse iudicat. Cum Tragicus ille apud nos ait, Magnificum esse laudari a laudato viro: laude digno, ait. Et cum aeque antiquus poeta ait, Laus alit artes: non laudationem dicit, quae corrumpit artes. Nihil enim aeque & eloquentiam,[t] & omne aliud studium auribus deditum vitiauit, quàm popularis assensio. Fama vtique vocem desiderat, claritas oon. potest enim citra vocẽ contingere, contenta iudicio: pleoa est, non tantum inter tacenteis, sed etiam ioter reclamãteis. Quid intersit inter claritatem & glotiam, dicam. Gloria multorum iudiciis constat, claritas bonorum. Cuius, ioquit, bonum est claritas, id est, laus bono a bonis reddita, vtrum laudati an laudantis? Vtriusque: meum qui laudor, quia natura me amantem omnium genuit, & benefecisse gaudeo, & gratos me iouenisse virtutum interpretes laetor. Hoc plurium bonum est, quòd grati sunt, sed & meum. Ita enim animo compositus sum, vt aliorum bonum, meum iudicem:[u] vtique eorum quibus ipse sum boni causa.[x] Est illud laudantium bonum. Virtute enim geritur. Omnis autem virtutis actio bonum est. Hoc contingere illis noo potuisset, nisi ego talis essem. Itaque vtriusque bonum est, merito laudari: tam mehercule, quã bene iudicasse, iudicantis bonum est, & eius, secundum quem iudicatum est. Nunquid dubitas,[y] quin iustitia & habentis bonum sit,[z] & eius cui debitum soluit? Merentem laudare, iustitia est: igitur vtriusque bonum est. Cauillatoribus istis[a] abunde respoodimus. Sed non debuit hoc nobis esse propositum,[b] argutias serere, & philosophiam in has angustias ex sua maiestate detrahere. Quanto satius est, ire aperta via & recta, quàm sibiipsi flexus disponere, quos cum magoa molestia debeas relegere. Neque enim quicquam aliud istae disputationes sunt,[c] quàm inter se perite captantium lusus. Dic potius, quàm naturale sit, in immẽsum mentem suam extendere. Magna & generosa res est humanus animus: nullos sibi poni nisi communes & cum Deo terminos patitur. Primum humilem noo accipit patriam, Ephesum aut Alexandriam,[d] aut si quod est etiamnum frequentius incolis, latius tectis solum. Illi patria est, quodcunque superne vniuersa circuitu suo cingit. Hoc omne conuexum, intra quod iaceot maria cum terris, intra quod aer humanis diuina secernens[e] etiam coniungit, intra quod disposita tot numina io actus suos excubant.[f] Deinde arctam aetatem sibi dari noo finit.[g] Omnes, inquit, anni mei sunt. Nullum saeculum magnis ingeniis clusum est,[h] nullum

non

non cogitationi peruium tempus. Cum venerit dies ille [i] qui mixtum hoc diuini humanique secernat, corpus hoc, vbi inueni, relinquam: [k] ipse me Diis reddam: nec nunc sine illis sum, sed graui terrenoque detineor. Per has mortalis aeui moras, illi meliori vitae, longiorique praeluditur. Quemadmodum nouem mensibus nos tener maternus vterus, & praeparat nō sibi, sed illi loco [l] in quem videmur emitti, iam idonei spiritum trahere, & in aperto durare: sic per hoc spatium, quod ab infantia patet in senectutem, [m] in alium naturae sumimur partum. Alia origo nos expectat, alius rerum status. Nondum caelum nisi ex interuallo pati possumus. Proinde intrepidus horam illam decretoriam prospice. Non est animo suprema, sed corpori. Quicquid circa te iacet rerum, tanquam hospitalis loci sarcinas specta. Transeundū est. Excutit redeuntem natura, sicut intrantem. Non licet plus efferre, quàm intuleris. Immo etiam ex eo quod in vitam attulisti, pars magna ponenda est. Detrahetur tibi haec circumiecta, nouissimum velamentum tui, cutis: detrahetur caro & suffusus sanguis, discurrensque per totum: detrahentur ossa neruique, firmamenta fluidorum ac labentium. Dies iste, quem tanquam extremum reformidas, aeterni natalis est. Depone onus. Quid cunctaris, tanquam non prius quoque, [n] relicto, in quo latebas, corpore, exieris? Haeres & reluctaris. tum quoque magno nisu matris expulsus es. Gemis, ploras: & hoc ipsum flere, nascentis est. Sed tunc debebat ignosci. rudis & imperitus omnium veneras: ex maternorum viscerum calido mollique fomento emissum, afflauit aura liberior. [o] Deinde offendit durae manus tactus, tenerque adhuc, & nullius rei gnarus obstupuisti inter ignota. Nunc tibi non est nouum separari ab eo cuius ante pars fueris: aequo animo membra iam superuacua dimitte, & istud corpus inhabitatum diu, pone. Scindetur, obruetur, abolebitur. Quid contristaris? Ita solet fieri. [p] Pereunt semper velamenta nascentium. Quid ista sic diligis, quasi tua? Istis opertus es. Veniet qui te reuelet dies, & ex contubernio foedi atque olidi ventris educat. [q] Hinc nūc quoque tu quantum potes, subuola: ab aliis, nisi quae etiam necessariis cohaerebunt, alienus. Iam hinc, altius aliquid, sublimiusque meditare. [r] Aliquando naturae tibi arcana retegentur, discutietur ista caligo, & lux vndique clara percutiet. Imaginare tecum, quantus ille sit fulgor, tot sideribus inter se lumen miscentibus. Nulla serenum vmbra turbabit: aequaliter splendebit omne caeli latus. Dies & nox, aëris infimi vices sunt. Tunc in tenebris vixisse dices, [s] cū totam lucem totus aspexeris, quam nunc per angustissimas oculorum vias obscure intueris, [t] & tamen admiraris tam procul. [u] Quid tibi videbitur diuina lux, cum illam suo loco videris? Haec cogitatio nihil sordidum animo subsidere sinit, nihil humile, nihil crudele. Deos omnium rerum esse testes ait. Illis nos approbari, illis in futurum parari iubet, & aeternitatē proponere: quam qui mente concepit, nullos horret exercitus, nō terretur tuba, nullis ad timorem minis agitur. [x] Quid ni non timeat, qui mori sperat: [y] si is quoque qui tandiu animum iudicat manere, quandiu retinetur corporis vinculo, solutum, totum spargi, id agit, vt etiam post mortem vtilis esse possit? Quamuis enim ipse ereptus sit oculis, tamen

Multa viri virtus animo, multusque recursat
Gentis honos.

Cogita, quantum nobis exempla bona prosint. scies magnorum virorum, [z] non minus praesentia, esse vtilem memoriam.

Epistola CIII.

QVID ista circumspicis, quae tibi possunt fortasse euenire, sed possunt & nō euenire? [a] incendium dico, ruinam, aliaque, quae nobis incidunt, non insidiantur. Illa potius vide, illa deuita, quae nos obseruant, quae captant. [b] Rari sunt casus, etiam si graues, naufragium facere, vehiculo euerti. Ab homine homini quotidianum periculum. Aduersus hoc te expedi, hoc intentis oculis intuere. Nullum enim malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Tempestas minatur, antequam surgat. Crepant aedificia, antequam corruāt: praenuntiat fumus incendium. Subita est ex homine pernicies: & eo diligentius tegitur, quo propius accedit. Erras, si istorum tibi qui occurrunt voltibus credis: hominum effigies habent, animos ferarum: nisi quòd illarum perniciosior est primus incursus, [c] quos transire non queunt. Nunquam enim illas [d] ad nocendum nisi necessitas misit. Aut fame, aut timore coguntur ad pugnam. Homini perdere hominem libet. Tu tamen ita cogita, quod ex homine periculum sit: vt cogites, quod sit hominis officium. Alterum intuere, ne laedaris: alterum, ne laedas. Commodis omnium laeteris, mouearis incommodis: & memineris quae praestare debeas, quae cauere. Sic viuendo quid consequeris? Non, ne noceant: sed, ne fallant. Quantum autem potes, in philosophiam secede. Illa te sinu suo proteget. In huius sacrario eris aut tutus, aut tutior. [e] Non arietant inter se, nisi in eodem ambulantes. Ipsam autē philosophiam non debebis iactare. Multis fuit periculi causa, [f] insolenter iactata, & contu-

maciter. Vitia tibi detrahat, non alij exprobret, non abhorreat a publicis moribus: [g] nec ita agat, vt quicquid non facit, damnare videatur. Licet sapere sine pompa, sine inuidia.

Epistola CIIII.

In Nomentanum meum fugi, quid putas? vrbem? immo febrem, & quidem surrepentem. Iam manum mihi iniecerat: protinus itaque parari vehiculum iussi, Paulina mea retinẽte. Medicus initia esse dicebat, motis venis, sed incertis, & naturalem turbantibus modum. Exire perseueraui. Illud mihi in ore erat domini mei Gallionis: qui cum in Achaia febrem habere coepisset, protinus nauem ascendit, clamitans non corporis esse, sed loci morbum. Hoc ego Paulinae meae dixi, quae mihi valetudinem meam commendat. [a] Nam cum sciam spiritum illius in meo verti: incipio, vt illi consulam, mihi consulere: [b] & quum me fortiorem senectus ad multa reddiderit, hoc beneficium aetatis amitto. Venit mihi in mentem in hoc sene & adolescentem esse, cui parcitur. Itaque quoniam ego ab illa non impetro, [c] vt me fortius amet: impetrat illa a me, vt me indulgentius amem. Indulgendum est enim honestis affectibus, & interdum etiam si premunt causae, spiritus in honorem suorum vel cum tormẽto reuocandus, & in ipso ore retinendus est, cum bono viro viuendum sit, non quamdiu iuuat, sed quamdiu oportet. Ille qui non vxorem, non amicum tanti putat, vt diutius in vita commoretur, qui perseuerat mori, delicatus est. Hoc quoque imperet sibi animus, vbi vtilitas suorum exigit, nec tantum sibi velit mori, [d] sed & si coepit, intermittat, & suis se commodet. Ingentis animi est, aliena causa ad vitam reuerti: quod magni viri saepe fecerunt. Sed hoc quoque summae humanitatis existimo, senectutem suam, cuius maximus fructus est, securior sui tutela, & vitae vsus animosior, attentius conseruare, si scias alicui tuorum esse dulce, vtile, optabile. Habet praeterea in se non mediocre ista res gaudium & mercedem. Quid enim iucundius, quàm vxori tam carum esse, vt propter hoc tibi carior fias? Potest itaque Paulina mea nõ tantum suum mihi timorem imputare, sed etiam meum. Quaeris ergo, quomodo mihi consilium profectionis cesserit? Vt primum grauitatem vrbis excessi, [e] & illum nidorem culinarum fumantium, quae motae quicquid pestiferi vaporis obruerant, cum puluere effundunt, protinus mutatam valetudinem sensi. Quantum deinde adiectum putas viribus, postquam vineas attigi? In pascuum emissus, cibum meum inuasi. Repetiui ergo iã me. non permansit marcor ille corporis dubij, & male cogitantis. incipio toto animo studere. Non multum ad hoc locus confert, nisi se sibi praestet animus, qui secretum & in occupationibus mediis, si volet, habebit. At ille qui regiones eligit, & otium captat, [f] vbique quo distringatur inueniet. Nam Socratẽ querenti cuidam, quod nihil sibi peregrinationes profuissent, respondisse ferunt: Non immerito hoc tibi euenit: tecum enim peregrinabaris. O quàm bene cum quibusdam ageretur, si a se aberrarent. Nunc primi seipsos sollicitant, corrumpunt, territant. Quid prodest mare traiicere, & vrbes mutare? Si vis ista, quibus vrgeris, effugere, non alibi sis oportet, sed alius. [g] Puta venisse te Athenas, puta Rhodon. Elige arbitrio tuo ciuitatem. Quid ad rem pertinet, quos illa mores habeat? Tuos afferes. Diuitias iudicabis bonum? Torquebit te paupertas, & (quod est miserrimum) falsa. Quamuis enim multum possideas, tamen quia aliquis plus habet, [h] tanto tibi videberis defici, quanto vinceris. Honores iudicas bonum? Male te habebit ille consul factus, ille etiam refectus: [i] ringeris, quoties aliquem in fastis saepius legeris. Tãtus erit ambitionis furor, vt nemo tibi post te videatur, si aliquis ante te fuerit. Maximũ malum iudicabis mortem: cum illa nihil sit mali, nisi, quod ante ipsam est, timeri. [k] Exterrebunt te nõ tantum pericula, sed suspiciones. Vanis semper agitaberis. Quid enim proderit, euasisse tot vrbes Argolicas, mediosque fugam tenuisse per hostes? Ipsa pax timores subministrabit. Ne tutis quidem habebitur fides, consternata semel mente: quae vbi consuetudinem pauoris improuidi fecit, etiam ad tutelam salutis tuae inhabilis es. Non enim vitat, sed fugit: magis autem periculis patemus auersi. Grauissimum iudicabis malum, aliquem ex his quos amabis amittere: cum interim hoc tam ineptum erit, quàm flere, quòd arboribus amoenis & domum tuam ornantibus decidant folia. [l] Quicquid te delectat, aeque viret. Aliud alio die casus excutiet. Sed quemadmodum frondium iactura facilis est, quia renascuntur: sic istorum quos amas, quosque oblectamenta vitae putas esse, damnum, quia reparantur, etiam si non renascantur. Sed non erunt iidem. Ne tu quidem idem eris. Omnis dies, omnis hora te mutat: sed in aliis rapina facilius apparet: hic latet, quia non ex aperto fit. Alij auferuntur: at ipsi nobis furto subducimur. [m] Horum nihil cogitabis, nec remedia vulneribus appones, sed ipse tibi seres sollicitudinum causas, alia sperando, alia desperando? [n] Si sapis, alterum alteri misceas: nec speraueris sine desperatione, nec desperaueris sine spe. Quid per se prodesse peregrinatio cuiquam potuit? Non voluptates illa temperauit, non cupiditates refraenauit, non iras repressit, non indomi-

tos

tos amoris impetus fregit, nulla denique animo mala eduxit, non iudicium dedit, non excussit errorem, sed vt puerum ignota mirantem, ad breue tempus rerum aliqua nouitate detinuit. Ceterum inconstantiam mentis, [o] quae cum maxime aegra est, lacessit, mobiliorem leuioremque reddit ipsa iactatio. Itaque quae petierant cupidissime loca, cupidius desetunt, & auium modo transuolant, [p] citiusque quàm venerant, abeunt. Peregrinatio notitiam dabit gẽtium, nouas tibi montium formas ostendet, inusitata spatia camporum, & irriguas perennibus aquis valles, & alicuius fluminis sub obseruatione naturam, siue, vt Nilus, aestiuo incremẽto tumet, sine, vt Tigris, eripitur ex oculis, & acto per occulta cursu, integrae magnitudini redditur, siue, vt Maeander, poetarum omniũ exercitatio & ludus, implicatur crebris anfractibus, & saepe in vicinum alueo suo admotus, antequã sibi influat, flectitur: ceterum neque meliorem faciet, neque saniorem. Inter studia versandum est, & inter auctores sapientiae, vt quaesita discamus, nondum inuenta quaeramus. Sic eximendus animus ex miserrima seruitute [q] in libertatem. Quamdiu quidem nescieris, quid fugiendũ, quid petendum, quid necessarium, quid superuacuum, quid iustum, quid honestum sit, non erit hoc peregrinari, sed errare. Nullã tibi opem feret iste discursus. Peregrinaris enim cum affectibus tuis, & mala te tua sequuntur. Vtinam quidem seqnerentur, longius abessent: nũc fers illa, non ducis. Itaque vbique te premunt, & paribus incommodis vrunt. [r] Medicina aegro, non regio, quaerenda est. Fregit aliquis crus, aut extorsit articulum? non vehiculum nauemque conscendit, sed aduocat medicum, vt fracta pars iungatur, vt luxata in locum reponatur. Quid ergo animum tot locis fractum & extortum credis locorum mutatione posse sanari? Maius est istud malum, quàm vt gestatione curetur. Peregrinatio non facit medicum, non oratorem. Nulla ars loco discitur. Quid ergo? Sapientia res omnium maxima [s] in itinere colligitur? Nullum, mihi crede, iter est, quod te extra cupiditates, extra iras, extra metus sistat. Aut si quod esset, agmine facto, gens illuc humana pergeret. Tamdiu ista vrgebunt mala, macerabũtque per terras ac maria vagum, quamdiu malorum gestaris causas. Fugam tibi non prodesse miraris? tecum sunt quae fugis. Te igitur emenda, onera tibi detrahe: [t] & desideria saltem intra modum contine. Omnem ex animo erade nequitiam. Si vis peregrinationes habere iucundas, tuum comitem sana. Haerebit tibi auaritia, quamdiu auaro sordidoque conuixeris. Haerebit tumor, quamdiu cum superbo conuersaberis. Nunquam saeuitiam in tortoris contubernio pones. Incendent libidines tuas adulterorum sodalitia. Si velis vitiis exui, longe a vitiorum exemplis recedendum est. Auarus, corruptor, saeuus, fraudulentus, [u] multum nocituri si prope te fuissent, intra te sunt. Ad meliores transi. [x] Cum Catonibus viue, cum Laelio, cum Tuberone: qnòd si conuiuere etiam Graecis iuuat, cum Socrate, cum Zenone versare. Alter te docebit mori, si necesse erit: alter, antequam necesse erit. Viue cum Chrysippo, cum Posidonio. Hi tibi tradent diuinorum humanorumque notitiam. [z] Hi iubebunt in opere esse: [y] nec tantum scite loqui, & in oblectationem audientium verba iactare, sed animum indurare, & aduersus minas erigere. Vnus est enim huius vitae fluctuantis & turbidae portus, euentura contemnere, [z] stare fidẽter, aperte tela fortunae aduerso pectore excipere, non latitantem, nec tergiuersantem. Magnanimos nos natura produxit: & vt quibusdam animalibus ferum dedit, quibusdam subdolum, quibusdam pauidum, ita nobis gloriosum & excelsum spiritum, quaerentem vbi honestissime, non vbi tutissime viuat, simillimum mundo: quem quantum mortalibus passibus licet, sequitur aemulaturque. [a] Ptofert se laudari & aspici gestit. [b] Dominus omnium est, supra omnia est. Itaque nulli se rei submittit. nihil illi videtur graue, [c] nihil quod virum incutuet.

Terribiles visu formae, laetumque labosque.

[d] Minime quidem, si quis rectis oculis intueri illa possit, & tenebras perrumpere. Multa per noctem habita terrori, dies vertit ad risum.

Terribiles visu formae, letumque labosque,

[e] egregie Virgilius noster. Non re dixit terribiles esse, sed visu: id est, videri, non esse. Quid, inquam, in istis est tam formidabile, quàm fama vulgauit? Quid est, obsecro te, Lucili, cur timeat laborem vir, mortem homo? Totiens mihi occurrunt isti qui non putant fieri posse quicquid facere nõ possunt, & aiunt nos loqui maiora, quàm quae natura bumana sustineat. At quanto ego de illis melius existimo? ipsi quoque haec possunt facere, sed nolunt. Deniq; quem vnqnam ista destiruere tentantem? cui non faciliora apparuere in actu? Non quia difficilia sunt, non audemus: sed quia non audemus, difficilia sunt. Si tamen exemplum desideratis, accipite Socratem perpessicium senem, per omnia aspera iactatum, [f] inuictum fame & paupertate, quam grauiorem illi domestica onera faciebant, [g] & laboribus quos militares quoque pertulit, & [h] quibus ille domi exercitus, siue vxorem eius spectes moribus feram,

lingua petulantem, siue liberos indociles, & matri quàm patri similiores. Sic fere aut in bello fuit, aut in tyrannide, aut in libertate, bellis ac tyrannis saeuiore. Viginti & septem annis pugnatum est: post finita arma, triginta tyrannis noxae dedita est ciuitas, ex quibus plaerique inimici erant. Nouissima damnatio est sub grauissimis criminibus impleta. obiecta est & religionum violatio, & iuuentutis corruptela, quam immittere in deos, in partes, in remp. dictus est. Post haec carcer, & venenum.[l] Haec vsque eo animum Socratis non mouerunt, vt ne vultum quidem mouerint.[k] Illam mirabilem laudem, & singularem, vsque ad extremum seruauit: non hilariorem quisquam, non tristiorem Socratem vidit: aequalis fuit in tanta inaequalitate fortunae. Vis alterum exemplum? Accipe hunc M. Catonem recentiorem, cum quo & infestius fortuna egit, & pertinacius. Cui cum omnibus locis obstitisset, nouissime & in morte, ostendit tamen virum fortem posse inuita fortuna viuere, inuita mori. Tota illi aetas aut in armis est exacta ciuilibus, aut in aetate concipiente iam ciuile bellum. Et hûc licet dicas non minus quàm Socratem in seruitute vixisse: nisi forte Cn. Pompeium & Caesarem & Crassum putas libertatis socios fuisse. Nemo mutatum Catonem, toties mutata Rep. vidit: eundem se in omni statu praestitit. In praetura, in repulsa, in accusatione, in prouincia, in concione, in exercitu, in morte, denique in illa Reip. trepidatione, cum illinc Caesar esset decem legionibus pugnacissimis subnixus, hinc[l] tot externatum gentium praesidiis: hinc Cn. Pompeius,[m] satis vnus aduersus omnia. Cum alij ad Caesarem inclinarent, alij ad Pompeiũ,[n] solus Cato fecit aliquas & Reip. partes. Si animo complecti volueris illius imaginem temporis, videbis illinc plebem & omnem erectum ad res nouas vulgum: hinc optimates & equestrem ordinem, quicquid erat in ciuitate sancti & lecti: duos in medio relictos, Remp. & Catonem. Miraberis, inquam, cum animaduerteris

Atriden, Priamumque, & saeuum ambobus Achillem.

Vtrunque enim improbat, vtrunque exarmat. Hanc fert de vtroque sententiã. Ait se, si Caesar vicerit, moriturum: si Pompeius, exulaturum. Quid habebat quod timeret, qui ea sibi & victo & victori constituerat,[o] quae constituta esse ab hostibus iratissimis poterant? Periit itaque ex decreto suo. Vides posse homines labores pati? per medias Africae solitudines pedes duxit exercitum. Vides posse tolerare sitim? & in collibus arentibus, sine vllis impedimentis victi exercitus reliquias trahens, inopiam humoris loricatus tulit, & quoties aquae fuerat occasio, nouissimus bibit. Vides honorem & notam posse contemni? Eodem quo repulsus est die, in comitio pila lusit. Vides posse non timeri potentiam superiorum? & Pompeium & Caesarem, quorum nemo alterum offendere audebat, nisi vt alterum demereretur, simul prouocauit. Vides tam mortem posse contemni quàm exilium? & exilium sibi indixit & mortem, & interim bellum. Possumus itaque aduersus ista tantum habere animi, libeat modo subducere iugo collum. In primis autem respuendae sunt voluptates: eneruant, & effeminant, & multum petunt. multum autem a fortuna petendum est. Deinde spernendae opes. auctoramenta sunt seruitutum. Aurum & argentum, & quicquid aliud felices domos onerat, relinquatur. Non potest gratis constare libertas. Hanc si magno aestimas, omnia paruo aestimanda sunt.

Epistola CV.

Qvae obseruanda tibi sint, vt tutior viuas, dicam. Tu tamen sic audias censeo ista praecepta, quomodo si tibi praeciperem, qua ratione bonam valetudinem in Ardeatino tuereris. Considera, quae sint quae hominem in perniciem hominis instigent. inuenies spẽ, inuidiam, odium, metum, contemptum. Ex omnibus istis, adeo leuissimum est contemptus, vt multi in illo remedij causa delituerint. Quem quis contemnit, calcat sine dubio, sed transit. Nemo homini contempto, pertinaciter, nemo diligenter nocet. Etiam in acie iacens praeteritur: cum stante pugnatur. Spem improborum vitabis,[a] si nihil habueris quod cupiditatem alienam & improbam irritet, si nihil insigne possederis. Concupiscuntur enim insignia, etiam si parum nota sunt. Sic vero inuidiam effugies, si te non ingesseris oculis, si bona tua nõ iactaueris, si scieris in sinu gaudere. Odium autem ex offensa sic vitabis,[b] neminem lacessendo gratuito, a quo te sensus cõmunis tuebitur. fuit enim hoc multis periculosum. Quidam odium habuerũt, nec inimicum. Illud ne timearis, praestabit tibi & fortunae mediocritas, & ingenij lenitas: cum te esse hominem scient, quem offendere sine periculo possint. Reconciliatio tua & facilis sit, & certa. Timeri autem tam domi molestum est, quàm foris: tam a seruis, quàm a liberis. Nulli non ad nocendum satis virium est. Adiice nunc, quòd qui timetur, timet. Nemo potuit terribilis esse secure. Contemptus superest: cuius modum in sua potestate habet, qui illum sibi adiunxit: qui contemnitur, quia voluit, non quia debuit. Huius incommodum & artes bonae discutiunt, & amicitiae eorum[c] qui apud

apud aliquem potentem potentes sunt: quibus applicari expediet, non implicari: ne pluris remedium, quàm periculum constet. Nihil tamen aeque proderit, quàm quiescere, & minimum cum aliis loqui, plurimum secum. Est quaedam[a] dulcedo sermonis quae irrepit & blāditur, & non aliter quàm ebrietas aut amor[e] secreta producit. Nemo quod audierit, tacebit: nemo quantum audierit, loquetur. Qui rem non tacuerit, non tacebit auctorem. Habet vnusquisque aliquem cui tantum credit, quantum ipsi creditum est. [f]Vt garrulitatem suam custodiat, & contentus sit vnius auribus, populum faciet. Sic quod modo secretum erat, rumor est. Securitatis magna portio est, nihil iniqui facere. Confusam vitam & perturbatam impotentes agunt: tantum metuunt, quantum nocent: nec vllo tempore vacant.[g]Trepidant enim cum fecerunt. Haerent. Conscientia aliud agere non patitur, ac subinde respicere ad se cogit. Dat poenas, quisquis expectat: quisquis autem meruit, expectat. Tutum aliqua res in mala conscientia praestat, nulla securum. Putat enim se, etiam si non deprehenditur, posse deprehendi: & inter somnos mouetur, & quoties alicuius scelus loquitur, de suo cogitat. Non satis illi oblitteratum videtur, nou satis tectum. Nocens habuit aliquando latendi fortunam, nunquam fiduciam.

Epistola CVI.

T[a]ARDIVS rescribo ad epistolas tuas, nou quia districtus occupationibus sum: hanc excusationem caue audias. Vaco: & omnes qui volunt, vacant. Neminem res sequuntur: ipsi illas amplexantur, & argumentum esse felicitatis occupationem putant. Quid ergo fuit [a]quare non protinus rescriberem tibi, de quo quaerebas? Veniebat in contextū operis mei: scis enim me moralem philosophiam velle complecti, & omnes ad eam pertinentes quaestiones explicare. Itaque dubitaui vtrum differrem te, an, douec suus isti rei veniret locus, ius tibi extra ordinem dicerem. Humanius visum est, tam longe venientem non detiuere. Itaque & hoc ex illa serie terum cohaerentium excerpam, & si qua erunt huiusmodi, uon quaerenti tibi vltro mittam. Quae sint haec, interrogas? Quae scire magis iuuat, quàm prodest: sicut hoc de quo quaeris, an corpus bonum sit. Corpus est: facit enim. Quod facit, corpus est. Bonum, agitat animum, & qnodāmodo format & continet: quae ergo propria sunt corporis. Et corporis bona sunt corpora: corpora ergo sunt & quae animi sunt. Nam & hic corpus est. Bonum hominis necesse est corpus sit, cum ipse corporalis. Mentior, nisi & quae alunt illud, & quae valetudinem eius vel custodiunt vel restituunt, corpota sunt. [b] Ergo & bonum eius corpus est. Non puto te dubitaturum, an affectus corpora sint, vt aliud quoque de quo nō quaeris, infulciam: tanquā ira, amor, tristitia. si dubitas, vide an vultum nobis mutent, an frontem astringant, an faciem diffundant, [c] an ruborē euocent, an fugent sanguinē. Qnid ergo? tam manifestas corpori notas credis imprimi, nisi a corpore? Si affectus corpora sunt, & morbi animorum, & auaritia, crudelitas, indurata vitia, & in statum inemendabilem adducta:[d] ergo & malitia, & species eius omnes, malignitas, inuidia, superbia. Ergo & bona. primū quia contraria istis sunt: deinde, quia eadem tibi indicia praestabunt. An non vides, quantum oculis det vigorem fortitudo? Quantam intentionem prudentia? Quantam modestiam & quietem reuereutia? Quantam serenitatem laetitia? Quantum rigorem seueritas? Quantam remissionem hilaritas? Corpora ergo sunt, quae colorem habitumque corporum mutant, quae in illis regnum suum exercent.[e] Omnes autem quas retuli virtutes, bona sunt, & quicquid ex illis est. Nuuquid est dubium, an id quo quid tangi potest, corpus sit?

Tangere enim & tangi, nisi corpus, nulla potest res, vt ait Lucretius.

Omnia autem ista quae dixi, non mutarent corpus, nisi tangereut: ergo corpora suut. Etiamnum cui tanta vis est, vt impellat & cogat & retineat & iubeat, corpus est. Quid ergo? Non timor retinet? Non audacia impellit? Non fortitudo immittit, & impetum dat? Non moderatio refraenat ac reuocat? Non gaudium extollit?[f] Nou tristitia abducit? Denique quicquid facimus, aut malitiae, aut virtutis gerimus imperio. Quod imperat corpori, corpus est. Quod vim corpori affert, corpus. bonum corporis corporale est. bonum hominis, & corporis bonnm est: itaque corporale est. Quoniam, vt voluisti, morem gessi tibi, nunc ipse dicam mihi, qnod dicturum esse re video. [g] Laterunculis ludimus. in superuacuis subtilitas teritur. Non faciuur bonos ista, sed doctos.[h] Apertior res est, sapere: immo simplicior. Paucis opus est ad mentem bonam litteris. Sed nos vt cetera in superuacuum diffundimus, ita philosophiam ipsam. Quemadmodum omnium rerum, sic litterarum quoque intemperantia laboramus. Nou vitae, sed scholae discimus.

Epistola CVII.

VBI illa prudentia tua? Vbi in dispiciendis rebus subtilitas? Vbi magnitudo?[a] Tam pusilla te agunt? serui occupationes tuas, occasionem fugae putauerunt.[b] Si amici deci-

perent,([c] habeant enim sane nomen, quod illis Epicurus noster imposuit; & ita vocentur) quota pars abesset rebus tuis? Desunt illi qui & operam tuam conterebant, [d] & te aliis molestum reddebant. Nihil horum insolitum, nihil inexpectatum est. Offendi rebus istis tam ridiculum est, quàm queri, quòd spargaris in publico, [e] aut inquineris luto. [f] Eadem vitae cõdicio est, quae balnei, turbae, itineris: quaedam intermittentur, quaedam incident. Non est delicata res, viuere. Longam viam ingressus es: [g] & labaris oportet, & arietes, & cadas, & lasseris, & exclames: O mors, [h] id est, mentiaris. Alio loco comitem relinques, alio efferes, alio timebis. Per eiusmodi offensas emetiendum est confragosum hoc iter. Praeparetur animus contra omnia. [i] Sciat se venisse vbi

Luctus & vltrices posuere cubilia curae,
Pallentesque habitant morbi, tristisque senectus.

In hoc contubernio vita degenda est. Effugere ista non potes, contemnere potes. Contemnes autem, si saepe cogitaueris, & futura praesumpseris. Nemo non fortius ad id cui se diu composuerat, accessit, & duris quoque, si praemeditata erant, obstitit. At contra imparatus, etiam leuissima expauit. Id agendum est, ne quid nobis inopinatum sit. Et quia omnia nouitate grauiora sunt, haec cogitatio assidua praestabit, vt nulli sis malo tiro. Serui te reliquerunt. Alium compilauerunt, alium accusauerunt, alium occiderunt, alium prodiderunt, alium calcauerunt, alium veneno, alium criminatione petierunt. Quicquid dixeris, multis accidit, [k] deincepsque accidet. Multa & varia sunt quae in nos diriguntur. Quaedam in nos fixa sunt, quaedam vibrant, & cummaxime veniunt, quaedam ad alios peruentura, nos cõstringunt. Nihil miremur eorum ad quae nati sumus: quae ideo nulli querenda, quia paria sunt omnibus. Ita dico paria sunt. nam etiam quod effugit aliquis, pati potuit. AEquum autem ius est, nõ quo omnes vsi sunt, sed quod omnibus latum est. Imperetur aequitas animo, & sine querela mortalitatis tributa pendamus. Hiems frigora adducit: algendum est. aestas calores refert: aestuandum est. intemperies caeli valetudinem tentat: aegrotandum est. Et fera nobis loco occurret, & homo perniciosior feris omnibus. [l] Alium aqua, aliũ ignis eripiet. Hanc rerum condicionem mutare non possumus. Id possumus, magnum sumere animum, & viro bono dignum, quo fortiter fortuita patiamur, & naturae consentiamus. Natura autem hoc quod vides regnum mutationibus temperat. Nubilo serena succedunt. Turbantur maria, cum quieuerunt. Flant inuicem venti. Noctẽ dies sequitur. Pars caeli consurgit, pars mergitur. Contrariis tetum aeternitas constat. Ad hanc legem animus noster aptandus est: hanc sequatur, huic pareat: & quaecunque fiunt, debuisse fieri putet: nec velit obiurgare naturam. Optimum est pati, quod emendare non possis: & Deum, quo auctore cuncta proueniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui imperatorem gemẽs sequitur. Quare impigri atque alacres excipiamus imperia, nec deseramus hũc operis pulcherrimi cursum, cui quicquid patimur, intextum est: & sic alloquamur Iouem, cuius gubernaculo moles ista dirigitur, [m] quomodo Cleanthes noster versibus disertissimis alloquitur: quos mihi in nostrum sermonem mutare permittitur, Ciceronis viri disertissimi exemplo. Si placuerint, boni consules: si displicuerint, scies me in hoc secutum Ciceronis exemplum.

Duc me parens, celsique dominator poli,
Quocunque placuit. nulla parendi mora est.
Assum impiger. fac nolle. comitabor gemens:
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.
Malusque patiar, quod pati licuit bono.

Sic viuamus, sic loquamut. paratos nos inueniat atque impigros fatum. Hic est magnus animus, qui se Deo tradidit. At contra ille pusillus ac degener, qui obluctatur, & de ordine mũdi male existimat, & emendare mauult deos, quàm se.

Epistola CVIII.

Io de quo quaeris, ex his est, quae scire, tantum eo, vt scias, pertinet. Sed nihilominus [a] quia pertinet, pertinaciter properas, nec vis expectare libros, quos cummaxime ordine continentes totam moralem philosophiae partem, statim expediam. Illud tamen prius scribam, quemadmodum tibi ista cupiditas discendi, qua flagrare te video, regenda sit, [b] ne ipsa se impediat. Nec passim carpenda sunt, nec auide inuadenda vniuersa. per partes peruenitur ad totum. Aptari onus viribus debet: nec plus occupari, quàm cui sufficere possumus. Non quantum vis, sed quantũ capis, hauriendum est. bonum tantum habe animum: capies, quantum voles. Quo plus recipit animus, hoc se magis laxat. Haec nobis praecipere Attalum memini, cum scholam eius obsideremus, & primi veniremus, & nouissimi exiremus: ambulantem quoque illum ad aliquas disputationes euocaremus, non tantũ paratum discentibus, sed obuium.

obuium. Idem, inquit, & docenti & discenti debet esse propositum: vt ille prodesse velit, hic proficere. Qui ad philosophorum scholas venit, quotidie secum aliquid boni ferat: aut sanior domum redeat, aut sanabilior. Redibit autem. Ea enim philosophiae vis est, vt non solum studentes, sed etiam conuersantes iuuet. Qui in solem venit, licet non in hoc venerit, colorabitur. Qui in vnguentaria taberna resederunt, & paulo diutius commorati sunt, odorem secum loci ferunt. Et qui apud philosophum fuerunt, traxerint aliquid necesse est, quod prodesset etiam negligentibus. Attende quid dicam, negligentibus, non repugnantibus. Quid ergo? Non nouimus quosdam, [c] qui multis apud philosophiam annis persederint, & ne colorem quidem duxerint? Quid ni nouerim? Pertinacissimos quidem, & assiduos: quos ego non discipulos philosophorum, sed inquilinos voco. Quidam veniunt vt audiant, non vt discant: sicut in theatrum voluptatis causa ad delectandas aures, oratione, vel voce, vel fabulis ducimur. Magnam hanc auditorum partem videbis, cui philosophi schola diuersorium otij sit. Non id agunt [d] vt aliqua illic vitia deponant, vt aliquam legem vitae accipiant, ad quam mores suos exigant, sed vt oblectamento aurium perfruantur. Aliqui tamen & cum pugillaribus veniunt, non vt res excipiant, sed verba: quae tam sine profectu alieno dicant, quàm sine suo audiant. Quidam ad magnificas voces excitantur, & transeunt in affectum dicentium, alacres vultu & animo: nec aliter concitantur, [e] quàm solent Phrygij tibicinis sono semiuiri & ex imperio furentes. Rapit illos instigatque rerum pulchritudo, nõ verborum inanium sonitus. Si quid acriter contra mortem dictum est, si quid contra fortunam contumaciter, iuuat protinus quae audias facere. [f] Afficiuntur illi, & sunt quales iubentur, si illa animo forma permaneat, si non impetum insignem protinus populus honesti dissuasor excipiat. Pauci illam quam conceperant mentem domum perferre potuerunt. Facile est auditorem concitare ad cupiditatem recti. Omnibus enim natura fundamenta dedit, semenque virtutum: omnes ad omnia ista nati sumus. Cum irritator accessit, [g] tunc illa animi bona velut sopita excitantur. Non vides quemadmodum theatra consonent, quoties aliqua dicta sunt, quae publice agnoscimus, & consensu vera esse testamur?

Desunt inopiae multa, auaritiae omnia.
In nullum auarus bonus est, in se pessimus.

Ad hos versus ille sordidissimus plaudit, & vitiis suis fieri conuicium gaudet. Quanto magis hoc iudicas euenire, cum a philosopho ista dicuntur, cum salutaribus praeceptis versus inseruntur, efficacius eadem illa demissuri in animum imperitorum? Nam (vt dicebat Cleanthes) quemadmodum spiritus noster clariorem sonum reddit, [h] cum illum tuba per longi canalis angustias tractum, patentiore nouissime exitu effudit: sic sensus nostros clariores carminis arcta necessitas efficit. Eadem negligentius audiuntur, minusque percutiũt, quamdiu solura oratione dicuntur. vbi accessere numeri, & egregium sensum astrinxere certi pedes, eadem illa sententia velut lacerto excussa torquetur. De contemptu pecuniae multa dicuntur, & longissimis orationibus hoc praecipitur, vt homines in animo, non in patrimonio putent esse diuitias. Eum esse locupletem, [i] qui paupertati suae aptus est, & paruo se diuitem fecit. Magis tamen feriuntur animi, cum carmine eiusmodi dicta sunt:

Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit.
Quod vult habet, qui velle quod satis est potest.

Cum haec atque eiusmodi audimus, ad confessionem veritatis adducimur. Illi enim quibus nihil satis est, admirantur, acclamant, odium pecuniae indicunt. Hunc illorum affectum vbi videris, vrge, hoc preme, hoc onera, relictis ambiguitatibus, & syllogismis, & cauillationibus, & ceteris acuminis irriti ludicris. Dic in auaritiam, dic in luxuriam. Cum profecisse te videris, & animos audientium affeceris, insta vehementius. Verisimile non est, quãtum proficiat talis oratio remedio intenta, & tota in bonum audientium versa. [k] Facillime enim tenera concitantur ingenia ad honesti rectique amorem. [l] Adhuc docilibus leuiterque corruptis iniicit manum veritas, si aduocatum idoneum nacta est. Ego certe cum Attalum audirem, in vitia, in errores, in mala vitae perorantem, saepe misertus sum generis humani, & illum sublimem altioremque humano fastigio credidi. Ipse regem se esse dicebat: sed plus quàm regnare mihi videbatur, [m] cui liceret censuram agere regnantium. Cum vero commẽdare paupertatem coeperat, & ostendere, quicquid vsum excederet, pondus esse superuacuũ & graue ferenti: saepe exire e schola pauperi libuit. Cum coeperat voluptates nostras traducere, laudare castum corpus, sobriam mensam, puram mentem, non tantum ab illicitis voluptatibus, sed etiam superuacuis: libebat circumscribere gulam & ventrem. Inde mihi quaedam permansere, Lucili. Magno enim in omnia impetu veneram: deinde ad ciuitatis vitam reductus, ex bene coeptis pauca seruaui. Inde ostreis boletisque in omnem

vitam tenuntiatum est.[n] Haec enim oon cibi, sed oblectamenta sunt, ad edendum satutos cogentia: quod gratissimum est edacibus, & se vltra quàm capiunt farcientibus, facile descensura, facile teditura. Inde in omnem vitam vngueoto abstinemus: [o] quoniam optimus odot in corpote est nullus. Inde vino caret stomachus. Inde in omnem vitam balneum fugimus. Decoquere corpus, atque exinanire sudotibus, inutile simul delicatumq; credimus. Cetera proiecta redierunt. Ita tamen, vt quorum abstinentiam interrupi, modum seruem, & quidem abstinentiae ptoximiorem, oescio an difficiliorem: quoniam quaedam abscindũtur facilius animo, quàm temperantur. Quoniam coepi tibi exponere, quantum maiori impetu ad philosophiam iuuenis accesserim, quàm senex pergam, non pudebit fateri,[p] quem mihi amorem Pythagorae iniecerit Sotion. Docebat, quare ille animalibus abstinuisset, quare postea Sextius. Dissimilis vtrique causa erat, sed vtrique magnifica. Hic homini satis alimẽtorum citra sanguinem esse credebat, & crudelitatis consuetudinem fieri, vbi in voluptatem esset adducta laceratio. Adiiciebat, contrahendam materiam esse luxuriae. Colligebat, bonae valetudini contraria esse alimenta varia, & nostris aliena corporibus. At Pythagotas omnium inter omnia cognationem esse dicebat, & aliorum commercium in alias atque alias formas transeuntium. Nulla (si illi credas) anima interit, nec cessat quidem, nisi tempore exiguo, dum in aliud corpus transfunditur. Videbimus per quas temporum vices, & quãdo pererratis pluribus domiciliis, in hominẽ reuertarut. Interim sceleris hominibus ac parricidij metum fecit, cum possint in parentis animam inscij incurrere, & ferro morsuve violare, in quo cognatus aliquis spiritus hospitaretur. Haec cum exposuisser Sotion, & implesset argumentis suis, Non credis, inquit, animas in alia corpora atque alia describi? & migrationem esse, quam dicimus esse mortem? Non credis in his pecudibus ferisve aut aqua mersis illum quondam hominis animum morari? Non credis nihil perire in hoc mundo, sed mutare regiooem? Nec tantum caelestia per certos circuitus verti, sed animalia quoque per vices ire, & animos per orbem agi? Magni ista crediderunt viri. Itaque iudicium quidem tuum sustine. Ceterum [q] omnia tibi in integro serua. Si vera sunt ista, abstinuisse animalibus innocentia est: si falsa, frugalitas est. [r] Quod istic crudelitati tuae damnum est? Alimenta tibi leonum & vulturum eripio. His instinctus, abstioere animalibus coepi: & anno peracto oon tantum facilis erat mihi consuetudo, sed dulcis. Agiliotem mihi animum esse credebam: nec tibi bodie affirmauerim, an fuerit. Quaeris, quomodo desierim? [s] In Tiberij Caesaris principatum iuuentae tempus inciderat. [t] alienigenarum gentium sacra mouebantut.[t] Sed inter argumenta superstitionis ponebatut quorundam animalium abstinentia. Patre itaque meo rogante, qui non calumniam timebat, sed philosophiam oderat, ad pristinam consuetudinem redij: nec difficulter mihi, vt inciperem melius coenare, persuasit. Laudare solebat Attalus culcitram, quae resisteret corpori. Tali vtor etiam senex, in qua vestigiũ apparere non possit. Haec retuli, vt probarem tibi, quàm vehementes habeteot tirunculi impetus primos ad optima quaeque, [u] si quis exhortaretur illos, si quis impelleret. Sed aliquid praecipientium vitio peccatut, qui nos docent disputare, non viuere: aliquid discentiũ, qui propositum adferunt ad praeceptores suos, non animum excolendi, sed ingenium. Itaque quae philosophia fuit, facta philologia est. Multum autem ad rem pertinet, quo proposito ad quam rem accedas. Qui grammaticus futurus, Virgilium scrutatur, non hoc animo legit illud egregium,

—— Fugit irreparabile tempus.

Vigilãdum est. nisi properamus, relinquimut. Agit nos, agitutque velox dies. inscij rapimur. Omnia in fututum disponimus, & intet praecipitia lenti sumus. Sed vt obseruet, quoties Virgilius de celeritate remporum dicit, hoc vti verbo illum, FVGIT.

Optima quaeque dies miseris mortalibus aeui
Prima fugit. subeunt morbi, tristisque senectus,
Et labor, & duraq; rapit inclementia mortis.

Ille qui ad philosophiam spectat, haec eadem quo debet, abducit. Nunquam Virgilius, ioquit, dies dicit ire, sed fugere, quod curreodi genus concitatissimum est: & optimos quosque primos rapi. Quid ergo cessamus nos ipsi concitare, vt velocitatem rapidissimae rei possimus aequare? Meliora praeteruolant, deteriora succedunt. Quemadmodum ex ampbora primum quod est sincerissimum effluit, grauissimum quodque turbidumque subsidit: sic in aetate nostra, quod est optimum, primum est. Id exhauriri in aliis potius patimur, vt oobis faecem reseruemus. Inhaereat istud animo, & tamquam missum oraculo placeat:

Optima quaeque dies miseris mortalibus aeui
Prima fugit.—

Quare optima? quia restat qood incertum est. Quare optima? Quia iuuenes possumus discere, possumus facilem animum, & adhuc tractabilem, ad meliora coouertere: quia hoc tēpus idoneum est laboribus, idoneum agitandis per studia ingeniis, & exercendis per opera corporibus. Quod superest, segnius & languidius est, & propius a fine. Itaque toto hoc agamus animo,[x] & omissis ad quae diuertimus, in rem vnam laboremus: ne hanc temporis pernicissimi celeritatem, quam retinere noo possumus, relicti demom intelligamus. Primos quisque tamquam optimus dies placeat, & redigatur in nostrum. Quod fugit, occupandum est. Hoc non cogitat ille,[y] qui grammatici oculis carmeo istud legit. Ideo optimum quemque primum esse diem, quia subeunt morbi, quia senectus premit, & adhuc adolescentiam cogitantibus supra caput est: sed ait, Virgilium semper vna ponere morbos & senectutem, non mehercule immerito. Senectus enim insanabilis morbus est. Praeterea, inquit, hoc seoectuti cognomen imposuit, tristem illam vocat.

— Subeunt morbi, tristisque senectus.

Non est quòd mireris, ex eadem materia suis quemque studiis apta colligere. In eodem prato bos herbam quaerit, canis leporem, ciconia lacertum. Cum Ciceronis libros de Rep. prehendit hinc philologus aliquis, hinc grammaticus, hinc philosophiae deditus: alius alio curam suam mittit. Philosophus admiratur, cootra iustitiam dici tam multa potuisse. Cum ad hanc eandem lectionem philologus accessit, hoc subnotat, duos Romanos reges esse, quorum alter patrem non habet, alter matrem. Nam de Seruij matre dubitatur:[a] Anci pater nullus, Numae nepos dicitur. Praeterea notat eum quem nos dictatorem dicimus, & in historiis ita nominari legimus, apud antiquos magistrum populi vocatum. Hodiéque id extat in Auguralibus libris, & testimonium est, quòd qui ab illo oominatur, magister equitum est. AEque notat, Romulum perisse solis defectiooe.[3] Prooocationem ad populum etiam a regibus fuisse.[a] Id esse in Pontificalibus libris putat & Fenestella. Eosdem libros cum grammaticus explicuit,[b] primum[1] REAPSE dici ab Cicerooe, id est, reipsa, in commentarium refert:[c] nec minus SEPSE, id est, se ipse. Deinde transit ad ea, quae consuetudo saeculi mutauit: tanquam quod ait Cicero, Quoniam sumus ab ipsa calce, eius interpellatione reuocati:[d 4] hanc quam nuoc in circo metam vocamus, calcem antiqui dicebant.[e] Deinde Ennianos colligit versus, & in primis illos de Africaoo scriptos:

— [f] Cui nemo ciuis neque hostis
Quiuit pro factis reddere oprae pretium.

Ex eo se ait intelligere,[g] apud antiquos auxilium significasse operam. ait enim nemioē potuisse Scipioni neque ciuem, oeque hostem reddere operae pretium. Felicem deinde se putat, quòd iouenerit, vnde visum sit Virgilio dicere:

— Quem super ingens
Porta tonat caeli. —

[h] Eonium hoc ait Homero surripuisse: Eonio Virgilium.[i] Est Ennij apod Ciceronem in his ipsis de Rep. hoc epigramma:

[k] Si fas endo plagas caelestum ascendere cuiquam:
Mi soli caeli maxima porta patet.

Sed ne & ipse, dum aliud ago,[l] in philologum aut grammaticum dilabar, illud admoneo, auditionem philosophorum, lectionemque ad propositum beatae vitae trahendam: non vt verba prisca aut ficta captemus, & translationes improbas figurasque dicendi, sed vt profutura paecepta, & magnificas voces, & animosas, quae mox in rem transferantur. Sic ista discamus, vt quae fuerunt verba, sint opera. Nullos autem peius mereri de omnibus mortalibus iudico, quàm qui philosophiam[m] velut aliquod artificium venale didicerunt: qui aliter viuunt, quàm viuendum esse praecipiuot. Exempla enim seipsos ioutilis disciplinae circumferunt, oulli non vitio quod insequuotur, obnoxij. Non magis mihi potest quisquam talis prodesse praeceptor, quàm gubernator in tempestate naoseabundus. Tenendum est, rapiente fluctu, gubernaculum, luctandum cum ipso mari, eripienda sunt vento vela. Quid me potest adiuuare rector nauigij attonitus & vomitans? Quanto maiore putas vitam tempestate iactari, quàm vllam ratem? Non est loquendum, sed gubernandum. Omnia quae dicuot, quae turba audiente iactant, aliena sunt. dixit illa Plato, dixit Zeno, dixit Chrysippus, & Posidonius,[n] & ingens agmen tot ac talium. Quomodo probare possint sua esse, mōstrabo. Faciant quae dixerint. Quoniam quae volueram ad te perferri, iam dixi, nunc desiderio tuo satisfaciam, & in alteram epistolam integrum quod exegeras transferam: ne ad spinosam, & auribus erectis curiosisque audiendam, lassus accedas.

Epistola CIX.

A[a]N sapiens sapienti prosit, scire desideras. Dicimus plenum omni bono esse sapientem, & summa adeptum. Quomodo prodesse aliquis possit summum bonum habẽti, quaeritur. Prosunt inter se boni, exercent enim virtutes, & sapientiam in suo statu continent. desiderat vterque aliquem, cum quo cõferat, cum quo quaerat. Peritos luctandi, vsus exercet. Musicum, qui paria didicit, monet. Opus est & sapienti, agitatione virtutum. Ita quemadmodum ipse se mouet, sic mouetur ab alio sapiente. Quid sapiens sapienti proderit? Impetum illi dabit, occasiones actionum honestarum commõstrabit.[a] Praeter haec aliquas suas cogitationes exprimet, docebit quae inuenerit. Semper enim sapienti restabit quod inueniat, & quo animus eius excurrat. Malus malo nocet: facit peiorem, iram, metum incitando, tristitiae assentiendo, voluptates laudando. Et tunc maxime laborant mali, vbi plurimum vitia miscuere, & in vnum collata nequitia est. Ergo ex contrario bonus bono proderit. Quomodo inquis? Gaudium illi afferet, fiduciam cõfirmabit, ex conspectu mutuae tranquillitatis crescet vtriusque laetitia. Praeterea quarundam illi rerum notitiam tradet. Non enim omnia sapiens scit: etiam si sciret, breuiores vias rerum aliquis excogitare possit, & has indicare, per quas facilius totum opus circumfertur. Proderit sapienti sapiens: non scilicet tantum suis viribus, sed ipsius quem adiuuat. Potest quidem ille etiam relictus sibi, explicare partes suas. Vtetur propria velocitate: sed nihilominus adiuuat etiam, qui currentem hortatur. Non prodest tantũ sapiens sapienti, sed sibiipsi.[a] Obiicies. Detrahe illi vim propriam, & ille nihil agit.[b] Isto modo dicas licet, non esse in melle dulcedinem.[1] Nam ipse ille qui est, esse debet ita aptatus lingua palatoque ad huiusmodi gustum, vt ille tali sapore capiatur, non offendatur. Sunt enim quidam,[c] quibus morbi vitio mel amarum videatur. Oportet vtrunque talem esse, vt & ille prodesse possit,[d] & huic profecturo idonea materia sit.[e] In summum, inquit, producto calorem calefieri superuacuum est: & in summum producto bonum superuacuum est, quod prosit. Nunquid instructus omnibus rebus agricola, ab alio instrui quaerit? Nunquid armatus miles quantum in aciem exituro satis est,[k] amplius arma desiderat? Ergo nec sapiens. Satis enim vitae instructus, satis armatus est. Qui in summo est calore, ei non opus est adiecto, vt summũ teneat. Ipse se, inquit, calor continet.[4] Ad haec respõdeo. Primum multum interest inter ista quae comparas. Calor enim vnus est: prodesse varium est. Deinde calor non adiuuatur adiectione caloris vt caleat. Sapiens non potest in habitu suae mentis stare, nisi amicos aliquos similes sui admisit, cum quibus virtutes suas communicet. Adijce nunc, quòd omnibus inter se virtutibus amicitia est.[g] Itaque prodest, qui virtutes alicuius pares sui amat, amandasque inuicem praestat. Similia delectant: vtique vbi honesta sunt, & probare ac probari sciunt.[h] Etiamnum. Sapientis animum perite mouere nemo alius potest, nisi sapiens: sicut hominem mouere rationaliter non potest, nisi homo. Quomodo ergo ad rationem mouendam ratione opus est: sic vt moueatur ratio perfecta, opus est ratione perfecta. Prodesse dicuntur, & qui media nobis largiuntur, pecuniam, gratiam, incolumitatem, alia in vsus vitae cara aut necessaria. In his dicetur etiã stultus sapienti prodesse. Prodesse autem est, animum secundum naturam mouere virtute sua, aut eius qui mouebitur. Hoc non sine ipsius quoque qui proderit, bono fiet. Necesse est enim, alienam virtutem exercẽdo, exerceat & suam. Sed vt remoueas ista, quae aut summa bona sunt, aut summorum efficientia, nihilominus prodesse inter se sapientes possunt. Inuenire enim sapientem, sapienti per se res petenda est: quia natura bonum omne carũ est bono: & sic quisque conciliatur bono, quemadmodum sibi. Necesse est, ex hac quaestione, argumenti causa, in alteram transeam. Quaeritur enim,[i] an deliberaturus sapiens, in consilium aliquem sit aduocaturus: quod facere illi necessarium est, cum ad haec ciuilia & domestica venitur, & (vt ita dicam) mortalia. In his sic illi opus est alieno consilio, quomodo medico, quomodo gubernatori, quomodo aduocato, & litis ordinatori. Proderit ergo sapiens aliquando sapienti. Suadebit enim. Sed in illis quoque magnis ac diuinis, vt diximus, communiter honesta tractando,[k] & animos cogitationesque miscendo, vtilis erit. Praeterea secundum naturam est & amicos complecti, & amicorum actu, vt suo proprioq; laetari. Nam si hoc non fecerimus, ne virtus quidem nobis permanebit,[l] quae in exercendo se, vsu valet. Virtus autem suadet praesentia bene collocare, in futurũ consulere, deliberare, & intendere animum. Facilius intendet explicabitque qui aliquem sibi assumpserit. Quaerit itaque aut perfectum virum, aut proficientem, vicinumque perfecto. Proderit autem ille perfectus, si consilium communi prudentia iuuerit.[m] Aiunt homines plus in alieno negotio videre, quàm in suo. Hoc illis euenit, quos amor sui excaecat, quibusque dispectum vtilitatis timor in periculis excutit. Incipiet sapere securior, & extra metum positus. Sed nihilominus quaedam sunt,

quae

quae etiam sapientes in alio, quàm in se, diligentius vident. Praeterea illud quod dulcissimum honestissimumque est, idem velle atque idem nolle, sapiens sapienti praestabit. Egregium opus pari iugo ducet. Persolui quod exegeras, quanquam in ordine rerum erat, quas moralis philosophiae voluminibus complectimur. Cogita, quod soleo frequenter tibi dicere: In istis nos nihil aliud quàm acumen exercere. Toties enim illo reuertor: Quid ista me res iuuat? Fortiorem faciet, iustiorem, temperatiorem? Nondum exerceri vacat. Adhuc medico mihi opus est. Quid me doces scientiam inutilem? Magna promisisti: exigua video. Dicebas intrepidum fore,[a] etiam si circa me gladij micarēt, etiam si mucro tangeret iugulum. Dicebas securum fore, etiam si circa me flagrarent incendia,[c] etiam si subitus turbo toto nauem meam mari raperet.[b] Haec mihi praesta tu, vt voluptatem, vt gloriam contemnam: postea docebis implicita soluere, ambigua distinguere, obscura perspicere. Nunc doce, quod necesse est.

Epistola CX.

Ex Nomentano meo te saluto, & iubeo te habere mentem bonam, hoc est, propitios deos omnes: quos habet placatos & fauētes, quisquis sibi se propitiauit. Sepone in praesentia, quae quibusdam placent.[1] Vnicuique nostrum paedagogum dari Deū, non quidem ordinarium, sed hunc inferioris notae, ex eorum numero quos Ouidius ait, de plebe deos. Ita tamen hoc seponas volo,[a] vt memineris maiores nostros, qui crediderunt hoc, Stoicos fuisse. Singulis enim[c] & genium & Iunonem dederunt. Postea videbimus, an tantum diis vacet, vt priuatorum negotia procurent. Interim illud scito, siue[1] assignati sumus, siue neglecti, & fortunae dati, nulli te posse imprecari quicquam grauius, quàm si imprecatus fueris, vt se habeat iratum. Sed non est, quare cuiquam, quem dignum poena putaueris, optes, vt infestos deos habeat. Habet, inquam, etiam si videtur eorum fauore produci. Adhibe diligentiam tuam, & intuere, quid sint res nostrae, non quid vocentur, & scies plura mala contingere nobis, quàm accidere.[b] Quoties enim felicitatis causa, & initium fuit quod calamitas vocabatur? Quoties magna gratulatione excepta res gradum sibi struxit in praeceps, & aliquem iam eminentem alleuauit etiamnum, tanquam ibi adhuc staret, vnde tuto caderet? sed ipsum illud cadere non habet in se mali quicquam, si exitum spectes, vltra quem natura neminem deiicit. Prope est rerum omnium terminus, prope est, inquam, & illud vnde felix eiicitur, & illud vnde infelix emittitur. Nos vtraque extendimus, & longa spe ac metu facimus. Sed si sapis, omnia humana cōditione metire: simul & quod gaudes, & quod times contrahe.[c] Est tanti, diu nihil gaudere, ne quid diu timeas. Sed quare istuc malum astringo? Non est quòd quicquam timendum putes. Vana sunt ista quae nos mouent, quae attonitos habent. Nemo nostrum quid veri esset, excussit, sed metum alter alteri tradidit. Nemo ausus est ad id quo perturbatur accedere, & naturam ac bonū timoris sui nosse. Itaque res falsa & inanis habet adhuc fidem, quia non coarguitur. Tanti putemus oculos intendere. iam apparebit quàm breuia, quàm incerta, quàm tuta timeantur. Talis est animorum nostrorum confusio, qualis Lucretio visa est:

Nam veluti pueri trepidant, atque omnia caecis
In tenebris metuunt: ita nos in luce timemus.

Quid ergo? Non omni puero stultiores sumus, qui in luce timemus? Sed falsum est, Lucreti: non timemus in luce. omnia nobis fecimus tenebras. nihil videmus, nec quid noceat, nec quid expediat. tota vita incursitamus, nec ob hoc resistimus, aut circumspectius pedem ponimus. Vides autem quàm sit furiosa res, in tenebris impetus. At mehercule id agimus, vt longius reuocandi simus: & cum ignoremus quo feramur, velociter tamē illo quo intendimus, ire perseueramus. Sed lucescere, si velimus, potest. Vno autem modo potest, si quis hāc humanorum diuinorumque notitiā acceperit: si illa se nō perfuderit, sed infecerit: si eadem quamuis sciat, retractauerit, & ad se saepe retulerit: si quaesierit quae sint bona, quae sint mala; quibus hoc sit falso nomen ascriptum: si quaesierit de honestis, de turpibus, de prouidentia.[f] Nec intra haec humani ingenij sagacitas sistitur. Prospicere & vltra mundum libet,[e] quo feratur, vnde surrexerit, in quem exitum tanta rerum velocitas properet. Ab hac diuina contemplatione abductum animum in sordida & humilia pertraximus, vt auaritiae seruiret, vt relicto mundo terminisque eius & dominis cuncta versantibus, terrā rimaretur, & quaereret quid ex illa mali effoderet, non contentus oblatis. Quicquid nobis bono futurū erat, Deus & parens noster in proximo posuit. Non expectauit inquisitionem nostram: vltro dedit: nocitura altissime pressit. Nihil nisi de nobis queri possum[r]. Ea quibus periremus, nolente rerum natura & abscondente, protulimus. Addiximus animum voluptati: cui indulgere, initium omnium malorū est. Tradidimus ambitioni & famae, ceteris aeque vanis

& inanibus. Quid ergo nunc te hortor vt facias? Nihil noui: nec enim nouis malis remedia quaeruntur. Sed hoc primum, vt tecum ipse dispicias, quid sit necessarium, quid superuacuum. Necessaria tibi vbique occurrent: superuacua & semper, & toto animo quaerenda sunt. Non est autem quòd te nimis laudes, si contempseris aureos lectos, & gemmeam supellectilem. Quae est enim virtus, superuacua contemnere? Tunc te admirare, cum contempseris necessaria. Non magnam rem facis, quòd viuere sine regio apparatu potes: quòd non desideras [d] miliarios apros, nec [e] linguas phoenicopterorum, & alia portenta luxuriae iam tota animalia fastidientis, & certa membra ex singulis eligentis. Tunc te admirabor, [f] si non contempseris etiam sordidum panem: si tibi persuaseris, herbas, vbi necesse est, non pecori tantum, sed homini nasci: si scieris cacumina arborum explementum esse ventris, [g] in quem sic pretiosa congerimus, tanquam recepta seruantem. sine fastidio implendus est. Quid enim ad rem pertinet, quid accipiat, perditurus quicquid acceperit? Delectant te disposita, quae terra marique capiuntur. [h] Alia eo gratiora, si recentia perferuntur ad mensam: [i] alia, si diu pasta & coacta pinguescere, fluunt, ac vix saginam continent suam. [k] Delectat te nidor horum, arte quaesitus. At mehercule ista sollicite scrutata, varieque condita, cum subierint ventrem, vna atque eadem foeditas occupabit. Vis ciborum voluptatem contemnere? Exitum specta. Attalum memini cum magna admiratione omnium haec dicere: Diu mihi, inquit, imposuere diuitiae. Stupebam, vbi aliquid ex illis alio atque alio loco fulserat. Existimabam similia esse quae laterent, his quae ostenderentur: sed in quodam apparatu vidi totas opes vrbis, caelatas ex auro & argento, & his quae pretium auri argentique vicerunt, exquisitos colores, & vestes vltra non tantum nostrum, sed vltra finem hostium aduectas. [l] Hinc puerorum perspicuos cultu atque forma greges, hinc feminarũ, & alia quae res suas recognoscens summi imperij fortuna protulerat. Quid hoc est, inquam, aliud quàm irritare cupiditates hominum per se incitatas? Quid sibi vult ista pecuniae pompa? Ad discendam auaritiam conuenimus. At mehercules minus cupiditatis istinc effero, quàm attuleram. Contempsi diuitias, non quia superuacuae, sed quia pusillae sunt. Vidisti ne, quàm intra paucas horas ille ordo, quamuis lentus dispositusque, transierit? Hoc totam vitam nostram occupabit, quod totum diem occupare non potuit? Accessit illud quoque. Tam superuacuae mihi visae sunt habentibus quàm fuerant spectantibus. Hoc itaque ipsi mihi dico, quoties tale aliquid praestrinxerit oculos meos, quoties occurrit domus splendida, cohors culta seruorum, lectica formosis imposita calonibus: Quid miraris? quid stupes? Pompa est. Ostenduntur istae res, non possidentur: & dum placent, transeunt. Ad veras potius te conuerte diuitias: disce paruo esse contentus: & illam vocem magnus atque animosus exclama: Habeamus aquam, habeamus polentam, Ioui ipsi de felicitate controuersiam faciamus. Faciamus, oro te, etiam si ista defuerint. Turpe est, beatam vitam in auro & argento reponere: aeque turpe est in aqua & polenta. Quid ergo faciam, si ista non fuerint? Quaeris, quod sit remedium inopiae? Famem fames finit. Alioqui quid interest, magna sint, an exigua, quae seruire te cogunt? Quid refert quantum sit, quod tibi possit negare fortuna? Haec ipsa aqua & polenta in alienum arbitrium cadit. Liber est autem, non in quem parum licet fortunae, sed in quem nihil. Ita est: nihil desideres, oportet, si vis Iouem prouocare, nihil desiderantem. [m] Haec nobis Attalus dixit: natura omnibus. Quae si voles frequenter cogitare, id ages, vt sis felix, non vt videaris: & vt tibi videaris, non alijs.

Epistola CXI.

QVID vocentur Latine sophismata, quaesisti a me. Multi tentauerunt illis nomen imponere, nullum haesit: videlicet quia res ipsa non recipiebatur a nobis, nec in vsu erat, nomini quoque repugnatum est. Aptissimum tamen videtur mihi, quo Cicero vsus est. [a] Cauillationes vocat: [a] quibus quisquis se tradidit, quaestiunculas quidem vafras nectit: ceterum ad vitam nihil proficit, neque fortior fit, neque temperantior, neque elatior. At ille qui philosophiam in remedium suum exercuit, ingens fit animo, plenus fiduciae, inexuperabilis, & maior adeunti. Quod in magnis euenit montibus, quorum proceritas minus apparet longe intuentibus. Cum accesseris, tunc manifestum fit quàm in arduo summa sint. Talis est, mi Lucili, verus & rebus, non artificijs philosophus. In edito stat admirabilis, celsus, magnitudinis verae. Non exurgit in plantas, [b] nec summis ambulat digitis, eorũ more qui mẽdacio staturã adiuuãt, longioresq; quàm sunt, videri volũt. Contẽtus est magnitudine sua. Quid ni contentus sit eo vsq; creuisse, quo manũ fortuna non porrigit? Ergo & supra humana est. Par sibi in omni statu rerũ, siue secũdo cursu vita procedit, [c] siue fluctuatur per aduersa ac difficilia. Hanc constantiam cauillationes istae, de quibus paulo ante loquebar, praestare non possunt. Ludit istis animus, nõ proficit: & philosophiam a fastigio deducit in planum.

Nec

Nec te prohibuerim aliquando ista agere, sed tunc cum voles nihil agere. Hoc tamen habent in se pessimum: dulcedinem quandam sui faciunt,[d] & animum specie subtilitatis inductum tenent, ac remorantur: cum tãta rerum moles vacet, cum vix tota vita sufficiat, vt hoc vnum discas, vitam contemnere. Quid regere? inquis. Secundum opus est. Nam nemo illam bene rexit, nisi qui contempserat.

Epistola CXII.

Cupio mehercule amicum tuum formari, vt desideras, & institui: sed valde durus capitur, immo potius, quod est molestius, valde mollis capitur, & consuetudine mala ac diutina fractus. Volo tibi ex nostro artificio exemplum referre. Non quaelibet insitionem vitis patitur. si vetus & exesa est, si infirma gracilisque, aut non recipiet surculum, aut non alet, nec applicabit sibi, nec in qualitatem eius naturamque transibit. Itaque solemus supra terram praecidere: vt, si non responderit, tentari possit secunda fortuna, & iterum repetita infra terram inseratur. Hic de quo scribis & mandas, non habet vires. Indulsit vitiis, simul & emarcuit, & induruit. Non potest recipere rationem, non potest nutrire. At cupit ipse. Noli credere. Non dico illum mentiri tibi. putat se cupere. Stomachum illi fecit luxuria.[a] cito tamen redibit in gratiam. Sed dicit se offendi vita sua. Non negauerim. Quis enim non offenditur? Homines vitam suam & amant simul, & oderunt. Tunc itaque de illo feramus sententiam, cum fidem nobis fecerit, inuisam iam sibi esse luxuriam. Nunc illis male conuenit.

Epistola CXIII.

Desideras tibi scribi a me, quid sentiam de hac quaestione iactata apud nostros: An iustitia, an fortitudo, prudentia, ceteraeque virtutes, animalia sint. Hac subtilitate efficimus, Lucili carissime,[a] vt exercere ingenium inter irrita videamur, & disputationibus nihil profuturis otium terere. Faciam quod desideras, & quid nostris videatur, exponam.[b] Sed me in alia sentẽtia profiteor esse. Quae sint ergo quae antiquos mouerint, dicam. Animum constat animal esse: cum ipse efficiat, vt simus animalia, & cum ab illo animalia nomen hoc traxerint. Virtus autem nihil aliud est, quàm animus, quodammodo se habens: ergo animal est. Deinde: Virtus agit aliquid. Agi autem nihil sine impetu potest. Si impetum habet, qui nulli est, nisi animali: animal est. Si animal est, inquit, virtus, habet ipsam virtutem. Quid ni? habet seipsam. Quomodo sapiens omnia per virtutem gerit, sic virtus per se. Ergo, inquit, & omnes artes animalia sunt, & omnia quae cogitamus, quaeque mente complectimur. Sequitur, vt multa animalium millia habitent in his angustiis pectoris, & singuli multa simus animalia, aut multa habeamus animalia. Quaeris, quid aduersus ista respondeatur? Vnaquaeque res ex istis animal erit, multa animalia non erunt. Quare? Dicam, si mihi accommodaueris subtilitatem & intentionem tuam. Singula animalia singulas debẽt habere substantias. Ista omnia vnum animum habent. Itaque singula esse possunt, multa esse non possunt. Ego & animal sum & homo,[c] non tamen duos esse dices.[d] Quare? quia separati esse debent. Ita dico, alter ab altero debet esse diductus, vt duo sint. Quicquid vnum multiplex est, sub vnam cadit naturam: itaque vnum est. Et animus meus animal est, & ego animal sum, duo tamen non sumus. Quare? quia animus mei pars est. Tunc aliquid per se numerabitur, cum per se stabit. Vbi vero alterius membrum erit, non poterit videri aliud. Quare? Dicam: quia quod aliud est, suum oportet esse, & proprium, & totum, & intra se absolutum. Ego in alia esse me sententia professus sum. Non enim tantum virtutes animalia erunt, si hoc recipitur: sed opposita quoque illis vitia & affectus, tanquam ira, timor, luctus, suspicio. Vltra res ista procedet. omnes sententiae, omnes cogitationes animalia erunt: quod nullo modo recipiendum est. Non enim quicquid ab homine fit, homo est. Iustitia quid est? inquit. Animus quodammodo se habens. Itaque si animus animal est, & iustitia. Minime. Haec enim habitus animi est, & quaedam vis. Idem animus in varias figuras conuertitur, & non toties animal aliud est, quoties aliud facit: nec illud quod fit ab animo, animal est.[e] Si iustitia animal est, si fortitudo, si ceterae virtutes: vtrum desinunt animalia esse subinde,[f] ac rursus incipiunt, an semper sunt? Desinere virtutes non possunt: ergo multa animalia, immo innumerabilia in hoc animo versantur. Non sunt, inquit, multa: quia ex vno religata sunt, & partes vnius ac membra sunt. Talem ergo faciem animi nobis proponimus, qualis est Hydrae, multa habentis capita, quorum vnumquodque per se pugnet, per se noceat. Atqui nullum ex illis capitibus animal est, sed animalis caput. Ceterum ipsa vnum animal est. Nemo in Chimaera leonem esse animal dixit, aut draconem. Hae partes erant eius. partes non sunt animalia. Quid est quo colligas iustitiam animal esse?[g] Agit, inquit, aliquid, & prodest: quod autem agit aliquid, & prodest, impetum habet: quod autem impetum habet, animal est. Verum est, si suum impetum habet. suum autem non habet, sed animi.[h] Omne animal donec

moriatur, id est quod coepit: homo donec moriatur, homo est: [i] equus item, & canis: transire enim in aliud non possunt. Iustitia, id est, animus qnodá modo se habés, animal est. Credamus. Deinde animal est fortitudo, id est, animus quodam modo se habens. Quis animus? Ille qui modo iustitia erat; tenetur in priore animali: in aliud animal ei trãsire non licet. In eo illi, in quo primũ esse coepit, perseuerãdum est. Praeterea vnus animus duorũ animaliũ esse non potest, multo minus plurium. Si iustitia, fortitudo, temperãtia, ceteraeque virtutes animalia sunt: quomodo vnum animũ habebunt? Singulos habeant oportet, aut non sunt animalia. Non potest vnũ corpus plurium animaliũ esse: hoc & Ipsi fatentur. Iustitiae quod est corpus? Animus. Fortitudinis quod est corpus? Idem animus. Atqui vnũ corpus esse duorũ animaliũ non potest. Sed idẽ animus, inquit, iustitiae habitum induit, & fortitudinis, & temperãtiae. Hoc fieri posset, si quo tẽpore iustitia esset, fortitudo non esset: quo tempore fortitudo esset, tẽperantia non esset. Nunc vero omnes virtutes simul sunt. [k] Ista quomodo erunt singula animalia, cum vnus animus sit, qui plus quàm vnũ animal non potest facere? Denique nullũ animal pars est alterius animalis. Iustitia autem pars est animi: non est ergo animal. Videor mihi in re confessa perdere operam. Magis enim indignandum de isto, quàm disputandum est. Nullum animal alterius pars est. Circumspice omnium corpora. nulli non & color proprius est, & figura sua, & magnitudo. Inter cetera, propter quae mirabile diuini artificis ingenium est, [l] hoc quoque existimo, quòd in tanta copia rerum nunquam in idem incidit. etiam quae similia videntur, cum contuleris, diuersa sunt. Tot fecit genera foliorum, nullum non sua proprietate signatum: tot animalia: [m] nulli similitudo cum altero conuenit. Vtique aliquid interest. Exegit a se, vt quae alia erant, & dissimilia essent, & imparia. Virtutes, vt dicitis, omnes pares sunt: ergo non sunt animalia. Nullum non animal per se aliquid agit. Virtus autem per se nihil agit, sed cum homine. Omnia animalia aut rationalia sunt, vt homines, vt dij: [n] aut irrationalia, vt pecora. Virtutes vtique rationales sunt. atqui nec homines sunt, nec dij. ergo non sunt animalia. Omne rationale animal nihil agit, nisi primum [o] specie alicuius rei irritatum est: deinde impetum cepit, deinde assensio confirmauit hunc impetũ. Quid sit assensio, dicam. Oportet me ambulare. tunc demum ambulo, cum hoc mihi dixi, & approbaui hanc opinionem meam. oportet me sedere: tunc demum sedeo. haec assensio in virtute non est. [p] Puta enim prudentiam animal esse: quomodo assentietur? Oportet me ambulare. [q] hoc natura non recipit: prudẽtia enim ei cuius est prospicit, non sibi. Nam nec ambulare potest, nec sedere: ergo assensionem non habet. Quod assensionem non habet, rationale animal non est. Virtus si animal est, rationale est: rationale autem non est, ergo nec animal. Si virtus animal est: virtus autem bonum est: omne bonum animal est. Hoc nostri fatentur. Patrem seruare, bonum est: & sententiam prudenter in senatu dicere, bonum est: & iuste decernere, bonum est. Ergo & patrem seruare, animal est: & prudenter dicere, animal est. Eousque res excedet, vt risum tenere non possis. [r] Prudenter tacere, & coenare bene, bonum est: ita & tacere & coenare, animal est. Ego mehercule titillare non desinam, & ludos mihi ex istis subtilibus ineptiis facere. Iustitia & fortitudo si animalia sunt, certe terrestria sunt. Omne animal terrestre alget, esurit, sitit. Ergo iustitia alget, fortitudo esurit, clementia sitit. Quid porro non interrogabo illos, quam figuram habeant ista animalia, hominis, an equi, an ferae? Si rotundam illis, qualem Deo, dederint formam: [s] quaeram, an & auaritia, & luxuria, & dementia aeque rotundae sint: [t] sunt enim & ipsae animalia. [u] Si has quoque rotundauerint, etiamnum interrogabo, an prudens ambulatio animal sit, nec ne: confiteantur necesse est. Deinde dicant, ambulationem esse animal, & quidem rotundum. [x] Ne putes autem me primum ex nostris, non ex scripto loqui, sed meae sententiae esse: inter Cleanthem & discipulum eius Chrysippum non conuenit quid sit ambulatio. Cleanthes ait spiritum esse a principali vsque in pedes permissum: Chrysippus, ipsum principale quod est. [y] Ergo cur non ipsius Chrysippi exemplo sibi quisque se vindicet, & ista tot animalia, quot mundus ipse non potest capere, derideat? Non sunt, inquit, virtutes multa animalia, & tamen animalia sunt. Nam quemadmodum aliquis & poeta est & orator, & tamen vnus: sic virtutes istae animalia sunt, sed multa non sunt. [z] Idem est animus & iustus, & prudens, & fortis, ad singulas virtutes quodam modo se habens. Sublata est quaestio. conuenit nobis. Nam & ego interim fateor, animum animal esse: postea visurus, quam de ista re sententiam feram. Actiones eius animalia esse nego. Alioquin & omnia verba erunt animalia, & omnes versus. Nam si sermo prudens bonum est: bonum autem omne animal est: sermo ergo animal est. Prudens versus bonum est: bonum autem omne animal est: versus ergo animal est. Itaque,

Arma virumque cano,

animal est: quod non possunt rotundum dicere, cum sex pedes habeat. Textorium, inquis,

totum

totum mehercule Istud est, quod cummaxime agitur, dissilio risu: cum mihi propono soloecismum animal esse, & barbarismum, & syllogismum,[a] & aptas illis facies, tanquam pictor, assigno. Haec disputamus, attractis superciliis, fronte rugosa.[b] Noo possum hoc loco dicere illud Caecilianũ:[c] O tristes ineptias: ridiculae sunt. Quin itaq; potius aliquid vtile nobis ac salutare tractamus, & quaerimus quomodo ad virtutes venire possimus, quae nos ad illas via adducat. Doce me, nõ an fortitudo animal sit: sed nullũ animal felix esse sioe fortitudine, nisi contra fortuita conualuit, & omnes casus antequam exciperet, meditando praedomuit. Quid est fortitudo? Munimentũ humanae imbecillitatis inexpugoabile. Quod qui circumdedit sibi, securus in hac vitae obsidione perdurat. Vtitur enim suis viribus, suis telis. Hoc loco tibi Posidonij nostri sententiã referre volo: Non est qoòd vnquam fortunae armis putes esse te tutũ.[c] Tuis pugna contra ipsam. fortuita oon armant. Itaque contra hostes instructi, contra ipsam inermes sunt. Alexander quidem Persas, & Hyrcanos, & Iodos, & quicquid gentium vsque in Oceanum extendit Oriens, vastabat, fugabatque. Sed ipse modo occiso amico, modo amisso, iacebat in tenebris, alias scelus, alias desiderium suum maérens, victor tot regum atque populorum, irae tristitiaeque succubuit. Id enim egerat, vt omnia potius haberet in potestate, quàm affectus. O quàm magnis homines erroribus tenentur, qui ius dominandi trans maria cupiunt mittere: felicissimosque se iudicant, si multas per milites prouincias obtioent, & oouas veteribus adiuogunt, ignari quod sit illud ingens paratumque regnum. Imperare sibi, maximom imperium est. Doceat me, quàm sacra res sit iustitia, alienum bonum spectans, nihil ex se petens, nisi vsum sui. Nihil sit illi cum ambitiooe famaque. sibi placeat. Hoc ante omnia sibi quisque persuadeat, Me iustũ esse gratis oportet. Parum est. adhuc illod persuadeat sibi, Me in hanc pulcherrimam virtutem vltro etiam impẽdere iubeor, vt tota cogitatio[d] a priuatis commodis quàm longissime auersa sit.[e] Non est quòd spectes, quod sit iustae rei praemium maius quàm iustum esse. Illud adhuc tibi affige, quod paulo ante dicebam: nihil ad rem pertinet, quàm multi aequitatem tuam nouerint. Qui virtutem suam poblicari vult, oon virtuti laborat, sed gloriae. Non vis esse iustus sine gloria. At mehercules saepe iustus esse debebis cum infamia. Et tunc si sapis, mala opinio bene parta delectat.

Epistola CXIIII.

Q[a]VARE quibusdam temporibus prouenerit corrupti generis oratio, quaeris: & quomodo in quaedam vitia inclinatio ingeniorum facta sit, vt aliquando inflara explicatio vigeret, aliquando infracta, & in morem cantici ducta. Quare alias sensus audaces, & fidem egressi placuerint, alias abruptae sententiae, & suspiciosae, in quibus plus intelligendũ est, quàm audiendom. Quare aliqua aetas fuerit, quae translationis iure vteretur inuerecunde. Hoc quod audire vulgo soles, quod apud Graecos in prouerbium cessit, talis hominibus fuit oratio, qualis vita. Quemadmodum autẽ vniuscuiusque actio dicenti similis est, sic genus dicẽdi aliquando imitatur publicos mores. Si disciplina ciuitatis laborauit, & se in delicias dedit, argumentum est luxuriae publicae, orationis lasciuia: si modo non in vno aut in altero fuit,[a] sed approbata est, & recepta. Nõ potest alius esse ingenio, alius animo color. Si ille sanus est, si compositus, grauis, temperans, ingenium quoque siccum ac sobrium est. Illo vitiato, hoc quoque afflatur. Non vides, si animus languet, trahi membra, & pigre moueri pedes? si ille effeminatus est, in ipso incessu apparere mollitiem? si ille acer est & velox, concitari gradum? si furit, aut (quod furori simile est) irascitur, turbatum esse corporis motum oec ire, sed ferri? Quanto hoc magis accidere ingenio putas, quod totũ animo permixtum est? Ab illo fingitur, illi paret, inde legem petit. Quomodo Maecenas vixerit, ootius est, quàm vt narrari nunc debeat. Quomodo ambulauerit, quàm delicatus fuerit, quã cupierit videri, quàm vitia sua latere noluerit. Quid ergo? Non oratio eius aeque soluta est, quã ipse discinctus? Noo tam insignita illius verba sunt, quàm cultus, quàm comitatus, quã domus, quã vxor? Magni ingenij vir fuerat, si illud egisset via rectiote, si non vitasset intelligi, si non etiam in oratione difflueret. Videbis itaque eloquentiam ebrij hominis inuolutam, & errãtem, & licentiae plenam.[b] Maecenas in cultu suo. Quid purius amne, siluisque ripa comantibus?[c] Vide vt alueum lintribus arent, versoque vado remittant hortos.[d] Quid si quis femina cirro crispat, & labris columbatur? Incipitque suspirans,[e] vt ceruice laxa feratur.[f] oemo tyranni, irremediabilis factio rimantur, epulis, lagaenaque tentãt domos, & saepe mortem exigunt. † Genium festo vix suo testem, tenuis cerei fila & crepacem mola focum mater aut vxor inuestiunt. Non statim haec cum legeris, hoc tibi occurret, hunc esse qui solutis tunicis in vrbe semper incesserit? Nam etiam cum absentis partibus Caesaris fungeretur,

ſigoum a diſcincto petebatur. Hunc eſſe qui in tribunali, in roſtris, in omni publico coetu ſic apparuerit, vt pallio velaretur caput, excluſis vtrinque auribus, non aliter quàm in Mimo diuites fugitiui ſolent? Hunc eſſe cui cummaxime ciuilibus bellis ſtrepentibus, & ſollicita vrbe & armara, comiratus hic fuerit in publico: ſpadones duo, magis tamen viri quàm ipſe? Hũc eſſe, qui vxorem millies duxit, cum vnam habuerit? Haec verba tam improbe ſtructa, [g] tam oegligenter abiecta, tam cootra conſuetudinem omnium poſira, oſtenduot mores quoque non minus nouos & prauos & ſingulares fuiſſe. Maxima laus illi tribuitur manſuetudinis: pepercit gladio, ſanguine abſtinuit: nec vlla alia re, quid poſſet, quàm licentia oſtẽdir. Hanc ipſam laudem ſuam corrupit, iſtis orationis portentoſiſſimae deliciis. Apparet enim mollem fuiſſe, non mitẽ. Hoc iſtae ambages compoſitionis, hoc verba tranſuerſa, hoc ſenſus magni quidem ſaepe, ſed eneruati dum exeunt, cuiuis manifeſtum facient, motum illi felicitate nimia caput: [h] quod vitium hominis eſſe interdum, interdum temporis ſolet. Vbi luxuriam late felicitas fudit, cultus primum corporum eſſe diligentior incipit. Deinde ſupellectili laboratur, deinde in ipſas domos impenditur cura, vt in laxitatem ruris excurrant, vt parietes aduectis trans maria marmoribus fulgeant, vt tecta varientur auro, vt lacunaribus pauimenrorum reſpondeat nitor: deinde ad coenas lautitia trãsfertur, & illic commendatio ex nouitate, & ſoliti otdinis commutatione captatur: [i] vr ea quae cludere coenam ſolent, prima ponantur; vt quae aduenientibus dabantur, exeuotibus dentur. Cum aſſueuit animus faſtidire quae ex more ſunt, [k] & illi pro ſordidis ſolita ſunt, etiam in oratione quod nouum eſt, quaerit: & modo antiqua verba atque exoleta reuocat & profert: [l] modo fingit, & ignota deflectit: modo id quod nuper increbruit, pro cultu habetur: audax tranſlatio, ac frequens. Sunt qui ſenſus praecidant, [m] & hinc gratiam ſpereot, ſi ſententia pependerit, & audienti ſuſpicionem ſui fecerit. Sunt qui illos detineant, & porrigant. Sunr qui non vſque ad vitium accedãt: neceſſe eſt enim hoc facere, aliquid graode tentanti, ſed qui ipſum vitium ament. Itaque vbicunque videris oratiooem corruptam placere, ibi mores quoque a recto deſciuiſſe, non erit dubium. Quomodo conuiuiorum luxuria, quomodo veſtium, aegrae ciuitatis indicia ſunt: ſic orationis licentia (ſi modo frequẽs eſt) oſtẽdit animos quoque, a quibus verba exeunt, procidiſſe. Mirari quidem non debes corrupta excipi, non tantum a corona ſordidiore, ſed ab hac turba quoque cultiore. Togis enim inter ſe iſti, noo iudiciis diſtant. Hoc magis mirari potes, quòd non tantum vitioſa, ſed & vitia laudãtur. Nam illud ſemper factum eſt. Nullum ſine venia placuit ingenium. Da mihi quemcumque vis magni nominis virum. dicam, quid illi aetas ſua ignouerit, quid in illo ſciens diſſimulauerit. Multos dabo, quibus vitia non nocuerint: quoſdam quibus profuerint. Dabo, inquam, maximae famae, & inter miranda propoſiros: quos ſi quis corrigit, delet. Sic enim vitia virtutibus immixta ſuot, vt illas ſecum tractura ſint. Adiice nuoc, quòd oratio certam regulam non habet. Conſuetudo illam ciuitatis, quae nunquam in eodem diu ſtetit, verſat. Multi ex alieno ſaeculo petunt verba. Duodecim rabulas loquuntur. Gracchus illis & Craſſus & Curio nimis culti & receotes ſunr. [n] Ad Appium vſque & ad Coruncanum redeunt. Quidam contra, dum nihil niſi tritum & vſitatum volunt, in ſordes incidunt. Vtrunque diuerſo genere corruptum eſt, tam mehercules, [o] quàm ſi vellent ſpleodidis vti, ac ſonantibus, & poeticis, neceſſaria, & in vſu poſita vitare: tam hunc dicam peccare, quàm illum. Alter ſe iuſto plus colit, alter ſe iuſto plus negligit: ille & crura, hic oec alas quidem vellit. Ad compoſitionem tranſeamus. quot genera tibi dabo in hac, quibus peccetur? Quidam praefractam & aſperam probant, diſturbant de induſtria, ſi quid placidius effluxit, nolunr ſine ſalebra eſſe iuncturam, virilem putant, & fortem, quae aurem inaequalitate percutiat. Quorundam non eſt compoſitio: modulatio eſt: [p] adeo blanditur. Quid de illa loquar, in qua verba differuntur, & diu expectara [q] vix ad clauſulas redduntur? [r] Quid de illa in exitu lenta, qualis Ciceronis eſt, deuexa, & molliter deſinens, nec aliter quàm ſolet, ad morem ſuum pedemque reſpondens? Non tantum in genere ſenteotiarum vitium eſt, ſi aut puſillae ſunt, & pueriles aut improbae, & plus auſae quàm pudore ſaluo licet: ſed ſi floridae ſunt, & nimis dulces, ſi in vanum exeunt, & ſine effectu, nihil amplius quàm ſonant. Haec vitia vnus aliquis inducit, ſub quo tunc eloquentia eſt. Ceteri imitãtur, & alter alteri traduot. Sic Salluſtio vigente, amputatae ſententiae, & verba ante expectatum cadentia, & obſcura breuitas fuere pro cultu. Arruntius vir rarae frugalitatis, qui hiſtorias belli Punici ſcripſit, fuit Salluſtianus, & in illud genus oitens. Eſt apud Salluſtium: Exercitum argento fecit: id eſt, pecunia parauit. Hoc Arruntius amare coepir. Poſuit illud omnibus paginis. Dicit quodam loco: Fugam noſtri fecere. Alio loco, Hiero rex Syracuſaoorum, bellum facit. Et alio loco: [s] Quae audita Panormitanos dedere Romanis fecere. Guſtum tibi dare volui.

Totus

Totus his contexitur liber. Quae apud Sallustium rara fuerunt, apud hunc crebra sunt, & paene continua, nec sine causa: ille enim in haec incidebat: at hic illa quaerebat. Vides autē quid sequatur, vbi alicui vitium pro exemplo est. Dixit Sallustius, Aquis hiemantibus. Arruntius in primo libro belli Punici ait, Repente hiemauit tempestas. Et alio loco, cum dicere vellet frigidum annum fuisse, ait: Totus hiemauit annus. Et alio loco: Inde sexaginta onerarias leues, praeter militem & necessarios nautarum, hiemante Aquilone misit. Non desinit omnibus locis hoc verbum infulcire. Quodam loco Sallustius dicit: Inter arma ciuilia, aequi boni famas petit. Arruntius non temperauit, quominus primo statim libro poneret, ingentes esse famas de Regulo. Haec ergo & huiusmodi vitia, quae alicui impressit imitatio, non sunt indicia luxuriae, nec animi corrupti. Propria enim esse debent, & ex ipso nata, ex quibus tu aestimes alicuius affectus. Iracundi hominis iracunda oratio est: commoti nimis incitata, delicati tenera & fluxa. Quod vides istos sequi, qui aut vellunt barbam, aut interuellunt: qui labra pressius tondent & abradunt, seruata & submissa cetera parte: qui lacernas coloris improbi sumunt, qui perlucentem togam, qui nolunt facere quicquā, quod hominum oculis transire liceat.[t] Irritant illos, & in se aduertunt. Volunt vel reprehendi dum cōspiciantur. Talis est oratio Maecenatis, omniumque aliorum, qui non casu errant, sed scientes, volentesque. Hoc a magno animi malo oritur. Quomodo in vino non ante lingua titubat, quàm mens cessit oneri, & inclinata vel prodita est: ita ista oratio (quid aliud quàm ebrietas?)[u] nulli molesta est, nisi animus labat. Ideo ille curetur: ab illo sensus, ab illo verba exeunt, ab illo nobis est habitus, vultus, incessus. Illo sano ac valente, oratio quoque robusta, fortis, virilis est. Si ille procubuit, & cetera sequuntur ruinam.

— Rege incolumi, mens omnibus vna est.
Amisso, rupere fidem.

Rex noster est animus. Hoc incolumi, cetera manent in officio, parent & obtemperant. Cum ille paulum vacillauit,[x] simul nutant. Cum vero cessit voluptati, artes quoque eius, actusque marcent, & omnis ex languido fluxoque conatus est. Quoniam hac similitudine vsus sum, perseuerabo. Animus noster modo rex est, modo tyrannus. Rex, cum honesta intuetur, salutem sibi commissi corporis curat, & nihil imperat turpe, nihil sordidum. Vbi vero impotens, cupidus, delicatus est, transit in nomen detestabile ac dirum, & fit tyrānus. Tunc illum excipiunt affectus impotentes, instantque qui initio quidem gaudēt, vt solet populus largitione nocitura frustra plenus, & quae non potest haurire, contrectat. Cum vero magis ac magis vires morbus exedit, & in medullas neruosque descendere deliciae, conspectu eorum, quibus se nimia auiditate inutilem reddidit, laetus, pro suis voluptatibus habet spectaculum, alienarum subministrator libidinum, testisque, quarum sibi vsum ingerendo abstulit: nec illi tam gratum est abundare iucundis, quàm acerbum, quòd non omnem illum apparatum per gulam ventremque transmittit:[y] non cum omni exoletorum feminarumque turba conuolutatur: maeretque, quòd magna pars suae felicitatis exclusa corporis angustiis, cessat.[z] Nunquid enim, mi Lucili, hic furor est, quòd nemo nostrum mortalem se cogitat? quòd nemo imbecillum?[a] immo quòd nemo nostrum vnum esse se cogitat? Aspice culinas nostras, & concursantes inter tot ignes coquos nostros. Vnum videri putas ventrem, [b]cui tanto tumultu comparatur cibus?[c] Aspice veteraria nostra, & plena multorum saeculorum vindemiis horrea. Vnum putas videri ventrem, cui[d] tot consulum regionumque vina conduntur? Aspice quot locis vertatur terra, quot millia colonorum arent, fodiant. Vnum putas videri ventrem, cui & in Sicilia, & in Africa seritur? Sani erimus, & modica concupiscemus, si vnusquisque se numeret: metiatur simul corpus, sciatque, nec multum capere, nec diu posse.[e] Nihil tamen aeque tibi profuerit ad temperantiam omnium rerum, quàm frequens cogitatio breuis aeui, & huius incerti. Quicquid facies, respice ad mortem.

Epistola CXV.

NIMIS anxium esse te circa verba & compositionem, mi Lucili, nolo.[a] Habeo maiora quae cures. Quaere quid scribas, non quemadmodum: & hoc ipsum, non vt scribas, sed vt sentias: vt illa quae senseris, magis applices tibi,' & veluti signes. Cuiuscunque orationem videris solicitam & politam, scito animum quoque non minus esse pusillis occupatum. Magnus ille remissius loquitur, & securius. Quaecunque dicit, plus habent fiduciae, quàm curae. Nosti complures iuuenes,[b] barba & coma nitidos, de capsula totos: nihil ab illis speraueris forte, nihil solidum. Oratio vultus animi est:[c] si circumtonsa est, & fucata, & manufacta, ostendit illum quoque non esse sincerum, & habere aliquid fracti. Non est ornamētum virile concinnitas. Si nobis animum boni viri liceret inspicere, o quam pulchram faciem, quàm sanctam, quàm ex magnifico placidoque fulgentem videremus: hinc iustitia,

illinc fortitudine,hinc temperantia,prudentiaque lucentibus. Praeter has frugalitas,& cōtinentia,& tolerantia,& libertas,comitasque,[d] & (quis credat?) in homine rarum humanitas bonum,[e] splendorem illi suum affunderent.[f] Tum prouidentia,tum elegantia, & ex istis magnanimitas eminentissima,quātum,dij boni,decoris illi, quantum ponderis, grauitatisque adderēt?quanta esset cum gratia auctoritas?[g] Nemo illum amabilem,qui non simul venerabilem diceret. Si quis viderit hanc faciem altiorem fulgentioremque , quàm cerni inter humana consueuit, nonne velut numinis occursu obstupefactus resistat, & [i] vt fas sit vidisse, tacitus precetur? Tum auocante ipsum vultus benignitate productus, adoret ac supplicet: & diu contemplatus multum extantem,supraque mensuram solitorum inter nos aspici, elatam, oculis miti quidem, sed nihilominus viuido igni flagrantibus, tunc demum illam Virgilij nostri vocem verens atque attonitus emittat:

O quam te memorem virgo? namque haud tibi vultus
Mortalis,nec vox hominem sonat. ——
Sis felix,nostrumque leues quaecunque laborem.

Aderit,leuabitque, si colere eam voluerimus. Colitur autem non taurorum opimis corporibus contrucidatis, nec auro argentoque suspenso , nec in thesauros stipe infusa, sed pia & recta voluntate.[h] Nemo non,inquam,amore eius arderet,si nobis illam videre contingeret. [i] Nunc enim multa [j] obstrigillant,[k] & aciem nostram aut splendore nimio repercutiunt,aut obscuro retinent.Sed quemadmodum visus oculorum quibusdam medicamentis acui solet,& repurgari:sic & nos,si aciem animi liberare impedimētis voluerimus, poterimus perspicere virtutem,etiam obrutam corpore,etiam paupertate opposita,& humilitate,& infamia obiacentibus. Cernemus, inquam,pulchritudinem illam, quamuis sordido obtectam. Rursus aeque malitiam,& aerumnosi animi veternum perspiciemus:[l] quamuis multus circa diuitiarum radiantium splendor impediat,& intuentem,hinc honorū,illinc magnarū potestatū falsa lux verberet.Tunc intelligere nobis licebit,quàm contemnenda miremur,simillimi pueris,quibus omne ludicrū in pretio est.Parentibus quippe,nec minus fratribus praeferunt paruo aere empta monilia. Quid ergo inter nos & illos interest, vt Aristo ait, nisi quòd nos circa tabulas & statuas insanimus,carius inepti?Illos reperti in littore calculi leues,& aliquid habentes varietatis,delectant:[m] nos ingentiū maculae columnarū:siue ex AEgyptiis arenis,siue ex Africae solitudinibus aduectae,porticum aliquam vel capacē populi coenationē ferunt.[n] Miramur parietes tenui marmore inductos:cum sciamus quale sit,quod absconditur. oculis nostris imponimus. Et cum auro tecta perfundimus, quid aliud quā mendacio gaudemus?Scimus enim sub illo auro foeda ligna latitare.Nec tātū parietibus aut lacunaribus ornamentum tenue praetenditur:omniū istorum quos incedere altos vides,bracteata felicitas est.Inspice, & disces sub ista tenui membrana dignitatis,[o] quantum mali lateat.[p] Haec ipsa res tot magistratus , tot iudices detinet , quae magistratus & iudices facit, pecunia ; quae ex quo inhonore esse coepit , verus rerum honor cecidit. Mercatoresque & venales inuicem facti,[q] quaerimus,non quale sit quid,sed quanti.Ad mercedem pij sumus, [q] ad mercedem impij.[r] Honesta,quamdiu aliqua illis spes inest,sequimur:in contrariū transituri, si plus scelerata promittant. Admirationem nobis parentes auri argentique fecerunt: & teneris infusa cupiditas altius sedit , creuitque nobiscum. Deinde totus populus in alia discors,in hoc conuenit:hoc suspiciunt,hoc suis optant,hoc Diis velut rerum humanarum maximum,cum grati videri volunt,consecrant.Denique eo mores redacti sunt, vt paupertas maledicto probroque sit,contempta diuitibus,inuisa pauperibus.Accedunt deinde carmina poetarum, quae affectibus nostris facem subdant, quibus diuitiae velut vnicum vitae decus ornamentumque laudantur. Nihil illis melius nec dare videntur Dij immortales posse, nec habere.

Regia solis erat sublimibus alta columnis,
Clara micante auro.

Eiusdem currum aspice.

Aureus axis erat,temo aureus,aurea summae
Curuatura rotae,radiorum argenteus ordo.

Denique quod optimum videri volunt saeculum , aureum appellant. Nec apud tragicos desunt , [s] qui lucro innocentiam,salutem, opinionem bonam mutant.

[s] [t] *Sine me vocari pessimum,vt diues vocer.*
[u] *An diues,omnes quaerimus:nemo,an bonus.*
Non quare,& vnde: quid habeas,tantum rogant.
Vbique tanti quisque,quantum habuit,fuit.

Quid

Quid habere nobis turpe sit, quaeris? nihil.
Aut diues opto viuere, aut pauper mori.
Bene moritur, qui, dum moritur, lucrum facit.
Pecunia ingens generis humani bonum,
Cui non voluptas matris, aut blandae potest
Par esse prolis, non sacer meritis parens.
Tam dulce si quid Veneris in vultu micat,
Merito illa amores coelitum atque hominum mouet.

Cum hi nouissimi versus in tragoedia Euripidis pronuntiati essent, totus populus ad eiiciẽdum & actorem & carmen consurrexit vno impetu, donec Euripides in medium ipse prosiluit, petens, vt expectarent, viderentque quem admirator auri exitum faceret. Dabat in illa fabula poenas Bellerophontes, quas in sua quisque dat. Nulla enim auaritia sine poena est, quamuis satis sit ipsa poenarum. O quantum lacrimarum, o quantum laborum exigit: quàm misera desideratis, quàm misera partis est. Adiice quotidianas solicitudines, quae pro modo habendi quemque discruciant. Maiore tormẽto pecunia possidetur, quàm quaeritur. Quantum damnis ingemiscunt, quae & magna incidunt, & maiora videntur. Deniq; vt nihil illis fortuna detrahat, quicquid non acquiritur, damnum est. At felicem illum homines & diuitem vocant, & consequi optant, quantum ille possidet. Fateor. Quid ergo? Tu vllos esse condicionis peioris existimas, quàm qui habent & miseriam & inuidiam?[x] Vtinam, qui diuitias appetituri essent, cum diuitibus deliberarent. Vtinam honores petituri, cum ambitiosis,[e] & summum adeptis dignitatis statũ. profecto vota mutassent: cum interim illi noua suscipiunt,[y] qui priora damnauerant. Nemo enim est cui felicitas sua, etiam si cursu venit, satisfaciat. Querũtur & de consiliis, & de processibus suis: malũtque semper, quae reliquerũt. Itaq; hoc tibi philosophia praestabit, quo equidem nihil maius existimo. Nunquã te paenitebit tui. Ad hanc tam solidam felicitatem, quam tẽpestas nulla cõcutiat, non perducent te apte verba contexta, & oratio fluens leniter. Eant vt volent, dum animo compositio sua cõstet, dum sit magnus,[z] & opinionũ securus, & ob ipsa quae aliis displicent, sibi placens: qui profectũ suum vita aestimet, & tantum scire se iudicet, quantũ non cupit, quantũ nõ timet.

Epistola CXVI.

VTRVM satius sit, modicos habere affectus, an nullos, saepe quaesitum est. Nostri illos expellunt: Peripatetici temperãt. Ego non video, quomodo salubris esse aut vtilis possit vlla mediocritas morbi. Noli timere: nihil eorum quae tibi non vis negari, eripio: facilem me, indulgentemque praebebo rebus, ad quas tendis, & quas aut vitae necessarias, aut vtiles, aut iucundas putes. Detraham vitium. Nam cum tibi cupere interdixero, velle permittam: vt eadem illa intrepidus facias, vt certiore consilio, vt voluptates illas magis sentias. Quid ni? Ad te magis peruenturae sunt, si illis imperabis, quàm si seruies. Sed naturale est, inquis, vt desiderio amici torquear. da tempus lacrimis tam iuste cadentibus. naturale est opinionibus hominum tãgi, & aduersis contristari. Quare non permittas mihi hunc tam honestum malae opinionis metum?[a] Nullum vitium est sine patrocinio: nulli nõ initium est verecũdum & exorabile, sed ob hoc latius funditur. Non obtinebis vt desinat, si incipere permiseris.[b] Imbecillis est primo omnis affectus, deinde ipse se concitat, & vires dum procedit, parat: excluditur facilius, quàm expellitur. Quis negat omnes affectus a quodam quasi naturali fluere principio? Curam nobis nostri natura mandauit. Sed huic vbi nimium indulseris, vitium est. Voluptatem natura necessarijs rebus admiscuit, non vt illam peteremus, sed vt ea sine quibus non possumus viuere, gratiora nobis illius faceret accessio. Si suo veniat iure, luxuria est. Ergo intrantibus resistamus: quia facilius, vt dixi, non recipiuntur quàm exeunt. Aliquatenus, inquis, dolere, aliquatenus timere permitte. sed illud aliquatenus longe producitur, nec vbi vis, accipit finem. Sapienti non solicite custodire se tutum est: & lacrimas suas & voluptates vbi volet, sistet. Nobis quia non est regredi facile, optimum est omnino non progredi. Eleganter mihi videtur Panaetius respõdisse adulescentulo cuidam quaerenti, An sapiens amaturus esset? De sapiente, inquit, videbimus: mihi & tibi, qui adhuc a sapiente longe absumus, non est cõmittendum, vt incidamus in rem cõmotam, impotentẽ, alteri emancipatam, vilẽ sibi. Siue enim nos respexit, humanitate eius irritamur; siue contempsit, superbia accendimur. AEque facilitas amoris, quã difficultas nocet. Facilitate capimur, cum difficultate certamus. Itaque conscij nobis imbecillitatis nostrae, quiescamus.[c] Nec vino infirmum animum cõmittamus, nec formae, nec adulationi, nec vllis rebus blãde trahentibus. Quod Panaetius de amore quaerenti respondit, hoc ego de omnibus dico. Quantũ possumus nos, a lubrico recedamus. In sicco quoq; parum fortiter stamus. Occur-

res hoc loco mihi illa publica contra Stoicos voce: Nimis magna promittitis, nimis dura praecipitis. Nos homunciones sumus, omnia nobis negare non possumus. Dolebimus, sed parum. Concupiscemus, sed temperate. Irascemur, sed placabimur. Scis quare non possumus ista? Quia nos posse non credimus. Immo mehercules, aliud est in re. Vitia nostra, quia amamus, defendimus, & malumus excusare illa, quàm excutere. Satis natura homini dedit[a] roboris, si illo vtamur, si vires nostras colligamus, ac totas pro nobis, certe non contra nos concitemus. Nolle in causa est: non posse praetenditur.

Epistola CXVII.

M[1] [a]VLTVM mihi tibique negotium concinnabis, &, dum nescis, in magnam me litem ac molestiam impinges, qui mihi tales quaestiunculas ponis, in quibus ego nec dissentire à nostris, salua gratia, nec consentire salua conscientia possum. Quaeris, an verum sit, quod Stoicis placet, Sapientiam bonum esse, sapere bonum non esse. Primum exponam, quid Stoicis videatur:[b] tum dicere sententiam audebo. Placet nostris, quod bonum est, esse corpus: quia quod bonum est, facit. Quicquid facit, corpus est. Quod bonum est, prodest: faciat autem aliquid oportet, vt prosit. si facit, corpus est. Sapientiam bonum esse dicunt. Sequitur, vt necesse sit illam corporalem quoque dicere. At sapere non putant eiusdẽ condicionis esse. Incorporale est & accidens alteri, id est, sapientiae: itaque nec facit quicquam, nec prodest.[c] Quid ergo, inquiunt, non dicimus, Bonum est sapere? dicimus, referẽtes ad id ex quo pendet, id est, ad ipsam sapientiam. Aduersus hos quid ab aliis respondeatur, audi, antequam ego incipio secedere,[d] & in alia parte considere. Isto modo, inquiunt, nec beate viuere bonum est. Velint nolint, respondendum est, beatam vitam bonum esse, & beate viuere bonum non esse. Etiamnum quoque nostris illud opponitur. Vultis sapere? Ergo expetenda res est sapere.[e] si expetenda res est, bonum est. Coguntur nostri verba torquere, & vnam syllabam expetendò interponere, quam sermo noster inseri non sinit. Ego illam, si pateris, adiungam. Expetendum est, inquiunt, quod bonum est:[a] adexpetendum, quod bono contingit: quod, cum bonum consecuti sumus, non petitur tanquam bonũ,[f] sed petito bono accedit. Ego non idem sentio, & nostros iudico in hoc descẽdere: quia iam primo vinculo tenentur, & mutare illis formulam non licet. Multum dare solemus[a] praesumptioni omniũ hominum. Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri: tanquã deos esse,[g] inter alia sic colligimus, quòd omnibus de diis opinio insita est: nec vlla gens vsquam est adeo extra leges moresque proiecta, vt non aliquos deos credat. Cum de animarum aeternitate disserimus, non leue momentum apud nos habet consensus hominum,[h] aut timentium inferos, aut colentium. Vtor hac publica persuasione. Neminem inuenies, qui non putet & sapientiam bonum, & sapere. Non faciam quod victi solent, vt prouocem ad populum. Nostris incipiemus armis confligere. Quod accidit alicui, vtrum extra id cui accidit est, an in eo cui accidit? Si in eo est cui accidit,[i] tam corpus est, quàm illud cui accidit. Nihil enim accidere sine tactu potest. Quod tangit, corpus est.[k] Si extra est, postquam acciderat, recessit. Quod recessit, motum habet: quod motũ habet, corpus est. Speres me dicturum, non esse aliud cursum, aliud currere: nec aliud calorem, aliud calere: nec aliud lucem, aliud lucere. Concedo ista alia esse, sed non sortis alterius. Si valetudo indifferens est, & valere indifferens est. Si forma indifferens est: & formosum esse indifferens est. Si iustitia bonum est: & iustum esse bonum est. Si turpitudo malum est: & turpem esse malum est. Tam mehercules quàm si lippitudo malum est, & lippire malum est. Hoc vt scias, neutrum esse sine altero potest. Quod sapit, sapiens est: quod sapiens est, sapit. Adeo non potest dubitari,[l] an quale illud sit, tale hoc sit, vt quibusdam vtrumque vnum videatur atque idem. Sed illud libenter quaesierim: Cum omnia aut bona sint, aut mala, aut indifferentia, sapere in quo numero sit. Bonum negant esse. malum vtique non est. sequitur, vt medium sit. Id autem medium atque indifferens vocamus, quod tam malo contingere quàm bono potest: tanquam pecunia, forma, nobilitas. Hoc, vt sapiat, contingere nisi bono non potest: ergo indifferens nõ est. Atqui ne malum quidem est, quod contingere malo non potest: ergo bonũ est. Quod nisi bonus non habet, bonum est: sapere non nisi bonus habet: ergo bonũ est. Accidens est, inquit, sapientiae. Hoc ergo quod vocas sapere, vtrum facit sapiẽtiam, an patitur? siue facit illud, siue patitur, vtroque modo corpus est. Nam & quod fit, & quod facit, corpus est. si corpus est, bonum est.[m] Vnum enim deerat illi, quo minus bonum esset, quòd incorporale erat. Peripateticis placet, nihil interesse inter sapientiam & sapere, cum in vtrolibet eorum & alterum sit. Nunquid enim quenquam existimas sapere,[n] nisi qui sapientiam habet? Nunquid quenquam qui sapiat, non putas habere sapientiam? Dialectici veteres ista distinguunt: ab illis diuisio vsque ad Stoicos venit. Qualis sit haec, dicam.

Aliud

Aliud est ager, aliud agrum habere. Quid tu? Cum habere agrum ad habentem, non ad agrũ pertineat. Sic aliud est sapientia, aliud sapere. [o] Puto concedes duo esse haec, id quod habetur, & eum qui habet. [p] Habetur sapientia: habet, qui sapit. Sapientia est mens perfecta, vel ad summum optimumque perducta: ars enim vitae est. Sapere quid est? Non possum dicere mens perfecta, sed id quod contingit perfectam mentem habenti. Ita alterum est, mens bona: alterum, quasi habere mentem bonam. Sunt, inquit, naturae corporum: tãquam, hic homo est, hic equus: has deinde sequuntur motus animorum enuntiatiui corporum. Hi habent proprium quiddam, & a corporibus seductum: tanquam, video Catonem ambulantem: hoc sensus ostendit, animus credit. Corpus est quod video, cui & oculos, & animum intendi. Dico deinde, Cato ambulat: [q] non corpus quidem est quod nunc loquor, sed enuntiatiuum quiddam de corpore: quod alij effatum vocant, alij enuntiatum, alij edictum. Sic cum dicimus sapientiam, incorporale quiddam intelligimus. Cum dicimus, Sapit: de corpore loquimur. Plurimum autem interest, vtrum illud dicas, an de illo. Putemus in praesentia ista duo esse: [r] nondum enim quid mihi videatur, pronuntio: [s] quid prohibet, quo minus aliud quidẽ sit, sed nihilominus bonum? Dicebas paulo ante, aliud esse agrum, aliud habere agrum. Quid tu? in alia enim natura est qui habet, in alia quod habetur. Illa terra est, hic homo est. At in hoc de quo agitur, eiusdem naturae sunt vtraque, & qui habet sapientiam, & ipsa quae habetur. Praeterea illic aliud est quod habetur, alius qui habet: hic in eodem est & quod habetur, & qui habet. Ager iure possidetur: sapientia natura. ille abalienari potest, & alteri tradi, haec non discedit a domino. Non est itaque quòd compares inter se dissimilia. Coeperam dicere, posse ista duo esse, & tamen vtraque bona. [t] Et sapientiam, & sapientem duo esse: & vtrumque bonum esse concedis. Quomodo nihil obstat, quo minus & sapientia bonum sit, & habens sapientiam: [u] sic nihil obstat, quo minus & sapientia bonum sit, & habere sapientiam, id est, sapere. Ego in hoc volo sapiens esse, vt sapiam. Quid ergo? Non est id bonum, sine quo nec illud bonum est. Vos certe dicitis, sapientiam, si sine vsu detur, accipiẽdam non esse. Quis est vsus sapientiae? Sapere: hoc est in illa pretiosissimum: quo detracto, superuacua fit. Si tormenta mala sunt, torqueri malum est: adeo quidem, vt illa non sint mala, si quod sequitur, detraxeris. Sapientia habitus perfectae mentis est: sapere, vsus perfectae mentis. Quomodo potest vsus eius bonum non esse, quae sine vsu bonum non est? Interrogo te, an sapientia sit expetenda. Fateris. Interrogo, an vsus sapientiae sit expetendus. Fateris. Negas enim te illam recepturum, si vti ea prohibearis. Quod expetendum est, bonum est. Sapere, sapientiae vsus est: quomodo eloquentiae, loqui: quomodo oculorum, videre. Ergo sapere, sapientiae vsus est. Vsus autem sapientiae expetendus est. Sapere ergo expetendum est. Si expetẽdum est, bonum est. [x] Olim ipse me damno, qui illos imitor dum accuso, & verba apertae rei impendo. Cui enim dubium potest esse, quin si aestus malum est, & aestuare malum sit? Si algor malum est, malum sit algere? Si vita bonum est, & viuere bonum est. [y] Omnia ista circa sapientiam, non in ipsa sunt. At nobis in ipsa commorandum est, etiam si quid euagari libet, amplos habet illa spatiososque secessus. De deorum natura quaeramus, [z] de siderum alimento, de his tam variis stellarum discursibus: an ad illarũ motus nostra moueantur corpora, an corporibus omnium, atimisque illinc impetus veniat. An & haec quae fortuita dicuntur, certa lege constricta sint, nihilque in hoc mundo repentinum, aut expers ordinis volutetur. Ista iam a formatione motum recesserunt: sed leuant animum, & ad ipsarum quas tractant rerum magnitudinem attollunt. Haec vero de quibus paulo ante dicebã, minuunt & deprimunt, nec vt putas exacuunt, sed extenuant. Obsecro vos, cur tam necessariam curam maioribus melioribusque debitam, in re nescio an falsa, certe inutili, terimus? [a] Quid mihi profuturum est scire, an aliud sit sapientia, aliud sapere? Quid mihi profuturum est scire, illud bonum esse, hoc non esse? Temere me geram, subibo huius voti aleam. Tibi sapientia, mihi sapere contingat: pares erimus. Potius id age, vt mihi viam mõstres, qua ad ista perueniam. Dic mihi quid vitare debeam, quid appetere: [b] quibus animum labantem studiis firmem: quemadmodum quae me ex transuerso ferunt aguntque, procul a me repellam. Quomodo par esse tot malis possim: quomodo istas calamitates remoueam, [c] quae ad me irruperunt: quomodo illas, ad quas ego irrupi. Doce, quòmodo feram aerumnam sine gemitu meo, felicitatem sine alieno: quomodo vltimum & necessatium vitae terminum non expectem, [d] sed ipsemet, cum visum erit, profugiam. Nihil mihi videtur turpius, quàm optare mortem. Nam si vis viuere, quid optas mori? [e] si non vis, quid deos rogas, quod tibi nascenti dederunt? Nam vt quandoque moriaris, etiam inuito positum est: vt cum voles, in tua manu est. Alterum tibi necesse est, alterum licet. Turpissimum his diebus principium diserti mehercules viri legi: [f] Ita, inquit, quamprimum moriar. Homo demens, optas rem tuam. Ita

quamptimum moriar. Fortaſſe inter has voces ſenex factus es. Alioqui quid in mora eſt? Nemo te tenet, euade qua viſum eſt. Elige quamlibet rerum naturae partem, qua tibi praeberi exitum iubeas. Haec nempe ſunt elementa, quibus hic mundus adminiſtratur: Aqua, terra, ſpiritus. Omnia iſta tam cauſa viuendi ſunt, quàm viae mortis. Ita quamprimum moriar. Quamprimum iſtud, quod eſſe vis? quem illi diē ponis? Citius fieri quàm optas, poteſt. Imbecillae mentis iſta ſunt verba, & [d] hae deteſtatione miſericordiam captantis. Non vult mori, qui optat. Deos vitam roga, & ſalutem. Si mori placuit, hic mortis eſt fructus, optare deſinere. Haec, mi Lucili, tractemus, his formemus animum. Haec eſt ſapientia, hoc eſt ſapere, nō diſputatiunculis inanibus ſubtilitatem vaniſſimam agitare.[g] Tot quaeſtiones tibi fortuna poſuit. nondum illas ſoluiſti. Iam cauillaris. Quàm ſtultum eſt, cum ſignum pugnae acceperis, ventilare.[h] Remoue iſta luſoria arma: decretoriis opus eſt. Dic qua ratione nulla animum triſtitia, nulla formido perturbet:[i] qua ratione hoc ſecretarum cupiditatum pōdus effundam.[k] Agatur aliquid. Sapientia bonum eſt, ſapere non eſt bonum.[l] Sic ſit. Negemus, ſapere bonum eſſe: vt hoc totum ſtudium derideatur, tanquam operatum ſuperuacuis. Quid ſi ſcires etiam illud quaeri,[m] an bonum ſit futura ſapientia?[n] Quid enim dubij eſt, oro te, an nec meſſem futuram iam ſentiant horrea, nec futuram adoleſcentiam pueritia viribus aut vllo robore intelligat? AEgro interim nihil ventura ſanitas prodeſt, non magis quàm curſātem luctantemque, poſt multos ſecuturum ſenſus otium reficit. Quis neſcit hoc ipſo nō eſſe bonum id quod futurum eſt, quia futurum eſt? Nam quod bonum eſt, vtique prodeſt. Niſi praeſentia, prodeſſe non poſſunt. Si non prodeſt, bonum non eſt vtique: ſi prodeſt, iam eſt. Futurus ſum ſapiens: hoc bonum erit, cum fuero: interim non eſt. Prius aliquid eſſe debet, [o] deinde quale eſſe. Quomodo, oro te, quod adhuc nihil eſt, iam bonum eſt? Quomodo autem tibi magis vis probari, non eſſe aliquid, quàm ſi dixero, futurum eſt? Nondum enim veniſſe apparet, quod venit. Ver ſecuturū eſt: ſcio nunc hiemem eſſe. AEſtas ſecutura eſt: ſcio aeſtatem non eſſe. Maximum argumentum habeo nondum praeſentis, futurum eſſe.[p] Sapiam, ſpero: ſed interim non ſapio. Si illud bonum haberem, iam hoc carerem malo, Futurū eſt, vt ſapiam. ex hoc licet nondum me ſapere intelligas. Non poſſum ſimul & in illo bono, & in hoc malo eſſe. Duo iſta non coeunt, nec apud eundem ſunt vna bonum & malū. Tranſcurramus ſolertiſſimas nugas, & ad illa quae nobis aliquam opem ſunt latura, properemus. Nemo qui obſtetricem parturiēti filiae ſolicitus acceſſit, edictum & ludorum ordinem perlegit. Nemo qui ad incendium domus ſuae currit,[q] tabulam laterunculariam perſpicit, vt ſciat quomodo alligatus exeat calculus. At mehercules omnia tibi vndique nuntiantur, & incendium domus, & periculum liberorum, & obſidium patriae, & bonorum direptio. Adiice iſtis naufragium, motusque terrarū, & quicquid aliud timeri poteſt. Inter iſta diſtrictus, rebus nihil aliud quàm animum oblectantibus vacas? Quid inter ſapientiam & ſapere interſit, inquiris? Nodos nectis ac ſoluis, tantā mole impendente capiti tuo? Non tam benignum ac liberale tempus natura nobis dedit, vt aliquid ex illo vacet perdere:[r] & vide quàm multa etiam diligentiſſimis pereant. Aliud valetudo ſua cuique abſtulit, aliud ſuorum: aliud neceſſaria negotia, aliud publica occupauerunt. Vitam nobiſcum diuidit ſomnus.[s] Ex hoc tempore tam anguſto, & rapido, & nos auferente, quid iuuat maiorem partem mittere in vanū? Adiice nunc, quòd aſſueſcit animus[t] delectare ſe potius quàm ſanare: & philoſophiam oblectamentum facere, cum remedium ſit. Inter ſapientiam & ſapere quid interſit, neſcio. Scio mea non intereſſe, ſciam iſta, an neſciam.[u] Dic mihi, cum quid inter ſapientiam & ſapere interſit, didicero, ſapiam? Cur ergo potius inter vocabula me ſapientiae detines, quàm inter opera? Fac me fortiorem, fac me ſecuriorem, fac fortunae parem, fac ſuperiorem. Poſſum autem ſuperior eſſe,[x] ſi fecero omne quod diſco.

Epiſtola CXVIII.

EXIGIS a me frequentiores epiſtolas. Rationes conferamus. ſoluendo non eris. Conuenerat quidem, vt tua priora eſſent,[a] tu ſcriberes, ego reſcriberem. Sed non ero difficilis. bene credi tibi ſcio itaque in anteceſſum dabo. Nec faciam, quod Cicero vir diſertiſſimus facere Atticum iubet, vt etiam ſi rem nullam habebit, quod in buccam venerit, ſcribat. Nūquam poteſt deeſſe quod ſcribam, vt omnia illa quae Ciceronis implent epiſtolas, tranſeam: quis candidatus laboret, quis alienis, quis ſuis viribus pugnet, quis conſulatum fiducia Caeſaris, quis Pompeij,[b] quis aperte petat: quàm durus ſit fenerator Caecilius, a quo minoris centeſimis[c] propinqui nummum mouere non poſſunt. Sua ſatius eſt mala quàm aliena tractare: ſe excutere, & videre, quàm multarum rerum candidatus ſit, & non ſuffragari. Hoc eſt, mi Lucili, egregium, hoc ſecurum ac liberum, nihil petere, & tota fortunae comitia tranſire. Quàm putas eſſe iucundum, tribubus vocatis, cum candidati[d] intenti ſuis pendeant, & alius

nummos pronuntiet,alius per ſequeſtrem agat,alius eorum manus oſculis conterat, quibus deſignatus contingendam manum negaturus eſt, omnes attoniti, vocem praeconis expectant,ſtare otioſum,& ſpectare illas nundinas,nec ementem quicquam,nec vendentē.Quāto hic maiore gaudio fruitur,qui non praetoria,aut conſularia comitia ſecutus intuetur, ſed magna illa,in quibus alij honores anniuerſarios petunt,alij perpetuas poteſtates, alij bellorū euentus proſperos triumphosque:alij diuitias, alij matrimonia ac liberos, alij ſalutem ſuam ſuorumque.Quanti animi res eſt,ſolum nihil petere,nulli ſupplicare,& dicere:Nihil mihi tecum fortuna.non facio mei tibi copiam. Scio apud te Catones repelli, Vatinios fieri. Nihil rogo. Hoc eſt priuatam facere fortunam. Libet ergo haec inuicem ſcribere,& hanc integrā ſemper egerere materiam,circumſpicientibus tot millia hominum inquieta: [e] qui vt aliquid peſtiferi conſequantur,per mala nituntur in malum,petuntque mox fugienda, aut etiam faſtidienda.Cui enim aſſecuto ſatis fuit,quod optanti nimium videbatur?Nō eſt, vt exiſtimāt homines, auida felicitas,ſed puſilla.Itaque neminem ſatiat. Tu iſta credis excelſa, quia longe ab illis iaces.Ei vero qui ad illa peruenit,humilia ſunt. Mentior, niſi adhuc quaerit aſcendere. Iſtud quod tu ſummum putas, gradus eſt. Omnes autem male habet ignorantia veri: tanquam ad bona feruntur, decepti rumoribus. Deinde mala eſſe, aut inania, aut minora quàm ſperauerint,adepti ac multa paſſi vident: maiorque pars miratur ex interuallo fallentia, & vulgo magna pro bonis ſunt. Hoc ne nobis quoque eueniat, quaeramus quid ſit bonum. Varia eius interpretatio fuit. Finiuit hoc alius alio modo. Alius illud aliter expreſſit. Quidam ita finiunt:Bonum eſt, quod inuitat animos, quod ad ſe vocat. Huic ſtatim opponitur:Quid ſi inuitat quidem,ſed in perniciem?Scis quàm multa mala blanda ſint. [f] Verum, & veriſimile,inter ſe differunt ita.Quod bonum eſt,vero iungitur:non eſt enim bonum, niſi verum eſt. At quod inuitat ad ſe,& allicit facie, veriſimile eſt,[g] ſubrepit, ſollicitat, attrahit. Quidam ita finierunt: Bonum eſt, quod appetitionem ſui mouet, vel quod impetum animi tendentis ad ſe mouet. Et huic idem opponitur. Multa enim impetum animi mouent, quae petuntur petentium malo.Melius illi qui ſic finierunt:Bonum eſt,quod ad ſe impetum animi ſecundum naturam mouet:& ita demum petendum eſt, cum coepit eſſe expetendum. [h] Iam & honeſtum eſt: hoc enim perfecte eſt petendum. Locus ipſe me admonet, vt quid interſit inter bonum honeſtumque,dicam.Aliquid inter ſe habent mixtum,& inſeparabile:nec poteſt bonum eſſe,niſi cui aliquid honeſti ineſt: & honeſtum vtique bonum eſt. Quid ergo inter duo intereſt?Honeſtum eſt perfectum bonum,quo beata vita completur,cuius contactu alia quoque bona fiunt. Quod dico, tale eſt. Sunt quaedam neque bona, neque mala: tanquam militia,legatio,iuriſdictio.[i] Haec cum honeſte adminiſtrata ſunt, bona eſſe incipiunt, & ex dubio in bonum tranſeunt. Bonum ſocietate honeſti fit, honeſtum per ſe bonum eſt. Bonum ex honeſto fluit,honeſtum ex ſe eſt. Quod bonum eſt,malum eſſe potuit. Quod honeſtum eſt, niſi bonum eſſe non potuit. Hanc quidam finitionem reddiderunt: Bonum eſt, quod ſecundum naturam eſt.Attende quid dicam. Quod bonum eſt,& ſecundum naturam eſt:non protinus quod ſecūdum naturam eſt,& bonum eſt. Multa quidem naturae conſentiunt:ſed tam puſilla ſunt,vt non conueniat illis boni nomen. [k] Leuia enim ſunt, & contemnenda.[l] Nullum nec minimum contemnendum bonum.Nam quamdiu exiguum eſt,bonum non eſt. Cum bonum eſſe coepit,non exiguum eſt. [m] Vnde aliquid cognoſcitur bonū? Si perfecte ſecundum naturam eſt.Fateris,inquis,quod bonum eſt, ſecundum naturam eſſe. [n] Haec eius proprietas eſt. Fateris & alia ſecundum naturam quidem eſſe,ſed bona non eſſe. Quomodo ergo illud bonum eſt,cum haec non ſint? [o] quomodo ad aliam proprietatē peruenit, cum vtrique praecipuum illud commune ſit,ſecundum naturam eſſe?ipſa ſcilicet magnitudine.Nec hoc nouum eſt,quaedam creſcendo mutari. Infans fuit,factus eſt pubes:alia eius proprietas fit: [p] ille irrationalis eſt, hic rationalis. Quaedam incremento nō tantum in maius exeunt,ſed in aliud. Non fit,inquit, aliud quod maius fit. Vtrum lagenam an dolium impleas vino, nihil refert: in vtroque proprietas vini eſt.[q] Exiguum mellis pondus, & magnum,ſapore non differt. Diuerſa ponis exempla.In iſtis enim eadem qualitas eſt: quamuis augeantur, manent.Quaedam amplificata in ſuo genere,in ſua proprietate perdurant:quaedam poſt multa incrementa, vltima demum vertit adiectio, & nouam illis, aliamque quàm in qua fuerant, condicionem imprimit. Vnus lapis fecit fornicem. Ille qui latera inclinata cuneauit,& interuentu ſuo vinxit. Summa adiectio quare plurimum facit,vel exigua? Quia non auget,ſed implet. Quaedam proceſſu priorem exuunt formam, & in nouam tranſeunt. [r] Vbi animus aliquid diu protulit,& magnitudinem eius ſequēdo laſſatus eſt,infinitum coepit vocari,quod longe aliud factum eſt quàm fuit,cum magnum videretur,ſed finitum. Eodem modo aliquid difficulter ſecari cogitauimus: [s] nouiſſime creſcente difficultate, inſeca-

bile inuentum est. Sic ab eo quod vix & aegre mouebatur, processimus ad immobile. Eadem ratione aliquid secundum naturam fuit: hoc in aliam proprietatem magnitudo sua transtulit,& bonum fecit.

Epistola CXIX.

QVOTIES aliquid inueni, non expecto donec dicas,[a] In commune, ipse mihi dico. Quid sit quod inueoerim, quaeris? Sinum laxa, merum lucrum est. Docebo quomodo fieri diues celerrime possis, quod valde cupis audire. Nec immerito: [a] ad maximas re diuitias cōpendiaria ducam. Opus erit tamen tibi creditore. Vt negotiari possis, aes alienum facias oportet: sed nolo per intercessorem mutueris, nolo proxenetae nomen tuum iactent. Paratum tibi creditorem dabo, [b] Catoniaoum illud: A TE MVTVVM SVMES. Quantulumcunque est, satis erit, si quicquid deerit, id a nobis petierimus. Nihil enim, mi Lucili, interest, vtrum noo desideres, an habeas.[c] Summa rei in vtroque est eadem: Nō torqueberis. Nec illud praecipio, vt aliquid naturae neges. Contumax est, nō potest vinci, suum poscit: sed vt quicquid naturam excedit, scias precarium esse, non necessarium. Esurio: edendum est. Vtrum hic panis sit plebeius, an siligineus, ad naturam nihil pertinet. Illa ventrem non delectari vult, sed impleri. Sitio.[d] Vtrum haec aqua sit ex lacu proximo excepta, an ea quam multa niue clusero, vt rigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet. Illa hoc vnum iubet, sitim extingui. Vtrum sit aureum poculū, an crystallinum, an murrhinum, an Tiburtinus calix, an manus concaua, nihil refert. Finem omnium rerum specta,[e] & superuacua dimittes. Fames me appellat: [f] ad proxima quaeque tendatur manus: ipsa mihi commendabit, quodcunque cōprehendero. Nihil contemnit esuriens. Quid sit ergo, quod me delectauerit, quaeris? Videtur mihi egregie dictum: Sapiens, diuitiarum naturalium est quaesitor acerrimus.[g] Inani me, inquis, lance muneras. Quid est illud inane?[h] Iam ego parateram fiscos. Circumspiciebam in quod me mare negotiaturus immitterem, quod publicum agitarem, quas accerserem merces. Decipere est istud, docere paupertatem, cum diuitias promiseris. Ita tu pauperem iudicas, cui nihil deest? Suo, inquis, & patientiae suae beneficio, non fortunae. Ideo ergo illum non iudicas diuitem, quia diuitiae eius desinere non possunt? Vtrum malis habere multum, an satis? Qui multum habet, plus cupit; quod est argumentum, nondum illum satis habere: qui satis habet,[i] consecutus est, quod numquam diuiti contigit, finem. An has ideo nō putas esse diuitias, quia propter illas nemo proscriptus est? Quia propter illas nulli venenum filius, nulli vxor impegit? Quia in bello tutae sunt? Quia in pace otiosae? Quia nec habere illas periculosum est, nec operosum disponere? An parum habet,[k] qui tantum non alget, non esurit, non sitit? Plus Iupiter non habet. Nunquam parum est, quod satis est.[l] Nunquā multum est, quod satis non est.[m] Post Darium & Indos pauper est Alexander Macedo: quaerit quod suum faciat, scrutatur maria ignota, in Oceanum classes mittit nouas, &, vt ita dicam, mundi claustra perrumpit. Quod naturae satis est, homini non est. Inuentus est qui concupisceret aliquid post omnia. Tanta est caecitas mentium, & tanta initiorum suorum vnicuique, cum processit, obliuio. Ille modo ignobilis anguli non sine controuersia dominus,[n] de tanto fine terrarum per suum rediturus orbem tristis est. Neminem pecunia diuitem fecit: immo contra, nulli non maiorem sui cupiditatem incussit. Quaeris, quae sit huius rei causa? Plus incipit habere posse, qui plus habet. Ad summam, quem voles mihi ex his[o] quorū nomina cum Crasso Licinoque numerātur, in medium licet protrahas: afferat censum, & quicquid habet, & quicquid sperat, simul computet.[p] Iste, si mihi credis, pauper est; si tibi, potest esse. At hic qui se ad id quod natura exigit, composuit, noo tantum extra sensum est paupertatis, sed extra metum. Sed vt scias quàm difficile sit res suas ad naturalem modum coarctare,[q] hic ipse quem circa naturam diximus, quem tu vocas pauperem, habet aliquid & superuacui. At excaecant populum, & in se conuertunt opes, si numerati multum ex aliqua domo effertur, si multum auri tecto quoque eius illinitur, si familia aut corporibus lecta, aut spectabilis cultu est. Omnium istorum felicitas in publicum spectat: ille quē nos & populo & fortunae subduximus, beatus introrsum est. Nam quod ad illos pertinet, apud quos falso diuitiarum nomen inuasit occupata paupertas, sic diuitias habent, quomodo habere dicimur febrem, cum illa nos habeat.[r] E contrario dicere debemus, Febris illum tenet. Eodem modo dicendum est, Diuitiae illum tenent. Nihil ergo monuisse te malim, quàm hoc quod nemo monetur satis: vt omnia naturalibus desideriis metiaris, quibus aut gratis satis fiat, aut paruo. Tantum miscere vitia desideriis noli. Quaeris quali mensa, quali argento,[s] quā paribus ministeriis & leuibus afferat cibus. Nihil praeter cibum natura desiderat.

Num tibi, cum fauces vrit sitis, aurea quaeris
Pocula? num esuriens fastidis omnia praeter
Pauonem rhombumque?

Ambitiosa

Ambitioſa non eſt fames: contenta deſinere eſt. Quo deſinat, non nimis curat. Infelicis luxuriae iſta tormenta ſunt. Quaerit quemadmodum poſt ſaturitatem quoque eſuriat, quemadmodum non impleat ventrem, ſed farciat, quemadmodum ſitim [x] prima potione ſedatam reuocet. Egregie itaque Horatius negat ad ſitim pertinere, quo poculo aqua, aut quàm eleganti manu miniſtretur. Nam ſi pertinere ad te iudicas, quàm crinitus puer, & quàm perlucidum tibi poculum porrigat, non ſitis. Inter reliqua, hoc nobis natura praeſtitit praecipuũ, quod neceſſitati faſtidium excuſſit. Recipiunt ſuperuacua delectum. Hoc parum decens, illud parum lautum, [y] oculos hoc meos laedit. Id actum eſt ab illo mundi conditore, qui nobis viuendi iura deſcripſit, vt ſalui eſſemus, non delicati. Ad ſalutem omnia parata ſunt & in promptu: deliciis omnia miſere ac ſolicite comparantur. [z] Vtamur ergo hoc naturae beneficio inter magna numerando: & cogitemus, nullo nomine melius illam meruiſſe de nobis, quàm quia quicquid ex neceſſitate deſideratur, ſine faſtidio ſumitur.

Epiſtola CXX.

EPISTOLA tua per plures quaeſtiunculas vagata eſt, ſed in vna conſtitit, & hanc expediri deſiderat: [a] Quomodo ad nos boni honeſtique prima notitia peruenerit. Haec duo apud alios diuerſa ſunt, apud nos tantum diuiſa. Quid ſit hoc, dicam. Bonum putant eſſe aliqui, quod vtile eſt. Itaque hoc & diuitiis, & equo, & vino, & calceo nomen imponunt. Tanta eſt apud illos boni vilitas, & adeo vſque ad ſordida deſcendit. Honeſtum putant, cui ratio recti officij conſtat: tanquam pie curatam patris ſenectutem, adiutam amici paupertatem, fortem expeditionem, prudentem moderatamque ſententiam. Iſta duo quidem facimus, ſed ex vno. Nihil eſt bonum, niſi quod honeſtum eſt: quod honeſtum eſt, vtique bonum. Superuacuum iudico adiicere, quid inter iſta diſcriminis ſit, cum ſaepe dixerim. Hoc vnum dicam: Nihil nobis bonum videri, quo quis & male vti poteſt. Vides autem, diuitiis, nobilitate, viribus quàm multi male vtantur. Nunc ergo ad id reuertor, de quo deſideras dici: Quomodo ad nos prima boni honeſtique notitia peruenerit. Hoc nos docere natura non potuit: Semina nobis ſcientiae dedit, ſcientiam non dedit. Quidam aiunt nos in notitiam incidiſſe: quod eſt incredibile, virtutis alicui ſpeciem caſu occurriſſe. Nobis videtur obſeruatio collegiſſe, & rerum ſaepe factarum inter ſe collatio [b] per analogiam noſtro intellectu & honeſtum & bonum iudicante. Hoc verbum cum Latini grammatici ciuitate donauerint, ego damnandum non puto, nec in ciuitatem ſuam redigendum. Vtar ergo illo non tantum tanquam recepto, ſed tanquam vſitato. Quae ſit haec analogia, dicam. Noueramus corporis ſanitatem: ex hac collegimus eſſe aliquam & animi. Noueramus corporis vires: ex his collegimus eſſe & animi robur. Aliqua benigna facta, aliqua humana, aliqua fortia, nos obſtupefecerant: haec coepimus tanquam perfecta mirari. Suberant illis multa vitia, quae ſpecies alicuius conſpicui facti fulgorque celabat. Haec diſſimulauimus. Natura iubet augere laudãda. [c] Nemo non gloriam vltra verum tulit. Ex his ergo ſpeciem ingentis boni traximus. Fabricius Pyrrhi regis aurum repulit, maiusque regno iudicauit, regias opes poſſe contemnere. Idem medico Pyrrhi promittente venenum ſe regi daturum, monuit Pyrrhum, caueret inſidias. Eiuſdem animi fuit, auro non vinci, veneno non vincere. Admirati ſumus ingentẽ virum, quem non regis, non contra regem promiſſa flexiſſent, boni exempli tenacem: quod difficillimum eſt, in bello innocentem: qui aliquod eſſe crederet etiam in hoſtes nefas: qui in ſumma paupertate qua ſibi decus fecerat, non aliter refugit diuitias quàm venenum. Viue, inquit, beneficio meo Pyrrhe, & gaude, quod adhuc dolebas, Fabricium non poſſe corrumpi. Horatius Coeles ſolus impleuit pontis anguſtias, adimique a tergo ſibi reditum, dummodo iter hoſti auferretur, iuſſit: & tam diu reſtitit prementibus, donec reuulſa ingenti ruina tigna ſonuerunt. Poſtquam reſpexit, & extra periculum eſſe patriam periculo ſuo ſenſit: Veniat ſi quis vult, inquit, ſic euntem ſequi: deditque ſe in praeceps: & non minus ſolicitus in illo rapido alueo fluminis, vt armatus, quàm vt ſaluus exiret, retento armorum victricium decore, tam tutus rediit, [d] quàm ſi ponte veniſſet. Haec & huiuſmodi facta imaginem nobis oſtendere virtutis. Adiiciam quod mirum fortaſſe videatur. Mala interdum ſpeciem honeſti obtulerunt, & optimum ex contrario nituit. Sunt enim, vt ſcis, virtutibus vitia confinia, & perditis quoque ac turpibus recti ſimilitudo eſt. Sic mentitur prodigus liberalem: cũ plurimum interſit, vtrum quis dare ſciat, an ſeruare neſciat. Multi, inquam, ſunt, Lucili, qui non donant, ſed proiiciunt. Non voco ego liberalem, pecuniae ſuae iratum. Imitatur negligẽtia facilitatem, temeritas fortitudinem. Haec nos ſimilitudo coegit attẽdere, & diſtinguere ſpecie quidem vicina, re autem plurimum inter ſe diſſidentia. Dum obſeruamus eos quos inſignes egregium opus fecerat, coepimus annotare, quis rem aliquam generoſo animo feciſſet & magno impetu, [e] ſed ſemel. Hunc vidimus in bello fortem, in foro timidum, animoſe pau-

pertatem ferentem,humiliter infamiam. factum laudauimus, contempsimus virum. Aliudi vidimus aduersus amicos benignum, aduersus inimicos temperatum, & publica & priuata sancte ac religiose administrantem:non deesse ei & in his quae toleranda erant, patientiam, & in his quae agenda,prudentiam.Vidimus vbi tribuendum esset,plena manu dantem: vbi laborandum,pertinacem & obnoxium,& lassitudinem corporis animo subleuantem. Praeterea idem erat semper & in omni actu par sibi, iam non consilio bonus, sed more eo perductus,vt non tantum recte facere posset, sed nisi recte, facere non posset. Intelleximus in illo perfectam esse virtutem:hanc in partes diuisimus. Oportebat cupiditates refraenari, metus comprimi,facienda prouideri,reddenda distribui. Comprehendimus temperantiam,fortitudinem,prudētiam,iustitiam,& suum cuique dedimus officium. Ex quo ergo virtutem intelleximus?Ostēdit illam nobis ordo eius,& decor, & constantia,& omnium inter se actionum concordia, & magnitudo super omnia efferens sese. Hinc intellecta est illa beata vita secundo defluens cursu,arbitrij sui tota. Quomodo ergo hoc ipsum nobis apparuit? dicam. Nunquam vir ille perfectus adeptusque virtutem, fortunae maledixit. Nunquam accidentia tristis excepit, ciuem esse se vniuersi & militem credens, labores velut imperatos subiit. Quicquid inciderat,non tanquam malum aspernatus est, & in se casu delatum,sed quasi delegatum sibi. Hoc qualecūque est,inquit, meum est:asperum est:durum est:in ipso nauemus operam.Necessario itaque magnus apparuit,qui nunquam malis ingemuit,nunquam de fato suo questus est,fecit multis intellectum sui, & non aliter quàm in tenebris lumen effulsit, aduertitque in se omnium animos,cum esset placidus & lenis, & humanis diuinisque rebus pariter aequus. Habebat perfectum animum,ad summam sui adductus, supra quam nihil est nisi mens Dei, ex qua pars & in hoc pectus mortale defluxit: quod nunquam magis diuinū est,quàm vbi mortalitatem suam cogitat,& scit in hoc natum hominem, vt vita defungeretur:nec domum esse hoc corpus,[f] sed hospitium,& quidem breue hospitiū:quod relinquendum est,[g] vbi te grauem esse hospiti videas. Maximum,inquam, mi Lucili, argumentum est animi ab altiori venientis sede,si haec in quibus versatur,humilia iudicat,& angusta, si exire non metuit.Scit enim quo exiturus sit,qui vnde venerit,meminit.Non videmus quàm multa nos incōmoda exagitent,quàm male nobis conueniat hoc corpus.Nunc de ventre,nunc de capite,nunc de pectore ac faucibus querimur. Alias nerui nos, alias pedes vexant. Nunc deiectio,nunc destillatio.Aliquando superest sanguis,aliquando deest.Hinc atque illinc tētamur, & expellimur. Hoc euenire solet in alieno habitantibus.[h] At nos corpus tam putre sortiti,nihilominus aeterna proponimus,& in quantum potest aetas humana protendi,tantum spe occupamus, nulla contenti pecunia, nulla potentia.Quid hac re fieri impudentius, quid stultius potest?Nihil satis est morituris, immo morientibus. Quotidie enim propius ab vltimo stamus, & illo vnde nobis cadendum est, hora nos omnis impellit. Vide in quanta caecitate mens nostra sit.[i] Hoc quod futurum dico,cummaxime fit, & pars eius magna iam facta est. Nam quod viximus tempus,eo loco est,quo erat antequam viximus. Erramus autem,qui vltimum timemus diem:cum tantundem in mortem singuli conferant.Nō ille gradus lassitudinem facit,in quo deficimus, sed ille profitetur. Ad mortem dies extremus peruenit,accedit omnis. Carpit nos illa, non corripit. Ideo magnus animus, conscius sibi melioris naturae,dat quidem operam,vt in hac statione,qua positus est, honeste se atque industrie gerat;ceterum nihil horum quae circa ipsum sunt,suum iudicat,sed vt commodatis vtitur,peregrinus & properans. Cum aliquem huius videremus constātiae, quid ni subiret nos species non vsitatae indolis? Vtique si hanc, vt dixi, magnitudinem veram esse ostendebat. Qualitatis verae tenor permanet,falsa non durant. Quidam alternis Vatinij, alternis Catones sunt. Et modo parum illis seuerus est Curius, parum pauper Fabricius, parum frugi & contentus vili Tubero.[k] Modo Licinum diuitiis,Apicium coenis,Maecenatem deliciis prouocant. Maximum indicium est malae mentis, fluctuatio,[l] & inter simulationem virtutum, amoremque vitiorum,assidua iactatio.

—— habebat saepe ducentos,
Saepe decem seruos:modo reges atque tetrarchas,
Omnia magna loquens:modo,sit mihi mensa tripes,&
Concha salis puri,& toga quae defendere frigus,
Quamuis crassa,queat.decies centena dedisses
Huic parco paucis contento.quinque diebus
Nil erat in loculis.

Omnes isti tales sunt,qualem hunc describit Horatius:nunquam eundem,nec similem quidem sibi. Adeo in diuersum aberrat. Multos dixi: prope est vt omnes sint.Nemo non quotidie

tidie & cõsilium mutat,& votum:modo vxorem vult habere, modo amicam:modo regnare vult;modo id agit,ne quis sit officiosior seruus:modo dilatat se vsque ad inuidiam; modo subsidit,& contrahitur infra humilitatem vere iacentium: [m] nunc pecuniam spargit,nũc rapit.[n] Sic maxime coarguitur animus imprudens:alius prodit atque alius,&(quo turpius nihil iudico) impar sibi est.[a] Mâgnam rem puta,vnum hominem agere.Praeter sapientem autem nemo vnum agit.Ceteri multiformes sumus:modo frugi tibi videbimur & graues,modo prodigi & vani. Mutamus subinde personam,& contrariam ei sumimus,quam exuimus. Hoc ergo a te exige, vt qualem institueris praestare te, talem vsque ad exitum serues. Effice vt possis laudari:si minus, vt agnosci. De aliquo, quem vidisti heri, merito dici potest: Hic quis est? Tanta mutatio est.

Epistola CXXI.

L[r]ITIGABIS,video:cum tibi hodiernam quaestiunculam, in qua satis diu haesimus,exposuero.[a]Iterum clamabis,Hoc quid ad mores? [b]Sed exclamanti tibi primum alios opponam,cum quibus litiges, Posidonium & Archidemum.Hi [a] iudicium accipient, deinde dicam. Non quicquid morale est,bonos mores facit.Aliud ad bominem alendum pertinet, aliud ad exercendum,aliud ad vestiendum,aliud ad docendum, aliud ad delectandum. Omnia tamen ad hominem pertinent, etiam si non omnia meliorẽ eum faciunt. Mores alia aliter attingunt.Quaedam illos corrigunt & ordinant,quaedam naturam eorum & originem scrutantur.cum quaeritur, quare hominem natura produxerit,quare praetulerit animalibus ceteris,longe me iudicas mores reliquisse? falsum est.Quomodo enim scies,qui habẽdi sint, nisi quid homini sit optimum,inueneris? nisi naturam eius inspexeris? Tunc demum intelliges,quid faciendum tibi, quid vitandum sit, cum didiceris quid naturae tuae debeas. Ego, inquis,volo discere,quomodo minus cupiam,minus timeam. Superstitionem mihi excute, doce leue esse vanumque, hoc quod felicitas dicitur:vnam illi syllabam facillime accedere. Desiderio tuo satis faciam, [c] & ad virtutes exhortabor, & vitia conuerberabo, licet aliquis nimium immoderatumque in hac parte me iudicet, non desistam persequi nequitiam, [d] & affectus efferatissimos inhibere,& voluptates ituras in dolorem compescere,& votis obstrepere. Quid ni? Cum maxima malorum optauerimus, & ex gratulatione natum sit quicquid obloquimur. Interim permitte mihi ea quae paulo remotiora vidẽtur,excutere.Quaerebamus,an esset omnibus animalibus constitutionis suae sensus.[1] Sensum autem esse ex eo maxime apparet, quòd membra apte & expedite mouent, non aliter quàm in hoc erudita. Nulli non partium suarum agilitas est. Artifex instrumenta sua tractat ex facili.Rector nauis scit gubernaculum flectere. Pictor colores quos ad reddendam similitudinem multos variosque ante se posuit, celerrime denotat,& inter ceram opusque facili vultu ac manu commeat. Sic animal in omnem vsum sui mobile. Mirari solemus scaenae peritos, quòd in omnem significationem rerum & effectuum parata illorũ est manus, & verbotum velocitatem gestus assequitur. Quod illis ars praestat, his natura. [e] Nemo aegre molitur artus suos, nemo in vsu sui haesit. Ad hoc edita protinus faciunt. Cum hac scientia prodeunt, instituta nascuntur. Ideo, inquit, partes suas animalia apte mouebunt: quia si aliter mouerint,dolorem sensuta sunt. Ita, vt vos dicitis,coguntur, metusque illa in rectum,non voluntas mouet: quod est falsum. Tarda enim sunt, quae necessitate impelluntur. Agilitas spontaneus motus est. Adeo autem non adigit illa ad hoc doloris timor, vt in naturalem motum etiam dolore prohibente nitantur. Sic infans qui stare meditatur, & ferre se assuescit, simul tentare vires suas coepit; cadit, & cum fletu toties resurgit, donec se per dolorem ad id quod natura poscit,exercuit. Animalia quaedam tergi durioris inuersa tamdiu se torquent,ac pedes exerunt, & obliquant, donec ad locum reponantur. [f] Nullum tormentum sentit supinata testudo. Inquieta est tamen desiderio naturalis status: nec ante desinit niti, quatere se, quàm in pedes constitit. [g] Ergo omnibus constitutionis suae sensus est, & inde membrorum tam expedita tractatio: nec vllum maius indicium habemus, cum hac illa ad viuendum venire notitia, quàm quòd nullum animal ad vsum sui rude est. Constitutio est, inquit, vt vos dicitis, principale animi quodam modo se habens erga corpus. Hoc tam perplexum & subtile, & vobis quoque vix enarrabile, quomodo infans intelligit? [4] Omnia animalia dialectica nasci oporteret, vt istam finitionẽ magnae parti togatorum obscuram intelligant. Verum erat quod opponis, si ego ab animalibus constitutionis finitionem intelligi dicerem. Nam ipsa constitutio facilius natura intelligitur, quàm enarratur. Itaque infans ille, quid sit constitutio, non nouit: constitutionem suam nouit: & quid sit animal nescit,animal esse se sentit. Praeterea ipsam constitutionem suam crasse intelligit, & summatim, & obscure. Nos quoque animum habere nos scimus:quid sit animus, vbi sit,

u

qualis sit, & vnde, nescimus. Qualis ad nos peruenit animi nostri sensus, quamuis naturam eius ignoremus, ac sedem, talis ad omnia animalia constitutionis suae sensus.[h] Necesse est enim id sentiant, per quod alia quoque sentiunt. Necesse est sensum eius habeant, cui parent, a quo reguntur. Nemo non ex nobis intelligit esse aliquid, quod impetus suos moueat: quid sit illud, ignorat.[i] Et conatum sibi esse scit: quid sit, aut vnde sit, nescit. Sicut infantibus, sic quoque animalibus principalis partis suae sensus est, non satis dilucidus, non expressus. Dicitis, inquit, omne animal primum constitutioni suae conciliari: hominis autem constitutionem rationalem esse: & ideo conciliari hominem sibi, non tanquam animali, sed tanquã rationali. Ea enim parte sibi carus est homo, qua homo est. Quomodo ergo infans conciliari constitutioni rationali potest, cum rationalis nondum sit? Vnicuique aetati sua constitutio est. Alia infanti, alia puero, alia seni. Omnes enim constitutioni conciliantur, in qua sunt. Infans sine dentibus est: huic constitutioni suae conciliatur.[k] Enati sunt dentes: huic constitutioni conciliatur. Nam & illa herba, quae in segetem frugemque ventura est, alienam cõstitutionem habet tenera, & vix eminens sulco: aliam cum conualuit, & molli quidem culmo, sed qui ferat onus suum constitit: aliam cum flauescit, & ad aream spectat, & spica eius induruit:[l] in quamcunque constitutionem venit, eam tuetur, in eam componitur. Alia est aetas infantis, pueri, adolescẽtis, senis. Ego tamen idem sum, qui & infans fui, & puer, & adolescens. Sic quamuis alia atque alia cuique constitutio sit, conciliatio constitutionis suae eadem est. Non enim puerum mihi aut iuuenem, aut senem, sed me natura commendat. Ergo infans ei constitutioni suae conciliatur, quae tunc infanti est, non quae futura iuueni est. Neque enim si aliquid illi maius in quod transeat restat, non hoc quoque in quo nascitur, secundum naturam est. Primum sibiipsi conciliatur animal: debet enim aliquid esse, ad quod alia referãtur. Voluptatem peto. cui? Mihi. Ergo mei curam ago. Dolorem refugio. Pro quo? Pro me. ergo mei curam ago. Si omnia propter curam mei facio, ante omnia est mei cura. Haec animalibus inest cunctis: nec inseritur, sed innascitur. Producit foetus suos natura, nõ abiicit. Et quia tutela certissima ex proximo est, sibi quisque commissus est. Itaq; vt in prioribus dixi, tenera quoque animalia e materno vtero vel quoquo modo effusa, quid sit infestum ipsis, protinus norunt, & mortifera deuitant: vmbram quoque transuolantium reformidant, obnoxia auibus rapto viuentibus. Nullum animal ad vitam prodit sine metu mortis. Quemadmodum, inquit, editum animal intellectum habere, aut salutaris, aut mortiferae rei potest? Primum quaeritur, an intelligat, non quemadmodum intelligat. Esse autem illis intellectum, ex eo apparet,[m] quòd nihil amplius, si intellexerint, faciant. Quid est quare pauonem, quare anserem gallina non refugiat, quum tanto minorem, & ne notum quidem sibi accipitrem fugiat? Quare pulli felem timent, canem non timent? Apparet illis inesse scientiã nocituri, non experimento collectam. Nam antequam possint experiri, cauent. Deinde, ne hoc casu existimes fieri, nec metuunt alia quàm debent, nec vnquam obliuiscuntur. Huius tutelae & diligentiae aequalis est illis a perniciosa fuga. Praeterea non fiunt timidiora viuẽdo. Ex quo quidem apparet, non vsu illa ad hoc peruenire, sed naturali amore salutis suae. Et tardum est & varium, quod vsus docet. Quicquid natura tradit, & aequale est omnibus & statim. Si tamen exigis, dicam, quomodo omne animal perniciosa intelligere conetur. Sentit se carne constare. Itaque sentit, quid sit, quo secari caro, quo vri, quo obteri possit. Quae sunt animalia armata ad nocẽdum, horum speciem trahit inimicam & hostilem. Inter se ista coniuncta sunt.[n] Simul enim conciliatur saluti suae quicque: & quae iuuant, illa petit, laesura formidat. Naturales a contrariis aspernationes sunt. Sine vlla cogitatione, sine consilio fit, quicquid natura praecipit. Non vides, quanta subtilitas sit apibus ad fingenda domicilia? [o] Quanta diuidui laboris obeundi concordia? Non vides quàm nulli mortalium imitabilis sit illa araneae textura? Quanti operis sit, fila disponere? alia in rectum immissa firmamenti loco, alia in orbem currentia ex denso rara, quae minora animalia,[p] in quorum perniciem illa tenduntur, velut retibus implicata teneant. Nascitur ars ista, non discitur. Itaque nullum est animal altero doctius. Videbis aranearum pares telas, par in fauis angulorum omnium foramen. Incertum est & inaequale, quicquid ars tradit,[q] ex aequo venit quod natura distribuit. Haec nihil magis quàm tutelam sui, & eius peritiam tradidit. Ideoque etiam simul incipiunt, & discere & viuere. Nec est mirum cum eo nasci illa, sine quo frustra nascerentur. Primum hoc instrumentum illis natura contulit, ad permanendum in conciliatione & caritate sui. Nõ poterant salua esse, ni vellent. Nec hoc per se profuturum erat: sed sine hoc nulla res profuisset. Sed in nullo deprehendes vilitatem sui, ne negligẽtiam quidem.[r] Tacitis quoque & brutis quamuis in cetera torpeant, ad viuendum solertia est. Videbis quae aliis inutilia sunt, sibi ipsa non deesse.

Epistola

Epistola CXXII.

DETRIMENTVM iam dies sensit: resiliuit aliquantulum: [a] ita tamen, vt liberale adhuc spatium sit, si quis cum ipso, vt ita dicam, die surgat, officiosiot, meliorque, quàm si quis illum expectat, [b] vt luce prima exeat. Turpis qui alto sole semisomnis iacer, [c] cuius vigilia medio die incipit. & adhuc multis hoc antelucanum est. Sunt qui officia lucis noctisque peruertunt: nec ante diducunt oculos hesterna graues crapula, quàm appetere nox coepit. Qualis illorum condicio dicitur, quos natura (vt ait Virgilius) pedibus nostris subditos econtrario posuit,

Nosque vbi primus equis oriens afflauit anhelis,
Illis sera rubens accendit lumina vesper:

talis horum contraria omnibus non regio, sed vita est. [d] Sunt quidam in eadem vrbe antipodes, qui, vt M. Cato ait, nec orientem vnquam solem viderunt, nec occidentem. Hos tu existimas scire, quemadmodum videndum sit, qui nesciunt quando? Et hi mortem timent, in quam se viui condiderunt, [e] tam infausti ominis, quàm nocturnae aues sunt. Licet in vino vnguentoque tenebras suas exigant, licet epulis, & in multa quidem fercula distinctis; [f] totum peruersae vigiliae tempus diducant, [g] non conuiuantur, sed iusta sibi faciunt. Mortuis certe interdiu parentatur. At mehercules nullus agenti dies longus est. Extendamus vitam. Huius & officium & argumentum actus est. Circumscribatur nox, & aliquid ex illa in diem transferatur. Aues quae conuiuiis comparantur, vt immotae facile pinguescant, in obscuro continentur: ita sine vlla exercitatione iacentibus, tumor pigrum corpus inuadit, [h] & super membra iners sagina succrescit. [i] Ita istorum corpora qui se tenebris dicauerunt, foeda visuntur. [k] Quippe non speciosior illis, qoàm morbo pallentibus color est: languidi, & euanidi albent, & in viuis caro morticina est. Hoc tamen minimum in illis malorum dixerim: tāto plus tenebrarum in animo est. Ille in se stupet, ille caligat, inuidet caecis. Quis vnquam oculos tenebrarum causa habuit? Interrogas, quomodo haec animo prauitas fiat, auersandi diem, & totam vitam in noctem transferendi? Omnia vitia contra naturam pugnant. Omnia debitum ordinem deserunt. hoc est luxuriae propositum, gaudere peruersis: nec tantum discedere a recto, sed quàm longissime abire. [l] Deinde etiam econtrario isti non videntur tibi contra naturam viuere, qui ieiuni bibunt, qui vinum recipiunt inanibus venis, & ad cibum ebrij transeunt? [m] Atqui frequens hoc adolescentium vitium est, qui vires excolunt. in ipso paene balnei limine, inter nudos bibunt, immo potant, vt sudorem quem mouerunt potionibus crebris ac feruentibus, subinde distringant. Post prandium aut coenam bibere, vulgare est. Hoc patresfamiliae rustici faciunt, & verae voluptatis ignari. [n] Merum illud delectat, quod non innatat cibo, quod libere penetrat ad neruos. Illa ebrietas iuuat, quae in vacuum venit. Non videntur tibi contra naturam viuere, qui commutant cum feminis vestem? Non viuunt contra naturam, [o] qui expectant, vt pueritia splendeat tempore alieno? Quid fieri vel crudelius, vel miserius potest? Nunquam vir erit, vt diu virum pati possit: & cum illum contumeliae sexus eripuisse debuerat, ne aetas quidem eripiet? Non viuunt contra naturam, qui hieme concupiscunt rosam? fomentoque aquarum calentium, [p] & calorum apta mutatione, bruma lilium, florem vernum exprimunt? Non viuunt cōtra naturam, qui pomaria in summis turribus serunt, [q] quorum siluae in tectis domorum ac fastigiis nutant, inde ortis radicibus, quo improbe cacumina egissent? Non viuunt contra naturam, qui fundamenta thermarum in mare iaciunt, [r] nec delicate natare ipsi sibi videntur, nisi calentia stagna fluctu ac tempestate feriantur? Cum instituerunt omnia contra naturae consuerudinem velle, nouissime in totum ab illa desciscunt. [s] Lucet. somni tempus est. Quies est. [t] nunc exerceamur, nunc gestemur, nunc prandeamus. Iam lux propius accedit. tempus est coenae. Non oportet id facere, quod populus. Res sordida est, trita ac vulgari via viuere. Dies publicus relinquatur. proprium nobis ac peculiare mane fiat. Isti vero mihi defunctorum loco sunt. Quantulum enim a funere absunt, & quidem acerbo, qui ad faces & cereos viuunt? Hanc vitam agere eodem tempore multos meminimus. Inter quos & Atilium Butam praetorium, cui post patrimonium ingens consumptum, Tiberius paupertatem confitenti: Sero, inquit, experrectus es. Recitabat Montanus Iulius carmen, tolerabilis poeta, [u] & amicitia Tiberij notus [v] & frigore. Ortus & occasus libentissime inserebat. Itaque cum indignaretur quidam illum tota die recitasse, & negaret accedendum ad recitationes eius, Natta Pinarius ait: [x] Nunquid liberalius possum agere? Paratus sum illum audire ab ortu ad occasum. Cum hos versus recitasset:

Incipit ardentes Phoebus producere flammas,
Spargere se rubicunda dies, iam tristis hirundo

[x] *Argutis reditura cibos immittere nidis*
Incipit,& molli partitos ore miniſtrat:

[y] Varus eques Romanus L.Vinicij comes,coenarum bonarum aſſectator,quas improbitate linguae merebatur,exclamauit:Incipit Buta dormire. Deinde cum ſubinde recitaſſet:

Iam ſua paſtores ſtabulis armenta locarunt,
Iam dare ſopitis nox nigra ſilentia terris
Incipit:

Idem Varus inquit : Quid dicit ? Iam nox eſt:ibo , & Butam ſalutabo. Nihil erat notius hac eius vita in contrarium circumacta,quam,vt dixi,multi eodem tempore egerunt. Cauſa autem eſt ita viuendi quibuſdam,non quia aliquid exiſtiment noctem ipſam habere iucũdius, ſed quia nihil iuuat obuium,& grauis malae conſcientiae lux eſt : & omnia cõcupiſcenti aut contemnenti, prout magno aut paruo empta ſunt , faſtidio eſt lumen gratuitum. Praeterea luxnrioſi vitam ſuam eſſe in ſermonibus,dum viuunt, volunt. Nam ſi tacetur,perdere ſe putant operam. [z] Itaque male habent, quoties non ſaciunt quod excitet famam. Multi bona comedunt,multi amicas habent.Vt inter iſtos nomen inuenias, opus eſt non tantum luxurioſam rem , ſed notabilem facere . In tam occupata ciuitate fabulas vulgaris nequitia non inuenit.Pedonem Albinouanum narrantem audieramus (erat autem fabulator elegantiſſimus) [a] habitaſſe ſe ſupra domum Sp. Anij. Is erat ex hac turba lucifugarum. Audio,inquit, circa horam tertiam noctis flagellorum ſonos : quaero quid ſaciat. Dicitur rationes accipere. Audio circa horam ſextam noctis [b] clamorem concitatum : quaero quid ſit. Dicitur vocem exercere.Quaero circa octauam horam noctis, [c] quis ſit ille ſonus rotarum. velle geſtari dicitur. Circa lucem diſcurritur. Pueri vocantur,cellarij,coqui tumultuantur. Quaero quid ſit. Dicitur mulſum & alicam popoſciſſe, [d] a balneo exiſſe. [e] Excedebat , inquit , coena eius diem ? minime. Valde enim frugaliter viuebat , nihil conſumebat niſi noctem . [f] Itaque crebro dicentibus illum quibuſdam auarum & ſordidum:Vos,inquit, illum & lychnobium dicetis. Non debes admirari,ſi tantas inuenis vitiorum proprietates : varia ſunt,& innumerabiles habent facies. Comprehendi eorum genera non poſſunt. Simplex recti cura eſt , multiplex praui , & quantumuis nouas declinationes capit. Idem moribus euenit naturam ſequentium. Faciles ſunt,ſoluti ſnnt, exiguas differentias habent : [g] ab hís diſtorti plurimum, & omnibus & inter ſe diſſident . Cauſa tamen praecipua mihi videtur huius morbi , vitae communis faſtidium.Quomodo cultu ſe a ceteris diſtinguunt, quomodo elegantia coenarum, mundiciis vehiculorum , ſic volunt ſeparare etiam temporum diſpoſitione:nolunt ſolita peccare , [h] quibus peccandi praemium infamia eſt . Hanc petunt omnes iſti, [i] qui , vt ita dicam, retro viuunt. Ideo,Lucili,tenenda nobis vita eſt,quam natura praeſcripſit, nec ab illa declinandum. Illam ſequentibus,omnia facilia & expedita ſunt:contra illam nitentibus, non alia vita eſt,quàm contra aquam remigantibus.

Epiſtola CXXIII.

ITINERE confectus incommodo magis,quàm longo,in Albanum meũ nocte multa perueni. Nihil habeo paratum,niſi me. [a] Iraque in lecto laſſitudinem pono:hanc coqui,hanc piſtoris moram boni conſulo.Mecum enim de hoc ipſo loquor , quàm nihil ſit graue, quod leuiter excipias: [b] quàm indignandum nihil,niſi ipſe indignando aſtruas.Non habet panem meus piſtor : ſed habet villicus , ſed habet atrienſis , ſed habet colonus. Malum panem , inquis. Expecta , bonus fiet : etiam illum tenerum tibi & ſiligineum fames reddet . Ideo non eſt ante edendum, quàm illa imperet . Expectabo ergo : nec ante edam , quàm aut bonum panem habere coepero,aut malum faſtidire deſiero. Neceſſarium eſt,patuo aſſueſcere.Multae difficultates locorum,multae temporum [c] etiam locupletibus & inſtructis ac regibus ' octauam prohibent & occurrũt. Quicquid vult,habere nemo poteſt, illud poteſt,nolle quod non habet : rebus oblatis hilaris vti. Magna pars libertatis eſt,bene moratus venter, & contumeliae patiens. AEſtimari non poteſt,quantam volnptatem capiam ex eo,quòd laſſitudo mea ſibiipſa acquieſcit . Non vnctiones , non balneum , non vllum aliud remedium quàm temporis quaero. Nam quod labot contraxit,quies tollit : [d] haec qualiſcunque coena adiiciali iucundior erit.Aliquando enim experimentum animi ſump ſi ſubitum : hoc eſt,ſimplicius & verius.Nam vbi ſe praeparauit,& indixit ſibi patientiam,non aeque apparet,quantũ habeat verae firmitatis. Illa ſunt certiſſima argumenta,quae ex rempore dedit, [e] ſi non tantũ aequus moleſta, ſed placidus aſpexit, ſi non excanduit, non litigauit, [f] ſi quod dari deberet, ipſe ſibi non deſiderando ſuppleuit , & cogitauit , aliquid cõſuetudini ſuae, ſibi nihil deeſſe. Multa quàm ſuperuacua eſſent , non intelleximus , niſi cum deeſſe coeperunt. [g] Vtebamur

enim

enim illis,non quia debebamus,ſed quia habebamus.[h] Quàm multa autẽ paramus,quia alij parauerunt?quia apud plaerosque ſuut?Inter cauſas malorum ooſtrorum eſt, quòd viuimus ad exempla:nec ratione componimur,ſed conſuetudine abducimur.Quod ſi pauci facerẽt, nollemus imitari:cum plures facere coeperunt, quaſi hooeſtius ſit, quia frequentius, ſequimur: & recti apud nos locum tenet error,vbi publicus factus eſt.Omoes iam ſic peregrinantur, vt illos Numidarum praecurrat equitatus, vt agmẽ curſorum antecedat. Turpe eſt,nullos eſſe,qui occurrentes via deiiciant,[i] qui honeſtum hominem venire magno puluere oſtẽdant. [k] Omnes iam mulos habent,qui cryſtallina & murrhina & caelata magnorum artificũ manu, portent. Turpe eſt,videri,eas te habere ſarcinas,quae tuto concuti poſſint. Omnium paedagia oblita facie vehuntur, ne ſol,ne frigus teneram cutem laedat. Turpe eſt,neminem eſſe in comitatu puerorum, cuius ſana facies medicamentum deſideret. [l] Horum omnium ſermo vitandus eſt. [m] Hi ſunt,qui vitia tradunt,& alio aliunde transferuot. Peſſimum genus hominum videbatur, qui verba geſtarent. Sunt quidam qui vitia geſtant. Horũ ſermo multum oocet.[n] Nam etiam ſi non ſtatim officit,ſemina in animo relinquit,ſequiturque nos etiã cum ab illis diſceſſerimus,reſurrecturum poſtea malum.Quemadmodum qui audierũt ſymphoniam, [o] ferunt ſecum in auribus modulationem ac dulcedinem cantus, quae cogitationes impedit, nec ad ſeria patitur intendi:ſic adulatorum & praua laudantium ſermo diutius haeret quàm auditur:nec facile eſt,animo dulcem ſonum excutere. proſequitur & durat, & ex interuallo recurrit. Ideo claudendae ſunt aures malis vocibus,& quidem primis.Nam cũ initium fecerunt, admiſſaeque ſunt, plus audeot. Inde ad haec peruenitur verba: Virtus & philoſophia, & iuſtitia,verborum inanium crepitus eſt. Vna felicitas eſt bona vita:[p] facere omnia libere,frui patrimonio:hoc eſt viuere,hoc eſt ſe mortalem eſſe meminiſſe.Fluũt dies, & irreparabilis vita decurrit.[q] Dubitamus quod iuuat facere,[r] & aetati noo ſemper voluptates decerpturae,interim dum poteſt,dum poſcit,ingerere?Qoid iuuat frugalitate vltro mortem praecurrere,& quicquid illa ablatura eſt,iam ſibi interdicere? Non amicam habes,non puerum,qui amicae moueat inuidiam. Quotidie ſobrius prodis:ſic coenas, tanquam ephemeridem patri approbaturus. Noo eſt iſtud viuere, ſed alienae vitae intereſſe. [s] Quanta dementia eſt,heredi ſuo procurare,& ſibi oegare omnia,vt tibi ex amico inimicum magoa faciat hereditas? Plus enim gaudebit tua morte,quo plus acceperit. Iſtos triſtes & ſupercilioſos [t] alienae vitae ceoſores,ſuae hoſtes,publicos paedagogos,aſſis ne feceris. Nec dubitaueris,bonam vitam,quàm opinionem bonam malle.Hae voces oon aliter fugiendae ſunt,quã illae,quas Vlixes niſi alligatus,praeteruehi noluit. Idem poſſunt,abducunt a patria,a parentibus,ab amicis,a virtutibus,[u] & in turpem vitam miſeros turpius illidunt.Quanto ſatius eſt, rectum ſequi limitem,& eo ſe perducere,vt ea demum ſint tibi iucũda,quae honeſta? Quod aſſequi poterimus,ſi fecerimus duo eſſe genera rerum,quae nos aut inuitent,aut fugeot. Inuitent,vt diuitiae,voluptates,forma,ambitio,cetera blãda & arridẽtia.Fugent,labor, mors, dolor,ignominia, victus aſtrictior. Debemus itaque exerceri,ne haec timeamus, ne illa cupiamus. In cootrarium pugnemus,& ab inuitantibus recedamus,[v] aduerſus petentia concitemur.Non vides quàm diuerſus ſit aſcendeotium habitus,& deſcendentium? Qui per pronum eunt,reſupinant corpora:qui io arduum,incuruant.Nam ſi deſcendas,pondus ſuum in priorem partem dare:ſi aſcendas, retro abducere, cum vitio, Lucili, conſentire eſt. In voluptates deſceoditur:[x] io res aſperas & duras ſubeuodum eſt.Hic impellamus corpora,illic refraenemus. Hoc nunc me exiſtimas dicere, eos tantum pernicioſos eſſe auribus noſtris, qui voluptatem laudant, [y] qui doloris metum, per ſe formidabilis rei, incutiunt. Illos quoque nocere oobis exiſtimo, qui nos ſub ſpecie Stoicae ſectae hortãtur ad vitia. Hoc enim iactãt, ſolum ſapientem & doctum eſſe amatorem. ſolus apte ad haoc artem aeque [z] combibendi & conuiuandi ſapiens eſt peritiſſimus. Quaeramus, ad quam vſque aetatem iuuenes amandi ſint. Haec Graecae conſuetudini data ſint. Nos ad illa potius aures dirigamus. Nemo eſt caſu bonus: diſcenda virtus eſt. Voluptas humilis res & puſilla eſt, & in nullo habenda pretio, communis cum mutis animalibus, ad quàm minima & contemptiſſima aduolat. [a] Gloria vanum & volatile quiddam eſt, auraque mobilius. Paupertas nulli malum eſt, niſi repugnanti. Mors malum non eſt. [b] Quid qoereris? Sola ius aequum eſt generis humani. [c] Superſtitio error inſanus eſt:amandos timet, quos colit, violat. Quid enim intereſt, vtrum deos neges, ao infames? Haec diſcenda, immo ediſcenda ſunt. non debet excuſationes vitio philoſophia ſuggerere. Nullam habet ſpem ſalutis aeger, quem ad intemperantiam medicus hortatur.

Epistola CXXIIII.

Possum multa tibi veterum praecepta referre,
Ni refugis, tenuisque piget cognoscere curas.

Non refugis autem, nec vlla te subtilitas abigit.[a] Non est elegantiae tuae, tantum magna sectari. Sicut illud probo, quòd omnia ad aliquem profectum redigis, & tunc tantum offenderis, vbi summa subtilitate nihil agitur: quod ne nunc quidem fieri laborabo. Quaeritur, vtrum sensu an intellectu comprehendatur bonum. Huic adiunctum est, in mutis animalibus & infantibus non esse. Quicunque voluptatem in summo ponunt, sensibile iudicant bonũ: nos contra intelligibile, qui illud animo damus. Si de bono sensus iudicarent, nullam voluptatem reiiceremus. Nulla enim non inuitat, nulla non delectat. Et econtrario nullum dolorem volentes subiremus: nullus enim non offendit sensum. Praeterea non essent digni reprehensione, quibus nimium voluptas placet, quibusque summus est doloris timor. Atqui improbamus gulae ac libidini deditos, & contemnimus illos qui nihil viriliter ausuri sunt doloris metu. Quid autem peccant, si sensibus, id est iudicibus boni ac mali, parẽt? His enim tradidistis appetitionis & fugae arbitrium. Sed videlicet ratio isti rei praeposita est, quemadmodum debeat de vita, quemadmodum de virtute, de honesto, sic & de bono maloque constitui. Nam apud istos vilissimae parti datur de meliore sententia, vt de bono pronũtiet sensus, obtusa res & hebes, & in homine quàm in aliis animalibus tardior. Quid si quis velit non oculis, sed tactu minuta discernere? subtilior ad hoc nulla acies quàm oculorum & intentior[b] daretur, bonum malumque dignoscere. vides in quanta ignorantia veritatis versetur, & quàm humi sublimia ac diuina proiecerit, apud quem de summo bono maloque iudicat tactus. Quemadmodum, inquit, omnis scientia atque ars aliquid debet habere manifestum, sensu comprehensum, ex quo oriatur & crescat: sic beata vita fundamentum & initium à manifestis ducit, & eo quod sub sensum cadit. Nempe vos a manifestis beatam vitam sui initium capere dicitis. Dicimus beata esse, quae secundum naturam sunt. Quid autem secundum naturam sit, palam & protinus apparet,[c] sicut quid sit integrum. Quid est secundũ naturam? quod contingit & protinus nato, non dico bonum, sed initium boni. Tu summũ bonum voluptatem infantiae donas, vt inde incipiat nascẽs, quo consummatus homo peruenit. Cacumen radicis loco ponis. Si quis diceret illum in materno vtero iacentem vixque inceptum, tenerum, & imperfectum, & informem, iam in aliquo bono esse, aperte videretur errare. Atqui quantulum interest inter eum qui cummaxime vitam accipit,[d] & illũ qui maternorum viscerum latens onus est? Vterque, quantum ad intellectũ boni ac mali, aeque maturus est:[e] quia non magis infans adhuc boni capax est, quàm arbor, aut mutum aliquod animal. Quare autem bonum in arbore animalique muto non est? quia nec ratio.[f] Ob hoc in infante quoque non est: nam & huic deest. Tunc ad bonum perueniet, cum ad rationem peruenerit. Est aliquod irrationale animal. Est aliquod nondum rationale. Est rationale, sed imperfectum. In nullo horum bonum.[g] Ratio illud secum affert. Quid ergo inter ista quae retuli distat?[h] Nunquam erit bonum in eo quod irrationale est. In eo quod nõdum rationale est, tunc esse bonum non potest: in imperfecto iam potest esse bonum, sed non est. Ita dico, Lucili, bonum non in quolibet corpore, non in qualibet aetate inuenitur: & tantum abest ab infantia, quantum a primo vltimum, quantum ab initio perfectum:[i] ergo nec in vtero modo coalescente corpusculo est. Quid ni non sit?[k] non magis quàm in semine. Vt si dicas, aliquod arboris, aut sati bonum: hoc non est in prima fronde, quae emissa cummaxime prorumpit. Est aliquod bonum tritici:[l] hoc nondum est in herba lactente: nec cum folliculo se exerit spica mollis, sed cum frumentum aestas & debita maturitas coxit. Quemadmodum omnis natura bonum suum nisi consummata non profert: ita hominis bonum non est in homine, nisi cum in illo ratio perfecta est.[m] Quod autem hoc sit bonum, dicam. Liber animus est ac rectus, alia subiiciens sibi, se nulli. Hoc bonum adeo non recipit infantia, vt pueritia non speret, adolescentia improbe speret. Bene agitur cum senectute, si illuc longo studio intentoque peruenit,[n] vbi & hoc & bonum, & intelligibile est. Dixisti, inquit, aliquod bonum esse arboris, aliquod herbae. Potest ergo esse aliquod & infantis. Verum bonum nec in arboribus, nec in mutis animalibus est:[o] hoc quod in illis bonum est, precario bonum dicitur. Quod est? inquis. hoc quod secundum naturam cuiusque est.[p] Bonum quidem cadere in mutum animal, nullo modo potest. Felicioris meliorisque naturae est. Nisi vbi rationi locus est, bonum non est. Quattuor hae naturae sunt, arboris, animalis, hominis, & Dei. Haec duo quae irrationalia sunt, eandem naturam habent. Illa diuersa sunt, quòd alterum immortale, alterum mortale est. Ex his ergo vnius bonũ natura perficit, Dei scilicet:[q] alterius cura, hominis.[r] Cetera in sua natura perfecta sunt, nõ vere perfecta,

perfecta,a quibus abest ratio.Hoc enim demum perfectum est, quod secundum vniuersam [q]naturam perfectum est. Vniuersa autem natura rationalis est: cetera possunt in suo genere perfecta esse.In quo non potest beata vita esse, nec id potest quo beata vita efficitur. Beata autem vita bonis efficitur.[r] In muto animali non est quo beata vita efficitur. [s] Ergo in muto animali bonum nō est. [t] Mutum animal sensu comprehendit praesentia: praeteritorum reminiscitur,cum id incidit,quo sensus admonetur:tanquam equus reminiscitur viae,cum ad initium eius admotus est.[u] In stabulo quidem nulla viae,quamuis saepe calcatae, memoria est.Tertium vero tempus,id est futurum, ad muta non pertinet. Quomodo ergo potest eorum videri perfecta natura,quibus vsus perfecti temporis non est?Tempus enim tribus partibus constat:praeterito,praesente, & futuro. Animalibus tantum quod breuissimum est in transcursu datum,ptaesens:praeteriti rara memoria est,nec vnquam reuocatur, nisi praesentium occursu.Non potest ergo perfectae naturae bonum in imperfecta esse natura. [x] Aut si natura habet, hoc habet, quod habent & sata. Nec illud nego,ad ea quae videntur secundum naturam, magnos esse mutis animalibus impetus & concitatos, sed inordinatos ac turbidos.Nunquam autem aut inordinatum est bonum,aut turbidum. Quid ergo, inquis, muta animalia perturbate & indisposite mouentur? Dicerem illa perturbate & indisposite moueri,si natura illorum ordinem caperet.Nunc mouentur secundum naturam suam.Perturbatum enim id est,quod esse aliquando & non perturbatum potest.Sollicitum est,quod potest esse securum.Nulli vitium est,nisi cui virtus potest esse. Mutis animalibus talis ex sua natura motus est.Sed ne te diu teneam, aliquod erit bonū in muto animali, erit aliqua virtus, erit aliquid perfectum: sed quale?[y] Nec bonum absolute, nec virtus, nec perfectum. Haec enim rationabilibus solis contingunt,quibus datum est scire,quare,quatenus,quemadmodum. Ita bonum in nullo est, nisi in quo ratio. Quo nunc pertineat ista disputatio, quaeris,& quid animo tuo profutura sit.dico.Et exercet illum,& acuit,& vtique aliquid acturum occupatione honesta tenet. Prodest autem & quod moratur ad praua properantem.Sed illud dico,[z] nullo modo prodesse tibi possum magis,quàm si tibi bonum tuum ostendo, si te a mutis animalibus separo,si cum Deo pono. Quid,inquam, vires corporis alis & exerces?Pecudibus istas maiores ferisque natura concessit.Quid excolis formam? Cum omnia feceris, a multis animalibus decore vinceris. Quid capillum ingenti diligentia comis? Cum illum vel effuderis more Parthorum, [a] vel Germanorum nodo vinxeris, vel vt Scythae solent, sparseris:in quolibet equo densior iactabitur iuba, horrebit in leonum ceruice formosior. Cum te ad velocitatem paraueris, par lepusculo non eris.Vis tu, relictis in quibus vinci te necesse est,dum in aliena niteris, ad bonum reuerti tuum? Quod hoc est? animus scilicet emendatus ac purus,aemulator Dei,super humana se extollens,nihil extra se sui ponens.Quod ergo in te bonum est?Perfecta ratio.Hanc tu ad summum finem euoca,in quantum potest plurimum crescere. Tunc beatum esse te iudica, [b] cum tibi ex te gaudium omne nascetur.Cum in his quae homines eripiunt,optant,custodiunt,nihil inueneris, non dico quod malis, sed quod velis. Breuem tibi formulam dabo, qua te metiaris, qua perfectum esse iam sentias. [c] Bonum tunc habebis tuum, cum intelliges infelicissimos esse felices.

EPISTOLARVM. FINIS.

M. ANTONII MVRETI AD SENECAE EPISTOLAS NOTAE.

EPISTOLAS *Senecae stulta librariorum ἀκρισία diuiserat in libros duos & viginti: quam diuisionem, cum antiqui nullius codicis auctoritate ac testimonio niti, illi ipsi qui eam retinuere, fateantur, cur retinerem, causam nullam esse duxi. Ne epistolarum quidem aut ordo aut numerus in omnibus libris idem. quin etiam cum quodam loco vnam epistolam lacerassent in duas, auxerant earum numerum: fecerantque centum viginti quinque, quas non plus centum viginti quatuor esse, in plerisque veteribus libris diserte adnotatum est. Sed vtinam nō & grauiora peccassent. Nam eius quidem generis errata nihil de summa vtilitate quae e Senecae libris percipi potest, imminuunt. Quòd additis, omissis, mutatis multis vocibus, multas praeclaras sententias corrupissent, id vero ferendum non erat. Itaque ei malo, quantum vires tulere, mederi sedulo conatus sum. Plura fortasse sanabit alius, & hoc nouo more, pauca a se reperta omnibus quae alij notauerint, anteponet. Blennos, fatuos, fungos dicet fuisse prae se alios omnes, & si quid aliud mimica ista, quae nuper nata est, eloquentia suggesserit: in qua diserte dicere, est contumelias dicere: & orator, non ille ex Catonis regula, vir bonus dicendi peritus, sed homo audax & impudens in maledicendo exercitatus. Seruiant sane & obsequantur ingenio suo: & dum alienam stultitiam exagitare sibi videntur, ostendant suam. Nos, quicquid possumus, in commune conferamus: ne, si istorum vocibus a studio vtilitatis publicae absterreamur, ipsum Senecam frustra legisse videamur.*

Ad Epistolam primam.

ITA fac mi Lucili] *Antiqui breues quasdam sententias, quibus multum sapientiae paucis verbis adstrictum contineretur, ad deum referebant auctorem. Eiusmodi fuerunt,* Nosce te ipsum: Deum sequere: Ne quid nimis: *eiusdemque generis aliae. Fuit & haec in nobilissimis atque omnium sermone celebratissimis,* Tempori parce. *Mentio eius apud Ciceronem libro tertio de finibus, apud hunc nostrum epistola, vt a me quidem numerantur, nonagesima quarta, vt ab aliis, nonagesima quinta: apud Clementem Alexandrinum stromate primo: apud Stobaeum λόγῳ γʹ, & alios. Et quod ait princeps medicorum, vitam esse breuem, artem vero longam, non de medendi modo arte, sed & de sapientia quae viuendi ars est, multo etiam verius dici potest. Zenonis est, nulla re ita nos egere, vt tempore. Nos autem ridicule de vitae breuitate querimur: partem eius multo maximam sine fructu effluere patimur. & cum mortem nobis imminere sentimus, si quis se triduum aut quatriduum ad vitam nobis adiecturum profiteatur, omnia dare ac profundere parati sumus: cum saepe integros menses atque annos ita nobis eripi passi simus, vt si ex pleno ac redundanti & superfluenti aliquid nulli pretij largiremur. At Theophrastus συνεχῶς ἔλεγε, πολυτελὲς ἀνάλωμα εἶναι τὸν χρόνον. Hoc igitur sapientissimum praeceptum hac prima epistola pertractat & Lucilio commendat Seneca.*

2 Aut auferebatur,] *ab amicis potentioribus, qui, omnibus omissis, quasi pro imperio operam sibi dari volunt.*

3 Aut surripiebatur,] *clanculum, quasique ex insidiis.*

4 Aut excidebat,] *per incuriam ac negligentiam tuam.*

5 Persuade tibi] *Eandem sententiam mutato tantum orationis genere repetit, vt altius in animo infigat.*

6 Male agentibus,] *vt ea quae aleae, quae libidini, quae ventri atque abdomini, quae sectandis potentioribus datur.*

7 Nihil agentibus,] *vt euenit iis qui otio atque ignauia marcent.*

8 Aliud agentibus.] *negligenter ac languide omnia tractantibus, & quiduis potius cogitantibus, quàm id quod agunt.*

9 Mortem prospicimus,] *tanquam procul distantem: cum tamen illa assidue supra caput immineat.*

10 Manum inieceris.] *Verbum iuris: vt & id, quo statim vtitur,* In possessionem mittere.

11 Dum differtur vita, transcurrit.] Ἡμεῖς ὁπότε ἀρχόμεθα ζῶ, τότε ἀποθνήσκομεν, *dixisse fertur Theophrastus. Et hoc est, quod, & si longe alio sensu, dixit Martialis:*

Sera nimis vita est crastina. viue hodie.

Horatius autem vere & serio: sapere aude:
Incipe. viuendi qui recte prorogat horam,
Rusticus expectat, dum defluat amnis. at ille
Labitur & labetur in omne volubilis aeuum.

12 Cum

12 Cum impetrauere,] *Multo hoc melius, quàm quod antea legebatur,* cum periere.

13 Cui quantulumcũque superest, sat est.] *Quamuis igitur mihi, aetate iam ad seniũ inclinata, superesse non multum potest: pauper tamen mihi non videor, cum id ipsum quod superest, quantulum est, mihi satis esse ducam.*

14 Bono tempore] *mature.*

15 Sera parsimonia] *Hesiodeum est:* δειλὴ δ' ἐπὶ πυθμένι φειδώ.

16 Non enim tantum minimum] *Citantur ex Antiphane versus quidam, quibus ait vitam nostram similem esse vini. vbi enim paulum superest, acescere.*

Σφόδρ' ἐστὶν ἡμῶν ὁ βίος οἴνῳ προσφερής.
Ὅταν ᾖ τὸ λοιπὸν μικρὸν, ὄξος γίνεται.

Hic noster epistola centesima octaua: Meliora praeteruolant: deteriora succedunt. quemadmodum ex amphora primum quod est sincerissimum effluit, grauissimũ quodque turbidumque subsidit: sic in aetate nostra quod est optimum, primum est.

Ad Epistolam II.

Ex iis quae mihi scribis,] *Quidam sunt qui vno loco diutius consistere non possunt: & crebram locorũ mutationem ad curas ac molestias animi deponendas vtilem esse opinantur. Eos notat principio huius epistolae: & Lucilio, quòd ex eo numero non sit, gratulatur. Prope autem idem argumentum est epistolae* XXVIII. *Tum etiam in ratione studiorũ, illam per varios scriptores circumcursationem reprehendit: satiusque esse docet, paucos, sed eosdem optimos ac probatissimos deligere, quos saepe relegendo in succum ac sanguinem conuertas tuum. Addit ad extremum elegans dictum Epicuri, quod eo die apud illum notauerat.*

Ad Epistolam III.

EPISTOLAS] *Familiariter reprehendit Lucilium, quòd amici nomine ita vsus esset, vt vulgus solet: docetque eum demum esse vere ac proprie amicum, quicum omnia nostra aeque ac nobiscum communicare possumus: cũ tamen vulgo omnes quibuscũ aliqua nobis vel leuis intercedit necessitudo, amicos vocare soleamus. Hanc quoque duplicem huius nominis acceptionem Socrates notans dicere interdum solebat,* ὦ φίλοι, οὐδεὶς φίλος.

2 Dominos] *Vsitata iam tum erat illa consuetudo dominos vocandi, quos colerent, aut quorum nomina non succurrerent. Idque potentiores ambiebant, vt domini a tenuioribus vocarentur: & nisi id fieret, moleste ferebant. Martialis:*

Mane salutaui vero te nomine, casu:
Nec dixi dominum Caeciliane meum.
Quanti libertas constet mihi tanta, requiris?
Centum quadrantes abstulit illa mihi.

Idem.

Cum te non nossem, dominum regemque vocabam.

Idem.

Cum voco te dominum, noli tibi Cinna placere.
Saepe etiam seruum sic resaluto meum.

Seneca epistola CIIII. Illud mihi in ore erat domini mei Gallionis. *Notum est & epigramma Graecum non sane valde boni poetae Palladae:*

Ἢν ὁ φίλος τι λάβῃ, δόμινε φράτερ αὐτὶς ἔειπεν.
Ἢν δὲ λάβῃ μηδὲν, τὸ φράτερ εἶπε μόνον.
Ὤνια γὰρ καὶ ταῦτα τὰ ῥήματα. αὐτὰρ ἔγωγε
Οὐκ ἐθέλω δόμινε· οὐ γὰρ ἔχω δόμεναι.

3 Errat & ille] *Vsque ad illa verba,* Tu vero omnia, *delenda sunt quae interiecta sunt omnia, vt inuecta huc ex epistola* XIX.

4 Theophrasti,] *Cuius est,* ὅτι δεῖ κρίναντα φιλεῖν, ἀλλ' οὐ φιλοῦντα κρίνειν.

5 Multi fallere docuerunt, dum timent falli:] *Pertinet huc illud Liuianum:* Vult sibi quisque credi: & habita fides, ipsam plerumque obligat fidem.

Ad Epistolam IIII.

PERSEVERA] *Monet, vt vrgeat studium philosophiae: assuefaciatque se ad contemptum & mortis, & rerum in vita supernacanearum.*

2 In viros] *Ita legendum ex vetere libro, non, vt ante,* in virum. *In viros autem transcribebantur, qui incipiebant per se censeri, iamque res suas libere tractare atque administrare poterant. Id Athenis vocabant* ληξιαρχικὸν γραμματεῖον. *de quo ita Harpocration:* ληξιαρχικὸν γραμματεῖον, εἰς ὃ ἐνεγράφοντο οἱ τελεωθέντες τῶν παίδων, οἷς ἐξῆν ἤδη τὰ πατρῷα οἰκονομεῖν,

3 Illi leuia, hi falsa formidant: nos vtraque.] *Lucretius:*

Nam veluti pueri trepidant, atque omnia caecis
In tenebris metuunt: Sic nos in luce timemus
Interdum nihilo quae sunt metuenda magis, quàm
Quae pueri in tenebris pauitant finguntque futura.

4 Profice modo,] *προέχοντον ἐν ἀρετῇ. Ita melius, quàm, vt antea,* Prospice.

5 Lepidum] *Qui aduersus ipsum aut coniurarat, aut coniurasse insimulabatur: vt colligo ex his Suetonij verbis:* Reliquas sorores nec cupiditate tanta, nec dignatione dilexit: vt quas saepe exoletis suis prostrauit. quo facilius eas in causa AEmilij Lepidi condemnauit, quasi adulteras, & insidiarum aduersus se conscias.

6 Duci] *Verbum* duci *interdum simpliciter poni pro eo quod est* ad mortem duci, *iam pridem docui libro primo commentariorum in Catilinarias. Ita autem eo frequentissime vtitur Seneca. Huius igitur loci sententia est, etiam si hostis nos in suam potestatem perductos duci iubeat, non alio tamen duci iussurum quàm quo natura ipsa nos ducit. Quod in extremo huius epistolae legebatur,* Cui cum paupertate bene conuenit, diues est, *tralatum huc erat ex epistola secunda. Itaque hinc deleri iussi.*

Ad Epistolam V.

QVOD pertinaciter studes,] *Reprehendit consuetudinem quorundam, qui vt se philosophiae deditos esse, vel ostenderent, vel persuaderent, intonso capillo, impexa barba, adducto supercilio, incultu & sordibus, & asperitate vitae insignes esse cupiebant. Cuius generis ne nostris quidem temporibus exempla desunt. Irridet & Horatius quosdam, qui eodem prope modo poetarum nomen aucupabantur:*

Nanciscetur enim nomen pretiumque poetae,
Si tribus Anticyris caput insanabile, nunquam
Tonsori Licino commiserit.

Addit in extremo, quasi pro corollario, elegantem sententiam Hecatonis de naturali quadam metus & spei coniunctione.

2 Conspici] *Conspicui esse & differre a ceteris notabili aliquo discrimine. Hi sunt qui in sacris litteris dicuntur facere omnia πρὸς τὸ θεαθῆναι τοῖς ἀνθρώποις.*

3 Cubile humi positum,] *χαμευνίας.*

4 Ambitionem peruersa via sequitur,] *Non enim sapientia solum, sed saepius etiam ambitio sub sordido pallio latet: neque vlli homines sitientiores gloriae sunt, quàm qui eam, fugientium specie, persequuntur. Inde Plato Diogeni Cynico, qui se Platonis fastum calcare diceret, Calcas, inquit, sed alio fastu. Et Aristoteles sordidum ac neglectum Lacedaemoniorum vestitum ad arrogantiam refert. De dicto Hecatonis quod sequitur, pluribus verbis disputaui cap. VI. lib. XII. Variarum lectionum.*

Ad Epistolam VI.

INTELLIGO Lucili,] *Gratulatur sibi apud Lucilium, quòd se quotidie progressus ad virtutem aliquos facere sentiat: qua de re extat perelegans commentarius Plutarchi. Tum docet intimam & adsiduam bonorum consuetudinem multo esse omnibus praeceptis efficaciorem.*

2 Quibusdam aegris] *Nonnunquam enim ita deiectae ac prostratae sunt vires, vt aegrotus ipse aegrotare se non sentiat: quo nihil letalius. Tunc igitur spes aliqua salutis affulget, cum qui ita affectus erat, morbum suum sentire incipit.*

3 In diuersum itura] *Ab eo enim proseminatae sunt philosophorum quasi familiae: & vt ex Apennini iugo fluminum, sic ex varijs eius multiplicibusque sermonibus sapientum diuortia extiterunt. vt est apud Ciceronem libro tertio de Oratore.*

4 Plus ex moribus quàm ex verbis Socratis] *Aristides quidem vel ex ipso aspectu ac contactu Socratis mirificam se quãdam vtilitatem percipere solitum esse profitetur his verbis:* Ego enim, o Socrates, nihil vnquam a te didici, vt & ipse nosti. proficiebam autem, quoties tecum vna eram: etiam si tantum vna in domo essemus, quanquam non in eodem cubiculo: magis tamen, si quando in eodem etiam cubiculo. Et tum quoque magis, si in te dicentem intuerer, quàm si oculos aliam vllam in partem dirigerem: multo autem maxime ac plurimum proficiebam, si quando proxime te sederem, tangeremque te, & haererem tibi. *Haec, vt potui, expressi e Platonis Theage in extremo.*

Ad Epistolam VII.

QVID tibi vitandum] *Monet vitandam esse turbam, vitanda spectacula; vitandam denique consuetudinem etiam singulorum, praeterquam eorum qui nos meliores efficere, aut meliores a nobis effici possunt.*

2 Interfectores interfectis iubentur obiici,] *Magnum videlicet periculum erat, ne qui mane*

interfecti

interfecti erant, meridie resurgerent pugnaturi aduersus interfectores suos. Vetus liber habebat, interfectis. *Deleui quattuor postremas litteras, vt esset* inter se.

3 Sed latrocinium fecit aliquis.] *Non enim fere solebant exhiberi, ac produci, nisi qui scelere aliquo mortem meriti essent.*

4 Quare tam timide] *Solebat populus eos gladiatores odisse, eisque irasci, qui parum animose ferrum reciperent, mortique parum libenter occurrerent. Cicero pro Milone:* Etenim si in gladiatoriis pugnis & in infimi generis hominum condicione atque fortuna timidos & supplices, & vt viuere liceat obsecrantes etiam odisse solemus; fortes & animosos, & se acriter ipsi morti offerentes, seruare cupimus; eorumque nos magis miseret, qui nostram misericordiam non requirunt, quàm qui illam efflagitant: quanto hoc magis in fortissimis ciuibus facere debemus?

5 Plagis] *id est, ait quidam, retibus. Ineptissime. Plagis enim, id est, ictibus agebantur in vulnera: cum essent, qui timidos ac refugientes sequerentur a tergo, ac verberarent, cogerentque etiam inuitos ruere in ferrum.*

6 Mala exempla] *Principes enim talibus spectaculis docentur crudelitatem, quam in nos postea exerceant.*

7 Eum docetis esse crudelem,] *Neronem dicere videtur, qui primis temporibus longissime aberat ab omni crudelitate.*

8 Vnus mihi pro populo] εἷς ἐμοὶ μύριοι.

Ad Epistolam VIII.

TV me, inquis,] *Videri poteras Seneca disciplinae suae conditoribus contraria docere, cum Lucilio auctor esset, vt se a rebus agendis abduceret, vitaretque omnium prope consuetudinem: otiumque ac solitudinem amaret. Zeno enim & Chrysippus & ceteri Stoicorum duces suadebant, capessendam esse remp. neque sapienti esse in otio consenescendum. At Seneca neque se id sibi consilij capere ait, neque cuiquam dare, vt se desidiae atque ignauiae tradat: tantum, ne nos improborum, quae maxima multitudo est, exempla transuersos agant, secedendum esse, & excolendum in otio animum, omissa aliarum rerum omnium cura: intereaque commendanda ac consignanda litteris sapientiae praecepta: quod qui faciunt, multo eorum vita humano generi fructuosior est, quàm si forensibus negotijs intenti, leuium & nihil ad beatam vitam pertinentium rerum tractatione tempus omne consumerent.*

2 Quid? ego tibi videor interim sedere?] *Inepte in alijs legebatur*, Quod ego tibi videor interim suadere. *Sed ego talia plerunque tacitus praetermitto. Quid enim lectoris interest scire, quis primus ita emendauerit? Relinquamus haec adolescentulis, qui vnam aut alteram litteram corrigere, putant esse idem, quod olim vincere Olympia. Ego quae scribo, non gloriolae meae causa scribo, sed vtilitatis alienae.*

3 Posterorum negotium ago:] *quibus fortasse scripta mea profutura sunt. Non minus autem, immo vero plus etiam, humano generi prosunt homines eruditi, qui in bibliothecas suas abditi, serunt, vt ait vetus poeta, arbores quae alteri saeculo prosint, quàm si, vulgi more, in tractandis haud magni momenti negotijs industriam suam exercerent. Qua de re ita scriptum est apud Vegetium libro secundo de re militari:* Cato ille maior, cum & armis inuictus esset, & exercitum saepe duxisset, plus se reip. credidit profuturum, si disciplinam militarem conferret in litteras. Nam vnius aetatis sunt quae fortiter fiunt: quae vero pro vtilitate publica scribuntur, aeterna sunt.

4 Suspiciosi] *Sunt qui e vetere libro legant*, subsidiosi. *Cum meus aperte haberet* suspitiosi, *nihil mutandum censui.*

5 Insidiae sunt.] *Hinc fortasse sumpserit Martialis:*

Qui potes insidias dona vocare tuas.

6 Habemur.] *Talibus enim muneribus nos fortuna quasi quibusdam compedibus vinctos tenet.*

7 Aut rectis saltem aut temet fruere.] *Ita vulgati libri, nullo, vt opinor, idoneo sensu. Vnus e meis*, aut rectus statim aut semel fugere. *Conieci legendum*, Aut rectus sta, aut semel fuge.

8 Cernuat] *Quasi ludentis in morem deijcit. In glossario est* Cernulat: κυβιστᾷ. *Cernuare igitur, & cernulare, idem. Tres voces, quae paulo supra haec legebantur*, Qui hoc faciunt, *non sunt in veteribus libris.*

9 Circumagitur.] *Ritus quidam erat manumittendi. Persius:*

Verterit hunc dominus: momento temporis exit
Marcus Dama.

Ad Epistolam IX.

AN merito] *Explicat, quomodo sapiens, etiam si se ipso contentus sit, amico tamen indigeat. Pro corollario addit, vt solet, sententiam Epicuri.*

2 ΑΠΑΘΕΙΑΝ] *Vide quanto opere laboret homo disertißimus, vt vnam vocem Graecam exprimat. Ἀπάθεια est status animi ad eam firmitatem ac duritiam perducti, vt ne sentiat quidem ea quibus ceteri turbari solent. Sed si quis pro eo impatientiam aut impatientem animum dixerit, periculum est, ne is intelligatur, qui nihil ferre ac tolerare poßit: quod vel maximum vitium fuerit. Sic cum inaestimabile vsitate dicatur, quod ita magnum est, vt aestimari non queat: apud Ciceronem tamen Stoicorum placita latine interpretantem, inaestimabile est, quod nulli pretij est, quod nulla aestimatione dignum est.*

3 Si vis amari, ama.] *Videor alicubi legisse epigramma quoddam hoc argumento: cuius haec clausula est,* Marce vt ameris, ama. *Neque tamen vbi legerim, memini. Non alienus hinc est Theocriti versiculus,*

Στέργετε τοὺς φιλέοντας, ἵν' ἂν φιλέητε, φιλῆσθε.
Quisquis amatur, amet: vt & ipse, vbi amarit, ametur.

4 Qui sibi aegro adsideat] *His enim & similibus de causis amicos sapienti parandos monebat Epicurus. Horatius.*

At si aliquis casus lecto te affixit, habes qui
Adsideat, fomenta paret, medicum roget, vt te
Suscitet, ac reddat natis, carisque propinquis.

5 Qui illam parat ad casus.] *Id est, qui pro varietate casuum, modo amicus esse, modo ab amicitia recedere cogitat. Ita melius, quàm, vt in alijs libris,* ad bonos casus.

6 Volo tibi Chrysippi] *Vt quod hic ex Chrysippo adfertur, plane intelligatur: sciendum est, non idem esse apud Stoicos egere & indigere, id est, δεῖσθαι & ἐνδεῖσθαι. Nam egere eum dicunt, qui ita caret aliqua re, vt angatur animo, & eius desiderium ferre non poßit. Indigere autem eum modo, qui caret re aliqua, qua vti scit, quaeque vtilis esse ei potest. Hoc posito, colligebant, sapientem nulla re egere, quibusdam indigere: stultum contra multis rebus egere, nulla indigere. Nam sapienti quidem nihil abest, quod impotenter desideret, aut cuius absentiam non aequo animo ferat. quippe qui poßit aequißimo animo etiam e vita, si ita res ferat, discedere. Indiget tamen interdum quibusdam rebus, vt victu, vt vestitu, ceterisque eiusdem generis, quibus, si eorum copia fuerit, recte vtetur. μόνος γοῦν ἐκεῖνον χρῄζειν ἔχει. neque enim hoc latine tam rotunde aut tam apte ad intelligendum exprimi potest. At stultus multis rebus perpetuo eget: insatiabiles enim sunt cupiditates: neque tamen vlla earum indiget: neque enim vlla re vti scit: neque quidquam ei est vtile. Haec attigit vtcunque Cicero libro primo Tusculanarum: sed, εἰ θέμις εἰπεῖν, non pro cetera sua elegantia & perspicuitate dicendi. Plutarchus multo melius in libro de communibus notionibus aduersus Stoicos: qui haec irridet quidem, neque fortaßis immerito, sed efficit tamen, vt intelligantur.*

7 Qualis est Iouis,] *Stoici Iouem, seu naturam ac principium aliarum omnium rerum, ignem esse dicebant. eius enim partem aliquam craßiorem effectam, verti in animalem ac spirabilem naturam: ex eius porro densioribus partibus, aquam, & ex aqua effici terram. statis autem temporibus omnia illa denuo inflāmari & ignescere: ita vt & animi & dij alij omnes interirēt, Iupiter solus maneret, cōuersis in se omnibus. Hanc ἐκπύρωσιν, id est conflagrationem vocabant. Laertius in Zenone, ὃς δὴ (de summo illo deo loquitur) ἄφθαρτός ἐστι καὶ ἀγέννητος, δημιουργὸς ὢν τῆς διακοσμήσεως, ἀναλίσκων εἰς ἑαυτὸν τὴν ἅπασαν οὐσίαν, καὶ πάλιν ἐξ ἑαυτοῦ γεννῶν. Exponitur idem & irridetur a Plutarcho in libro de communibus notionibus: & ab hoc nostro ad ipsum finem consolationis ad Marciam. Ait igitur, sapientem ita victurum in solitudine, si res ferat, vt Iouem, exiguo illo tempore, quo conuersis in se omnibus, paulisper a generatione cessat. Hanc opinionem ab Heracleto Stoici duxerant.*

8 Ad amicitiam] *Epicurei aperte profitebantur, amicitias suo quemque commodo aut sua voluptate metiri: ita vt ne filios quidem patribus caros esse dicerent, nisi propter voluptatem fructumue, quem ex eis aut caperent, aut se capturos esse sperarent. Melius Stoici, non solum naturalem esse caritatem in filios, verum etiam hominem animal esse natura congregabile, & appetens societatis: esseque hominem quemlibet natura alteri carum: atque ab ipsa natura cognationem quandam esse inter omnes nos constitutam. Gratuitam itaque esse bonorum & sapientium amicitiam, non vlla mercede euocatam. Merito igitur ait Plutarchus, ad hunc versum olim tota theatra exclamasse:*

Μισθοῦ γὰρ ἄνθρωπός τις ἄνθρωπον φιλεῖ,
Hominem vt amet, mercede quisquam adducitur?

Sed, si vera fatenda sunt, laudantur in theatris, quae domi negliguntur: hominumque magna pars hac in re Stoicos laudat, Epicurum sequitur. Fuisse quosdam & e Stoicis, qui hac quidem in re ab Epicuro non abhorrerent, ostendit Cicero libro secundo de finibus. Sed locus ille Ciceronis mirifice deprauatus est: qui quomodo emendandus videatur, docui in ijs, quos iampridem conscriptos, propediem, si Deus volet, editurus sum, Variarum lectionum libris.

9 Stilpon] *Quod hic de Stilpone Zenonis magistro dicitur, apud Laertium quoque his verbis relatum*

latum est: ἀλλὰ καὶ Δημήτριος ὁ Ἀντιγόνου καταλαβὼν τὰ Μέγαρα, τήν τε οἰκίαν αὐτοῦ φυλαχθῆναι, καὶ πάντα τὰ ἁρπασθέντα προνόησεν ἀποδοθῆναι. ὁ δὲ καὶ βουλομένῳ παρ' αὐτοῦ τῶν ἀπολωλότων ἀναγραφὴν λαβεῖν, ἔφη μηδὲν τῶν ἰδίων ἀπολωλέναι. παιδείαν γὰρ μηδένα ἐξενηνοχέναι, τόν τε λόγον ἔχειν καὶ τὴν ἐπιστήμην.

Ad Epistolam X.

SIC est.] *Solitudinem proficientibus, neque satis adhuc confirmatis, vtilem esse: stultis, vt alia omnia, noxiam. Ad postremum addit pulcherrimum praeceptum de iis quae a Deo petenda sunt.*

2 Turpissima vota] *Hanc ipsam hominum stultitiam his versibus exagitat Horatius:*

Vir bonus, omne forum quem spectat, & omne tribunal,
Quandocunque deos vel porco vel boue placat:
Iane pater, clare, clare cum dixit, Apollo,
Labra mouet metuens audiri. pulchra Lauerna
Da mihi fallere: da sanctum iustumque videri:
Noctem peccatis, & fraudibus obiice nubem.

Ad Epistolam XI.

LOCVTVS est] *De amico quodam Lucilij bene sperare se ostendit: quem tamen, ne tum quidem cum ad sapientiam peruenerit, pudorem, qui in eo plurimus erat, depositurum esse censet: idque ei cũ multis magnis viris esse commune. Addit in extremo praeceptum Epicuri longe vtilissimum iis qui se ab omni turpitudine abducere cupiunt. Proponere eos sibi debere magnum aliquem & spectatum virũ, de quo semper cogitent, quem sibi semper ante oculos suos subiiciant, quem interesse omnibus actionibus suis putent. Ita fore, vt nihil vel in solitudine faciant, quod non eo praesente facere auderent. Simile argumentum epistolae* XXV.

Ad Epistolam XII.

QVOCVNQVE me verto] *Vrbanissime narrat, quemadmodum cum ad villam suam venisset, multa senectutis suae argumenta deprehenderit. Addit vnumquemque nostrum quotidie ad mortem paratum esse debere.*

2 Pueritiae maximus in exitu decor est.] *Ideo Sappho Ouidiana ad Phaonem:*

O nec adhuc iuuenis, nec iam puer.

Sed & Homerus illam primae lanuginis aetatem gratissimam esse ait:

Πρῶτον ὑπηνήτῃ, τοῦπερ χαριεστάτη ἥβη.

3 Ex censu.] *Ex aetate. in libris enim censualibus etiam aetas cuiusque notabatur. Hae sunt, quas* παιδογραφίας *Modestinus vocat.*

4 Syriam vsu suam fecit,] *Cum diutissime ei praefuerit, ita volente Tiberio, qui vt quemque cuique prouinciae praefecerat, ita fere ibi consenescere cogebat.*

Ad Epistolam XIII.

MVLTVM tibi] *Multa vtilia & salubria remedia proponit aduersus metum earum rerum quae opinione potius, quam re, formidabiles sunt: quaeque & accidere & non accidere possunt.*

2 Sed, dij boni, vera.] *Ita dictum, vt ab Ouidio,*

Oscula, di magni, trans mare digna peti.

Ad Epistolam XV.

INTENTIONEM vocis] *Haec quoque inter vtilia exercitationis genera numeratur a medicis: de qua, ne per plures libros vagari necesse habeas, vide quae scripsit summus medicus, mihique vetere amicitia coniunctissimus, Hieronymus Mercurialis libro sexto artis gymnasticae.*

2 Per gradus] *Intelligit eam, quam veteres vocabant minuritionem. Vide Plutarchi* ὑγιεινά.

3 Babae & Ixionis?] *Homines fuisse dicuntur illis temporibus notae fatuitatis.*

4 Si quid satis esse posset,] *Respexerit fortassis ad hos versus Lucilij:*

Nam si quod satis est homini, id satis esse potesset:
Hoc sat erat. nunc, cum hoc non est, qui credimus porro
Diuitias vllas animum mi explere potesse?

5 Cum aspexeris quot te antecedant,] *Hoc quoque reprehendit Horatius, quòd nemo auarus fortunas suas per se aestimet,*

Neque se maiori pauperiorum
Turbae comparet: hunc atque hunc superare laboret.

Sapientissime autem praecipiebat Phauorinus homini de bonis suis cogitanti, inspiciendos eos qui minus bonorum haberent: de malis, eos quos plura & grauiora premerent. ita facile fore quemque sua sorte contentum. Verba ipsius haec sunt: τὸν εὐθυμεῖσθαι θέλοντα καὶ ἐν μὲν τοῖς ἀγαθοῖς ἀφορᾷν εἰς τοὺς ἐλάττω ἀγαθὰ κεκτημένους, ἐν δὲ τοῖς κακοῖς, εἰς τοὺς μᾶλλον δυστυχοῦντας.

Ad Epiſtolam XVI.

L'IQVERE tibi] *Animum non leuiter tingendum philoſophiae praeceptis, ſed penitus imbuendum. Diſſoluit deinde argumentum, quo quidam contendebant, ſiue fato adminiſtrarentur omnia, vt Stoici, ſeu caſu ac temere euenirent, vt Epicurei tradebant, inutilem eſſe philoſophiam. Poſtremo exponitur egregium dictum Epicuri de cupiditatibus terminandis.*

Ad Epiſtolam XVII.

P'ROIICE omnia iſta,] *Nihil eſſe cur philoſophandi tempus differat paupertatis metu; quae non modo incommodi nihil affert, ſed etiam commoda plaerunque eſt vere atque ex animo philoſophari cupientibus.*

Ad Epiſtolam XVIII.

D'ECEMBER] *Quomodo ſapientiae ſtudio deditus gerere ſe debeat certis quibuſdam diebus, quibus totae ciuitates, quaſi laxandorum animorum cauſa, publice inſaniunt: vt fiebat olim Romae menſe Decembri, nunc parte quadam menſis Februarij. Addit, certos quoſdam dies ſumendos eſſe, quibus experiamur quomodo paupertatem ferre poßimus. Concludit poſtremo epiſtolam dicto quodam Epicuri de vicinitate irae & inſaniae.*

2 Ducere te ad modicas coenas] *Ita quidam veteres libri: Meus,* ducere te ad moneas coenas. *Dubitaui num legendum ſit,* ad Timoneas coenas. *Vt hoc nomine ſignificaret durum, aſperum, & ſolitarium victum, qualis fuiſſe dicitur Timonis, cum e maximis opibus ad ſummam inopiam redactus, & ab omnibus deſtitutus eſſet.*

3 Charino magiſtratu,] Χαρίνυ ἄρχοντος. *Ita enim ſignificabant annum Athenienſes, ex nomine τῦ ἐπωνύμυ, vt Romani ex nomine conſulum ordinariorum.*

4 Seruum & inimicum.] *Hae voces mihi ſuſpectae ſunt.*

Ad Epiſtolam XIX.

E'XVLTO] *Lucilio ſuadet, non vt in latebras & ſolitudinem, ſed vt, relictis curis & inanibus honorum titulis, in otium ſe conferat.*

2 In ipſo equuleo] *id eſt, vt opinor, cum ipſa ſua felicitate torqueretur. Fortaßis etiam in equuleo eum fuiſſe dicit toto illo triennio ante mortem, quo dormire nunquam potuit.*

3 In aſpero & probo] *Aſperi nummi ſunt recentes. veteres enim longo vſu deteri ac leuari ſolent. Vrbane igitur dictum Maecenatis, quod modo attulerat, quaſi nummum aſperum ac probum eſſe ait: quem tamen non ſperat fore, vt Lucilius in ſolutum accipiat: ſed aliquam vetuſtiorem ſententiam poſtulet pro ſolito epiſtolae epimetro. Subiicit igitur aliam ab Epicuro. Quod hic ſomniauit Eraſmus de Aſpero & Probo grammaticis, ita ineptum eſt, vt laboraturus ſit, ſi quis velit quidquam ineptius excogitare.*

Ad Epiſtolam XX.

S'I vales,] *Re & vita, non verbis, philoſophandum: & contemnendam paupertatem ei qui ſerio philoſophari velit.*

2 Iuuenum otioſorum aures] *Quis putaſſet quemquam vſque eo ſtultum fore, vt hoc loco, pro* otioſorum, *legeret* occiſorum? *& tamen ea ſcriptura omnes libros occuparat.*

Ad Epiſtolam XXI.

C'VM iſtis] *Non eſſe timendam obſcuritatem iis qui, relictis ſpecioſis honorum titulis, ad philoſophandum ſe conferunt. Famam enim & duraturam ad poſteros gloriam nulla re magis, quàm ſcriptis & familiaritate eruditorum hominum comparari. Adiicit ex Epicuro, quanti momenti ſit in omnem vitam terminatas habere cupiditates.*

2 Si vis Pythoclea] *Ipſa Epicuri verba haec ſunt:* Εἰ βύλει πλύσιόν τινα ποιῆσαι, μὴ χρημάτων προςτίθει, τῆς δὲ ἐπιθυμίας ἀφαίρει.

Ad Epiſtolam XXII.

I'AM intelligis] *Quomodo expedire & explicare ſe debeat is qui multorum negotiorum procuratione diſtrictus eſt, cum ſe ad philoſophiam conferre meditatur.*

Ad Epiſtolam XXIII.

P'VTAS me tibi ſcripturum] *Solum ſapientem vero ac ſolido gaudio frui. Plaeroſque homines ante viuere deſinere, quàm inceperint.*

Ad Epiſtolam XXIIII.

S'OLLICITVM te eſſe ſcribis] *Praeclara epiſtola, qua Lucilio euentum iudicij cuiuſdam metuenti, primum oſtendit, quàm ſtultum ſit, torquere ſe expectatione eius rei quae an euentura ſit neſcias. Deinde oſtendit efficacißima remedia aduerſus ea omnia, quorum expectatione homines perterrefieri ſolent.*

2 Timorem tuum taxa.] *Aeſtima, adhibito iudicio, quanti ſit id quod metuis.*

3 Quàm vt pereat?] *Hic oscisantia librariorum, omissae sunt aliquot voces. Legendum enim hoc modo:* Quàm vt vratur? Quàm vt pendeat?

4 Excarnificandi particulatim hominis?] *In alijs quibusdam libris,* articulatim. *Vtra verior scriptura sit, haud facile dixerim.*

5 Leuis est, si ferre possum:] *E nartheciis Epicuri sumptum. Si grauis, breuis : longus, si leuis. Epicurus autem ex illo AEschyli sumpserat:*

Θάρσει. πόνου γὰρ ἄκρον οὐκ ἔχει χρόνον.
Confide. summus non habet tempus dolor.

6 Quotidie morimur.] *Saepe tractatur hic locus a Seneca. Tractatur & a Plutarcho pereleganter in libro* περὶ τοῦ ΕΙ τοῦ ἐν Δελφοῖς. *Cuius verba adscribã.* Ἀλλ' ἡμεῖς ἕνα φοβούμεθα γελοίως θάνατον, ἤδη τοσούτους τεθνηκότες, καὶ θνήσκοντες. οὐ γὰρ μόνον (ὡς Ἡράκλειτος ἔλεγε) πυρὸς θάνατος, ἀέρι γένεσις, καὶ ἀέρος θάνατος, ὕδατι γένεσις, ἀλλ' ἔτι σαφέστερον ἐπ' ἀνθρώπων ἴδοις ἄν. φθείρεται μὲν ὁ ἀκμάζων γενομένου γέροντος, ἐφθάρη δὲ ὁ νέος εἰς τὸν ἀκμάζοντα, καὶ ὁ παῖς εἰς τὸν νέον, εἰς δὲ τὸν παῖδα τὸ νήπιον· ὅ τε χθὲς εἰς τὸν σήμερον τέθνηκεν, ὁ δὲ σήμερον εἰς τὸν αὔριον ἀποθνήσκει.

7 Mors non vna venit,] *Alij,* Mors non vltima venit : *quomodo & sententia corrumpebatur, & versus.*

8 Obiurgat Epicurus] *Ab hac disciplina fortaßis duxit Martialis hoc praeceptum:*

Summum ne metuas diem, nec optes.

9 Timore mortis coguntur ad mortem.] *Idem Martialis:*

Hostem dum fugeret, se Fannius ipse peremit.
Hic, rogo, non furor est, ne moriare, mori?

10 Quousque eadem ?] *Hanc ipse alibi vocem rabidarum deliciarum vocat. Sunt quos vitae taedium ac fastidium capiat : cum omnia perpetuo tanquam in orbem volui, & alia aliis succedere videant. Varietatem requirere se aiunt : sine qua molesta & insuaua sunt omnia. Extat inter* τοὺς νεκρικοὺς *Samosatensis sophistae, dialogus quidam Chironis & Menippi, qui mihi valde videtur huc pertinere.*

11 Diem nox premit,] *Horatius:*

Truditur dies die:
Nouaeque pergunt interire lunae.

Ad Epistolam XXV.

QVOD ad duos amicos] *Duorum Lucilij amicorum, vnius adolescentis, alterius senioris, non idem ingenium esse ais, neque eandem rationem vtriusque corrigendi. Tum ex Epicuri schola sumit, quo cohortetur Lucilium, vt naturae praescripto parens, assuescat paulo esse contentus. Addit ex eodem, omnia proficienti tanquam sub oculis grauis alicuius & seueri viri, agenda esse.*

2 Tenera finguntur.] *Horatius:*

Fingit equum tenera docilem ceruice magister.

& Plato ait iuuenes κηρίνους εἶναι.

3 Panem & aquam] *Euripides:*

Ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι, πλὴν δυοῖν μόνον,
Δήμητρος ἀκτῆς, πώματός θ' ὑδρηχόου.

4 Cum ipso Ioue] *Sic epistola* c x. Habeamus aquam, habeamus polentam. Ioui ipsi de felicitate controuersiam faciamus. *Epicurus ipse apud Laertium :* καὶ μᾶζα καὶ ὕδωρ τὴν ἀκροτάτην ἀποδίδωσιν ἡδονήν. *Stobaeus:* Ἐπίκουρος ὁ Γαργήττιος κέκραγε λέγων, ᾧ ὀλίγον οὐχ ἱκανόν, τούτῳ γε οὐδὲν ἱκανόν. ἔλεγε δὲ ἑτοίμως ἔχειν καὶ τῷ Διῒ ὑπὲρ εὐδαιμονίας ἀγωνίζεσθαι, μᾶζαν ἔχων καὶ ὕδωρ.

Ad Epistolam XXVI.

MODO dicebam tibi,] *Decrepitum iam esse se, non senem : & vigere tamen animo, neque vllo mortis metu teneri.*

Ad Epistolam XXVII.

TV me, inquis, mones.] *Ferendus non videtur, qui ea vitia in aliis reprehendit, quibus & ipse obnoxius est : &, vt Graeci prouerbio dicunt, Alijs medetur, vlceribus ipsus scatens. Ne igitur in hanc reprehensionem incurras Seneca, neve nimium sibi sumat, si se iam a vitijs liberum profiteatur: ait se non vt medicum agere cum Lucilio, sed cum eo de communibus morbis loqui, & remedia, si qua habet, cum illo communicare. Inserit historiam longe iucundißimam de Caluisio quodam Sabino: & ad finem addit ex more dictum Epicuri.*

2 Quàm paedagogos nostros nouimus.] *nos qui iam senes sumus, quibus omnis paedagogorum memoria excidit.*

Ad Epistolam XXVIII.

HOc tibi soli] *Nihil adiuuari mutatione regionum eos qui secum vitia sua circumferunt. Hoc praeceptum saepe inculcat Horatius. Addit in fine egregiam Epicuri sententiam.*

2 Animum debes mutare, non caelum.] *Horatius:*

Caelum, non animum, mutant, qui trans mare currunt.

Graeci hoc suauius: τὸν τόπον, οὐ τὸν τρόπον.

3 Bene viuere, omni loco positum] *Horatius:*

—nauibus atque
Quadrigis petimus bene viuere. quod petis, hic est,
Est Vlubris: animus si te non deficit aequus.

Ad Epistolam XXIX.

DE Marcellino nostro] *Marcellinum, hominem ingeniosum & vrbanum, non esse quidem facilem ad corrigendum: nequedum tamen se de illo omnem spem abiecisse, & tentaturum omnia. Addit ad finem dictum Epicuri, non esse optandum philosophanti, vt populo placeat.*

2 Ad edendas operas] *Quasi de liberto, auctoratove aliquo locutus est.*

3 Et acerrime rabere.] *Ita plane legendum, non, vt Erasmus inepte voluerat,* tudere. *De hoc autem verbo dixi capite* XIX. *libri* IX. *Variarum lectionum.*

4 Vnde quo] ἐξ οἵων εἰς οἷα, *vt dicebat Iphicrates.*

5 Popularis fauor] *Etiam in leuioribus artificiis, placere populo, signum olim habitum esse κακοτεχνίας, scribit Athenaeus.*

Ad Epistolam XXX.

BAssum Aufidium] *Bassum scribis, quasso quidem corpore, sed firmo tamen animo, mortis appropinquantis metu nullo affici. Inde sumpta occasione, de contemptu mortis, & quomodo se quisque ad eam parare debeat, disserit.*

2 Et componere,] *Verbum vsitatum in mortuis. Horatius:*

Omnes composui felices. nunc ego resto.
Confice.

3 Septimo spatio] *Septies enim currebant. Propertius:*

Septima quàm metam triuerit ante rota.

Ad Epistolam XXXI.

AGnosco Lucilium meum.] *Solam virtutem bonum esse.*

2 Vinci ac strigare] *Strigare est dare aliquid spatij equis in superando cliuo ad interquiescendum ac recipiendum spiritum.*

3 Nihil sine aere frigidum:] *Haec sententia Stoicorum erat, omnium corporum aera frigidissimum esse. Vide Plutarchum* περὶ τοῦ πρώτου ψυχροῦ. *Balbus apud Ciceronem secundo de natura deorum:* Ipse vero aer, qui natura est maxime frigidus, minime est expers caloris. *Quo in loco operae pretium est cognoscere Lambini temeritatem, vel exempli causa, vt intelligatur, quantum ei fidei haberi debeat. Qui cum in omnibus libris constantissime ita scriptum videret, ignoraretque illam quam dico, Stoicorum sententiã, deleta voce* frigidus, *substituit* humidus, *& in notis suis ita scripsit:* Sic legendum est, vel libris omnibus inuitis. *mirum quin dixerit, Ipso Cicerone inuito: aut, ipsa veritate reclamante.* Non, vt habent, frigidus. *Eant nunc qui negant, multum huic homini debere Ciceronem. Non enim hoc tantum loco, sed innumerabilibus alijs eandem illi operam inuitis omnibus libris praestitit.*

4 Laborem si non recuses, parum est. posce.] *Mirifici homines sumus, quicunque corrigendis veterum libris operam damus. Quod damnamus in aliis, ipsi saepe numero admittimus. Ne longius abeamus: ego ipse qui modo correctorem Ciceronis reprehendebam, eidem culpae affinis deprehendor. Certe enim in omnibus, quos vidi, libris scriptum erat,* Laborem si non recuses, parum est posse. *Vapulemus igitur ambo, si ambo deliquimus.*

5 Deus ille maximus potentissimusque ipse vehit omnia.] *Dicas hunc hominem legisse id quod de Deo in sacris litteris scriptum est,* Portans omnia verbo virtutis suae.

Ad Epistolam XXXIII.

ODorifera,] *Est qui legat* oculifera, *idque se ex libro vetere facere dicat. Non damno.*

Ad Epistolam XXXV.

PRopera ad me,] *In aliis,* Propterea ad me. *Coniecturam meam veterem libri veteris auctoritas comprobauit.*

Ad

Ad Epistolam XXXVI.

AMICVM tuum] *Adolescens quidam Lucilij, vt videtur, hortatu, sese ad philosophiae studium contulerat: quo nomine reprehendebatur a multis: vt semper optima quaeque plurimis displicent. Monet Lucilium, quemadmodum illum adducere debeat ad contemnendas eiusmodi stultas reprehensiones, & ad id quod susceperit, vrgendum.*

2 Ariston aiebat] *Simillimum huic Attij poetae dictum extat libro* XIII. *noctium Atticarum, capite* II.

3 Perbibere] *Verbum Horatianum.* Nunc perbibe puro
Pectore verba puer, nunc te melioribus offer.

4 Veniet iterum qui nos in lucem reponat dies,] *Stulta opinio, quae tamen illis temporibus multorum animos occuparat. Saepe fuisse nos in hac vita: sed oblitos esse: redituros eosdem post aliquot annorum millia: sed rursus omnium oblitos: idque saepius factũ esse, saepius factum iri. Haec admonere nos debent, quantopere auij ferantur a vero homines summis ingenijs praediti, nisi aura eis diuinae lucis affulserit. Magna gratia praepotenti Deo, qui nos a talium errorum caligine per filium liberauit.*

Ad Epistolam XXXVII.

VRI virgis ferroque necari.] *Verba erant eorum qui in magistrorum, id est lanistarum verba iurabant, seque eis auctorabant. Horatius:*
Quid refert, vri virgis ferroque necari?
Auctoratus eas.

Ad Epistolam XXXIX.

QVI notorem dat,] *Notorem dicit, quem vsitatius dicimus cognitorem. Petronius*: At ego ne mea quidem vestimenta ab officio recepissem, nisi notorem dedissem.

Ad Epistolam XL.

QVOD frequenter] *De Serapione quodam pseudophilosopho scribit: qui quasi contiones habebat ad populum, in quibus nihil aeque cauebat, quàm ne vsquam haesitare atque insistere videretur. Prouoluebat verba nusquam interrupto impetu, non illud laborans, vt qui audiebant meliores fierent, sed vt ipse promptus in dicendo ac copiosus haberetur. Tale disputandi genus ait circulatoribus magis quàm philosophis conuenire. Huius ipsius vitij exempla, vel maxime illustria notaui in quibusdam maximarum rerum ad populum interpretibus: quorum oratio, quae non compta ac calamistrata, sed grauitatis, auctoritatis, maiestatis ac sanctimoniae plena esse deberet, tota papauere ac sesamo sparsa est, & ex mellitis verborum contexta globulis: ita vt ad eos, non tanquam ad vitae magistros, aut vitiorum correctores, sed tanquam ad comoedos aut histriones eatur. Stant illi: & cum frontem bis terve perfricuerunt, barbamque permulserunt, hiante & mirificum aliquid ac θαυμάσιον expectante plebe, plebis autem nomine etiam quosdam ex optime vestitis comprehendo, laxant habenas linguae, & similiter cadentia, similiterque desinentia coaceruantes, paria paribus, contraria contrarijs opponentes, multa etiam semel suo ordine dicta, sursum versum, aut alias variato ordine repetentes: eaque in re memoriam pueriliter ostentantes, atque haec saltatricularum in morem, gesticulatorijs neque vnquam quietis manibus adiuuantes, argute multa, multa quibus risum excutiant, dicunt: nũquam interim aut sibi aut auditoribus respirandi facultate permissa: quibus omnibus rebus admirationem imperitis; cordatis & intelligentibus nauseam ac stomachum commouent. Hos igitur nouos Serapiones cuperem hanc epistolam cum cura legere, & inspicere num cui vitio affines sint eorum quae hic a Seneca reprehenduntur. Profuerit eisdem legere & ea quae super eadem re apud scriptorem noctium Atticarum a Musonio disputantur: quae & ipsa subijciam.* Musonium, *inquit*, philosophum solitum dicere accepimus: Cum philosophus hortatur, monet, suadet, obiurgat, aliudve quid disciplinarum disserit: tum qui audiunt, si de summo & soluto pectore obuias vulgatasque laudes effutiunt, si clamitant etiam, si gestiunt, si vocum eius festiuitatibus, si modulis verborum, si quibusdam quasi frequentamentis orationis mouentur, exagitantur, & gestiunt: tum scias, & qui dicit, & qui audit frustra esse: neque illic philosophum loqui, sed tibicinem canere. Animus, inquit, audientis philosophum, si quae dicuntur, vtilia ac salubria sunt, quaeque & errorum atque vitiorum medicinas ferunt, laxamentum atque otium prolixe laudandi non habet. Quisquis ille est qui audit, nisi ille est plane deperditus, inter ipsam philosophi orationem & perhorrescat necesse est, & pudeat tacitus, & paeniteat; & gaudeat, & admiretur: varios adeo vultus disparilesque sensus gerat, perinde vt eum conscientiamque eius affecerit vtrarumque animi partium aut sincerarum, aut aegrarum philosophi pertractatio.

2 Namque Echerij] *Emendaui,* Namque Haterij. *De hoc autem vide praefationem patris Senecae in quartum librum declamationum.*

3 Nos etiam cum scribimus,] *Omnia scribebant veteres ijs litterarum formis, quas hodie maiusculas vocamus. Neque vlla fere erant inter singulas voces interualla. Punctis interiectis vocem a*

voce distinguebant, hoc modo: QVANQVAM. TE. MARCE. FILI.

Ad Epistolam XLI.

F'Acis rem optimam,] *In omnibus bonis viris quiddam inesse diuini. Hominem suis ac propriis bonis, non externis, aestimandum esse.*

2 Quàm stultum est optare] *Impietatis & stultitiae plena haec sententia Stoicorum fuit. Audiebant summo omnium gentium consensu deos bonorum datores vocari. Ipsi autem praeter virtutem, bonam mentem, rationem perfectam, & talia, nihil in bonis habendum esse ducebant, & ea diuinitus dari negabant. sibi ea quemque suis viribus parare dicebant. Itaque si sibi constare vellent, deos nullius boni datores esse dicerent, necesse erat. Dari quidem ab eis ea quae ipsi praeposita aut producta vocarent: opes, imperia, vires corporis, & similia: vera bona non dari. Hac stultitia imbutus Horatius, ita cecinit:*

Haec satis est orare Iouem, qui donat & aufert:
Det vitam, det opes: aequum mi animum ipse parabo.

Immo vero, nugator, iste aequus animus vel maximum Dei donum est: neque obtingere tibi nisi diuino beneficio potest. Nobis certum atque exploratum est, fontem esse omnium bonorum Deum. Hic ipse philosophus, tanta vis veritatis est, fatetur paulo post, a Deo dari magnifica & erecta consilia: neque posse quenquam, nisi ab eo adiutum, supra fortunam exsurgere.

3 Quis Deus incertum est:] *Versus e metamorphosi Ouidiana.*

Ad Epistolam XLII.

I'AM tibi] *Non facile credendum, quenquam virum bonum esse. Multis ad malefaciendum non animum deesse, sed vires.*

Ad Epistolam XLV.

L'IBRORVM] *Libris non multis opus esse, sed bonis. & in studijs non subtilia quaerenda esse, sed vtilia.*

2 Praestigiatorum acetabula & calculi,] *Hi sunt quos Graeci psephopaectas vocant, frequentissimum etiam hodie circulatorum genus, qui celeritate quadam ac dexteritate manuum, e pluribus acetabulis, quae in mensa exponunt, efficiunt, vt quos calculos sub vno ab eis conditos putares, eos statim sub alio ostendant: ita vt calculi illi ex vno acetabulo in aliud transijsse videantur. Quod autem Seneca cum eorum ludo dialecticorum argutas ineptias comparat, Arcesilai est. Is enim dicebat, τοὺς διαλεκτικοὺς ἐοικέναι τοῖς ψηφοπαίκταις, οἵτινες χαριέντως παραλογίζονται. Stobaeus λόγῳ π'.*

3 Perdidi vsum.] *Neque enim amplius delectat, cum, quomodo fiat, intelligimus.*

4 Et hoc solum curantibus, non & hoc.] *id est, nihil fere aliud curantibus, quàm molestissimos & spinosissimos syllogismos ex repugnantibus: qui fere ita conformari solent: Non & hoc & illud. Hoc autem est. non igitur illud.*

Ad Epistolam XLVII.

L'IBENTER] *Reprehendit quorundam superbiam in seruos: & Lucilium laudat, quod cum suis familiariter viuat. Multa ex hac epistola impudenter compilauit Macrobius libro primo Saturnaliorum. Quanto autem maiore odio digni sunt, qui hodie ingenuis hominibus non aliter vtuntur ac seruis?*

2 Sic fit vt isti de domino loquantur,] *Neque vllam maiorem voluptatem capiunt, quàm cum eis absentibus aut male dicunt, aut male precantur. Vt ille in vetere comoedia:*

μάλα γ' ἐποπτεύειν δοκῶ,
Ὅταν καταράσωμαι λάθρᾳ τῷ δεσπότῃ.

3 Totidem esse hostes, quot seruos.] *Catonis est.*

4 Callisti] *Hic Claudij libertus erat. Dominum autem dicit, non Claudium, sed priorem.*

Ad Epistolam XLVIII.

A'D epistolam] *Hanc epistolam lacerarant in duas: & posterioris principium fecerant ab illis verbis:* Mus syllaba est. *ego rursus membra diuulsa coniunxi.*

2 Alium paupertas vrit,] *In alijs,* Alium mors vocat, alium paupertas vrit. *Inepte. neque enim quidquam est, quod respondeat illi membro,* Alium mors vocat: *neque vero esse quidquam potest. Non enim vocat mors τὸν μὲν, τὸν δ' οὔ: sed omnes ex aequo. Est autem operae scire, quomodo locus hic corruptus fuerit: vt si qua similia inciderint, facilius animaduertantur. Librarius, aliud agens, ita scripserat:* Alium mors, alium paupertas vrit. *deinde cum videret, duas illas voces,* Alium mors, *vacare: neque tamen eas delere vellet: sedulo enim cauebant, ne quid, quod scripsissent, delerent: addidit notulam, & ad marginem scripsit,* vacat. *quo significaret, illud* Alium mors *vacare ac redundare. Secuti alij stultiores librarij non tantum duas illas supernacaneas voces retinuerunt, sed ex illo* vacat, *quod erat ad marginem, fecerunt* vocat. *Ita duplicatus & propagatus error. Peccata in hoc genere in scriptis veterum multa reperiet, si quis paulo attentius considerabit.*

Ad

Ad Epistolam XLIX.

EST quidem,] *In tanta breuitate vitae, totum tempus, omißis inutilibus, ad vtilia conferendum.*

2 Admoueri lineas] *Id est, me ad finem ipsum propius accedere sumptum a ludo duodecim siue scriptorum siue scruporum. vbi enim alter collusorum ad vltimam lineam, quae & hiera, sd est sacra, dicebatur, calculos suos promouerat, necesse erat ludum finiri: & eum vinci, cui iam quo proferret vlterius non erat. Quod si idem vtrique contigerat, dicebantur hieran facere: & tũc neutrius victoria erat. Ab eodem ludo sumptum est illud Horatij,*

Mors vltima linea rerum est.

Plutarchus: τελευταίαν, ὥσπερ τὴν ἀφ' ἱερᾶς, ἐπάγουσιν ἡμῖν τὸ γῆρας. *intelligit enim* τὴν ψῆφον τὴν ἀφ' ἱερᾶς γραμμῆς. *In ludo astragalorũ* ἱερὰ γραμμὴ *vocabatur media ex quinque: qua de re vide Pollucem libro IX.*

3 Veritatis simplex oratio est.] *Euripideum:*

Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ.

Ad Epistolam L.

EPISTOLAM tuam] *Peccare in eo plaerosque homines, quòd vitia sua rebus adscribunt. Tenera facilius quidem corrigi: sed tamen inueterata quoque pertinaci studio emendari: iuxta illud Horatij,*

Inuidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeo ferus est, vt non mitescere poßit,
Si modo culturae patientem commodet aurem.

2 Harpasten] *Simile quiddam notaui in amico quodam meo, homine eruditißimo: qui cum aetate (est enim octogenario maior) surdaster effectus sit, hoc tamen in se vitium non agnoscit: sed vere ac serio conqueritur, peßimam consuetudinem inualuisse: homines multo summißius loqui, quàm solebant, ita vt videantur vereri ne intelligantur.*

3 Non dediscitur virtus.] *Dogma Stoicum, virtutem non amitti: de quo, alio loco fortaßis pluribus differemus.*

Ad Epistolam LI.

QVOMODO] *Vitanda esse ea loca in quibus periculũ est, ne animi eneruentur, & effeminentur.*

2 Canopum] *Et tota AEgyptus, & in ea praecipue Canobus omnium libidinum atque impuritatum domicilium fuit. Audiebantur illic noctes & dies turpißimi & obscoenißimi cantus virorum & mulierũ, qui quasi initiandi causa, eo ex Alexandrea per fossam lintribus vehebantur. Strabo:* Ἀντὶ πάντων δ' ἐστὶν ὁ τῶν πανηγυριζόντων ὄχλος, τῶν ἐκ τῆς Ἀλεξανδρείας κατιόντων τῇ διώρυγι. πᾶσα γὰρ ἡμέρα καὶ πᾶσα νὺξ πληθύει τῶν ἐν τοῖς πλοιαρίοις καταυλουμένων καὶ κατορχουμένων ἀνέδην μετὰ τῆς ἐσχάτης ἀκολασίας καὶ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν. *Canopum an Canobum dicas, nihil interest.*

3 Vim Hannibalis hiberna soluerunt:] *Ita conieci legendum: cum in aliis esset,* vina Hannibalem hiberna soluerunt.

4 Philetas] *Quasi tu dicas, basiatores. Male alij, Philistas.*

Ad Epistolam LIII.

MEMOR artificij mei veteris,] *Solebat enim frigida lauari: & alicubi ait, se quotãnis Kalendis Ianuarij ipsis solere in aquam Virginem desilire.*

2 Est aliquid quo sapiens antecedat Deum.] *Impia & intolerabilis arrogantia Stoicorum: qui non satis esse ducebant sapientem suum cum Deo ex aequo componere, nisi etiam anteponerent.*

Ad Epistolam LIV.

LONGVM mihi] *Ait se asthmate, quo crebro laborabat, mortis admoneri: eam autem a se negligi.*

2 Antequam nascerer.] *Sic & Seneca tragicus:*

Quaeris, quo iaceas post obitum loco?
Quo non nata iacent.

Sed multo satius est timere mortem, quàm tam impia opinione metum ipsius discutere. Quid autem est, quod se hic Seneca innuit putare, nihil ex homine superesse post mortem: cum alibi tam aperte profiteatur, bonorum virorum animos, morte obita, in caelum ferri, atque illic beatißime viuere? Nimirum certum ac stabile esse nihil potest, nisi quod vero ac solido fundamento nititur: ideoque semper veterum philosophorum, de Deo, de animorum immortalitate, & similibus iudicia fluctuarunt. Socrates ipse paulo post moriturus, de animorũ immortalitate dubitabat. Magnum igitur in nos ac singulare beneficium Dei, qui harum rerum veritatem ipsius aeternae veritatis voce nobis patefacere dignatus est.

3 Illum tu lauda] *Haec non cohaerent cum superioribus: ita vt multa deesse constet.*

10 Homo genus est.] *Immo vero εἶδος εἰδικώτατον. Neque sunt hae diuersae hominum species, Graecus, Romanus, Parthus : aut albus, niger, flauus:neque singuli homines specie, sed numero tantum differunt. Ac fatendum est, esse in his Senecam paulo crassiorem. Nondum valde manibus hominum terebantur Aristotelis scripta, e quibus solis accurata & exquisita harum rerum tractatio peti poterat.*

11 Stoici volunt superponere] *Notandum est voluisse Stoicos, esse aliud quoddam genus ipso ente superius.*

12 Primum genus Stoicis quibusdam videtur †, sed quare videatur, subiiciam.] *Post verbum* videtur, *deest nomen eius generis, quod quidam e Stoicis ipso ente superius esse volebant. Quodnam autem id fuisse dicemus? Diuinare difficile est. Neque sane eiusmodi res est, in qua peruestiganda torquere se quisquam diutius debeat. Proponam tamen coniecturam meam: vt de ea ab aliis indicetur. Suspicor igitur, genus illud ente superius fuisse τὸ τί: id est, aliquid: atque ita Stoicos illos dixisse: esse aliquid ὄντως ὄν, id est, quod reuera esset: aliquid autem, quod reuera quidem non esset, sed animo tamen ac cogitatione informaretur: quales sunt centauri, tragelaphi, chimerae, & similia. Diuidi igitur τὸ τί καὶ εἰς τὸ ὄν, καὶ εἰς τὸ μὴ ὄν: atque ita esse superius: quoniam & entia complectitur & non entia. In hanc suspicionem adducor ex loco quodam Platonis in Sophista, vbi quiddam ab hoc non valde abhorrens dicere videtur. Sed haec coniectura modo est: de qua quisque, vt volet iudicabit. Commodum haec scripseram, cum ad me, tanquam caelo delapsus, homo & nobilitate generis & multarum rerum cognitione, & virtute praestans, Antonius Frãciscus Neapolites Panormitanus, summus amicus meus, venit: quem ego hos totos octo annos non videram. Is post illa communia, quae in amicis, quos longo interuallo videmus, vsitata sunt: Affero, inquit, tibi libros veteres duos, in quibus pleraque Senecae scripta sunt: quibus tu, cui eius scriptoris editionem iam in manibus esse audio, arbitratu tuo vtaris licet. Tu vero, inquam, & si aduentus tuus mihi per se iucundissimus est, nihil, quo is gratior ac iucundior fieret, adferre potuisti. Sed sunt ne in eis epistolae ad Lucilium? Sunt, inquit. Quaeso igitur, inspiciamus, ecquid tuus iste liber adimere mihi molestissimum scrupulum, quo nunc cummaxime torqueor, possit. Nec mora: hunc ipsum locum inspeximus: cumque in veteribus illis membranis ita scriptum deprehendimus:* Primum genus Stoicis quibusdam videtur quiddam. quare videatur, subiiciam. *quae scriptura & perspicue vera est, & coniecturam illam meam non absurdam neque alienam fuisse demonstrat.*

13 Nunc ad id] *Ait apud Platonem ens sex modis dici. Vno modo ens est τὸ νοητὸν, id est, quod sub sensum non cadit, sed mente tantum ac cogitatione comprehenditur. Secundo ens vocatur id quod supra alia omnia entia est. ἐπέκεινα τοῦ ὄντος, ὄντι δὴ αὐτὸ τ' ἄλλα πάντα. Id est, Deus. Solus enim Deus vere est πηγὴ πάσης τῆς οὐσίας. Itaque ipse de se in libris diuinis:* Ego sum qui sum. *Tertio entia vocantur Ideae. Quarto τὰ εἴδη. Quinto ea quae etiam vulgo esse dicuntur: id est, ea quae cernimus ac tangimus. Sexto ea quae non sunt, sed quasi sunt, vt inane, vt tempus, vt motus. Haec duo postrema genera non satis proprie esse dicuntur.*

14 Videtur autẽ species eius,] *Immo ne equus quidẽ aut canis videtur, sed hic equus & hic canis.*

15 Poeta] *εἰωθότων τῶν ἀνθρώπων, ait Galenus, τὰ προὔχοντα τῶν ἐν τῷ γένει, τῷ τοῦ γένους προσαγορεύειν ὀνόματι. Cicero in topicis:* Homerus, propter excellentiam, commune poetarum nomen, effecit apud Graecos suum. *Plutarchus in sympofiacis: πολλῶν ὄντων ποιητῶν, ἕνα τὸν κράτιστον ἐξαιρέτως ποιητὴν καλοῦμεν.*

16 Quae proprie sunt :] *Plato in Timaeo ait ideas nunquam fieri, semper esse: corporea autem omnia nunquam esse, semper fieri.*

17 Omnia quae fiunt,] *Liber vetus Siculus:* Omnia quae videmus, fiunt.

18 Quodcunque fieri] *Idem liber,* Quicquid fieri.

19 Ante opus.] *Idea est, τὸ καθόλου τὸ πρὸ τῶν πολλῶν. εἶδος, τὸ καθόλου τὸ ἐπὶ πολλῶν.*

20 In idem flumen] *Plato Cratylo, Λέγει που Ἡράκλειτος, ὅτι πάντα ῥεῖ, καὶ οὐδὲν μένει. καὶ ποταμοῦ ῥοῇ ἀπεικάζων τὰ ὄντα, λέγει, ὡς δὶς ἐς τὸν αὐτὸν ποταμὸν οὐκ ἂν ἐμβαίης.*

21 Vis tu timere,] *Liber Siculus,* Vis tu non timere: *quod mihi melius & bene Latine loquentiũ consuetudini congruentius videtur.*

22 Inuenies] *Liber Siculus* sumes.

23 Ex omni vacatione] *Puto legendum,* Ex omni tractatione.

24 A philosophia] *morali. hanc enim ἐξαιρέτως philosophiam vocant.*

25 Nihil horum stabile, nec solidum] *Idem liber:* Nihil horum stabile, nihil solidum.

26 In sublime] *Idem,* In sublimi.

27 Quia materia prohibebat,] *Impie stulta veterum opinio, Deum voluisse quidem a primo omnia immortalia facere, sed non potuisse, propter materiae vitium. Quasi non, vt cetera omnia, ita materiam condiderit ac procrearit Deus. Recte Lactantius:* Idem materiae fictor est, qui & rerum materia constantium.

28 Contemnamus omnia,] *Primum praeceptum,quod e superiori disputatione ducitur. Ea quibus homines vulgo superbiunt, aurum, gemmae, possessiones, non modo magni pretij non sunt, sed ne sunt quidem: vt Platoni videtur. Contemnenda igitur sunt: solaque immortalia & aeterna curanda.*

29 Illud simul cogitemus,] *Alterum praeceptum. Mundus per se caducus est: sed Dei prouidentia conseruatur. Ergo corpus quoque nostrum,quod suapte natura fluxum fluidumque est, adhibita cura & prouidentia aliquatenus conseruari potest.*

30 Et illi nomen] *Cum prius Aristocles auito nomine diceretur. Platys graece,latus. Quod autem hic de Platone dicitur, eum sibi vitam moderata viuendi ratione produxisse, idem fere de Herodico Selymbriano memoriae proditum est & a Platone ipso, & ab Aristotele, & a Plutarcho. Et Galenus quiddam de se non absimile narrat. Eiusdem rei luculentissimum maximeque commemorabile exemplum vidi olim Patauij, Aloisium Cornelium Venetum, hominem splendidissimo genere natum, eundemque amoenissimo ingenio, & suauissimis moribus praeditum: cuius etiam libellus extat de commodis quae ex parca & moderata viuendi ratione capiuntur. Is cum anno fere quadragesimo ita profligata valetudine esset,vt a medicis prope depositus ac desperatus, mortem potius quàm vitam ad breue aliquod tempus aegre extracturus videretur, ita vitam instituere coepit, vt cibum ad pondus, potum ad mensuram sumeret, neque vnquam ne tantulo quidem modum quem ipse sibi praescripserat, excederet, modicis corporis exercitationibus vteretur,curas omnes procul ab se ablegaret,animum sermonibus amicorum, aliisque honestis oblectationibus hilararet:quibus rebus id consecutus est, vt & morborum expers vixerit, & diu medicis suis superstes ad extremam senectutem peruenerit.*

31 Ex aedificio putrido ac ruenti] *Sumptum, vt opinor, e dicto quodam Gorgiae Leontini, de quo haec leguntur:* Γοργίας ὁ ῥήτωρ ἤδη γηραιὸς ὑπάρχων, ἐρωτηθεὶς, εἰ ἡδέως ἀποθνήσκει, ἥκιστα, εἶπεν. ὥσπερ δὲ ἐκ σαπροῦ καὶ ῥέοντος οἰκιδίου, ἀσμένως ἀπαλλάττομαι.

32 Mortis meras] *Id est meras de morte disputationes, quales sunt hae meae.* Mortis *est quarti casus, numeri pluralis.*

Ad Epistolam LIX.

MAGNAM] *Cum se ex epistola Lucilij magnā voluptatem cepisse dixisset, per occasionem exponit quid inter se gaudium & voluptas e Stoicorum praescripto differant. Tum persequitur id quod instituerat, ostenditque quid se potissime in epistola Lucilij delectauerit. Ad extremum docet, qualis sit vita sapientis: quamque vnusquisque nostrum seuere de se iudicare, & assentatoribus minime credere debeat.*

2 Gaudium nisi sapienti non contingere.] *Hoc est quod dicebat Afranius:*

Gaudebit sapiens, laetabuntur ceteri.

3 Tralationes verborum] *Quid tralatio & imago intersit, petendum ex Aristotele libro tertio rhetoricorum, e Demetrio* περὶ ἑρμηνείας, *Fabio, libro octauo, & aliis rhetoribus.*

4 Apud quos nondum captabatur] *Ita vt constet eos illis vsos non esse ad petendum populi plausum.*

5 Parabolis referti] *Tales esse solebant Syrorum & Palaestinorum sermones: vt & S. Hieronymus monet, & res ipsa loquitur.*

Ad Epistolam L X.

QVEROR] *Et hanc & duas quae proxime sequuntur, puto non epistolas esse, sed fragmenta epistolarum.*

Ad Epistolam LXIII.

MOLESTE fers] *Liber Siciliensis pro his duabus vocibus habet,* Grauiter fero. *quod mihi sine controuersia melius videtur: & si librum illum citius habuissem, vtique scripturam illam secutus essem.*

2 Ipsa nos amaritudo delectat:] *Inde est illud Catulli:*

Minister vetuli puer Falerni,
Ingere mi calices amariores.

Ad Epistolam LXV.

HESTERNVM] *Disputationem quandam sibi cum amicis fuisse de causis rerum, de quibus, expositis sententiis inter se dissidentibus Platonis, Aristotelis, Stoicorum, Lucilium arbitrum facit.*

Ad Epistolam LXVI.

CLARANVM] *Primum Clarani exemplo, qui & senex erat, & deformi ac distorto corpore, docet satis magnum esse ipsius per se virtutis decorem: neque eam aut pulchritudine corporis cohonestari, aut deformitate foedari. Deinde exponit sermonem quendam a se cum Clarano habitum: quomodo, cum triplex quaedam bonorum distinctio sit, bona tamen omnia sint paria. Ad postremum, bona quaedam,*

quae vulgo minus optabilia videntur, sibi ait visum iri omnium maxime optabilia, si tale vllum in bonis discrimen esse posset.

2 Vt adiiciam senem:] *Hoc enim satis vel ex eo intelligi potest, quòd condiscipuli fuimus.*

3 Male collocauit:] *Ita dictum, vt Galbae ingenium male habitare.*

4 Quomodo possint paria bona esse,] *In aliis* tria bona esse. *Sed res ipsa clamat legendum esse* paria.

5 Ergo virtutes inter se pares sunt,] *Virtus rectum est. Rectum non recipit incrementum. Ergo ne virtus quidem. Si virtus incrementum non recipit, ne ea quidem quae a virtute manant. Est autem illud. & hoc igitur. Quo fit vt rectè facta omnia paria sint. Stoica sunt haec: vt & peccata omnia paria esse.*

6 In equuleo taceat,] *non indicet conscios: nihil eorum prodat, propter quae torquetur. Melius haud dubie, quàm, vt in aliis,* iaceat.

7 In perfectum itura.] *Liber Siciliensis,* per rectum itura. *quod melius puto.*

8 In quo bonum illud exiſtit.] *Idem liber,* consistit.

9 Cum alicuius in Senatu sententiam sequimur,] *Idem liber,* Cum alicuius Senatus sententiam sequitur. *melius videtur.*

Ad Epistolam LXVII.

VT a communibus] *Paucis quibusdam de senectutis suae imbecillitate praemissis explicat quaestionem, sint ne bona omnia optabilia: & ea etiam quae talia non videntur, talia tamen esse concludit.*

2 Quod me lectulo affixit.] *Sic apud Horatium:*

Aut alius casus lecto te affixit.

Vbi cum quidam contra omnium librorum fidẽ legere vellet, afflixit: *obiecto sibi a me hoc Senecae loco, respondere ausus est, Senecam apud se tanti non esse. Ego hominis stultitiam risu & silentio excepi.*

3 Distingue, mi Lucili, ista:] *Breuis & expedita mihi distinctio videtur ea quae traditur ab Aristotele, libro septimo politicorum: bona quaedam simpliciter optabilia esse, quaedam ἐξ ὑποθέσεως. Bonum & optabile simpliciter est, nullum facinorosum esse in ciuitate: sed si qui sint: hoc posito, bonum & optabile est, poenas ab eis exigi. Sic non aegrotare, simpliciter bonum & optabile est: sin aliter euenerit, morbum magno & forti animo ferre. Eadem ceterorum omnium ratio est.*

4 Vellem quae velles,] *De hoc loco tradidi quaedam iampridem capite octauo libri noni Variarum lectionum: quae alij postea, credo, vt sibi probari ostenderent, venditarunt pro suis.*

Ad Epistolam LXVIII.

CONSILIO tuo.] *Sectandum quidem otium, sed non ostentandum.*

2 Etiam si non praecepto, at exemplo] *Stoicorum enim principes, & si remp. sapienti capessendam esse dicebant, ipsi tamen ad eam nunquam accesserunt. Atque hoc nomine in primis eos reprehendit Plutarchus, quòd eorum cum vita pugnet oratio.*

3 Nec ad omnem] *Non enim ad eam quae ita deprauata est, vt neque sanari, neque corrigi queat.*

4 Nec semper,] *Dandum enim temporis aliquid etiam quieti & studiis.*

5 Nec sine vllo fine.] ὡς γὰρ ἀθλητικῆς, οὕτω καὶ πολιτικῆς περιόδου καταλύσεώς τις δεῖ. *Romae Senatora sexagesimo anno non cogebatur, a septuagesimo ne citabatur quidem. Et tum Plato, tum Aristoteles valde senibus mandanda sacerdotia dicunt, vt non satis iam idoneis ad aliorum munerum procurationem. qua de re celebratus est apud Graecos versiculus:*

Ἔργα νέων, βυλαὶ δ' ἀνδρῶν, εὐχαὶ δὲ γερόντων.

6 Praeterea] *Sapiens mundum ipsum sibi patriam esse ducit. Ergo ne tunc quidem cum in rerum caelestium contemplatione defixus est, a rep. sua recedit: sed tunc denique partem illius optimam & nobilissimam tractat.*

7 Recesserit.] *Liber vetus,* Secesserit.

8 Quàm humili loco sederit.] *Descendere videtur sapiens, cum sellã curulem conscendit. omissa enim rerum sublimium tractatione, se ad inferiora demittere cogitur. Hac de re extat pulcherrimum nobilissimi philosophi Themistij epigramma, quo, cum consul ab impio Iuliano creatus esset, cohortatur seipsum, vt relictis vanis illis honorum insignibus, conscendat denuo ad studium sapientiae. Descendisse enim se, cum in sellam & tribunal conscendisse visus est.*

Ἄντυγος αἰθερίης ὑπερήμενος, εἰς πόθον ἦλθες
Ἄντυγος ἀργυρέης. αἶσχος ἀπειρέσιον.
Ἦσθα κάτω κρείσσων. ἀνέβης δ' ἐς μέγα χείρων.
Δεῦρ' ἀνάβηθι κάτω. νῦν γὰρ ἄνω κατέβης.

Hoc tã pulchrũ epigrãma, qui tribuerũt Palladae, nimis honorifice de insulsi hominis ingenio iudicarũt.

9 Quasi causariae partes,] *Ita dictum, vt causarios milites dixit Liuius.*

Ad Epistolam LXX.

POST longum interuallum] *Effluere vitam nobis non sentientibus. Stultum esse, de vitae breuitate conqueri. Mortem expectandam quidem aequo animo: sed si res ita postulet, adsciscendam: & interdum eligendum mollissimum illius genus: interdum quodcunque se obtulerit, occupandum. Hoc postremum ex illa stulta Stoicorum sapientia est, qua putabant multa euenire posse, propter quae sapiens mortem sibi consciscere deberet. Vellem, Seneca aut ab illa insania abfuisset, aut saltem in ea commendanda parcior ac moderatior fuisset.*

2 Praenauigamus] *In quibusdã veteribus* Praeternauigamus. *quod mihi quidẽ magis arridet.*

3 Abscondimus.] *Nauticum verbum hoc quoque Virgilius:*

Protinus aerias Phaeacum abscondimus arces.

4 Emittit se.] *Stoicum loquendi genus ἐξάγειν ἑαυτόν. ὡς λέγεις ἐξαγωγή.*

5 Stultitia est] *Martialis:* Hic, rogo, non furor est, ne moriare, mori?

6 Scribonia] *Hãc historiã accurate explicat Tacitus libro secundo annaliũ ab excessu D. Augusti.*

Ad Epistolam LXXI.

SVBINDE me] *A certo indicio de fine bonorum nasci certam regulam indicandi in rebus singulis, quid petendum fugiendumve sit. Virtutes omnes, itemque omnes actiones quae cum virtute cõiunctae sunt, inter se pares esse, aeque laudabiles, aeque expetendas. Summi enim nullam esse accessionẽ: nec summum esse quod accessionem vllam recipiat.*

2 Non semper tenebit hunc ordinem.] *Plato in politico ait, caelum, solem, sidera, non semper eodẽ modo, sed interdũ in has, interdũ in contrarias partes moueri: atque adeo, vbi nunc occidit sol, inde olim ortũ esse, & vnde nunc oritur, ibi occidisse. Haec opinio & Hipparchi nobilis mathematici fuit.*

3 Omnes hos fertiles campos] *Hoc Aristoteleum est: vbi nunc est mare, aliquando continentem & fuisse & fore: ipsiusque terrae faciem ac situm in temporis diuturnitate mutari. Et certe multa talium mutationum vestigia extant.*

Ad Epistolam LXXVII.

S. V. B. Hodie nobis] *Ante male legebatur* Subito: *cuiusmodi vitio etiam duo loci in epistolis ad Atticum laborabant, iampridem correcti ab Iacobo Bonafide Tolosate: quamuis eam gloriolam alij sibi postea iniuste & inepte vindicarunt. His autem notis significabant id quod plaerunque in principio epistolarum ponebatur,* Si vales, bene est.

2 Tunc familiam periculum adire,] *Id est, seruos qui sub eodem tecto fuissent. Ex senatusconsulto Silaniano.*

3 Nestoris] *Qui vixit ad nonaginta annos: non, vt Latini putarunt, ad trecentos. γενεὰ interdum est annorum triginta.*

4 Statiliae] *Vide Plinium libri septimi capite* LXXXIIII.

Ad Epistolam LXXVIII.

VERMINATIO] *Ita vocant primum quasi morsum exorientis doloris.*

2 Nam, vt Posidonius ait,] *Ex hoc dicto Posidonij est, vt puto, quod ait Cicero quinto Tusculanarum, vnum diem bene & ex philosophiae praeceptis actum esse paene toti immortalitati anteponendum. Verius multo ante illos & magnificentius dixerat vates diuino spiritu afflatus:* Melior est dies vna in atriis tuis super millia.

Ad Epistolam LXXX.

AD sphaeromachian] *De hoc ludo Statius in praefatione quarti siluarum,* Sed & Sphaeromachias spectamus, & pilaris lusio admittitur. *Videat qui volet, Pollucem libro nono, aut potius Mercurialem.*

2 Non alleuatur velum.] *Velum dicit, quod cubiculorum foribus praetẽdi solet. Leuatur autem, cum omnibus patet aditus ad dominum. Inde est in libris iuris,* leuato velo, *quod ineptissimus quidam paroemiographus vt prouerbium accepit.*

3 Vni vadere,] *Certe libri veteres habent* vno. *sed ego neutrum satis intelligo.*

4 Suppurata] ὕπουλα.

5 En impero Argis.] *Atreus, vt opinor, in vetere tragoedia ita loquens inducebatur. Versum autem hunc emendaui ex vetere libro Siculo. nam in ceteris erat acephalus.*

6 Quinque modios accepit & quinq; denarios.] *Puto hoc seruorũ menstruũ demensum fuisse.*

7 In coenaculo] *Ibi enim habitabant pauperes. Sic iocans Plautinus Iupiter ita de se ait:*

In superiore qui habito coenaculo.

8 Equum empturus solui iubes stratum,] *Si quis equum empturus, eum instratum tantum inspiciat, nummos suos profundere, seque ipse in laqueos induere velle videatur. Diligenter enim inspiciẽdae sunt singulae partes, ne quid vitij lateat. Ideoque ita cecinit Horatius:*

Regibus

Regibus hic mos est, vbi equos mercantur, apertos
Inspiciunt.

At quidam, qui quasi artem factitabas recta deprauandi, opertos, *non* apertos, *legere voluit, vt ostēderet nihil esse tam stultum, quod ipse, si semel adamasset, non pro recto ac vero defendere auderet.*

Ad Epistolam LXXXI.

DECOCTOR.] *Ita vnus vetus liber, melius opinor, quàm, vt alÿ,* coactor.

2 Vtique dum prope est ab accepto,] *Ita emendaui, auctoribus duobus vetustis libris.*

3 Ignorat autem quantum debeat.] *Ita liber Antonÿ Constantini. at Siculus,* Ignorat autem quantum pro eo debeatur.

Ad Epistolam LXXXII.

MALE mihi esse malo quàm molliter.] *Liber Siculus* male tibi, *quod verius puto.*

2 Hoc dicunt, malus est.] *Ita veteres libri, quibus vsus sum: non, vt alÿ,* mollis.

3 Vtraque res letalis est,] *alÿ* detestabilis. *Secutus sum librum Constantini.*

4 Hic est enim Brutus,] *Ad D. Brutum haec pertinere arbitror, qui, vt ait Velleius, fugiens in hospitis cuiusdam nobilis viri, nomine Capeni, domo, ab iis quos miseras Antonius, iugulatus est. ad M. quidem Brutum pertinere nullo modo possunt.*

5 Multorum ingeniis] *Plato quoque libro tertio de rep. grauiter reprehendit poetas, quòd talibus commentis mortem, satis suapte sponte terribilem, terribiliorem etiam effecerint.*

6 Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.] *Addiderant quidam hemistichium,* Quā tua te fortuna sinet. *Sed hoc neque apud Virgilium, neque in veteribus Senecae libris legitur, & plane ineptum est.*

Ad Epistolam LXXXIII.

PROGYMNASIOS] *Liber vetus meus* Progymnastos. *Vtraque vox mihi aeque incognita. sed legendum* Progymnastas. *Ita enim a Platone & Xenophonte vocari syngymnastas, id est eos qui vna cum aliquo exercentur, auctor est Pollux.*

2 Hieran fecimus.] *Ad mediam in stadio lineam, quae hiera dicebatur, ambo aeque fessi peruenimus: & ita neuter vicit.*

3 Psychrolutes,] *Ita vocantur, qui frigida corpus abluunt.*

4 Kalendis Ianuariis] *Quo tempore frigus maxime viget. Sed Kalendis Ianuary, quod reliquo anno facere meditabantur, id quasi ominis causa delibabant. Ouidius:*

Quisque suas artes ob idem delibat agendo,
Nec plus quàm solitum testificatur opus.

5 Ad Tiberim] *Tanquam paulo minus frigidum, quàm est aqua Virg.*

6 Interiungo.] *Ita veteres libri, non, vt vulgati,* interuigilo. *Interiungere autem dicuntur, qui sub meridiem equos soluunt, vt interquiescant. Horatius pro eodem dicit iter diuidere:*

Hoc iter ignaui diuisimus, altius ac nos
Praecinctis vnum.

& ab eadem metaphora Varro dië diuidere. Seneca libro primo de tranquillitate vitae: Quidā medio die interiunxerūt, & in pomeridianas horas aliquid leuioris operae distulerunt. *Martialis:*

Interiungere quaeris ad Camoenas.

7 Tillio Cimbro] *Ita plane legendum, non, vt in aliis,* Illi Cimbro.

8 Scordalus.] *Hic locus manifesto confutat allatam a Turnebo huius vocis expositionem.*

9 L. Piso,] *Suetonius in Tiberio:* Postea princeps in ipsa publicorum morum correctione cum Pomponio Flacco & L. Pisone noctem continuumque biduum epulando potādoque consumpsit: quorum alteri Syriam prouinciam, alteri praefecturam vrbis confestim detulit. *De Thracia ab eo domita & diligētia in custodienda vrbe Velleius libro secundo:* Atrox in Thracia bellū ortū, omnibus eius gentis nationibus in arma accēsis, L. Pisonis, quē hodieque diligentissimū atque eundē lenissimum securitatis vrbanae custodē habemus, virtus cōpressit.

10 Certe debuit.] *Male in aliis* eruit.

Ad Epistolam LXXXV.

PEPERCERAM] *Multa colligit, quibus Stoici probabant, virtutem solam satis esse ad bene beateque viuendum: & aliter sentientium opiniones breuiter refutat. Multa de hac Stoicorum sententia apud Ciceronem in libris de finibus & quinto Tusculanarum leguntur. Sed extat & summi peripatetici Alexandri Aphrodisiensis eruditissimus commentariolus, in quo accurate aduersus hanc gloriosam & magnificam Stoicorum sententiam disputatur.*

2 Gustum dare,] *Loquendi genus eorum proprium, qui quae esui ac bibitui sunt, venalia habent. ea enim licitatoribus gustanda dare consueuerunt. Euripides:* γεῦμα τὴν ὠνὴν καλεῖ.

3 Quicquid est interrogationum] *Id est syllogismorum. Qui enim ἐπιχειρηματικῶς disputabant, vt mathematici, quasi pro suo iure sumebant ea ex quibus efficerent quod volebant: nihil laborantes,*

concederentur sibi ab aduersario, an minus. At qui dialectice, interrogabant, & iis vtebantur quae sibi concessa essent: vt perpetuo facit apud Platonem Socrates. Hodie cum verus dialectices vsus ab iis maxime ignoratur, qui eam docent, consuetudo illa sublata est. Sed ex eo interrogationes vocabant syllogismos dialecticos. Itaque Lucianus salse, vt solet, irridens philosophastrum quendam, qui aggressus historiam scribere, omnia syllogismis intexuerat, ita scribit: ἐν ἀρχῇ μὲν γὰρ εὐθὺς ἐν τῇ πρώτῃ προσόδῳ συνηρώτησε τοὺς ἀναγινώσκοντας. *& paulo post:* εἶτα μετὰ μικρὸν αὖθις συλλογισμός, εἶτα αὖθις· καὶ ὅλως ἐν ἅπαντι σχήματι συνηρώτητο αὐτῷ τὸ προοίμιον.

4 Qui prudens est, & temperans est.] *Huiusmodi sunt, quae breuia & consectaria Stoicorum Cicero vocat.*

5 Huic collectioni] *Ad verbum expressit nomen* συλλογισμοῦ.

6 Ladas,] *Ineptissime alij* laudans. *Ladae pernicitas celebratior est, quàm vt de ea plura huc congeri debeant.*

7 Apyrina] *Vide Plinium capite* VI. *libri* XXIII. *Sic & apoda dicuntur, non quòd nullos omnino habeant pedes, sed quod insigniter paruos.*

8 Sed omnis plus potest quamuis mediocrium turba,] *Otiosae voces,* sed omnis. *Itaque eas deleui. In vetere libro erat,* sed omnia. *Error librarij fuit, praepropere respicientis ad id quod paulo post sequitur,* leuiora quidem, sed omnia. *Sic erratum est apud Ciceronem libro quinto de finibus, in extremo: vbi vulgo ita legitur:* Quid ergo? aliter homines, aliter philosophos loqui putas oportere? quanti quidque sit, aliter doctos & indoctos? Sed cum constiterit inter doctos, quanti res quaeque sit, *& cetera. Omnino enim verba illa,* quanti quidque sit, *per errorem tralata sunt in locum superiorem ex iis qua paulo post sequuntur,* quanti res quaeque sit. *Itaque delenda sunt.*

9 Plus potest quamuis mediocrium turba,] *Conuenit cum illo Homerico:*

Συμφερτὴ δ' ἀρετὴ πέλει ἀνδρῶν καὶ μάλα λυγρῶν.

10 AEgra corpora minima interdum mergit accessio.] *Non absimile est, quod dixit Sophocles de corporibus senum:*

Σμικρὰ παλαιὰ σώματ' εὐνάζει ῥοπή.

11 Retexit.] *texturam illius dissoluit.*

12 Itaque in aequo est longa & breuis.] *Tam enim felix est, qui punctum temporis felix est, quã qui saeculum.* τὸ γὰρ ἀγαθὸν οὐ χρόνος αὔξει προσγινόμενος, ἀλλὰ κἂν ἀκαρές τις ὥρας γένηται φρόνιμος, οὐδενὶ πρὸς εὐδαιμονίαν ἀπολειφθήσεται τοῦ τὸν αἰῶνα χρωμένου τῇ ἀρετῇ, καὶ μακαρίως ἐν αὐτῇ καταβιοῦντος.

13 Neptune] *Verba sunt gubernatoris Rhodij, fatentis, nauim quidem, cui ipse praeerat, a Neptuno posse mergi: sed se tamen vtique praestiturum, ne id culpa sua contigisse videatur.*

Ad Epistolam LXXXVI.

AVT Romae libertas.] *Videbatur enim Romae non esse* ἰσονομίαν, *si Scipio, propter rerum gestarum magnitudinem, ne adduci quidem posset ad causam dicendam, neque accusantibus tribunis respondere dignaretur, sed ab eis impune populum ad grates diis agendas auocaret, vt fecerat.*

2 Viridibus] *Ita vocabant prata & arboreta.*

3 Ad balnea libertinorum] *Salse & aculeate dictum. Ad tantas enim opes libertini sub Claudio peruenerant, vt prae eis ipsi principes ciuitatis egeni viderentur.*

4 Pisatione] *Et* pinso *&* piso *pro eodem dicebant: vt* mẽsam *&* mesam, mensem *&* mesem, Hortensium *&* Hortesium.

Ad Epistolam LXXXVII.

NON magis hora,] *Quid haec verba sibi velint, plane non assequor. In vno librorum meorum est,* Sine magis hira. *Cogitabam si forte legendum esset,* sine magiro. *vt prandium dicat coqui opera nihil eguisse: coquum autem ipsum Graeco nomine appellauerit. Nam & fere Graeci erant.*

2 Annum nouum] *Kalendis enim Ianuarij, vt alia, sic caricas inter se missitabant, easque ominis causa esitabant. Ouidius primo fastorum:*

Quid vult palma sibi, rugosaque carica, dixi,
 Et data sub niueo condita mella cado?
Omen, ait, causa est: vt res sapor ille sequatur,
 Et peragat coeptum dulcis vt annus iter.

3 Vtrum se ad gladium] *ad pugnandũ inter gladiatores, an inter bestiarios. Nam eo corruptelae ventum erat, vt multi tunc etiam honesto loco nati, adesis patrimoniis, operas ad talia suas locarent.*

4 Defrictũ.] *Libri veteres partim* defrictũ *habẽt, partim* destrictũ. *Neutrã scripturã dãnare ausim.*

5 Cui contigit habere rem non quamlibet,] *Id est, rem minime vulgarem,* πρᾶγμά τι οὐ τῶν τυχόντων. Hunc non quemlibet: *Id est, scito eum quoque ipsum minime vulgarẽ esse,* οὐ τῶν τυχόντων.

Ad

Ad Epistolam LXXXVIII.

De 1 liberalibus studiis] *Liberalia studia vocabantur Romae, quae apud Graecos ἐγκύκλια μαθήματα, id est, certa quaedam, quae omnes fere ingenui & honesto loco nati, non illi quidem accurate & exquisite perdiscere, sed delibare tamen modice ac degustare consueuerant. Nam & grammaticis operam dabant, a quibus rectam orationis structuram & syllabarum modum cognoscerent, historicorumque ac poetarum intelligentia imbuerentur: & geometrian, musicen, arithmeticenque quidam & picturam discebant, & praeterea luctandi, equitãdi, aliarumque corporis exercitationum magistros habebant. De illis igitur studiis vniuerse pronuntiat Seneca, nihil esse in eis suapte vi expetendum: eatenus tantum vtilia esse, quatenus iuuenes nondum grauiorum ac solidiorum capaces praeparant, & instruunt ad studium sapientiae: quod vere ac merito vnum ex omnibus liberale vocari potest. cum eo in vno ea vis sit, vt homines a taeterrima vitiorum ac cupiditatum seruitute eximat.*

2 Quod ad aes exit.] *Fateor, me ex his verbis nullam idoneam & huic loco congruentem sententiam elicere posse. Sed & pro eo quod statim sequitur* meritoria, *libentius legerim* militaria.

3 Nisi forte tibi Homerum] *Plaerique veterum videri volebant omnem philosophiam, omnesque philosophorum disciplinas ab Homero, tanquam a fonte fluxisse. At Seneca hoc ipsum argumento esse ait, eum philosophum non fuisse, quòd apud eum diuersarum maximeque inter se dissidentium opinionum semina reperiuntur.*

4 Virtutem solam] *Nam quòd Vlixes patriam illam suam tanquam nidulum, in asperrimis saxis positam tanti facit, vt ab eius studio ac cupiditate ne immortalitate quidem a Circe & a Calypsone proposita auocari queat, id ita interpretantur: vt Ithacae nomine virtutem accipiant, prae qua vna sapienti viro alia omnia contemnenda sint.*

5 Modo Epicureum,] *Vt cum Vlixem ita loquentem facit:*

Οὐ γὰρ ἔγωγέ τι φημὶ τέλος χαριέστερον εἶναι,
Ἢ ὅταν εὐφροσύνη μὲν ἔχῃ κατὰ δῆμον ἅπαντα.
Δαιτυμόνες δ' ἀνὰ δώματ' ἀκουάζωνται ἀοιδοῦ
Ἥμενοι ἑξείης, παρὰ δὲ πλήθωσι τράπεζαι
Σίτου καὶ κρειῶν, μέθυ δ' ἐκ κρητῆρος ἀφύσσων
Οἰνοχόος φορέῃσι, καὶ ἐγχείῃ δεπάεσσι.
Τοῦτό τί μοι κάλλιστον ἐνὶ φρεσὶν εἴδεται εἶναι.

6 Modo Peripateticum,] *Vt cum saepe opes & prosperos successus in bonis numerat, deosque ipsos vocat δοτῆρας ἐάων.*

7 Vtrum maior aetate fuerit Homerus an Hesiodus;] *Alij enim aequales fuisse, alij hunc, illum alij antiquiorem esse dicunt. Vide Agellium libri* III. *capite* XI. *& libri* XVII. *capite* XXI.

8 An minor Hecuba fuerit quàm Helena:] *Natu grandiorem fuisse Helenã puto. Sed vt quae Iouis filia esset, melius ferebat aetatem.*

9 Patrocli & Achillis] *Vulgo putant iuniorem fuisse Patroclum. Sed vide quae super hac re collegit Politianus capite* XLV. *Miscellaneorum.*

10 Vtrum inter Italiam] *Certum est tamdiu errare non potuisse in hoc nobis cognito mari. Dicebant igitur quidam eum errasse in mari Atlantico. Sed quid opus est, ea quae ficta & fabulosa esse constat, tam anxie ac tam scrupulose quaerere? Ad hanc quaestionem respexit Agellius capite* VI. *libri* XIIII. *cum ait disputatum a familiari quodam suo, errauerit ne Vlixes* ἐν τῇ ἔσω θαλάσσῃ κατὰ Ἀρίσταρχον, *an* ἐν τῇ ἔξω κατὰ Κράτητα.

11 Vlixis mala] *Simile Diogenis dictum refertur grammaticos reprehendentis, quòd Vlixis mala solicite anquirerent, negligerent sua.*

12 An Penelopa impudica fuerit,] *Sunt enim qui dicant, eam omnibus procis fecisse copiam sui, atque ex illo promiscuo coitu natum Pana. At alij hunc ipsum capripedem Deum natum ex Penelopa & Mercurio in hircum conuerso. Egregiam mulieris pudicitiam, quae cum se a virorum consortio puram integramque seruaret, ab hirci, belli videlicet & suaue olentis animalis concubitu non abhorruerit.*

13 Ad musicum transeo.] *Diogenis hoc est:* τοὺς μουσικοὺς τὰς μὲν ἐν τῇ λύρᾳ χορδὰς ἁρμόττεσθαι, ἀνάρμοστα δὲ ἔχειν τὰ τῆς ψυχῆς ἤθη.

14 Oleo ac luto] *Ceromate & haphe, vt in superioribus dixit.*

15 Ieiuni vomitores] *Vide epistolam* CXXII.

16 Pegmata per se surgentia] *De pegmatis vide Philandrum in nonum Vitruuij, & qui ab eo citantur. De coenationibus autem aliisque aedificiis versatilibus Suetonium in Nerone & hunc nostrũ epistola* XC.

17 Artes quas ἐλευθέρας] *Pro* ἐλευθέρας *legendum est* ἐγκυκλίους. *atque ita libri veteres habent.*

18 Nescio an certior memoria sit,] *Litteras memoriae officere potius, quàm prodesse, multi ex veteribus iudicabant. earum enim fiducia minus plaerunque diligentes in iis quae discimus in memoria infigendis sumus. Itaque Thamus AEgyptiorum rex apud Platonem in Phaedro, cum Theuth inuentor litterarum vocasset eas memoriae medicamentum, ita eum refellit:* καὶ νῦν σὺ πατὴρ ὢν γραμμάτων, δι' εὔνοιαν τοὐναντίον εἶπες, ἢ δύναται. τοῦτο γὰρ τῶν μαθόντων λήθην μὲν ἐν ψυχαῖς παρέξει, μνήμης ἀμελετησίᾳ, ἅτε διὰ πίστιν γραφῆς ἔξωθεν ὑπ' ἀλλοτρίων τύπων, οὐκ ἔνδοθεν αὐτοὺς ἐφ' αὑτῶν ἀπομιμνησκομένους. οὔκουν μνήμης, ἀλλ' ὑπομνήσεως φάρμακον εὗρες. *Simile quiddam & Caesar libro* VI. *de bello Gallico.*

19 Duas litteras in primo versu] *Nam* M *&* H *quae sunt primae litterae Iliados, significant* XLVIII.

20 Eretrici,] *Hi ita vocati sunt a patria Menedemi conditoris sui. Inepte antea legebatur* Cretici. *& ineptius ex eo fecerat Pincianus* Critici.

Ad Epistolam LXXXIX.

DE iudicio & regula] *Iusseram scribi,* De iudicio, & regulam. *Sed mihi obtemperatum nō est.* περὶ κριτηρίου ἢ κανόνα. Κριτήριον *non satis apte vertitur iudicium: hoc enim perinde est, ac si quis* αἰσθητήριον *vocaret sensum. Sed in Latinae linguae inopia talia multa deuoranda sunt.*

2 Hanc ΔΙΑΛΕΚΤΙΚΗΝ, illam ΡΗΤΟΡΙΚΗΝ,] *Huius scripturae veritatem & libri veteres, & sententia ipsa confirmat. Alij inepte,* Hāc ΑΝΑΛΥΤΙΚΗΝ, illam ΤΟΠΙΚΗΝ.

Ad Epistolam XC.

ILLA, inquit, sparsos & casulis tectos,] *E Posidonio nimirum hauserat Cicero, cum illa de philosophia scriberet:* Tu eos inter se primo domiciliis, deinde coniugiis, tum litterarum & vocū communione iunxisti.

2 Vt & Diogenem mireris & Talum?] *Alij* & Daedalum. *Et certe Plinius serrae inuentorem Daedalum facit. Eius verba sunt e capite* LVI. *libri* VII. Fabricam materiariam Daedalus, & in ea serram, asciam, perpendiculum, terebram, glutinum, ichthyocollam. *At Ouidius Perdicem Daedali sororis filium. Ita enim de eo scribit octauo metamorphoseon:*

Ille etiam medio spinas in pisce notatas
Traxit in exemplum: ferroque incidit acuto
Perpetuos dentes: & serrae repperit vsum
Primus.

At Diodorus Siculus Talum, his verbis ex quarto bibliothecae: τῆς ἀδελφῆς τοῦ Δαιδάλου γενόμενος υἱὸς Τάλως ἐπαιδεύετο παρὰ Δαιδάλῳ, παῖς ὢν τὴν ἡλικίαν, εὐφυέστερος δ' ὢν τοῦ διδασκάλου, τόν τε κεραμευτικὸν τροχὸν εὗρε, καὶ σιαγόνι περιτυχὼν ὄφεως, καὶ ταύτῃ ξυλίφιον μικρὸν διαπρίσας, ἐμιμήσατο τὴν τραχύτητα τῶν ὀδόντων. διόπερ κατασκευασάμενος ἐκ σιδήρου πρίονα, καὶ διὰ τούτου πρίζων τὴν ἐν τοῖς ἔργοις ξυλείαν, ἔδοξεν εὑρηκέναι μέγα πρὸς τὴν τεκτονικήν. *Hanc igitur scripturam in vetere etiam libro meo repertam sequi visum est.*

3 Anacharsis,] *At Diodorus, vt vidimus, hoc quoque inuentum tribuit Talo. Alij, vt ait Plinius, Hyperbio Corinthio.*

Ad Epistolam XCI.

TIMAGENES] *Hunc locum, ita vt edidi, emendandum esse, primus me per litteras monuit, vir clarissimus, optimus, eruditissimus, Nicolaus Faber Parisiensis, consiliarius regius.*

2 Siremps lex esto.] *Vetus verbum in legibus senatique consultis vsitatum. Est autem idem ac si diceret: similis lex omnibus posita esto. Hanc emendationem debemus summo I.C. Iacobo Cuiacio.*

Ad Epistolam XCII.

PARTES ministras,] *Id est, quae famulentur ancillenturque rationi. Inepte autem alij* partes mistas. *Quod nos reposuimus, veteres libros adstipulatores habet.*

2 Propter ipsum principale.] *Ita vocat* τὸ ἡγεμονικόν.

3 Quam hesychian vocant Graeci,] *Imperite alij, contra veterum librorum fidem, scripserant* ΠΑΥΣΩΛΗΝ.

4 Irrationalis pars animi duas habet partes:] τὸ θυμοειδὲς, καὶ τὸ ἐπιθυμητικόν.

5 Eneruem & abiectam.] *Ita scribi iussi, librum Siculum secutus, cum in aliis male, vt opinor,* inermem *scriptum esset.*

6 Huic malitiae vis] *Videntur haec non satis cohaerere cum superioribus.*

7 Ille agit carens malitia,] *Liber Siculus,* Illum agit haerens malitia. *quod fortasse verius sit.*

8 Quā secundas ad editum infantē.] *Secundas dicit* τὰς ὑστεραίας, *quae editū infantē sequūtur.*

9 Alte cinctum] *militarem, patientem laboris. Horatius:*

Hoc

Hoc iter ignaui diuisimus, altius ac nos
Praecinctis vnum. Discinxisset *autem, est* eneruasset, effeminasset.

Ad Epistolam XCIIII.

EAM partem philosophiae] *Duorum generum sunt ea quae in philosophia traduntur: dogmata seu decreta, & praecepta. Dogmata sunt ratae quaedam sententiae, quibus de fine bonorum, de sapientia, de statu sapientis, aliisque eiusmodi non vere tantum, sed & firme ac constanter iudicamus. Eiusmodi sunt, beatam vitam in sola virtute consistere: diuitias, firmitatem valetudinis, bonam existimationem & talia praeponenda quidem esse contrariis, si nobis detur electio: neque tamen bona esse: cum hoc nomen in virtutem tantum & ea quae a virtute manant, conueniat: neque qui eis omnibus careat, omnibus prematur aduersis, dum virtute praeditus sit, idcirco minus beatum fore. Sapientem semper quietum esse, semper placidum, semper similem sui, neque vnquam eorum quae extra se posita sunt, aut adeptione laetari, aut amißione torqueri. Haec igitur & huiusmodi sunt dogmata: quae non ad hanc aut illam vitae partem diriguntur, sed ad omnem vitam pertinent, & vniuerse hominis animum informant. At praecepta sunt, quae ad singulas vitae partes pertinent: vt cum praecipimus, quomodo vir cum vxore, pater cum liberis, ciuis cum ciuibus gerere se debeat. Haec quidam sola recipiebant: generales illas disputationes, vt inutiles & superuacaneas, contemnebant: Aristo contra, decreta amplexabatur, magnique faciebat: praecepta minime necessaria esse dicebat. Nam neque profutura iis, qui non ante decretis confirmati essent, eaque penitus perbibissent: & illa qui cognoßent ipsos sibi praecipere quid faciendum sit, neque monitore ad singula indigere. Seneca rationes quibus Aristo nitebatur exponit, easque confutat. Addit praeterea, in ea quae proxime sequitur epistola, quae huius quasi quaedam appendix est, non praecepta modo vtilißima esse, sed etiam descriptiones quasdam tum vitiosorum, tum virtute praeditorum hominum, quibus veteres philosophi ad res tanquam oculis subiiciendas vtebantur: quales sunt characteres, qui tribuuntur Theophrasto, neque sane illius philosophi elegantia indigni videntur. Sciendum autem est, ex accurata huius epistolae lectione petendam esse intelligentiam loci cuiusdam obscurißimi e primo libro Ciceronis de officiis: cuius hoc principium est,* Omnis de officio duplex est quaestio. *de cuius vera sententia quotquot vsque in hunc diem conatum suum ad libros illos illustrandos contulerunt, ne per somnium quidem cogitarunt.*

2 Aut vacantem quidem,] *Id est, nullis prauis opinionibus occupatam. Male in aliis libris legebatur* vagantem.

3 Inter insaniam publicam,] *Qua omnes, praeter sapientem, insani sunt, neque tamen elleborum potant, neque curatorem accipiunt. De hac insania intelligendus Horatius, cum ita scribit:*

Insanire putas sollemnia me: neque rides,
Nec medici credis, nec curatoris egere.

4 Ad videndum,] *Male in aliis,* ad viuendum. *de oculis enim sermo est.*

5 Non probo, quòd Platonis legibus adiecta principia sint.] *Vt Senecae a Posidanio licuit, sic mihi hoc loco a Seneca dissentire liceat. Mihi quidem prooemia illa legum Platonicarum plane admirabilia videntur. Prius enim amore honestatis, quod in illis prooemiis fit: tum, si id parum proficiat, propositis poenis, quod praestant subiectae prooemiis sanctiones, animi ciuium ab improbitate & a turpitudine sunt auocandi. Sed suum cuique iudicium.*

Ad Epistolam XCV.

PETIS a me,] *Haec, vt dixi, appendix quaedam est superioris epistolae. Docet autem, vt neque dogmata, ita neque praecepta per se ad sapientiam sufficere: vtilia tamen esse non praecepta modo, sed & eas quas dixi, descriptiones, siue characteras, quos ipse alio nomine εἰκονισμοὺς vocat.*

2 Si negauero.] *Si noluero repraesentare quod petis, sed in diem suam illud distulero.*

3 Eo magis promitto,] *Quia negare etiam liberum est.*

4 Aliud optamus:] *a diis petimus,* εὐχόμεθα.

5 Aut non exaudiunt, aut miserentur.] *Si enim annuerēt, mala nobis saepe maxima, & ea quae minime vellemus, impingerent.*

6 Etiam si recte faciunt, nesciūt facere se recte.] *Neque enim causam tenent, cur quidque fieri debeat. Atque hoc quidem recte & vere a Stoicis dicebatur: illud absurde, quòd dicebant, ex miserrimo beatū posse fieri aliquē, qui tamē nullū prorsus sensum haberet tantae illius mutationis suae. Plutarchus* περὶ κοινῶν ἐννοιῶν. τῆς ἀρετῆς καὶ τῆς εὐδαιμονίας παραγινομένης πολλάκις οὐδὲ αἰσθάνεσθαι τὸν κτησάμενον οἴονται, διαλεληθέναι δὲ ἑαυτὸν, ὅτι μικρῷ πρόσθεν ἀθλιώτατος ὢν καὶ ἀφρονέστατος, νῦν ὁμοῦ φρόνιμος καὶ μακάριος γέγονεν.

7 Vis scire quàm dissimilis] *Locus hic erudite ab Aristotele tractatur libro secundo ethicorum.*

8 Qui mera praecepta] *Id est, nihil praeter praecepta. Inepte alij,* Qui in re praecepta.

9 Feminis nec capillos defluere nec pedes laborare.] *Hippocrates libro sexto definitionum, ait eunuchos neque recaluastros fieri, neque podagra laborare: quod eis vsuuenire Galenus ait, quia feminarum similes sunt, quae vtroque incommodo carent. Subijcit autem Hippocrates ipse, mulieres immunes esse a podagra, nisi quas purgationes illae menstruae defecerint. Sed addit Galenus, id verum fuisse temporibus Hippocratis, cum vtrique temperatius moderatiusque viuebant. At suo tempore, propter intemperantiam victus & eunuchos & feminas saepe podagra laborare. Quod & ante Galenum, vt videmus, prodiderat Seneca.*

10 Vinum omne vomitu remetiuntur:] *Sic Martialis*: Data vina remensus. *Vbi enim se virorum more in palaestra exercuerant, bibebant ante coenam quod statim vomerent. Martialis*:

Nec coenat prius aut recumbit ante,
Quàm septem vomuit meri deunces. *Iuuenalis*:
tandem illa venit rubicundula, totum
OEnophorum sitiens, plena quod tenditur vrna
Admotum pedibus: de quo sextarius alter
Ducitur ante cibum, rabidam facturus orexin.
Dum redit, & loto terram ferit intestino,
Marmoribus riui properant, aut lata Falerno
Peluis olet. nam sic tamquam alta in dolia longus
Deciderit serpens, bibit, & vomit. ergo maritus
Nauseat, atque oculis bilem substringit opertis.

Sunt autem haec propomata, quae Plutarchus quoque inter praecipuas causas numerat, ex quibus noui & veteribus incogniti morbi extiterunt. Vide eum problemate nono libri octaui συμποσιακῶν.

11 Vino fulcire venas cadentes:] *Ouidius*:

Vt solet infuso vena redire mero.

12 Non furant.] *Ita legendum, non, vt alij*, fuerant.

13 Sociorum garum.] *Ita emendandum putaui: cum veteres quoque libri haberent*, Sosiorum. *De sociorum garo vide Plinium capite* VIII. *libri* XXXI.

14 Nobilem patinam,] *Patinam AEsopi dicit: de qua vide Plinium capite* LI. *libri* X.

15 Veneriae spondylique,] *Vide Rondeletium libro* II. *de testaceis, capite* XXXIIII.

16 ΠΕΡΙ ΚΑΘΗΚΟΝΤΟΣ] *Hunc librum Cicero vocat de virtute, Priscianus de officio.*

17 Cum esurienti panem suum diuidat?] *Quantulum abest ab eo quod in diuinis litteris legitur?* Frange esurienti panem tuum.

18 AEtiologian] *Stulte aly*, Etymologian.

19 Tuberonis ligneos lectulos] *Vide Ciceronem pro Muraena.*

Ad Epistolam XCVII.

ERRAS,] *Multa vitia, quae nata saeculo nostro videntur, priscis temporibus eadem fuisse. Homines facilius vitia, quàm recte facta imitari. Sceleratis nunquam contingere securitatem. quam sententiam & alibi repetit, & epistola* CV. *Vide autem de eâ Ciceronem primo & secundo de finibus.*

2 Quae obiicit suis quisque temporibus.] *Nam etiam Hesiodus quem illius de quattuor aetatibus figmenti antiquissimum auctorem habemus, ferrea se aetate natum esse conqueritur*:

Μηκέτ' ἔπειτ' ὤφελον ἐγὼ πέμπτοισι μετεῖναι
Ἀνδράσιν, ἀλλ' ἢ πρόσθε θανεῖν, ἢ ἔπειτα γενέσθαι·
Νῦν γὰρ δὴ γένος ἐστὶ σιδήρεον.

3 Verba Ciceronis,] *E primo libro epistolarum ad Atticum.*

4 Conciliaturas] *Honesto nomine vocauit lenocinia. Conciliandi enim verbum proprie in matrimonio dicitur. Ouidius*:

Non me nupsisti conciliante seni.

Ad Epistolam XCVIII.

MORTALE est omne mortalium bonum.] *Ab Euripide hoc Metrodorus sumpserat.* Θνητοῖς δὲ θνητὸς ὄλβος.

2 Honores repulit pater Sextius,] *Hic cum honores repudiasset, seque ad philosophiae studium contulisset, sub principium tantam e suo illo consilio molestiam sensit, vt parum afuerit, quin mortem sibi ipse consisceret. Plutarchus*: καθάπερ φασὶ Σέξτιον τὸν Ῥωμαῖον ἀφεικότα τὰς ἐν τῇ πόλει τιμὰς καὶ ἀρχὰς διὰ φιλοσοφίαν, ἐν δὲ τῷ φιλοσοφεῖν αὖ πάλιν δυσπαθοῦντα καὶ χρώμενον τῷ λόγῳ χαλεπῶς, τὸ πρῶτον ὀλίγου δεῆσαι καταβαλεῖν ἑαυτὸν ἔκ τινος ὕψους.

3 Quibus senex egregius eripitur.] *Cum huius senis nullam in superioribus mentionem fecerit, facile adducor, vt putem, multa huius epistolae principio desiderari.*

Ad

Ad Epistolam XCIX.

CLARIVS, cum audiuntur, gemunt.] *Vt Gelliam facere ait Martialis:*

Amissum non flet, cum sola est, Gellia patrem:
Si quis adest, iussae prosiliunt lacrimae. *Verum autem est, quod subiicitur:*
Ille dolet vere, qui sine teste dolet.

2 Esse aliquam cognatam tristitiae voluptatem,] *Ouidius:*

est quaedam flere voluptas.
Expletur lacrimis egeriturque dolor.

3 Ipsa Metrodori verba subscripsi.] *Desiderari hoc loco Graeca verba Metrodori, etiam lacuna, quae in vetere libro est, indicat.*

Ad Epistolam C.

PAVPERIS cella,] *Multos alios locos in hac epistola restitui: in hoc labor omnis meus irritus fuit.*

Ad Epistolam CI.

PLVRIMAM moram] *Inepte in aliis* plurimum amorem. *Quod autem hic ait Seneca, difficillimam esse luctationem iis qui ex paupertate conantur emergere: vbi autem ex ea erepserunt, faciliores eis & expeditiores esse progressus: idem olim nobilem quendam nauclerum Lampin nomine, dixisse tradunt. Interrogatum enim, quomodo tantas opes sibi comparasset, respondisse, paruas quidem magno, magnas autem paruo labore. Plutarchus* ἐν τῷ εἰ γέροντι πολιτευτέον. *Proculus in Hesiodum.*

2 Oram casus incidit.] *Oram vocat funem nauticum. Male autem alij,* horam.

Ad Epistolam CIIII.

CVM Catonibus viue, cum Laelio, cum Tuberone:] *Sumptum est hoc praeceptum ex eo quod Zenoni quaerenti quomodo optime victurus esset, responsum oraculo dicitur:* εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς: *quo ille accepto, totum se ad legendos veterum libros contulit.*

Ad Epistolam CVI.

TARDIVS rescribo] *Stoicorum multae graues sententiae erant: multae etiam insigniter fatuae. Huius secundi generis est ea quae hic a Seneca molli, vt aiunt, brachio tractatur: Bonum omne esse corpus. Id ita se probare putabant. Quicquid agit, tangendo agit. Tangere autem, aut tangi, nisi corpus, non potest. Quicquid igitur agit, corpus est. Bonum autem & in corpus & in animum agit. Bonum igitur quicquid est, corpus est. Nam & animus ipse quodam corporis genere continetur. Ab hoc principio profecti, vt, vbi falsi aliquid pro vero positum est, necessario multa consimilia consequũtur, eo progrediebantur, vt & virtutes & vitia, & omnes animi motus non corpora modo, sed & animalia esse dicerent. De qua stultitiae plena opinione plura dicentur epistola* CXIII.

Ad Epistolam CVIII.

IN Tiberij Caesaris principatum] *Vel vnus hic locus manifesto conuincit, non esse eundem Senecam qui epistolas scripsit, & qui declamationes. Nam hic adolescens erat Tiberio imperante: ille alter narrat audiri a se potuisse Ciceronem. Sed declamatorem illum huius, qui nunc in manibus est, patrem fuisse, & lippis iam, vt aiunt, & tonsoribus notum est.*

2 Prouocationem ad populum etiam a regibus fuisse.] *Hac de re ita M. Fabius apud Liuiũ libro octauo:* Videro, cessurus ne prouocationi sis, cui rex Romanus Tullus Hostilius cessit.

3 Reapse] *Totus hic locus mirandum in modum in aliis libris deprauatus legebatur. Sed quid ego me in talibus quae innumerabilia sunt, venditem? Emendatio ad legentium vtilitatem pertinet: putida eorum quae emendata sunt enumeratio ad scribentium ostentationem. Mihi autem alienae vtilitati seruire consiliũ est: ostentationem illis relinquo, qui cum vnam aut alteram litterulam corrigũt, praedicant* εὐστοχίας *suam, Musarum fidem implorant, seque tam perspicaces fuisse mirantur.*

4 Hanc quam nunc in circo metam] *Cum in vno libro vetere ita scriptum reperissem, notaram illam varietatem ad marginem libri mei, non tamen vt eam probarem. At postea incuria quadã (fatendum enim est) mea factum est, vt expuncta vetere, noua haec in illius se locum insinuauerit. Omnino tamen iudico rectius esse* Cretam, *quàm* Metam. *Creta enim notabatur circus ad victoriae notam. Plinius libro* XXXV. *capite* XVII. Est & vilissima (*de creta loquitur*) qua circum praeducere ad victoriae notam, pedesque venalium trans mare aduectorum denotare instituerunt maiores. *Isidorus libro* XVIII. *originum capite* XXXIIII. Septem spatia quadrigae currunt, quorum finis est creta.

Ad Epistolam CIX.

AN sapiens] *Prodesse dicitur, qui bene alicui facit. Videtur igitur nemo prodesse posse ei qui bona in se habet omnia. Talis autem est sapiens. Sapienti ergo non magis prodesse quisquam potest, quã*

ignem calefacere. Et Stoici tamen ſapientem alium alij prodeſſe dicebant. Hunc igitur nodum, a Lucilio rogatus, hac epiſtola ſoluit & expedit Seneca.

2 Obiicies.] *Alij*, Hoc ſcias. *Liquere omnibus puto, vtra verior ſcriptura ſit: vt & paulo infra hunc locum, melius legatur* Vno modo, *an, vt nos*, Iſto modo.

3 Nam ille ipſe qui eſt,] *qui melle veſcitur, qui mel comeſt. Alij, detracto verbo* eſt, *mancam & mutilam ſententiam reddiderant. Id autem quod ſequitur, plane peruerterant, cum legerent*, vt ille tali ſapore non capiatur, ſed offendatur. *Cum legendum ſit, vt nos emendauimus*, capiatur, non offendatur. *Sed diſcedo a conſuetudine mea. Non enim is ſum qui velim agitandis aut reprehendendis aliis creſcere. Itaque talia, quamlibet multa, ſciens omitto.*

4 Ad haec reſpondeo.] *Haec verba locum mutauerant, ſeque altius, quàm par erat, ſuſtulerant. Nos ea in ſuum locum repoſuimus.*

Ad Epiſtolam CX.

VNICVIQVE noſtrum paedagogum] *Extant & Maenandri verſus qui eandem ſententiam continent: vnicuique noſtrum naſcenti genium dari totius vitae ducem. Inde illud in comoedia:*

Memini relinqui me deo irato meo.

Illos autem & natiuos & mortales eſſe putabant. Horatius:

Scit genius, natale deus qui temperat aſtrum,
Naturae deus humanae, mortalis in vnum
Quodque caput.

2 Et genium & Iunonem] *Magis tamen genium viris, Iunonem mulieribus. Itaque apud Tibullum mulier amatorem alloquens*:

Perque tuos, *inquit*, oculos, per geniumque rogo.

Ille contra, Haec per ſancta tuae Iunonis numina iuro.

& turpis muliercula apud Petronium: Iunonem meam iratam habeam, ſi me vnquam virginē fuiſſe memini.

3 Adſignati] *Verbum iuris, De adſignandis libertis.*

4 Miliarios apros,] *mille librarum.*

5 Linguas phoenicopterorum,] *Quarum praecipuum ſaporem eſſe gulae & nequitiae magiſter docuerat Apicius.*

Ad Epiſtolam CXI.

CAVILLATIONES vocat:] *In aliquo videlicet libro eorum qui deſiderantur. nam in iis qui extant, nunquam ita cauillationis nomen accipi puto. Ita eo vſus eſt Calliſtratus in l. Ea eſt natura, D. de diuerſis regulis iuris antiqui.*

Ad Epiſtolam CXIII.

DESIDERAS] *Niſi certa & manifeſta veterum teſtimonia extarent, vix crederemus ſententiā, quae hic a Seneca confutatur & irridetur, cuiquam excordi ac delirae aniculae in mentem venire potuiſſe. Quid enim abſurdius aut magis ridiculum cogitari poteſt, quàm, non modo animū ipſum animal eſſe, quod ſi eſt, certe animum alium habet, quo fit, vt ſit animal: atque ille rurſus animus alium: neque res vnquam exitum repertura eſt: non eum tantum igitur, ſed & omnes virtutes, omnia vitia, omnes motus animorum, ipſas denique cogitationes noſtras eſſe animalia? Et hoc tamen ſeueri illi Stoicae diſciplinae principes, illi barbati magiſtri, illa ſapientiae columina pro vero ac ſerio tradiderunt. Neque vero hic ſubſtiterunt: ſed eo progreſſi ſunt amentiae, vt & qualitatem, & magnitudinem, & figuram, & omnia denique accidentia (quid ni enim vtamur verbo in ſcholis vſitato, cum melius non ſuppetat?) corpora eſſe contenderent. Et hi ſunt, qui ſe communes notiones in animis noſtris a natura impreſſas defendere, neque ab eis latum vnguem diſcedere profitebantur. Huius igitur opinionis ſtultitiam hac epiſtola exagitat Seneca: & poſtremo addit, ſēpius in talibus ineptiis conterendum non eſſe. Extat & cōmentariolus inter* νοθευόμενα *Galeni, quo haec ipſa opinio irridetur & refutatur. Eius inſcriptio eſt:* ὅτι αἱ ποιότητες ἀσώματοι.

2 O triſtes ineptias,] *Martialis*:

Turpe eſt difficiles habere nugas:
Et ſtultus labor eſt ineptiarum.

Ad Epiſtolam CXIIII.

QVARE quibuſdam temporibus] *E corrupta ratione viuendi corruptum dicendi genus plaerunque & publice & priuatim prouenire. Eſſe etiam nonnullos quos ſtultum imitandi ſtudium eodem perducat.*

2 Vt ea quae cludere coenā ſolent, prima ponantur,] *Hoc lactucae eueniſſe ſcribit Martialis*:

Claudere quae menſas lactuca ſolebat auorum,
Dic mihi, cur noſtras inchoat illa dapes?

Plutarchus

Plutarchus quoque inter causas e quibus noua morborum genera exorta sunt, & hanc non in postremis esse ait, quod quae claudere coenã solebãt, ad principiũ illius tralata sint. Sed Plutarchi verba vulgo male leguntur, hoc modo: τὴν δὲ τάξιν αὐτῶν ἐδεσμάτων καὶ μετακόσμησιν οὐ μικρὰν ἔχειν διαφοράν. *vbi pro* αὐτῶν *legendum est* αὖ τῶν. *Sequitur:* αἱ γὰρ καλούμεναι ψυχραὶ τράπεζαι πρότερον ὄστρεον ἔχουσι ἐχίνων λαχάνων. *Legẽdũ,* πρότερον ὀστρέων, ἐχίνων, ὠῶν, λαχάνων. *Sequitur:* ἅπερ ἐλαφρῶν ὁ Πλάτων ἀπ' οὐρᾶς ἐπὶ στόμα μεταχθεῖσαι, τὴν πρώτην ἀντὶ τῆς ἐσχάτης τάξιν ἔχουσι. *Sed magnum fecerit qui repererit, quid illic inter oua & olera faciat Plato. Legendũ autem* ὥσπερ ἐλαφρῶν ὁπλιτῶν. *Haec & eiusdem generis alia plurima iam pridem in Plutarcho emendaui: quae, si Deus volet, suo tempore edentur.*

Ad Epistolam CXV.

ET veluti signes.] *Veluti signa quaedam eorum in animo tuo imprimas, ne deleantur. Sic & Graeci dicunt* ἐνσημαίνειν. *Basilius:* ἀμετάστατα πέφυκεν εἶναι τὰ τῶν τοιούτων μαθήματα, διὰ ἀπαλότητα τῶν ψυχῶν εἰς βάθος ἐνσημαινόμενα. *Latini, ponere signa. Horatius:*

--non est mihi tempus auenti
Ponere signa nouis praeceptis.

2 Vt fas sit vidisse,] *Fuit haec vetus omnium gentium opinio, fas homini non esse, deum videre: & qui vidisset, praesens ei mortis periculum imminere.*

3 Obstrigillant,] *obstant, remorantur. vide Nonium.*

4 Ad mercedem impij.] *Inepte in aliis,* Ad misericordiam impij. *Hoc enim dicit, nos & mercede adduci ad ea quae honesta sunt, & ad turpia. Nam neque fere quisquam gratis honestatem colit: & nihil tam impium est quod non interdum homines mercede adducti suscipiant.*

5 Sine me vocari] *Horum Euripideorum versuum extremi leguntur apud Stobaeum:*

ὦ χρυσὲ δεξίωμα κάλλιστον βροτοῖς,
ὡς οὐδὲ μήτηρ ἡδονὰς τοίας ἔχει,
οὐ παῖδες ἀνθρώποισιν, οὐ φίλος πατήρ.
εἰ δ' ἡ Κύπρις τοιοῦτον ὀφθαλμοῖς ὁρᾷ,
οὐ θαῦμ' ἔρωτας μυρίους αὐτὴν τρέφειν.

Sunt autem a Seneca liberius illi quidem conuersi: sed ita, vt ne Graecis quidem elegantia cedere videantur.

6 Et summum adeptis dignitatis statum.] *Haec verba in locum suum restitui, quo temere ab aliis mota erant.*

Ad Epistolam CXVII.

MVLTVM mihi tibique.] *Haec quoque epistola meras prope Stoicorum ineptias continet, nisi quod fere sub medium, cum quaerenti haec Lucilio satisfecisset, ipse quoque talium rerum studiũ damnat, ostenditque alia potiora, quae ex philosophia peti debeant.*

2 Adexpetendum,] *Expetendum vocat* αἱρετόν*: adexpetendum, noua voce* προσαιρετόν*, id est quandam quasi* προσθήκην τοῦ αἱρετοῦ. *Talia multa Stoici sine vlla necessitate fingebant.*

3 Praesumptioni] *Anticipatae opinioni,* προλήψει.

4 Hac detestatione] *Est qui legat* destinatione. *Ego veterem librum meum sequi malui.*

Ad Epistolam CXIX.

IN commune,] *Ita dicebant, cum e pluribus qui vna iter facerent, vnus boni aliquid in via iacens repererat: cum significarent id cum ceteris quoque commune esse debere. Graeci pro eodem dicebant* κοινὸς ἑρμῆς. *Nam Mercurius & viis praeesse putabatur & lucro. & insperantibus obiecta lucra vocabant* ἕρμαια.

Ad Epistolam CXX.

EPISTOLA tua] *Veri boni cognitionem ad homines per analogiam, id est collationem rationis, peruenisse ait: idque ipsum dilucide explicat. Eadem de re Cato apud Ciceronem libro tertio de finibus. Cumque rerum notiones in animis fiant, si aut vsu cognitum sit, aut coniunctione, aut similitudine, aut collatione rationis: hoc quarto, quod extremum posui, bonorum notitia facta est. Quinque autem modis fieri rerum notitias dicebat Zeno, vt est apud Laertium,* κατὰ περίπτωσιν, καθ' ὁμοιότητα, κατ' ἀναλογίαν, κατὰ σύνθεσιν, καὶ κατ' ἐναντίωσιν.

2 Magnam rem puta, vnum hominem agere.] *Id est constare sibi, neque mutari ac fluctuare. Itaque de Helcana patre Samuelis, principio Regum dicitur,* Fuit vnus vir. *Et hoc ita interpretatur S. Hieronymus principio commentariorum in Iob:* Fuit vnus vir. Non enim per diuersa mobilis & instabilis ferebatur, sed firmus atque inconcussus persistens, vir vnus erat.

Ad Epistolam CXXI.

LITIGABIS,] *Esse vnicuique animali constitutionis suae sensum: eamque esse primam naturae conciliationẽ. Laertius:* τὴν δὲ πρώτην ὁρμήν φασι τὸ ζῷον ἴσχειν ἐπὶ τὸ τηρεῖν ἑαυτό, οἰκειούσης αὐτὸ

ἑαυτῷ τῆς φύσεως ἀπ' ἀρχῆς, καθά φησιν ὁ Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τελῶν, πρῶτον οἰκεῖον λέγων εἶναι παντὶ ζώῳ τὴν αὑτοῦ σύστασιν, καὶ τὴν ταύτης συνείδησιν. *Hinc sunt illa Ciceronis e primo de officiis:* Principio generi animantium omni est a natura tributum, vt se vitam corpusque tueatur: *& quae sequuntur. & illa Catonis e tertio de finibus:* Placet iis, *inquit*, quorum ratio mihi probatur, simul atque natum sit animal, ipsum sibi conciliari & commendari ad se conseruandum, & ad suum statum, & ad ea quae conseruantia sunt eius status diligenda. *Sed & in quinto de finibus idem locus a Pisone tractatur, & saepe alias.*

2 Iudicium accipient,] *Litem tecum contestabuntur.*

3 Sensum autem esse] *Vnumquodque animal sentire vim suam, probat ex eo, quod suapte sponte, etiã cum adhuc tenerum & infirmum est, secundum naturam mouetur. Qua de re ita Cicero:* Serpere anguiculos, nare anaticulas, euolare merulas, cornibus vti videmus boues, vespas aculeis: suam denique cuique naturam esse ad viuendum ducem.

4 Omnia animalia dialectica] *Qui constitutioni suae sensum inesse a natura in animalibus a primo statu negabant, hoc argumento nitebantur. Ne homines quidem, nisi perquã pauci, quidnam illa constitutio sit, intelligunt. Multo minus igitur bestiae. Respondet Seneca, id tum demum processurum, si de exquisita illius cognitione loqueremur. Nunc de crassa quadam & confusa cognitione sermo est, qualis etiam in bestias cadit. Nam si nullius rei notitiam habere diceremur, nisi cuius vim ac naturam definiendo explicare possemus, non multarum sane rerũ cognitione gloriari nobis liceret. Equidem quid lapis sit, quid aurum, quid argentum, quid equus, quid bos, scire vtcunque videor: quorum tamen vt aliarum innumerabilium rerum in quotidiano vsu positarum, si quis a me definitionem requirat, tempus mihi ad cogitandum postulabo: fortassis etiam, cum bene ac diu cogitaro, non habebo quod respondeam. Ne bene quidem valere aut aegrotare me sentiam: cum inter ipsos quoque medicos de sanitatis ac morbi definitione ambigatur. Obmutescendum nobis fuerit, ait Galenus, si ea tantum nosse dicamur, quorum definitiones tenemus. Hac de re operae fuerit videre, quae is quem modo laudaui, medicus scripsit, in commentario, quo respondet ad ea, quae in aphorismis Hippocratis reprehenderat Iulianus.*

Ad Epistolam CXXII.

ET amicitia Tiberij notus & frigore.] *Quòd cum apud Tiberium aliquando plurimum potuisset, ab eo postea neglectus est. Ita dixit* Frigore, *vt Horatius,*

— & maiorum nequis amicus
Frigore te feriat. —

Sic Terentius: Nimirum hicce homines frigent.

Ad Epistolam CXXIII.

OCTAVAM prohibent,] *Non finunt eos hora octaua coenare. Ab illa enim incipiebant, qui genio liberius indulgebant. Haec erant, quae vocabant tempestiua conuiuia: quod de die fierent, & tempestiuius quàm frugi homines epulandi causa discumbere solerent. Catullus:*

Vos conuiuia sumptuosiora
De die facitis. *Iuuenalis:*
Exul ab octaua Marius bibit, & fruitur diis
Iratis: at tu victrix prouincia ploras.

Plerunque tamen expectabant nonam. Cicero: Accubueram hora nona. *Martialis:*
Imperat extructos frangere nona thoros.

In sequentibus multa, vt & in superioribus, emendaui, quae ex collatione cognosci ac diiudicari, quàm a me appendi annumerarique malo.

M. ANTO-

M. ANTONII MVRETI

DISPVTATIO HABITA CVM SVBSEQVENTEM SENECAE LIBRVM INTERPRETATVRUS *eſſet Romae, III. Non. Junij* CIƆ IƆ LXXV.

DE SENECA nihil hòc loco conſtirui dicere. nam ſi vituperatores illius confutare vellem, neceſſario mihi ducenda eſſent praecipua argumenta e ſcriptis ipſius, vt oſtéderem eum & doctrinae copia, & ſcribendi elegantia longe multumque omnibus obtrectatoribus ſuis praeſtitiſſe. Nunc cum apud eos diſſeram, quibus Senecae ſcripta nota nō ſunt: (quotus enim quiſq; veſtrum ante hunc diem ea, non dicam, euoluit, aut legit, ſed inſpexit aut attigit?) puto me commodius eſſe facturum, ſi prius hunc libellum mole quidem, vt videtis, exiguum, ſed & orationis ornamentis, & argumēti grauitate, vt ſentetiis, eximium vobis propoſuero, ac deinde permiſero, vt ex eo Senecam, tanquam ex vngui, vt dicitur, leonem aeſtimantes, de ipſius ſapientia & eloquentia arbitratu veſtro iudicetis. Vrbane Vlixes apud Euripidem in Cyclope, cum Sileno vinum venditurus eſſet, ita eum alloquitur:

Vin tu prius guſtare quid vini feram?

Cui Silenus: *Ita conuenit. nam guſtus emptorem vocat.*

Ego quoque cum vobis hunc ſcriptorem, non quidem vendere, ſed certe commendare, atque vt apud vos in pretio ſit efficere cupiam, debere videor eum vobis prius quaſi guſtandum dare. Hoc tantum a vobis peto, ne quid huc praeiudicatae opinionis adferatis, neve permoueamini ſtultis ac temere iactis vocibus quorundam, qui quae non intelligunt vituperant. Tribuite hoc mihi, vt me non quidem valde intelligentem & idoneum, ſed tamen non multo deteriorem, quàm iſti ſunt, harum rerum iudicem exiſtimetis. Qui cum, & ex quo huic muneri praepoſitus ſum, nihil antiquius habuerim, quā vt vos, quantum in me eſt, omni liberali doctrina excolam atque augeam: & multorum annorum laboribus ac vigiliis hoc conſequutus ſim, vt non in vulgus modo, ſed apud ipſos principes ciuitatis non omnino malus eloquentiae exiſtimator habear: non debeo videri aut tam iniquus, vt obſtare profectui veſtro, aut tam ſtultus, vt exiſtimationi meae nocere de induſtria velim. Sed haec quidem hactenus. Iam enim quod huius libri argumentum ſit, explicare decreui. Vos, quaeſo, excitate atque expergefacite animos veſtros: quaeque de rebus omnium maximis ac grauiſſimis dicere ingredior, ea vt penitus percipiatis operam date.

Veteres illi quorum animi denſiſſimis errorum tenebris inuoluti, ea quae nobis diuinitus affulſit aeternae veritatis luce caruerunt, cum verum Deum ignorarent, in varias ſententias diſtrahebantur, &, vt nullo firmo ac ſtabili fundamento ſubnixi, & commenta opinionum ſequentes, huc illuc, tanquam incertis acti tempeſtatibus, fluctuabant. Interdum itaque cum in caelum oculos ſuſtuleraſt, & illam admirabilem innumerabilium ſtellarum ſine vlla erratione decurrentium varietatem notauerant, facile intelligebant, praepotens aliquod numen eſſe oportere, immenſum, infinitum, aeternum, quod illi tantae

moli praeſideret: a quo haec rerum vniuerſitas, & a principio conſtituta eſſet, & eius conſilio ac voluntate regeretur. Rurſus autem cum eorum quae infra lunae orbem ſunt inconſtantiam ac mutabilitatem viderent: nihil in eis ineſſe certum, nihil perpetuum, nihil conſtans: eo prolabebātur impietatis, vt partim ex omnibus rebus diuinam prouidentiam tollerent, partim ſupera quidem & caeleſtia mente ac conſilio regi, haec autem inferiora ſine vllo rectore incertis fortunae caſibus agitari exiſtimarent. Sed cum & dierum ac noctium viciſſitudinem, & quadripertitam anni temporum varietatem, & certa tum dierum tū noctium, & incrementa & deceſſiones, & omnia humanis vſibus ſeruientia viderent; haerebant attoniti, vt qui perſpicerent, tantum & tam ſapientem inſtitutum ordinem niſi a deo eſſe non poſſe. Conturbabantur tamen cum aliis argumentis, tum hoc praecipue, quod in rebus humanis multa viderent ſecus euenire, quàm ipſi diuinae ſapientiae ac bonitati conuenire exiſtimarent. Etenim iſta ſtatuebant, ſi humanarum rerum procurationem haberet deus, fore vt bonis ac piis & iuſtitiae cultoribus bene eſſet, malis, impiis & iniuſtis male. Nunc autem contra videbant, optimos quoſque plerunque premi paupertate, cum multi improbi diuitiis abundarent: ignominiam, exilium, orbitatem, morbos, tormenta, cruciatus, proprium quodammodo bonorum virorum patrimoniū eſſe: cum interea multi omnibus flagitiis cooperti in ſummis deliciis viuerent, & in omnibus negotiis ſuis ſecundiſſima fortuna vterētur. Ergo alij fortunam accuſabant vt iniquam & iniuſtam, quae, quaſi dedita opera, improbis mater, bonis nouerca eſſet: alij vt caecam & temerariam, quae nunc bonos, nunc malos, nullo diſcrimine aut extolleret, aut deprimeret: idemque dicebant de Pluto, quem diuitiarum deum eſſe fingebant: & vt fit in erroribus, deſultoria quadam leuitate in contrarias ſentētias ferebantur. Nam vbi quid bonis bene euenerat, aut vbi improbus aliquis, & diu diuina patientia abuſus poenas dederat, tum deum & eſſe & humana curare clamabant. Eſtis io ſuperi, ait Statius, cum conualuiſſet a periculoſo morbo vir eximiae probitatis Rutilius Gallicus. At contra vbi quid contigerat, contra quàm aequum eſſe cenſerent, deos aut nullos eſſe, aut crudeles & iniuſtos eſſe dicebant.

Marmoreo Licinus tumulo iacet: at Cato paruo:
Pompeius nullo. credimus eſſe deos?

Mortuus erat alicuius amicus, quem ipſe diutius viuere cupiiſſet? Negabat deos eſſe: id enim ab eorum iuſtitia alienum videri. Itaque in morte Tibulli Ouidius:

Cum rapiant mala fata bonos, ignoſcite faſſo,
Sollicitor nullos eſſe putare deos.

Apud Senecam Iaſon, cum Medeam occiſis filiis euolantem videret,

Teſtare, inquit, *nullos eſſe, qua veheris, deos.*

Neque vlla tam leuis aut ridicula cauſa erat, quae non ad ſuſcipiendam impietatem ſatis idonea videretur. Reliquerat amicam amator? Nulli dij erant. Propertius:

Et queritur nullos eſſe relicta deos.

Cupidum & libidinoſum adoleſcentem impudica muliercula fefellerat? Nutabat male de diis fundata opinio. Ouidius:

Eſſe deos credam ne? fidem iurata fefellit.
Et manet in ſolito qui fuit ore decor.

Valde

Valde scilicet id diis curandum fuit. Apud Virgilium amisso immatura morte filio,

Atque deos atque astra vocat crudelia mater.

Ecce tibi alter, quia serpentes vna cum pelle senium exuere dicuntur, deos crudeles vocat, quod non idem beneficium formosis tribuerint.

Crudeles diui, serpens nouus exuit annos:
Formae non vllam fata dedere moram.

At illa quidem leuia, & a poetis fortasse per iocum dicta: etsi tales ioci nullo modo ferendi videntur. Serio quidem loqui videtur apud Aristophanē Chremylus, qui se cum pius ac iustus esset, & male tamen rem gereret, grauique paupertate premeretur, ac videret interea alios sacrilegos, calumniatores, improbos diuitiis abundare, profectum esse dicit ad Apollinem, vt ex eo sciscitaretur, quae eius rei causa esset. multoque magis ille in vetere tragoedia: Τολμῶ κατειπεῖν, μήποτ' οὐκ εἰσὶ θεοί; κακοὶ γὰρ εὐτυχοῦντες ἐκπλήττουσί με. & eodem argumento delusi, vt ait Iuuenalis,

Sunt qui in fortunae iam casibus omnia ponant,
Et mundum nullo credant rectore moueri,
Natura voluente vices, & lucis, & anni.

Grauissime autem dubitationem ea de re suam expressit optimus aeui sui poeta Claudianus:

Saepe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu.
Nam cum dispositi quaesissem foedera mundi,
Praescriptosque mari fines, annique meatus,
Et lucis noctisque vices, tunc omnia rebar
Consilio firmata dei, qui lege moueri
Sidera, qui fruges diuerso tempore nasci,
Qui variam Phoeben alieno iusserit igne
Compleri, solemque suo: porrexerit vndis
Littora, tellurem medio librauerit axe.
Sed cum res hominum tanta caligine volui
Aspicerem, laetosque diu florere nocentes,
Vexarique pios, rursus labefacta cadebat
Religio: causaeque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quae currere semina motu
Affirmat: magnumque nouas per inane figuras
Fortuna, non arte regi. quae numina sensu
Ambiguo vel nulla putat, vel nescia veri.
Abstulit hunc tandem Rufini poena tumultum,
Absoluitque deos.

Multo autem neruosius ac vehementius apud Ciceronem Cotta in tertio de natura deorum, *Telamon*, inquit, *vno versu totum locum conficit, vtrum dij homines negligant.*

Nam si curent, bene bonis sit, male malis: quod nunc abest.

Debebant illi quidem omnes bonos efficere, si quidem hominum generi consulebant: sin id minus, bonis certe consulere debebant. Cur igitur duo Scipiones fortissimos,

& optimos viros in Hispania Poenus oppreßit? cur Maximus extulit filium consularem? cur Marcellum Hannibal interemit? cur Paullum Cannae sustulerunt? cur Poenorum crudelitati Reguli corpus est praebitum? cur Africanum domestici parietes non texerunt? Sed haec vetera, & alia permulta propiora videamus. Cur auunculus meus, vir innocentißimus, idemque doctißimus, P. Rutilius, in exilio est? cur sodalis meus interfectus domi suae Drusus? cur temperantiae prudentiaeque specimen ante simulacrum Vestae pontifex maximus est Q. Scaeuola trucidatus? Cur etiam ante tot ciuitatis principes a Cinna interempti? cur omnium perfidiosißimus C. Marius Q. Catulum, praestantißima dignitate virum, mori potuit iubere? Dies deficiat, si velim numerare, quibus bonis male euenerit: nec minus si commemorem quibus improbis optime. Cur enim Marius tam feliciter septimum consul domi suae senex est mortuus? Cur omnium crudelißimus tam diu Cinna regnauit? At dedit poenas. prohiberi melius fuit, impedirique, ne tot summos viros interficeret, quàm ipsum aliquando poenas dare. Et paulo infra: *Anaxarchum Democriteum a Cyprio tyranno excarnificatum legimus: Zenonem Eleaten in tormentis necatum. Quid dicam de Socrate? cuius morti illacrimari soleo Platonem legens. Videsne igitur, Deorum iudicio, si viderent res humanas, discrimen esse sublatum? Diogenes quidem Cynicus dicere solebat, Harpalum qui temporibus illis praedo felix habebatur, contra deos testimonium dicere, quòd in illa fortuna tandiu viueret.* Piget plura recitare. est enim ipse Ciceronis liber in manibus. Seneca igitur cum & ab ea disciplina esset, quae omnia maxima minima diuino consilio gubernari statuit, & ei quem vnice diligebat Lucilio idem persuasisset: quia tamen scrupulus in Lucilij animo aliquis residebat ex eo, quòd perspicere non poterat, cur deus optimos quosque tot acerbitatibus vexari fineret, eius rei causas ad eum misso hoc commentariolo tractandas explicandasque suscepit. Vnde constat, veram illius inscriptionem non esse eam, quae vulgo recepta est, DE PROVIDENTIA: sed QVARE BONIS VIRIS MVLTA MALA ACCIDANT, CVM SIT PROVIDENTIA. vt constat ex Lactantio in libro de ira dei: cuius verba huc pertinentia in eis notis, quas vestra causa ad huius libri finem addidi, reperietis. Quod sit huius libri argumentum videtis: quod mihi quidem ita pulchrum & cognitu dignum videtur, vt iniuriam quodammodo vobis facturus videar, si tam male de vobis existimem, vt vos pluribus verbis ad eius tractationem & cognitionem excitandos putem. Mihi credite: qui me attente audient, perficiam, cum deo volente, vt & grauissimam ac pulcherrimam quaestionem tractatam diuinitus a Seneca, & a me ipsum Senecam non negligenter tractatum esse fateantur.

Operaepretium autem facturus videor, si antequam ad expēdenda Senecae dicta veniam, exponam vobis quid super ea ipsa quaestione, quae hoc libello continetur, homines eruditissimi, iidemque sanctissimi senserint. Nam si, vt vasa eum odorem quo primum imbuta sunt, ita animi quas primas opiniones combiberunt, cōstantissime seruant: diligenter nobis videndū est, vt in grauibus & seriis rebus, statim a principio videamus quid verissimum sit, idque animo conceptum ac comprehēsum perpetuo retineamus. Ioannes igitur Chrysostomus qui singularem vitae sanctitatem admirabili quadam & doctrinae abundantia & dicendi facultate cumularat, cum dixisset, multis absurdum quodammodo videri, quòd Deus pios viros, quosque ipse apertissimis signis sibi carissimos esse declarat, plerunque tamen omni genere acerbitatum agitari vexarique patiatur, vndecim causas adfert, cur ita fieri expediat: quas singulas

non

non modo exponere,ſed etiam breuiter illuſtrare ac confirmare decreui.Prima igitur eſt,ne qui res magnas ac praeclaras gerunt,propterea inflentur ac ſuperbiant,ſed ſummittant animos memores imbecillitatis ſuae. Confirmatur hoc teſtimonio Dauidis & Pauli , quorum ille bono ſibi fuiſſe ait , quòd a Deo depreſſus caſtigatusque ſit, ſeque ex eo magis illius iuſtitiã perſpicere : hic autem, cũ vſque ad tertium caelum raptus eſſet, eaque vidiſſet,quae vix homini in hac vita videre fas eſt,ne propterea ſibi placeret,neve inſoleſceret, additum ſibi eſſe ait angelum Satanae,a quo quaſi colaphis caederetur. Haec igitur prima cauſa eſt. Altera,ne ceteri mortales in errorem trahantur,& de praeſtantibus viris, non vt de hominibus, ſed vt de diis quibuſdam exiſtiment : a cuius erroris periculo liberantur,cum illos magnos & egregios viros multa perpeti vident,quae illos non deos, ſed homines eſſe declarant. Nam ſi qui multa bella geſſerant, multas vrbes expugnauerant,multa hominum millia occiderant,antiquitus in deorum numerum ſtulta vulgi opinione referebantur: quid putatis euenturum fuiſſe iis qui verbo , qui nutu, qui contactu , qui vmbra ſua fugabant morbos, claudis inceſſum,ſurdis auditum,caecis vſum oculorum reſtituebant,mortuos in vitam reuocabant, niſi vulgus hominum eos ipſos per quos tam multa admirabilia opera edebantur,eſurire,algere,aegrotare, caedi, murilari, eiuſdeque generis alia innumerabilia quotidie ſubire ac perferre vidiſſet ? Sic quoque, quamuis vociferarentur , nihil eorum ſua virtute fieri , Chriſtum eſſe qui per doctrinae ſuae praecones ea perficeret,vix tamen impedire poterant,ne ſibi diuini honores haberentur. Ad Paulum quidem & ad Barnabam Lyſtrenſes aliquando etiam tauros coronatos adduxerant, quos eis tanquam diis immolare cupiebant, niſi id ipſi ſumma vi prohibuiſſent. Tertia cauſa eſt, vt poteſtas Dei tanto magis eluceſcat,qui per homines imbecilles,morbis obnoxios, egẽtes,carceribus & ergaſtulis clauſos, vinculis & compedibus impeditos, catenis onuſtos ea faciat,quorum magnitudinem ceteri omnes obſtupeſcant. Itaque Paulus ipſe cum feſſus malis quodam tempore petiiſſet a Deo, vt a ſe tantas illas & tam multas acerbitates amoueret,reſpõſum hoc tulit:Satis tibi ſit, quòd mihi carus acceptusque es. Quo enim tu infirmior es , & pluribus difficultatibus conflictaris,eo magis perſpicitur poteſtas mea. Quarta eſt,quòd ſi bonis viris omnia proſpere ſuccederent, ſi diuitiis abundarent, ſi colerentur ac ſuſpicerentur a ceteris, ſi nunquam aegrotarent, nunquã dolerent, nullum incommodum ſentirent, fortaſſis exiſtimaret vulgus eos pietatem colere, non ſuapte ſponte, ſed illa quaſi mercede allectos & inuitatos. Nunc cum eos non egeſtas, non ignominia, non cruciatus corporis, non tyrannorum ſaeuitia, non mortis metus a Dei cultu & a vera pietate poſsit abducere, manifeſto conſtat, honeſtatem ac virtutem, & Deum in primis ipſum ab eis propter ſe, non propter vllam mercedem amari. Non gratis te colit Iob, dicebat Deo perpetuus ille humani generis hoſtis. tu enim eum cumulaſti opibus,auxiſti liberis, perpetua denique vitae proſperitate proſecutus es. At Deus, Tu vero, inquit, domos eius inflamma,meſſes combure,pecora interfice,liberos eneca,totum ipſius corpus arbitratu tuo lacera ac lania : nullus reſtet nouis vlceribus locus : iaceat in ſterquilinio , cui prius ſomnum capere licebat in purpura : ne ſit quidem quo ſe abſtergeat , ſed teſta manantem ex vlceribus ſaniem abradat : vt liquido conſtet, eum mei gratuitum , non mercenarium eſſe cultorem. Eadem aequitate animi homo ſanctiſſimus tulit aduerſa, qua & proſpera exceperat. Quinta , vt homines tanto certius atque exploratius habeant , non omnia

morte terminari, ſed ſupereſſe aliam vitam, in qua & praemium tribuatur iuſtis,& ab improbis ac conſceleratis poena exigatur. Nam ſi ne homines quidem vſque eo iniuſti reperiuntur,vt eos quos cauſa ſua multa perpeſſos vident, ſine praemio abire patiantur,quanto minus id de Deo aut cogitare aut ſuſpicari poſſumus? Cum igitur multos plerunque videamus homines optimos & innocentiſſimos, quantum quidem hominis natura fert, in hac vita numquam interquieſcere ac reſpirare a moleſtiis,ſed perpetua quadam calamitatum ſerie vſque ad extremum ſpiritum premi: cogitemus neceſſe eſt, aut, quod natura ipſa abhorret ac refugit, Deum iniuſtum eſſe, aut poſt hanc vitam ſua eſſe hominum generi praemia,pro ſuis cuique actionibus,diuinitus conſtituta. Si ſpes noſtra,ait Paulus,iiſdem quibus haec vita terminis ac finibus circumſcripta teneretur,nihil nobis infelicius foret. Sexta,vt nos quoque, ſi quando tale aliquid nobis eueniat,patienter feramus, neque deſpondeamus animum, aut ſtatim propterea Deo inuiſos eſſe nos arbitremur:cum iis quoque,qui Deo cariſſimi & acceptiſſimi erant, aut eadem, aut grauiora contigiſſe videamus. Septima,ne vllus tergiuerſationi locus ſit,ſi quis nos ad illorum praeſtantium virorum imitationem cohortetur,quaſi eos non eiuſdem,cuius & nos ſumus,ſed diuinioris cuiuſdam naturae fuiſſe cauſemur. Octaua,vt ſciamus quibus rebus felicitatem metiri ac dirigere, quoſque ex omni hominum numero felices ac beatos, quos contra infelices ac miſeros ducere debeamus. Non enim qui multa poſſidet, beatus eſt:ſed multo ille beatior,qui non tantum diuitias non concupiſcit, ſed iis quas habet, vltro ſe ſpoliat, vt copiis ſuis aliorum inopiam ſubleuet. Non qui innocens exulat, miſer eſt:ſed tanto felicior, ſi id aequo animo ferens, operam det, ne ab illa aeterna ac caeleſti patria exulare cogatur. Non qui firmo ac valenti corpore eſt, felix: ſed ille qui in corpore quamlibet infirmo perpetuam retinet animi firmitatem. Non cui multa dura & perpeſſu aſpera eueniunt, miſer: ſed is potius qui proſperis ſucceſſibus ebrius, neque altius oculos mentis attollens, in caducis ac fallacibus huius vitae bonis acquieſcit. Nona, vt magis illuſtretur eorum patientia ac fortitudo qui ſe a calamitatibus vinci non ſinunt: neque enim a nobis cognoſcerentur, niſi a Deo in huiuſmodi certaminibus exercerentur. Aurum, vt dicturus eſt Seneca, probat ignis, miſeria fortes viros. Decima, quoniam humanae naturae imbecillitas, ne optimos quidem viros omnis peccati expertes eſſe patitur: neque quiſquam aut eſt, aut fuit praeter pauciſſimos, quibus id ſingulari Dei beneficio tributum eſt, quin aliquando offenderet ac prolaberetur: vt hic potius quàm alibi peccata expientur, vt ſi qua macula ex illis prolapſionibus ſuſcepta eſt, temporariis illis acerbitatibus quaſi nitro quodam aut lomento eluatur ac deleatur. Nam cum iuſtitiae diuinae conſentaneum ſit, neminem in caelum peruenire, qui vlla ex parte pollutus contaminatusque ſit: expedit iis ipſis qui Deo cari ſunt, ita in hac vita purgari, vt cum e corporis vinculis exceſſerint, nulla alia purgatione egentes, ſine vlla mora in caelum euolare expediti ac liberi poſſint. Vndecima,vt quo plura acerba patiuntur,quo plures difficultates ſuperant, quo dimicant acrius, eo maioribus praemiis omentur, eo plures coronas accipiant, eo maiorem in omni aeternitate gloriam conſequantur. Haec igitur vir ille ſanctiſſimus, non, vt ego nunc, arido & inculto dicendi genere, ſed ornato, ſplendido, efficaci: aureo denique illo eloquentiae flumine, quod ei Chryſoſtomi

nomen

nomen meritiſsimo comparauit. Ac vereor, ne quis interdum me, quòd e talium ſcriptorum fontibus hauriam, quo diſputationes meas irrigem, reprehendendum putet. Vnde igitur, per Deum immortalem, potius reperam, quòd honeſtius aut maiori cum fructu vel a me dicatur, vel a vobis audiatur? An totos dies nunc in poeticis fabulis, nunc in Stoicorum aut Epicureorum ſtultiſſimis opinionibus perſcrutandis ac perueſtigandis conteremus, idque cum faciemus, tempus bene collocare putabimur: ad ea cognoſcenda quae ignorare ſine pernicie non poſſumus, nullam partem temporis conferemus? At haec, inquiet aliquis, in theologorum ſcholis, aut cõtionibus tradi ſolent: a te alia quaedam requiruntur. Fateor equidem ab eis haec omnia non tempeſtiuius modo ac conuenientius, ſed etiam melius copioſiusque tractari. Sed tamen vtinam talibus praeceptis, & templa, & ſcholae, & porticus, & ambulationes, & fora, & compita omnia perſonarent. Mandatum eſt mihi, vt vobis iter ad eloquentiam commonſtrare conarer. Nunquid igitur vos eloquẽtiores effecturus ſum, ſi hoc quantulumcunque eſt, quod in dicendi facultate conſecutum eſſe me nonnulli putant, in nugis & fabulis exercuero, quàm ſi vos ad graues & ſerias res bonis & lectis verbis explicandas, quantum vires meae ferent, exemplo meo & incitare, & aſſuefacere ſtuduero? Mihi vero certum ac conſtitutum eſt, ea vobis perpetuo tradere, quibus vos non diſertiores modo & in loquendo argutiores, ſed etiam meliores ac ſapientiores redditum iri arbitrabor. Eloquentiam eſſe ait Cicero, non inanem loquendi profluẽtiam, ſed ſapientiam copioſe loquentem. Quod ſi eſt, qui nihil praeter verborum floſculos & pigmenta tradunt, minimam partem eloquentiae tradunt. Si quis eſt, qui & res cognitu dignas adferat, & eas non vulgari neque ſordido orationis genere efferat, is demum bonus & vtilis dicendi magiſter habendus eſt. Vera autem ſapientia aut illo ex quo hodierna mea diſputatio deprompta eſt, aut nullo prorſus genere ſcriptorum continetur. Sed longior fui quàm putabam. Qua igitur de re Chryſoſtomi diſputationem audiiſtis, de eadem perendie, ſi Deus volet, diſputantem Senecam audietis.

L. ANNAEI SENECAE QVARE BONIS VIRIS MALA ACCIDANT, CVM SIT PROVIDENTIA,

Liber vnus.

CAP. I.

VAESISTI a me, Lucili,[1][2] quid ita,[3] ſi prouidentia mundus ageretur, multa bonis viris acciderent mala. Hoc commodius[4] in contextu operis redderetur,[b] cum praeeſſe vniuerſis prouidentiam probaremus, & intereſſe nobis Deum. Sed quoniam a toto particulam reuelli placet, & vnam contradictionem[5] manente lite integra ſoluere, faciam rem non difficilem, cauſam deorum agam.[6] Superuacuum eſt in praeſentia oſtendere, non ſine aliquo cuſtode tantum opus ſtare, nec hunc ſiderum certũ diſcurſum fortuiti impetus eſſe,[7] & quae caſus incirat,[c] ſaepe turbati & ciro arierare: hanc inoffenſam velocitatẽ procedere[8] aeternae legis imperio, tantum rerum terra marique geſtantem, tantum clariſſimorum luminum & ex diſpoſitione lucentium:[9] non eſſe mareriae errantis hunc ordinem: neque quae temere coierũt, tanra arte pendere, vt terrarũ grauiſſimum pondus ſedeat immotũ, & circa ſe properantis caeli fugã ſpectet,[d] vt infuſa vallibus maria[10] mollianr rerras,[11] nec vllũ incrementum fluminũ ſentiant, vt[12] ex minimis ſeminibus naſcantur ingentia.[13] Ne illa quidem quae videntur confuſa & incerta, pluuias dico nubesque, & eliſorũ fulminum iactus, & incendia ruptis montium verticibus effuſa, tremores labantis ſoli, & alia quae tumultuoſa pars rerum circa terras mouet, ſine ratione, quamuis ſubita ſint, accidunt:[e] ſed ſuas & illa cauſas habent non minus,[f] quàm quae alienis locis cõſpecta miraculo ſunt, vt in mediis fluctibus calentes aquae,[14] & noua inſularum in vaſto exilientium mari ſpatia. Iam vero ſi quis obſeruauerit nudari litora pelago in ſe recedente, eademque intra exiguum tempus operiri, credet caeca quadam volutatione modo contrahi vndas, & introrſum agi, modo erumpere, & magno curſu repetere ſedem ſuam: cum illae interim portionibus creſcunt, & ad horam ac diem ſubeunt, ampliores minoreſque, prout illas lunare ſidus elicuit, ad cuius arbitrium oceanus exundat, ſuo iſta rempori reſeruentur. Eo quidem magis, quod tu non dubitas de prouidentia, ſed quereris. In gratiam te reducam cũ diis,[g] aduerſus optimos optimis.[h] Neque enim natura paritur,[15] vt bona bonis noceant.[16] Inter bonos viros ac Deum amiciria eſt,[17] concilianre virtute. Amicitiam dico? immò etiam neceſſitudo & ſimilitudo:[i] quoniam quidem[18] bonus ipſe rempore tantum a Deo differt,[19] diſcipulus eius,[20] aemulatorque, &[21] vera progenies, quem parens ille magnificus, virtutum non lenis exactor, ſicut ſeueri patres, durius educat. Iraque cum videris bonos viros acceproſque diis, laborare, ſudare, per arduũ eſcendere, malos aurem laſciuire, & voluptatibus fluere:[k] cogira filiorum nos modeſtia delectari, vernularum licentia: illos diſciplina triſtiori contineri, horum ali audaciam. Idem ribi de Deo liqueat. Bonum virum in deliciis non habet: experitur, indurat, ſibi illum praeparat.

II. Quare multa bonis viris aduerſa eueniunt? Nihil accidere bono viro mali poreſt. Non miſcentur contraria. Quemadmodum tor amnes,[l] tantum ſuperne deiectorum imbrium, tanta mediterraneorum vis fontiũ non murant ſaporem maris, nec remittunt quidem: ira aduerſarum impetus rerũ viri fortis non vertir animum. Manet in ſtatu, & quicquid euenit, in ſuum colorẽ trahit.[m] Eſt enim omnibus externis potentior:[22] nec hoc dico, non ſentit illa: ſed vincit, & alioquin quietus placiduſque cõtra incurrentia attollitur. Omnia aduerſa[23] exercitationes putat. Quis autẽ, vir modo, & erectus ad honeſta, non eſt laboris appetens iuſti, & ad officia cũ periculo prõptus? Cui non induſtrio otium poena eſt? Athletas videmus, quibus viriũ cura eſt, cũ fortiſſimis quibusq; confligere, & exigere ab his,[n] per quos certamini praeparantur, vt totis cõtra ipſos viribus vtantur.[o] caedi ſe vexariq; patiuntur: & ſi nõ inueniunt ſingulos pares, pluribus ſimul obiiciũtur. Marcet ſine aduerſario virtus. Tũc apparet quanta ſit,[p] quantũ valeat, polleatque, cũ quid poſſit, patientia oſtendit. Scias licet idẽ viris bonis eſſe faciendũ, vt dura ac difficilia non reformident, nec de fato queranrur. Quicquid accidit, boni cõſulant, in bonũ vertant. Non quid, ſed quemadmodũ dum feras, intereſt. Non vides quanto aliter patres, aliter matres indulgeant? Illi excitari iubent liberos ad ſtudia obeũda mature, feriatis quoque diebus non patiuntur eſſe otioſos, & ſudorem illis, & interdum lacrimas excutiunt.

At

At matres fouere in sinu, continere in vmbra volunt; nunquam flere, nunquam tristari, nunquam laborare. Patrium habet Deus aduersus bonos viros animum, & illos fortius amat: &, Operibus, inquit, doloribus, ac damnis exagitentur, vt verum colligant robur. Languent per inertiam saginata: nec labore tantum, sed mole, & ipso sui onere deficiunt. Non fert vllũ ictum illaesa felicitas. At vbi assidua fuit cum incommodis suis rixa, callum per iniurias ducit, nec vlli malo cedit: sed etiam si ceciderit, de genu pugnat. Miraris tu, si Deus ille bonorũ amantissimus, qui illos quàm optimos esse atque excellentissimos vult, fortunam illis cum qua exerceantur, assignat? Ego vero non miror, [q] si quando voluptatem capiunt dij, dum spectant magnos viros colluctantes cum aliqua calamitate. Nobis interdum voluptati est, si adolescens cõstantis animi irruentem feram venabulo excepit, si leonis incursum interritus pertulit: tantoque spectaculum est gratius, quanto id honestior fecit. Nõ sunt ista quae possunt deorum in se vultum conuertere, [r] sed puerilia, & humanae oblectamenta leuitatis. Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus. [24] Ecce par Deo dignũ, vir fortis cum mala fortuna compositus, vtique si & prouocauit. Non video, inquam, quid habeat in terris Iupiter pulchrius, si conuertere animum velit, quàm vt spectet Catonem, iã partibus non semel fractis stantem nihilominus inter ruinas publicas rectum. Licet, inquit, omnia in vnius ditionem concesserint, custodiantur legionibus terrae, classibus maria, Caesarianus portas miles obsideat, Cato qua exeat, habet. Vna manu latam libertati viã faciet. [s] Ferrum istud etiam ciuili bello purum & innoxium, bonas tãdem ac nobiles edet operas. Libertatem quam patriae non potuit, Catoni dabit. Aggredere anime diu meditatum opus eripe te rebus humanis. [25] Iam Petreius & Iuba concurrerunt, iacentque alter alterius manu caesi. Fortis & egregia fati conuentio: sed quae non deceat magnitudinem nostram. Tam turpe est Catoni mortem ab vllo petere, quàm vitam. Liquet mihi, cum magno spectasse gaudio deos, quum iam ille vir, acerrimus sui vindex, alienae saluti consulit, & instruit discedentium fugam: dum etiam studia nocte vltima tractat, dum gladium sacro pectori infigit, dum viscera spargit, & illam sanctissimam animam, indignamque quae ferro contaminaretur, manu educit. Inde crediderim fuisse parum certum & efficax vulnus. Non fuit Diis immortalibus satis, spectare Catonem semel. [t] retenta ac reuocata virtus est, vt in difficiliori parte se ostenderet. Non enim tam magno animo mors initur, quàm repetitur. Quid ni libẽter spectarent alumnum suum, tam claro ac memorabili exitu euadentem? Mors illos consecrat, quorum exitum & qui timent, laudant.

III. Sed iam procedente oratione ostẽdam, quàm non sint quae videntur, mala. nunc illud dico, ista quae tu vocas aspera, quae aduersa & abominanda, primum pro ipsis esse, quibus accidunt; deinde pro vniuersis: quorum maior diis cura est, quàm singulorum. Post haec volentibus accidere, ac [u] dignos malo esse, si nolint. His adiiciam, fato ista fieri, recte eadem lege bonis euenire qua sunt boni: persuadebo inde tibi, ne vnquam boni viri miserearis. potest enim miser dici, non potest esse. Difficillimum ex omnibus quae proposui, videtur quod primum dixi: pro ipsis esse quibus eueniunt, ista quae horremus ac tremimus. Pro ipsis est, inquis, in exilium proiici, in egestatem deduci, liberos, coniugem efferre, ignominia affici, debilitari? [26] Si miraris, hoc pro aliquo esse, miraberis quosdam ferro & igne curari, nec minus fame ac siti. Sed si cogitaueris tecũ, remedij causa quibusdam [27] [x] & radi ossa & legi, & extrahi venas, & quaedam amputari membra, quae sine totius pernicie corporis haerere non poterant, hoc quoque patieris probari tibi, quaedam incommoda pro his esse, quibus accidunt: tam mehercules quàm quaedam quae laudantur atque appetuntur, contra eos esse, quos delectauerunt, simillima cruditatibus, ebrietatibusque, & ceteris quae necant per voluptatem. Inter multa magnifica Demetrij nostri & haec vox est, a qua recens sum, sonat adhuc & vibrat in auribus meis. Nihil, inquit, mihi videtur infelicius eo, cui nihil vnquam euenit aduersi. Non licuit enim illi se experiri. [y] Vt ex voto illi fluxerint omnia, vt ante votum: male tamen de illo dij iudicauerunt. Indignus visus est, a quo vinceretur aliquando fortuna, quae ignauissimum quemque refugit. quasi dicat. Quid ego istum mihi aduersarium assumam? statim arma submittet. Non opus est in illum tota potentia mea. leui comminatione pelletur. Non potest sustinere vultum meum. Alius circumspiciatur, cum quo conferre possimus manum: pudet congredi cum homine vinci parato. Ignominiam iudicat gladiator, cum inferiore componi: & scit eum sine gloria vinci, qui sine periculo vincitur. Idem facit fortuna, fortissimos sibi pares quaerit, quosdam fastidio transit. Contumacissimum quemque & rectissimum aggreditur, aduersus quem vim suam intẽdat. [z] Ignem experitur in Mucio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormẽta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. [a] Magnum exemplum, nisi mala fortuna, non inuenit. Infelix est Mucius, quòd dextera ignes hostium

premit, & ipse a se exigit erroris sui poenas? quòd Regem, quem armata manu noo potuit, exusta fugat? Quid ergo? felicior esset, si in sinu amicae fouerer manum? Infelix est Fabricius, quòd rus suum, quantum a repob. vacauit, fodit? quòd bellum tam cum Pyrrho, quàm cum diuitiis gerit? quòd ad focum coenat illas ipsas radices, & berbas,[b] quas in agro repurgando triumphalis senex vulsir? Quid ergo? felicior esset, si in ventrem suum [48] longinqui littoris pisces, & [49] peregrina aucupia congereret? Si conchyliis superi atque inferi maris, [50] pigritiam stomachi nauseantis erigeret? [c] Si [51] ingenti pomorum strue cingeret [d] primae formae [52] feras, captas multa caede venantium? Infelix est Rutilius, quòd qui illum damnauerunr, causam dicent omnibus saeculis? quòd aequiore animo passus est se patriae eripi, quàm sibi exilium? quòd [53] Sullae dictatori solus aliquid negauit, & reuocatus non tantum retro cessit, sed longius fugit? [e] Viderint, inquit, hoc isti, quos Romae deprehendit felicitas tua. Videanr largum in foro sanguinem, & supra [54] Seruilium lacũ ([f] id enim proscriptionis Sullanae [55] spoliarium est) senatorum capita, & passim vagãtes per vrbem percussorũ greges: & mulra millia ciuium Romanorum, vno loco post fidem, immo per ipsam fidem trucidata. Videant ista, qui exulare oon possunr. Quid ergo? felix est L. Sylla, quòd illi descendenti ad forum gladio submouetur, quòd capira consularium virorum patitur appendi, & pretium caedis per quaestorem ac rabulas publicas numerat? Et haec omnia facir ille, qui legem Corneliam tulit. Veniamus ad Regulum. quid illi fortuna nocuit, quòd illum documentum fidei, documentum patientiae fecit? Figunt cutem claui, & quocunque farigatum corpus reclinauit, vulneri incumbit, & in perpetuam vigiliam suspensa sunt lomina. Quanto plus tormenti, tanto plus erit gloriae. Vis scire, quàm non paeniteat hoc pretio aestimasse virtutem? Refice tu illum, & mitte in senatum: eandem sententiam dicet. Feliciorem ergo tu Maecenatem putas, cui amoribus anxio, & morosae vxoris quotidiana repudia deflenti somnus per symphoniarum cantum ex longinquo lene resonantium quaeritur? Mero se licet sopiat, & aquarum fragoribus auocet, & mille voluptatibus mentem anxiam fallat: tam vigilabir in pluma, quàm ille in cruce. Sed illi solatium est, pro honesto dura tolerare, & ad causam a patientia respicit: hunc volupratibus marcidum, & felicitate nimia laborantem, magis his quae patitur vexar causa patiendi. Non vsque eo in possessionem generis humani vitia venerunt, vt dubium sit, an electione fati data, plures Reguli nasci quàm Maecenates velint. Aut si quis fuerit, qui audeat dicere, Maecenatem se quàm Regulum nasci maluisse, idem iste, taceat licet, nasci se Terentiam maluit. [g] Male tractatum Socratem iudicas, quòd illam potiooem publice mixtam non aliter quàm medicameotum immortalitatis obduxit, & de morte disputauir vsque ad ipsam? [h] Male cum illo actum est, quòd gelatus est sanguis, ac paulatim frigore inducto venarum vigor constitit? Quanto magis huic inuidendum est, quàm illis quibus gemma ministratur, quibus exoletus omnia pati doctus, suspensam auro niuem diluit? Hi quicquid biberint, [56] vomitu remetientur tristes, & bilem suam regustantes. At ille venenum laetus & libens hauriet. Quod ad Caronem pertinet, satis dictum est: [i] summamque illi felicitatem contigisse consensus hominum fatebitur. Quem sibi rerũ natura delegit, cum quo metuenda colliderer. Inimicitiae potentum graues sunt. [k] Opponatur simul Pompeio, Caesari & Crasso. Graue est, a deterioribus honore anteiri. Vatinio postferatur. Graue est, ciuilibus bellis interesse. toto terrarum orbe pro causa bona tam infeliciter quàm pertinacirer militet. Graoe est, sibi manos afferre. faciar. Quid per hoc consequar? vt
IIII. omnes sciant, non esse haec mala, quibus ego dignũ Catonem putaui. Prospera in plebem ac vilia ingenia deueniunt. At calamitares terroresque mortalium sub iugum mittere, proprium magni viri est. Semper vero esse felicem, & sine morsu animi velle rransire vitam, ignorare est rerum naturae alteram partem. Magnus es vir; sed vnde scio, si tibi fortuna non dat facultatem exhibendae virtutis? [l] Descendisti ad Olympia. Sed nemo praeter te. coronam habes, victoriam non habes. Non gratulor tanquam viro forti, sed ranquam consulatũ praeturamve adepto. honore auctus es. Idem dicere & bono viro possum, si illi nullam occasionem difficilior casus dedit, in qua vna vim sui animi ostẽderet. Miserum te iudico, quòd nunquam fuisti miser. transisti sine aduersario vitam. Nemo sciet quid potueris: ne tu quidem ipse. Opus est enim ad notitiam sui, experimento. [m] quid quisque posset, nisi tentando non didicit. Itaque quidam vltro se cessantibus malis obtulerũt, [n] & virtuti iturae in obscurum occasionem per quam enitesceret, quaesierunr. Gaudent, inquam, magni viri aliquando rebus aduersis, non alirer quàm fortes milites bellis. Ego mirmillonem sub C. Caesare de raritate munerum audiui querentem: Quàm bella, inquit, aetas perit. Auida est periculi virtus, & quo rendat, oon quid passura sit, cogitat: [o] quoniam & quod passura est, gloriae pars est. Militares viri gloriantur vulneribus, laeti fluentem meliori casu sanguinem ostentant.

Idem

Idem licet fecerint, qui integri reuertuntur ex acie, magis spectatur, qui saucius redit. Ipsis inquam Deus consulit, qnos esse quàm honestissimos cupit, quoties illis materiam praebet aliquid animose fortiterque faciendi. Ad quam rem opus est aliqua terum difficultate. Gubernatorem in tempestate, in acie militem intelligas. Vnde possum scite, quanrum aduersus paupertatem tibi animi sit, si diuitiis diffluis? Vnde possum scire, quantum aduersus ignominiam & infamiam, odiumque populare constantiae habeas, si inter plausus senescis, si te inexpugnabilis, & inclinatione quadam mentium pronus fauor sequitur? Vnde scio, [p] quàm aequo animo laturus sis orbitatem, si quoscunque sustulisti, vides? Audiui te, cum alios consolareris: tunc conspexissem, si te ipse consolatus esses, si te ipse dolere vetuisses. Nolite, obsecro vos, expauescere ista, quae dij immortales velut stimulos admouent animis. Calamitas, virtutis occasio est. Illos merito quis dixerit miseros, qui nimia felicirate torpescunt, quos velut in mari lento [q] tranquillitas iners detinet. Quicquid illis inciderit, nouum veniet. Magis vrgent saeua inexpertos. [r] Graue est tenerae ceruici iugum. Ad suspicionem vulneris tiro pallescit: audaciter veteranus cruorem suum spectat, qui scit se saepe vicisse post sanguinē. Hos itaque Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet. Eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere: molles venturis malis seruat. Erratis enim, si quem iudicatis exceptum. [s] Veniet ad illum diu felicem sua portio. Quisquis videtur dimissus esse, dilatus est. Quare Deus optimum quenque aut mala valetudine, aut luctu, afficit? [t] Quare in castris quoque periculosa fortissimis imperantur? Dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidiis, aut explorent iter, aut praesidium loco deiiciant. Nemo eorum qui exeunt, dicit, Male de me Imperator meruit: sed, Bene iudicauit. Idem dicant quicunque iubentur pati, timidis ignauisque flebilia: Digni visi sumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura posset pati. Fugite delicias. fugite eneruatam felicitatem, [17] qua animi permadescunt, nisi aliquid interuenit, quod humanae sortis admoneat, velut perpetua ebrietate sopiti. Quem specularia semper a flatu vindicarunt, cuius pedes inter fomenta subinde mutata tepuerunt, cuius coenationes subditus & parietibus circumfusus calor temperauit, hunc leuis aura non sine periculo stringet. Cum omnia quae excesserunt modum, noceant, periculosissima felicitatis intemperantia est. Mouet cerebrum, [u] in vanas mentem imagines euocat, mulrum inter falsum ac verum mediae caliginis fundit. Quid ni satius sit, perpetuam infelicitatem quae aduocat ad virtutem, sustinere, quàm infinitis atque immodicis bonis rumpi? Leuior ieiuno mors est: cruditate dissilinnt. Hanc itaque rationem dij sequuntur in bonis viris, quam in discipulis suis praeceptores: qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est. Nunquid tu inuisos esse Lacedaemoniis liberos suos credis, quorum experiuntur indolem [x] publice verberibus admotis? Ipsi illos patres adhortantur, vt ictus flagellorum fortiter perferant, & laceros ac semianimes rogant, perseuerent vulnera praebere vulneribus. Quid mirum, si dure generosos spiritus Deus tentat? Nunquā virtutis molle documentum est. Verberat nos & lacerat fortuna. Patiamur. Non est saeuitia: certamē est. quo saepius adierimus, fortiores erimus. Solidissima pars est corporis, [y] quā frequens vsus agitauit. Praebendi fortunae sumus, [z] vt contra ipsam ab ipsa duremur. Paulatim nos sibi pares faciat. Contemptum periculorum assiduitas periclitandi dabit. [a] Sic sunt nauticis corpora ferendo mari dura: agricolis manus tritae. Ad excutienda tela militares lacerti valent. Agilia sunt membra cursoribus. Id in quoque solidissimum est, quod exercuit. [b] Ad contemnendam malorum potentiam, animus patientia peruenit: quae quid in nobis efficere possit, scies, si aspexeris, quantum nationibus nudis & inopia fortioribus, labor praestet. Omnes considera gentes, in quibus Romana pax desinit: Germanos dico, & quicquid circa Istrum vagarum gentium occursat. Perpetua illos hiems, triste caelum premit, maligne solnm sterile sustentat, imbrem culmo aut fronde defendunt, [c] super durata glacie stagna persultant, in alimentum feras captant. Miseri tibi videntur? Nihil miserum est, quod in naturam consuetudo perduxit. Paulatim enim voluptati sunt, quae necessitate coeperunt. Nulla illis domicilia, nullae sedes sunt, nisi quas lassitudo in diem posuit. Vilis, & hic quaerendus manu victus, horrenda iniquitas caeli, intecta corpora: hoc quod tibi calamitas videtur, tot gentium vita est. Quid miraris bonos viros, vt confirmentur, concuti? [18] Nō est arbor solida, nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat: ipsa enim vexatione constringitur, & radices certius figit. Fragiles sunt, quae in aprica valle creuerunt. Pro ipsis ergo bonis viris est, vt esse interriti possint, multum inter formidolosa versari, & aequo animo ferre quae non sunt mala, nisi male sustinenti.

Adiice nūc, quòd pro omnibus est, v.
optimum quemque, vt ita dicam, militare, & edere operas. [d] Hoc est propositum Deo, quod sapienti viro, ostendere haec qnae vulgus appetit, qnae reformidat, nec bona esse nec

mala. Apparebunt autem bona eſſe, ſi illa non niſi bonis viris tribuerit: & mala eſſe, ſi malis tãtum irrogauerit. Deteſtabilis erit caecitas, ſi nemo oculos perdiderit, niſi cui eruendi ſunt. Itaque careant luce Appius & Metellus. Non ſunt diuitiae bonum. Itaque habeat illas & Ellius leno, vt homines pecuniam cum in templis conſecrauerint, videant & in fornice. Nullo modo magis poteſt Deus concupita traducere, quàm ſi illa ad turpiſſimos defert, ab optimis abigit. At iniquum eſt, bonum virum [e] debilitari, aut conſtringi, aut alligari, malos integris corporibus ſolutos ac delicatos incedere. Quid porro? non eſt iniquum, fortes viros arma ſumere, & in caſtris pernoctare, & pro vallo obligatis ſtare vulneribus: interim in vrbe ſecuros eſſe, praeciſos & profeſſos impudicitiam? Quid porro? non eſt iniquum, nobiliſſimas virgines ad ſacra facienda noctibus excitari, altiſſimo ſomno inquinatas frui? Labor optimos citat. Senatus per totum diem ſaepe conſulitur: cum illo tempore viliſſimus quiſque, aut in campo otium ſuum oblectet, aut in popina lateat, aut tempus in aliquo circulo terat. [f] Idem in hac magna republica fit: boni viri laborant, impendunt, impenduntur, & volentes quidẽ: non trahuntur a fortuna, [g] ſequuntur illam, & aequant gradus. ſi ſciſſent, anteceſſiſſent. Hanc quoque animoſam Demetrij fortiſſimi viri vocem audiſſe me memini: Hoc vnum, inquit, dij immortales, de vobis queri poſſum, quòd non ante mihi voluntatem veſtram notam feciſtis. Prior enim ad iſta veniſſem, ad quae nunc vocatus aſſum. Vultis liberos ſumere? illos vobis ſuſtuli. Vultis aliquam partem corporis? ſumite. Non magnam rem promitto. cito totum relinquam. Vultis ſpiritum? Quid ni? nullam moram faciam, quominus recipiatis quod dediſtis. A volente feretis, quicquid petieritis. Quid ergo eſt? maluiſſem offerre quàm tradere. Quid opus fuit auferre? accipere potuiſtis. ſed ne nunc quidem auferetis: quia nihil eripitur, niſi retinenti. Nihil cogor, nihil patior inuitus: nec ſeruio Deo, ſed aſſentio: eo quidem magis, quòd ſcio omnia certa & in aeternũ dicta lege decurrere. [19] Fata nos ducũt: & quantum cuique reſtet, prima naſcentium hora diſpoſuit. Cauſa pendet ex cauſa, priuata ac publica longus ordo rerum trahit. Ideo fortiter omne ferendum eſt: quia non, vt putamus, incidunt cuncta, ſed veniunt. Olim conſtitutum eſt, quid gaudeas, quid fleas: & quamuis magna videatur varietate ſingulorum vita diſtingui, ſumma in vnum venit. accepimus peritura perituri. Quid ita indignamur? quid querimur? Ad hoc parati ſumus. Vtatur, vt vult, ſuis natura corporibus. Nos laeti ad omnia & fortes cogitemus, nihil perire de noſtro. Quid eſt boni viri? praebere ſe fato. Grande ſolatium eſt, cum vniuerſo rapi. [h] Quicquid eſt quod nos ſic viuere iuſſit, ſic mori: eadem neceſſitate & deos alligat. irreuocabilis humana pariter ac diuina curſus vehit. Ille ipſe omnium conditor ac rector ſcripſit quidem fata, ſed ſequitur. Semper paret, ſemel iuſſit. Quare tamẽ Deus tam iniquus in diſtributione fati fuit, vt bonis viris paupertatem, vulnera, & acerba funera adſcriberet? [4°] Nõ poteſt artifex mutare materiam. Haec paſſa eſt. Quaedam ſeparari a quibuſdam non poſſunt, cohaerent, indiuidua ſunt. Languida ingenia, & in ſomnum itura, aut in vigiliam ſomno ſimillimam, inertibus nectuntur elementis: [i] vt efficiatur vir cum cura dicendus, fortiore fato opus eſt. Non erit illi planum iter: ſurſum oportet ac deorſum eat, fluctuetur, ac nauigium in turbido regat. Contra fortunam illi tenendus eſt curſus. Multa accident dura, aſpera, ſed quae molliat & complanet ipſe. Ignis aurum probat, miſeria fortes viros. Vide quàm alte eſcendere debeat virtus. [k] Scies illi non per ſecura vadendum eſſe.

Ardua prima via eſt, & qua vix mane recentes
Enituntur equi: medio eſt altiſſima caelo:
Vnde mare & terras ipſi mihi ſaepe videre
Fit timor, & pauida trepidat formidine pectus.
Vltima prona via eſt, & eget moderamine certo.
Tunc etiam quae me ſubiectis excipit vndis,
Ne ferar in praeceps, Thetis ſolet ipſa vereri.

Haec cum audiſſet ille generoſus adoleſcens: Placet, inquit, via. eſcendo. Eſt tanti per iſta ire caſuro. Non deſinit acrem animum metu territare.

Vtque viam teneas, nulloque errore traharis,
Per tamen aduerſi gradieris cornua tauri,
AEmoniosque arcus, violentique ora leonis.

[l] His quibus deterreri me putas, incitor. Libet illic ſtare, vbi ipſe ſol trepidat. humilis & inertis eſt, tuta ſectari. per alta virtus it.

VI. Quare tamen bonis viris patitur aliquid mali Deus fieri? Ille vero non patitur. Omnia mala ab illis remouit, ſcelera & flagitia, & cogitationes improbas, & auida conſilia, & libidinem caecam, & alieno imminentem auaritiam. Ipſos tuetur ac vindicat. Nunquid hoc

quoque

quoque a Deo aliquis exigit, vt bonorum virorum etiam sarcinas seruet? Remittunt ipsi hanc Deo curam: externa contemnunt. Democritus diuitias proiecit, onus illas bonae mētis existimans. Quid ergo miraris, si id Deus bono accidere patitur, quod vir bonus aliquando vult sibi accidere? Filios amittunt viri boni. [m] Quid ni, cum aliquando & ipsi occidant? In exilium mittuntur. Quid ni, cum aliquando ipsi patriam non repetituri relinquant? Occiduntur. Quid ni, cum aliquando ipsi sibi manus afferant? [n] Quare quaedam dura patiuntur? vt etiam alios pati doceant. Nati sunt in exemplar. Puta itaque Deum dicere: Quid habetis, quòd de me queri possitis vos, quibus recta placuerunt? Aliis bona falsa circumdedi, & animos inanes, velut longo fallacique somnio lusi. Auro illos, argento & ebore ornaui: intus boni nihil est. Isti quos pro felicibus aspicitis, si non qua occurrunt, sed qua latent, videritis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti. Non est ista solida & sincera felicitas: crusta est, & quidem tenuis. Itaque dum illis licet stare, & ad arbitrium suum ostendi, nitent & imponunt: cum aliquid incidit, quod disturbet ac detegat, tunc apparet quantum altae ac verae foeditatis alienus splendor absconderit. Vobis dedi bona certa, mansura: [o] quanto magis versaueritis, & vndique inspexeritis meliora maioraque. permisi vobis, metuenda contemnere, cupienda fastidire. Non fulgetis extrinsecus: bona vestra introrsus obuersa sunt. Sic mundus exteriora contempsit, spectaculo sui laetus. Intus omne posuit bonum. Non egere felicitate felicitas vestra est. At multa incidunt tristia, horrenda, dura toleratu. quia non poteram vos istis subducere, animos vestros aduersus omnia armaui. [q] Ferte fortiter. hoc est, quo Deum antecedatis. Ille extra patientiam malorum est, vos supra patientiam. Contemnite paupertatem. Nemo tam pauper viuit, quàm natus est. [r] Contemnite dolorem: aut soluetur, aut soluet. Contemnite fortunam: nullum illi telum quo feriret animum, dedi. Contemnite mortem: quae vos aut finit, aut transfert. Ante omnia caui, ne quis vos teneret inuitos. Patet exitus. Si pugnare non vultis, licet fugere. Ideoque ex omnibus rebus, quas esse vobis necessarias volui, nihil feci facilius, quàm mori. Prono animam loco posui. trahitur. Attendite modo, & videbitis quàm breuis ad libertatem & quàm expedita ducat via. Non tam longas in exitu vobis quàm intrantibus moras posui: alioqui magnum in vos regnum fortuna tenuisset, si homo tam tarde moreretur, quàm nascitur. Omne tempus, omnis vos locus doceat, quàm facile sit renuntiate naturae, & munus suum illi impingere. Inter ipsa altaria & sollemnes sacrificantium ritus, dum optatur vita, mortem condiscite. Corpora opima taurorum exiguo concidunt vulnere, & magnarum virium animalia humanae manus ictus impellit. tenui ferro commissura ceruicis abrumpitur, & cum articulus ille, qui caput collumque committit, incisus est, tanta illa moles corruit. Non in alto latet spiritus, nec vtique ferro eruendus est. Non sunt vulnere impresso scrutanda praecordia. In proximo mors est. Non certum ad hos ictus destinaui locum. [t] quacunque peruium est. Ipsum illud quod vocatur mori, quo anima discedit a corpore, breuius est, quàm vt sentiri tanta velocitas possit. Siue fauces nodus elisit: siue spiramentum aqua praeclusit: [t] siue in caput lapsos subiacentis soli duritia comminuit: siue haustus ignis cursum animae remeantis interscidit: quicquid est, properat. Ecquid erubescitis? Quod tam cito fit, timetis diu?

M. ANTONII MVRETI AD LIBRVM PRAECEDENTEM NOTAE.

VERA *huius libri inscriptio haec est*: QVARE BONIS VIRIS MVLTA MALA ACCIDANT, CVM SIT PROVIDENTIA. *Ea non tantum in libro Siculo totidem litteris legitur, sed, quod pluris est, apud Lactantium in libro de iustitia.*

2 Quid ita, si prouidentia] *Ita impius quidam philosophus apud Plutarchum (si is liber Plutarchi est, quod non credo: neque me a sententia aut Stobaei aut Eusebij demouet auctoritas) libro primo* περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις. Πῶς δὲ, εἴπερ ὁ θεός ἐστι, καὶ τῇ τούτου φροντίδι τὰ τῶν ἀνθρώπων οἰκονομεῖται, τὸ μὲν κίβδηλον εὐτυχεῖ, τὸ δὲ ἀστεῖον τὸ ἐναντίον πάσχει; Ἀγαμέμνων τε γὰρ, CAP. 7.

Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητὴς,

ὑπὸ μοιχοῦ καὶ μοιχαλίδος ἐπιβουλευθεὶς ἐδολοφονήθη. καὶ ὁ τούτου δὲ συγγενὴς Ἡρακλῆς πολλὰ τῶν ἐπιλυμαινομένων τὸν ἀνθρώπινον βίον καθάρας, ὑπὸ Δηιανείρας φαρμακευθεὶς ἐδολοφονήθη. *Et Cyniscus Iouem alloquens,* Διὶ ἐλεγχομένῳ· Οὐκοῦν μηδ' ἐκεῖνο ὑμᾶς ἔρωμαι, ὅτι τε καὶ

τὴν πενίαν, καὶ τὴν εἱμαρμένην, τί δή ποτε Φωκίων μὲν ὁ χρηστὸς ἐν τοσαύτῃ πενίᾳ καὶ ἀπορίᾳ τῶν ἀναγκαίων ἀπέθανε, καὶ Ἀριστείδης πρὸ αὐτοῦ· Καλλίας δὲ καὶ Ἀλκιβιάδης, ἀκόλαστα μειράκια, ὑπερεπλούτουν, καὶ Μειδίας ὁ ὑβριστὴς, καὶ Χάροψ ὁ Αἰγινήτης, κίναιδος ἄνθρωπος, τὴν μητέρα λιμῷ ἀποκτονῶν. καὶ πάλιν Σωκράτης μὲν παρεδόθη τοῖς ἕνδεκα, Μέλιτος δὲ οὐ παρεδόθη. καὶ Σαρδανάπαλος μὲν ἐβασίλευσε, θῆλυς ὤν, Περσῶν δὲ τοσοῦτοι καλοὶ κἀγαθοὶ ἄνδρες ἀνεσκολοπίζοντο πρὸς αὐτοῦ, διότι μὴ ἠρέσκοντο τοῖς γιγνομένοις. ἵνα ὑμῖν μηδὲ τὰ νῦν λέγω, καθ' ἕκαστον ἐπεξιὼν, τοὺς μὲν πονηροὺς εὐδαιμονοῦντας, καὶ τοὺς πλεονέκτας, ἀγομένους δὲ καὶ φερομένους τοὺς χρηστοὺς, ἐν πενίᾳ καὶ νόσοις καὶ μυρίοις κακοῖς πιεζομένους.

3 Si prouidentia] *Pronoean aut prouidentiam cum dicebant Stoici, nullo addito, diuinam prouidentiam intelligebant. Cicero II. de natura deorum:* Vt si quis dicat, Atheniensium remp. concilio regi: desit illud, Ariopagi: Sic eum dicimus, prouidentia mundum administrari, deesse arbitrator, deorum. plane autem & perfecte sic dici existimato, prouidentia deorum mundum administrari.

4 In contextu operis] *Quod non extat. Significat autem magnum illud opus, quo vniuersam moralem philosophiam complexus erat: cuius crebra in epistolis mentio.*

5 Manente lite integra] *De prouidentia: non quidem tecum, sed cum iis qui eam negant.*

6 Superuacuum est] *Tum quia per se notum est, tum quia tu id non negas. Breuiter tamen tangit, quasi praeteriens, multa argumenta, quibus, diuinum esse aliquod numen, quod huic rerum vniuersitati praesideat, intelligatur. quorum primum est, mundi ipsius magnitudo, quae carere custode non potest. Sic apud Ciceronem Balbus,* An vero, *inquit,* si domum magnam pulchramque videris, non possis adduci, vt, etsi dominum non videas, muribus illam & mustelis aedificatam putes: tantum vero ornatum mundi, tantam varietatem pulchritudinemque rerum caelestium, tantam vim & magnitudinem maris atque terrarum, si tuum, ac non deorum immortalium domicilium putes, non plane desipere videare? *Sed haec argumenta & in secundo de natura deorum, & a Lactantio in libro de ira Dei, & a Theodoreto, decem aureolis orationibus diuinitus explicata sunt.*

7 Et quae casus] *In iis quae casu aguntur, nullus ordo, nulla constantia est. In mundo omnia ordinatim constanterque fiunt. Non igitur casu aguntur. Quod si est, sequitur, vt mente ac consilio regantur.*

8 AEternae legis] *Ita vocabant mentem ac consilium diuinum; siue, vt Cicero libro II. de legibus loquitur, rationem rectam summi Iouis. Et eo sensu dixerat Pindarus,* νόμον εἶναι πάντων βασιλέα θνητῶν τε καὶ ἀθανάτων, *vt est apud Platonem in Gorgia. quod etiam a Pindaro sumptum posuerat Chrysippus libro primo* περὶ νόμου, *vt est in l. secunda D. de legibus. Et apud Euripidem Hecuba ait, legi illi etiam deos parere ac subesse.*

Ἡμεῖς μὲν οὖν δοῦλοί τε κ' ἀσθενεῖς ἴσως.
Ἀλλ' οἱ θεοὶ σθένουσι, χ' ὁ κείνων κρατῶν Νόμος.

Fortassis etiam fatalem quandam necessitatem, qua somniabant & homines & deos teneri: de qua alio loco dicturi sumus.

9 Non esse materiae errantis hunc ordinem:] *Aduersus Epicureos, qui haec omnia temerario atomorum concursu fieri ac constare dicebant.*

10 Molliant terras,] *Suapte sponte aridissimas, ideoque durissimas.*

11 Nec vllum incrementum] Omnia flumina intrant in mare, & mare nõ redundat. *Ecclesiastae capite primo.*

12 Ex minimis feminibus] *Cicero:* Seminis enim vim esse tantam, vt id quanquam sit perexiguum, tamen, si inciderit in concipientem comprehendentemque naturam, nactumque sit materiam, qua ali augerique possit, ita fingat & efficiat in suo quidque genere. *Vtitur eodẽ argumento ad ostendendam prouidentiam & Simplicius in Epictetum.*

13 Ne illa quidem] *Non tantum ea quae ita certa sunt & composita, vt in eis manifesto vis consilij & rationis appareat, sed ea etiam quae videntur incerta & temeraria, certo tamen consilio administrantur.*

14 Noua insularum in vasto exilientium mari spatia.] *Exemplum huius rei est apud Liuium ad finem libri* XXXIX. *Vide Plinium capite* XCVII. *libri secundi.*

15 Vt bona bonis nocceant.] *Hac de re copiose dixi libro secundo commentariorum in libros Platonis de rep.*

16 Inter bonos viros ac Deum amicitia est,] *Vnde colligebat Diogenes cynicus, omnia bonorũ virorum esse: quod & deorum omnia essent, & amicis omnia inter ipsos communia.*

17 Conciliante

17 Conciliantè virtute.] *Quam eandē esse dicebāt in homine & in Deo. Cicero primo de legibus:*

18 Bonus ipse tempore tantum a Deo differt,] *Itaque dicebant, hominem esse mortalem Deū, Deum vero hominem immortalem. Sed hoc multo quàm par est, audacius ac superbius dictum est.*

19 Discipulus eius,] ἔσονται πάντες θεοδίδακτοι.

20 AEmulatorque] *Estote imitatores Dei.*

21 Et vera progenies,] *Erunt filij Dei. Dicas interdum hunc hominem litteras sacras attigisse ac degustasse.*

22 Nec hoc dico, non sentit illa:] *Nam* ἀναισθησία *vitium potius esset. Notum est quid Plato dixerit in Diogenem: cum is, ostentandae patientiae causa, columnam marmoream nudus media hieme amplecteretur. Si sentis, stulte facis: si non sentis, nihil magni facis.* II.

23 Exercitationes] *Recte. Sunt enim aut* χειμώνων ἰατρεῖαι, *aut* ἐγκειμένων γυμνασίαι. *Simplicius in Epictetum.*

24 Ecce par Deo dignum,] *Vsitato in gladiatoribus verbo vsus est, vt & statim,* Compositus. *Lucilius:* Cum Placideiano hic componitur. *& in hoc ipso libro*, Ignominiam iudicat gladiator cum inferiore componi.

25 Iam Petreius & Iuba concurrerunt, iacentque alter alterius manu caesi.] *Mirabilis in horum morte narranda historicorum dissensio est. Hic noster ait eos mutuis vulneribus caesos: idque factum Catone nondum mortuo. At Hirtius in libro de bello Africano,* Rex interim Iuba, *inquit*, ab omnibus ciuitatibus exclusus, desperata salute, cum omnia conatus esset, cū Petreio, vt per virtutem interfecti esse viderentur, ferro inter se depugnant. Firmior imbecilliorem Iuba Petreium facile ferro consumpsit. Deinde ipse sibi cum conaretur gladio traiicere pectus, nec posset, precibus a seruo suo impetrauit, vt se interficeret, idque obtinuit. *Sed hoc Catone iam mortuo factum esse dicit. Huius igitur testimonio, valentior fuit Iuba. At Florus libro quarto, hoc modo:* Iuba cum se recepisset in regiam, magnifice epulatus cum Petreio fugae comite; super mensas & pocula, interficiendum se ei praebuit. ille & regi suffecit & sibi. *En tibi valentiorem Petreium. In hoc autem consentit Florus cum Seneca, quòd id factum narrat, antequam manus sibi adferret Cato. Liuius, quantum ex epitoma libri* CXIIII. *colligitur, de Petreio cum Floro facit: de tēpore dissentit. Prius enim narrat mortem Catonis. Dio libro* XLIII. *idem sentire videtur, quod Seneca. Appianus Hirtij sententiam sequitur. Quid in hac varietate facias? Quid, nisi vt dormias potius, quàm in his, quibus neque melior quisquam, neque sapientior fit, subtiliter conquirendis otium conteras?*

26 Si miraris hoc pro aliquo esse,] *Hoc ipsum argumētum ita exposuit Simplicius:* Εἰ οὖν τὴν III.
τῶν σωμάτων ἰατρικὴν γυμνάζουσι καὶ καίουσι, καὶ κατατείνουσι, καὶ μόρια ἀποκόπτουσι, καὶ
ταῦτα τοῖς ἀφειδῶς κολαζομένοις αἰσθητοῖς ποιοῦσι, οὐ κακὸν λέγομεν, ἀλλ' ἀγαθόν, καὶ χάριν
καὶ μισθὸν τελοῦμεν τοῖς ἰατρεύουσι, διὰ τί τὴν τοῦ θεοῦ ἰατρείαν οὐκ ἀγαπῶμεν;

27 Et radi ossa & legi, & extrahi venas.] *Legebantur ossa mortuis. Homerus:*

Ἠῶθεν δή τοι λέγομεν λεύκ' ὀστέ' Ἀχιλλεῦ.

Virgilius: Ossaque lecta cado lexit Corinaeus aheno. *Propertius:*
Ossaque legisti, non illa aetate legenda
Patris. *Hic noster libro secundo de ira:* Dignus fuit, cui permitteret a conuiuio ad ossa filij legenda discedere. *Atque hoc quamlibet multis veterum testimoniis confirmari potest. Sed & in curandis vlceribus non raduntur modo, sed & exciduntur: vt videre est apud Celsum libro octauo. quibus autem exciduntur, iis etiam viuis leguntur. Venae etiam noxiae, vt in varicibus, aut aduruntur, aut exciduntur, & eximuntur. Vide Celsum libri septimi capite* XXXI.

28 Longinqui littoris pisces] *Vt muraenas & angullas Siculas, ostrea Lucrina, coracinos Niliacos, lupos ex Timauo, acipenseres Rhodios. Horatius:*

Sed non omne mare est generosae fertile testae:
Murice Baiano melior Lucrina peloris.
Ostrea Circaeis, Miseno oriuntur echini.
Pectinibus patulis iactat se molle Tarentum.

Talia multa collegerat Varro περὶ ἐδεσμάτων. *Vide Agellium libri* VII. *capite* XVI. *Scripserat & Ennius eodem argumento* φαγητικὰ, *ex quibus versus aliquot leguntur apud Apuleium apologia prima: sed valde corrupti. Scripserant & Antiphanes & Hermippus: quorum multa extant apud Athenaeū: Vide & Macrobium libro tertio Saturnaliorum, & Clementem libro secundo paedagogi.*

29 Peregrina aucupia] *Vt attagenas Ionicas. Martialis*

Inter sapores fertur alitum primus,
Ionicarum gustus attagenarum.

Phoenicopteros: quorum etiam linguis patinas implebant: vt & in superioribus diximus. Idem:

Dat mihi penna rubens nomen, sed lingua gulosis
Nostra sapit.

Phasianos, gallinas Numidicas, porphyriones, pauones Samios, & similia.

30 Pigritiam stomachi nauseantis] *In eum enim vsum illa sumebant.* *Horatius:*

Tostis marcentem squillis recreabis & Afra
Potorem cochlea. *Idem:*
Languidus in cubitum cum se conuiua reponit.

Itaque quòd alij cibum capiunt, vt esurire desinant: illi eo capiebant, vt pleni ac distenti denuo esurirent.

31 Ingenti pomorum strue] *Ita enim apponebant aprum, vt indicarent, eum talem pomorum quasi stragem edere solitum esse. Sic squillas cingebant asparagis. Iuuenalis:*

Aspice, quàm longo distendat pectore lancem,
Quae fertur domino squilla, & quibus vndique cincta
Asparagis, qua despiciat conuiuia cauda,
Cum venit, excelsi manibus sublata ministri.

32 Feras,] *Vt apros. Iuuenalis:*

quanta est gula, quae sibi totos
Ponit apros, animal propter conuiuia natum. *Martialis:*
Spumeus in longa cuspide fumat aper. *Idem:*
Qui Diomedeis metuendus setiger agris,
Aetola cecidit cuspide, talis erat.

Mirum e st autem tantopere illis placuisse vastos illos & immanes apros, cum tenellos constet esse suauiores: nisi forte qui minore periculo capiebantur, minus placebant.

Oryces. Martialis:

Matutinarum non vltima praeda ferarum,
Saeuus oryx, constat quot mihi morte canum.

Onagros, lalisiones, dorcadas, ceruos, eiusdemque generis alia.

33 Sullae dictatori] *Petenti vt Romam rediret.*

34 Supra Seruilium lacum] *Cicero pro Sex. Roscio Amerino:* Multos caesos, non ad Trasimenum lacum, sed ad Seruilium vidimus.

35 Spoliarium.] *Pannicularia sunt ea, quae in custodiam receptus secum attulit: spolia, quibus indutus est, cum ad supplicium ducitur. L. Diuus Hadrianus, D. de bonis damnatorũ. Ea milites plaerunque inter se diuidebant. Inde spoliarium locus vbi exui solebant: Seneca.* Nunquid aliquem tam cupidum esse vitae putas, vt iugulari in spoliario quàm in arena malit? *Plinius in Panegyrico:* Nunc templum, non spoliarium ciuium, cruentarumque praedarum saeuum receptaculum. *Lampridius in Commodo:* Gladiatoris cadauer trahatur: gladiatoris cadauer in spoliario ponatur.

36 Vomitu remetientur] *Frequens erat apud veteres vomendi consuetudo. Iuuenalis:* Bibit & vomit. *Idem:* Crudum pauonem in balnea portas. *Suetonius de Vitellio:* Nec temere vnquam triclinio abscessit, nisi distentus ac madens: & vt statim supino ac per somnum hianti pinna in os inderetur ad exonerandum stomachum. *Sed & Caesarem vomere solitum ostendunt illa ex oratione pro Deiotaro:* Cum te post coenam vomere velle dixisses. *Et puto eum, diem sibi vnum solitum deligere ex mense, quo coenaret copiosius, vt postea vomeret. Cicero de eo ita scribit libro* XIII. *ad Atticum:* Vnctus est, accubuit, ΕΜΕΤΙΚΗΝ agebat. Itaque & edit & bibit ΑΔΕΩΣ, & iucunde, opipare sane & apparate. *In illo autem* ἐμετικὴν, *puto intelligendum,* ἡμέραν. *S. Hieronymus libro secundo aduersus Iouinianum:* Multi impatientiam gulae vomitu remetiuntur, (*male vulgo legitur,* remediantur) & quod turpiter ingesserunt, turpius egerunt. *Adhibebant eius rei causa drimyphagian, id est esum acrium, & salsorum, sumebantque omotarichum, raphanum, erucam, salsamentum vetus, origanum viridem, caepas, porrum, & talia. Auctores Dioscorides libro primo, Paulus AEgineta libro primo, & libro quarto. Atque hoc commendat Galenus libro quinto de vsu partium: & laudat veteres medicos, qui tales vomitiones imperarẽt aut semel aut etiã bis quot mensibus. At Plinius lib.* XI. *cap.* LIII. *ait eis frigidiora effici corpora, oculosque ac dentes insigniter laedi. Plutarchus quoque in libro de valetudine tuenda, vomitum & purgationem alui per medicamenta vocat turpia redundantiae remedia: & damnat.*

IIII. 37 Qua animi permadescunt,] *Ita hoc verbo vsus est & Plautus:*

Continuo pro imbre amor aduenit in cor meum.
Is vsque in pectus permanauit: permadefecit cor meum.

38 Non

38 Non est arbor solida,] Κίνησις γὰρ κεχλιαίνει, ἀργίη δὲ τήκει, *ait Hippocrates.*

39 Fata nos ducunt:] *Sic alibi:* Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

& Manilius,

Fata regunt orbem: certa stant omnia lege.
Nascentes morimur: finisque ab origine pendet. *& Seneca tragicus:*
Fatis agimur, cedite fatis.

Fatum vocabant antiquissimi consilium Iouis: quo regerentur omnia. Itaque apud Homerum cum legerent: Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή, *fatum intelligebant. Eandem* αἶσαν *vocabant, quam ait Homerus vnicuique hominum nascenti nere id quod ipsi euenturum est. Iuno Iliados* υ *de AEnea loquens,*

Ὕστερον αὖτε τὰ πείσεται, ἅσσα οἱ αἶσα
Γιγνομένῳ ἐπένησε λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ.

Eandem, τὸν τοῦ παντὸς λόγον, *id est, mentem & animum mundi. &* Ζῆνα, *tanquam* τοῦ ζῆν αἴτιον. *&* εἱμαρμένην, *tanquam* εἱρμόν τινα *omnium quae fierent. &* Δία, ὅτι πάντα δι' αὐτοῦ. *&* πεπρωμένην, *quòd certa ac definita esset. eandem Plato libro x. de rep. vocat* ἀδραστείας νόμον. *His autem omnibus nihil aliud significabant, quàm Deum, vt praeclare disputatur ad finem* ψευδαριστοτελείου *libelli de mundo ad Alexandrum, & apud Ciceronem in Academicis. Hic si substitissent, ferri poterant. Sed progressi sunt vlterius, vt dicerent, esse ordinem quendam necessarium in rebus omnibus ex omni aeternitate constitutum: cui non inferiora modo haec, sed & Deus ipse seruiret: ita vt eum mutare non posset. Hunc ita definiebat Chrysippus, vt diceret, fatum esse sempiternam quandam & indeclinabilem seriem rerum & catenam, quae semet ipsa volueret, & implicaret per aeternos consequentiae ordines ex quibus apta connexaque esset. Ergo Iupiter ipse Iliados* π *dolet se Sarpedona morti eripere non posse, quod si fatale esset, tunc a Patroclo interfici:*

Ὤ μοι ἐγών, ὅτε μοι Σαρπηδόνα φίλτατον ἀνδρῶν
Μοῖρ' ὑπὸ Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο δαμῆναι.

& inde est illud Simonidis: ἀνάγκῃ οὐδὲ θεοὶ μάχονται. *& veteris cuiusdam poetae apud Ciceronem,*

Quod fore paratum est, id summum exuperat Iouem.

In quo insaniebant. In Deo enim libera & absoluta rerum omnium potestas est: necessitas nulla. Hoc tamen diligentissime obseruabant, ne Deum mali auctorem facerent. Itaque in illa oratione Lacheseos, quae Necessitatis filia dicitur, libro decimo de rep. ita scriptum est. ἀρετὴ δὲ ἀδέσποτον, ἣν τιμῶν καὶ ἀτιμάζων, πλέον καὶ ἔλαττον αὐτῆς ἕκαστος ἕξει· αἰτία ἑλομένου· θεὸς ἀναίτιος. *Et apud Homerum libro primo Odysseae, Iupiter ait desipere homines, cum malorum causam referunt in deos, in quos ipsi sua se stultitia coniiciant:*

Ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται.
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι. οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσι.

Nobis Christianis satius est, vt fortunae, ita fati nomine abstinere. Quòd si quis cum fato omnia regi ait, diuinum consilium a se fati nomine intelligi dicit, sententiam, vt ait S. Augustinus, teneat, linguã corrigat. Vulgo enim fati nomine accipiunt commenticiam quandam necessitatem, quae ex sideribus pẽdeat: quae merum somnium est. Absit, ait S. Gregorius, a fidelium cordibus, vt fatum esse aliquid dicant. Vt a tam impiarum opinionum foeditate longissime abesse, ita omnes voces quae illarum suspicionem mouere aliquam possint, studiosissime vitare debemus. Si Christiani sumus, vtamur & moribus & vocibus Christianis.

40 Non potest artifex mutare materiam.] *Stulta & haec opinio de origine malorum: Materiam continuisse in se malorum omnium semina: eam autem a Deo non potuisse mutari. Tangit hanc Arnobius libro primo aduersus gentes, his verbis:* Quid enim si prima materies, quae in rerum quattuor elementa digesta est, miseriarum omnium causas suis continet rotationibus inuolutas? *Non cogitabant videlicet, vt cetera omnia, sic materiam ipsam a Deo conditam esse.* Vidit autem Deus omnia quae fecerat: & erant valde bona. *Itaque malorum origo aliunde repetenda & aliter explicanda est.*

41 Ferte fortiter, hoc est quo Deum antecedatis.] *Haec vero intoleranda Stoicorum arrogantia est. Parum putarunt, sapientem suum cum Deo conferre: etiam anteposuerunt. Haec monstra opinionum perterrefacere nos debent, ne vnquam ingenio nostro confisi, quidquam de rebus diuinis temere aut statuere aut pronuntiare audeamus.*

L. ANNAEI SENECAE
DE IRA AD NOVATVM
LIBER PRIMVS.

CAP. I.

XEGISTI a me, Nouate, vt scriberem quemadmodum posset ira leniri: nec immeriro mihi videris hunc praecipue affectum pertimuisse, maxime ex omnibus taetrum ac rabidum. Ceteris enim aliquid quieti placidique inest; hic totus concitatus & in impetu doloris est: armorum, sanguinis, suppliciorum, minime humana [1] feruens cupiditate: dum alteri noceat, sui negligens: in ipsa irruens tela, & [2] vltionis secum multa tracturae auidus. Quidam itaque e sapientibus viris [3] iram dixerunt breuem insaniam: aeque enim impotẽs sui est, decoris oblita, necessitudinum immemor, [4] in quod coepit pertinax & intenta, rationi consiliisque praeclusa, vanis agitata causis, [a] ad dispectum aequi verique inhabilis, ruinis simillima, quae super id quod oppressere, franguntur. Vt autem scias non esse sanos, quos ira possedit, ipsum illorum habitum intuere. Nam vt furentium certa indicia sunt, audax & minax vultus, tristis frons, torua facies, citatus gradus, inquietae manus, color versus, crebra & vehemẽtius acta suspiria: ita irascentium eadem signa sunt. [b] Flagrant, & micant oculi, multus ore toto rubor, exaestuante ab imis praecordiis sanguine, labia quatiuntur, dentes comprimũtur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum seipsos torquẽtium sonus, gemitus mugitusque, & parum explanatis vocibus sermo praeruptus, & complosae saepius manus, & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnasque minas agens, foeda visu & horrenda facies deprauantium se, atque intumescentium. Nescias, vtrum magis detestabile vitium sit, an deforme. Cetera licet abscondere, & in abdito alere. Ira se profert, & in faciem exit: quantoque maior est, hoc efferuescit manifestius. Non vides, vt omnium animalium, simul ad nocendũ insurrexerunt, procurrant notae, ac tota corpora solitum quietumque egrediantur habitum, & feritatem suam exasperent? Spumant apris ora, dentes acuuntur attritu: taurorum cornua iactantur in vacuum, & harena pulsu pedum spargitur: leones fremunt, inflantur iratis colla serpentibus, rabidarum canum tristis aspectus est. Nullũ est animal tam horrẽdum, tamque perniciosum natura, vt nõ appareat in illo, vbi ira inuasit, noua feritatis accessio. Nec ignoro, ceteros quoque affectus vix occultari, libidinem, metumque, & audaciam, dare sui signa, & posse praenosci. Neque enim vlla vehementior intra cogitatio est, quae nihil moueat in vultu. Quid ergo interest? Quòd alij affectus apparent, hic eminet.

II. [5] Iam vero si effectus eius damnaq; intueri velis, nulla pestis humano generi pluris stetit. Videbis caedes ac venena, & reorum mutuas sordes, & vrbium clades, & totarum exitia gẽtium, & principum sub ciuili hasta capita venalia, & subiectas tectis faces, nec intra moenia coercitos ignes, sed ingentia spatia regionum hostili flamma relucentia. Aspice nobilissimarum ciuitatum fundamenta vix notabilia: has ira deiecit. Aspice solitudines per multa millia sine habitatione desertas: has ira exhausit. Aspice tot memoriae proditos duces, mali exempla fati. Alium ira in cubili suo confodit: [c] alium inter sacra mensae ira percussit: alium inter leges [d] celebrisque spectaculũ fori lancinauit: alium filij parricidio dare sanguinem iussit, alium seruili manu regalem aperire iugulum, alium in cruces membra diuidere. Et adhuc singulorum supplicia narro. Quin si tibi libuerit, relictis in quos ira viritim exarsit, aspicere caesas gladio contiones, & plebẽ immisso milite contrucidatam, & in perniciem promiscuam totos populos capitis damna pas-
† sos, [6] [e] tanquam aut curam nostram deserentibus, aut auctoritatem contemnentibus. [f] Quid gladiatoribus, quare populus irascitur, & tam inique, vt iniuriam putet, quòd non libenter pereunt? contemni se iudicat, & vultu, gestu, ardore, de spectatore in aduersarium vertitur. Quicquid est, certe non est ira, sed quasi ira: sicut puerorum, qui si ceciderunt, terram verberari volunt, [g] & saepe ne sciunt quidem, cui irascantur, sed tantum irascuntur sine causa & sine iniuria, non tamen sine aliqua iniuriae specie, nec sine aliqua poenae cupiditate. Deludũtur itaque imitatione plagarum, & simulatis deprecantium lacrimis placantur, & falsa vltione falsus dolor tollitur.

III. [7] Irascimur, inquit, saepe non illis qui laeserunt, sed his qui laesuri sunt: vt scias iram non tantum ex iniuria nasci. [h] Verum est irasci nos laesuris. Sed ipsa cogitatione nos laedunt, & iniuriam qui facturus est, iam facit. [i] Vt scias, inquit, non esse iram poenae cupiditatem, infirmissimi saepe potentissimis irascuntur: nec poenam

concu-

concupiscunt,quam non sperant. [9] Primum diximus,iram cupiditatem esse poenae exigendae,non facultatem. [10] Concupiscunt autem homines, & quae non possunt. Deinde nemo tam humilis est,qui poenam vel summi hominis sperare non possit. Ad nocendnm potentes sumus.Aristotelis finitio non multum a nostra abest:ait enim,Iram esse [11] cupiditatem doloris reponendi. Quid inter nostram & hanc finitionem intersit,exequi longum est.contra vtramque dicitur, feras irasci, nec iniuria irritatas, nec poenae dolorisve alieni causa. Nam etiã si hoc efficiunt,non hoc petunt. [12] Sed dicendum est, feras ira carere, & omnia praeter hominem. Nam cũ sit inimica rationi,nusquam tamẽ nascitur,nisi vbi rationi locus est.Impetus habent ferae,rabiem,feritatem,incursum. Iram quidem [i] non magis quàm luxuriam. [k] Et in quasdam voluptates intẽperantiores homine sunt.Non est quod credas illi qui dicit,

Non aper irasci meminit,non fidere cursu
Cerua,nec armentu incurrere fortibus vrsi.

Irasci dicit,incitari,impingi. Irasci quidem non magis sciunt,quàm ignoscere.Muta animalia humanis affectibus carent: habent autem similes illi quosdam impulsus. Alioqui si amor in illis esset, & odium esset:si amicitia, & simultas:si dissensio, & concordia : quorum aliqua in illis quoque extant vestigia:ceterum humanorum pectorum propria bona malaque sunt. Nulli nisi homini concessa [l] prudentia est,prouidentia,diligentia,cogitatio:nec tantum virtutibus humanis animalia, sed etiam vitiis prohibita sunt. Tota illorum vt extra, ita intra, forma humanae dissimilis est. [13] [m] Regiũ illud & principale parum subtile, parum exactum : vt vox est quidem,sed non explanabilis,perturbata, & inefficax: vt lingua,sed deuincta, nec in motus varios soluta. [n] Capit ergo visus speciesque rerum, quibus ad impetus enocetur,sed turbidas,& confusas. Ex eo procursus illarum tumultusque vehementes sunt:metus autem,solicitudinesque,& tristitia,& ira non sunt,sed his quaedam similia.Ideo cito cadũt, mutantur in contrarium,& cum acerrime saeuierunt, expaueruntque, pascuntur : & ex fremitu [o] decursuque vaesano,statim quies soporque sequitur. Quid esset ira,satis explicatum est:quo distet ab iracundia,apparet:quo ebrius ab ebrioso,& timens a timido. Iratus potest non esse iracundus:iracundus potest aliquando iratus nõ esse. Cetera quae pluribus [14] apud Graecos nominibus in species iram distinguunt, quia apud nos vocabula sua non habent, praeteribo : etiam si amarum nos, acerbumque dicimus, nec minus stomachosum, rabiosum,clamosum,difficilem, asperum : quae omnia irarum differentiae sunt. Inter hos morosum ponas licet,delicatum iracundiae genus. Quaedam enim sunt irae, quae intra clamorẽ considũt:quaedam non minus pertinaces,quàm frequentes: [15] [p] quaedam saeuae manu, verbis parciores: [q] quaedam in verborum maledictorumque amaritudinem effusae : quaedam vltra querelas & auersationes non exeunt:quaedã altae grauesque sunt, & introrsus versae. Mille aliae species sunt mali multiplicis. Quid esset ira,quaesitum est : an in vllum aliud animal,quàm in hominẽ caderet,quo ab iracundia distaret,& quae eius species sint. IIII.

Nunc quaeramus,an ira secundum naturam sit,& an vtilis,atque ex aliqua parte retinenda.An secundum naturam sit, manifestum erit, si hominem inspexerimus, quo quid est mitius, dum in recto animi habitus est? quid autem ira crudelius est? [r] Homine quid aliorum amantius? quid ira infestius? Homo in adiutorium mutuum generatus est: ira in exitium. [s] Hic congregari vult, illa discedere : hic prodesse,illa nocere : hic etiam ignotis succurrere, illa etiam carissimos petere.Hic aliorum commodis vel impendere se paratus est:ira in periculum,dũmodo secum deducat alium, parata descendere. Quis ergo magis naturam rerum ignorat, quàm qui optimo eius operi & [t] commendatissimo, hoc ferum ac perniciosum vitium assignat? Ira,vt diximus, auida poenae est : cuius cupidinem inesse pacatissimo hominis pectori, minime secundum eius naturam est. [u] Beneficiis enim humana vita constat & cõcordia: nec terrore,sed mutuo amore in foedus auxiliumque commune constringitur. Quid ergo? non aliquando castigatio necessaria est? Quid ni? sed haec sincera cum ratione. Non enim nocet,sed medetur specie nocendi. Quemadmodum quaedam hastilia detorta, vt corrigamus,adurimus,& adactis cuneis,non vt frangamus,sed vt explicemus,elidimus:sic ingenia vitio praua, dolore corporis animique corrigimus. Nempe medicus primo in leuibus vitiis tentat non multum ex quotidiana consuetudine inflectere, & cibis, potionibus, exercitationibus ordinem ponere, ac valetudinem tantum mutata vitae dispositione firmare. proximum est, vt modus proficiat. Si modus & ordo non proficit, subducit aliqua, & circumcidit. Si ne adhuc quidem respondet, interdicit cibis, & abstinentia corpus exonerat. Si frustra molliora cesserunt,ferit venam,membrisque,si adhaerentia nocent,& morbũ diffundunt, manus affert : nec vlla dura videtur curatio, cuius salutaris effectus est. Ita legum

praesidem, ciuitatisque rectorem decet, quamdiu potest, verbis, & his mollioribus, ingenia curare, vt facienda suadeat, cupiditatemque honesti & aequi conciliet animis, faciatque vitiorum odium, pretium virtutū:[x] transeat deinde ad tristiorem orationem, qua moneat adhuc & exprobret: nouissime ad poenas, & has adhuc leues & reuocabiles decurrat. Vltima supplicia sceleribus vltimis ponat, vt nemo pereat, nisi quem perire etiam pereuntis intersit.

VI. Hoc vno medentibus erit dissimilis, quòd illi quibus vitam non potuerunt largiri, facilem exitum praestant: hic damnatum cum dedecore & traductione vita exigit:[y] non, quia delectetur vllius poena (procul est enim a sapiente tam inhumana feritas) sed vt documentum omnium sint: & qui viui noluerunt prodesse, morte certe eorum respublica vtatur. Non est ergo natura hominis poenae appetens: ideo nec ira quidem secundum naturam hominis, quia poenae appetens est. Et Platonis argumentum adferam: quid enim prohibet alienis vti, ex parte qua nostra sunt? Vir bonus, inquit, non laedit. poena laedit. bono ergo poena non conuenit: ob hoc nec ira: quia poena irae conuenit. Si vir bonus non gaudet, [z] non gaudebit nec eo quidem affectu, cui poena voluptati est: ergo non est naturalis ira. [a] Nunquid, quamuis non sit naturalis ira, assumenda est, quia vtilis saepe fuit? Extollit animos, & incitat: nec quicquam sine illa magnificum in bello fortitudo gerit, nisi hinc flamma subdita est, & hic stimulus peragitauit, misitque in pericula audaces.

VII. Optimum itaque quidam putant, temperare iram, non tollere: eoque detracto quod exundat, ad salutarem modum cogere: id vero retinere, sine quo languebit actio, & vis, ac vigor animi resoluetur. Primum facilius est, excludere perniciosa, quàm regere: & non admittere, quàm admissa moderari. Nam cum se in possessione posuerunt, potentiora rectore sunt, nec recidi se minuive patiuntur. Deinde ratio ipsa, cui fraeni traduntur, tamdiu potens est, quamdiu diducta est ab affectibus. Si miscuit se illis, & inquinauit, non potest continere, quos submouere potuisset. Commota enim semel [b] & concussa mens, ei seruit, a quo expellitur.[c] Quarundam rerum initia in nostra potestate sunt: vlteriora nos sua vi rapiunt, nec regressum relinquunt. Vt in praeceps datis corporibus nullum sui arbitrium est, nec resistere morarive deiecta potuerunt, sed consilium omne & paenitentiam irreuocabilis praecipitatio abscidit, & non licet eo non peruenire, quo non ire licuisset: ita animus si in iram, amorem, aliosque se proiecit affectus, non permittitur reprimere impetum: rapiat illum oportet, & ad imum agat suum pondus, & iam vitiorum natura procliuis.

VIII. Optimum est [c] primum irritamentum irae protinus spernere, ipsisque repugnare seminibus, & dare operam ne incidamus in iram. nam si coeperit ferre transuersos, difficilis ad salutem recursus est. Quoniam nihil rationis est, vbi semel affectus inductus est, iusque illi aliquod voluntate nostra datum est. Faciet de cetero quantum volet, non quantum permiseris. In primis, inquam, finibus hostis arcendus est. Nam cum intrauit, & portis se intulit, modum a captiuis non accipit. Neque enim sepositus est animus, & extrinsecus speculatur affectus, vt illos non patiatur vltra quàm oportet procedere, [d] sed in affectum ipse mutatur. Ideoque non potest vtilem illam vim & salutarem, proditam iam infirmatamque, reuocare. Non enim, vt dixi, separatas ista sedes suas diductasque habent, affectus qui in peius, & ratio quae [e] in melius animi mutatio est. Quomodo ergo ratio occupata & oppressa vitiis resurget, quae irae cessit? Aut quemadmodum a confusione se liberabit, in qua peiorum mixtura praeualuit? Sed quidam, inquit, in ira se continent. Vtrum ergo ita, nihil vt faciant eorum quae ira dictat, an vt aliquid? Si nihil faciunt, apparet non esse ad actiones rerum necessariam iram: quam vos, quasi fortius aliquid ratione haberet, aduocabatis. Denique interrogo, valentior est quàm ratio, an infirmior? Si valentior: quomodo illi modum ratio poterit imponere, cum parere nisi imbecilliora non soleant? Si infirmior est: sine hac per se ad rerum effectus sufficit ratio, nec desiderat imbecillioris auxilium.

IX. At irati quidam constant sibi, & se continent. Quomodo? cum iam ira euanescit, & sua sponte decedit, non cum in ipso feruore est: tunc enim potentior est. Quid ergo? non aliquando in ira quoque & dimittunt incolumes intactosque quos oderunt, & a nocendo abstinent? faciunt. Quomodo? cum affectus repercussit affectum, aut metus, aut cupiditas aliquid imperauit.[f] non rationis tunc beneficio quieuit, sed affectuum infida & mala pace. Deinde nihil habet in se vtile, nec acuit animum ad res bellicas. Nunquam enim virtus vitio adiuuanda est, se contenta.[g] Quoties impetu opus est, non irascitur, sed exurgit, & in quantum putauit opus esse, concitatur remittiturque: non aliter quàm quae tormentis exprimuntur tela, in potestate mittentis sunt, in quantum torqueantur. Ira, inquit Aristoteles, necessaria est: nec quicquam sine illa expugnari potest, nisi illa impleat animum, & spiritum accendat. Vtendum autem illa est, non vt duce, sed vt milite.

lite. quod est falsum. Nam si exaudit rationem, & sequitur, quà ducitur, iam non est ira: [h] cuius proprium est contumacia. Si vero repugnat, & non vbi iussa est quiescit, sed libidine, ferociaque prouehitur: tam inutilis animi minister est, quàm miles, qui signum receptui datum negligit. Itaque si modum adhiberi sibi patitur, alio nomine appellanda est. Desinit ira esse, quam effraenatam indomitamque intelligo. Si non patitur, perniciosa est, nec inter auxilia numeranda. Ita aut ira non est, aut inutilis est. Nam si quis poenam exigit, non ipsius poenae auidus, sed quia oportet, non est annumerandus iratis. Hic erit vtilis miles, qui scit parere consilio. Affectus quidem tam mali ministri, quàm duces sunt. Ideo nunquam assumet ratio in adiutorium improuidos & violentos impetus, apud quos nihil ipsa auctoritatis habeat: quos nunquam comprimere possit nisi pares illis similesque opposuerit: vt irae metum, inertiae iram, timori cupiditatem. Absit hoc a virtute malum, vt vnquam ra- X.
tio ad vitia confugiat. Non potest hic animus fidele otium capere: quatiatur necesse est, fluctuetque, qui malis suis tutus est: qui fortis esse, nisi irascitur, non potest: industrius, nisi cupit: quietus, nisi timet: in tyrannide illi viuendum est, in alicuius affectus venie͂ti seruitutem. Non pudet virtutes in clientelam vitiorum demittere? Deinde desinit quicquam ratio posse, si nihil potest sine affectu, & incipit par illi similisque esse. Quid enim interest, si aeque affectus inconsulta res est sine ratione, quàm ratio sine affectu inefficax? Par vtrunque est, vbi esse alterum sine altero non potest. Quis autem sustineat affectum exaequari rationi? [i] Ira, inquit, vtilis affectus est, si modicus est. Immo si natura vtilis est. Sed si patiens imperij rationisque est, hoc duntaxat moderatione consequetur, vt quo minor fuerit, minus noceat.

Ergo modicus affectus nihil aliud quàm malum modicum est. Sed aduersus hostes, in- XI.
quit, necessaria est ira. Nusquam minus: vbi non effusos esse oportet impetus, sed temperatos & oboedientes. Quid enim est aliud quod Barbaros tanto robustiores corporibus, tanto patientiores laborum comminuat, nisi ira infestissima sibi? Gladiatores quoque ars tuetur, ira denudat. Deinde quid opus est ira, cum idem perficiat ratio? An tu putas venatorem irasci feris? an qui venientes excipit, & fugientes persequitur? Omnia illa sine ira facit ratio. [k] Quid Cimbrorum, Theutonorumque tot millia superfusa alpibus ita sustulit, vt tantae cladis notitiam ad suos non nuntius, sed fama pertulerit, nisi quòd erat illis ira pro virtute? [l] quae vt aliquando perculit, strauitque obuia, ita saepius sibi exitio est. Germanis quid est animosius? quid ad incursum acrius? quid armorum cupidius? quibus innascuntur innutriunturque: quorum vnica illis cura est, in alia neglige͂tibus. Quid induratius ad omnem patientiam? vt quibus magna ex parte non tegume͂ta corporum prouisa sunt, [m] non suffugia aduersus perpetuum caeli rigorem. Hos tamen Hispani Gallique, & Asiae Syriaeque molles bello viri, antequam legio visatur, caedunt, ob nullam rem aliam opportunos, quàm ob iracundiam. Agedum illis corporibus, illis animis delicias, luxum, opes ignorantibus, da rationem, da disciplinam. Vt nihil amplius dicam, necesse erit nobis certe mores Romanos repetere. Quo alio Fabius [n] affectas imperij vires recreauit, quàm quòd cunctari & trahere & morari sciuit, quae omnia irati nesciunt? Perierat imperiu͂, quod tunc in extremo stabat, si Fabius tantum ausus esset, quantum ira suadebat. Habuit in consilio fortunam publicam, & aestimatis viribus, ex quibus iam perire nihil sine vniuerso poterat, dolorem vltionemque seposuit in vnam vtilitatem: & occasioni intentus, iram ante vicit, quàm Hannibalem. Quid Scipio? nonne relicto Hannibale, Punico exercitu, omnibusque quibus irascendum erat, bellum in Africa͂ transtulit, tam lentus, vt opinionem luxuriae segnitiaeque malignis daret? Quid alter Scipio? non circa Numantiam multum diuque sedit, & hunc suum publicumque dolorem aequo animo tulit, diutius Numantiam quàm Carthaginem vinci? [o] Quam dum circumuallat, & includit hostem, eo compulit, vt ferro ipsi suo caderent. Non est itaque vtilis, nec in proeliis quidem aut in bellis ira. In te- XII.
meritatem enim prona est: & pericula dum inferre vult, [p] no͂ cauet. Illa certissima est virtus, quae se diu multumque circumspexit & rexit, & ex lento ac destinato prouexit. [q] Quid ergo? vir bonus non irascetur, inquit, si caedi patrem suum viderit, si rapi matrem? Non irascetur: sed vindicabit, sed tuebitur. Quid autem times, ne parum illi magnus stimulus etiam sine ira pietas sit? Aut dic eodem modo: Quid ergo cum viderit secari patrem suum, filiumve, vir bonus non flebit, [r] nec linquetur animo: quae accidere feminis videmus, quoties illas leuis periculi suspicio perculit? Officia sua vir bonus exequitur inconfusus, intrepidus: & sic bono viro digna faciet, vt nihil faciat viro indignum. Pater caedetur? defendam. caesus est? exequar: quia oportet, non quia dolet. Cum hoc dicis Theophraste, quaeris inuidiam praeceptis fortioribus, & relicto iudice, ad coronam venis: quia vnusquisque in eiusmodi suorum casu irascitur. Putas iudicaturos homines id fieri debere, quod faciunt. Fere enim iu-

stum quisque affectum iudicat, quem agnoscit. Irascuntur boni viri pro suorum iniuriis: sed
idem faciunt, si calida non bene praebeatur, si vitrum fractum est, si calceus luto sparsus est.
Non pietas illam iram, sed infirmitas mouet: sicut pueri, qui tam parentibus amissis flebunt,
quàm nucibus. Irasci pro suis, non est pij animi, sed infirmi. Illud pulchrum dignumque, pa-
rentibus, liberis, amicis, ciuibus prodire defensorem, ipso officio ducente, volentem, iudicá-
tem, prouidentem, non impulsum & rabidum. Nullus enim affectus vindicandi cupidior
est, quàm ira: & ob id ipsum ad vindicandum inhabilis, praerapida & amens: vt omnis fere
cupiditas ipsa sibi in id, in quod properat, opponitur. Itaque nec in pace, nec in bello vn-
quam bona fuit. Pacem enim similem belli efficit: in armis vero [u] obliuiscitur Martem esse
communem, venitque in alienam potestatem, dum in sua non est. Deinde non ideo vitia in
vsum recipienda, sunt, quia aliquando aliquid boni effecerunt. Nam & febres quaedam ge-
nera valetudinis leuant: nec ideo non ex toto illis caruisse melius est. Abominandum reme-
dij genus est, sanitatem debere morbo. Simili modo ira, etiam si aliquando vt venenum, &
praecipitatio, & naufragium, ex inopinato profuit, non ideo salutaris omnino iudicanda
est. saepe enim saluti fuere pestifera. Deinde quae habenda sunt in bonis, quo maiora, eo
meliora & optabiliora sunt. Si iustitia bonum est, nemo dicet meliorem futuram, si quid de-
tractum ex ea fuerit. Si fortitudo bonum est, nemo illam desiderabit ex aliqua parte demi-
XIII. nui. Ergo & ira quo maior, hoc melior. Quis enim vllius boni accessionem recusauerit?
Atqui augeri illam inutile est: ergo & esse. Non est bonum, quod incremento malum fit.
Vtilis, inquit, ita est, quia pugnaciores facit. Isto modo & ebrietas. Facit enim proteruos &
audaces: multique meliores ad ferrum fuere male sobrij. Isto modo dic & [17] phrenesim &
insaniam viribus necessariam: quia saepe validiorem furor reddit. Quid? non aliquoties
[18] metus ex pauido fecit audacem? & mortis timor etiam inertissimos excitauit in proeliū?
Sed ira, ebrietas, timor, aliaque eiusmodi, foeda & caduca irritamenta sunt: nec virtutem
instruūt, quae nihil vitiis eget, sed segnem aliquando animum & ignauum paululū alleuant.
Nemo irascendo fit fortior, nisi qui fortis sine ira non fuisset. Ira non in adiutorium virtutis
venit, sed in vicem. Quid quòd, si bonum esset ira, perfectissimum quemque sequeretur? At
qui iracundissimi, infantes, senesque, & aegri sunt, & [19] inualidum omne natura querulum
XIIII. est. Non potest, inquit Theophrastus, fieri, vt ne bonus vir irascatur malis. Isto mo-
do quo melior quisque, hoc iracundior erit. Vide ne contra placidior, solutusque affecti-
bus, & cui nemo odio sit. Peccantes vero quid habet cur oderit, cum error illos in huius-
modi delicta compellat? Non est autem prudentis, errantes odisse: alioquin ipse sibi odio e-
rit. Cogitet quàm multa contra bonum morem faciat, quàm multa ex his quae egit, veniā
desiderent. Iam irascetur etiam sibi. Neque enim aequus iudex aliam de sua, aliam de aliena
causa sententiam fert. Nemo, inquam, inuenitur, qui se possit absoluere: & innocētem quis-
que se dicit, respiciens testem, non conscientiam. Quanto humanius, mitem & pacatū ani-
mum praestare peccantibus: & illos non persequi, sed reuocare? Errātem per agros ignorā-
tia viae, melius est ad rectum iter admouere, quàm expellere. Corrigendus est itaque qui
peccat, & admonitione, & vi, & molliter, & aspere: meliorque tam sibi quàm aliis faciēdus,
XV. non sine castigatione, sed sine ira. [20] Quis enim cui medetur, irascitur? At corrigi ne-
queunt, nihilque in illis spei bonae capax est. Tollantur e coetu mortalium, facturi peiora
quae contingunt: & quo vno modo possunt, desinant mali esse: sed hoc sine odio. Quid e-
nim est cur oderim eum, cui tum maxime prosum, cum illum sibi eripio? Nunquis membra
sua odit, tunc cum abscindit? Non est illa ira, sed misera curatio. Rabidos effligimus canes,
trucem atque [y] immansuetum bouem caedimus, & morbidis pecoribus, ne gregem polluāt,
[z] ferrum demittimus, [a] portentosos foetus extinguimus, liberos quoque, si debiles monstro-
sique editi sunt, mergimus. Non ira, sed ratio est, a sanis inutilia secernere. Nil minus quàm
irasci punientem decet: cum eo magis ad emendationem poena proficiat, si iudicio lata est.
Inde est, quod Socrates seruo ait: Caederem te, nisi irascerer. Admonitionem serui in tem-
pus sanius distulit, [b] illo tempore se admonuit. Cuius erit temperatus affectus, cum Socrates
non sit ausus se irae committere? Ergo [c] ad coercitionem errantium, sceleratorumque, irato
castigatore non opus est. Nam cum ira delictum animi sit, non oportet peccata corrigere
XVI. peccantem. [d] Quid ergo? non irascar latroni? non irascar venefico? Non. Neque enim
mihi irascor, cum sanguinem mitto. Omne poenae genus, remedij loco admoueo. Tu ad-
huc in prima parte versaris errorum: nec grauiter labetis, sed frequenter. Obiurgatio te [e] pri-
mum secreta, deinde publica emendare tentabit. Tu longius iam processisti, quàm vt possis
verbis sanari. [f] Ignominia non contineberis. tibi fortius aliquid & quod sentias, inurendū
est. in exilium & loca ignota mitteris. In te duriora remedia, [g] iam solida nequitia desiderat.
& vincula

& vincula publica, & carcet adhibebitur.[h] Tibi insanabilis animus est, & sceleribus scelera contexens: & iam non causis, quae nunquam malo defuturae sunt, impelleris, sed satis tibi est magna ad peccandum causa, peccare. Perbibisti nequitiam, & ita visceribus immiscuisti, vt nisi cum ipsis exire non possit. Olim miser mori quaeris. bene de te merebimur. Auferemus tibi istam qua vexaris, insaniam,[11] & per tua alienaque volutato supplicia, id, quod vnum bonum tibi superest, repraesentabimus, mortem. Quare irascar, cui cummaxime prosum? Interim optimum misericordiae genus est, occidere. Si intrassem valetudinarium exercitatus & sciens, non idem imperassem omnibus, per diuersa aegrotantibus. Varia in tot animis vitia video, & ciuitati curandae adhibitus sum. pro cuiusque morbo medicina quaeratur. Hunc sanet verecundia, hunc peregrinatio, hunc dolor, hunc egestas, hunc ferrũ. Itaque etsi[12] peruersa induenda magistratui vestis,[13] & conuocanda classico contio est: procedam in tribunal, non furens, nec infestus,[k] sed vultu legis: & illa sollemnia verba, seuera magis grauique, quàm rabida voce concipiam,[14] & agi iubebo non iratus, sed seuerus. Et cum ceruicem noxio praecidi imperabo, & cum parricidam insuam culleo, & cum mittam in supplicium militare,[l] & cum Tarpeio proditorem hostemve publicum imponã,[15] sine ita, eo vultu animoque ero, quo serpentes & animalia venenata percutio. Iracundia opus est ad puniendum.[m] Quid enim? videtur lex irasci his quos non nouit, quos non vidit, quos futuros non sperat? Illius itaque sumendus est animus, quae non irascitur, sed constituit. Nam si bono viro ob mala facinora irasci conuenit, & ob secundas res malorum hominum inuidere conueniet. Quid enim est indignius quàm florere quosdam, & eos indulgentia fortunae abuti, quibus nulla potest satis mala inueniri fortuna? Sed tam commoda illorum sine inuidia videbit, quàm scelera sine ira. Bonus iudex improbanda non odit. Quid ergo, non cum eiusmodi aliquid sapiens habebit in manibus, tangetur animus eius, eritque solito commotior? Fateor. Sentiet leuem quendam, tenuemque motum. Nam, vt dixit Zeno, in sapientis quoque animo, etiam cum vulnus sanatũ est, cicatrix manet.[n] Sentiet itaque suspiciones quasdam, & vmbras affectuum: ipsis quidem carebit. Aristoteles ait, affectus quosdam, si quis illis bene vtatur, pro armis esse. Quod verum foret, si velut bellica instrumenta sumi, deponique possent, induentis arbitrio. Haec arma quae Aristoteles virtuti dat, ipsa per se pugnant, non expectant manum. Habẽt, & non habentur. Nil aliis instrumentis opus est. Satis nos instruxit ratione natura. Haec dedit telum, firmum, perpetuum, obsequens, nec anceps, nec quod in dominum remitti posset. Non ad prouidendum tantũ, sed ad res gerendas satis est per se ipsa ratio. Etenim quid est stultius,[o] quàm hanc ab iracundia petere praesidium, rem stabilẽ ab incerta, fidelẽ ab infida, sanam ab aegra? Quid, quòd ad actiones quoque, in quibus solis opera iracundiae videtur necessaria, multo per se ratio fortior est? Nam cum iudicauit aliquid faciendum, in eo perseuerat. Nihil enim melius inuentura est seipsa, quo mutetur. Ideo stat semel constitutis. Iram saepe misericordia retro egit. Habet enim[p] non solidum robur, sed tantum tumorem: violentisque principiis vtitur; non aliter quàm qui a terra venti surgunt,[q] & fluminibus paludibusque excepti, sine pertinacia vehementes sunt. Incipit magno impetu, deinde desinit ante tempus fatigata: & quae nihil aliud quàm crudelitatem ac noua genera poenarum versauerat, cum animaduertendum est, iam fracta, lenisque est. Affectus cito cadit: aequalis est ratio. Ceterum etiam vbi perseuerauerit ira, nonnunquam si plures sunt, qui perire meruerunt, post duorum triumve sanguinem, occidere desinit. Primi eius ictus acres sunt, sicut serpentium venena a cubili repentium nocent: innoxij dentes sunt, cum illos frequens morsus exhausit. Ergo non paria patiuntur, qui paria commiserant: & saepe qui minus commisit, plus patitur: quia recentiori irae obiectus est; &, in tantum inaequalis est, modo vltra quàm oportet, excurrit,[r] modo citerius debito resistit. Sibi enim indulget, ex libidinẽ iudicat, & audire non vult, & patrocinio non relinquit locum,[s] & ea tenet quae inuasit, & eripi sibi iudicium suum, etiam si prauum est, non sinit. Ratio vtrique parti locum dat, & tempus. Deinde aduocationem etiã sibi petit, vt excutiendae spatium veritati habeat: ira festinat. Ratio id iudicari vult, quod aequum est: ira id aequum videri vult, quod iudicauit. Ratio nihil praeter ipsum, de quo agitur, spectat: ira vanis & extra causam obuersantibus commouetur. Vultus illam securior, vox clarior, sermo liberior, cultus delicatior,[16] aduocatio ambitiosior, fauor popularis exasperat. Saepe infesta patrono reum damnat: etiam si ingeritur oculis veritas, amat & tuetur errorem: coargui non vult: & in male coeptis, honestior illi pertinacia videtur, quàm paenitentia. Cn. Piso fuit memoria nostra, vir a multis vitiis integer, sed prauus, & cui placebat pro constantia rigor. Is cum iratus duci iussisset eum, qui ex commeatu sine commilitone redierat, quasi interfecisset, quem non exhibebat, roganti tempus aliquod ad conquiren-

dum,non dedit.damnatus extra vallum ductus est,& iam ceruicem porrigebat,cum subito apparuit ille qui occisus videbatur. Tunc centurio supplicio praepositus, condere gladium speculatorem iubet:damnatum ad Pisonem reducit,redditurus Pisoni innocentiam. Nam militem fortuna reddiderat. Ingenti concursu deducuntur, complexi alter alterum cum magno gaudio castrorum commilitones.Conscendit tribunal furens Piso,ac iubet duci vtrunque,& eum militem,qui non occiderat,& eum qui non perierat. Quid hoc indignius? Quia vnus innocens apparuerat, duo peribant. Piso adiecit & tertium. Nam ipsum centurionem, qui damnatum reduxerat, duci iussit. Constituti sunt in eodem illo loco perituri tres,ob vnius innocentiam.O quàm solers est iracundia ad fingendas causas furoris.Te,inquit, duci iubeo,quia damnatus es:te,quia causa damnationis commilitoni fuisti: te, quia iussus occidere,imperatori non paruisti. Excogitauit quemadmodum tria crimina faceret, quia nullum inuenerat.Habet,inquam,iracundia hoc mali, non vult regi. Irascitur veritati ipsi,si contra voluntatem suam apparuerit:clamore, & tumultu, & totius corporis iactatione,quos destinauit,insequitur,adiectis conuiciis, maledictisque. Hoc non facit ratio : sed si ita opus est,silens quietaque,totas domos funditus tollit, & familias Reipublicae pestilentes cum coniugibus ac liberis perdit,tecta ipsa diruit, & solo exaequat, & inimica libertati nomina exstirpat.Haec non frendens,nec caput quassans, nec quicquam indecorum iudici faciens,cuius tum maxime placidus esse debet & in statu vultus,cum magna pronuntiat. Quid opus est , inquit Hieronymus , cum velis caedere aliquem, prius tua labia mordere? Quid si ille vidisset, desilientem de tribunali proconsulem,& fasces lictori auferētem,& sua vestimenta scindentem , quia tardius scindebantur aliena ? Quid opus est mensam euertere?Quid pocula affligere?Quid se in columnas impingere?Quid capillos euellere?femur,pectusque percutere?Quantam iram putas,quae quia non tam cito in alium quàm vult,erumpit, in se reuertitur? Tenetur itaque a proximis,& rogatur, vt ipse sibi placetur: quorū nihil facit quisquis vacuus ira,meritam cuique poenam iniungit. Dimittit saepe eum,cuius peccatum deprehendit, si paenitentia facti spem bonam pollicetur, si intelligit non ex alto venire nequitiam,sed summo,quod aiunt,animo inhaerere.Dabit impunitatem,nec accipiētibus nocituram , nec dantibus. Nonnunquam magna scelera leuius, quàm minora compescet: si illa lapsu, non crudelitate commissa sunt:his inest latens , & operta & inueterata calliditas.Idem delictum in duobus [a] non eodem modo afficiet, si alter per negligentiā admisit,alter curauit vt nocens esset.Hoc semper in omni animaduersione seruabit,vt sciat alteram adhiberi, vt emendet malos: alteram,vt tollat. In vtroque non praeterita, sed futura intuebitur. Nam,vt Plato ait, NEMO prudens punit,quia peccatū est,sed ne peccetur. Reuocari enim praeterita non possunt:futura prohibentur : & quos volet nequitiae male cedentis exempla fieri, palam occidet, non tantum vt pereant ipsi,sed vt alios pereundo deterreant. Haec cuique expendenda,aestimandaque sunt.Vides quàm debeat omni perturbatione liber accedere ad rem summa diligentia tractandam,potestatem vitae necisque.Male irato ferrum committitur.Ne illud quidem iudicandum est,aliquid iram ad magnitudinē animi cōferre.Non est enim illa magnitudo,tumor est:nec corporibus copia vitiosi humoris intensis,morbus incrementum est,sed pestilens abundātia.Omnes quos vaecors ira animus supra cogitationes extollit humanas, [c] altum quidem & sublime spirare se credunt: ceterum nihil solidi subest,sed in ruinam prona sunt,quae sine fundamentis creuere. Non habet ira cui insistat.non ex firmo mansuroque oritur,sed ventosa& inanis est:tantūque abest a magnitudine animi,quantum a fortitudine audacia, a fiducia insolētia, ab austeritate tristitia, a seueritate crudelitas.Multum,inquam,interest inter sublimem animum & superbū. Iracundia nihil amplum,decorumque molitur. Contra mihi videtur [a] veternosi & infelicis animi,imbecillitatis sibi conscij, saepe indolescere. Vt exulcerata & aegra corpora [b] ad ictus leuissimos gemunt,ita ira muliebre maxime & puerile vitiū est.At incidit & in viros. Nam viris quoque puerilia ac muliebria ingenia sunt. Quid ergo? Non aliquae voces ab iratis emittuntur, [c] quae magno emissae videantur animo,veram ignorantibus magnitudinē?qualis illa dira & abominanda: Oderint,dū metuant. Syllano scias saeculo scriptam. Nescio vtrū sibi peius optauerit,vt odio esset,an vt timori. Oderint. Occurrit illi futurum, vt execrētur,insidientur, opprimant.Quid adiicit? Dij illi malefaciant,adeo reperit dignum odio remedium. Oderint. Quid?dum pareant?non.dum probēt?non.Quid ergo?dum timeant.Sic nec amari quidē vellem.Magno hoc dictū spiritu putas?Falleris. Nec enim magnitudo ista est, sed immanitas. Non est quòd credas irascentium verbis: quorum strepitus magni, minaces sunt,intus mēs pauidissima. Non est quòd existimes verum esse,quod apud disertissimū virum Liuium dicitur: Vir ingenij magni magis quàm boni. Non potest illud separari,

[d] aut

[d] aut & bonum erit, aut nec magnum: quia magnitudinem animi inconcussam intelligo, & introrsus solidam, ab imo parem firmamque, [e] qualis inesse malis ingeniis non solet. Terribilia enim esse, & tumultuosa, & exitiosa possunt: magnitudinem quidem, cuius firmamentum roburque bonitas est, non habebunt. ceterum sermone, conatu, & omni extra paratu facient magnitudinis fidem. Eloquentur aliquid quod tu magni putes: sicut C. Caesar, qui iratus caelo quòd obstreperet pantomimis, quos imitabatur studiosius quàm spectabat, quòdque comessatio sua fulminibus terreretur, prorsus parum certis: ad pugnam vocauit Iouem, [f] & quidem [18] sine missione, Homericum illum exclamans versum:

[19] ἤ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγὼ σέ.

Quanta dementia fuit? Putauit, aut sibi noceri ne a Ioue quidem posse, aut se nocere etiam Ioui posse. Non puto parum momenti hanc eius vocem ad incitandum coniuratorum animos addidisse. Vltimae enim patientiae visum est eum ferre, qui Iouem non ferret. Nihil ergo in ira, ne cum videtur quidem vehemens, deos hominesque despiciens, magnum, nihil nobile est: aut si videtur alicui magnum animum ira producere, videatur & luxuria. Ebore sustineri vult, purpura vestiri, auro tegi, terras trãsferre, maria concludere, flumina praecipitare, nemora suspendere. Videatur & auaritia magni animi. Aceruis auri argẽtique incubat, & prouinciarum nominibus, agros colit, & sub singulis villicis latiores habet fines quàm quos consules sortiebantur. Videatur & libido magni animi. Transnatat freta, puerorum greges castrat, sub gladium mariti venit vxor, morte contempta. Videatur & ambitio magni animi. Non est contenta honoribus annuis: si fieri potest, vno nomine occupare fastos vult, per omnem orbem titulos disponere. Omnia ista non refert, in quantum procedant, extendantque se: angusta sunt, misera, depressa. Sola sublimis & excelsa virtus est. Nec quicquam magnum est, nisi quod simul & placidum.

M. ANTONII MVRETI AD LIBRVM PRIMVM SENECAE DE IRA NOTAE.

HI LIBRI, *vt plaeraque huius scriptoris, ita mutili decurtatique sunt, vt iusta prope causa fuerit grauiter iis irascendi, quorum id negligentia contigit, nisi ipsimet irasci nos vetarent. Feramus hãc quoque iacturam aequo animo: & ex iis quae supersunt, quae nobis vsui sint, studiose colligamus. Nouatum hunc Senecae fratrem fuisse, sunt qui suspicentur: & ego ab eorum sententia non abhorreo.*

1 Feruens cupiditate:] *Ita melius puto, quàm, vt in aliis,* fruens. CAP. I.

2 Vltionis secum multa tracturae:] *Magnas strages, magnas ruinas daturae. Hic quoque coniecturae aliquid datum est. Alij enim libri habebant,* tractare.

3 Iram dixerunt breuem insaniam:] μανίας ὀλιγοχρονίου. *Horatius:* Ira furor breuis est.

4 In quod coepit pertinax] ἐμμενὴς ὅττι πη ὁρμήσαι. *vt Timon in Sillis de Anaxarcho dixerat.*

5 Iam vero] *Hucusque docuit, quàm foeda ac turpis sit ira: nunc, quae damna hominum generi importet.* II.

6 Tamquam aut curam] *Non est dubium, quin hoc loco multa desint. In quibus, quantum e sequentibus manifesto perspicitur, definierat iram exigendae poenae cupiditatem. Deinde argumentatus erat aduersus eam definitionem: & inter cetera argumenta illud quoque posuerat, quòd populus interdum gladiatoribus ignaue se gerentibus irascitur: a quibus tamen nullam iniuriam accepit, vt propterea poenam ab eis exigi velit. Respondet autem Seneca, illam non esse veram iram, sed tantum quandam inanem irae similitudinem. Hac ipsa de re ita Cicero pro Milone.* Etenim si in gladiatoriis pugnis & in infimi generis hominum condicione atque fortuna timidos & supplices, &, vt viuere liceat, obsecrantes, etiam odisse solemus: fortes & animosos, & se acriter ipsi morti offerentes seruare cupimus: eorumque nos magis miseret, qui nostram misericordiam non requirunt, quàm qui illam efflagitant: quanto hoc magis in fortissimis ciuibus facere debemus?

7 Irascimur, inquit,] *Alterum argumentum aduersus eandem finitionem. Poenam exigere non cupimus ab iis qui nos laesuri sunt, sed ab iis tantum qui laeserunt. Irascimur autem etiam iis qui de nobis laedendis cogitant, quamuis nondum laeserint. Non est igitur ira cupiditas poenae exigendae. Respondet, eos qui laedere nos cupiunt, animo iam & cogitatione laedere.* III.

8 Vt scias, inquit,] *Tertium argumentũ. Nemo vsque eo infirmus est, vt vel potentissimo non irascatur. Neque tamen sperat, nisi plane desipiat, se ab eo poenas exacturum. Aliud igitur est irasci, aliud poenam concupiscere. Duplex hic responsio est. Nam & multa cupimus quae non speramus: & in tanta rerum humanarum inconstantia sperare poenam etiam infirmissimus a potentissimo potest.*

9 Primum diximus,] *Vbi dixit, si nihil deest? Sed iam supra monui, multa desiderari.*

10 Concupiscunt autẽ homines & quae non possunt.] *Quaeri potest, verum ne sit quod hic dicitur, concupiscere homines etiam ea quae non possunt, an id sanae mentis hominibus vsu venire non possit. Aristoteles quidem libro secundo rhetoricorum videtur aliter sentire, quàm Seneca. negat enim quenquam cupere ea quae se consequi non posse opinetur. Verba ipsius haec sunt:* Οὐδεὶς δὲ τῶν φαινομένων ἀδυνάτων ἐφίεται αὐτῷ. *At Aristoteles loquitur non simpliciter περὶ τῶν ἀδυνάτων, sed περὶ τῶν φαινομένων ἀδυνάτων αὐτῷ. Fieri autem potest, vt iratus quis concupiscat ea quorum compos effici non potest: cum tamen ipse ira occaecatus aliter opinetur: aut certo interea non cogitet, fieri illa possint an minus. Non pugnant autem haec: neminem cupere ea quae se nullo modo putet consequi posse: & multos cupere ea quae consequi non possint, cum aut ipsi errore ducti aliter de iis iudicent, aut interea non cogitent talia esse. Sed nonne plena vita exemplorum est, multa cupere homines, quae sciunt nullo modo fieri posse?*

Nunc ego Triptolemi cuperem conscendere currus,

ait Ouidius: & alio loco,

O vtinam subito fieri mea munera possem.

Ita igitur excors erat, vt id putaret posse fieri? Quin etiam grauissimus philosophorum Plato, in quibusdam versibus, ait se cupere fieri caelum: vt pluribus oculis intueretur in eum quem libenter videbat. Et Anacreontis aliorumque poetarum multa consimilia vota sunt. Sed animaduertendum est in primis ipsum loquendi genus, quo in talibus vtimur. Nemo enim sanus ita dicit, Cupio volare; aut cupio fieri annulus: sed Cuperem volare, Cuperem hoc aut illud fieri. qua oratione non id significatur, cum quis id dicit, simpliciter cupere: sed quid cuperet, si id quod dicit, fieri posset. Vellem, dij immortales fecissent, ait Cicero in deploranda Sulpicij morte, vt viuo potius Ser. Sulpicio gratias ageremus, quàm honores mortuo quaereremus. Muta: vbi est vellem, *vt sit* volo, *ceteraque huic verbo consequenter. Insani hominis oratio videbitur: quae nunc pietatis humanitatisque plenissima est. Intelligendum est illud quoque, verbo cupiẽdi aut concupiscendi nonnunquam significari simplicem quandam animi, sine vllo conatu, motionem: vt, cum dicimus, Cuperem ita esse: aut, Vtinam ita esset: atque hoc modo cupere dicimur etiam ea quae fieri non queunt: & inde ait Aristoteles tertio ethicorum, voluntatem esse etiam τῶν ἀδυνάτων: Interdum adsignificari eo verbo etiam conatum quendam & studium ac contentionẽ animi ad efficiendum id quod concupiscitur: & hoc sensu nemo vnquam sanus ea quae se nullo modo praestare ac consequi posse intelligeret, concupiuit.*

11 Cupiditatem doloris reponendi.] ἀντιλυπῆσαι.

12 Sed dicendum est feras ira carere, & omnia praeter hominem.] *Est & haec vna de admirabilibus illis Stoicorum sententiis, feras non irasci, sed tanquam irasci, non metuere, sed tanquam metuere: nullum denique esse in eis animi πάθος, sed tantum impetus quosdam eorum similes. πάθος enim esse auersionem quandam a ratione. quare in quibus ratio non esset, in eis ne pathos quidem esse posse. Disputantur quaedam aduersus hanc sententiam a Galeno in libris de decretis Hippocratis & Platonis.*

13 Regium enim illud] τὸ ἡγεμονικόν. *quod statim vocat principale.*

IIII. 14 Apud Graecos] *Alij enim dicuntur proprie* ὀργίλοι, *qui cito irascuntur, cito placantur: alij* ἀκρόχολοι, *alij* πικροί, *alij* χαλεποί. *Vide Aristotelem quarto Ethicorum.*

15 Quaedam saeuae manu, verbis parciores.] *Inepte in aliis libris,* quaedam sede manent. *Haec emendatio, vt aliae plaeraeque, ex optimo & vetustissimo libro Siculo est.*

VII. 16 Quarundam rerum initia] *Hac de re vide Aristotelem capite quinto libri tertij ethicorum.*

XIII. 17 Phrenesim] *Scio Graece dici* φρενῖτιν, *sed in omnibus cuiusque generis latinis veteribus libris scriptum video* phrenesim, *&* phreneticus, *non* phreniticus. *Et tamen olim quidam plane phreneticus, siue, vt ipse dici malebat, phreniticus, cum quendam Varronis versum ita edidissem, vt reppereram,*

Phrenetici, septem trionum filij:

clamabat, omnes qui ita scriberent, & Graeci & Latini sermonis imperitos esse: in me, quasi primus ita scripsissem, inuehebatur: ridente me, & cum homine ad conuiciandum exercitatissimo certamen refugiente. Non debet autem cuiquam aut mirum aut nouum videri, in voce peregrina, quam veteres latini sibi vtendam sumerent, vnam litteram mutatam esse. Illi, quae erat apud Graecos ὕλη, *non* syluam *aut* suluam, *sed* siluam *fecerunt: ijdem littera η in diphthongum mutata,* scaenam *dixerunt, quae illis fuerat* σκηνή. *neque* tropaeum, *sed* trophaeum, *neque* hyemem, *quamuis erat ab* ὕω, *sed* hiemem *vocarunt.* Nilum, Melonem, Ganymedem, Catamitum, Odyssea, Vlixem, Aeanta, Aiacem, *nominarunt: &* talantum *noluerunt, quot erat* τάλαντον: talentum *maluerunt. Sed apud insanos, & in eo quod semel dixerunt obstinatos nihil momenta rationum valent.*

18 Metus ex pauido fecit audacem?] *Ouidius de Anna sorore Didonis loquens:*

audacem

—-audacem fecerat ipſe timor.

19 Inualidum omne natura querulum eſt.] *Idem docet Ariſtoteles ſecundo rhetoricorum.*

20 Quis enim cui medetur, iraſcitur?] *Valde huc pertinere mihi videtur id quod de Demona-* XIIII.
cte memoriae proditum eſt, cum nunquam viſum eſſe clamantem, aut immodica contentione vtentem, aut indignantem, ne tum quidem cum obiurgandus aliquis erat. Sed peccata quidem acerbe reprehendere, iis autem qui peccaſſent, ignoſcere ſolitum: cum diceret, ſe id medicorū exemplo facere, qui morbis quidem medentur, ira autem aduerſus eos qui aegrotant, non vtuntur.

21 Et per tua alienaque volutato ſupplicia,] *Ita in Siculo: niſi quod pro* volutato *erat* volu- XVI.
tate. *Alÿ libri miſere hic deprauati erant.*

22 Peruerſa induenda magiſtratui veſtis,] *Praetextati, vt notum eſt, incedebant magiſtratus. ſed cum ciuem quempiam capitis damnaturi erant, ponebāt praetextam, eamque peruerſam induebant, id eſt, partem illius floridiorem ac nitidiorem introrſus ad ſe vertebāt; maeroris ſignificandi gratia. Valerius Maximus de C. Macro:* Dum ſententiae dicerentur, in moenianum conſcendit; indidem cum M. Ciceronem qui id iudicium cogebat, praetextam ponentem vidiſſet, miſit ad eum qui diceret, ſe non damnatum ſed reum periiſſe: nec ſua bona haſtae poſſe ſubiici. Ac protinus ſudario quod forte in manu habebat, ore & faucibus coarctatis incluſo ſpiritu, poenam morte praecurrit. *Ponētem videlicet praetextam, vt eam peruerſam indueret: quod ſignum erat imminentis damnationis.*

23 Et conuocanda claſſico contio eſt:] *Ad incutiendum terrorem. Seneca pater:* Aſcendit praetor tribunal, inſpectante prouincia. Noxiae poſt terga ligantur manus. Statim intento ac triſti omnium vultu, fit a praecone ſilētium. Adhibentur deinde legitima verba. Canitur ex altera parte claſſicum. *Tacitus libro ſecundo annalium ab exceſſu D. Auguſti:* In P. Marciū conſules extra portam Exquilinam, cum claſſicum canere iuſſiſſent, more priſco animaduertere.

24 Et agi iubebo.] *Sumptum a victimario, qui ſaepe iterabat,* Agon'? *neque percutiebat victimam, donec agere iuſſus eſſet. Ouidius:*

Semper, agat ne, rogat: nec niſi iuſſus agit.

Ita igitur agendi, aut lege agendi, verbum ſumebant & in ſuppliciis. Seneca pater: Etiam quibus animaduertere in damnatos neceſſe eſt, non dicunt, occide: non, morere: ſed, lege age. Crudelitatem imperij verbo mitiore ſubducunt.

25 Sine ira.] *Congruit cum dicto Demonactis, quem cum quidam, qui ab Imperatore exercitui & prouinciae praepoſitus erat, interrogaſſet, quomodo optime imperare poſſet: Si ira carebis, inquit: & ſi pauca loqueris, multa audies.*

26 Aduocatio ambitioſior,] *Aduocationem vocabant, tempus, quod interdum dabatur a iudice, iis qui ad cauſam ſuam tuēdam non ſatis instructi erant, aduocandorum amicorum cauſa, quorum conſilio & auxilio vterentur. Cicero:* Omnibus vnde petitur, hoc conſilij dederim, vt binas aduocationes poſtulent. *Hic noſter libro ſequenti:* Vtrique parti dares aduocationem, dares tempus, nec ſemel audires. *Ita enim legendum, non, vt vulgo,* actionem. *Idem tertio horum librorum:* Si in hoc petita erit aduocatio, apparebit, iudicium eſſe, nō iram. *& paulo poſt:* Dum conſpicimus, dum noſtri ſumus, aduocemus.

27 Nemo prudens] *Platonicum. Si certo cōſtare poſſet, neque eos qui peccarunt, neque alios eorum impunitate permotos, poſtea peccaturos eſſe, poena ceſſaret.*

28 Sine miſſione,] *Ea lege, vt alter cadat. Appuleius:* Hodierna pugna non habet miſſionem.

29 Η Μ' ΑΝΑΕΙΡ', Η ΕΓΩ ΣΕ.] *Anni ſunt amplius triginta, cū hic locus ita a me reſtitutus eſt. In libro autem Siculo ita plane omnibus litteris ſcriptum eſt. Legitur & eodem modo apud Dionem.*

L. ANNAEI SENECAE
DE IRA AD NOVATVM
LIBER SECVNDVS.

CAP. I. PRIMVS liber, Nouate, 'benigniorem habuit materiam. Facilis enim in procliuia vitiorum decursus est. Nunc ad exiliora veniendum est. Quaerimus enim, vtrum ira iudicio an impetu incipiat: id est, vtrum sua sponte moueatur, an quemadmodum placraque, quae intra nos insciјs nobis oriuntur. Debet autem in haec se demittere disputatio, vt ad illa quoque altiora possit exsurgere. Nam & in corpore nostro ossa, neruique & articuli, firmamenta totius, [a] & vitalia minime speciosa visu, prius ordinantur: deinde haec ex quibus omnis in faciem aspectumque decor est: post haec omnia, qui maxime oculos rapit color, vltimus [b] perfecto iam corpore affunditur. Iram quin' species oblatae iniuriae moueat, non est dubium: sed vtrum speciem ipsam statim sequatur, & non accedente animo excurrat, an illo assentiente moueatur, quaerimus. Nobis placet, nil ipsam per se audere, sed animo approbante. Nam speciem capere acceptae iniuriae, & vltionem eius concupiscere, & vtrunque coniungere, nec laedi se debuisse, & vindicari debere, non est eius impetus, qui sine voluntate nostra concitetur. Ille simplex est: hic compositus, & plura continens. Intellexit aliquid, indignatus est, damnauit, vlciscitur. haec non possunt fieri, [c] nisi animus qui tangebatur, as-
II. sensus est. [d] Quorsus, inquis, haec quaestio pertinet? vt sciamus ' quid sit ira. Nam si inuitis nobis nascitur, nunquam rationi succumbet. Omnes enim motus, qui non voluntate nostra fiunt, inuicti & ineuitabiles sunt: vt horror frigida aspersis [e], ad quosdam ictus aspernatio, ad peiores nuntios subriguntur pili, & rubor ad improba verba suffunditur, sequiturque vertigo praerupta cernentes. Quorum quia nihil in nostra potestate est, nulla, quo minus fiant, ratio persuadet. Ira praeceptis fugatur. Est enim voluntarium animi vitium, non ex his quae conditione quadam humanae sortis eueniunt; ideoque etiam sapientissimis accidunt. Inter quae & primus ille ictus animi ponendus est, qui nos post opinionem iniuriae mouet. Hic subit etiam inter ludicra scaenae spectacula, & lectiones rerum vetustarum. saepe Clodio Ciceronem expellenti, & Antonio occidenti, videmur irasci. Quis non contra Marij arma, & contra Syllae proscriptionem concitatur? Quis non Theodoto & Achillae, & [4] ipsi puero, non puerile auso facinus, infestus est? [f] Cantus nos nonnunquam & concitata modulatio instigat. Martius quoque ille tubarum sonus mouet mentes, & atrox pictura, & iustissimorum suppliciorum tristis aspectus. Inde est, quòd arridemus arridentibus, & contristat nos turba maerentium, & efferuescimus ad aliena certamina: quae non sunt irae, non magis quàm tristitia est, quae ad conspectum inimici naufragi contrahit frontem: non magis quàm timor, qui Hannibale post Cannas moenia circumsidente, lectoris percutit animum: sed omnia ista motus sunt [g] animorum moueri volentium, nec affectus, sed principia praeludentia affectibus. Sic enim militaris viri in media pace togati iam aures tuba suscitat, equosque castrenses erigit crepitus armorum.
III. [h] Alexandrum aiunt Xenophanto canente' manum ad arma misisse. Nihil ex his quae animum fortuito impellunt, affectus vocari debet. Ista, vt ita dicam, patitur magis animus quàm facit. Ergo affectus est, non ad oblatas rerum species moueri, sed permittere se illis: & hunc fortuitum motum persequi. Nam si quis pallorem, & lacrimas procidentes, & irritationem humoris obscoeni, altumve suspirium, & oculos subito acriores, aut quid his simile, indicium affectus, animique signum putat, fallitur, nec intelligit hos corporis esse pulsus. Itaque & fortissimus plaerumque vir, dum armatur, expalluit: & signo pugnae dato, ferocissimo militi paululum genua tremuerunt: & magno imperatori, antequam inter se acies arietarent, cor exiluit: & oratori eloquentissimo, dum ad dicendum componitur, summa riguerunt. Ira non moueri tantum, sed excurrere debet. Est enim impetus. Nunquam autem impetus sine assensu mentis est: neque enim fieri potest, vt de vltione & poena agatur animo nesciente. Putauit se aliquis laesum, voluit vlcisci: dissuadente aliqua causa, statim resedit. Hanc irã non voco, sed motũ animi, rationi parẽtem. Illa est ira, quae rationẽ transilit, quae secũ rapit. Ergo prima illa agitatio animi, quã species iniuriae incussit, nõ magis ira est, quàm ipsa iniuriae species, sed ille sequẽs impetus,

impetus, qui speciem iniuriae non tantum accepit, sed approbauit. Ira est concitatio animi ad vltionem [1] voluntate & iudicio pergētis. Nunquid dubium est, quin timor fugam habeat, ira impetum? Vide ergo, an putes aliquid sine assensu mentis aut peti posse, aut caueri. Et vt scias, quemadmodum incipiant affectus, aut crescant, aut efferantur, est primus IIII. motus non voluntarius quasi praeparatio affectus, & quaedam comminatio. Alter cum voluntate non contumaci, tanquam oporteat me vindicari, cum laesus sim: aut oporteat hunc poenas dare, cum scelus fecerit. Tertius motus est iam impotens, qui non, si oportet, vlcisci vult, sed vtique: qui rationem euincit. Primum illum animi ictum effugere ratione non possumus: sicut ne illa quidem, quae diximus accidere corporibus, ne nos oscitatio aliena sollicitet, ne oculi ad intentationem subitam digitorum comprimantur. Ista non potest ratio vincere: cōsuetudo fortasse, & assidua obseruatio extenuat. Alter ille motus, qui iudicio nascitur, iudicio tollitur. Illud etiamnum quaerendum est. Hi qui vulgo saeuiunt, & sanguine humano gaudent, an irascantur, cum eos occidunt, a quibus nec acceperunt iniuriam, nec accepisse se existimant: qualis fuit Apollodorus, aut Phalaris. Haec non est ira: feritas V. est. Non enim quia accepit iniuriam, nocet: sed parata est dum noceat, velle accipere. Nec illi verbera lacerationesque in vltionem petūtur, sed in voluptatem. Quid ergo? Origo huius mali ab ira est: quae vbi frequēti exercitatione & satietate in obliuionem clementiae venit, & omne foedus humanum eiecit animo, nouissime in crudelitatem transit. Rident itaque, gaudentque, & voluptate multa perfruuntur, plurimumque ab iratorum vultu absunt, per otium saeui. Hannibalem aiunt dixisse, cum fossam sanguine humano plenam vidisset: O formosum spectaculum. Quanto pulchrius illi visum esset, si flumen aliquod lacumque complesset. Quid mirum, si hoc maxime spectaculo caperis innatus sanguini, & ab infante caedibus admotus? Sequetur te fortuna crudelitatis tuae per viginti annos secunda, dabitque oculis tuis gratum vbique spectaculum. Videbis istud & circa Trasimenum, & circa Cannas, & nouissime circa Carthaginem tuam. Volesus nuper sub diuo Augusto proconsul Asiae, cum C C C. vna die securi percussisset, [k] incedens inter cadauera vultu superbo, quasi magnificum quiddam conspiciendumque fecisset, Graece proclamauit: O rem regiam. [l] Quid hic rex fecisset? Non fuit haec ira, sed maius malum, & insanabile. Virtus, VI. inquit, vt honestis rebus propitia est, ita turpibus irata esse debet. Quid si dicatur, virtutem & humilem & magnam esse debere? At qui haec dicit, illam extolli vult, & deprimi. Quoniam laetitia ob recte factum, clara magnificaque est; ira ob alienum peccatum, sordida & angusti pectoris est: nec vnquam committet virtus, vt vitia, dum compescit, imitetur ipsa: iram castigandam habet, quae nihilo melior est, saepe etiam peior his delictis quibus irascitur. Gaudere laetarique, proprium & naturale virtutis est: [m] irasci non est ex dignitate eius, non magis quàm maerere. Atqui iracundiae tristitia comes est: [n] & in hanc omnis ira vel post paenitentiam, vel post repulsam reuoluitur. Et si sapientis est, peccatis irasci, magis irascetur maioribus, & saepe irascetur. sequitur, vt non tantum iratus sit sapiens, sed iracundus. Atqui si nec magnam iram, nec frequentem in animo sapiētis locum habere credimus: quid est, quare non ex toto hoc affectu illum liberemus? modus enim esse nō potest, [o] si pro facto cuiusque irascendum est. Nam aut iniquus erit, si aequaliter irascetur delictis inaequalibus: aut iracundissimus, si toties excanduerit, quoties iram scelera meruerint. Et quid indignius, quàm sapientis affectum ex aliena pēdere nequitia? [p] Desinet Socrates posse eundem vultum domum referre, quem domo extulerat. Atqui si irasci sapiens debet turpiter fa- VII. ctis, & concitari contristarique ob scelera, nihil est aerumnosius sapiente. Omnis illi per iracundiam maeroremque vita transibit. Quod enim momentum erit, quo non improbanda videat? Quoties processerit domo, per sceleratos illi, auarosque, & prodigos, & impudentes, & ob ista felices incedendum erit. Nusquam oculi eius flectentur, vt non quod indignētur, inueniant. Deficiet, si toties a se iram, quoties causa poscet, exegerit. Haec tot millia ad forum prima luce properantia, quàm turpes lites, [q] quanto turpiores aduocatos habent? [r] Alius [s] iudicia patris accusat, quae mereri satius fuit. Alius cum matre consistit. Alius delator venit eius criminis, cuius manifestior reus est. & iudex damnaturus quae fecit, eligitur: & corona pro mala causa, bona patroni voce corrupta. Quid singula persequor? cum videris forum multitudine refertum, & [t] septa concursu omnis frequentiae plena, & illum circum, in quo maximam sui partem populus ostendit: hoc scito, istic tantundem esse vitiorum, quantum hominum. Inter istos quos togatos vides, nulla pax est: alter in alterius exitium leui compendio ducitur. Nulli nisi ex alterius da- VIII. mno quaestus est: felicem oderunt, infelicem contemnunt: maiore grauantur, minori graues sunt: diuersis stimulantur cupiditatibus: omnia perdita ob leuem voluptatem

praedamque cupiunt. Non alia quàm in ludo gladiatorio vita est, cum iisdem viuentium
pugnantiumque. Ferarum iste conuētus est: nisi quòd illae inter se placidae sunt, morsuque
similium abstinent, hi mutua laceratione satiantur. Hoc vno ab animalibus mutis differūt:
quòd illa mansuescunt alentibus, horum rabies ipsos a quibus est nutrita, depascitur.[s] Nun-
quam irasci desinet sapiens, si semel coeperit. omnia sceleribus ac vitiis plena sunt.[t] Plus cō-
mittitur, quàm quod possit coercitione sanari.[u] Certatur ingenti quodam nequitiae certa-
mine: maior quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia est. Expulso melioris aequio-
risque respectu, quocunque visum est, libido se impingit: nec furtiua iam scelera sunt. prae-
ter oculos eunt. Adeoque in publicum missa nequitia est, & in omnium pectoribus eualuit,
vt innocentia non rara, sed nulla sit. Nunquid enim singuli aut pauci rupere legem? vndi-
que, velut signo dato,[x] ad fas nefasque miscendum coorti sunt.

—— Non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero. fratrum quoque gratia rara est.
Imminet exitio vir coniugis, illa mariti.
Lurida terribiles miscent aconita nouercae.
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Et quota pars ista scelerum est?. non descripsit castra ex vna parte contraria,[y] parentum li-
berorumque sacramenta diuersa, subiectam patriae ciuis manu flammam, & agmina infe-
storum equitum ad conquirendas proscriptorum latebras circumuolitantia, & violatos
fontes venenis, & pestilentiam manu factam, & praeductam obsessis parentibus fossam, ple-
nos carceres, & incendia totas vrbes concremantia, dominationesque funestas, & regnorū
publicorumque exitiorum clandestina consilia, & pro gloria habita: quae quamdiu oppri-
IX. mi possunt, scelera sunt. Raptus ac stupra,[z] & ne os quidem libidini exceptum. Adde
nunc publica periuria gentium, & rupta foedera, & in praedam validioris[a] quicquid non
resistebat, abductum, circumscriptiones, furta, fraudes,[a] infitiationes, quibus trina non suf-
ficiunt fora. Si tantum irasci vis sapientem, quantum scelerum indignitas exigit: non ira-
scendū illi, sed insaniendū est. illud potius cogitabis, non esse irascendum erroribus. Quid e-
nim si quis irascatur, in tenebris parū vestigia certa ponentibus? Quid si quis surdis, imperia
non exaudientibus? Quid si pueris, quòd neglecto dispectu officiorū, ad lusus & ineptos ae-
qualium iocos spectent?[b] Quid si illis irasci velis, qui aegrotant, senescunt, fatigantur?[c] Inter
cetera mortalitatis incommoda, & haec est caligo mentium: nec tantum necessitas errandi,
sed errorum amor. Ne singulis irascaris,[d] vniuersis ignoscendum: generi humano venia tri-
buenda est. Si irasceris iuuenibus senibusque, quòd peccant: irascere infantibus, quòd pec-
caturi sunt. Num quis irascitur pueris: quorum aetas nondum nouit rerum discrimina? Ma-
ior est excusatio & iustior, hominem esse, quàm puerum. Hac condicione nati sumus, ani-
malia obnoxia non paucioribus animi quàm corporis morbis: non quidem obtusa, nec tar-
da, sed acumine nostro male vtentia, alter alteri vitiorum exempla. Quisque sequitur prio-
X. res male iter ingressos. Quid ni habeant excusationem, cum publica via errauerint? In
singulos seueritas imperatoris distringitur: at necessaria venia est, vbi totus deseruit exerci-
tus. Quid tollit iram sapientis? turba peccantium.[e] Intelligit quàm iniquum sit, & periculo-
sum, irasci publico vitio. Heraclitus quoties prodierat, & tantum circa se male viuentium,
immo male pereuntium viderat, flebat, miserebatur omniū qui sibi laeti felicesque occurre-
bant, miti animo, sed nimis imbecillo: & ipse inter deplorandos erat. Democritum contra
aiunt, nunquam sine risu in publico fuisse. Adeo nihil illi videbatur serium eorum quae se-
rio gerebantur.[f] Vbi istic irae locus est? Aut ridenda omnia, aut flenda sunt. Non irascetur
sapiens peccātibus. Quare? quia scit neminē nasci sapientem, sed fieri. scit paucissimos omni
aeuo sapientes euadere, quia condicionē humanae vitae perspectam habet. Nemo autē na-
turae sanus irascitur. Quid enim si mirari velit, non in siluestribus dumis poma pēdere? quid
si miretur spineta sentesque non vtili aliqua fruge cōpleri? Nemo irascitur, vbi vitium natu-
ra defendit. Placidus itaque sapiēs & aequus erroribus, non hostis, sed correptor peccantiū,
hoc quotidie procedit animo: Multi mihi occurrent vino dediti, multi libidinosi, multi in-
grati, multi auari, multi furiis ambitionis agitati. Omnia ista tam propitius aspiciet, quàm
aegros suos medicus. Nunquid ille cuius nauigiū multam, vndique laxatis cōpagibus, aquā
trahit, nautis ipsique nauigio irascitur? Occurrit potius, & aliam excludit vndam, aliam e-
gerit, manifesta foramina praecludit, latentibus & ex occulto sentinam ducentibus labore
continuo resistit: nec ideo intermittit, quia quantum exhaustum est, subnascitur.[g] Lento
adiutorio opus est contra mala continua & foecunda, non vt desinant, sed ne vincant.

Vtilis est,

Vtilis est, inquit, ira: quia contemptum effugit, quia malos terret. Primum ira si quantum XI. minatur, valet, ob hoc ipsum quia terribilis est, & inuisa est. Periculosius est autem timeri, quàm despici. Si vero sine viribus est, magis exposita cõtemptui est, & derisum non effugit. Quid enim est itacundia in superuacuum tumultuante frigidius? Deinde non ideo quaedã, quia terribiliora, potentiora sunt:[h] nec hoc sapientis dici velim, quod ferae quoque telum est, timeri. Quid? non timetur febris, podagra, hulcus malum? Nunquid ideo quicquam in istis boni est?[i] an contra, omnia despecta, & foeda, & turpia timentur?[k] Ira per se deformis est, & minime metuenda. At timetur a pluribus, sicut deformis persona ab infantibus. Quid quod semper in auctores redũdat timor, nec quisquam metuitur, ipse securus? Occurrat hoc loco tibi Laberianus ille versus, qui medio ciuili bello in theatro dictus, totum in se populum non aliter conuertit, quàm si missa esset vox publici affectus:

Necesse est multos timeat, quem multi timent.

Ita natura constituit, vt quod alieno metu magnum est, a suo non vacet. Leoni, inquam, [l] pauida sunt ad leuissimos strepitus pectora. Acerrimas feras vmbra, vox, & odor insolitus exagitat. Quicquid terret, & trepidat. Non est ergo quare concupiscat quisquam sapiens timeri. Nec ideo iram magnũ quisquam putet,[l] quia formidini est: quoniam quaedam XII. etiam contemptissima timentur: venena,[m] & ossa mortifera, & morsus. Nec est mirum, cum maximos ferarum greges,[n] linea pennis distincta contineat, & in insidias agat: ab ipso effectu dicta formido. Vanis enim vana terrori sunt.[o] Curriculi motus, rotarumq; versata facies leones redigit in caueam. Elephãtes porcina vox terret. Sic itaque ira metuitur, quomodo vmbra ab infantibus, a feris rubens pinna. Non ipsa in se quicquam haber firmum aut forte, sed leues animos mouet. Nequitia, inquit, de rerum natura tollenda est, si velis iram tollere. Neutrum autem potest fieri. Primum potest aliquis non algere, quamuis ex rerum natura hiems sit: & non aestuare, quamuis menses aestiui sint. Aut loci beneficio aduersus intemperiem anni tutus est, aut patientia corporis sensum vtriusque peruincit. Deinde verte istud. Necesse est prius virtutem ex animo tollas, quàm iracundiam recipias: quoniam cum virtutibus vitia non eoeunt. Nec magis quisquam eodem tempore & iratus potest esse, & vir bonus, quàm aeger & sanus. Non potest, inquit, omnis ex animo ira tolli: nec hoc hominis natura patitur. Atqui nihil est tam difficile & arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat assidua meditatio: nullique sunt tam feri & sui iuris affectus, vt non disciplina perdomentur. Quodcunque sibi imperauit animus, obtinuit. Quidam ne vnquam riderent, consecuti sunt. Vino quidam, alij Venere, quidam omni humore interdixere corporibus. Alius contentus breui somno,[p] vigiliam indefatigabilem extendit. [q] Didicerunt alij tenuissimis & aduersis funibus currere, & ingentia, vixque humanis toleranda viribus onera portare, & in immensam altitudinem mergi, ac sine vlla respirandi vice perpeti maria. Mille sunt alia in quibus pertinacia impedimentum omne transcendit, XIII. ostenditq; nihil esse difficile, cuius sibi ipsa mens patientiam indiceret. Istis quos paulo ante retuli,[r] aut nulla pertinacis studij, aut non digua merces fuit. Quid enim magnificũ consequitur ille, qui meditatus est per intensos funes ire? qui sarcinae ingenti ceruices supponere? qui somno non submittere oculos? qui penetrare in imũ mare? & tamen ad finem operis nõ magno auctoramento labor peruenit. Nos non aduocabimus patientiam, quos tantũ praemium expectat, felicis animi immota tranquillitas? Quantum est effugere maximum malum iram, & cum illa rabiem, saeuitiam, crudelitatem, furorem, & alios comites affectus eius?[s] Non est quod patrocinium nobis quaeramus, & excusatam licentiam, dicentes, aut vtile esse, aut inenitabile. Cui enim tandem vitiu aduocatus defuit? non est quòd dicas, excidi non posse. Sanabilibus aegrotamus malis: ipsaque nos in rectum genitos natura, si emẽdari velimus, iuuat.[t] Nec, vt quibusdam visum est, arduum in virtutes & asperum iter est: plano adeuntur.[u] Non vanae vobis auctor rei venio. Facilis est ad beatam vitam via:[u] inito modo bonis auspiciis, ipsisque diis bene iuuantibus. Multo difficilius est, facere ista quae facitis. Quid enim quiete otiosius animi? Quid ira laboriosius? Quid clementia remissius? Quid crudelitate negotiosius? Vacat pudicitia, libido occupatissima est. Omnium denique virtutum tutela facilior est: vitia magno coluntur. Debet ira remoueri. Hoc ex parte fatentur etiam, qui dicunt esse minuendam. Tota dimittatur: nihil profutura est: sine illa facilius [u] rectiusque scelera tollentur: mali punientur, & traducentur in melius. Omnia quae XIIII. debet sapiens, sine vllius malae rei ministerio efficiet: nihilque admiscebit,[x] cuius modum solicitus obseruet. Nunquam itaque iracundia admittenda est: aliquando simulanda, si segnes audientium animi concitandi sunt: sicut tarde consurgentes ad cursum equos stimulis facibusque subditis excitamus. Aliquando incutiendus est his metus, apud quos ratio

non proficit. Irasci quidem non magis vtile est, quàm maerere, quàm metuere, Quid
ergo? non incidunt causae, quae iram lacessant? Sed tunc maxime illi opponendae manus
sunt: nec est difficile, vincere animum: cum athletae, quoque in vilissima sui parte occupati,
tamen ictus doloresque patiantur, vt vires caedentis exhauriant, nec cum ira suadet, feriũt,
sed cum occasio. Pyrrhum maximum praeceptorem certaminis gymnici, solitum aiunt his
quos exercebat, praecipere, ne irascerentur. Ira enim perturbat artem: [y] & qua noceat, tan-
tum, non qua caueat, aspicit. Saepe itaqne ratio patientiam suadet, ira vindictam: & qui pri-
mis defungi malis potuimus, in maiora deuoluimur. Quosdam vnius verbi contumelia, nõ
aequo animo lata, in exilium proiecit: & qui leuem iniuriam silentio ferre noluerant, gra-
uissimis malis obruti sunt, indignatique aliquid ex plenissima libertate diminui, seruile in
XV. sese attraxerunt iugum. Vt scias, inquit, an ita habeat in se generosi aliquid, liberas vi-
debis gentes quae iracundissimae sunt: vt Germanos & Scythas. Quod euenit, quia fortio-
ra solidaque natura ingenia, antequam disciplina molliantur, prona in iram sunt. Quaedam
non nisi melioribus innascuntur ingeniis: sicut valida arbusta & laeta, quamuis neglecta
tellus creat: alia foecundi soli silua est. Itaque & ingenia natura fortia iracundiam ferunt,
nihilque tenue & exile capiunt, ignea & feruida: sed imperfectus ille vigor est, vt omnibus
quae sine arte, ipsius tantum naturae bono, exurgunt, sed nisi cito domita sunt, quae forti-
tudini apta erant, audaciae temeritatique consuescunt. Quid? non mitioribus animis vitia
leuiora coniuncta sunt? vt misericordia, amor, & verecundia. Itaque tibi saepe bonam indo-
lem in malis quoque ostendam. sed non ideo vitia non sunt, si naturae melioris indicia sunt.
Deinde omnes istae feritate liberae gentes, leonum, luporũque ritu, vt seruire non possunt,
ita nec imperare. Non enim humani vim ingenij, sed feri & intractabilis habent. Nemo au-
XVI. tem regere potest, nisi qui & regi. Fere itaque imperia penes eos fuere populos, qui mi-
tiore caelo vtuntur. In frigora Septentrionemqne vergentibus immansueta ingenia sunt,
vt ait poeta,

— *Snoque simillima caelo.*

Animalia, inquit, generosissima habentur, quibus multum inest irae. Errat, qui ea [z] in exem-
plum hominis adducit, quibus pro ratione est impetus. homini pro impetu, ratio est. Sed
nec illis quidem omnibus idem prodest. Iracundia leones adiuuat, pauor ceruos, accipitrẽ
impetus, columbam fuga. Quid, quòd ne illud quidem verum est, optima animalia esse ira-
cundissima? Feras ne putem, quibus ex raptu alimenta sunt, meliores, quo iratiores? Patien-
tiam laudauerim boum, & equorum fraenos sequẽtium. [a] Quid autem est, cur hominem ad
tam infelicia exempla reuoces: [b] cum habeas mundum, Deumque, quem ex omnibus ani-
malibus, vt solus imitetur, solus intelligit? [c] Simplicissimi, inquit, omnium habentur iracun-
di. Fraudulentis enim & versutis comparantur: & simplices videntur, quia expositi sunt:
quos quidem non simplices dixerim, sed incautos. [d] Stultis, luxuriosis, nepotibusque hoc
XVII. nomen imponimus, & omnibus vitiis parum callidis. Orator, inquit, iratus aliquando
melior est. [e] Immo imitatus iratum. Nam & histriones in pronuntiando non irati populum
mouent, sed iratum bene agentes. & apud iudices itaque, & in contione, & vbicunque alie-
ni animi ad nostrum arbitrium agendi sunt: modo iram, modo metum, modo misericor-
diam, vt aliis incutiamus, ipsi simulabimus: & saepe id quod veri affectus non effecissent, ef-
fecit imitatio affectuum. Languidus, inquit, animus est, qui ira caret. Verum est, si nihil ha-
bet ira valentius. [f] Nec latronem oportet esse, '' nec praedam, nec misericordem, nec cru-
delem. Illius nimis mollis animus, huius nimis durus est. Temperatus sit sapiens: & ad res
XVIII. fortius agendas non iram, sed vim adhibeat. Quoniam quae de ira quaeruntur, tracta-
uimus, accedamus ad remedia eius. Duo autem, vt opinor, sunt: [g] ne incidamus in iram, & ne
in ira peccemus. Vt in corporum cura, alia de tuenda valetudine, alia de restituenda, praece-
pta sunt: ira aliter iram debemus repellere, aliter compescere, vt vincamus. Quaedam ad v-
niuersam vitam pertinentia praecipientur: ea in educationem, & in sequentia tempora di-
uidentur. Educatio maximam diligentiam, plurimumque profuturam desiderat. Facile est
enim, teneros adhuc animos componere. Difficulter reciduntur vitia, quae nobiscum cre-
uerunt. Opportunissima ad iracundiã feruidi animi natura est. Nam cum elemẽta sint quat-
tuor, ignis, aqua, aer, & terra, potestates pares his sunt, frigida, feruida, arida, atque humida.
Et locorum itaque, & animalium, & corporum, & morum varietates, mixtura elementorũ
facit, & proinde in aliquos magis incumbunt, prout alicuius elementi maior vis abundauit.
Inde quasdã humidas vocamus, aridasq; regiones, & calidas, & frigidas. Eadem animaliũ &
XIX. hominũ discrimina sunt. '' Refert quãtum quisq; humidi in se calidiq; contineat. Cuius
in illo elementi portio praeualebit, inde mores erunt. [h] Iracundos feruidi mistura faciet.

Est

Est enim actuosus & pertinax ignis.[i] Frigidi mistura frigidos facit. Pigrum est enim contra-ctumque frigus. Volunt itaque quidam ex nostris iram in pectore moueri, efferuescente circa cor sanguine. Causa cur hic potissimum assignetur irae locus, non alia est, quàm quòd in toto corpore calidissimum pectus est. Quibus humidi plus inest, eorum paulatim crescit ira: quia non est paratus illis calor, sed motu acquiritur. Itaque puerorum foeminarumque irae acres magis quàm graues sunt, leuioresque dum incipiunt. Siccis aetatibus vehemens robustaque ira est, sed sine incremento, non multum sibi adiiciens: quia inclinatum calorem [k] frigus insequitur. Senes difficiles & queruli sunt, vt aegri & conualescentes, & quorum aut lassitudine, aut detractione sanguinis exhaustus est calor. In eadem causa sunt siti fameque rabidi, & quibus exangue corpus est, maligneque alitur & deficit. Vinum incendit irā: quia calorem auget pro cuiusque natura. Quidam ebrij efferuescunt,[l] quidam sicci. Neque XX. vlla alia causa est, cur iracundissimi sint flaui rubentesque: quibus talis natura color est, qualis fieri ceteris inter iram solet. Mobilis enim illis agitatusque sanguis est. Sed quemadmodū natura quosdam procliuos in iram facit: ita multae incidūt causae, quae idem possint quod natura. Alios morbus aut iniuria corporum in hoc perduxit, alios labor, & continua peruigilia, noctesque solicitae, & desideria, amoresque: & quicquid aliud aut corpori nocuit aut animo, aegrā mentem in querelas parat. Sed ista omnia initia causaeque sunt, [m] plurimumque potest consuetudo: quae si grauis est, alit vitium. Naturam quidem mutare difficile est: nec licet semel mixta nascentium elementa conuertere. Sed in hoc nosse profuit, vt calentibus ingeniis subtrahatur vinum: [4] quod pueris Plato negandum putat, & ignem vetat igne incitari. Nec cibis quidem implendi sunt. Distendentur enim corpota, & animi cum corpore tumescent. Labor illos citra lassitudinem exerceat: [n] vt minuatur, non vt consumatur calor, nimiusque ille feruor despumet. [o] Lusus quoque proderunt. Modica enim voluptas laxat animos, & temperat. Humidioribus, siccioribus & frigidis non est ab ira periculum: sed maiora vitia metuenda sunt, pauor, difficultas, & desperatio, & suspiciones. Mollienda itaque, fouendaque talia ingenia, & in laetitiam euocanda sunt. Et quia aliis cōtra iram, XXI. aliis contra tristitiā remediis vtendum est, nec dissimilibus tantum ista, sed conttariis curanda sunt, semper ei occurremus, quod increuerit. Plurimū, inquam, proderit pueros statim salubriter institui. Difficile autem regimen est: quia dare debemus operam, ne aut iram in illis nutriamus, aut indolem retundamus. Diligenti obseruatione res indiget. Vtrunque enim & quod extollendum, & quod deprimendum est, similibus alitur. [p] Facile autem etiam attendentem similia decipiunt. Crescit licentia spiritus, setuitute comminuitur. Assurgit, si laudatur, & in spem sui bonam adducitur, Sed eadem ista insolentiam & iracundiam genetāt. Sic itaque inter vtrunque regendus est, [q] vt modo fraenis vtamur, modo stimulis: nihil humile, nihil seruile patiatur.[r] Nunquā illi necesse sit rogare suppliciter: nec prosit rogasse: potius causae suae, & prioribus factis, & bonis in futurū promissis doηetur. In certaminibus aequalium nec vinci illum patiamur, nec irasci. Demus operam, vt familiaris sit his, cum quibus contendere solet: vt in cettamine assuescat non nocere velle, sed vincere. Quoties superauerit, & dignum aliquid laude fecerit, attolli, non gestire patiamur. Gaudium enim exultatio, exultationem tumor, & nimia aestimatio sui sequitur. Dabimus aliquod laxamentū: in desidiam vero otiumque non resoluemus, & procul a contactu deliciarum retinebimus. Nihil enim magis fecit iracundos, quàm educatio mollis & blanda. Ideo vnicis quo plus indulgetur, pupillisque quo plus licet, corruptior animus est. Nō resistet offensis, cui nihil vnquam negatum est, cui lacrimas solicita semper mater abstersit, cui de paedagogo satisfactū est. Non vides, vt maiorem quamque fortunam maior ira comitetur? In diuitibus nobilibusque & magistratibus praecipue apparet, cum quicquid leue & inane in animo erat, secūda se aura sustulit. Felicitas iracundiā nutrit, vbi aures superbas assentatorum turba circunstetit. Tibi enim ille respondeat? Non pro fastigio te tuo metiris: ipse te proiicis: & alia, quibus vix sanae, & ab initio bene fundatae mentes restiterint. Longe itaque ab assentatione pueritia remouenda est. Audiat verum, & timeat: interim vereatur, semper maioribus assurgat. [t] Nihil per iracundiam exoret. Quod flenti negatum fuerat, quieto offeratur. & diuitias parentum in cōspectu habeat, non in vsu. Exprobrentur illi perperam facta. Pertinebit XXII. ad rem, praeceptores paedagogosq; pueris placidos dari. Proximis applicatur omne quod tenerum est, & in eorum similitudinem crescit. nutricum & paedagogorum retulere mox in adolescentia mores. Apud Platonem educatus puer cum ad parentes relatus, vociferantem videret patrem; Nunquam, inquit, hoc apud Platonem vidi. Non dubito [u] quin citius patrem imitatus sit, quàm Platonem. Tenuis ante omnia sit victus, & non pretiosa vestis: & similis cultus cum aequalibus. Non irascetur aliquem sibi comparari, quem ab initio

multis parem feceris. Sed haec ad liberos nostros pertinent. [t] In nobis siquidem sors nascē-
di & educatio nec vitij locum, nec iam praecepti habet. Sequentia ordinanda sunt. Contra
primas itaque causas pugnare debemus. Causa autem iracundiae, opinio iniuriae est; cui nō
facile credendum est, nec apertis quidem manifestisque statim accedendum est. Quaedam
enim falsa, veri speciem ferunt. Dandum semper est tempus. Veritatem enim dies aperit. Ne
sint aures criminantibus faciles. Hoc humanae naturae vitium suspectum, notumque nobis
sit: quòd quae inuiti audimus, libenter credimus: & antequam iudicemus, irascimur.
XXIII. Quid quòd non criminationibus tantum, sed suspicionibus impellimur, & ex vultu risuque
alieno peiora interpretati, innocentibus irascimur? Itaque agenda est contra se causa absen-
tis, & in suspenso ita retinenda. Potest enim poena dilata exigi, non potest exacta reuocari.
Notus est [16] ille tyrannicida, qui imperfecto opere comprehensus, [u] & [17] ab Hippia tortus,
vt conscios indicaret, circunstantes amicos tyranni nominauit, quibus quàm maxime carā
salutem eius sciebat. Et cum ille singulos, vt nominati erant, occidi iussisset, interrogauit ec-
quis superesset? Tu, inquit, solus: neminem enim alium, cui carus esses, reliqui. Effecit ira, vt
tyrannus tyrannicidae manus commodaret, & praesidia sua gladio suo caederet. Quanto a-
nimosius Alexander: [x] qui cum legisset epistolā matris, qua admonebatur, vt a veneno Phi-
lippi medici caueret, acceptam potionem [y] non deterritus bibit. Plus sibi de amico suo cre-
didit. Dignus fuit qui innocentem haberet, dignus qui faceret. [z] Hoc eo magis in Alexan-
dro laudo, quia nemo tam obnoxius irae fuit. [a] Quo rarior autem moderatio in regibus, hoc
laudanda magis est. Fecit hoc & C. Caesar, ille qui victoria ciuili clementissime vsus est. Cū
sarcinam deprehendisset epistolarum ad Pompeium missarum ab iis qui videbantur [b] aut in
aduersis, aut in neutris fuisse partibus, combussit: quamuis enim moderate soleret irasci, ma-
luit tamen non posse. [c] Gratissimum putauit genus veniae, nescire quid quisque peccasset.
Plurimum mali credulitas facit. Saepe ne audiendum quidem est. quoniam in quibusdam
XXIIII. rebus satius est decipi, quàm diffidere. Tollenda ex animo suspicio & coniectura, falla-
cissima irritamenta. Ille me parum humane salutauit, ille osculo meo non adhaesit, ille in-
choatum sermonem cito abrupit, ille ad coenam non vocauit, illius vultus auersior visus est.
Non deerit suspicioni argumentatio. Simplicitate opus est, & benigna rerum aestimatione.
Nihil nisi quod in oculos incurret, manifestumque erit, credamus. Et quoties suspicio no-
stra vana apparuerit, obiurgemus credulitatem. Haec enim castigatio consuetudinem effi-
XXV. ciet non facile credendi. Inde & illud sequitur, vt minimis sordidisque rebus non exa-
cerbemur. Parum agilis est puer, [d] aut tepidior aqua potui erogata, aut turbatus thorus, aut
mensa negligentius posita. Ad ista concitari, insania est. [e] aeger & infelicis valetudinis est,
quem leuis aura contraxit: affecti oculi, quos candida vestis obturbat: dissolutus deliciis,
cuius latus alieno labore condoluit. [f] Mindyridem aiunt fuisse ex Sybaritarum ciuitate: qui
cum vidisset fodientem, & altius rastrum alleuantem, lassum se fieri questus, [g] vetuit illum
opus in conspectu suo facere. Idem saepius questus est, quòd foliis rosae duplicatis incubuis-
set. [18] Vbi animum simul & corpus voluptates corrupere, nihil tolerabile videtur: non quia
dura, sed quia molles patimur. Quid enim est cur tussis alicuius, aut sternutamentum, aut
musca parum curiose fugata nos in rabiem agat, [h] aut versus calix, aut clauis negligentis ser-
ui manibus elapsa? Feret iste aequo animo ciuile conuicium & ingesta in contione curiave
maledicta, cuius aures tracti subsellij stridor offendit? Perpetietur hic famem, & aestiuae ex-
XXVI. peditionis sitim, qui puero male diluenti niuem, irascitur? Nulla itaque res magis ira-
cundiam alit, quàm luxuria intemperans & impatiēs. Dure tractandus animus est, vt ictum
non sentiat, nisi grauem. Irascimur aut his a quibus nec accipere iniuriam potuimus, aut his
a quibus accipere potuimus. Ex prioribus quaedam [i] sine sensu sunt: vt librum, quem mi-
nutioribus litteris scriptum saepe proiecimus, & mendosum lacerauimus: vt vestimenta,
quae, quia displicebant, scidimus. His irasci quàm stultum est: quae iram nostram nec me-
ruerunt, nec sentiunt? Sed nos offendunt videlicet qui illa fecerunt. Primum saepe antequā
hoc apud nos distinguamus, irascimur: deinde fortasse ipsi quoque artifices excusationes
iustas afferent. Alius non potuit melius facere quàm fecit: nec ad tuam contumeliam parum
didicit. Alius non in hoc vt te offenderet, fecit. Ad vltimum quid est dementius, quàm bilē
in homines collectam, in res effundere? Atqui vt his irasci dementis est, quae anima carent,
[k] sic & mutis animalibus: quia nulla est iniuria, nisi a consilio profecta. Nocere itaque nobis
possunt, vt ferrum aut lapis: iniuriam quidem facere non possunt. Atqui contemni se quidā
putant, vbi equi iidem obsequentes alteri equiti, alteri contumaces sunt: tanquam iudicio,
XXVII. non consuetudine, & arte tractandi, quaedam quibusdam subiectiora sint. Atqui vt his
irasci stultum est, ita pueris, & non multum a puerorum prudentia distantibus. Omnia enim
ista

ista peccata apud aequum iudicem pro innocentia habent imprudentiam. Quaedam sunt, quae nocere non possunt, nullamque vim nisi beneficam & salutarem habent: vt dij immortales, qui nec volunt obesse, nec possunt. Natura enim illis mitis & placida est, tam longe remota ab aliena iniuria, quàm a sua. Dementes itaque & ignari veritatis, illis imputant saeuitiam maris, immodicos imbres, pertinaciam hiemis: cum interim nihil horum quae nobis nocent prosuntque, ad nos proprie dirigatur. Non enim nos causa mundo sumus, hiemem aestatemque referendi. suas ista leges habent, quibus diuina exercentur. Nimis nos suspicimus, si digni nobis videmur, propter quos tanta moueantur. Nihil ergo horum in nostram iniuriam fit: immo contra, nihil non ad salutem. Quaedam esse diximus, quae nocere non possunt: quaedam, quae nolunt. In his erunt boni magistratus, parentesque, & praeceptores, & iudices: quorum castigatio sic accipienda est, quomodo scalpellum, & abstinentia, & alia quae profutura torquent. Affecti sumus poena. Succurrat non tantum quid patiamur, sed quid fecerimus: in consilium de vita nostra mittamur. Si verum ipsi dicere nobis voluerimus, pluris litem nostram aestimabimus. Si volumus aequi omnium rerum iudices esse, hoc primum nobis suadeamus, Neminem nostrum esse sine culpa. Hinc enim maxima indignatio oritur. Nihil peccaui, nihil feci: immo nihil fateris. Indignamur aliqua admonitione aut coercitione nos castigatos: cum illo ipso tempore peccemus, quo adiicimus malefactis arrogantiam & contumaciam. Quis est iste, qui se profitetur omnibus legibus innocentem? Vt hoc ita sit, quàm angusta innocentia est, ad legem bonum esse? Quanto latius officiorum patet, quàm iuris regula? Quàm multa pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides exigunt, quae omnia extra publicas tabulas sunt?

XXVIII. Sed ne ad illam quidem arctissimam innocentiae formulam praestare nos possumus. Alia fecimus, alia cogitauimus: alia optauimus, aliis fauimus. In quibusdam innocentes sumus, quia non successit. Hoc cogitantes, aequiores simus delinquentibus, cedamus obiurgantibus: vtique nobis ne irascamur. Cui enim non, si nobis quoque? Minime diis. Non enim illorum, sed lege mortalitatis patimur, quicquid incommodi accidit. At morbi doloresque incurrunt. Vtique aliqua fugiendum est, domiciliũ putre sortitis. Dicetur aliquis male de te locutus. cogita an prior feceris, cogita de quã multis loquaris. Cogitemus, inquam, alios non facere iniuriam, sed reponere: [l] alios pronos facere, alios coactos facere, alios ignorantes: [m] etiam eos qui volentes scientesque faciunt, ex iniuria nostra non ipsam iniuriam petere. Aut dulcedine vrbanitatis prolapsus est, aut fecit aliquid: non vt nobis obesset, sed quia consequi ipse non poterat, nisi nos repulisset. Saepe adulatio, dum blanditur, offendit. Quisquis ad se retulerit, quotiens ipse in suspicionem falsam inciderit, quàm multis officiis suis fortuna speciem iniuriae induerit, quàm multos post odium amare coeperit, poterit non statim irasci: vtique si sibi tacitus ad singula [n] quibus offenditur, dixerit: Haec & ipse cõmisi. Sed vbi tam aequum iudicem inuenies? Is qui nullius non vxorem concupiscit, & satis iustam causam putat amãdi, quòd aliena est, idem vxorem suam aspici non vult: & fidei acerrimus exactor, est perfidus: & mendacia persequitur, ipse periurus: & litem sibi inferri aegerrime calumniator patitur. [o] Pudicitiam seruulorum suorũ attentari nõ vult, qui non pepercit suae. Aliena vitia in oculis habemus: a tergo nostra sunt. Inde est, quòd [p] tempestiua filij conuiuia pater deterior filio castigat. Nihil alienae luxuriae ignoscit, qui nihil suae negauit: & homicidae tyrannus irascitur: & punit furta sacrilegus. Magna pars hominum est, quae non peccatis irascitur, sed peccantibus. Faciet nos moderatiores respectus nostri, si consuluerimus nos: Nunquid & ipsi aliquid tale cõmisimus? Nunquid sic errauimus? Expeditne nobis ista damnari? Maximum remediũ est irae, mora. [q] Nec ab illa pete initio, vt ignoscat, sed vt iudicet. desinet, si expectat: nec vniuersam illam tentaueris tollere. graues habet impetus primos. tota vincetur, dum partibus carpitur.

XXIX. Ex his quae nos offendunt, alia renuntiantur nobis, alia ipsi audimus aut videmus. [r] His quae narrata sunt, non debemus cito credere. Multi ementiuntur, vt decipiant: multi, quia decepti sunt. Alius criminatione gratiam captat, & fingit iniuriam, [s] vt videatur doluisse factam. Est aliquis malignus, & qui amicitias cohaerentes diducere velit. Est suspicax, & qui spectare ludos cupiat, & ex longinquo tutoque speculetur, quos commisit. De patuula summa iudicaturo, tibi res sine teste non probaretur. testis sine iureiurando non valeret: vtrique parti dares aduocationem, dares tempus, nec semel audires. Magis enim veritas elucet, [t] quo saepius ad manum venit. Amicum condemnas de praesentibus, antequam audias, antequam interroges. Illi, antequam aut accusatorem suum nosse liceat, aut crimen, irasceris. [u] Iam enim iã quid vtrinque diceretur, audisti. Hic ipse qui ad te detulit, desinet dicere, si probare debuerit. Non est, inquit, quòd me protrahas. Ego productus negabo. [x] Alioqui nihil vnquam tibi dicam. Eodem tẽpore & instigat, & ipse se certamini & pugnae subtrahit. Qui dicere tibi

nisi clam non vult, paene non dicit. Quid est iniquius, quàm secreto credere, palam irasci?
XXX. Quorundam ipsi testes sumus. In his naturam excutiemus, voluntatemque faciẽtium. Puer
est? aetati donetur: nescit, an peccet. Pater est? aut tantum profuit, [y] vt illius iam iniuria ius
sit: aut fortassis ipsum hoc meritum eius est, quo offendimur. [z] Mulier est? errat. Iussus est?
necessitati quis nisi iniquus succenset? Laesus est? non est iniuria, pati quod prior feceris. Iu-
dex est? plus illius credas sententiae, quàm tuae. Rex est? si nocentem punit, cede iustitiae: si
innocentem, cede fortunae. Mutum animal est, aut simile muto? imitaris illud, si irasceris.
Morbus est, aut calamitas? leuius transiliet sustinentem. Deus est? tam perdis operam cum
illi irasceris, quàm cum illum alteri precaris iratum. Bonus vir est, qui iniuriam fecit? noli
credere. Malus? noli mirari. Dabit poenas alteri quas debet tibi: & iam sibi dedit, qui pec-
cauit. Duo sunt, vt dixi, quae iracundiam concitant. Primum, si iniuriam videmur accepis-
se: de hoc satis dictum est. Deinde, si inique accepisse: de hoc dicendum est. Iniqua quae-
dam iudicant homines, quia pati non debuerint: [a] quaedam, quia non sperauerint. indigna
putamus, quae inopinata sunt. Itaque maxime commouent, quae contra spem expectatio-
nemque euenerunt. Nec aliud est, quare in domesticis minima offendant: in amicis iniuriam
XXXI. vocemus negligentiam. Quomodo ergo, inquit, inimicorum nos iniuriae mouẽt? quia
non expectauimus illas, aut certe non tantas. Hoc efficit amor nostri nimius: inuiolatos nos
etiam inimicis iudicamus esse debere. Regis quisque intra se animum habet, vt licentiam si-
bi dari velit in alterum, [b] in se nolit alteri. [c] Aut ignorantia nos itaque rerum, aut insolentia
iracundos facit. Ignorantia. Quid enim mirum est, malos mala facinora edere? Quid noui
est, si inimicus nocet, amicus offendit, filius labitur, seruus peccat? Turpissimã aiebat Fabius
Imperatori excusationem esse, NON PVTAVI. Ego turpissimam homini puto. Omnia pu-
ta. expecta. & in bonis moribus aliquid existet asperius. Fert humana natura [d] infidos ani-
mos, fert ingratos, fert cupidos, fert impios. Cum de moribus vnius iudicabis, de publicis
cogita. Vbi maxime gaudebis, maxime metues. Vbi tranquilla tibi omnia videntur, ibi no-
citura non desunt, sed quiescunt. Semper futurum aliquid quod te offendat, existima. Gu-
bernator nunquam ita totos sinus explicuit securus, vt non expedita ad contrahendum ar-
mamenta disponeret. Illud ante omnia cogita, foedam esse & execrabilem vim nocendi, &
alienissimam homini, cuius beneficio etiam saeua mansuescunt. Aspice elephantorum iugo
colla submissa, taurorum pueris pariter ac feminis persultantibus terga impune calcata, &
repentes inter pocula sinusque innoxio lapsu dracones, & intra domum vrsorum leonum-
que ora placida tractantibus, [e] adulantesque domino feras. Pudebit cum animalibus per-
mutasse mores. Nefas est nocere patriae: ergo ciui quoque. Nam hic pars patriae est. Sanctae
partes sunt, si vniuersum venerabile est. [f] Ergo & homini. Nam hic in maiore tibi vrbe ciuis
est. Quid si nocere velint manus pedibus? manibus oculi? Vt omnia inter se membra con-
sentiunt, quia singula seruari, totius interest: ita homines singulis parcent, quia ad coetum
geniti sumus. Salua autem esse societas nisi amore & custodia partium non potest. Ne vipe-
ras quidem & natrices, [g] & si qua morsu aut ictu nocent, effligeremus, si vt reliqua mansue-
facere possemus, aut efficere, ne nobis aliisve periculo essent. Ergo ne homini quidem noce-
bimus, quia peccauit, sed ne peccet. Nec vnquam ad praeteritum, sed ad futurum poena re-
feretur. Non enim irascitur, sed cauet. Nam si puniendus est, cuicunque prauum maleficum-
XXXII. que ingenium est, poena neminem excipiet. At enim ira habet aliquam voluptatem: &
dulce est, dolorem reddere. Minime. Non enim vt in beneficiis honestum est, merita meri-
tis repensare: ita iniurias iniuriis. Illic, vinci turpe est: hic, vincere. [h] Inhumanum verbum est,
& quidem pro iusto receptum, Vltio: & a contumelia non differt nisi ordine. Qui dolorem
regerit, tantum excusatius peccat. M. Catonem in balneo quidam percussit imprudẽs. Quis
enim illi sciens faceret iniuriam? Postea satisfacienti Cato, Non memini, inquit, percussum
me. Melius putauit, non agnoscere, quàm ignoscere. Nihil, inquis, illi post tantam petulan-
tiam mali factum est? Immo multum boni. coepit Catonem nosse. Magni animi est, iniu-
rias despicere. Vltionis contumeliosissimum genus est, non esse visum dignum, ex quo pete-
retur vltio. Mulri leues iniurias altius demisere dum vindicant. Ille magnus & nobilis est, qui
more magnae ferae latratus minutorum canum securus exaudit. Minus, inquit, contemne-
mur, si vindicauerimus iniuriam. [i] si tanquam ad remedium sine ira veniamus: nõ quasi dul-
XXXIII. ce sit vindicari, sed quasi vtile. Saepe autem satius fuit dissimulare, quàm vlcisci. Poten-
tiorum iniuriae hilari vultu, non patienter tantum ferendae sunt. Facient iterum, si se fecisse
crediderint. Hoc habent pessimum animi magna fortuna insolentes, [k] quos laeserunt, & o-
derunt. Notissima vox est eius, qui in cultu regum consenuerat. Cum illum quidam interro-
garet, quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset, senectutem: Iniurias, inquit, acci-

piendo,

piendo,[l] & gratias agendo. Saepe adeo iniuriam vindicare non expedit, vt ne fateri quidem
expediat. C. Caesar Pastoris splendidi equitis Romani filium cum in custodia habuisset,
[m] mundiciis eius & cultioribus capillis offensus, rogante patre, vt salutem sibi filij concede-
ret, quasi de supplicio eius admonitus, duci protinus iussit. Ne tamen omnia inhumane fa-
ceret aduersum patrem, ad coenam illum inuitauit eo die. Venit Pastor nihil vultu expro-
brante. Propinauit illi Caesar heminam: & posuit illi custodem. perdurauit miser, non aliter
quàm si filij sanguinem biberet. Vnguentum & coronas misit, & obseruare iussit an sume-
ret. Sumpsit eo die, quo filium extulerat, immo quo non extulerat. Iacebat conuiua cente-
simus, & potiones vix honestas natalibus liberorum, podagricus senex hauriebat: cum in-
terim non lacrimas emisit, nec dolorem aliquo signo erumpere passus est. Coenauit tanquã
pro filio exorasset. Quaeris, quare? Habebat alterum. Quid ille Priamus? non dissimulauit
iram, & regis genua complexus est? Funestam perfusamque cruore filij manum, ad os suum
retulit, & coenauit, sed tamen sine vnguento, sine coronis: & illum hostis saeuissimus multis
solatiis, vt cibum caperet, hortatus est, non vt pocula ingentia super caput posito custode
siccaret. [n] Contempsisset Pastorem, si sibi timuisset: nunc iram compescuit pietas. Dignus
fuit, cui permitteret a conuiuio ad ossa filij legenda discedere. Ne hoc quidem permisit: be-
nignus interim & comis adolescens propinationibus senem crebris, vt cura leniretur, laces-
sebat. Contra ille se laetum, & oblitum quid eo esset actum die, praestitit. Perierat alter filius,
si carnifici conuiua non placuisset. Ergo ira abstinendum est, siue par est qui lacessen- XXXIIII.
dus est, siue superior, siue inferior. Nam cum pare contendere, anceps est: cum superiore, fu-
riosum: cum inferiore, sordidum. Pusilli hominis & miseri est, repetere mordentem, vt mu-
res & formicae: [o] ad quas si manum admoueris, ora conuertunt. Imbecilla se laedi putant, si
tanguntur. Faciet nos mitiores, si cogitauerimus, quid aliquando nobis profuerit ille, cui
irascimur, & meritis offensam redemerit. Illud quoque occurrat, quantum commendatio-
nis nobis allatura sit clemẽtiae fama, & quàm multos venia amicos vtiles fecerit. Ne irasca-
mur inimicorum & hostium liberis. Inter Syllanae crudelitatis exempla est, quòd a rep. li-
beros proscriptorum submouit. Nihil est iniquius, quàm aliquem heredem paterni odij fieri.
Cogitemus, quotiens ad ignoscendum difficiles erimus, [p] an expediat omnes nobis inexo-
rabiles esse. Quàm saepe veniam qui negauit, petit: [q] quàm saepe pedibus eius aduolutus est,
quem a suis repulit. Quid est gloriosius, quàm iram amicitia mutare? [r] Quos Pop. R. fide-
liores habet socios, quàm quos habuit pertinacissimos hostes? Quod hodie esset imperium,
nisi salubris prouidentia victos permiscuisset victoribus? Irascetur aliquis: tu contra bene-
ficiis prouoca. Cadit statim simultas ab altera parte deserta. [s] nisi par non pugnat. Si vtrin-
que concurritur, ille est melior, qui prior pedem retulit: victus est, qui vicit. Percussit te? re-
cede. Referiendo enim, & occasionem saepius feriendi dabis, & excusationem. non pote-
ris reuelli cum voles. [t] Nunquam velit quisquam tam grauiter hostẽ ferire, vt relinquat ma-
num in vulnere, & se ab ictu reuocare non possit. Atqui tale ira telum est, [u] vix retrahitur. XXXV.
Arma nobis expedita prospicimus, gladium commodum & habilem: non vitabimus impe-
tus animi, his graues magis, furiosos & irreuocabiles? Ea demum velocitas placet, quae vbi
iussa est, vestigium sistit, nec vltra destinata procurrit, & quae flecti & a cursu ad gradum re-
duci potest. Aegros scimus neruos esse, vbi inuitis nobis mouentur. Senex, aut infirmi cor-
poris est: qui cum ambulare vult, currit. Animi motus eos putemus sanissimos validissimos-
que, qui nostro arbitrio ibunt, non suo ferentur. [x] Nihil tamen aeque profuit, quàm pri-
mum intueri deformitatem rei, deinde periculum. Non est vllius affectus facies turbatior.
pulcherrima ora foedauit, toruos vultus ex tranquillissimis reddit. Liquit decor omnis ira-
tos: [y] & siue amictus illius compositus sit ad legem, attrahet vestem, omnemque curam sui
effundet. Si capillorum natura vel arte iacentium non informis est habitus, cum animo in-
horrescunt. [z] tumescunt venae, concutitur crebro spiritu pectus, rabida vocis eruptio colla
distendit. Tunc artus trepidi, inquietae manus, totius corporis fluctuatio. Qualem intra pu-
tas esse animum, cuius extra imago tam foeda est? Quanto illi intra pectus terribilior vul-
tus, acrior spiritus est, intensior impetus, rupturus se nisi eruperit? Quales sunt hostium vel
ferarum caede madentium, aut ad caedem euntium aspectus, qualia poetae inferna monstra
finxere, succincta serpentibus, & igneo flatu, quales ad bella excitanda, discordiamque in
populos diuidendam, pacemque lacerãdam, [a] taeterrimae inferum exeunt furiae: talem no-
bis iram figuremus, flamma lumina ardẽtia, sibilo mugituque & gemitu & stridore, & si qua
his inuisior vox est, perstrepentem, tela manu vtraque quatientem. neque enim illi tegere se,
cura est. toruam, cruentamque, & cicatricosam, & verberibus suis liuidam: [b] incessus vesani,
offusam multa caligine, incursitantem, vastantem, fugantemque: & omnium odio laboran-

rem, sui maxime: si aliter nocere non possit, terras, maria, caelum ruere cupientem, infestam pariter, inuisamque. [c] Vel, si videtur, qualis apud vates nostros est:

> [d] *Sanguineum quatiens dextra Bellona flagellum,*
> *Aut scissa gaudens vadit Discordia palla.*

XXXVI. aut si qua magis dira facies excogitari diri affectus potest. Quibusdam, vt ait Sextius, iratis profuit aspexisse speculum. perturbauit illos tanta mutatio sui. velut in rem praesentem adducti non agnouerunt se. & quantulum ex vera deformitate imago illa speculo repercussa reddebat? animus si ostendi, & si in vlla materia perlucere posset, intuentes nos confunderet. ater, maculosusque, aestuans, & distortus, & tumidus. Nunc quoque tanta deformitas eius est per ossa carnesque, & tot impedimenta effluentis. Quid si nudus ostenderetur? [e] Speculo quidem neminem deterritum ab ira credo. Quid ergo? qui ad speculum venerat, vt se mutaret, iam mutauerat. Iratis quidem nulla est formosior effigies, quàm atrox & horrida, qualesque esse, etiam videri volunt. Magis illud videndum est, quàm multis ira per se nocuerit. Alij nimio feruore rupere venas, & sanguinem supra vires elatus clamor egessit, & luminum suffudit aciem in oculos vehementius humor egestus, & in morbos aegri recidere. nulla celerior ad insaniam via est. Multi itaque continuauerunt irae furorem: nec quam expulerant mentem, vnquam receperunt. Aiacem in mortem egit furor, in furorem ira. Mortem liberis, egestatem sibi, ruinam domui imprecantur: & irasci se negant; non minus quàm insanire, furiosi. Amicissimis hostes, vitandique carissimis. Legum, nisi qua nocent, immemores, ad minima mobiles. Non sermone, non officio adiri faciles. Omnia per vim gerunt, gladiis & pugnare parati, & incumbere. Maximum enim malum illos coepit, & omnia exuperans vitia. Alia paulatim intrant. [f] Repentina & vniuersa vis huius est: omnes de-

XXXVII. nique alios affectus sibi subiicit. Amorem ardentissimum vincit. Transfoderunt itaque amata corpora, & in eorum quos occiderant iacuere complexibus. Auaritiam durissimum malum, minimumque flexibile ira calcauit, adacta opes suas spargere, & domui, rebusque in vnum collatis iniicere ignem. Quid? non ambitiosus [g] magno aestimata, ira proiecit insignia, honoremque delatum repulit? Nullus affectus est, in quem non ira dominetur.

M. ANTONII MVRETI AD SECVNDVM LIBRVM DE IRA NOTAE.

CAP. I. [1] BENIGNIOREM] *Faciliorem ad tractãdum, & in qua liberius excurrere posset oratio. Mela libro primo,* Quem persequi longa est magis quàm benigna materia.

2 Species oblatae iniuriae] *Hoc est, quod Aristoteles dicit, iram existere* ἐπὶ φαινομένῃ ἀδικίᾳ.

II. 3 Quid sit ira.] *Sed nonne priore libro, profligata iam haec quaestio est? Neque hoc tam quaeritur, quid sit ira, quàm quas animo semel occupato vires habeat. Fortaßis igitur legendum,* Quid possit ira.

4 Ipsi puero,] *Ptolemaeo, cuius iussu Pompeius interfectus est.*

5 Manum ad arma misisse.] *Cum Diogenes diceret, meliorem sibi eum musicum visum iri, si eos cantus reperisset, quibus Alexander incitatus & furens cohiberi ac reprimi posset. Facile est enim eo quẽque impellere, quo suapte sponte propensus est.*

VII. 6 Iudicia patris] *Agit de inofficioso.*

7 Septa] *In campo Martio: quae alio nomine ouilia vocabantur.*

IX. 8 Infitiationes,] *Vt eorum qui mutuum aut depositum abnegant. Martialis:*

> In ius o fallax atque infitiator eamus.

XII. 9 Formido.] *Huius meminit & libro primo de clementia. Virgilius:*

> Puniceaque agitant pauidos formidine pennae. *Hanc Gratius ita describit:*
> Sunt, quibus immundo decerptae vulture plumae
> Instrumentum operis fuit, & non parua facultas.
> Tantum inter niuei iungantur vellera Cygni.
> Et satis armorum est. hac clara luce coruscant.
> Terribiles species. ab vulture dirus auaro
> Turbat odor siluas, meliusque alterna valet res. *Nemesianus:*
> Linea quinetiam, magnos circundare saltus
> Quae possit, volucresque metu concludere praedas,

Digerat

Digerat innexas non vna ex alite pinnas.
Namque vrsos, magnosque sues, ceruosque fugaces
Terrificant, linique vetant transcendere septum. *Seneca tragicus.*
Picta rubenti linea pinna
Vano claudat terrore feras.

10 Nec, vt quibusdam visum est,] *Aduersus nobilem & omnium sermone celebratam Hesiodi sententiam, qua virtutem in arduo, nequitiam in procliui esse dicit.* XIII.

11 Inite modo] *Verbum vsitatum etiam in formulis.* Vtrisque superstitibus praesentibus, hanc viam dico. Inite viam. *Quidam tamen qui recta corrigebat, deprauata magis etiam distorquebat, mutare hoc apud Ciceronem voluit.*

12 Nec praedam,] *Male antea,* nec praedonem. XVII.

13 Refert quantum quisque] *Vide Galeni libellum,* ὅτι τὰ τῆς ψυχῆς ἤθη ταῖς τοῦ σώματος κράσεσιν ἕπεται. XIX.

14 Quod pueris Plato negandũ putat,] *Plato libro secũdo de legibus:* πρῶτον μὲν τοὺς παῖδας μέχρις ἐτῶν ὀκτωκαίδεκα τὸ παράπαν οἴνου μὴ γεύεσθαι· διδάσκοντες ὡς οὐ χρὴ πῦρ ὀχετεύειν εἴς τε τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν πρὶν ἐπὶ τοὺς πόνους ἐγχειρεῖν πορεύεσθαι, τὴν ἐμμανῆ εὐλαβούμενοι ἕξιν τῶν νέων. XX.

15 Quod flenti negatum fuerat, quieto offeratur:] *Expressit vocem vsitatam olim nutricibus ad pueros flentes: Desine flere, & accipies.* Μὴ κλαῖε, καὶ λήψῃ. *Plutarchus* περὶ ἀοργησίας. XXI.

16 Ille tyrannicida,] *Zenonem Eleaten dicit. de quo vide Valerium libri tertij capite tertio: & Laertium in vita ipsius.* XXIII.

17 Ab Hippia] *Ita plane liber Siculus, sed hunc tyrannum alij Phalarim, alij Nearchum, alij Diomedontem vocant.*

18 Vbi animum simul & corpus] *Hac de re ita Plutarchus:* οὐδὲ γὰρ ὀργὰς ἔχει μεγάλας ἀεὶ καὶ ἰσχυράς· ἀλλὰ καὶ σκῶμμα, καὶ παιδιά, καὶ τὸ γελάσαι τινά, καὶ διανεῦσαι, καὶ πολλὰ τοιαῦτα πολλοὺς εἰς ὀργὴν καθίστησιν. XXV.

L. ANNAEI SENECAE
DE IRA AD NOVATVM,
LIBER TERTIVS.

QVOD maxime desiderasti, Nouate, nunc facere tentabimus, iram excidere animis, aut certe refraenare, & impetus eius inhibere. Id aliquando palam apertéque faciendum est, vbi minor vis mali patitur: aliquando ex occulto, vbi nimium ardet, omnique impedimento exasperatur & crescit. Refert, quantas vires, quamque integras habeat. Vtrumne verberanda & agenda retro sit, an cedere ei debeamus, dum tempestas prima desaeuit, ne remedia ipsa secum ferat. Consilium pro moribus cuiusque capiendum erit. Quosdam enim preces vincunt: quidã insultant, instantque submissis. Quosdã terrendo placabimus. Alios obiurgatio, alios confessio, alios pudor coepto deiecit: alios mora, lentum praecipitis mali remedium, ad quod nouissime descendendum est. Ceteri enim affectus dilationem recipiunt, & curari tardius possunt. [a] Huius incitata, & se ipsa rapiens violentia, non paulatim procedit, sed dum incipit, tota est. Nec aliorum more vitiorum solicitat animos, sed abducit: & impotentes sui, cupidosque vel communis mali, exagitat. Nec in ea tantum, in quae destinauit, sed in occurrentia obiter furit. Cetera vitia impellunt animos: ira praecipitat. Ceteris etiam si resistere contra affectus suos non licet, at certe affectibus ipsis licet stare: haec non secus quàm fulmina procellaeque, & si qua alia irreuocabilia sunt, [b] quia non eunt, sed cadunt, vim suã magis ac magis tẽdit. Alia vitia a ratione, haec a sanitate desciscit. Alia accessus lenes habẽt, & incrementa fallentia: [c] in ira deiectus etiam animorum est. Nulla itaque res vrget magis attonita, & in vires suas prona: & siue successit, superba; siue frustratur, insana; ne repulsa quidem in taedium acta, vbi aduersarium fortuna subduxit, in seipsam morsus suos vertit: nec refert, quantum sit, ex quo surrexit. Ex leuissimis enim in maxima euadit. Nullam transit aetatem: nullum hominum genus excipit. Quaedam gentes beneficio egestatis non nouere luxuriam. Quaedam, quia exercitae & vagae sunt, effugere pigritiam. CAP. I. II.

C

Quibus incultus mos, agrestis vita est, circumscriptio ignota est, & fraus, & quodcunque in foro malum nascitur. Nulla gens est, quam non ira instiget, [d] tam inter Graios quàm barbaros potens. Non minus perniciosa leges metuentibus, quàm quibus iura distinguit modus virium. Denique cetera singulos corripiunt: hic vnus affectus est, qui interdum publice cōcipitur. [e] Nunquam vniuersus populus vnius feminae amore flagrauit. Nec in pecuniam aut lucrum tota ciuitas spem suam misit. Ambitio viritim singulos occupat. Impotentia non est malum publicum. Saepe in iram vno agmine itum est: viri, feminae, senes, pueri, principes, vulgusque consensere: & tota multitudo paucissimis verbis concitata, ipsum concitatorem antecessit. Ad arma protinus, ignesque discursum est, & indicta finitimis bella, aut gesta cum ciuibus. Totae cum stirpe omni crematae domus: [f] & modo eloquio fauorabilior habitus in medio honore, iram suae contionis excepit. In Imperatorem suum legiones pila torserūt. Dissedit plebs tota cum patribus: publicum consilium, senatus nō expectatis dilectibus, nec nominato Imperatore, subitos irae suae duces legit: ac per tecta vrbis, nobiles consectatus viros, supplicium manu sumpsit. Violauit legationes rupto iure gentium, rabiesque infanda ciuitatem tulit: nec datum tempus quo resideret tumor publicus: sed deductae protinus classes, & oneratae tumultuario milite. Sine more, sine auspiciis populus, ductu irae suae egressus, fortuita raptaque pro armis gessit. Deinde magna clade temeritatem audacis irae

III. luit. Hic barbaris forte ruentibus in bella exitus est, cum mobiles animos species iniuriae perculit, aguntur statim: & qua dolor traxit, ruinae modo regionibus incidunt incompositi, interriti, incauti, pericula appetentes sua, gaudent feriri, & instare ferro, & tela corpore vrgere, & per suum vulnus exire. Non est, inquis, dubium, quin magna ista & pestifera sit vis. Ideo quemadmodum sanari debeat, monstra. Atqui, vt in prioribus libris dixi, stat Aristoteles defensor irae, & vetat illam nobis exsecari. Calcar ait esse virtutis: hac erepta, inermem animum & ad conatus magnos [g] pigrum, inertemque fieri. Necessarium est itaque foeditatem eius ac feritatem coarguere, & ante oculos ponere, quantum monstri sit, homo in hominem furens; quantoque impetu ruat, non sine pernicie sua perniciosus, & ea deprimēs, quae mergi nisi cum mergente non possunt. Quid ergo? sanum hunc aliquis vocat, qui, velut tempestate correptus, non it, sed agitur, & furenti malo seruit? nec mandat vltionem suā, sed ipse eius exactor, animo simul ac manu saeuit, carissimorum, eorumque quos mox amissos fleturus est, carnifex? Hunc aliquis affectum virtuti adiutorem comitemque dat: consilia, sine quibus virtus gerit nihil, obturbantem? Caducae sinistraeque sunt vires, & in malum suum validae, in quas aegrum morbus & accessio erexit. Non est ergo, quòd me putes tempus in superuacuis consumere, quòd iram, [h] quasi dubiae apud homines opinionis sit, infamem: cum aliquis sit & quidem de illustribus philosophis, qui illi indicat operas, & tanquam vtilem ac spiritus subministrantem in proelia, in actus rerum, ad omne quodcunque calore aliquo gerendum est, vocet. Ne quem fallat, tanquam aliquo tempore, aliquo loco profutura, ostendenda est rabies eius effraenata & attonita: apparatusque illi reddendus est suus, [i] eculei, & fidiculae, & ergastula, & cruces, & circundati [k] defixis corporibus ignes, & cadauera quoque trahens vncus, varia vinculorum genera, varia poenarum, lacerationes membrorum, inscriptiones frontis, [l] & bestiarum immanium caueae. Inter haec instrumenta collocetur ira, dirum quiddam atque horridū stridens, [m] omnibus per quae furit taetrior. Vt de ceteris dubium sit, nulli certe affectui peior est vultus, quem in prioribus libris descripsimus, asperum & acrem, & nunc subito retrorsum sanguine fugato, pallentem, nunc in os omni calore ac spiritu verso, subrubicundum, & similem cruento, venis tumentibus, oculis nunc trepidis & exilientibus, nunc in vno obtutu defixis & haerentibus,

IIII. [n] Adiice dentium inter se arietatorum, & aliquem esse cupientium, non alium sonum, quàm est apris, tela sua attritu acuentibus. Adiice articulorum crepitum, cum se ipsae manus frangunt, & pulsatum saepius pectus, anhelitus crebros, tractosque altius gemitus, instabile corpus, incerta verba subitis exclamationibus, trementia labra, interdumque compressa, & dirum quiddam exsibilantia. Ferarum, mehercules, siue illas fames exagitat, [o] siue infixum visceribus ferrum, minus taetra facies est, etiam cum venatorem suum semianimes morsu vltimo petunt, quàm hominis ira flagrantis. Age, si exaudire voces ac minas vacet, qualia excarnificati animi verba sunt? nonne reuocare se quisque ab ira volet, cum intellexerit illam a suo primum malo incipere? Non vis ergo admoneam eos qui iram summa potentia exercent, & argumentum virium existimant, & in magnis magnae fortunae bonis ponunt paratam vltionem, quàm non sit potens, immo nec liber quidem dici possit, ira captus? Non vis admoneam, quo diligentior quisque sit, vt ipse se circunspiciat: alia animi mala ad pessimos quosque pertinere, iracundiam etiam eruditis hominibus, & in alia sanis, irrepere?

irrepere? adeo vt quidam simplicitatis indicium iracundiam dicant, & vulgo credatur fa-
cillimus quisque huic obnoxius. Quorsus, inquis, hoc pertinet? Vt nemo se iudicet tu- V.
tum ab illa: cum lentos quoque natura & placidos in saeuitiam ac violentiam euocet. Quē-
admodum aduersus pestilenriam [p] nihil prodest firmitas corporis, & diligens valetudinis
cura: promiscue enim imbecilla robustaque inuadit: ita ab ira tam inquietis moribus peri-
culum est quàm compositis & remissis, quibus eo turpior ac periculosior est, quo plus in il-
lis mutat. Sed cum ptimum sit, non irasci: secundum, rerinere: tertium, alienae irae mederi:
dicam primum, quemadmodum in iram non incidamus: deinde, [q] quemadmodum ab illa
liberemur: nouissime, quemadmodum irascētem retineamus placemusque, & ad sanitatem
reducamus. Ne irascamur, praestabimus, si omoia vitia irae nobis subinde proposuerimus,
& illam bene aestimauerimus. Accusanda est apud nos, damnanda: perscrutanda eius ma-
la, & in medium protrahenda sunt: vt qualis sit, appareat, comparanda cum pessimis est. A-
uaritia acquirit, & contrahit, quo aliquis melior vtatur: [r] ira impendit: paucis gratuita est.
Iracundus dominus quosdam in fugam seruos egit, quosdam in mortē. quanto plus irascen-
do, quàm id erat propter quod irascebatur, amisit? Ira patri luctum, marito diuortium attu-
lit, magistratui odium, candidato repulsam. [s] Peior est etiam, quàm luxuria: quoniam illa
sua voluptate fruitur, [t] haec alieno dolore. Vincit malignitatem & inuidiam. Illae enim in-
felicem fieri volunt, haec facere. Illae fortuitis malis delectantur: haec noo potest expectare
fortunam. Nocere ei quem odit, non noceri vult. Nihil est simultatibus grauius. has ira cō-
ciliat. Nihil est bello funestius. in hoc potentium ira prorumpit. Ceterum etiam illa plebeia
ira & priuata, inerme, & sine viribus bellum est. Praeterea ira, vt seponamus quae mox secu-
tura sunt damna, insidias, perpetuam ex certaminibus mutuis solicitudinem, dat poenas
dum exigit: naturam hominis vitiat. Illa in amorem hortatur, haec in odium. Illa prodesse
iubet, haec nocere. Adiice, quòd cum indignatio a oimio sui suspectu veniat, & aninosa vi-
deatur, pusilla est & angusta. Nemo enim non eo a quo se contemptum iudicat, minor est.
At ille ingens animus, & verus aestimator sui non vindicat iniuriam, quia non sentit. Vt te-
la a duro resiliunt, cum dolore caedentis solida feriuntur: ita nulla magnum aoimum iniu-
ria [u] ad sensum sui adducit, fragilior eo quod petit. Quanro pulchrius, velut nulli penetra-
bilem telo, omnes iniurias contumeliasque respuere? Vltio, doloris confessio est. Non est
magnus animus, [v] quem incuruat iniuria. Aut potentior te, aut imbecillior laesit. Si imbe-
cillior, parce illi: si potentior, tibi. Nullum est argumentum magnitudinis certius quā VI.
nihil posse, quo instigeris, accidere. Pars superior mundi & ordinatior, ac propinqua sideri-
bus, nec in nubem cogitur, nec in rempestatem impellitur, nec versatur in turbinem: omni
tumultu caret. [x] inferiora fulminant. Eodem modo sublimis animus, quietus semper, & in
statione tranquilla collocatus, intra se premens, quibus ira contrahitur, modestus [y] & ve-
nerabilis est & compositus, quorum nihil inuenies in irato. Quis enim traditus dolori & fu-
rens non primam reiecit verecundiam? Quis impetu turbidus, & in aliquem ruens, nō quic-
quid in se verecundi habuit, abiecit? Cui officiorum numerus aut ordo constitit incitato?
Quis linguae temperauit? Quis vllam partem corporis tenuit? Quis se regere potuit? In im-
mensum proderit nobis illud Democriti salutare praeceptum, quo monstratur tranquilli-
tas, [z] si neque priuatim, neque publice multa, aut maiora viribus nostris egerimus. Nunquā
tam feliciter in multa discurrenti negotia dies transiit, vt non aut ex homine, aut ex re offen-
sa nascatur, quae animum in iras paret. Quemadmodum per frequentia vrbis loca prope-
ranti in multos incursitandum est, & alicubi labi necesse est, alicubi retineri, alicubi resper-
gi: ita in hoc vitae actu dissipato & vago multa impedimenta, multae querelae incidunt. A-
lius spem nostram fefellit, alius distulit, alius intercepit. Non ex destinato proposita fluxe-
runt. Nulli fortuna tam dedita est, vt multa tentanti vbique respondeat. Sequitur ergo, vt is
cui contra quàm proposuerat, aliqua cesserunt, impatiens hominum rerumque sit: [z] ex leuis-
simis causis irascatur, nunc personae, nunc negotio, nunc loco, nunc fortunae, nunc sibi. Ira-
que vt quietus possit esse animus, non est iactandus, nec multarum, vt dixi, rerum actu fati-
gandus, nec magnarum, supraque vires appetitarum. Facile est, leuia aptare ceruicibus, & in
hanc aut in illam partem transferre sine lapsu. [a] At quae alienis in nos manibus imposita,
aegre sustinemus, victi in proximos effundimus, & dum stamus sub sarcina, impares oneri
vacillamus. Idem accidere in rebus ciuilibus ac domesticis, scias. Negotia expedita & VII.
habilia sequuntur auctorem: ingentia, & supra mensuram agentis, nec dant se facile, & si
occupata sunt, [b] premunt atque adducunt administrantem, tenerique iam visa, cum ipso
cadunt. Itaque fit, vt frequenter irrita sit eius voluntas, qui non quae facilia sunt, aggredi-
tur, sed vult facilia esse, quae aggressus est. Quotiens aliquid conaberis, te simul & ea

quae paras, quibusque pararis, ipse metire. Faciet enim te asperum paenitentia operis infecti.[c] Hic interest, vtrum quis feruidi sit ingenij, an frigidi, atque humilis. Generoso repulsa iram exprimet, languido inertique tristitiam. Ergo actiones nostrae[d] nec prauae sint, nec audaces, nec improbae. In vicinum spes exeat. Nihil conemur, quòd mox adepti quoque successisse miremur. Demus operam, ne accipiamus iniuriam[e] quam ferre nescimus. Cum placidissimo & facillimo,[f] & minime anxio morosoque viuendum est. Sumuntur a conuersantibus mores. Et vt quaedam[g] in contactos corporis vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit. Ebriosus conuictores in amorem vini traxit. Impudicorum coetus[h] fortē quoque & siliceum virum emolliit. Auaritia in proximos virus suum transtulit. Eadem ex diuerso ratio virtutum est, vt omne quod secum habent, mitigent. Nec tam valetudini profuit vtilis regio & salubrius caelum, quàm animis parum firmis in turba meliorum versari. Quae res quantum possit, intelliges, si videris feras quoque conuictu nostro mansuescere: nullique immani bestiae vim suam permanere, si hominis contubernium diu passa est. Re-

VIII. tunditur omnis asperitas, paulatimque inter placida dediscitur. Accedit huc, quòd non tantum exemplo melior fit, qui cum quietis hominibus viuit, sed quòd causas irascendi non inuenit, nec vitium suum exercet. Fugere itaque debebit omneis quos irritaturos iracundiā sciet. Qui sunt, inquit, isti? Multi ex variis causis idem facturi. Offendet te superbus contemptu, diues contumelia, petulans iniuria, liuidus malignitate, pugnax contentione, ventosus & mendax vanitate. Non feres a suspicioso timeri, a pertinace vinci, a delicato fastidiri. Elige simplices, faciles, moderatos, qui iram tuam[i] non euocent, sed ferant. Magis adhuc proderunt submissi & humani, & dulces, non tamen vsque in adulationem. Nam iracundos nimia assentatio offendit. Erat certe amicus noster, vir bonus, sed irae paratioris, cui non magis erat tutum blandiri quàm maledicere. Caelium oratorem fuisse iracundissimum constat. Cum quo, vt aiunt, coenabat in cubiculo lectae patientiae cliens: sed difficile erat illi in crapulam coniecto, rixam eius cum quo edebat, effugere. Optimum iudicauit quicquid dixisset sequi,[k] & secundas agere. Non tulit Caelius assentientem, sed exclamauit: Dic aliquid contra, vt duo simus. Sed ille quoque quòd nō irasceretur iratus, cito sine aduersario desiit. Eligamus ergo vel hos potius, si conscij nobis iracundiae sumus, qui vultum nostrum ac sermonem sequantur. Facient quidem nos delicatos, & in malam consuetudinem inducent, nihil contra voluntatem audiendi: sed proderit[k] vitio interuallum & quietem dare. Difficilis quoque & indomita natura, blandientem feret. Nihil asperum taetrumque palpanti est. Quoties disputatio longior & pugnacior erit, in prima resistamus, antequam robur accipiat. Alit seipsam contentio:[l] demissos altius tenet. Facilius est se a certamine abstinere,

IX. quàm abducere. Studia quoque grauiora iracundis omittenda sunt, aut certe citra lassitudinem exercenda: & animus non inter plura versandus, sed artibus amoenis tradendus. Lectio illum carminum obleniat, & historia fabulis detineat: mollius delicatiusque tractetur. Pythagoras perturbationes animi lyra componebat. Quis autem ignorat, lituos & tubas concitamenta esse, sicut quosdam cantus blandimenta, quibus mens resoluatur? Confusis oculis prosunt virentia, & quibusdam coloribus infirma acies acquiescit, quorundam splendore praestringitur. sic mentes aegras studia laeta permulcent. Forum, aduocationes, iudicia, fugere debemus, & omnia quae exulcerant vitium: aeque cauere lassitudinem corporis. Consumit enim, quicquid in nobis mite placidumque est,[m] & acria concitat. Ideo quibus stomachus suspectus est, processuri ad res agendas maioris negotij, bilem cibo temperent, quam maxime mouet fatigatio:[n] siue quia calorem inedia compellit, & nocet sanguini, cursumque eius, venis laborantibus, sistit: siue quia corpus attenuatum & infirmum incumbit animo. Certe ob eandem causam iracundiores sunt valetudine aut aetate fessi. Fames quoque & sitis ex eisdem causis vitanda est: exasperat enim & incendit animos.

X. Vetus dictum est, A lasso rixam quaeri. Aeque autem & ab esuriente, & a sitiente, & ab omni homine quem aliqua res vrit. Nam vt vlcera ad leuem tactum, deinde etiam ad suspicionem tactus condolescunt: ita animus affectus, minimis offenditur, adeo vt quosdam salutatio, epistola, oratio, & interrogatio ad litem euocent. Nunquam sine querela aegra tanguntur. Optimum est itaque, ad primum mali sensum mederi sibi: tum verbis quoque suis minimum libertatis dare, & inhibere impetum. Facile est autem, affectus suos cum primum oriuntur, deprehendere. Morbum signa praecurrunt. Quemadmodum tempestatis ac pluuiae ante ipsas notae veniunt: ita irae, amoris, omniumque istarum procellarū animos vexantium[o] sunt quaedam praenuntia.[q] Qui comitiali vitio solent corripi, iam aduentare valetudinem intelligūt, si calor summa deseruit, & incertū lumen, neruorumque trepidatio est, si memoria sublabitur, caputq; versatur. Solitis itaque remediis[p] incipientem

causum

casum occupant,& odore gustuque quicquid est quod alienat animos,repellitur:aut fomē-
tis contra frigus rigoremque pugnatur:aut si parum medicina profecit, vitauerunt turbam,
& sine teste ceciderūt.Proderit morbum suum nosse,& vires eius antequam spatientur, op-
primere. Videamus quid sit,quod nos maxime concitet. Alium verborum,alium rerum cō-
tumeliae mouent.Hic vult nobilitati suae, hic formae suae parci. Ille elegantissimus haberi
cupit, ille doctissimus. Hic superbiae impatiens est, hic contumaciae. Ille seruos non putat
dignos quibus irascatur: hic intra domum saeuus est,foris mitis. Ille rogari, inuidiam iudi-
cat:hic, non rogari, contumeliam. Non omnes ab eadem parte feriuntur. Scire itaque XI.
oportet, quid in te imbecillum sit, vt id maxime protegas. Non expedit omnia videre, o-
mnia audire. multae nos iniuriae transeant:ex quibus plaerasq; non accipit,qui nescit.Non
vis esse iracundus? [p] ne sis curiosus. Qui inquirit quid in se dictum sit, qui malignos sermo-
nes [q] etiam si secreto habiti sint,eruit,se ipse inquietat.[r] Quaedam interpretatio eo perducit,
vt videantur iniuriae. Itaque alia differenda sunt, alia deridenda, alia donanda.Circunscri-
benda multis modis ira est. Plaeraque in lusum iocumque vertantur. Socratem aiunt, cola-
pho percussum nihil amplius dixisse, quàm molestum esse, quòd nescirent homines quan-
do cum galea prodire deberent. Non quemadmodum facta sit iniuria refert, sed quemad-
modum lata. Nec video quare difficilis sit moderatio, cum sciam tyrannorum quoque [s] tu-
mida & fortuna & licentia ingenia familiarem sibi saeuitiam repressisse. Pisistratum certe
Atheniensium tyrannum memoriae proditur, cum multa in crudelitatem eius ebrius con-
uiua dixisset,nec deessent qui vellent manus ei commodare, & alius hinc, alius illinc faces
subderent, placido animo tulisse,& hoc irritantibus respondisse,[t] non magis illi se succense-
re, quàm si quis obligatis oculis in se occurrisset. Magna pars querelas manu fecit, aut falsa
suspicando, aut leuia aggrauando. Saepe ad nos ira venit, saepius nos ad illam: quae XII.
nunquam accersenda est: etiam cum incidit, reiiciatur. Nemo dicit sibi: Hoc propter quod
irascor, aut feci, aut fecisse potui. Nemo animum facientis,sed ipsum aestimat factum. At-
qui ille intuendus est, an voluerit, an inciderit: coactus sit, an deceptus: odium secutus sit,
an praemium: sibi morem gesserit, an manum alteri commodauerit. Aliquid peccantis ae-
tas facit, aliquid fortuna: [u] vt ferre, [x] aut humanum, aut humile sit. Eo loco nos constitua-
mus, quo ille est cui irascimur. Nunc facit iracundos iniqua nostri aestimatio: & quae face-
re vellemus,pati nolumus. Nemo se differt. Atqui maximum remedium irae, dilatio est: vt
primus eius feruor relanguescat,& caligo quae premit mentem,aut residat, aut minus densa
sit. Quaedam ex his quae te praecipitem ferebant,hora, non tantum dies,molliet:quaedam
ex toto euanescent. Si in hoc erit petita aduocatio, [y] apparebit iam iudicium esse,non iram.
Quicquid voles quale sit scire, tempori trade. Nihil diligenter in fluctu cernitur. Non po-
tuit impetrare Plato a se tempus, cum seruo suo irasceretur, sed ponere illum statim tunicā,
& praebere scapulas verberibus iussit, sua manu ipse percussurus. Postquam intellexit irasci
se, sicut sustulerat manum suspensam detinebat, [z] & stabat percussuro similis. Interroga-
tus deinde ab amico, qui forte interuenerat, quid ageret, Exigo, inquit, poenas ab homi-
ne iracundo. velut stupens, gestum illum deformem sapienti viro seruabat, oblitus iam ser-
ui: quia alium quem potius castigaret, inuenerat. Itaque abstulit sibi in suos potestatem,&
ob peccatum quoddam commotior; Tu,inquit,Speusippe seruulum istum verberibus ob-
iurga: nam ego irascor. [a] Ob hoc non caecidit, propter quod alius caecidisset. Irascor, in-
quit: plus faciam quàm oportet: libentius faciam. Non sit iste seruus in eius potestate,
qui in sua non est. Aliquis vult irato committi vltionem, cum Plato sibi ipse imperium ab-
rogauerit? Nihil tibi liceat, dum irasceris. Quare? quia vis omnia licere. Pugna tecum ipse.
Si iram vincere non potes, illa te incipit vincere. Si absconditur, si illi exitus non datur,
signa eius obruamus: & illam, quantum fieri potest, occultam secretamque teneamus.
Cum magna id nostra molestia fiet. Cupit exilire, & incendere oculos, [b] & mutare faciem: XIII.
sed si eminere illi extra nos licuit, supra nos est. In imo pectoris secessu recondatur, feratur-
que, non ferat. Imo in contrarium omnia eius indicia flectamus. Vultus remittatur, vox le-
nior sit, gradus lentior: paulatim [c] cum exterioribus interiora formentur. [d] In Socrate irae
signum erat, vocem submittere, loqui parcius. Apparebat tunc illum sibi obstare. Depre-
hendebatur itaq; a familiaribus & coarguebatur.[e] Nec erat illi exprobratio latitantis irae in-
grata. Quid ni gauderet, quòd iram suam multi intelligerent, nemo sentiret? Sensisset autem,
nisi ius amicis obiurgandi se dedisset, sicut ipse sibi in amicos sumpserat. Quanto magis hoc
nobis faciendum est. Rogemus amicissimum quemque, vt tunc maxime aduersus nos liber-
tate vtatur, cum minime illam pati poterimus: nec assentiatur irae nostrae. cōtra potēs ma-
lum, & apud nos gratiosum, dum conspicimus, dum nostri sumus, aduocemus. Qui vinum

male ferunt,& ebrietatis suae temeritatem ac petulantiam metuunt,mandant suis,vt e conuiuio auferantur.

XIIII. Intemperantiam in morbo suam experti, parere sibi in aduersa valetudine vetant. Optimum est,notis vitiis impedimenta prospicere,& ante omnia ita componere animum, vt & grauissimis rebus subitisque concussus iram aut non sentiat, aut magnitudinem inopinatae iniuriae exortam in altum retrahat, nec dolorem suum profiteatur. Id fieri apparebit,si pauca ex ingenti turba exempla protulero: ex quibus vtrumque discere licet, quantum mali habeat ira, vbi hominum praepotentum potestate tota vtitur: quantum sibi imperare possit, vbi metu maiore compressa est. Cambysen regem nimis deditum vino, [e] Praexaspes vnus ex carissimis monebat, vt parcius biberet: turpem esse dicens ebrietatem in rege, quem oculi omnium auresque sequerentur. Ad hoc ille: Vt scias,inquit,quemadmodum nunquam excidam mihi, approbabo iam, & oculos post vinum in officio esse, & manus. Bibit deinde liberalius quàm alias, capacioribus scyphis: [f] & iam grauis,& vinolentus, obiurgatoris sui filium procedere vltra limen iubet, alleuataque super caput sinistra manu stare. Tunc intendit arcum, & ipsum cor adolescentis (id enim se petere dixerat) figit,recisoque pectore [g] haerens in ipso corde spiculum ostendit:ac respiciens patrem, an satis certam haberet manum, interrogauit. At ille negauit Apollinem potuisse certius mittere. Dij illum male perdant, animo magis quàm condicione mancipium. Eius rei laudator fuit, cuius nimis erat spectatorem fuisse. Occasionem blanditiarum putauit, pectus filij in duas partes diductum, & cor sub vulnere palpitans. Controuersiam illi facere de gloria debuit, & reuocare iactum, vt regi liberet in ipso patre certiorem manum ostendere. O Regem cruentum. O dignum in quem [h] omnium suorum arcus verterentur. Cum execrati fuerimus illum conuiuia suppliciis funeribusq; soluentem, tamen sceleratius telum illud laudatum est,quàm missum. [i] Videbimus quomodo se pater gerere debuerit, stans super cadauer filij sui, caedemque illam, cuius & testis fuerat & causa. Id de quo nunc agitur, patet, iram supprimi posse. Non maledixit regi, nullum emisit ne calamitosi quidem verbum, cum aeque cor suum quàm filij transfixum videret. Potest dici merito deuorasse verba. Nam si quid tanquam iratus dixisset,nihil tanquam pater facere potuisset. Potest,inquam,videri sapientius se in illo casu gessisse, quàm cum de potandi modo praeciperet: [k] quem satius erat vinum quàm sanguinem bibere,cuius manus poculis occupari pax erat. Accessit itaque ad numerum eorum qui magnis cladibus ostenderunt, quanti constarent regum amicis bona cōsilia.

XV. [l] Non dubito,quin Harpagus quoque tale aliquid [m] regi suo Persarumque suáserit,quo offensus,liberos illi epulandos apposuit,& subinde quaesiit,an placeret conditura. Deinde vt satis illum plenum malis suis vidit, afferri capita illorum iussit, & quomodo esset acceptus,interrogauit. Non defuerunt misero verba,non os concurrit. Apud regem,inquit, omnis coena iucunda est. Quid hac adulatione profecit? ne ad reliquias inuitaretur. Non veto patrem damnare regis sui factum, non veto quaerere dignam tam truci portento poenam:sed hoc interim intelligo,posse [n] etiam ex ingentibus malis nascentem iram abscondi, & ad verba contraria sibi cogi. Necessaria est ista doloris refraenatio, vtique hoc sortitis vitae genus, & ad regiam adhibitis mensam. Sic estur apud illos, sic bibitur, sic respondetur. Funeribus suis arridendum est. An tanti sit vita,videbimus. Alia ista quaestio est. Non consolabimur tam triste ergastulum, non adhortabimur ferre imperia carnificum, ostendemus in omni seruitute apertam libertati viam. Si aeger animus, & suo vitio miser est, huic miserias finire secum licet. Dicam & illi qui in regem incidit, sagittis pectora amicorum petentem, & illi cuius dominus liberorum visceribus patres saturat: Quid gemis demens, quid expectas, vt te aut hostis aliquis per exitium gentis tuae vindicet, aut rex a longinquo potens aduolet? Quocunque respexeris, ibi malorum finis est. Vides illum praecipitem locum? illac ad libertatem descenditur. Vides illud mare, vides illud flumen, illum puteum? Libertas illic in imo sedet. [o] Vides illam arborem, breuem, retorridam, infelicem? pendet inde libertas. Vides iugulum tuum, guttur tuum, cor tuum? effugia seruitutis sunt. Nimis mihi operosos exitus monstras, & multum animi ac roboris exigentes. Quaeris,quod sit ad libertatem iter? Quaelibet in corpore tuo vena.

XVI. Quamdiu quidem nihil tam intolerabile nobis videtur, vt nos expellat e vita, iram in quocunque erimus statu,remoueamus. Perniciosa est seruientibus. Omnis enim indignatio in tormentum suum proficit, & imperia grauiora sentit, quo contumacius patitur. Sic laqueos fera dum iactat, astringit; sic aues viscum, dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt. Nullum tam arctum est iugum quod non minus laedat ducentem, quàm repugnantem. [p] Vnum est leuamentum malorum ingentium, pati, & necessitatibus suis obsequi: sed cum vtilis sit seruientibus affectuum suorum,& huius praecipue rabidi atque effraenis continentia, vtilior

est

est regibus. Perierunt omnia, vbi quãtum suadet ira, fortuna permittit: nec diu potest, quae multorum malo exercetur, potentia stare. Periclitãtur enim, vbi eos qui separatim gemunt, communis metus iunxit. Plaerosque itaque modo singuli mactauerũt, modo vniuersi, cum illos cõferre in vnum iras publicus dolor coegisset. Atqui plerique sic iram quasi insigne regium exercuerunt. Sicut Dareus, qui primus [q] post ablatum Mago imperium, Persas & magnam partem Orientis obtinuit. Nam cum bellum Scythis indixisset, Orientem cingentibus, [r] rogatus ab Oebazo nobili sene, vt ex tribus liberis vnum in solatium patri relinqueret, duorum opera vteretur: plus quàm rogabatur pollicitus, omnes se illi dixit remissurum: [s] & occisos in conspectu parentis abiecit, crudelis futurus, si omnes abduxisset. At XVII.
quanto Xerxes facilior, [t] qui Pythio, quinque filiorum patri, vnius vacationem petẽti, quem vellet, eligere permisit: deinde quem elegerat, in partes duas distractum ab vtroque viae latere posuit, & hac victima lustrauit exercitum. Habuit itaque quem debuit exitum. victus, & late longeque fusus, ac stratam vbique ruinam suam cernens, medius inter suorum cadauera incessit. Haec barbaris regibus feritas in ira fuit: quos nulla eruditio, nullus litterarum cultus imbuerat. Dabo tibi ex Aristotelis sinu regem Alexandrum, qui Clitum carissimum sibi & vna educatum, inter epulas transfodit & manu quidem sua, parum adulãtem, & pigre ex Macedone ac libero in Persicam seruitutem transeuntem. Nam Lysimachum aeque familiarem sibi, leoni obiecit. Nunquid ergo hic Lysimachus, felicitate quadam dentibus leonis elapsus, ob hoc, cum ipse regnaret, mitior fuit? Nam Telesphorum Rhodium amicum suum decurtatũ, cum aures illi nasumque abscidisset, in cauea velut nouum animal aliquod & inusitatum diu pauit: cum oris detruncati mutilatique deformitas humanam faciem perdidisset. Accedebat fames & squalor & illuuies corporis, in stercore suo destituti, callosis super haec genibus manibusque, quas in vsum pedum angustiae loci cogebant. Lateribus vero attritu exulceratis, non minus foeda quàm terribilis erat forma eius visentibus. Factusque poena sua monstrum, misericordiam quoque amiserat. tamen cum dissimillimus esset homini, qui illa patiebatur, dissimilior erat qui faciebat. Vtinam ista saeuitia intra pere- XVIII.
grina mansisset exempla, [t] nec in Romanos mores cum aliis aduenticiis vitiis, suppliciorum irarumque barbaria transisset. M. Mario, cui vicatim populus statuas posuerat, cui ture & vino Romanus populus supplicabat, L. Sylla perfringi crura, erui oculos, amputari manus iussit, & quasi totiens occideret, quotiens vulnerabat, paulatim & per singulos artus lacerauit. Quis erat huius imperij minister? Quis, nisi Catilina, [u] iam in omne facinus manus exercens? sic illum ante bustum Q. Catuli carpebat, grauissimus mitissimi viri cineribus: supra quos vir mali exempli, popularis tamen, [x] & non tam immerito quàm nimis amatus, per stillicidia sanguinem dabat. Dignus erat Marius, qui illa pateretur: Sylla qui iuberet: Catilina qui faceret. Sed indigna resp. quae in corpus suum pariter [x] & [y] hostium & ciuium gladios reciperet. Quid antiqua perscrutor? Modo C. Caesar Sextum Papinium, cui pater erat consularis, [z] Belienum Bassum quaestorem suum procuratoris sui filium, aliosque & equites Romanos & senatores vno die flagellis caecidit, torsit, nõ quaestionis, sed animi causa. Deinde adeo impatiẽs fuit differẽdae voluptatis, [a] quã ingens crudelitas sine dilatione poscebat, [b] vt in xysto maternorum hortorũ, qui porticum a ripa separat, inambulans, quosdã ex illis cum matronis atque aliis senatoribus ad lucernã decollaret. Quid instabat? quod periculum, aut priuatum, aut publicum vna nox minabatur? quantulum fuit, lucem expectare? Denique ne senatores populi Romani soleatus occideret. Quàm superbae fuerit crudelitatis, ad rem XIX.
pertinet scire: [c] quanquam aberrare aliquãdo possumus videri, & in deuium exire: sed hoc ipsum pars erit irae super solita saeuientis. Caeciderat flagellis senatores: ipse effecit, vt dici posset, solet fieri. Torserat per omnia, quae in rerum natura tristissima sunt, [d] fidiculis, talaribus, eculeo, igne, vultu suo. Et hoc loco respondebitur, magnam rem, si tres senatores, quasi nequam mancipia, [e] inter verbera & flammas diuisit, homo qui de toto senatu trucidando cogitabat, qui optabat vt populus Romanus vnam ceruicem haberet, vt scelera sua tot locis ac temporibus diducta, in vnum ictum & vnum diem cogeret. Quid tam inauditum, quàm nocturnum supplicium? Cum latrocinium tenebris abscondi soleat, animaduersiones, quo notiores sunt, plus ad exemplum emendationemque proficiunt. Et hoc loco respondebitur mihi: Quod tantopere admiraris, isti beluae quotidianum est, ad hoc viuit, ad hoc vigilat. Nemo certe inuenietur alius, [f] qui imperauerit bis in quos animaduerti iubebat, os inserta spongia includi, ne vocis emittendae haberent facultatem. Cui vnquam morituro non est relictum, [g] qua gemeret? timuit, ne quam liberiorem vocem extremus dolor mitteret: ne quid, quod nollet, audiret. Sciebat autẽ innumerabilia esse, quae obiicere illi nemo nisi periturus auderet. Cum spongiae non inuenirentur, scindi vestimenta miserorum, & in os far-

citi pannos imperauit. Quae ista saeuitia est?[h] Liceat vltimum spiritum trahere. Da exiturae

XX. animae locum:[i] liceat illam non per vulnus emittere. Adiicere his longum est,[k] quot patres quoque occisorum eadem nocte, dimissis per domos centurionibus, confecit: id est, homo misericors luctu liberauit. Non enim Caij saeuitiam, sed irae malum propositum est scribere:[l] quae non tantum viritim furit, sed gentes totas lancinat, sed vrbes, sed flumina exuta ab omni sensu doloris conuerberat. Sicut rex Persarum, totius populi nares recidit in Syria: inde Rhinocolura loci nomen est. Pepercisse illum iudicas, quòd nō tota capita praecidit? Nouo genere poenae delectatus est. Tale aliquid passi forent Aethiopes, qui ob longissimum vitae spatium Macrobij appellantur. In hos enim, quia non supinis manibus exceperant seruitutem, missisque legatis libera responsa dederant, quae contumeliosa reges vocant, Cambyses fremebat, & nō prouisis commeatibus, non exploratis itineribus, per inuia, per arentia trahebat omnem bello vtilem turbam: cui[m] intra primum iter deerant necessaria, nec quicquam subministrabat sterilis & inculta humanoque ignota vestigio regio. Sustinebant famem primo tenerrima frōdium, & cacumina arborum, tum coria igne mollita, & quicquid necessitas cibum fecerat. Postquam inter harenas radices quoque & herbae defecerant, apparuitque inops etiam animalium solitudo, decimum quemque sortiti, alimentum habuerunt fame saeuius. Agebat adhuc ira regem praecipitem, cum partem exercitus amisisset, partem comedisset: donec timuit, ne & ipse vocaretur ad sortem. tum demum signum receptui dedit. Seruabantur interim illi generosae aues, & instrumenta epularum camelis vehebantur, cum sortirentur milites eius, quis male periret, quis peius viueret.

XXI. Hic iratus fuit gēti, & ignotae, & immeritae, sensurae tamen: Cyrus flumini.[n] Nam cum Babylonem oppugnaturus festinaret ad bellum, cuius maxima momēta in occasionibus sunt, [o] Gynden late fusum amnem [p] vado transire tentauit: quod vix tutum est etiam cum sensit aestatem, & ad minimum deductus est. Ibi vnus ex his equis,[q] qui trahere regium currum albi solebant, abreptus, vehementer commouit regem. Iurauit itaque amnem illum [r] regiis equis meatum auferentem, eo se redacturum, vt transiri calcarique etiam a feminis posset. Huc deinde omnem transtulit belli apparatum, & tamdiu assedit operi, donec c. & LXXX. cuniculis diuisum alueum in CCC. & LX. riuos dispergeret, & siccum relinqueret in diuersum fluentibus aquis. [s] Periit itaque & tempus, magna in vanis rebus iactura, & militum ardor, quem inutilis labor fregit, & occasio aggredie̅di imparatos, dum ille bellum indictum hosti cum flumine gerit.

XXII. Hic furor (quid enim aliud voces?) Romanos quoque contigit. C. enim Caesar villam in Herculanensi pulcherrimam, quia mater sua aliquando in illa custodita erat, diruit, fecitque eius per hoc notabilem fortunam. Stantem enim praenauigabamus: nunc causa dirutae quaeritur. Et tam haec cogitāda sunt exempla quae vites, quàm illa è contrario, quae sequaris, moderata, lenia: quibus nec ad irascendum causa defuit, nec ad vlciscendum potestas. Quid enim facilius fuit Antigono, quàm duos manipulares duci iubere, qui incumbentes regio tabernaculo faciebant, quod homines & periculosissime & libentissime faciunt,[t] de rege suo male existimant? Audierat omnia [u] Antigonus, vtpote [v] cum inter dicentes & audientem [w] palla interesset: quam ille leuiter commouit, &, Lōgius, inquit, discedite, ne vos rex audiat. Idem quadam nocte cum quosdam ex militibus suis exaudisset, omnia mala imprecantes regi, qui ipsos in illud iter & inextricabile lutum deduxisset, accessit ad eos qui maxime laborabant: & cum ignorātes a quo adiuuarentur, explicuisset: Nunc, inquit, maledicite Antigono, cuius vitio in has miserias incidistis: ei autem bene optate, qui vos ex hac voragine eduxit. Idem tam miti animo hostium suorum maledicta quàm ciuium tulit. Itaque cum in paruulo quodam castello Graeci obsiderentur, & fiducia loci contemnentes hostem multa in deformitatem Antigoni iocarentur, & nunc staturam humilem, nunc collisum nasum deriderent: Gaudeo, inquit,[x] & aliquid boni spero: in castris meis Silenū habeo. Cum hos dicaces fame domuisset,[y] captis sic vsus est, vt eos qui militiae vtiles erant, in cohortes describeret, ceteros [z] praeconi subiiceret: id quoque se negauit facturum fuisse, nisi expediret his dominum habere, qui tam malam haberent linguam. Huius nepos fuit Alexander, qui lanceam in conuiuas suos torquebat, qui ex duobus amicis quos paulo ante retuli, alterum ferae obiecit, alterum sibi. Ex his duobus tamē, qui leoni obiectus

XXIII. est, vixit. Non habuit hoc auitum ille vitium, ne paternum quidem. Nam si qua alia in Philippo virtus fuit, & contumeliarum patientia, ingens instrumentum ad tutelam regni. Demochares ad illum,[a] Parrhesiastes ob nimiā & procacem linguam appellatus, inter alios Atheniensium legatos venerat. Audita benigne legatione, Philippus, Dicite, inquit, mihi, facere quid possum, quod sit Atheniensibus gratum? Excepit Demochares:[b] Te, inquit, suspendere. Indignatio circunstantium ad tam inhumanum respōsum exorta est: quos Philip-

pus con-

pus conticescere iussit, & Thersiten illum saluum incolumemque dimittere. At vos ceteri legati, inquit, nunciate Atheniensibus, multo superbiores esse, qui ista dicunt, quàm qui impune dicta audiunt. Multa & diuus Augustus digna memoria fecit, dixitque: quibus appareat illi iram nõ imperasse. Timagenes historiarum scriptor, quaedam in ipsum, quaedam in vxorem eius, & in totam domum eius dixerat, nec perdiderat dicta. magis enim circumfertur, & in ore hominum est temeraria vrbanitas. Saepe illum Caesar monuit, vt moderatius lingua vteretur: perseueranti, domo sua interdixit. Postea Timagenes in contubernio Pollionis Asinij consenuit, ac tota ciuitate dilectus est. Nullum illi limen praeclusa Caesaris domus abstulit: [c] historias postea quas scripserat, recitauit, & combussit, & libros acta Caesaris Augusti continentes in ignem posuit. Inimicitias gessit cum Caesare. Nemo amicitiam eius extimuit, nemo [d] quasi fulguritum refugit. Fuit qui praeberet tam alte cadenti sinum. Tulit hoc, vt dixi, Caesar patienter, ne eo quidem motus, quòd laudibus suis, rebusque gestis manus attulerat. Nunquam cum hospite inimici sui questus est: hoc duntaxat Pollioni Asinio dixit, θηριοτροφεῖς. [e] Paranti demum excusationem, obstitit. Fruere, inquit, mi Pollio, fruere. Et cum Pollio diceret: [f] Si iubes Caesar, statim illi domo mea interdicam. Hoc me, inquit, putas facturum, cum ego vos in gratiam reduxerim? Fuerat enim aliquando Timageni Pollio iratus: nec vllam aliam habuerat causam desinendi, quàm quod Caesar coeperat.

Dicat itaque quisque sibi, quoties lacessitur: Nũquid potentior sum Philippo? Illi tamen im- XXIIII.
pune maledictum est. Nunquid in domo mea plus possum, quàm toto orbe terrarum diuus Augustus potuit? Ille tamen contentus fuit, a conuiciatore suo secedere. Quid est, quare ego serui mei [g] hilarius responsum, & cõtumaciorem vultum, & non peruenientem vsque ad me murmurationem, flagellis & cõpedibus expiem? Quis sum, cuius aures laedi nefas sit? Ignouerunt multi hostibus: ego nõ ignoscam pigris, negligentibus, garrulis? Puerum aetas excuset, feminam sexus, extraneum libertas, domesticum familiaritas. Nũc primum offendit? cogitemus quamdiu placuerit. Saepe & alias offendit? feramus quod diu tulimus. Amicus est? fecit quod noluit. Inimicus est? fecit quod debuit. [h] Prudentiori cedamus: stultiori remittamus. Pro quocunque illud respondeamus nobis, sapientissimos quoque viros multa delinquere: neminem esse tam circumspectum, cuius non diligẽtia aliquando sibiipsi excidat: neminem tam maturum, cuius nõ grauitatem in aliquod feruidius factum casus impingat: ne-
minem tam timidum offensarum, qui nõ in illas dum vitat, incidat. Quomodo homi- XXV.
ni pusillo solatium in malis fuit, etiam magnorum virorum titubare fortunam, & aequiore animo filiũ in angulo fleuit, qui vidit acerba funera [i] etiam ex regia duci: sic animo aequiore feret ab aliquo laedi, ab aliquo contemni, cuicunque venit in mentem, nullam esse tantam potentiam, in quam non incurrat iniuria. Quòd si etiam prudentissimi peccant, cuius non error bonam causam habet? Respiciamus, quoties adolescentia nostra in officio parum diligens fuerit, in sermone parum modesta, in vino parum temperãs. Si iratus est: demus illi spatium, quo dispicere quid fecerit, possit. Se ipse castigabit. Denique dabit poenas. Non est quòd cum illo paria faciamus. Illud non venit in dubium, quin se exemerit turbae, & altius steterit quisquis despexit lacessentes. Proprium est magnitudinis verae, nõ se sentire percussum. Sic immanis fera [k] ad latratum canum lenta respexit. Sic irritus ingenti scopulo fluctus assultat. Qui non irascitur, [l] inconcussus iniuria perstitit: qui irascitur, motus est. At ille quem modo altiorem omni incommodo posui, tenet quodam amplexu summũ bonum. Nec homini tantum, sed ipsi fortunae respondet: Omnia licet facias, minor es, quàm vt serenitatem meam obducas. Vetat hoc ratio, cui vitam regendam dedi. Plus mihi nocitura est ira, quàm
iniuria. Quid ni plus? Illius modus certus est: ista quousque me latura sit, incertum est. XXVI.
Non possum, inquis, pati. Graue est, iniuriã sustinere. Mentiris. Quis enim iniuriam non potest ferre, qui potest iram? Adiice nunc, quòd id agis vt iram feras & iniuriam. Quare fers aegri rabiem, & phrenetici verba? puerorum proteruas manus? Nempe quia videntur nescire quid faciunt. Quid interest, quo quisque vitio fiat imprudens? [m] imprudentia par in omnibus patrocinium est. Quid ergo? inquis, impune illi erit? Puta te velle: tamen nõ erit. Maxima est enim factae iniuriae poena, fecisse: nec quisquã grauius afficitur, quàm qui ad suppliciũ paenitentiae traditur. Denique ad condicionem rerum humanarũ respiciẽdum est, vt omnium accidentium aequi iudices simus. Iniquus autem est, qui commune vitium singulis obiicit. Non est Aethiopis inter suos insignitus color: [n] nec rufus crinis & coactus in nodum apud Germanos. Vtrumque decet. [o] Nihil in vno iudicabis notabile aut foedum, [p] quod gẽti suae publicũ est. Et ista quae retuli, vnius regionis atque anguli consuetudo defendit. Vide nunc, quanto in his iustior venia sit, quae per totum genus humanum vulgata sunt. Omnes inconsulti & improuidi sumus, omnes incerti, queruli, ambitiosi. Quid lenioribus verbis hulcus

publicum abscondo? Omnes mali sumus. Quicquid itaque in alio reprehẽditur, id vnusquisque in suo sinu inueniet. Quid illius pallorem, illius maciem notas? Pestilentia est. Placidiores itaque inuicẽ simus. Mali inter malos viuimus. Vna res nos facere potest quietos, mutuae facilitatis conuentio. Ille mihi iam nocuit: ego illi nondum. Sed iam aliquem fortasse laesisti: sed laedes.

XXVII. Noli aestimare hanc horam, aut hunc diem. Totum inspice mentis tuae habitum, etiam si nihil mali fecisti, potes facere. Quanto satius est, sanari iniuriam, quàm vlcisci. Multum temporis vltio absumit. Multis se iniuriis obiicit, dum vna dolet. Diutius irascimur omnes, quàm laedimur. Quãto melius est, abire in diuersum, nec vitia vitiis componere. Num quis satis constare sibi videatur, si mulam calcibus repetat, & canem morsu? Ista, inquis, peccare se nesciunt. Primum, quàm iniquus est, apud quem hominem esse, ad impetrandam veniam nocet. Deinde, si cetera animalia irae tuae subducit, quòd cõsilio carẽt: eo loco tibi sit, quisquis consilio caret. Quid enim refert, an alia mutis dissimilia habeat, si quod in omni peccato muta defendit, similem habet caliginem mẽtis? Peccauit. Hoc enim primum, hoc enim extremum. Non est quod illi credas, etiam si dixit: Iterum non faciam. Et iste peccabit, & in istum alius, & tota vita inter errores volutabitur. Mansuete immansueta tractanda sunt. Quod in luctu dici solet, efficacissime & in ira dicetur: Vtrum aliquãdo desines, an nunquam? Si aliquando, satius est iram relinquere, quàm ab ira relinqui. Sin semper haec cogitatio durabit, vides quàm impacatã tibi denunties vitam. Qualis enim erit semper tumentis?

XXVIII. Adiice nũc, quòd nisi bene te ipse succenderis, & subinde causas quibus stimuletis, renouaueris, sua sponte ira discedet, & vires illi dies subtrahet. Quanto satius est a te illam vinci, quàm a se? Huic irasceris, deinde illi: seruis, deinde libertis: parentibus, deinde liberis: notis, deinde ignotis. Vbique enim causae supersunt, nisi deprecator animus accessit. Hinc te illo furor rapiet, & illinc alio: & nouis subinde irritamentis orientibus, continuabitur rabies. Age infelix, & quando amabis? O quàm bonum tempus in re mala perdis. Quãto nunc satius erat, amicos parare, inimicos mitigare, Remp. administrare, transferre in res domesticas operã: quàm circunspicere quid alicui possis facere mali, quo aut dignitati eius, aut patrimonio, aut corpori vulnus infligas: cum id tibi contingere sine certamine ac periculo non possit, etiam si cum inferiore concurses. Vinctum licet accipias, & ad arbitrium tuum omni patientiae expositum: saepe nimia vis caedẽtis aut articulũ loco mouit, aut neruum in his quos fregerat, dentibus fixit. Multos iracundia mancos, multos debiles fecit, etiã vbi patientiae est nacta materiã. Adiice nũc, quò d nihil tam imbecille natũ est, vt sine elidentis periculo pereat. Imbecillos valẽtissimis alias dolor, alias casus exaequat. Quid, quòd plaeraque eorũ propter quae irascimur, offendũt nos magis quàm laedunt. Multũ autẽ interest, vtrum aliquis voluptati meae obstet, an desit: eripiat, an non det. Atqui in aequo ponimus, vtrũ aliquis auferat, an neget: vtrũ spem nostram praecidat, an differat: vtrũ cõtra nos faciat, an pro se: amore alterius, an odio nostri. Quidã vero nõ tantũ iustas causas standi cõtra nos, sed etiã honestas habẽt. Alius patrẽ tuetur, alius fratrem, alius patruum, alius amicum. His tamẽ non ignoscimus id faciẽtibus: quod nisi facerẽt, improbaremus. Immo, quod est incredibile, saepe de facto bene existimamus, de faciente male.

XXIX. At mehercules vir magnus ac iustus, fortissimũ quenque ex hostibus suis, & pro libertate ac salute patriae pertinacissimũ suspicit, & talem sibi ciuem, talem militẽ contingere optat. Turpe est, odisse quẽ laudes: quanto vero turpius, ob id aliquem odisse, propter quod misericordia dignus est? Si captiuus in seruitutem subito depressus reliquias libertatis tenet, nec ad sordida ac laboriosa ministeria agilis occurrit, si ex otio piger equum vehiculumque domini cursu non exaequat, si inter quotidianas vigilias fessum somnus oppressit, si rusticum laborem recusat, aut non fortiter obit, a seruitute vrbana & feriata translatus ad durum opus. Distinguamus, vtrum aliquis non possit, an nolit. Multos absoluemus, si coeperimus ante iudicare quàm irasci. Nunc autem primum impetum sequimur. Deinde quãuis vana nos cõcitauerint, perseueramus, ne videamur coepisse sine causa: & quod iniquissimũ est, pertinaciores nos facit iniquitas irae. Retinemus enim illã, & augemus: quasi argumentũ sit iuste irascendi, grauiter irasci. Quanto melius est, initia ipsa perspicere, quàm leuia sint, quàm innoxia. Quod accidere vides in animalibus mutis, idem in homine deprehendes.

XXX. Friuolis turbamur, & inanibus. Taurum color rubicundus excitat, ad vmbram aspis exurgit. Vrsos leonesque mappa proritat. Omnia quae natura fera ac rabida sunt, consternantur ad vana. Idem inquietis & stolidis ingeniis euenit: rerum suspicione feriuntur: adeo quidem, vt interdum iniurias vocent modica beneficia, in quibus frequentissima, certe acerbissima iracundiae materia est. Carissimis enim irascimur, quòd minora nobis praestiterint, quàm mente concipimus, quàm quae alij tulerint: cum vtriusque rei paratum remedium sit. Magis alteri indulsit? nostra nos sine compa-

comparatione delectent. Nunquam erit felix, quem torquebit felicior. Minus habeo quàm
speraui: sed fortasse plus speraui quàm debui. Haec pars maximè metuenda est. Hinc perni-
ciosissimae irae nascuntur, & sanctissima quaeque inuasurae. Diuum Iulium plures amici con-
fecerũt quàm inimici, quorum non expleuerat spes inexplebiles. Voluit quidem ille: neque
enim quisquam liberalius victoria vsus est, ex qua nihil sibi vindicauit, nisi dispensandi po-
testatem: sed quemadmodum sufficere tam improbis desideriis posset, cum tantum omnes
concupiscerent, quantum poterat vnus? Vidit itaque strictis circa sellam suam gladiis com-
militones suos, Cimbrũ Tillium acerrimum paulo ante suarũ partium defensorem, aliosque
post Pompeium demum Pompeianos. Haec res sua in reges arma conuertit, fidissimos- XXXI.
que eo compulit, vt de morte eorum cogitarẽt, pro quibus & ante quos mori votum habue-
rant. Nulli ad aliena respicienti sua placent. Inde diis quoque irascimur, quod aliquis nos an-
tecedat, [b] obliti quantum sequatur a tergo ingentis inuidiae. Tanta tamen importunitas ho-
minum est, vt quamuis multum acceperint, iniuriae loco sit, plus accipere potuisse. Dedit
mihi praeturam? sed consulatum speraueram. Dedit duodecim fasces? sed non fecit ordina-
rium cõsulem. A me numerari voluit annum: sed deest mihi ad sacerdotium. Cooptatus in
collegium sum: sed cur in vnum? Consummauit dignitatem meam: sed patrimonio nihil con-
tulit. Ea dedit mihi, quae debebat alicui dare: de suo nihil protulit. Age potius gratias pro
his quae accepisti. Reliqua expecta, & nondum plenum te esse gaude. Inter voluptates est, su-
peresse quod speres. Omnes vicisti? primum te esse in animo amici tui laetare. Multi te vin-
cunt? Considera, quanto antecedas plures, quàm sequaris. Quod sit in te maximum XXXII.
vitium quaeris? Falsas rationes conficis: data magno aestimas, accepta paruo. Aliud in alio
nos deterreat. Quibusdam timeamus irasci, quibusdam vereamur, quibusdam fastidiamus.
Magnam rem sine dubio fecerimus, si seruulum infelicem in ergastulum miserimus. [e] Quid
properamus verberare statim, crura protinus frangere? Non peribit potestas ista, si differetur.
Sine id tempus veniat, quo ipsi iubeamus. Nunc ex imperio irae loquimur. cum illa abierit,
tunc videbimus, quanti sit ista lis aestimanda. In hoc enim praecipue fallimur. Ad ferrum ve-
nimus, ad capitalia supplicia, & vinculis, carcere, fame, vindicamus rem, [f] castigãdam flagris
leuioribus. Quomodo, inquis, nos iubes intueri, quàm omnia per quae laedi videmur, exi-
gua, misera, puerilia sint? Ego vero nihil magis suaserim, quàm sumere ingentem animum, &
haec propter quae litigamus, discurrimus, anhelamus, videre quàm humilia & abiecta sint,
nulli qui altum quiddam aut magnificum cogitat, respicienda. Circa pecuniam plurimum
vociferationis est: haec fora defatigat, patres liberosque committit, venena miscet, gladios
tam percussoribus quàm legionibus tradit. Haec est sanguine nostro delibuta. Propter hanc
vxorum maritorũque noctes strepunt litibus, & tribunalia magistratuum premit turba: Re-
ges saeuiunt, rapiuntque, & ciuitates longo saeculorum labore constructas euertunt, vt au-
rum argentumque in cinere vrbium scrutentur. Libet intueri fiscos in angulo iacentes. XXXIII.
[g] Hi sunt propter quos oculi clamore exprimuntur: fremitu iudiciorum basilicae resonant:
[h] euocati ex longinquis regionibus iudices sedent, iudicaturi, vtrius iustior auaritia sit.
Quid si ne propter fiscum quidem, sed pugnum aeris, [i] aut imputatum a seruo denarium, se-
nex sine herede moriturus stomacho dirumpitur? Quid si propter vsuram haud millesimam,
valetudinarius foenerator distortis pedibus, & manibus [k] ad computãdum modo relictis, cla-
mat, ac per vadimonia asses suos in ipsis morbi accessionibus vindicat? Si totam mihi ex
omnibus metallis, quae cummaxime depromimus, pecuniam proferas, si in medium pro-
iicias, quicquid thesauri tegunt, auaritia iterum sub terras referente quae male egesserat, o-
mnem istam congeriem dignam non putem, quae frontem viri boni contrahat. Quanto ri-
su prosequenda sunt, quae nobis lacrimas educunt? Cedo nunc persequere cetera, ci- XXXIIII.
bos, potiones, [l] horumque causa paratam ambitionem, munditias, verba, contumelias, & mo-
tus corporum parum honorificos, & suspiciones, & contumacia iumenta, & pigra mãcipia,
interpretationes malignas vocis alienae: quibus efficitur, vt inter iniurias naturae numere-
tur sermo homini datus. Crede mihi, leuia sunt: propter quae non leuiter excandescimus,
[m] qualia quae pueros in rixam & iurgium concitant. [n] Nihil ex his quae tam tristes agimus,
serium est, nihil magnum. Inde, inquam, vobis ira & insania est, quod exigua magno aesti-
matis. Auferre hic mihi hereditatem voluit: hic me [o] diu spe suprema captatum criminatus
est: hic scortum meum concupiuit. Quod vinculum amoris esse debebat, seditionis atque
odii causa est, idem velle. Iter angustum rixas transeuntium concitat: diffusa & late pa- XXXV.
tens via ne populos quidem collidit. Ista quae appetitis, quia exigua sunt, nec possunt ad al-
terum, nisi alteri erepta, transferri: eadem affectantibus pugnam & iurgia excitant. Respon-
disse tibi indignaris libertum, & vxorem, & clientem. Deinde idem de Rep. libertatem sub-

latam quereris, quam domi ſuſtuliſti. Rurſus ſi tacuit interrogatus, contumaciam vocas. Et loquatur, & taceat, & rideat. coram domino? inquis. Immo coram patrefamilias. Quid clamas? Quid vociferaris? Quid flagella media coena petis, quòd ſerui loquũtur, quòd non eodem loco turba contionis eſt, & ſilentium ſolitudinis? In hoc habes aures, vt non modulata tantum & mollia, & ex dulci tracta compoſitaque accipiant. Et riſum audias oportet, & fletum, & blanditias, & lites, & proſpera, & triſtia, & hominum voces, & fremitus animalium, latratusqoe. Quid miſer expaueſcis? ad clamorem ſerui, ad tinnitum aeris, ad ianuae impulſum? cum tam delicatus fueris, tonitrua audienda ſunt. Hoc quod de auribus dictum eſt, transfer ad oculos: qui non minus faſtidio laborant, ſi male inſtituti ſunt. macula offenduntur & ſordibus, & argento parum ſplendido, & ſtagno non ad ſolem perlucente. Hi nempe oculi, qui non ferũt niſi variũ ac recenti cura nitens marmor, qui menſam niſi crebris diſtinctã naeuis, qui nolũt domi niſi auro pretioſa calcare: aequiſſimo animo foris & ſcabras lutoſasque ſemitas ſpectant, & maiorem partem occurrentium ſqualidam, parietes inſularum

XXXVI. exeſos, ruinoſos, inaequales. Quid ergo aliud eſt qood illos in publico non offendat, domi moueat, quàm opinio illic aequa & patiens, domi moroſa & querula? Omnes ſenſus perducendi ſunt ad firmitatem. Natura patientes ſunt, ſi animus illos deſinat corrũpere, qui quotidie ad rationem reddendam vocandus eſt. Faciebat hoc Sextius, vt conſummato die cum ſe ad nocturnam quietem recepiſſet, interrogaret animum ſuum: Quod hodie malum tuũ ſanaſti? cui vitio obſtitiſti? qua parte melior es? Deſinet ira, & erit moderatior, quae ſciet ſibi quotidie ad iudicem eſſe veniendum. Quid ergo pulchrius hac cõſuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille ſomnus poſt recognitionem ſui ſequitur, quàm tranquillus, altus ac liber, cum aut laudatus eſt animus, aut admonitus, & ſpeculator ſui cenſorqoe ſecretus cognoſcit de moribus ſuis? Vtor hac poteſtate, & quotidie apud me cauſam dico. Cum ſublatum e conſpectu lumen eſt, & conticuit vxor, moris iam mei conſcia, totum diem mecum ſcrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi ipſe abſcõdo, nihil tranſeo: quare enim quicquam ex erroribus meis timeam, cum poſſim dicere: Vide ne iſtud amplius facias, nunc tibi ignoſco. In illa diſputatione pugnacius locutus es. Noli poſtea cõgredi cum imperitis. Nolunt diſcere, qui nũquam didicerunt. Illum liberius admonuiſti quàm debebas: itaque non emendaſti, ſed offendiſti. De cetero vide, non tantum an verum ſit quod dicis, ſed an ille cui

XXXVII. dicitur, veri patiens ſit. Admoneri bonus gaudet: peſſimus quiſque correptorem aſperrime patitur. In conuiuio quorundam te ſales, & in dolorẽ tuum iacta verba tetigerunt? vitare vulgarem conuictum memento. ſolutior eſt poſt vinum licentia, quia ne ſobriis quidem pudor eſt. Iratum vidiſti amicum tuum oſtiario cauſidici alicuius, aut diuitis, quòd intrantem ſubmouerat, & ipſe pro illo iratus extremo mancipio fuiſti. Iraſceris ergo cathenario cani? & hic cum multum latrauit, obiecto cibo manſueſcit. Recede longius, & ride. Nũc iſte aliquem ſe putat, quòd cuſtodit litigatorum turba limen obſeſſum. Nunc ille qui intra iacet, felix fortunatusque eſt: & beati hominis ac potẽtis iudicat indiciũ, difficilem ianuam. neſcit duriſſimum eſſe oſtium carceris. Praeſume animo, multa eſſe tibi patienda. Nunquis ſe hieme algere miratur? Nũquis in mari nauſeare, in via concuti? Fortis eſt animus, ad quae praeparatus venit. Minus honorato loco poſitus, iraſci coepiſti cõuiuatori, vocatori, ipſi qui tibi praeferebatur. Demens, quid intereſt, quam lecti premas partem? Honeſtiorem te aut turpiorem poteſt facere puluinus? Non aequis quendam oculis vidiſti, quia de ingenio tuo male locutus eſt. Recipis hãc legem? Ergo te Ennius, quo non delectaris, odiſſet: & Horten-

XXXVIII. ſius ſimultates tibi indiceret: & Cicero, ſi derideres carmina eius, inimicus eſſet. Vis tu aequo animo pati candidatus ſuffragia? Contumeliam tibi fecit aliquis. Nunquid maiorem quàm Diogeni philoſopho Stoico? Cui de ira cummaxime diſſerenti, adoleſcens proteruus inſpuit. tulit hoc ille leniter ac ſapienter. Non quidem, inquit, iraſcor: ſed dubito tamen, an iraſci oporteat. Cato noſter melius: cui cum cauſam agenti, in frontem mediam, quantum poterat attracta pingui ſaliua, inſpuiſſet Lentulus, ille patrum noſtrorum memoria factioſus & impotens, abſterſit faciem, &, Affirmabo, inquit, omnibus, Lentule, falli eos, qui te negant os habere. Contigit iam nobis, Nouate, bene componere animum, ſi aut non ſentit iracun-

XXXIX. diam, aut ſuperior eſt. Videamus quomodo alienam iram leniamus: nec enim ſani eſſe tantum volumus, ſed ſanare. Primam iram non audebimus oratione mulcere, ſurda eſt & amens: dabimus illi ſpatium. remedia in remiſſionibus proſunt: nec oculos tumentes tentabimus, vim rigentem mouendo incitaturi, nec cetera vitia dum feruent. Initia morborum, quies curat. Quantulum, inquis, prodeſt remedium tuum, ſi ſua ſponte deſinentem iram placat? Primum, vt citius deſinat, efficit: deinde cuſtodiet, ne recidat: ipſum quoque impetum, quem non audet lenire, fallet. Remouebit omnia vltionis inſtrumenta. Simulabit iram, vt

tanquam

tanquam adiutor & doloris comes plus auctoritatis in cõsiliis habeat: moras nectet: & dum maiorẽ quaerit poenam, praesentem differet. Omni arte requiem furori dabit. Si vehementior erit: aut pudorem illi cui nõ resistat, incutiet, aut metum. Si infirmior: sermones inferet, vel gratos, vel nouos, & cupiditate cognoscendi auocabit. Medicum aiunt, cum regis filiam curare deberet, nec sine ferro posset, dum tumentem mãmam leniter fouet, scalpellum spongia tectum induxisse. Repugnasset puella remedio palam admoto: eadem quia non expectauit, dolorem tulit.

XL. Quaedam non nisi decepta sanantur. Alteri dices: Vide ne inimicis iracũdia tua voluptati sit. Alteri: Vide ne magnitudo animi tui, creditũque apud plerosque robur cadat. Indignor mehercule & non inuenio dolẽdi modum: sed tempus expectandum est. dabit poenas. Serua istud in animo tuo. cum potueris, & pro mora reddes. Castigare vero irascentem, & vltro obuiam ire ei, incitare est. Varie aggredieris, blandeque: nisi forte tanta persona eris, vt possis iram comminuere: quemadmodum fecit [u] diuus Augustus, cum coenaret apud Vedium Pollionem. [x] fregerat vnus ex seruis eius crystallinum. ad mortem rapi cum Vedius iussit, nec vulgari quidẽ periturum morte: muraenis obiici iubebatur, [y] quas ingens piscina cõtinebat. Quis non hoc illum putaret luxuriae causa facere? saeuitia erat. Euasit e manibus puer, & cõfugit ad Caesaris pedes: nihil aliud petiturus, quàm vt aliter periret, nec esca fieret. Motus est nouitate crudelitatis Caesar, & illũ quidem mitti, [z] crystallina autem omnia coram se frangi iussit, complerique piscinam. Fuit Caesari sic castigãdus amicus: bene vsus est viribus suis. E conuiuio rapi homines imperas, [a] & noui generis poenis lacerari? Si calix tuus fractus est, viscera hominis distrahẽtur? Tantum tibi placebis, vt ibi aliquem duci iubeas vbi Caesar est?

XLI. Sic instandum potentiae est, [b] vt iram ex superiori loco aggredi possit, male tractabilem, ac talem dũtaxat, qualem modo retuli, feram, immanem, sanguinariam, quae iam insanabilis est, nisi maius aliquid extimuit. [11] Pacẽ demus animo, quam dabit praeceptorum salutarium assidua meditatio, actusque rerum boni, & intenta mens ad vnius honesti cupiditatem. Cõscientiae satis fiat. nil in famam laboremus: [c] sequatur vel mala, dũ bene merearis. At vulgus animosa miratur, & audaces in honore sunt: placidi pro inertibus habẽtur. Primo forsitan aspectu, sed simulac aequalitas vitae fidem facit, nõ segnitiem illam animi esse, sed pacem, veneratur idẽ illos populus, colitque. Nihil ergo habet in se vtile taeter ille & hostilis affectus. At omnia e contrario mala, ferrum, ignes: pudore calcato, caedibus inquinauit manus, membra liberorum dispersit. Nihil vacuum reliquit a scelere, non gloriae memor, non infamiae metuens, inemendabilis cum ex ira in odium occalluit.

XLII. Careamus hoc malo, purgemusque mentem, & extirpemus radicitus ea vitia, quae quamuis tenuia [d] vndecunque haeserint, renascentur: & iram non temperemus, sed ex toto remoueamus. Quod enim malae rei temperamentum est? Poterimus autem, adnitamur modo. Nec vlla res magis proderit, quàm cogitatio mortalitatis. Sibi quisque vt alteri dicat: Quid iuuat tãquam in aeternum genitos iras indicere, & breuissimã aetatem dissipare? Quid iuuat dies, quos in voluptatem honestam impendere licet, in dolorẽ alicuius tormentumque transferre? [e] Non capiunt res istae iacturam, nec tempus vacat perdere. Quid ruimus in pugnam? Quid certamina nobis accersimus? Quid imbecillitatis obliti, ingentia odia suscipimus, & ad frangendũ fragiles consurgimus? Iam istas inimicitias, quas implacabili gerimus animo, febris aut aliud malum corporis vetabit geri. Iam par acerrimum media mors dirimet. Quid tumultuamur, & vitam seditiosi conturbamus? Stat super caput fatum, & pereuntis dies imputat, propiusque ac propius accedit. Istud tempus quod alienae destinas morti, [f] fortasse citra tuam est.

XLIII. Quin potius vitam breuem colligis, placidãque & tibi & ceteris praestas? Quin potius amabilẽ te, dum viuis, omnibus: desiderabilem, cum excesseris, reddis? Et quid illum nimis ex alto tecum agentem detrahere cupis? Quid illum oblatrantem tibi, humilem quidem & contemptum, sed superioribus acidum ac molestum exterrere viribus tuis tẽtas? Quid seruo? quid domino? quid regi? quid clienti tuo irasceris? Sustine paulum. Venit ecce mors, quae nos pares faciat. [14] Ridere solemus inter matutina harenae spectacula, tauri & vrsi pugnam inter se colligatorum, quos, cum alter alterum vexarit, [g] suus confector expectat. Idem facimus. Aliquẽ nobiscum alligatũ lacessimus: [h] cum victo victorique finis aeque maturus immineat. Quieti potius pacatique, quãtulũcumque superest, exigamus. nulli cadauer nostrũ iaceat inuisum. Saepe rixam [i] cõclamatum in vicino incendiũ soluit: & interuẽtus ferae, latronẽ viatoremq; diducit. Colluctari cũ minoribus malis nõ vacat, [k] vbi metus maior apparuit. Quid nobis cum dimicatione & insidiis? Nunquid amplius isti cui irasceris, quàm mortẽ optas? Etiã te quiescẽte morietur. perdis operã. Facere vis, quod futurũ est. [l] Nolo, inquis, vtiq; occidere, sed exilio, sed ignominia, sed dãno afficere. Magis ignosco ei qui vulnus inimici, quã qui pusulã cõcupiscit. hic enim nõ tãtũ mali animi est, sed pusilli. siue de vltimis

ſuppliciis cogitas,ſiue de leuioribus,quantulũ eſt temporis:quo aut ille poena ſua torqueatur,aut tu malum gaudium ex aliena percipias?Iam ipſum ſpiritum expuimus,interim dum trahimus.Dum inter homines ſumus,colamus humanitatẽ:non timori cuiquã, nõ periculo ſimus: detrimẽta,iniurias,cõuicia,[m] vellicationes cõtemnamus,& magno animo breuia feramus incommoda.Dum reſpicimus,quod aiunt,verſamusque nos,[n]iam mortalitas aderit.

M. ANTONII MVRETI AD TERTIVM

LIBRVM DE IRA NOTAE.

CAP. V. IRA impendit:] *Eſt quidem in libris veteribus* incendit:*ſed* impendit *legendum, & praecedentia & ſequentia manifeſto declarant.*

VI. 2 Si neque priuatim, neque publice,] *Hoc eſt, quod Epicurus ſapientis eſſe dicebat,* τὰ ἑαυτοῦ πράττειν.*Cicero,*negotium ſuum agere.*Verba Democriti ita leguntur apud Plutarchum:* μὴ πολλὰ πρήσσειν, μήτε ἰδίῃ, μήτε ξυνῇ.*Conuertit autem ea Seneca etiam in libro de tranquillitate vitae.*

VIII. 3 Et ſecundas agere.] *Horatius:*

Vt puerum ſaeuo credas dictata magiſtro
Reddere,vel partes mimum tractare ſecundas.

X. 4 Qui comitiali vitio] *Plutarchus:* Ἀτρεμεῖν οὖν κράτιστον, ἢ φεύγειν, καὶ ἀποκρύπτειν, καὶ καθορμίζειν ἑαυτὸν εἰς ἡσυχίαν, ὥσπερ ἐπιληψίας ἀρχομένης συναισθανομένους.

XI. 5 Ne ſis curioſus.] *Sophocles:* τὰ πλεῖστα φωρῶν, αἰσχρὰ φωράσεις βροτῶν.

XIII. 6 In Socrate] *Plutarchus:* ὁ Σωκράτης ὁσάκις αἴσθοιτο κινουμένου τραχύτερον αὐτοῦ πρός τινα τῶν φίλων, πρὸ κύματος ὥς τινα ποιῶν ἄκρας συστελλόμενος, ἐνεδίδου τε τῇ φωνῇ, καὶ διεμειδία τῷ προσώπῳ, καὶ τὸ βλέμμα πρᾳότερον παρεῖχε.

XVI. 7 Et occiſos in conſpectu parentis abiecit,] *Alij ſcripſerant* otioſos. *Alium ſane & pingue illud otium fuit. At alio loco, vbi erat* iuuenum otioſorum, *fecerant* occiſorum.

XVIII. 8 Et hoſtium & ciuium] *Non dubitaui coniectura fretus ita ſcribere:cum librorum partim haberent* iudicium.*partim* vindicum.

XXI. 9 Gynden late fuſum amnem] *Hoc ipſum ita narrat Freculphus epiſcopus Lexonienſis:*Cyrus cunctis aduerſum quos ierat perdomitis, Aſſyrios & Babyloniam petit gentem,vrbemque tunc cunctis opulentiorem.ſed impetum eius Gyndes fluuius ſecundae poſt Euphraten magnitudinis intercepit.nam vnum regiorum equorum,cãdore formaque excellentem,transmeandi fiducia perſuaſum,qua per rapacem alueum offenſi vado vertices attollebantur, arreptum praecipitatumque merſerunt. Rex iratus,vlciſci in amnem ſtatuit, conteſtans,eum, qui nunc praeclarum equitẽ vorauiſſet,feminis,vix genua vndis attingẽtibus,permeabilem relinquendũ.haec peragendo ſegnior,totis copiis,perpeti anno,Gynden fluuiũ per magnas concíſum diductumque foſſas, in CCCLX.alueos comminuit.

XXII. 10 Antigonus] *Narrantur & haec prope eodem modo à Plutarcho.*

XXVII. 11 Hoc enim eſt primum,hoc extremum.] *Ironia eſt. Significat enim neque primum,neque extremum peccatum eſſe.*

XXXIII. 12 Euocati ex longinquis regionibus] *Ad diiudicandas potentiorum controuerſias interdum e prouinciis homines ſpectatae fidei & prudentiae euocabantur,qui neque gratia neque odio permoti, verius ac ſincerius iudicarent.Hoc primum a Graecis inſtitutum fuiſſe narrat Plutarchus.* ἔκκλητοι κρίσεις καὶ ξενικῶν δικαστηρίων ἀγωγαὶ τοῖς Ἕλλησι τὸ πρῶτον ἀπιστίᾳ τῇ πρὸς ἀλλήλους ἐπενοήθησαν, ἀλλοτρίας δικαιοσύνης, ὥσπερ ἑτέρου τινὸς τῶν ἀναγκαίων, μὴ φυομένου παρ' αὐτοῖς δεηθεῖσιν.

XLI. 13 Pacem demus animo,] *Male huc aſſuta ſunt omnia vſque ad finem libri:neque cohaerent cum ſuperioribus:ſed pertinent ad illum locũ vbi quaeritur,num ira habeat aliquid vtile:& moderanda ne, an penitus tollenda ſit.*

XLIII. 14 Ridere ſolemus] *Inepte antea,* videre: *& paulo poſt,*ſuus confector,*cum legendum ſit,*ſus confector.

L. ANNAEI

L. ANNAEI SENECAE AD NERONEM CAESAREM DE CLEMENTIA

LIBER PRIMVS.

SCRIBERE de clementia, Nero Caesar, institui: vt quodammodo speculi vice fungeret,[a] & te tibi ostenderem, peruenturum ad voluptatem maximam omnium. Quamuis enim recte factorum verus fructus sit fecisse, nec vllum virtutum pretium dignum illis extra ipsas sit: iuuat tamẽ inspicere & circuire bonam conscientiam, tum immittere oculos in hanc immensam multitudinem, discordem, seditiosam, impotẽtem, in perniciem alienam suamque pariter exultaturam, si hoc iugum fregerit,[a] & ita loqui secum: Ego ex omnibus mortalibus placui, electusque sum, qui in terris deorum vice fungerer: ego vitae necisque gẽtibus arbiter. qualem quisque sortem, statumque habeat, in manu mea positum est. Quid cuique mortaliũ fortuna datum velit, meo ore pronuntiat. Ex nostro responso laetitiae causas, populi, vrbesque concipiunt. Nulla pars vsquam, nisi volente propitioque me floret. Haec tot millia gladiorum,[a] quae pax mea comprimit, ad nutum meum stringentur: quas nationes funditus exscindi, quas transportari, quibus libertatem dari, quibus eripi, quos reges mancipia fieri, quorumque capiti regium circumdari decus oporteat, quae ruant vrbes, quae oriantur, mea iurisdictio est. In hac tanta facultate rerum, non ira me ad iniqua supplicia compulit, non iuuenilis impetus, non temeritas hominum & contumacia, quae saepe tranquillissimis pectoribus quoque patientiam extorsit, non ipsa ostentãdae per terrores potentiae dira, sed frequens magnis imperiis gloria. Conditum, immo constrictum apud me ferrum est. Summa parsimonia etiam vilissimi sanguinis. Nemo non, cui alia desint, hominis nomine[b] apud me gratiosus est. Seueritatem abditam, clementiam in promptu habeo. Sic me custodio, tanquam legibus, quas ex abdito ac tenebris in lucem euocaui, rationem redditurus sim. Alterius aetate prima motus sum, alterius vltima. Alium dignitati donaui, alium humilitati. Quoties nullam inueneram misericordiae causam, mihi peperci. Hodie diis immortalibus, si a me rationem repetant, annumerare genus humanum paratus sum. Potes hoc Caesar praedicare audacter,[c] omnium quae in fidem tutelamque tuam venerunt, nihil per te, neque vi, neque clam Reip. ereptum. Rarissimam laudem, & nulli adhuc principum concessam concupisti, innocentiam. Non perdis operam: nec bonitas ista tua singularis, ingratos aut malignos aestimatores nacta est. Refertur tibi gratia.[d] Nemo vnus homo vni homini tam carus vnquam fuit, quàm tu populo Romano, magnum longumque eius bonum. Sed ingẽs tibi onus imposuisti. Nemo iam diuum Augustum, nec Tiberij Caesaris prima tempora loquitur: nec[e] quod te imitari velit exemplar extra te quaerit. Principatus tuus ad eum gustum quem dedisti exigitur. Difficile hoc fuisset, si non naturalis tibi ista bonitas esset, sed ad tempus sumpta. Nemo enim potest personã diu ferre. Ficta cito in naturam suam recidũt. quibus veritas subest, quaeque (vt ita dicam) ex solido enascuntur, tempore ipso in maius meliusque procedunt. Magnam adibat aleam populus Romanus, cum incertum esset, quo se statim nobilis indoles daret. Iam vota publica in tuto sunt. Nec enim periculum est, ne te subita tui capiat obliuio. Facit quidem auidos nimia felicitas: nec tam temperatae cupiditates sunt vnquam, vt in eo quod contigit, desinant. Gradus a magnis ad maiora fit: & spes improbissimas complectuntur insperata assecuti. Omnibus tamen nunc ciuibus tuis & haec confessio exprimitur, esse se felices: & illa, nihil iam his accedere bonis posse, nisi vt perpetua sint. Multa illos cogunt ad hanc confessionem, qua nulla in homine tardior est: securitas alta, affluens: ius supra omnem iniuriam positum. Obuersatur oculis[f] laetissima forma Reip. cui ad summam libertatem nihil deest,[g] nisi pereundi licentia. Praecipue tamen aequalis ad maximos imosque peruenit clementiae tuae admiratio. Caetera enim bona pro[h] portione fortunae suae quisque sentit, aut expectat maiora minoraque: ex clementia omnes idem speranr. Nec est quisquam, cui tam valde innocentia sua placeat, vt non stare in conspectu clementiam paratam humanis erroribus gaudeat. CAP. I.

Esse autem aliquos scio, qui clementia pessimum quemque putent sustineri: quoniam nisi post crimen superuacua est, & sola haec virtus inter innocentes cessat. Sed primum omnium, sicut medicinae apud aegros vsus, etiam apud sanos honor est: ita clementiam quamuis II.

poena digni inuocent, etiam innocentes colunt. Deinde habet clementia in persona quoque innocentium locum: quia interdum fortuna pro culpa est: nec innocentiae tantum clementia succurrit, sed saepe virtuti: quoniam quidem condicione temporum incidunt quaedam, quae possint laudata puniri. Adiice, quòd magna pars hominum est, quae reuerti ad innocētiam possit. Sed non tamen vulgo ignoscere decet. Nam vbi discrimen inter malos bonosque sublatū est, confusio sequitur, & vitiorum eruptio. Itaque adhibenda est moderatio, quae sanabilia ingenia distinguere à deploratis sciat. Nec promiscuam habere ac vulgarem clementiam oportet, nec abscissam. Nam tam omnibus ignoscere crudelitas est, quàm nulli. Modum tenere debemus: sed quia difficile est temperamētum, quicquid aequo plus futu-
III. rum est, in partem humaniorē praeponderet. Sed haec suo loco melius dicentur. Nunc in tres partes omnem hanc materiam diuidam. Prima erit manumissionis. Secūda, quae naturam clementiae habitumque demōstret. Nam cum sint vitia quaedam virtutes imitantia, nō possunt secerni, nisi signa quibus dignoscantur impresseris. Tertio loco quaeremus, quomodo ad hanc virtutem perducatur animus, quomodo confirmet eam, & vsu suam faciat. Nullam vero ex omnibus virtutibus magis homini cōuenire, cum sit nulla humanior, constet necesse est: non solum inter nos, qui hominem sociale animal, communi bono genitum videri volumus: sed etiam inter illos,[i] qui hominem voluptati donant, quorum omnia dicta factaque ad vtilitatem suam spectant. Nam si quietem petit & otium, hanc virtutem naturae suae nactus est, quae pacem amat, & manus retinet. Nullum tamen clementia ex omnibus magis, quàm regem aut principem decet. Ira enim virtutes magnis viris decori gloriaeque sunt, si illis salutaris potentia est. Nam pestifera vis est, valere ad nocendum. Illius demum magnitudo stabilis fundataque est, quem omnes tam supra se esse, quàm pro se sciunt, cuius curam excubare pro salute singulorum atque vniuersorum quotidie experiuntur: quo procedente, non tāquam malum aliquod aut noxium animal e cubili prosiliret, diffugiunt, sed tanquam ad clarum ac beneficum sidus certatim aduolant, obiicere se pro illo mucronibus insidiantium paratissimi, & substernere corpora sua, si per stragem illi humanam, iter ad salutem struendum sit. Somnum eius nocturnis excubiis muniunt: latera obiecti circumfusique defendunt: incurrentibus periculis se opponunt. Non hic est sine ratione populis vrbibusque consensus, sic protegendi amandique reges, & se suaque iactandi, quocunque desiderauerit imperantis salus. Nec haec vilitas sui est, aut dementia, pro vno capite tot millia excipere ferrum, ac multis mortibus vnam animam redimere, nonnunquam senis & inualidi. Quemadmodum totum corpus animo deseruit,[k] & cum hoc tanto maius tantoque speciosius sit, ille in occulto maneat tenuis, & in qua sede latitet incertus, tamen manus, pedes, oculi negotium illi gerunt: illum haec cutis munit, illius iussu iacemus, aut inquieti discurrimus: cum ille imperauit, siue auarus dominus est, mare lucri causa scrutamur; siue ambitiosus, iamdudum dexteram flammis obiecimus, aut voluntarie subsiluimus: sic haec immensa multitudo vnius animae circumdata, illius spiritu regitur, illius ratione flectitur,
IIII. pressura se ac fractura viribus suis, nisi consilio sustineretur. Suam itaque incolumitatem amant, cū pro vno homine denas legiones in aciem deducunt, cum in prima fonte procurrunt, & aduersa vulneribus pectora ferunt, ne imperatoris sui signa vertātur. Ille est enim vinculum, per quod Resp. cohaeret: ille spiritus vitalis, quem haec tot millia trahunt, nihil ipsa per se futura, nisi onus & praeda, si mens illa imperij subtrahatur.

——Rege incolumi mens omnibus vna.
Amisso rupere fidem.——

Hic casus Romanae pacis exitium erit, hic tanti fortunam populi in ruinas aget. Tamdiu ab isto periculo aberit hic populus, quamdiu sciet ferre fraenos: quos si quando abruperit, vel aliquo casu discussos reponi sibi passus non erit, haec vnitas & hic maximi imperij cōtextus in partes multas dissiliet: idemque huic vrbi dominādi finis erit, qui parēdi fuerit. Ideo principes regesque, & quocunque alio nomine sunt tutores status publici, non est mirum amari vltra priuatas etiam necessitudines. Nam si sanis hominibus publica priuatis potiora sunt, sequitur, vt is quoq; carior sit, in quem se Resp. conuertit. Olim enim ita se induit Reip. Caesar,[k] vt diduci alterum non possit sine vtriusque pernicie. Nam vt illi viribus opus est, ita &
V. huic capite. Longius videtur recessisse a proposito oratio mea. At mehercules rem ipsam premit.[l] Nam si, quod adhuc colligitur, animus Reip. tu es, illa corpus tuū: vides, vt puto, quàm necessaria clementia sit. Tibi enim parcis, cum videris alteri parcere. Parcendum itaque est etiam improbandis ciuibus, non aliter quàm membris languentibus. Et si quando misso sanguine opus est, sustinendum est,[m] ne vltra quàm necesse sit incidas. Est ergo, vt dicebam, clementia omnibus quidem hominibus secundum naturam, maxime tamen decora im-

cora imperatoribus: quanto plus habet apud illos quod seruet, quantoque in maiore mate-
ria apparet. Quantulum enim nocet priuata crudelitas? Principum saeuitia bellum est. Cum
autem virtutibus inter se sit concordia, nec vlla altera melior aut honestior sit: quaedam ta-
men quibusdam personis aptior est. Decet magnanimitas quemlibet mortalem, etiam illum
infra quem nihil est. [n] Quid enim maius, aut fortius, quam malam fortunam retundere?
[o] Haec tamen in bona fortuna latiorem locum habet, meliusque in tribunali quàm in plano
conspicitur. Clementia in quamcunque domum peruenerit, eam felicem tranquillamque
praestabit. Sed in regia quo rarior, eo mirabilior. [p] Quid enim est mirabilius, quàm eum
cuius irae nihil obstat, cuius grauiori sententiae ipsi qui pereunt assentiuntur, quem nemo
interrogaturus est, immo si vehementius excanduit,[q] nec deprecaturus quidem, ipsum sibi
manum inijcere, & potestate sua in melius placidiusque vti, hoc ipsum cogitantem: Occidere
contra legem nemo non potest: seruare nemo praeter me. Magnam fortunā magnus animus
decet: qui nisi se ad illam extulit, & altior stetit, illā quoque infra terram deducit. Magni au-
tem animi est proprium, placidum esse, trāquillumque, & iniurias atque offensiones semper
despicere. Muliebre est, furere in ira. Ferarū vero, nec generosarum quidem, praemordere &
vrgere proiectos. Elephātes leonesque trāseunt, quae impulerūt. Ignobilis bestiae pertinacia
est. Non decet regem saeua, nec inexorabilis ira. Non multū enim supra eum eminet, cui se
irascendo exaequat. At si dat vitam, si dat dignitatem periclitantibus & meritis amittere,
facit quod nulli nisi rerum potienti licet. Vita enim etiam superiori eripitur, nunquam nisi
inferiori datur. Seruare, proprium est excellentis fortunae: quae nunquam magis suspici
debet, quàm cum illi contingit idem posse quod diis, quorum beneficio in lucem edi-
mur, tam boni quàm mali. Deorum itaque sibi animum asserens princeps, alios ex ciuibus
suis, quia vtiles bonique sunt, libens videat, alios in numerum relinquat: quosdam esse
gaudeat, quosdam patiatur. Cogitate in hac ciuitate, in qua turba per latissima itine- VI.
ra sine intermissione defluens eliditur, quotiens aliquid obstitit, quod cursum eius velut
torrentis rapidi moraretur: in qua tribus eodem tempore theatris viae postulantur, in qua
consumitur, quicquid terris omnibus aratur: quanta solitudo & vastitas futura sit, si ni-
hil relinquitur, nisi quod index seuerus absoluerit. Quotus quisque ex [r] quaestoribus
est, [s] qui non ea ipsa lege teneatur, qua quaerit? Quotus quisque accusator vacat culpa?
Et nescio, an nemo ad dandam veniam difficilior sit, quàm qui illam petere saepius me-
ruit. Peccauimus omnes: alij grauia, alij leuiora, alij ex destinato, alij forte impulsi, aut
aliena nequitia ablati: alij in bonis consiliis parum fortiter stetimus, & innocentiam in-
uiti ac renitentes perdidimus. Nec delinquimus tantum, sed vsque ad extremum aeui de-
linquimus. Etiam si quis tam bene purgauit animum, vt nihil obturbare eum amplius pos-
sit, ac fallere, ad innocentiam tamen peccando peruenit. Quoniam deorum feci men- VII.
tionem, optime hoc exemplum principi constituam, ad quod formetur, vt se talem es-
se ciuibus, quales sibi deos velit. Expedit ergo habere inexorabilia peccatis atque errori-
bus numina? expedit vsque ad vltimam infesta perniciem? [t] Ecquis regum erit tutus, [u] cu-
ius non membra haruspices colligant? [v] Quòd si dij placabiles & aequi delicta potentium
non statim fulminibus persequuntur: quanto aequius est hominem hominibus praeposi-
tum miti animo exercere imperium, & cogitare, vtrum mundi status gratior oculis pul-
chriorque sit sereno & puro die, an cum fragoribus crebris omnia quatiuntur, & ignes hinc
atque illinc micant? Atqui non alia facies est quieti moderatique imperij, quàm sereni cae-
li & nitentis. Crudele regnum, turbidum, tenebrisque obscurum est inter trementes & ad
repentinum sonitum expauescentes, nec eo quidem qui omnia conturbat inconcusso.[x] Fa-
cilius priuatis ignoscitur, pertinaciter se vindicantibus. Possunt enim laedi, dolorque eorum
ab iniuria venit. Timent praeterea contemptum: & non retulisse laedentibus gratiam, in-
firmitas videtur, non clementia. At cui vltio in facili est, is omissa ea, certam laudem man-
suetudinis consequitur. Humili loco positis exercere manum, litigare, in rixam procurrere,
ac morem irae suae gerere, liberius est. Leues inter paria ictus sunt. Regi vociferatio quo-
que verborumque intemperantia non ex maiestate est. Graue putas, eripi loquen- VIII.
di arbitrium regibus, quod humillimi habent.[y] Ista, inquis, seruitus est, non imperium. Quid
tu non experiris istud nobis esse, [z] non tibi seruitutem? Alia condicio est eorum qui in tur-
ba quam non excedunt, latent: quorum & virtutes vt appareant, diu luctantur, & vitia tene-
bras habent. Vestra facta dictaque rumor excipit: & ideo nullis magis cauēdum est, qualem
famā habeant, quàm qui qualemcūque meruerint, magnam habituri sunt. Quàm multa tibi
nō licent, quae nobis beneficio tuo licent. Possum in qualibet parte vrbis solus incedere sine
timore, quāuis nullus sequatur comes, nullus sit domi, nullus ad latus gladius: tibi in tua pace

armato viuendum est. Aberrare a fortuna tua non potes. obsidet te, & quocũque descendis, magno apparatu sequitur. Et haec summa magnitudinis seruitus est, nõ posse fieri minorem; sed cum diis tibi communis ista necessitas est. Nam illos quoque caelum alligatos tenet: nec magis illis descẽdere datum est, quàm tibi. Fastigio tuo affixus es. Nostros motus pauci sentiunt. Prodire nobis, ac recedere, & mutare habitum sine sensu publico licet: tibi non magis quàm Soli latere cõtingit. Multa contra te lux est, omnium in istam conuersi oculi sunt. Prodire te putas? oriris: loqui non potes, nisi vt vocem tuam quae vbique sunt gentes excipiant. Irasci non potes, nisi vt omnia tremant. Sic neminem potes affligere, nisi vt quicquid circa fuerit, quatiatur. Vt fulmina paucorum periculo cadunt, omnium metu; sic animaduersiones magnarum potestatum terrent latius, quàm nocent: non sine causa. Non enim quantum fecerit, sed quantum facturus sit, cogitatur in eo qui omnia potest. Adiice nunc, quòd priuatos homines ad accipiendas iniurias opportuniores, acceptarum patientia facit: regibus certior est ex mansuetudine securitas. Quia frequens vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat: voluntas oportet ante saeuiendi, quàm causa deficiat. Alioquin quẽadmodũ praecisae arbores plurimis ramis repullulant, & multa satorũ genera vt densiora surgant, reciduntur: ita regia crudelitas auget inimicorum numerum tollendo. Parentes enim liberique eorum qui interfecti sunt, & propinqui, & amici, in locum singulorum succedunt.

IX. Hoc quàm verum sit, admonere te exemplo domestico volo. Diuus Augustus fuit mitis princeps, si quis illum a principatu suo aestimare incipiat: in communi quidem Rep. cum hoc aetatis esset, quod tu nunc es, duodeuicesimum egressus annum, iam pugiones in sinu amicorum absconderat, iam insidiis M. Antonij consulis latus petierat, [a] iam fuerat collega proscriptionis: sed cum annum quadragesimum transisset, & in Gallia moraretur, delatum est ad eum indicium, L. Cinnam stolidi ingenij virum insidias ei struere. Dictum est & vbi, & quando, & quemadmodum aggredi vellet. Vnus ex consciis deferebat. Constituit se ab eo vindicare. Consilium amicorum aduocari iussit. Nox illi inquieta erat, cum cogitaret adolescentem nobilem, hoc detracto, integrum, Cn. Pompeij nepotem damnandum. Iam vnum hominem occidere non poterat: [b] cum M. Antonio proscriptionis edictum inter coenam dictarat. Gemens subinde voces emittebat varias, & inter se contrarias: Quid ergo? ego percussorem meum securum ambulare patiar, me solicito? Ergo non dabit poenas, qui tot ciuilibus bellis frustra petitum caput, tot naualibus, tot pedestribus procliis incolume, postquam terra marique pax parta est, non occidere constituat, sed immolare? Nam sacrificantem placuerat adoriri. Rursus silentio interposito, maiore multo voce, sibi, quàm Cinnae, irascebatur. Quid viuis, si perire te tam multorum interest? Quis finis erit suppliciorum? Quis sanguinis? Ego sum nobilibus adolescentulis expositum caput, in quod mucrones acuant. Non est tanti vita, si vt ego non peream, tam multa perdenda sunt. Interpellauit tandem illum Liuia vxor, &, Admittis, inquit, muliebre consilium? Fac quod medici solent: qui vbi vsitata remedia non procedunt, tentant contraria. Seueritate nihil adhuc profecisti: [c] Saluidienum Lepidus secutus est, Lepidum Muraena, Muraenam Caepio, Caepionem Egnatius, vt alios taceam, quos tantum ausos pudet: nunc tenta, quomodo tibi cedat clementia. Ignosce L. Cinnae. deprehensus est. Iam nocere tibi non potest, prodesse famae tuae potest. [d] Gauisus sibi, quòd aduocatum inuenerat, vxori quidem gratias egit: renuntiari autem extemplo amicis, quos in consilium rogauerat, imperauit, & Cinnam vnum ad se accersit: [e] dimissisque omnibus e cubiculo, cum alteram Cinnae poni cathedram iussisset: Hoc, inquit, primum a te peto, ne me loquentem interpelles, [f] ne meo sermone medio proclames. dabitur tibi loquendi liberum tempus. Ego te, Cinna, cum in hostium castris inuenissem, non factum tãtum mihi inimicum, sed natum seruaui, patrimonium tibi omne concessi. Hodie tam felix es, & tam diues, vt victo victores inuideant. Sacerdotium tibi petenti, praeteritis compluribus, quorum parentes mecum militauerant, dedi. Cum sic de te meruerim, occidere me constituisti. Cum ad hanc vocem exclamasset, procul hanc ab se abesse dementiam: Non praestas, inquit, fidem, Cinna: conuenerat, ne interloquereris. Occidere, inquam, me paras. adiecit locum, socios, diem, ordinem insidiarum, cui commissum esset ferrum. Et cum defixum videret, nec ex conuentione iam, sed ex conscientia tacentem: Quo, inquit, hoc animo facis? Vt ipse sis princeps? Male mehercule cum Republica agitur, si tibi ad imperandum nihil praeter me obstat. Domum tueri tuam non potes. Nuper libertini hominis gratia, in priuato iudicio superatus es. Adeo nihil facilius potes, quàm contra Caesarem aduocare? Cedo, si spes tuas solus impedio. Paulus ne te, & Fabius Maximus, & Cossi, & Seruilij ferent, tantumque agmen nobilium, non inania nomina praeferentium, sed eorum qui imaginibus

nibus suis decoti sunt? Ne totam eius orationem repetendo, magnam partem voluminis occupem: diutius enim quàm duabus horis locutum esse constat, cum hanc poenam, qua sola erat contentus futurus, extenderet: Vitam tibi, inquit, Cinna, iterum do, prius hosti, nunc insidiatori ac parricidae. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat. Contendamus, vtrum ego meliore fide vitam tibi dederim, an tu debeas. Post haec detulit vltro consulatum, questus, quòd non auderet petere. Amicissimum fidelissimumque habuit. heres solus fuit illi. Nullis amplius insidiis ab illo petitus est.

X. Ignouit abauus tuus victis. Nam si non ignouisset, quibus imperasset? Sallustium, & Cocceios, [g] & Duillios, & totam cohortem primā interioris admissionis, ex aduersariorum castris conscripsit. Nam Domitios, Messallas, Asinios, Cicerones, & quicquid floris in ciuitate erat, clementiae suae debebat. Ipsum Lepidū quamdiu mori passus non est? Per multos annos tulit ornamenta principis retinentem: [h] & pontificatum maximum, non nisi mortuo illo, transferri in se passus est. Maluit enim illum honorem vocari, quàm spolium. Haec eum clementia ad salutem securitatemque perduxit, haec gratum ac fauorabilem reddidit, quamuis nondum subactis Reipub. ceruicibus manum imposuisset. Haec hodieque praestat illi famam, quae vix viuis principibus seruit. Deū esse, non tanquam iussi credimus. Bonum principem Augustum, & bene illi conuenisse parentis nomen, fatemur: ob nullam aliam causam, quàm quòd cōtumelias quoque suas, quae acerbiores principibus solent esse, quàm iniuriae, nulla crudelitate exequebatur: quòd probrosis in se dictis arrisit: quòd dare illum poenas apparebat, cum exigeret: quòd quoscūque ob adulterium filiae suae damnauerat, [i] adeo non occidit, vt dimissis, quo tutiores essent, diplomata daret. Hoc est ignoscere, cum scias multos futuros qui pro te irascantur, & tibi alieno sanguine gratificentur, non dare tantum salutem, sed praestare.

XI. Haec Augustus senex, aut iam in senectutem annis vergentibus. In adolescentia caluit: arsit ira: multa fecit, ad quae inuitus oculos retorquebat. Comparare nemo mansuetudini tuae audebit diuum Augustum, etiam si in certamen iuuenilium annorum deduxerit [k] senectutem plus quàm maturam. Fuerit moderatus & clemens: nempe post mare Attiacum Romano cruore infectum, nempe post fractas in Sicilia classes, & suas & alienas: nempe post Perusinas aras & proscriptiones. Ego vero clementiam non voco lassam crudelitatem. Haec est, Caesar, clementia vera, quam tu praestas, quae non saeuitiae paenitentia coepit: nullam habere maculam, nūquam ciuilem sanguinem fudisse. Haec est in maxima potestate, verissima animi temperantia, & humani generis incomprehensibilis amor, non cupiditate aliqua, non temeritate incendi, non priorum principum exemplis corruptum, quantum in ciues suos liceat, experiēdo tentare, sed hebetare aciem imperij sui. Praestitisti, Caesar, ciuitatem incruentam, & hoc quod magno animo gloriatus es, nullam te toto orbe stillam cruoris humani misisse: eo maius est mirabiliusque, quod nulli vnquam citius gladius commissus est. Clementia ergo non tantum honestiores, sed tutiores praestat: ornamentumque imperiorum est, simul certissima salus. cum reges consenuerint, liberisque ac nepotibus tradiderint regna, tyrannorum execrabilis ac breuis potestas est. Quid interest inter tyrannum & regem? species enim ipsa fortunae ac licentia par est, nisi quòd tyranni [l] ex voluptate saeuiunt, reges non nisi ex causa ac necessitate.

XII. Quid ergo? non reges quoque occidere solent? Sed quoties id fieri publica vtilitas persuadet. Tyrannis saeuitia cordi est. Tyrannus autem a rege distat factis, non nomine. Nam & Dionysius maior iure meritoque praeferri multis regibus potest. Et L. Syllam appellari tyrannum quid prohibet, cui occidendi finem fecit inopia hostium? Descenderit licet e dictatura sua, & se togae reddiderit: quis tamen vnquam tyrannus tam auide humanum sanguinem bibit, quàm ille, qui septem millia ciuium Romanorum contrucidari iussit? Et cum in vicino ad aedem Bellonae sedens exaudisset conclamationem tot millium sub gladio gementium, exterrito senatu: Hoc agamus, inquit, P. C. Seditiosi pauculi meo iussu occiduntur. [m] Hoc non est mentitus: pauci, Syllae videbantur. Sed mox de Sylla consequemur, quomodo hostibus irascendum sit: vtique si in hostile nomen ciues, & ex eodem corpore abrupti transierint. Interim hoc quod dicebam, clementia efficit, vt magnum inter regem tyrannumque discrimen sit: vterque licet non minus armis valletur. sed alter arma habet, quibus in munimētum pacis vtitur, alter vt magno timore magna odia compescat. Nec illas ipsas manus, quibus se commisit, securus aspicit. Contrariis in contraria agitur. [n] Nam & inuisus est, quia timetur, & timeri vult, quia inuisus est: & illo execrabili versu, qui multos dedit praecipites, vtitur:

Oderint dum metuant.—

ignarus quanta rabies oriatur, vbi supra modum odia creuerunt. Temperatus enim timor cohibet animos, assiduus vero & acer, & extrema admouens, in audaciam iacentes excitat,

& omnia experiri suadet. ° Si feras lineis & pinna clusas contineas: easdem a tergo eques telis incessat: tentabunt fugam per ipsa quae fugerant, proculcabuntque formidinem. Acerrima virtus est, quā vltima necessitas extundit. Relinquat oportet securi aliquid metus, multoque plus spei quàm periculorum ostentet. Alioquin vbi quiescenti paria metuuntur, incurrere in pericula iuuat, & aliena anima abuti. Placido tranquilloque regi fida sunt auxilia sua, quibus ad communem salutem vtatur. Gloriosusque miles (publicae enim securitati dare operam videtur) omnem laborem libens patitur, vt parentis custos. At illum acerbum
XIII. & sanguinarium necesse est grauentur stipatores sui. Non potest habere quisquam° bonae ac fidae voluntatis ministros, quibus in tormentis, & eculeo, & ferramentis ad mortem paratis vtitur, quibus non aliter quàm bestiis homines obiectat, omnibus reis noxior ac solicitior, vt qui homines deosque testes ac vindices facinorum timeat, eo perductus, vt non liceat illi mutare mores. ¶ Hoc enim inter cetera vel pessimum habet crudelitas: perseuerandum est, nec ad meliora patet regressus. Scelera enim sceleribus tuenda sunt. Quid autem eo infelicius, cui iam esse malum necesse est? O miserabilem illum, sibi certe: nam ceteris misereri eius nefas sit, qui caedibus ac rapinis potentiam exercuit, qui suspecta sibi cuncta reddidit, tam externa quàm domestica: cum arma metuat, ad arma confugiens: non amicorum fidei credens, non liberorum pietati. Qui vbi circumspexit quaeque fecit, quaeque facturus est, & conscientiam suam plenam sceleribus ac tormentis adaperuit, saepe mortem timet, saepius optat, inuisior sibi quàm seruientibus. E contrario is cui curae sunt vniuersa, quamquam alia magis, alia minus tuetur, nullam non Reip. partem tanquam sui nutrit, inclinatus ad mitiora; etiam si ex vsu est animaduertere, ostendens quàm inuitus aspero remedio manus admoueat; in cuius animo nihil hostile, nihil efferum est. Qui potentiam suam placide ac salutariter exercet, approbare imperia sua ciuibus cupiens. Felix abunde sibi visus, si fortunam suam publicauerit, sermone affabilis, accessuque facilis, vultu qui maxime populos demeretur, amabilis, aequis desideriis propēsus, & iniquis acerbus, ' a tota ciuitate amatur, defenditur, colitur. Eadem de illo homines secreto loquuntur, quae palam. Tollere filios cupiunt, & publicis malis sterilitas indicta recluditur. Bene se meriturum de liberis suis quisque non dubitat, quibus tale saeculum ostenderit. Hic princeps suo beneficio tutus, nihil
XIIII. praesidiis eget: arma ornamenti causa habet. Quod ergo officium eius est? Quod bonorum parentum: qui obiurgare liberos nonnunquam blande, nonnunquam minaciter solent, aliquando admonere etiam verberibus. Nunquid aliquis sanus filium ' ad primam offensam exheredat? Nisi magnae & multae iniuriae patientiam euicerint, nisi plus est quod timet, quàm quod damnat, non accedit ad decretorium stilum. Multa ante tentat, quibus dubiam indolem & peiore loco iam positam reuocet: simul deplorata est, vltima experitur. Nemo ad supplicia exigenda peruenit, nisi qui remedia consumpsit. Hoc quod parenti, etiā principi faciendum est: quem appellauimus patrem patriae, non adulatione vana adducti. Cetera enim cognomina honori data sunt. Magnos & Felices & Augustos diximus, & ambitiosae maiestati quicquid potuimus titulorum congessimus, illis hoc tribuentes. Patrem quidem patriae appellauimus, ' vt sciret datam sibi potestatem patriam: quae est temperatissima, liberis consulens, suaque post illos ponens. Tarde sibi pater membra sua abscindat: etiam cum absciderit, reponere cupiat: & in abscindendo gemat, cunctatus multum diuque. Prope enim est vt libenter damnet, qui cito. Prope vt inique puniat, qui nimis. Erixonem equitem Romanum, memoria nostra, quia filium suum flagellis occiderat, populus in foro graphiis confodit. Vix illum Augusti Caesaris auctoritas, infestis tam patrum quàm filio-
XV. rum manibus eripuit. T. Arium, qui filium deprehēsum in parricidio, " exilio damnauit, causa cognita, nemo non suspexit, quòd contentus exilio, & exilio delegato Massiliae, parricidam continuit, & annua illi praestitit, quanta praestare integro solebat. Haec liberalitas effecit, vt in qua ciuitate nunquam deest patronus peioribus, nemo dubitaret, quin reus merito damnatus esset, quem is pater damnare potuisset, qui odisse non poterat. Hoc ipso exemplo dabo, quem compares bono patri bonum principem. Cogniturus de filio T. Arius, aduocauit in consilium Caesarem Augustum. Venit in priuatos penates, assedit, pars alieni consilij fuit. Non dixit: Immo in meam domum veniat. Quod si factū esset, Caesaris futura erat cognitio, non patris. Audita causa, excussisque omnibus, & his quae adolescens pro se dixerat, & his quibus arguebatur, petit, vt sententiam suam quisque scriberet, ne ea omnium fieret, quae Caesaris fuisset. Deinde priusquam aperirentur codicilli, iurauit se T. Arij hominis locupletis hereditatem non aditurum. Dicet aliquis, pusillo animo. Timuit, ne videretur locum spei suae aperire velle, filij damnatione. Ego contra sentio. Quilibet nostrum debuisset aduersus opiniones malignas satis fiduciae habere in bona conscientia.

conſcientia. Principes multa debent etiam famae dare. Iurauit ſe non aditurum hereditatẽ.
Arius quidem eodem die & alterum heredem perdidit, ſed Caeſar libertatem ſentẽtiae ſuae
redemit: & poſtquam approbauit [x] gratuitam eſſe ſeueritatem ſuam, quod principi ſemper
curandum eſt, dixit, relegandum quo patri videretur. Non culleum, non ſerpentes, non car-
cerem decreuit, memor non de quo cenſeret, ſed cui in conſilio eſſet. [y] Molliſſimo genere
poenae contentum eſſe debere patrem dixit in filio adoleſcentulo, impulſo in id ſceleris, in
quo ſe, quod proximum erat ab innocentia, timide geſſiſſet: debere illum ab vrbe & a parẽ-
tis oculis ſubmoueri. O dignum, quem in conſilium patres aduocarent: o dignum, quẽ XVI.
coheredem innocentibus liberis ſcriberent. Haec clementia principem decet, vt quocũque
venerit, manſuetiora omnia faciat. Nemo regi tam vilis ſit, vt illum perire non ſentiat. qua-
liſcunque, pars imperij eſt. In magna imperia ex minoribus petamus exemplum. Non eſt v-
num imperandi genus. Imperat princeps ciuibus ſuis, pater liberis, praeceptor diſcentibus,
tribunus vel centurio militibus. Nonne peſſimus pater videbitur, qui aſſiduis plagis liberos
etiam ex leuiſſimis cauſis compeſcet? Vter autem praeceptor liberalibus ſtudiis dignior, qui
excarnificat diſcipulos, ſi memoria illis non conſtiterit, aut ſi parum agilis in legendo oculus
haeſerit: an qui monitionibus & verecundia emendare ac docere malit? Tribunum centu-
rionemque da ſaeuum: deſertores faciet; quibus tamen ignoſcitur. Nunquidnam aequum
eſt, grauius homini & durius imperari, quàm imperatur animalibus mutis? Atqui equum nõ
crebris verberibus exterret, domandi peritus magiſter. Fiet enim formidoloſus & cõtumax,
niſi eum tactu blandiente permulſeris. Idem facit venator, qui inſtituit catulos veſtigia ſe-
qui, quique iam exercitatis vtitur ad excitandas vel perſequendas feras. Nec crebro illis mi-
natur: [y] contunditur enim animus, & quicquid eſt indolis, comminuitur trepidatione dege-
neri: nec licentiam vagandi errandique paſſim concedit. Adiicias his licet, tardiora agentes
iumenta: quae cum ad contumelias & miſerias nata ſint, nimia ſaeuitia coguntur iugum de-
trectare. Nullum animal moroſius eſt, nullum maiore arte tractandum, quàm homo. XVII.
Nulli magis parcendum. Quid enim ſtultius, quàm in iumentis quidem & canibus erubeſce-
re, iram exercere, peſſima autem cõdicione hominem eſſe? Morbis medemur, nec iraſcimur.
Atqui & morbus animi mollem medicinam deſiderat, ipſumque medentem minime infe-
ſtum aegro. Mali medici eſt, deſperare, ne curet. Idem in his, quorum animus affectus eſt, fa-
cere debebit, [z] cui credita ſalus omnium eſt, non cito ſpem proiicere, nec mortifera ſigna
pronuntiare. Luctetur cum vitiis, reſiſtat; aliis morbum ſuum exprobret, [a] quoſdam molli
curatione decipiat, citius meliusque ſanaturus remediis fallentibus. Agat princeps curam,
non tantum ſalutis, ſed etiam honeſtae cicatricis. Nulli regi gloria eſt ex ſaeua animaduer-
ſione. Quis enim dubitat poſſe? At contra maxima, ſi vim ſuam continet, ſi multos irae alie-
nae eripuit, neminem ſuae impendit. Seruis imperare moderate, laus eſt: & in mancipio XVIII.
cogitandum eſt, non quantum illud impune pati poſſit, ſed quantum tibi permittat aequi
bonique natura: quae parcere etiam captiuis & pretio paratis iubet. Quanto iuſtius homi-
nibus liberis, ingenuis, honeſtis, non vt mancipiis abuti, ſed his quos gradu antecedas, quo-
rumque tibi non tradita ſeruitus, ſed tutela? Seruis ad ſtatuam licet confugere. Cum in ſeruũ
omnia liceant, eſt aliquid, quod in hominem licere commune ius vetet. Quis non Vedium
Pollionem peius oderat, quàm ſerui ſui, quòd muraenas ſanguine humano ſaginabat: & eos
qui ſe aliquid offenderant, in viuarium, [b] quid aliud quàm ſerpentibus, obiici iubebat? O ho-
minem mille mortibus dignum: ſiue deuorandos ſeruos obiiciebat muraenis, quas eſurus e-
rat, ſiue in hoc tantum illas alebat, vt ſic aleret. Quemadmodum domini crudeles tota ciui-
tate commonſtrantur, inuiſique & deteſtabiles ſunt: ita regum & iniuria latius patet & infa-
mia, atque odium ſaeculis traditur. Quanto autem non naſci melius fuit, quàm numerari in-
ter publico malo natos? Excogitare nemo quicquam poterit, quod magis decorum re- XIX.
genti ſit quàm clementia: quocunque modo is, & quocunque iure praepoſitus ceteris erit.
Eo ſcilicet formoſius id eſſe, magnificentiusque fatebimur, quo in maiori praeſtabitur pote-
ſtate: quam non oportet noxiam eſſe, [c] ſed ad naturae legem compoſitam. Natura enim cõ-
mẽta eſt regem: quod & ex aliis animalibus licet cognoſcere, & ex apibus: quarum regi am-
pliſſimum cubile eſt, medioque ac tutiſſimo loco. Praeterea onere vacat, exactor alienorum
operum: & amiſſo rege, totum dilabitur examen. Nec vnquam plus vnum patiuntur, me-
lioremque pugna quaerũt. Praeterea inſignis regis forma eſt, diſſimiliſque ceteris, tum ma-
gnitudine, tum nitore. [d] Hoc tamen maxime diſtinguitur. iracundiſſimae, ac pro corporis
captu pugnaciſſimae ſunt apes, & aculeos in vulnere relinquunt: rex ipſe ſine aculeo eſt. No-
luit illum natura nec ſaeuum eſſe, nec vltionem magno conſtaturam petere: telumque de-
traxit, & irã eius inermem reliquit. Exemplar hoc magnis regibus ingens. Eſt enim illi mos,

exercere se in paruis, & ingeotium rerum documenta minima agere. Pudeat ab exiguis animalibus noo trahere mores: cum tanto hominum moderatior esse animus debeat, quanto vehementius nocet. Vtinam quidem eadem homini lex esset: & ira cum telo suo frangeretur: nec saepius liceret nocere quàm semel, nec alienis viribus exercere odia. Facile enim lassaretur furor, si per se sibi satisfaceret, & si mortis periculo vim suam effunderet. Sed ne sic quidem illi cursus tutus est. Tantum enim necesse est timeat, quantum timeri voluit: & manus omnium obseruet, & eo quoque tempore quo non captatur, peti se iudicet, [e] nullumque momentum immune a metu habeat. Hanc aliquis aegram vitam sustinet: cum liceat innoxium, atque ob hoc securum, salutarem potentiam, laetis omnibus, tractare? Errat enim, si quis existimat tutum esse ibi regem, vbi nihil a rege tutum est. Securitas securitate mutua paciscenda est. Noo opus est instruere in altum editas arces, nec in ascensum arduos colles emunire, nec latera mootiũ abscindere, multiplicibus se muris turribusque sepire. Saluum regem in aperto clementia praestabit. Vnum est inexpugnabile munimẽtum, amor ciuium. Quid pulchrius est, quàm viuere optantibus cunctis, & vota non sub custode nuncupantibus? Si paulum valetudo titubauit, non spem hominum excitari, sed metum? Nihil esse cuiquam tam pretiosum, quod non salute praesidis sui commutatum velit? Omne quod illi cõtingit, sibi quoq; euenire deputet? In hoc assiduis bonitatis argumentis probauit, nõ Remp. suam esse, sed se Reipublicae. Quis huic audeat struere aliquod periculum? Quis ab hoc nõ, si possit, fortunam quoque auertere velit, sub quo iustitia, pax, pudicitia, securitas, dignitas, floreot, sub quo opulenta ciuitas copia booorum omnium abundat? Nec alio animo rectorem suum intuetur, quàm si dij immortales potestatem visendi sui faciant: [f] intueremur venerantes colentesque. Quid autem? non proximum illis locum tenet is, qui se ex deorum natura gerit, beneficus ac largus, & in melius potens? Hoc affectare, hoc imitari decet: Maximum ita haberi, vt optimus simul habeatur.

XX. Duabus de causis punire princeps solet, si aut se vindicat, aut alium. Prius de parte disseram, quae ipsum contingit. Difficilius est enim moderari, vbi dolori debetur vltio, quàm vbi exemplo. Superuacuum est hoc loco admonere, ne facile credat, vt verum excutiat, vt innocentiae faueat, vt appareat, non minus rem agi periclitantis, quàm iudicis. Hoc ad iustitiam, non ad clementiam pertinet. Nunc illum hortamur, vt manifeste laesus, animum in potestate habeat: & poenam, si tuto poterit, donet: sin minus, temperet: longeque sit in suis, quàm in alienis exorabilior iniuriis. Nam quẽadmodum ooo est magni animi, qui de alieno liberalis est, sed ille qui quod alteri donat, sibi detrahit: ita clementem vocabo, oon in alieno dolore facilem, sed eum qui cum suis stimulis exagitetur, non prosilit, qui intelligit magni animi esse, iniurias in summa potentia pati, nec quicquam esse gloriosius principe impune laeso.

XXI. Vltio duas res praestare solet: aut solatium affert ei qui accipit iniuriam, aut in reliquum securitatem. Principis maior est fortuna, quàm vt tali solatio egeat, manifestiorque vis, quàm vt alieno malo opinionem sibi virium quaerat. Hoc dico, cum ab inferioribus petitus violatusque est. Nam si quos pares aliquando habuit, infra se videt, satis vindicatus est. Regem & seruus occidit, & serpens, & sagitta. Seruauit quidem nemo, nisi maior eo quem seruauit. Vti itaque animose debet tanto munere deorum, dandi auferendique vitam potens: in his praesertim, [g] quos scit aliquando suo fastigio obstitisse: hoc arbitrium adeptus, vltionem impleuit, perfecitque quantum verae poenae satis erat. Perdidit enim vitam qui debet: & quisquis ex alto ad inimici pedes abiectus, [h] alienam de capite suo sententiam expectauit, in seruatoris sui gloriam viuet, plusque nomini eius conferet incolumis, quàm si ex oculis ablatus esset. Assiduum enim spectaculũ alienae virtutis est: in triumpho cito transisset. Si vero regnum quoque suum tuto relinqui apud eum potuit, reponique eo vnde deciderat, ingenti incremento surgit laus eius, qui cõtentus fuit, ex rege victo nihil praeter gloriam sumere. Hoc est etiam ex victoria sua triumphare, testarique, nihil se [i] quod digoum esset victore, apud victos inuenisse. Cum ciuibus & ignotis atque humilibus eo moderatius agendum est, quo minoris est afflixisse eos. Quibusdam libenter parcas: a quibusdam te vindicare fastidias, & oon aliter quàm ab animalibus paruis & obterentem inquinantibus, reducenda manus est. At in iis qui in ore ciuitatis seruati punitique erunt, occasione ootae clementiae vtendum est.

XXII. Transeamus ad alienas iniurias: in quibus vindicandis ‘ haec tria lex secuta est, quae princeps quoque sequi debet: aut vt eum quem punit, emendet: aut vt poena eius ceteros meliores reddat: [k] aut vt sublatis malis securiores ceteri viuant. Ipsos facilius emendabis minore poena. Diligentius enim viuit, cui aliquid integri superest. Nemo dignitati perditae parcit. Impunitatis genus est, iam non habere poenae locum. Ciuitatis autem mores magis corrigit parcitas animaduersionũ. Facit enim consuetudinem peccandi, multitudo peccantium. Et minus grauis nota est, quã

turba

turba damnatorum leuat: & seueritas, quod maximum remedium habet, assiduitate amit-
tit, auctoritatem. Constituit bonos mores ciuitati princeps,[l] & vitia eius facilius compescit,
si patiens eorum est, non tanquam probet, sed ranquam inuitus: [m] & cum magno tormento
ad castigandum veniat. Verecundiam peccandi facit ipsa clementia regentis. Grauior mul-
to poena videtur, quae a miti viro constituitur. Praeterea videbis ea saepe committi, quae
saepe vindicantur. [7] Pater tuus plures intra quinquénium culeo insuit, quàm omnibus XXIII.
saeculis insutos accepimus. Multo minus audebant liberi nefas vltimum admittere, quam-
diu sine lege crimen fuit. Summa enim prudentia [8] altissimi viri, & rerum naturae peritissimi
maluerunt, velut incredibile scelus, & vltra audaciam positum praeterire, quàm dum vindi-
cant, ostendere posse fieri. Itaque parricidae cum lege coeperunt, & illis facinus poena mō-
strauit. Pessimo loco pietas fuit, postquam saepius culeos vidimus, quàm cruces. In qua ci-
uitate raro homines puniuntur, in ea consensus fit innocentiae, & indulgetur velut publico
bono. Putet se innocentem esse ciuitas: erit. Magis irascitur a communi frugalitate desci-
scentibus, si paucos eos esse viderit. Periculosum est, mihi crede, ostendere ciuitati, quanto
plures mali sint. In senatu [9] dicta est aliquando sententia, [10] vt seruos a liberis cultus dis- XXIIII.
tingueret. Deinde apparuit, quantum periculum immineret, si serui nostri numerare nos
coepissent. Idem scito metuendum esse, si nulli ignoscitur. Cito apparebit, pars ciuitatis de-
terior quanto praegrauet. Non minus principi turpia sunt multa supplicia, quàm medico
multa funera. Remissius imperanti, melius paretur. Natura contumax est humanus animus,
& in contrarium atque arduum nitens, sequiturque facilius quàm ducitur. Et vt generosi at-
que nobiles equi, melius facili fraeno reguntur: ita clementiam voluntaria innocentia im-
petu suo sequitur, & dignam putat ciuitas, quam seruet sibi. Plus itaque hac via proficitur.
Crudelitas minime humanum malum est, indignum tam miti animo. Ferina ista rabies est,
sanguine gaudere ac vulneribus, & abiecto homine, in siluestre animal transire. Quid e- XXV.
nim interest, oto te Alexander, leoni Lysimachum obiicias, an ipse laceres dentibus tuis?
Tuum illud os est, tua illa feritas. O quàm cuperes tibi potius vngues esse, tibi rictum illum
edendorum hominum capacem. Non exigimus a te, vt manus ista, exitium familiarium cer-
tissimum, vlli salutaris sit: vt iste animus ferox, insatiabile gentium malum, citra sanguinem
caedemque satietur. [n] Clementia vocatur, si ad occidendum amicum, carnifex inter homi-
nes eligitur. Hoc est, quare vel maxime abominanda sit saeuitia, quòd excedit fines, primum
solitos, deinde humanos. Noua supplicia conquirit, ingenium aduocat, instrumenta exco-
gitat, per quae varietur atque extendatur dolor, & delectatur malis hominum. [o] Tunc ille di-
rus animi morbus ad insaniam peruenit vltimam, cum crudelitas versa est in voluptatem: &
iam occidere hominem iuuat. Nam talem virum a tergo sequitur euersio: [p] odia, venena,
gladij. [q] tam multis periculis petitur, quàm multorum ipse periculum est: priuatisque non-
nunquam consiliis, alias vero consternatione publica circumuenitur. Leuis enim & priuata
pernicies non totas vrbes mouet. Quod late furere coepit, & omnes appetit, vndique con-
figitur. Serpentes paruulae fallunt, nec publice consequuntur: vbi aliqua solitam mensuram
transit, & in monstrum excreuit, vbi fontes potu infecit, & sufflatu deurit, obteritque qua-
cunque incessit, ballistis petitur. Possunt verba dare, & euadere pusilla mala: ingentibus ob-
uiam itur. Sic vnus aeger nec domum quidem perturbat: at vbi crebris mortibus pestilen-
tiam esse apparuit, conclamatio ciuitatis, ac fuga est, & diis ipsis manus intenduntur. Sub v-
no aliquo tecto flamma apparuit: familia vicinique aquam ingerunt. At incendium vastum,
& multas iam domos depastum, parte vrbis obruitur. Crudelitatem priuatorum [r] ser- XXVI.
uiles quoque manus sub certo crucis periculo vltae sunt. Tyrannotum, gentes populique, &
quorũ erat malum, & hi quibus imminebat, excindere aggressi sunt. Aliquando sua praesidia
in ipsos consurrexerunt, perfidiamque, [s] & impietatem, & feritatem, & quicquid ab illis di-
dicerant, in ipsos exercuerunt. Quid enim potest ab eo quisquam sperare, quem malum esse
docuit? Non diu paret nequitia, [t] nec quantum iubetur, peccat. Sed puta tutam esse crude-
litatem: quale eius regnum est? Nō aliud quàm captarum vrbium forma, & terribiles facies
publici metus. Omnia maesta, trepida, & confusa. Voluptates ipsae timentur. Non conui-
uia secura ineunt, in quibus lingua solicite etiam ebriis custodienda est: non spectacula, ex
quibus materia criminis ac periculi quaeritur. Apparentur licet magna impensa, & regiis
opibus, & artificum exquisitis nominibus: quem ramen e ludo in carcerem ire iuuet? Quod
istud, dij boni, malum est, occidere, saeuire, delectari sono catbenarum, & ciuium capita de-
cidere, quocunque ventum est multũ sanguinis fundere, aspectu suo terrere ac fugare? Quae
alia vita esset, si leones vrsique regnarent? Si serpentibus in nos, ac [u] noxiissimo cuique ani-
mali daretur potestas? Illa rationis expertia, & a nobis immanitatis crimine damnata absti-

nent suis,& [x] tuta est etiam inter feras similitudo. [y] Apud homines tantum nec a necessariis quidem rabies temperat sibi, sed externa suaque in aequo habet, quo possit exercitatior [z] a singulorum caedibus,deinde in exitia gentium serpere,& iniicere tectis ignem; aratrum vetustis vrbibus inducere,potentiam putat: & vnum occidi,aut alterum, parum imperatoriũ credit;nisi eodem tempore grex miserorum subiectus stetit, crudelitatem suam in ordinem coactam putat. Felicitas illa,multis salutem dare,& ad vitam ab ipsa morte reuocare,& mereri clementia ciuicam. Nullum ornamentum principis fastigio dignius pulchriusque est, quàm illa corona [11] OB. CIVES. SERVATOS. Non hostilia arma detracta victis, non currus [11] barbarorum sanguine cruenti,non parta bello spolia.Haec diuina potentia est,gregatim ac publice seruare:multos autem occidere,& indiscretos,incendij ac ruinae potẽtia est.

M. ANTONII MVRETI AD LIBRVM PRIMVM SENECAE DE CLEmentia Notae.

NEMO sub initia imperij Nerone clementior visus est: siue illa naturalis ingenij bonitas, siue simulatio fuit. At postea vel depravata,vel retecta natura,& foras erumpente saeuitia,ita se gessit,vt nomen Neronis,non iam hominis, sed crudelitatis ac feritatis nomen esse videatur. Ad eum adhuc adolescentulum Seneca hos libros scripsit, vel vt eum in proposito confirmaret, vel, quod magis puto, verens ac prospiciens id quod postea contigit,vt ei clementiae pulchritudinem, crudelitatis turpitudinem ostenderet. Sed vt agri, sic ingenia quaedam sunt,quae nullo vnquam cultu mitescunt.

CAP. I. 1 Et te tibi ostenderem,] *Hoc enim speculi munus est. Genus loquendi Horatianum est.*

Haec ego procurare,& idoneus imperor,& non
Inuitus.ne turpe toral,ne sordida mappa
Corruget nares:ne non & cantharus & lanx
Ostendat tibi te.

2 Quae pax mea comprimit,] *Male in aliis* pars mea. *Sic infra*: Tibi in tua pace armato viuendum est.

VI. 3 Quaestoribus] *Ita nunc vocat quaesitores,id est,eos qui publica iudicia exercent.*

VII. 4 Cuius non membra haruspices colligant?] *Fulguritorum membra haruspices colligebant, & eo ipso in loco sepeliebant,vbi quis de caelo tactus erat. Ab aliis sepeliri eos,aut alium in locum transferri,nefas putabatur.*

XV. 5 Mollissimo genere poenae contentum esse debere patrem dixit] *Terentianum*:

Pro peccato magno paulum supplicij satis est patri.

XXII. 6 Haec tria lex secuta est,] *De his tribus puniendi causis quaedam non indigna scitu disputantur libro sexto noctium Atticarum,capite* XIIII.

XXIII. 7 Pater tuus] *Claudium dicis,qui Neronem adoptauerat.*

8 Altissimi viri] *Solonem intelligit.*

XXIIII. 9 Dicta est aliquando] *Male alij* indicta.*neque enim* sententiam indicere *latine dicitur.*

10 Vt seruos a liberis cultus distingueret.] *Nunquid igitur Romae antiquis temporibus idem liberorum ac seruorum cultus fuit? Haec quidem Senecae verba ita id aperte videntur ostẽdere,vt nullus dubitationi supersit locus. At ciues Romani togam ferebant. Seruis autem certe togae ius non fuit. Praeterea principio belli ciuilis inter Caesarem & Pompeium, tribuni ex vrbe ad Caesarem profugisse dicuntur,* θεραπόντων ἐσθῆτας ἐνδύντες, *id est, seruili veste,ne agnoscerentur. quaenam autem est haec seruilis vestis, si inter liberorum & seruorum cultum nihil intererat? Sed certe ne tenuiores quidem e populo togam ferre soliti erant: tunicati fere incedebant. Horatius:*

Vilia vendentem tunicato scruta popello.

Togam fere non sumebant,nisi cum obituri erant officia. ideoque Martialis raram togam numerat inter partes felicitatis. & idem significatur illo epigrammate:

Denariis tribus inuitas,& mane togatum
Obseruare iubes limina Basse tua.

Tunicati autem incedebant & serui.

XXVI. 11 OB CIVES SERVATOS.] *Multa vidi vetera nomismata, quorum in altera parte facies erat alicuius imperatoris, in altera corona querna cum his litteris,* OB CIVES SERVATOS.

L. ANNAEI SENECAE
AD NERONEM CAESAREM
DE CLEMENTIA
LIBER SECVNDVS.

VT de clementia scriberem, Nero Caesar, vna me vox tua maxime compulit: CAP. I. quam ego non sine admiratione,[a] &, cum diceretur, audisse memini, & deinde aliis narrasse. Vocem generosam, magni animi, magnae lenitatis: quae non cōposita, nec alienis auribus data, subito erupit,[b] sed bonitatem tuam cum fortuna tua litigātem in medium adduxit. Animaduersurus in latrones duos Burrus praefectus tuus, vir egregius, &[c] tibi principi natus, exigebat a te, scribens, in quos & ex qua causa animaduerti velles. hoc saepe dilatum, vt aliquando fieret, instabat. Inuitus inuito cū chartam protulisset, traderetque, exclamasti: 'Vellem nescire litteras. O dignam vocem, quā audirent omnes gentes,[d] quae Romanum imperium incolunt, quaeque iuxta iacent dubiae libertatis, quaeque se contra viribus aut animis attollunt. O vocem, in contionem omnium mortalium mittendam, in cuius verba[a] principes regesque iurent.[e] O vocem priscae generis humani innocentiae: dignam cui redderetur antiquum illud saeculum. Nunc profecto consentire decebat ad aequum bonumque, expulsa alieni cupiditate, ex qua omne animi malum oritur:[f] pietatem, integritatemque cum fide ac modestia surgere: & vitia diuturno abusa regno, tandem felici ac puro saeculo dare locum. Futurum hoc Caesar ex magna II. parte sperare & confiteri libet. Tradetur ista animi tui mansuetudo, diffundeturque paulatim per omne imperij corpus,[g] & cuncta in similitudinem tui formabuntur.[h] A capite bona valetudo. Inde omnia vegeta sunt atque erecta, aut languore demissa, prout animus eorū viget aut marcet. Et erunt ciues, erunt socij digni hac bonitate: & in totum orbem recti mores reuertentur. Parcetur vbique manibus. Diutius me morari hic patere, non vt blandiar auribus tuis: nec enim mihi hic mos est. Maluerim veris offendere, quàm placere adulādo. [i]Quid ergo est, propter quod bene factis dictisque tuis quàm familiarissimum esse te cupio? vt quod nunc natura & impetus est, fiat iudicium. Illud mecum cōsidero, multas voces magnas, sed detestabiles in vitam humanam peruenisse, celebresque vulgo ferri: vt illam, *Oderint, dum metuant*. Cui Graecus versus similis est, qui se mortuo terram misceri ignibus iubet, & alia huius notae. Ac nescio quomodo ingenia immania & inuisa[k] materia foecundiori expresserunt sensus vehementes & concitatos. Nullam adhuc vocem audiui ex bono lenique animosam.[l] Quid ergo est? Vt raro, inuitus, & cum magna cunctatione, ita aliquando scribas necesse est istud, quod tibi in odium litteras adduxit: sed, sicut facis, cum magna cūctatione, cum multis dilationibus. Et ne forte decipiat nos[m] speciosum clemētiae nomen, III. & in contrarium aliquādo abducat, videamus quid sit clementia, qualisque sit, & quos fines habeat. Clementia est temperantia animi, in potestate vlciscendi: vel lenitas superioris aduersus inferiorem in constituendis poenis.[n] Plures proponere est tutius; ne vna definitio parum rem comprehendat; &, vt ita dicam, formula excidat. Itaque dici potest & inclinatio animi ad lenitatem in poena exigenda. Illa finitio cōtradictiones inueniet, quamuis maxime ad verum accedat, si dixerimus, clementiam esse moderationem aliquid ex merita ac debita poena remittentem. reclamabitur,[o] nullam virtutem quicquam minus debito facere. Atqui hoc omnes intelligunt, clementiam esse, quae se flectit citra id quod merito constitui posset. Huic contrariam imperiti putant seueritatem; sed nulla virtus virtuti contraria est. Quid ergo opponitur clementiae? Crudelitas; quae nihil aliud est, quàm atrocitas IIII. animi in exigendis poenis. Sed quidam non exigunt poenas, crudeles tamen sunt; tanquam qui ignotos homines & obuios non in compendium, sed occidendi causa occidunt. Nec interficere contenti, saeuiunt;[p] vt Sinnis ille & Procrustes, & piratae, qui captos verberant, & in ignem viuos imponunt. Haec crudelitas quidem: sed quia nec vltionem sequitur (non enim laesa est) nec peccato alicui irascitur (nullum enim antecessit crimen) extra definitionem nostram cadit: quae finitio continebat in exigendis poenis intemperantiam animi. Possumus dicere, non esse hanc crudelitatem, sed feritatem, cui voluptati saeuitia est: possumus insaniam vocare. nam varia sunt genera eius, & nullum certius, quàm quod in caedes hominum &[q] laniationes peruenit. Illos ergo crudeles vocabo, qui puniendi causam habent, modum non habent. Sicut in Phalari, quem aiunt non quidem

in homines innocentes, ſed ſuper humanum ac probabilem modum ſaeuiſſe. Poſſumus ef-
fugere cauillationem, & ita finire, vt ſit crudelitas, inclinatio animi ad aſperiora. [q] Hanc cle-
mentia repellit longius a ſe: nam cum ſeueritate illi conuenire, certum eſt. Ad rem pertinet,
quaerere hoc loco, quid ſit miſericordia. Plaerique enim vt virtutem eam laudant, & bonũ
hominem vocant miſericordem. Haec autem vitium animi eſt. Vtraque circa ſeueritatem,
circaque clementiam poſita ſunt: quae vitare debemus, [r] ne per ſpeciem ſeueritatis in crude-
litatem, neve per ſpeciem clementiae in miſericordiam incidamus. In hoc, leuiore periculo
V. erratur, ſed par error eſt a vero recedentium. Ergo quemadmodum religio deos colit,
ſuperſtitio violat: ita clementiam manſuetudinemque omnes boni praeſtabunt, miſericor-
diam autem vitabunt. Eſt enim vitium puſilli animi, ad ſpeciem alienorum malorum ſucci-
dentis. Itaque peſſimo cuique familiariſſima eſt. Anus & mulierculae ſunt, quae lacrimis no-
centiſſimorum mouentur, quae ſi liceret, carcerem effringerent. Miſericordia non cauſam,
ſed fortunam ſpectat; clementia rationi accedit. Scio male audire apud imperitos ſectam
Stoicorum, tanquam nimis duram, & minime principibus regibusque bonum daturam cõ-
ſilium. Obiicitur enim illi, quòd ſapiẽtem negat miſereri, negat ignoſcere. Haec ſi per ſe po-
nantur, inuiſa ſunt. Videntur enim nullam ſpem relinquere humanis erroribus, ſed omnia
delicta ad poenam deducere. [s] Quod ſi eſt, quid hac ſecta durius, quae dediſcere humani-
tatem iubet, portumque aduerſus fortunam certiſſimum mutuo auxilio cludit? Sed nulla ſe-
cta benignior leniorque eſt, nulla amantior hominum, & communibus bonis attentior: vt
propoſitũ ſit vſui eſſe aut auxilio, nec ſibi tantum, ſed vniuerſis ſingulisq; conſulere. Miſeri-
cordia eſt aegritudo animi ob alienarum miſeriarum ſpeciem: aut triſtitia ex alienis malis
concepta, quae accidere immerentibus credit. Aegritudo autem in ſapientem virum non
cadit. Serenà enim eius mens eſt, nec quicquam incidere poteſt quod illam obducat. Nihil
aeque hominem, quàm magnus animus decet. Non poteſt autem magnus eſſe idem, ſi me-
tus & maeror contundit, ſi mentem obducit & contrahit. Hoc ſapienti ne in ſuis quidem
accidet calamitatibus, ſed omnem fortunae iram reuerberabit, & ante ſe franget. Eandem
ſemper faciem ſeruabit, placidam & inconcuſſam: quod facere non poſſet, ſi triſtitiam re-
ciperet. Adiice, quòd ſapiens prouidus eſt, & in expedito conſilium habet. Nunquam au-
tem liquidum ſincerumque ex turbido venit. Triſtitia enim inhabilis eſt ad diſpiciendas
res, vtilia excogitanda, periculoſa vitanda, [t] aequa aeſtimanda. Ergo non miſeretur, quia
eſt ſine miſeria. [u] Ceterum omnia, quae qui miſerentur, dolentes facerent: hic libens &
VI. alacri animo faciet. Succurret alienis lacrimis, non accedet: dabit manum naufrago,
exuli hoſpitium, egenti ſtipem, non hanc contumelioſam, qua pars maior horum qui ſe
miſericordes videri volunt, abiicit & faſtidit quos adiuuat, contingique ab his timet: ſed
vt homo homini ex communi dabit. Donabit lacrimis maternis filium, & cathenas ſol-
ui iubebit, & ludo eximet, & cadauer etiam noxium ſepeliet. At faciet iſta tranquilla mẽ-
te, vultu ſuo. Ergo non miſerebitur ſapiens, ſed ſuccurret, ſed proderit, in commune au-
xilium natus, ac publicum bonum, ex quo dabit cuique partem: etiam ad calamitoſos pro
portione, improbandos, & emendandos, bonitatem ſuam permittet. Afflictis vero, [x] &
fortius laborantibus multo libentius ſubueniet. Quotiens poterit, fortunae intercedet. V-
bi enim opibus potius vtetur, aut viribus, quàm ad reſtituenda quae caſus impulit? [y] Vul-
tum quidem non deiiciet, nec animum, ad aeruſcantis ciuis aut pannoſi aridam faciem &
obnixam baculo ſenectutem: ceterum omnibus dignis proderit, & deorum more calami-
toſos propitius reſpiciet. Miſericordia vicina eſt miſeriae: habet enim aliquid, trahitque
ex ea. Imbecilles oculos eſſe ſcias, qui ad alienam lippitudinem & ipſi ſuffunduntur: tam
mehercule, quàm morbum eſſe, non hilaritatem, ſemper arridere ridentibus, & ad o-
mnium oſcitationem ipſum quoque os diducere. Miſericordia vitium eſt animorum, nimis
miſeriae fauentium: quam ſi quis a ſapiente exigit, prope eſt, vt lamentationem exigat, & in
alienis funeribus gemitus. [z] At quare non ignoſcat, dicam. Conſtituamus nunc quoque
quid ſit venia, vt ſciamus dari illam a ſapiente non debere. Venia eſt poenae meritae remiſ-
ſio. Hanc ſapiens quare non debeat dare, reddunt rationem diutius, quibus hoc propoſitum
VII. eſt. Ego vt breuiter tanquam in alieno iudicio dicam, ei ignoſcitur qui puniri debuit.
Sapiens autem nihil facit quod non debet, nihil praetermittit quod debet. Itaque poe-
nam quam exigere debet, non donat: ſed illud quod ex venia conſequi vis, honeſtiore ti-
bi via tribuit. Parcit enim ſapiens, conſulit & corrigit. Idem facit, quod ſi ignoſceret,
nec ignoſcit: quoniam qui ignoſcit, fatetur aliquid ſe quod fieri debuit, omiſiſſe. Aliquem
verbis tantum admonebit, poena non afficiet, aetatem eius emendabilem intuens. Ali-
quẽ [a] inuidia criminis manifeſte laborantẽ, iubebit incolumem eſſe: quia deceptus eſt, quia
per

per vinum lapsus. Hostes dimittet saluos, aliquando etiam laudatos, si honestis causis pro fide, pro foedere, pro libertate in bellum accincti sunt. Haec omnia non veniae, sed clemētiae opera sunt. Clementia liberum arbitrium habet: non sub formula, sed ex aequo & bono iudicat. Et absoluere illi licet, [b] & quanti vult, aestimare litem. Nihil ex his facit, tanquam iusto minus fecerit, sed tanquam id quod constituit, iustissimum sit. Ignoscere autem est, quae iudicas punienda, non punire. Venia, debitae poenae remissio est. Clementia hoc primum praestat, vt quos dimittit, nihil aliud illos pati debuisse pronuntiet. Plenior est ergo quàm venia & honestior. De verbo (vt mea fert opinio) controuersia est, de re quidem conuenit. Sapiens multa remittet, multos parum sani, sed sanabilis ingenij seruabit. Agricolas bonos imitabitur, qui non tantum rectas procerasque arbores colunt, sed illis quoque quas aliqua deprauauit causa, adminicula quibus regantur, applicant. Alias circuncidunt, ne proceritatem rami premant. Quasdam infirmas vitio loci, nutriunt. Quibusdam aliena vmbra laborantibus caelum aperiunt. [c] Secundum haec videbit perfectus sapiens, quod ingenium qua ratione tractandum sit, quo modo in rectum praua flectantur.

Multa desunt.

M. ANTONII MVRETI AD LIBRVM SECVNDVM DE CLEMENTIA NOTAE.

HIC *non tam liber est, quàm ἀποσπασμάτιον quoddam libri. Itaque quòd quaedam cohaerere cum superioribus non videntur, non Senecae culpa est, sed librariorum.*

1 Tibi principi natus,] *Multo hoc melius, quàm, vt in aliis,* notus. CAP. I.

2 Principes regesque iurent.] Iurare in verba, *latine & eleganter dicitur.* Iuramentum facere in verba, *barbarum est. In libro vetere non erat* faciant, *& pro* iuramentum *erat* iurament. *Deleui duas litteras, & feci* iurent. *fortaßis legi poterat,* iurarent.

L. ANNAEI SENECAE DE VITA BEATA AD GALLIONEM FRATREM

LIBER VNVS.

CAP. I. TVERE, Gallio frater, omnes beate volunt: sed ad peruidendum quid sit quod beatam vitam efficiat, caligant. Adeoque non est facile consequi beatam vitam, vt ab ea quisque eo longius recedat, quo ad illam citatius fertur, si via lapsus est: [a] quae vbi in contrarium ducit, ipsa velocitas maioris interualli causa fit. Proponendum est itaque primum, quid sit quod petamus: tunc circumspiciendum est, qua contendere illo celerrime possimus: intellecturi in ipso itinere, si modo rectum erit, [b] quantum quotidie profligetur: quantoque propius ab eo simus, ad quod nos cupiditas naturalis impellit. Quamdiu quidem passim vagamur, non ducem secuti, sed fremitum & clamorem dissonum in diuersa vocantium, cōteritur vita inter errores, breuis, etiam si dies noctesque bonae mēti laboremus. Decernatur itaque & quo tendamus, & qua, non sine perito aliquo, cui explorata sint ea in quae procedimus. Quoniam quidem non eadem hic, quae in ceteris peregrinationibus condicio est. In illis comprehensus aliquis limes, & interrogati incolae non patiuntur errare. At hic tritissima quaeque via & celeberrima maxime decipit. Nihil ergo magis praestandum est, quàm ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes nō qua eundum est, sed qua itur. Atqui nulla res nos maioribus malis implicat; quàm quòd ad rumorem componimur, optima rati ea quae magno assensu recepta sunt, [c] quorumque exēpla multa sunt: nec ad rationem, sed ad similitudinem viuimus. Inde ista tanta coaceruatio aliorum supra alios ruentium. Qnod in strage hominum magna euenit, cum ipse se populus premit, nemo ita cadit, vt non alium in se attrahat: primi exitio sequentibus sunt: hoc in omni vita accidere videas licet: nemo sibi tantū errat, sed alij erroris causa & auctor est. Nocet enim applicari antecedentibus: & dum vnusquisque mauult credere quàm iudicare, nunquā de vita iudicatur, semper creditur. Versatque nos & praecipitat traditus per manus error, alienisque perimus exemplis. Sanabimur, si modo separemur a coetu. Nunc vero stat contra rationem defensor mali sui populus. Itaque idem euenit quod in comitiis, in quibus eos factos praetores idem qui fecere mirantur, [i] cum se mobilis fauor circumegit. Eadem probamus, eadem reprehendimus. Hic exitus est omnis iudicij, in quo lis secundū plures datur.

II. Cum de beata vita agitur, non est quòd mihi illud [a] discessionum more respondeas: Haec pars maior esse videtur. Ideo enim peior est. Non tam bene [i] cum rebus humanis agitur, vt meliora pluribus placeant. Argumentum pessimi turba est. Quaeramus [d] quid optime factū sit, non quid vsitatissimum: & quid nos in possessione felicitatis aeternae constituat, nō quid vulgo, veritatis pessimo interpreti, probatum sit. Vulgum autem tam chlamydaros quàm coronam voco. Non enim colorem vestium, quibus praetexta corpora sunt, aspicio: oculis de homine non credo. Habeo melius certiusque lumen, quo a falsis vera diiudicem. Animi bonum animus inueniat. Hic si vnquam illi respirare & recedere in se vacauerit, o quàm sibi ipse verum, tortus a se, fatebitur, ac dicet: Quicquid dixi, cū recogito, in multis video. [a] Quicquid optaui, inimicorum execrationem puto. Quicquid timui, dij boni, [e] quanto melius fuit, quàm quod concupiui? [f] Cum multis inimicitias gessi, & in gratiam ex odio (si modo vlla inter malos gratia est) redij: mihi ipsi nondum amicus sum. Omnem operam dedi, vt me multitudini educerem, [g] & aliqua dote notabilem facerem. Quid aliud quàm telis me opposui, & maleuolentiae quod morderet ostendi? Vides tu istos, qui eloquentiam laudāt, qui opes sequuntur, qni gratiae adulantur, qui potentiam extollunt? Omnes aut sunt hostes, aut (quod in aequo est) esse possunt. Quàm magnus mirantium, tam magnus inuidentium populus est.

III. Quin potius quaero aliquid vsu bonum, quod sentiam, non quod ostendam. Ista quae spectantur, ad quae consistitur, quae alter alteri stupens monstrat, foris nitent, introrsus misera sunt. Quaeramus aliquid [h] non in speciem bonum, sed solidum & aequabile, & a secretiore parte formosius. Hoc eruamus. [7] Nec longe positum est. inuenietur. Scire tantum opus est, quo manum porrigas. Nunc velut in tenebris vicina transimus, offensantes in ipsa quae desideramus. Sed ne te per circuitus traham, aliorum quidem opiniones praeteribo: nam & enumerare illas longum est, & coarguere: nostram accipe.

Nostram vero cum dico, non alligo me ad vnum aliquem ex Stoicis proceribus. Est & mihi censendi ius. Itaque aliquem sequar, aliquem iubebo sententiam diuidere. Fortasse & post omnes citatus, nihil improbabo ex his quae priores decreuerint, & dicam: Hoc amplius censeo. Interim quod inter omnes Stoicos conuenit, rerum naturae assentior. Ab illa non deerrare, & ad illius legem exemplumque formari, sapientia est. Beata est ergo vita, conueniens naturae suae: quae non aliter contingere potest, quàm si primum sana mens est, & in perpetua possessione sanitatis suae. [i] Deinde si fortis ac vehemens, tum pulcherrima & patiens, apta temporibus, corporis sui pertinentiumque ad id curiosa; non anxie tamen rerum quae vitam instruunt, diligens [k] sine admiratione cuiusquam: vsura fortunae muneribus, nō seruitura. Intelligis, etiam si non adiiciam, sequi perpetuam tranquillitatem, libertatem, depulsis his quae aut irritant nos, aut territant. Nam pro voluptatibus, & pro illis quae parua ac fragilia sunt, & in ipsis flagitiis noxia, ingens gaudium subit, inconcussum, & aequabile: tum pax & concordia animi, & magnitudo cum mansuetudine. Omnis enim ex infirmitate feritas est.

IIII Potest aliter quoque definiri bonum nostrum, id est, eadem sententia, non iisdem comprehendi verbis. Quemadmodum idem exercitus modo latius panditur, modo in angustum coarctatur, & aut in cornua, sinuata media parte, curuatur, aut recta fronte explicatur: vis illi, vtcunque ordinatus est, eadem est, & voluntas pro eisdem partibus standi: ita definitio summi boni alias diffundi potest & exporrigi, alias colligi, & in se cogi. Idē itaque erit, si dixero: Summum bonum est animus fortuita despiciens, virtute laetus: aut inuicta vis animi, perita rerum, placida in actu, cum humanitate multa, & conuersantium cura. Libet & ita definire, vt beatum dicamus hominem eum, cui nullum bonum malumque sit, nisi bonus malusque animus: honesti cultor, virtute contentus, quem nec extollant fortuita, nec frangant, qui nullum maius bonum [l] eo quod sibi ipse dare potest, nouerit, cui vera voluptas erit, voluptatum contemptio. Licet, si euagari velis, idem in aliam atque aliam faciem, salua & integra potestate, transferre. [m] Quid enim prohibet nos beatam vitam dicere, liberum animum, & erectum, & interritum ac stabilem, extra metum, extra cupiditatem positum? cui vnum bonum honestas, vnum malum turpitudo? Cetera vilis turba rerum, [n] nec detrahens quicquam beatae vitae, nec adiiciens, sine auctu ac detrimento summi boni veniens ac recedens. Hunc ita fundatum necesse est, velit nolit, sequatur hilaritas continua, & laetitia alta, atque ex alto veniens, vt quae suis gaudeat, nec maiora domesticis cupiat. Quid ni ista penset bene cum minutis, & friuolis, & non perseuerantibus corpusculi motibus? Quo die infra voluptatem fuerit, & infra dolorem erit.

VI Vides autem, quàm malam & noxiam seruitutem seruiturus sit, quem voluptates doloresque, incertissimae dominae, impotentissimaeque, alternis possidebunt. Ergo exeundum ad libertatem est. Hanc non alia res tribuit, quàm fortunae negligentia. Tum illud orietur inaestimabile bonum, quies mentis in tuto collocatae, & sublimitas, [o] expulsisque terroribus ex cognitione veri gaudium grande & immotum, comitasque [s] & diffusio animi: quibus delectabitur non vt bonis, sed vt ex bono suo ortis. Quoniam liberaliter agere coepi, potest beatus dici, qui nec cupit, nec timet, beneficio rationis. Quoniam & saxa timore & tristitia carent, nec minus pecudes: non ideo tamen quisquam felicia dixerit, quibus nō est felicitatis intellectus. Eodem loco pone homines, quos in numerum pecorum & animaliū redegit hebes natura, & ignoratio sui. Nihil interest inter hos & illa. Quoniam illis nulla ratio est, his parua, & malo suo, atque in peruersum solers. Beatus enim nemo dici potest, extra veritatem proiectus. Beata ergo vita est in recto certoque iudicio stabilita & immutabilis. Tunc enim pura mens est, & soluta omnibus malis, cum non tantum lacerationes, sed etiam vellicationes effugerit, statura semper vbi constitit, ac sedem suam etiam irata & infestāte fortuna vindicatura. Nā quod ad voluptatem pertinet, licet circumfundatur vndique, per omnes vias influat, animumque blandimentis suis leniat, [p] aliaque ex aliis admoueat, quibus totas quoque partes nostri sollicitet: quis mortalium, cui vllum superest hominis vestigium, per diem noctemque titillari velit, & deserto animo, corpori operam dare?

VII Sed & animus quoque, inquit, voluptates habebit suas. Habeat sane, sedeatque luxuriae & voluptatum arbiter, impleat se omnibus eis quae oblectare sensus solent: [r] deinde praeterita respiciat, & exoletarum voluptatum memor exultet prioribus, futurisque iā immineat, ac spes ordinet suas, & dum corpus in praesenti sagina iacet, cogitationes ad futura praemittat. hoc mihi videtur miserior, quoniam mala pro bonis legere dementia est. Nec sine sanitate quisquam beatus est: nec sanus, cui offutura pro optimis appetūtur. Beatus est ergo iudicij rectus. Beatus est praesentibus, qualiacunque sunt, cōtentus, amicusque rebus suis. Beatus is, cui omnem habitum rerum suarum ratio commendat. [10] ¶ Vident & illi qui summū bonum voluptatem dixerūt,

quàm turpi illud loco posuerint. Itaque negant posse voluptatem [r] a virtute diduci, & aiunt, nec honeste quenquam viuere [s] vt non iucunde, nec iucunde vt non honeste viuat. Non video, quomodo ista tam diuersa in eandem copulam coniiciantur. Quid est, oro vos, cur separari voluptas a virtute non possit? [t] videlicet quòd omne boni ex virtute principium est. Ex huius radicibus etiam ea quae vos & amatis & expetitis, otiuntur. Sed si ista indiscreta essent, non videremus quaedam iucunda, sed non honesta: quaedam vero honestissima, sed
VII. aspera, & per dolores exigenda. Addite nunc, quòd voluptas etiam ad vitam turpissimã venit. At virtus malam vitam non admittit. Et infelices quidam non sine voluptate, [u] imo ob ipsam voluptatem sunt quod non eueniret, si virtuti se voluptas immiscuisset, qua virtus saepe caret, nunquam indiget. Quid dissimilia, imo diuersa componitis? Altum quiddam est virtus, excelsum, regale, inuictum, infatigabile: voluptas, humile, seruile, imbecillum, caducum, cuius statio ac domicilium fornices & popinae sunt. Virtutem in templo inuenies, in foro, in curia, pro muris stantem, puluerulentam, coloratam, callulas habentem manus: voluptatem latitantem saepius, ac tenebras captantem; circa balnea ac sudatoria, ac loca aedilem metuentia, mollem, eneruem, mero atque vnguento madentem, [x] pallidam, fucatam, & medicamentis [''] pollinctam. Summum bonum immortale est, nescit exire: nec satietatẽ habet, nec paenitentiam. Nunquam enim recta mens vertitur: nec sibi odio est, [''] nec quicquam mutauit optima. At voluptas tunc cum maxime delectat, extinguitur. Nec multum loci habet. itaque cito implet: & taedio est, & post primum impetum marcet. Nec id vnquã certum est, cuius in motu natura est. Ita ne potest quidem vlla eius esse substantia, [y] quod venit transitve celerrime, in ipso vsu sui periturum. Eo enim peruenit, vbi desinat: & dum inci-
VIII. pit, spectat ad finẽ. Quid, quòd tam bonis quàm malis voluptas inest? [z] Nec minus turpes dedecus suum, quàm honestos egregia delectant. [''] Ideoque praeceperunt veteres, optimam sequi vitam, non iucundissimam: vt rectae ac bonae voluntatis nõ dux, sed comes voluptas sit. Natura enim duce vtendum est. Hanc ratio obseruat, hanc consulit. Idem est ergo beate viuere, & secundum naturam. Hoc quid sit, iam aperiam. Si corporis dotes & apta naturae conseruabimus diligenter & impauide, tanquam in diem data & fugacia; si non subierimus eorum seruitutem, nec nos aliena possederint; si corpori grata & aduenticia eo nobis loco fuerint, [a] quo sunt in castris auxilia, & armaturae leues. Seruiant ista, non imperent: ita demum vtilia sunt menti. Incorruptus vir sit externis & insuperabilis, miratorque tantum sui: fidens animi, atque in vtrumque paratus, artifex vitae. Fiducia eius non sine scientia sit, non sine constantia. Maneant illi semel placita, nec vlla in decretis eius litura sit. Intelligitur, etiam si non adiecero, compositum ordinatumque fore talem virum, & in his quae aget cum comitate magnificum. erit vera ratio sensibus insita, & capiens inde principia. Nec enim habet aliud vnde conetur, aut vnde ad verum, impetum capiat, & in se reuertatur. Nam mundus quoque cuncta complectens, rectorque vniuersi Deus, [b] in exteriora quidem tendit, sed tamen in totum vndique in se redit. Idem nostra mens faciat: cum secuta sensus suos per illos se [c] ad externa porrexerit, & illorum & sui potens sit, & (vt ita dicam) deuinciat summum bonum. Hoc modo vna efficietur vis ac potestas concors sibi: & ratio illa certa nascetur, [d] non diffidens nec haesitans in opinionibus comprehensionibusque, nec in sua persuasione. Quae cum se disposuit, & partibus suis consensit, & (vt ita dicã) concinuit, summum bonum tetigit. [e] Nihil enim praui, nihil lubrici superest: nihil in quo a-
IX. rietet, aut labet. Omnia faciet ex imperio suo. Nihilque inopinatum accidet: sed quicquid aget, in bonum exibit, facile & parate, & sine tergiuersatione agentis. Nam pigrina & haesitatio pugnam & inconstantiam ostendit. Quare audacter licet profitearis, summum bonum esse animi concordiam. Virtutes enim ibi esse debebunt, vbi consensus atque vnitas erit: dissident vitia. Sed tu quoque, inquit, virtutem non ob aliud colis, quàm quia aliquam ex illa speras voluptatem. Primum, non si voluptatem praestatura virtus est, ideo propter hanc petitur. [f] Non enim hanc praestat, sed & hanc: nec huic laborat, sed labor eius quamuis aliud petat, hoc quoque assequetur. Sicut in aruo quod segeti proscissum est, aliqui flores internascuntur, non tamen huic herbulae, quamuis delectet oculos, tantum operis insumptum est: aliud fuit serenti propositum, hoc superuenit: sic voluptas non est merces, nec causa virtutis, sed accessio. Nec quia delectat, placet: sed quia placet, delectat. Summum bonum in ipso iudicio est, & habitu optimae mentis: [g] quae cum suum habitum impleuit, & finibus se suis cinxit, consummatum est summum bonum, nec quicquam amplius desiderat. Nihil enim extra totum est, non magis quàm vltra finem. Itaque erras, cum interrogas quid sit illud propter quod virtutem petam. [h] Quaeris enim aliquid supra summum. Interrogas, quid petam ex virtute? ipsam. Nihil enim est melius: ipsa pretium sui est.

An hoc parum magnum est?Cum tibi dicam,summum bonum est,infragilis animi rigor &
prouidentia,sanitas & libertas,cōcordia & decor:aliquid etiamnum exigis maius, ad quod
ista referantur?Quid mihi voluptatem nominas?Hominis bonum quaero,non ventris, qui
pecudibus ac beluis laxior est. Dissimulas, inquit, quid a me dicatur. Ego enim nego X.
quenquam posse iucunde viuere,nisi simul & honeste viuat:quod non potest mutis contin-
gere animalibus,nec bonum suum cibo metientibus.[i] Clare,inquam, ac palam testor hanc
vitam,quam ego iucundam voco,non sine adiecta virtute contingere. At quis ignorat,ple-
nissimos esse voluptatibus vestris stultissimos quosque, & nequitiam abūdare iucundis,ani-
mumque ipsum non tātum genera voluptatis praua, sed multa suggerere?In primis insolen-
tiam & nimiam aestimationem sui,tumorēque elatum supra ceteros,& amorem rerum sua-
rum caecum & improuidū : delicias fluentes,ex minimis ac puerilibus causis exultationem:
[k] iam dicacitatem & loquacitatem,ac superbiam contumeliis gaudentem , desidiam,disso-
lutionemque segnis animi indormientis sibi.Haec omnia virtus discutit,& aurem peruellit,
& voluptates aestimat,antequam admittat:[l] nec quas probauit,magni pendit (vtique enim
admittit)nec vsu earum,sed temperantia laeta est. Temperantia autem cum voluptates mi-
nuat,summi boni iniuria est.Tu voluptatem cōplecteris:ego compesco.Tu voluptate frue-
ris:ego vtor.Tu illam summum bonum putas : ego nec bonum. Tu omnia voluptatis causa
facis:ego nihil.Cū dico me nihil voluptatis causa facere,de illo loquor sapiēte,cui soli con-
cedis voluptatem. Nō voco autem sapientē,supra quem quicquam est,nedū voluptas. XI.
Atqui ab hac occupatus quomodo resistet labori,ac periculo,egestati , & tot humanam vi-
tam circumstrepentibus minis?Quomodo cōspectum mortis,quomodo doloris feret?quo-
modo mundi fragores,& tantum acerrimorū hostium,a tam molli aduersario victus?Quic-
quid voluptas suaserit,faciet. Age , non vides quàm multa suasura sit ? Nihil, inquis,poterit
suadere turpiter,quia adiuncta virtuti est.Non tu vides iterum, quale sit summū bonum,cui
custode opus est,vt bonum sit ? Virtus autem quomodo voluptatem reget , quam sequitur:
cum sequi parentis sit,regere imperantis?A tergo ponitis,quod imperat.[m] Egregium autem
virtutis apud vos officiū , [14] voluptates praegustare.Sed videbimus,an apud quos tam con-
meliose tractata virtus est,adhuc virtus sit:quae habere nomen suum non potest,si loco ces-
sit.Interim de quo agitur,multos ostendam voluptatibus obsessos , in quos fortuna omnia
munera sua effudit,quos fateatis necesse est malos.Aspice Nomentanum & Apicium,terra-
rum ac maris(vt isti vocant)bona conquirentes,& super mensam recognoscētes [n] omnium
gentium animalia.Vide hos eosdem e lectis suis spectantes popinam suam,aures vocum so-
no, spectaculis oculos,saporibus palatum suum delectantes : mollibus lenibusque fomentis
totum lacessitur eorū corpus.Et ne nares interim cessent, odoribus variis inficitur locus ipse,
in quo luxuriae parētatur. Hos esse in voluptatibus dices:nec tamen illis bene erit,quia non
bono gaudent. Male,inquit,illis erit:quia multa interueniunt,quae perturbant animū, XII.
& opiniones inter se contrariae mentem inquietabunt. Quod ita esse concedo. Sed nihil-
ominus illi ipsi stulti,& inaequales,& sub ictu paenitentiae positi , magnas percipiunt volu-
ptates:vt fatendum sit,[o] tam longe tum illos ab omni molestia abesse,quàm à bona mente,
&(quod plerisque contingit)hilarem insaniam insanire,ac per risum furere.At contra sapi-
entium remissae voluptates & modestae,ac paene languidae sunt,compressaeque,& vix no-
tabiles:vt quae neque arcessitae veniant,nec, quamuis per se accesserint,in honore sint , ne-
que vllo gaudio percipientium exceptae.Miscent enim illas & interponunt vitae, vt ludum
iocumque inter seria.Desinant ergo inconuenientia iungere,& virtuti voluptatem implica-
re,per quod vitium pessimis quibusque adulantur.Ille effusus in voluptates , [p] reptabundus
semper atque ebrius,quia scit se cum voluptate viuere,credit & cum virtute:audit enim vo-
luptatem a virtute separari non posse.Deinde vitiis suis sapientiam inscribit, & abscondenda
da profitetur.[q] Ita nō ab Epicuro impulsi luxuriantur,sed vitiis dediti luxuriam suam in phi-
losophiae sinu abscondunt,& eo concurrunt , vbi audiunt laudari voluptatem.[r] Nec aesti-
matur voluptas illa Epicuri:ita enim mehercules sentio , quum sobria ac sicca sit:sed ad no-
men ipsum aduolant,quaerentes libidinibus suis patrocinium aliquod ac velamentum.Ita-
què quod vnum habebant in malis bonum,perdunt,peccandi verecūdiam. Laudant enim
ea quibus erubescebant,& vitio gloriantur : ideoque ne resurgere quidem adolescentiae li-
cet,cū honestus turpi desidiae titulus accessit. Hoc est cur ista voluptatis laudario per- XIII.
niciosa sit,quia honesta praecepta intra latent:quod corrūpit,apparet.Mea quidem ista sen-
tentia est(inuitis hoc nostris popularibus dicam) sancta Epicurum & recta praecipere , & si
propius accesseris,tristia:voluptas enim illa[s] ad paruum & exile reuocatur:& quam nos vir-
tuti legem dicimus,eam ille dicit voluptati.Iubet illam parere naturae. Parum est autem lu-

xuriae,quod naturae ſatis eſt.Quid ergo eſt?Ille qui deſidioſum otium, & gulae ac libidinis
vices felicitatem vocat,bonum malae rei quaerit auctorem:[t] & dum illo venit,blando no-
mine inductus, ſequitur voluptatem, non quam audit, ſed quam attulit: & vitia ſua cum
coepit putare ſimilia praeceptis,indulget illis,non timide, nec obſcure:luxuriatur etiam in-
operto capite.Itaque non dico quod placrique noſtrorum, ſectam Epicuri flagiriorum ma-
giſtram eſſe: ſed illud dico, male audit, infamis eſt: & immerito. Nec hoc ſcire quiſquam
poteſt, niſi interius fuerit admiſſus. Frons ipſa dat locum fabulae, & ad malam ſpem inui-
tat. Hoc tale eſt, quale vir fortis ſtola indutus. Conſtante tibi pudicitia, virtus ſalua eſt.
Nulli corpus tuum impudicitiae vacat,ſed in manu tympanum eſt.Titulus itaque honeſtus
eligatur, & inſcriptio ipſa excitans animum ad ea repellenda[u] quae ſtatim eneruant, quum
venerint,vitia.Quiſquis ad virtutem acceſſit,dedit generoſae indolis ſpem.Qui voluptatem
ſequitur, videtur eneruis, fractus, degenerans[x] a viro, peruenturus in turpia: niſi aliquis
diſtinxerit illi voluptates,vt ſciat quae ex eis intra naturale deſiderium ſiſtāt,[y] quae in prae-
ceps ferant,infinitaeque ſint, & quo magis implentur, eo magis inexplebiles.Agedum vir-
tus antecedat:tutum erit omne veſtigium.[z] Voluptas nocet nimia:in virtute non eſt veren-
XIIII. dum,ne quid nimium ſit:quia in ipſa eſt modus. Non eſt bonum, quod magnitudine
laborat ſua.Rationabilem porro ſortitis naturam, quae melius res, quàm ratio proponitur?
& ſi placet illa iunctura,[a] ſi hoc placet ad beatā vitam ire comitatu, virtus antecedat,com-
itetur voluptas, & circa corpus, vt vmbra verſetur. [b] Virtutem quidem excelſiſſimam
omnium, voluptati tradere ancillam, nihil magnum animo capientis eſt. Prima virtus ſit,
haec ferat ſigna. Habebimus nihilominus voluptatem, ſi domini eius & temperatores eri-
mus. Aliquid nos exorabit, nihil coget. At hi qui voluptati tradidere principia, vtroque
caruere. Virtutem enim amittunt. ceterum non ipſi voluptatem, ſed ipſos voluptas habet:
cuius aut inopia torquentur, aut copia ſtrangulantur. Miſeri, ſi deſeruntur ab illa: miſerio-
res, ſi obruuntur. Sicut deprehenſi in mari Syrtico, modo in ſicco relinquuntur, modo
torrente vnda fluctuantur. Euenit autem hoc nimia intemperantia, & amore caeco rei.
Nam mala pro bonis petenti periculoſum eſt aſſequi. Vt feras cum labore periculoque ve-
namur, & captarum quoque illarum ſollicita poſſeſſio eſt: ſaepe enim laniant dominos:[c] ita
habentis magnas voluptates,in magnum malum euaſere, captaeque cepere.Quae quo plu-
res maioresque ſunt, eo ille minor, ac plurium ſetuus eſt, quem felicem vulgus appellat.
[d] Permanere libet in hac etiamnum huius rei imagine. Quemadmodum qui beſtiarum cu-
bilia indagat,& laqueo captare feras magno aeſtimat,& magnos canibus circundare ſaltus,
vt illarum veſtigia premat, potiora deſerit, multiſque officiis renunciat: ita qui ſectatur vo-
luptatem, omnia poſtponit: & primam libertatem negligit, ac pro ventre dependit: nec
XV. voluptates ſibi emit,ſed ſe voluptatibus vendit. Quid tamen,inquit,prohibet in vnum
virtutem voluptatemque confundi, & ita effici ſummum bonum, vt idem & honeſtum &
iucundum ſit? [e] Quia pars honeſti non poteſt eſſe, niſi honeſtum. Nec ſummum bonum
habebit ſinceritatem ſuam, ſi aliquid in ſe viderit diſſimile meliori. Nec gaudium qui-
dem quod ex virtute oritur, quamuis bonum ſit, abſoluti tamen boni pars eſt, non magis
quàm laetitia & tranquillitas, quamuis ex pulcherrimis cauſis naſcantur. Sunt enim iſta
bona, ſed conſequentia ſummum bonum, non conſummantia. Qui vero voluptatis virtu-
tiſque ſocietatem facit, [f] & ne exaequat quidem, fragilitate alterius boni, quicquid in al-
tero vigoris eſt, hebetat: [g] libertatemque illam ita demum, ſi nihil ſe pretioſius nouit,inui-
ctam, ſub iugum mittit. [h] Nam (quae maxima ſeruitus eſt) incipit illi opus eſſe fortuna.Se-
quitur vita anxia,ſuſpicioſa,[i] trepida,caſum pauens,[k] temporūque ſuſpenſa momentis.Non
das virtuti fundamentum graue, immobile, ſed iubes illam in loco volubili ſtare. Quid au-
tem tam volubile eſt,quàm fortuitorum expectatio:& corporis, rerumque corpus afficien-
tium varietas?Quomodo hic poteſt Deo parere,& quicquid euenit, bono animo excipere,
nec de fato queri,caſuum ſuorum benignus interpres, ſi ad voluptatum dolorumque pun-
ctiunculas concutitur?Sed nec patriae quidem bonus tutor aut vindex eſt, nec amicorum
propugnator,ſi ad voluptates vergit.[l] Illo ergo ſummum bonum eſcendit,vnde nulla vi de-
trahitur:quo neque dolori,neque ſpei,neq; timori ſit aditus, nec vlli rei quae deterius ſum-
mi boni ius faciat.Eſcēndere autem illo ſola virtus poteſt.Illius gradu cliuus iſte frāgendus
eſt.[m] Illa fortiter ſtabit,& quicquid euenerit, feret: non patiens tantum, ſed etiam volens:
omnemque temporū difficultatem ſciet legem eſſe naturae.Et vt bonus miles feret vulnera,
enumerabit cicatrices,& tranſuerberatus telis,moriens amabit eum,pro quo cadet,impera-
torem:habebit in animo illud vetus praeceptū:DEVM SEQVERE.[n] Quiſquis autem queri-
tur,& plorat,& gemit: imperata facere vi cogitur, & inuitus rapitur ad iuſſa nihilominus.

Quae

Quae autem dementia est,potius trahi quàm sequi?Tam mehercule,quàm stultitia & igno-
rantia cōdicionis suae,dolere,quòd aliquid tibi incidit durius:[o] aut mirari,aut indigne fer-
re ea quae tam bonis accidunt quàm malis : morbos dico , funera , debilitates , & cetera ex
transuerso in vitam humanam incurrentia.Quicquid[p] ex vniuersi constitutione patiendum
est,magno excipiatur animo.Ad hoc sacramentum adacti sumus,ferre mortalia:nec pertur-
bari his , quae vitare nostrae potestatis non est. In regno nati sumus. Deo parere , libertas
est. Ergo in virtute posita est vera felicitas.[q] Quid haec tibi suadebit? Nequid aut bo- XVI.
num,aut malum existimes,[r] quod nec virtute,nec malitia continget.Deinde vt sis immobi-
lis cōtra malum ex bono,vt,qua fas est , Deum effingas.Quid tibi pro hac expeditione pro-
mittitur?Ingentia & aequa diuinis.Nihil cogeris:nullo indigebis:liber eris,tutus,indemnis:
nihil frustra tentabis:nihil prohibeberis.Omnia tibi ex sentētia cedent. Nihil aduersum ac-
cidet.Nihil contra opinionem ac volūtatem. Quid ergo?virtus ad viuendum beate sufficit,
perfecta illa & diuina?Quid ni sufficiat?immo superfluit.Quid enim deesse potest extra desi-
derium omnium posito?quid extrinsecus opus est ei,qui omnia sua in se collegit? Sed ei qui
ad virtutem tendit,etiam si multum processit, opus est tamen aliqua fortunae indulgentia,
adhuc inter humana luctanti,dum nodum illum exoluit, & omne vinculum mortale. Quid
ergo interest ? Quòd alij alligati sunt , alij astricti, alij districti quoque.Hic qui ad superiora
progressus est , & se altius extulit,laxam cathenam trahit , nondum liber , iam tamen pro li-
bero. Si quis itaque ex istis qui philosophiam conlatrant,quod solent , dixerit : Quare XVII.
ergo tu fortius loqueris quàm viuis?Quare superiori verba summittis,& pecuniam necessa-
rium tibi instrumentum existimas,& damno moueris,& lacrimas, audita coniugis aut ami-
ci morte,dimittis,& respicis famam,& malignis sermonibus tangeris ? Quare cultius rus ti-
bi est,quàm naturalis vsus desiderat?Cur non ad praescriptum tuum coenas?Cur tibi mun-
dior supellex est?Cur apud te vinum aetate tua vetustius bibitur?[s] Cur autem domus dispo-
nitur?Cur arbores praeter vmbrā nihil daturae conseruntur? Quare vxor tua locupletis do-
mus censum auribus gerit ? Quare paedagogium pretiosa veste succingitur ? Quare ars est
apud te,ministrare:nec temere,& vt libet,collocatur argētum,sed perite seruitur, [t] & est ali-
quis scindendi obsonij magister?Adiice,si vis,cur trās mare possides?[u] Cur plura quàm no-
sti,possides?Turpiter aut tam negligens es,vt non noueris pauculos seruos:aut tam luxurio-
sus,vt plures habeas,quàm quorum notitiae memoria sufficiat.Adiuuabo postmodum con-
uicia,& plura mihi quàm putas,obiiciam.Nunc hoc respondebo tibi.[x] Non sum sapiens,&,
vt maleuolentiam tuam pascam,nec ero.Exigo itaque a me,[y] non vt optimis par sim, sed vt
malis melior. Hoc mihi satis est,quotidie aliquid ex vitiis meis demere , & errores meos ob-
iurgare.Non perueni ad sanitatem,ne perueniam quidem:delinimēta magis quàm remedia
podagrae meae compono,contētus si rarius accedit,[z] & si minus verminatur. Vestris qui-
dem pedibus comparatus,debilis cursor sum. Haec nō pro me loquor:ego enim in al- XVIII.
to vitiorum omnium sum:sed pro illo,[a] cui aliquid acti est.Aliter,inquit,loqueris : aliter vi-
uis.[b] Hoc per malignissima capita,& optimo cuique inimicissima,Platoni obiectū est,obie-
ctum Epicuro,obiectum Zenoni.Omnes enim isti dicebant,non quemadmodum ipsi viue-
rent,sed quemadmodum viuendum esset.De virtute, non de me loquor.Et cum vitiis con-
uicium facio,in primis meis facio.cum potuero , viuam quomodo oportet.Nec malignitas
me ista multo veneno tincta deterrebit ab optimis.Ne virus quidem istud,quo alios spargi-
tis,vos necatis,me impediet,quo minus perseuerē in laudare vitam, nō quam ago,sed quam
agendam scio : quo minus virtutem adorem , & ex interuallo ingenti reptabundus sequar.
Expectabo scilicet,vt quicquam maliuolētiae inuiolatum sit,cui sacer nec Rutilius fuit, nec
Cato?Cur & aliquis non istis diues nimis videatur,quibus Demetrius Cynicus parum pau-
per est?[c] O virum acerrimum,& contra omnia naturae desideria pugnantem.[d] ita quod sibi
interdixit habere, interdixit & poscere. Negat enim sapientem egere.[e] Vides eum?nō virtu-
tis scientiam,sed egestatem professus est. Diodorum Epicureum philosophum,qui in- XIX.
tra paucos dies finem vitae suae manu sua imposuit,negant ex decreto Epicuri fecisse,quòd
sibi gulam praesecuit.Alij dementiam videri volunt factum hoc eius , alij temeritatem. Ille
interim beatus,ac plenus bona conscientia , [f] reddidit sibi testimonium vita excedens,lau-
dauitque aetatis in portu , & ad ancoram actae quietem : [g] & dixit quod vos inuiti audistis,
quasi vobis quoque faciendum sit:

Vixi,& quem dederat cursum fortuna,peregi.

De alterius vita,de alterius morte disputatis:& ad nomen magnorum ob aliquam eximiam
laudem virorum, sicut ad occursum ignotorum hominum minuti canes , latratis. Expedit
enim vobis , neminem videri bonum : quasi aliena virtus , exprobratio delictorum vestro-

rum sit.Inuiti splēdida cum sordibus vestris cōfertis, nec intelligitis quanto id vestro detrimento audeatis. Nam si illi qui virtutem sequūtur, auari,libidinosi,ambitiosique sunt:quid vos estis,[h] quibus ipsum nomen virtutis odio est?Negatis quemquam praestare quae loquitur,nec ad exēplar orationis suae viuere.Quid mirum?cum loquātur fortia,ingentia,omnes humanas tempestates euadentia: cum refigere se [14] crucibus conentur,in quas vnusquisque vestrum clauos suos ipse adigit. Ad supplicium tamen acti stipitibus singulis pendent. Hi qui in seipsos animaduertunt,quot cupiditatibus, tot crucibus distrahuntur:& maledici, in alienam cōtumeliā venusti sunt.[1][2] Crederem illis, [i] nisi quidam ex patibulo suos spectatores

XX. conspuerent. Non praestant philosophi quae loquuntur:multū tamen praestant,quòd loquuntur, quòd honesta mente concipiunt. Nam si & paria dictis agerent, quid esset illis beatius?Interim non est,quòd contemnas bona verba,& bonis cogitationibus plena praecordia.Studiorum salutarium,etiam citra effectum,[k] laudanda tractatio est. Quid mirum,si non escendunt in altum?Arduos aggressus virtutis suspice. etiam si decidūt, magna conantur.Generosa res est,respicientem non ad suas,sed ad naturae suae vires, conari alta,tentare: & mente maiora concipere, quàm quae etiam ingenti animo adornatis effici possint.[l] Qui sibi hoc proposuit:[m] Ego mortem eodem vultu audiam, quo videbo.Ego laboribus, quāticūque illi erunt,parebo,animo fulciēs corpus.Ego diuitias[n] & praesentes & absentes aeque contemnā:[o] nec si aliubi iacebūt,tristior:nec si circa me fulgebūt animosior. Ego fortunam nec venientem sentiam, nec recedentem. Ego terras omnes tanquam meas videbo, meas tāquam omnium.Ego sic viuam, quasi sciam aliis me natum:& naturae rerum hoc nomine gratias agam.Quo enim melius genere negotium meum agere potuit?vnum me donauit omnibus:vni mihi omnes.Quicquid habebo,nec sordide custodiam, nec prodige spargam. Nihil magis possidere me credam,quàm bene donata:non numero,nec pondere beneficia, nec vlla,nisi accipientis aestimatione,pendam.Nūquam id mihi multum erit, quod dignus accipiet.Nihil opinionis causa,omnia conscientiae faciam: populo spectante fieri credam, quicquid me conscio faciam. Edendi erit bibendique finis, desideria naturae restinguere, non implere aluum,& exinanire.Ego amicis iucūdus, inimicis mitis & facilis,exorabor antequam roger,honestis precibus occurram.Patriam meam esse mundum sciam:& praesides deos supra me,circaque me stare,factorum dictorumque censores. Quandocunque autem natura spiritum repetet, aut ratio dimittet,testatus exibo,bonam me conscientiam amasse,

XXI. bona studia:nullius per me libertatem imminutam, [p] minime meam. Qui hoc facere proponet,volet,tētabit,ad deos iter faciet:[q] ne ille,etiam si non tenuerit,magnis tamen excidet ausis. Vos quidem qui virtutem cultoremque eius odistis, nihil noui facitis. Nam & solem lumina aegra formidant,& auersantur diem splendidum nocturna animalia, quae ad primum eius ortum stupent,& latibula sua passim petunt, abduntur in aliquas rimas timida lucis.Gemite,& infelicem linguam bonorum exercete conuicio.Instate, cōmordete:citius multo frāgetis dentes,quàm imprimetis. Quare ille philosophiae studiosus est,& tam diues vitam agit?Quare opes contemnendas dicit,& habet?vitam cōtemnendam putat,& tamen viuit?Valetudinem contemnendam, & tamen illam diligentissime tuetur, atque optimam mauult?Et exilium nomen vanū putat,& ait,Quid est enim mali,mutare regiones?& tamen si licet,senescit in patria?Et inter longius tēpus & breuius nihil interesse iudicat:tamen si nihil prohibet,extendit aetatem, & in multa senectute placidus viret? Ait ista debere contemni:[18] nō,ne habeat,sed ne solicitus habeat.Non abiget illa a se:sed abeuntia securus prosequetur.Diuitias quidem vbi tutius fortuna deponet quàm ibi, vnde sine querela reddentis receptura est?M.Cato cum laudaret Curium & Coruncanium,& saeculum illud in quo cēsorium crimen erat,[19] [r] paucae argēti lamellae,possidebat ipse quadragies sestertium:minus sine dubio quàm Crassus,plus tamen quàm censorius Cato.Maiore spatio, si comparentur, proauum vicerat, quàm a Crasso vinceretur.Et si maiores illi obuenissent opes,non spreuisset.Nec enim se sapiens indignum vllis muneribus fortuitis putat. Non amat diuitias, sed mauult.[s] Non in animum illas, sed in domum recipit.[t] Nec respuit possessas, sed continet,

XXII. [u] & maiorem virtuti suae materiam subministrari vult. Quid autem dubij est,quin maior materia sapienti viro sit animum explicandi suum in diuitiis quàm in paupertate:cum in hac vnum genus virtutis sit,non inclinari,nec deprimi:in diuitiis & temperantia, & liberalitas,& diligentia,& dispositio, & magnificentia, campum habeat patentem? Non contemnet se sapiens,etiā si fuerit minimae staturae:esse tamen se procerū volet.& exilis corpore, ac amisso oculo valebit:malet tamen sibi esse corporis robur. Et haec ita, vt sciat esse aliud in se valentius, malam valetudinem tolerabit, bonam optabit. Quaedam enim, etiam si in summam rei parua sunt,vt & subduci sine ruina principalis boni possint,adiiciūt tamen ali-

quid

quid ad perpetuam laetitiam, & ex virtute nascentem. Sic illum afficiunt diuitiae, & exhilarant, vt nauigantem secũdus & ferens ventus,[x] vt dies bonus, vt in bruma ac frigore apricus locus. Quis porro sapiẽtum, nostrorum dico, quibus vnum est bonũ virtus, negat etiam haec quae indifferentia vocamus, habere in se aliquid pretij, & alia aliis esse potiora? Quibusdam ex his tribuitur aliquid hoooris, quibusdam multum. Ne erres itaque, inter potiora diuitiae sunt. Quid ergo, inquis, me derides, cum eundem apud te locũ habeant, quem apud me? Vis scire, quàm non habeant eundem locum? Mihi diuitiae si effluxerint, nihil auferent, nisi semetipsas: tu stupebis, & videberis tibi sine te relictus, si illae a te recesserint. Apud me diuitiae aliquem locum habent: apud te, summum. Ad postremum, diuitiae meae sunt, tu diuitiarum es.

XXIII. Desine ergo philosophis pecunia interdicere.[y] Nemo sapientiam paupertate damnauit. Habebit philosophus amplas opes: sed oulli detractas, nec alieno sanguine cruentas, sine cuiusquam iniuria partas, sine sordidis quaestibus, quarũ tam hooestus sit exitus quàm introitus, quibus nemo [20] ingemescat, nisi malignus. In quantum vis, exaggera illas, honestae sunt: in quibus cum multa sint quae quisque sua dici velit, nihil est quod quisquam suum possit dicere. Ille vero fortunae benignitatem a se non submouebit, & patrimonio per hooesta quaesito oec gloriabitur, nec erubescet. Habebit tamẽ etiam quo glorietur, si aperta domo, & admissa in res suas ciuitate, poterit dicere: Quod quisque suum agnouerit, tollat.[z] O magnum virum, optime diuitem, si opus ad hãc vocem consonet, si post hanc vocem tantuodem habuerit: ita dico si tutus & securus scrutationem populo praebuerit: si nihil quisquam apud illum inuenerit, quo manus iniiciat, audacter & propalam erit diues. Sicut sapiens oullum denarium intra limeo suum admittet male intrantem: ita & magnas opes, munus fortunae, fructumque virtutis, non repudiabit, nec excludet. Quid enim est, quare illis bonum locum inuideat? veniant, hospitentur. Nec iactabit illas, nec abscondet. Alterum [21] infruniti animi est, alterum timidi & pusilli, velut magoum bonum intra sinum continentis. Nec, vt dixi, eiiciet illas e domo. Quid enim dicet? vtrum ne, Inutiles estis: an, Ego vtĩ diuitiis nescio? Quemadmodum etiam si pedibus suis poterit iter conficere, escendere tamen vehiculum malet: sic si poterit esse diues, volet: & habebit vtique opes, sed tanquam leues & auolaturas: nec vlli alij, nec sibi graues esse patietur.[a] Donabit. Quid erexistis aures? Quid expeditis sinum? Donabit, aut bonis, aut eis quos facere poterit bonos. Donabit cum summo consilio, dignissimos eligens: vt qui meminerit, tam expensorum quàm acceptorum rationem esse reddendam. Donabit ex recta & probabili causa. Nam inter turpes iacturas malum munus est. Habebit sinnm facilem, non perforatum, ex quo multa exeant, nihil excidat.

XXIIII. Errat, si quis existimat facilem rem esse donare. Plurimum ista res babet difficultatis, si modo consilio tribuitur, non casu & impetu spargitur. Hunc promereor,[b] illi reddo: huic succurro, huius misereor. Illum iostruo, dignum quem non diducat paupertas, oec occupatum teneat. Quibusdam non dabo, quamuis desit: quia etiam si dedero,[c] erit defuturum. Quibusdam offeram. Quibusdam etiam inculcabo. Non possum in hac re esse oegligens: ouĩquam magis nomina facio, quàm cum dono. Quid? tu, inquis, recepturus donas? immo non perditurus. Eo loco sit donatio, vnde repeti non debeat, reddi possit. Beneficium collocetur, quemadmodum thesaurus alte obrutus: quem non eruas, nisi fuerit oecesse. Quid domus ipsa diuitis viri, quantam habet benefaciendi materiam? Quis enim liberalitatem tantum [22] ad togatos vocat? Hominibus prodesse natura iubet: serui liberi ne sint, ingenui an libertini,[23] iustae libertatis, an inter amicos datae, quid refert? vbicũque homo est, ibi beneficio locus est. Potest etiam pecuniam suam intra limen suum diffundere, & liberalitatem exercere: quae oon quia liberis debetur, sed quia à libero animo proficiscitur, ita nominata est. Haec apud sapientem nec vnquam in turpes indignosque impiogitur, nec vnquam ita defatigata erit, vt non quotiens digoum inuenerit, quasi ex pleno fluat. Nõ est ergo quòd perperam exaudiatis, quae honeste, fortiter, animose, a studiosis sapientiae dicuntur. Et hoc primũ attendite. Aliud est, studiosus sapientiae: aliud, iam adeptus sapientiam. Ille tibi dicet: Optime loquor, sed adhuc inter mala volutor plurima. Non est, qnòd me ad formulam meam exigas: cummaxime facio me & formo, & ad exemplar ingens attollo:[d] si processero, quantum proposui, exige, vt dictis facta respondeant. Assecutus vero humani boni summam, aliter tecum aget, & dicet: Primum non est, quòd tibi permittas de melioribus ferre sententiam. Mihi iam quod argumentum est recti contigit, malis displicere. Sed vt tibi rationem reddam, quam nulli mortalium inuideo, audi quid promittam,[e] & quanti quaeque aestimem. Diuitias oego bonum esse: nam si essent, bonos facerent. Nunc quoniam quod apud malos deprehenditur, dici bonum non potest: hoc illis nomen nego. Ceterum & habendas esse, & vtiles, & magna commoda ad-

XXV. ferentes, fateor. Quid ergo sit, quare illas non in bonis numerem, & quid in illis praestem aliud, quàm vos, quoniam inter vtrosque conuenit habendas, audite. Pone in opulentissima me domo, pone vbi aurum argentumque in promiscuo vsu sit. Non suspiciam me ob ista, quae etiam si apud me, extra me tamen sunt. In sublicium põtem me transfer, & inter egentes abige: non ideo tamen me despiciam, quòd in illorum numero consideo, qui manum ad stipem porrigunt. Quid enim ad rem, an frustum panis desit, cui non deest mori posse? Quid ergo est?[f] domum illam splendidam malo, quàm pontem.[g] Pone me in instrumentis splendentibus, & delicato apparatu: nihilo me feliciorem credam, quòd mihi molle erit amiculum, quòd purpura conuiuis meis substernetur. Nihilo miserior ero,[h] si lassa ceruix mea in manipulo foeni acquiescet, si super circense tomentum, per lucturas veteris lintei effluens, incubabo. Quid ergo est? Malo quid mihi animi sit ostendere,[24] [i] praetextatus & Canusinatus,[25] quàm nudis scapulis ac foetentibus.[k] Vt omnes mihi dies ex voto cedant, nouae gratulationes prioribus subtexantur: non ob hoc mihi placebo. Muta in contrarium hanc indulgentiam temporis: hinc illinc percutiatur animus, damno, luctu, incursionibus variis,[l] nulla hora sine aliqua querela sit: non ideo me dicam inter miserrima miserum, non ideo aliquem execrabor diem: prouisum est enim a me, ne quis mihi ater dies esset. Quid ergo est? Malo gaudia temperare, quàm dolores compescere. Hoc tibi ille Socrates dicet. Fac me victorem vniuersarum gentium. Delicatus ille Liberi currus triumphantem vsque ad Thebas a solis ortu vehat.[m] Iura reges Persarum petant.[26] Me hominem esse tum maxime cogitabo,[n] cum deus vndique consalutabor. Huic tam sublimi fastigio coniunge protinus praecipitem mutationem: in alienum imponar ferculum, exornaturus victoris superbi ac feri pompam: non humilior sub alieno curru agar, quàm in meo steteram. Quid ergo est? vincere tamen, quàm capi malo. Totum fortunae regnum despiciam: sed ex illo, si dabitur electio, molliora sumam. Quicquid ad me venerit, bonum fiet: sed malo faciliora ac iucundiora veniant, & minus vexatura tractantem. Non est enim quòd vllam existimes esse sine labore virtutem: sed quaedam virtutes stimulis, quaedam fraenis egent. Quemadmodum corpus in procliui retineri debet, in ardua impelli: ita quaedam virtutes in procliui sunt, quaedam cliuum subeunt. An dubium sit, quin escendat, nitatur, obluctetur patientia, fortitudo, perseuerantia, & quaecunque alia duris opposita virtus est, & fortunam subigit? Quid ergo? non aeque manifestum est per deuexum ire liberalitatem, temperantiam, mansuetudinem? In his continemus animum, ne prolabatur. In illis exhortamur, incitamusque. Acerrimas ergo paupertati adhibebimus, illas quae pugnare sciunt, fortiores: diuitiis illas diligentiores, quae suspensum gradum

XXVI. ponunt, & pondus suum sustinent. Cum hoc ita diuisum sit, malo has in vsu mihi esse,[o] quae exercendae tranquillius sint, quàm eas quarum experimentum sanguis & sudor est. Ergo non ego, inquit sapiens, aliter viuo quàm loquor, sed vos aliter auditis. Sonus tantummodo verborum ad aures vestras peruenit: quid significet, non quaeritis.[p] Quid ergo inter me stultum, & te sapientem interest, si vterque habere volumus? Plurimum.[q] Diuitiae enim apud sapientem virum in seruitute sunt: apud stultum in imperio.[r] Sapiens diuitiis nihil permittit: vobis diuitiae omnia. Vos, tanquam aliquis vobis aeternã possessionem earũ promiserit, assuescitis illis, & cohaeretis: sapiens tunc maxime paupertatem meditatur, cum in mediis diuitiis cõstitit. Nunquam imperator ita paci credit, vt non se praeparet bello: quod etiam si non geritur, indictum est. Vos domus formosa, tanquam nec ardere nec ruere possit, insolentes: vos opes tanquam periculum omne transcenderint, maioresque sint quàm quibus consumendis satis virium habeat fortuna, obstupefaciunt. Otiosi diuitiis luditis, nec prouidetis illarum periculum: sicut barbari plerunque inclusi, & ignari machinarum, segnes laborem obsidentium spectant,[r] nec quo illa pertineant, quae ex longinquo instruuntur, intelligunt. Idem vobis euenit. Marcetis in vestris rebus: nec cogitatis, quot casus vndique immineant,[s] iamiamque pretiosa spolia laturi. Sapienti quisquis abstulerit diuitias, omnia illi sua relinquet. Viuit enim praesentibus laetus, futuri securus. Nihil magis, Socrates inquit, aut aliquis alius, cui idem ius aduersus humana atque eadem potestas est, persuasi mihi, quàm ne ad opiniones vestras actum vitae meae flecterem. Solita conferte vndique verba: non conuiciari vos putabo, sed vagire velut infantes. Haec dicet ille, cui sapientia contigit: quem animus vitiorum immunis increpare alios, non quia odit, sed in remedium, iubet. Adiiciet his illa: Existimatio me vestra non meo nomine, sed vestro mouet:[t] odisse, & lacessere virtutem, bonae spei eiuratio est. Nullam mihi iniuriam facitis,[u] sicut ne diis quidem hi, qui aras euertunt: sed malum propositum apparet, malumque consilium, etiam vbi nocere non potuit. Sic vestras hallucinationes fero, quemadmodum

Iupiter

Iupiter optimus maximus ineptias poetarum: quorum alius illi alas imposuit, alius cornua: alius [x] adulterum illum induxit,& abnoctantem: alius saeuum in deos, alius iniquum in homines: [y] alius raptorem ingenuorum, corruptoremque,& cognatorum quidem: alius parricidam, & regni alieni paternique expugnatorem. Quibus nihil aliud actum est, quàm vt pudor hominibus peccandi demeretur, si tales deos credidissent. Sed quanquã ista me nihil laedant, [z] vestra tamen vos moneo causa. suspicite virtutem. Credite his, qui illam diu secuti, magnum quiddam ipsos,& quod in dies maius appareat, sequi clamant. Et ipsam vt deos,& professores eius vt antistites colite:& quotiens [a] mentio sacra litterarum interuenerit, [17] fauete linguis. Hoc verbum non, vt plerique existimant, a fauore trahitur: sed imperatur silentium, vt rite peragi possit sacrum, nulla voce mala obstrepente. · Quod multo magis XXVII. necessarium est imperari vobis, vt quotiens aliquid ex illo proferetur oraculo, intenti & compressa voce audiatis. Cum sistrum aliquis concutiens ex imperio mentitur, cum aliquis secandi lacertos suos artifex, brachia atque humeros suspensa manu cruentat, cum aliqua genibus per viam repens vlulat, laurumque linteatus senex, [b] & medio lucernam die praeferens, conclamat, iratum aliquem deorum, concurritis & auditis, & diuinum esse eum, inuicem mutuum alentes stuporem, affirmatis. Ecce Socrates ex illo carcere, quem intrando purgauit, omnique honestiorem curia reddidit, proclamat. Quis iste furor? quae ista inimica diis hominibusque natura est? infamare virtutes, & malignis sermonibus sancta violare? Si potestis, bonos laudate: si minus, transite. Quod si vobis exercere taetram istam licentiam placet, alter in alterum incursitate. Nam cum in caelum insanitis, non dico sacrilegium facitis, sed operam perditis. Praebui ego aliquando Aristophani materiam iocorum. tota illa comicorum poetarum manus in me venenatos sales suos effudit. [c] Illustrata est virtus mea, per ea ipsa, per quae petebatur. Produci enim illi & tentari expedit: nec vlli magis intelligunt quanta sit, quàm qui vires eius lacessendo senserunt. Duritia silicis nulli magis quàm ferientibus nota est. Praebeo me non aliter quàm rupes aliqua in vadoso mari destituta, quam fluctus non desinunt vndecunque moti sunt verberare: nec ideo aut loco eam mouent, aut per tot aetates crebro incursu suo consumunt. Assilite, facite impetum. ferendo vos vincam. In ea quae firma & insuperabilia sunt, quicquid incurrit, malo suo vim suam exercet. Proinde quaerite aliquam mollem cedentemque materiam, in quam tela vestra figantur. Vobis autem vacat aliena scrutari mala, & sententias ferre de quoquam? [d] Quare hic philosophus laxius habitat? Quare hic lautius coenat? [18] Papulas obseruatis alienas, [19] ipsi obsiti plurimis vlceribus. Hoc tale est, quale si quis pulcherrimorum corporum naeuos aut verrucas derideat, [e] quem fera scabies depascitur. Obiicite Platoni, quòd petierit pecuniam: Aristoteli, quòd acceperit: Democrito, quòd neglexerit: Epicuro, quòd consumpserit: mihi ipsi Alcibiadem & Phaedrum obiectate. O vos maxime felices, cum primum vobis imitari vitia nostra contigerit. Quin potius mala vestra circumspicitis, quae vos ab omni parte confodiunt, alia grassantia extrinsecus, alia in visceribus ipsis ardentia? Non eo loco res humanae sunt, etiam si statum vestrum parum nostis, [f] vt vobis tantum otij supersit, vt in probra meliorum agitare linguam vacet. Hoc vos non in- XXVIII. telligitis, & alienum fortunae vestrae vultum geritis: sicut plurimi, quibus in circo aut in theatro desidentibus, iam funesta domus est, nec annuntiatum malum. At ego ex alto prospiciens, video quae tempestates aut immineant vobis, paulo tardius rupturae nimbum suum, [g] aut tam vicinae, vt vos ac vestra rapturae sint, si propius accesserint. Quid porro, nonne nunc quoque (etiam si parum sentitis) turbo quidam animos vestros rotat, & inuoluit fugientes, petentesque eadem, & nunc in sublime alleuatos, [h] nunc in infima allisos rapit? [20] Cerci nobis magno consensu vitia commendant. Licet nihil aliud quod sit salutare tentemus, [i] proderit tamen primo in seipsum secedere. Meliores erimus singuli. Quid, quòd secedere optimos viros, & aliquod exemplum eligere, [k] ad quod vitam dirigamus, licet? Tunc potest obtinere quod semel placuit, vbi nemo interuenit, qui iudicium adhuc imbecillum populo adiutore detorqueat. Tunc potest vita aequali & vno tenore procedere, quam propositis diuersissimis scindimus. Nam inter cetera mala illud pessimum est, quòd vitia ipsa mutamus. Sic ne hoc quidem nobis contingit, permanere in malo iam familiari. Aliud ex alio placet, vexatque nos. Hoc quoque, quòd iudicia nostra non tantum praua, sed etiam leuia sunt. Fluctuamus, aliudque ex alio comprehendimus: petita relinquimus, relicta repetimus: alternae inter cupiditatem nostram, & paenitentiam vices sunt. Pendemus enim toti ex alienis iudiciis: & id optimum nobis videtur, quod petitores laudatoresque multos habet, non id quod laudandum petendumque est. Nec viam bonam ac malam per se aestimamus, sed turba vestigiorum, in

quibus nulla sunt redeuntium. Dices mihi: Quid agis Seneca? deseris partes.[l] Certe Stoici vestri dicunt: Vsque ad vltimum vitae finem in actu erimus, non desinemus communi bono operam dare, adiuuare singulos, opem ferre etiam inimicis, eniti manu. Nos sumus, qui nullis annis vacationem damus, & quod ait ille vir disertissimus, Canitiem galea premimus. Nos sumus, apud quos vsque eo nihil ante mortem otiosum est, vt, si res patitur, non sit ipsa mors otiosa. Quid nobis Epicuri praecepta in ipsis Zenonis principiis loqueris? Quin tu bene & nauiter, si partium piget, transfugis potius, quàm prodis? Hoc tibi in praesentia respondebo. Nunquid vis amplius, quàm vt me similem ducibus meis praestem? Quid ergo est? non quo miserint me illi, sed quo duxerint, ibo. [m] Nunc probabo tibi, non desciscere me a praeceptis Stoicorum: nam ne ipsi quidem a suis desciuerunt: & tamen excusatissimus essem, etiam si non praecepta illorum sequerer, sed exempla. Hoc quod dico, in duas diuidam partes. Primum, vt possit aliquis, vel a prima aetate, contemplationi veritatis totum se tradere, rationem viuendi quaerere, atque exercere secreto. Deinde, emeritis iam stipendiis profligatae aetatis, optimos facere & alios: virginum Vestalium more, quae annis inter officia diuisis discunt facere sacra, & cum didicerunt, docent.

XXIX.

XXX. Haec Stoicis quoque placere ostendam: non quia legem dixerim mihi, nihil contra dictum Zenonis Chrysippive committere: sed quia res ipsa patitur me ire in illorum sententiam: quam si quis semper vnius sequitur, nonne iniuriam infert ceteris?[n] Vtinam quidem iam tenerentur omnia, & inoperta ac confessa veritas esset: nihil ex decretis mutaremus. Nunc veritatem cum eis ipsis qui docent, quaerimus. Duae maxime in hac re dissident sectae, Epicureorum & Stoicorum: sed vtraque ad otium diuersa via mittit. Epicurus ait: Non accedet ad remp. sapiens, nisi si quid interuenerit. Zenon ait: Accedet ad remp. nisi si quid impedierit. Alter otium ex proposito petit, alter ex causa.[o] Causa autem illa late patet: si resp. corruptior est, quàm vt adiuuari possit, si occupata est malis, non nitetur sapiens in superuacuum, nec se nihil profuturus impendet: si parum habebit auctoritatis aut virium: nec illum erit admissura resp. si valetudo illum impediet. Quomodo nauem quassam non deduceret in mare, quomodo nomen in militiam non daret debilis: sic ad iter quod inhabile sciet, non accedet. Potest ergo & ille cui omnia adhuc in integro sunt, antequam vllas experiatur tempestates, in tuto subsistere, & protinus commendare se bonis artibus: & illud beatum otium exigere, virtutum cultor, quae exerceri etiam a quietissimis possunt. Hoc nempe ab homine exigitur, vt prosit hominibus, si fieri potest, multis: si minus, paucis: si minus, proximis: si minus, sibi. Nam cum se vtilem ceteris efficit, commune agit negotium.[p] Quomodo qui se deteriorem facit, non sibi tantummodo nocet, sed etiam omnibus eis, quibus melior factus prodesse potuisset: sic si quis bene de se meretur, hoc ipso aliis prodest, quod illis profuturum parat.

XXXI. Duas respublicas animo complectamur, alteram magnam, & vere publicam, qua dij atque homines continentur, in qua [q] non ad hunc angulum respicimus, aut ad illum, sed terminos ciuitatis nostrae cum sole metimur: alteram, cui nos ascripsit cõditio nascendi. Haec aut Atheniensium erit, [r] aut Carthaginensium, aut alterius alicuius vrbis, quae non ad omnes pertineat homines, sed ad certos. Quidam eodem tempore vtrique reip. dant operam, maiori minorique: quidam tantum minori: quidam tantum maiori.[s] Huic maiori reip. & in otio deseruire possumus. imo vero nescio an in otio melius: vt quaeramus, quid sit virtus, vna pluresve sint: natura an ars bonos viros faciat: vnum sit hoc, [t] quod maria terrasque, & mari ac terris inserta complectitur: an multa Deus corpora eiusmodi sparserit: continua sit omnis & plena materia, ex qua cuncta gignuntur, an diducta & solidis inane permixtum sit: Deus sedens opus suum spectet, an tractet: vtrum ne extrinsecus illi circumfusus sit, an toti inditus: [u] immortalis sit mundus, an inter caduca, & ad tempus nata numerandus. Haec qui contemplatur, quid Deo praestat? Nec tanta eius opera sine teste sint. Solemus dicere, summum bonum esse secundum naturam viuere.[x] Natura nos ad vtrunque genuit, & contemplationi rerum, & actioni. Nunc probemus quod prius diximus.

XXXII. Quid porro, hoc non erit probatum, si se vnusquisque consuluerit, quantam cupiditatem habeat ignota noscendi, quàm ad omnes fabulas excitetur? Nauigant quidam, & labores peregrinationis longissimae vna mercede perpetiuntur, cognoscendi aliquid abditum remotumque. Haec res ad spectacula populos contrahit, haec cogit praeclusa rimari, secretiora exquirere, antiquitates euoluere, mores barbararum audire gentium. Curiosum nobis natura ingenium dedit: & artis sibi ac pulchritudinis suae conscia, spectatores nos tantis rerum spectaculis genuit, perditura fructum sui, si tam magna, tam clara, tam subtiliter ducta, tã nitida, & non vno genere formosa, solitudini ostenderet. Vt scias illã spectari voluisse, non tan-

non tantum aſpici, vide quem nobis locum dederit. In media nos ſui parte conſtituit, & circumſpectum omnium nobis dedit: nec erexit tantummodo hominem, [y] ſed etiam, vt ab ortu ſidera in occaſum labentia proſequi poſſet, [z] & vultum ſuum circumferre cum toto, [a] ſublime fecit illi caput, & collo flexibili impoſuit. Deinde ſena per diem, [b] ſena per noctem ſigna produxit, nullam non partem ſui explicuit: vt per haec quae obtulerat eius oculis, cupiditatem faceret etiam ceterorum. nec enim omnia, nec tanta viſimus, quanta ſunt, ſed acies noſtra aperit ſibi inueſtigando viam, & fundamenta veri iacit, vt inquiſitio tranſeat ex apertis in obſcura, & aliquid ipſo mundo inueniat antiquius: vnde iſta ſidera exierint: quis fuerit vniuerſi ſtatus, antequam ſingula in partes diſcederent: quae ratio merſa & confuſa diduxerit: quis loca rebus aſſignauerit: ſuapte natura grauia deſcederint, euolauerint leuia, [c] an praeter niſum poodusque corporum altior aliqua vis legem ſingulis dixerit: ao illud verum ſit, [d] quo maxime probatur, hominem diuini ſpiritus eſſe partem, ac veluti ſcintillas quaſdam ſacrorum [e] in terras deſiluiſſe, atque alieno loco haeſiſſe. Cogitatio noſtra caeli munimenta perrumpit, nec contenta eſt id quod oſtenditur ſcire. Illud, inquit, ſcrutor, quod vltra mundum iacet, vtrumne profunda vaſtitas ſit, an & hoc ipſum terminis ſuis cludatur: qualis ſit habitus excluſis, informia & confuſa ſint, an in omnem partem tantundem loci obtinentia, an & illa in aliquem cultum diſcripta ſint: huic cohaereant mundo, an looge ab hoc ſeceſſerint, & in vacuo volutentur: indiuidua ſint, per quae ſtruitur omne id quod oatum futurumque eſt, an continua eorum materia ſit, & per totum mutabilis: vtrum contraria inter ſe elementa ſint, an non pugnent, ſed per diuerſa conſpirent. [f] Ad haec quaerenda natus, aeſtima, quàm non multum acceperit temporis, etiam ſi illud totum ſibi vindicet: cui licet nihil facilitate eripi, nihil negligentia patiatur excidere, licet horas ſuas auariſſime ſeruet, & vſque in vltimae aetatis humanae terminos procedat, nec quicquam illi ex eo quod natura conſtituit, fortuna concutiat, tamen homo ad immortalium cognitiooem nimis mortalis eſt. [g] Ergo ſecundum naturam viuo, ſi totum me illi dedo, ſi illius admirator cultorque ſum. At natura vtrumque facere me voluit, & agere, & contemplationi vacare. Vtrunque facio: [h] quoniam ne contemplatio quidem ſine actione eſt. Sed refert, inquis, ao ad hanc voluptatis cauſa acceſſerit, nihil aliud ex illa petens, quàm aſſiduam contemplationem, ſine exitu. †
Eſt enim dulcis, & habet illecebras ſuas. Aduerſus hoc tibi reſpondeo. aeque refert, quo animo ciuilem agas vitam: an vt ſemper inquietus ſis, [i] nec vnquam ſumas vllum tempus, quo ab humanis ad diuina reſpicias. Quomodo res apperere ſine vllo virtutum amore & ſine cultu ingenij, ac nudas edere operas, minime probabile eſt: (miſceri enim inter ſe iſta, & conferri debeot:) ſic imperfectum ac languidum booum eſt, in otium ſine actu proiecta virtus, nunquam id quod didicit oſtendens. Quis negat illum debere profectus ſuos in opere tentare? nec tantum quid faciendum ſit cogitare, ſed etiam aliquando manum exerere, & ea quae meditata ſunt, ad verum perducere? Quid ſi per ipſum ſapientem noo eſt mora, ſi non actor deeſt, ſed agenda deſunt: ecquid illi ſecum eſſe permittes? Quo animo ad otium ſapiens ſecedit? Vt ſciat ſecum quoque ea acturum, per quae poſteris proſit. Nos certe ſumus, qui dicimus, & Zenonem & Chryſippum maiora egiſſe, quàm ſi duxiſſent exercitus, geſſiſſent honores, leges tuliſſent, quas non vni ciuitati, ſed toti humano generi tulerunt. Quid ergo eſt, quare tale otium non conueniat booo viro, per quod futura ſaecula ordinet, nec apud paucos contionetur, ſed apud omnes omnium gentium homines, quique ſunt, quique erunt? Ad ſummam quaero, an ex praeceptis ſuis vixerint Cleanthes & Chryſippus & Zenoo? Non dubie reſpondebis, ſic illos vixiſſe, quemadmodum dixerant eſſe viueodum. Atqui nemo illorum remp. adminiſtrauit. Non fuit illis, inquis, aut ea fortuna, aut dignitas, quae admitti ad publicarum rerum tractationem ſolet. ſed iidem nihilominus oon ſegnem egere vitam. Inuenerunt quemadmodum plus quies illorum hominibus prodeſſet, quàm aliorum diſcurſus & ſudor. Ergo nihilominus hi multum egiſſe viſi ſunt, quamuis nihil publice agerent. [l] Praeterea tria genera ſunt vitae, inter quae, quod ſit optimum, quaeri ſolet. Vnum voluptati vacat, alterum contemplationi, tertium actioni. Primum, depoſita contentione depoſitoque odio, quod implacabile diuerſa ſequentibus indiximus, videamus, ao haec omnia ad idem ſub alio titulo perueniaot. Nec ille qui voluptatem probat, ſine contemplatione eſt: [k] nec ille qui contemplationi inſeruit, ſine voluptate eſt: nec ille cuius vita actioni deſtinata eſt, ſine contemplatione eſt. Plurimum, inquis, diſcriminis eſt, vtrum aliqua res propoſitum, an propoſiti alterius acceſſio ſit. Sane grande diſcrimen. Tamen alterum ſine altero non eſt. Nec ille ſine actione cõtemplatur, oec hic ſine cootẽplatione agit. Nec ille tertius, de quo male exiſti-

mare consueuimus, voluptatem inertem probat,[l] sed eam, quam ratione efficit firmam sibi. Ita & haec ipsa voluptaria secta in actu est. Quid ni in actu sit, quum ipse dicat Epicurus, aliquando se recessurum a voluptate, dolorem etiam appetiturum, si aut voluptati imminebit paenitentia, aut dolor minor pro grauiore sumetur? Quo pertinet hoc dicere? Vt appareat, contemplationem placere omnibus. Alij petunt illam: [m] nobis haec statio est, non portus. [n] Adiice nunc huc, [o] quòd e lege Chrysippi viuere otioso licet. Non dico, vt otium patiatur, sed vt eligat. Negant nostri sapientem ad quamlibet remp. accessurum. Quid autem interest, quomodo sapiens ad otium veniat: vtrum quia resp. illi deest, an quia ipse reipublicae? Si omnibus defutura resp. est, semper autem deerit fastidiose quaerentibus, interrogo ad quam remp. sapiens accessurus sit. Ad Atheniensium, in qua Socrates damnatur, Aristoteles ne damnaretur, fugit? in qua opprimit inuidia virtutes? [p] Negabis mihi accessurum ad hanc remp. sapientem. Ad Carthaginiensium ergo remp. sapiens accedet, in qua assidua seditio, & optimo cuique infesta libertas est, summa aequi ac boni vilitas, aduersus hostes inhumana crudelitas, etiam aduersus suos hostilitas? [q] Et hanc fugiet. Si percensere singulas voluero, nullam inueniam, quae sapientem, aut quam sapiens pati possit. Quòd si non inuenitur illa resp. quam nobis fingimus, incipit omnibus esse otium necessarium: quia quod vnum praeferri poterat otio, nusquam est. Si quis dicit optimum esse nauigare, deinde negat nauigandum in eo mari, in quo naufragia fieri soleant, & frequenter subitae tempestates sint, quae rectorem in contrarium rapiant: puto, hic me vetat nauem soluere, [r] quanquam laudat nauigationem.

M. ANTONII MVRETI AD LIBRVM SENECAE DE VITA BEATA NOTAE.

DE[1] beata vita] *Ita vocant Latini, auctore Cicerone, quam Graeci εὐδαιμονίαν.*

CAP. I. 2 Quantum profligetur:] *Ita veteres libri: & ita plane legendum. Nam scriptor quidem noctium Atticarum non nauci habendus, qui profligandi verbum latine ita accipi negat. Liuius libro* XXI. Sed ita fortassis decuit, cum foederum ruptore duce ac populo deos ipsos sine vlla humana ope committere ac profligare bellum, nos autem, qui secundum eos violati sumus, commissum ac profligatum conficere. *Sed & Tacitus, & Cicero ipse ita saepe accipiunt. Tale est, quod idem grammaticus tradit de verbo* superesse, *libri primi capite* XXII. *Nam eo verbo & Tacitus, & Plinius in epistolis, non paulo vterque melior latinae linguae auctor, quàm hic μειρακιοφεγγιστής, ita saepe vtuntur, vt ipse vtendum negat.*

3 Cum se mobilis fauor circumegit.] *Cum recepit se: cum ad se rediit, & quid egerit, sero iam, re peracta, attentius considerauit.*

II. 4 Discessionum more] *Cum senatusconsulta per discessionem fiunt.*

5 Cum rebus humanis agitur,] *Ita veteres libri: non, vt in vulgatis,* geritur.

6 Quicquid optaui,] *Hoc est quod dicit Iuuenalis:*

Euertere domos totas, optantibus ipsis
Di faciles.

Neque quidquam euenire stultis deterius potest, quàm si eorum vota Deus audiat. vt grauissime disputatur in Alcibiade secundo.

III. 7 Nec longe positum est.] *Quod de vitio Hesiodus dixerat, μάλα δ' ἐγγύθι ναίει, id hic noster ad virtutem elegantissime transtulit.*

V. 8 Et diffusio animi:] *Sic & διάχυσιν ψυχῆς veteres Stoici dicebant. Opponitur ei συστολὴ ψυχῆς, contractio.*

VI. 9 Deinde praeterita respiciat,] *Turpis haec opinio Epicureorum fuit, Sapientem & praesentibus voluptatibus gaudere, & recordantem praeteritarum, & cogitatione praecipientem futuras. Eam eleganter exagitat Cicero libro secundo de finibus.*

10 Vident & illi] *Male in aliis,* Vide autem & in illis. *Sed haec & talia cum praetermittere decreuerim, nescio quomodo me interdum abripi patior.*

VII. 11 Pollinctam] *Vnctam, delibutam. Vetus verbum ab aliis temere eiectum, in meis libris, omnibus litteris scriptum visitur.*

12 Nec

12 Nec quicquam mutauit optima.] *Quod optimum est, mutari non potest. Nam quicquid mutatur, aut ab alio mutatur, aut a semetipso. Optimum non mutatur ab alio. oporteret enim aliquid esse optimo potentius: cum a quocunque externo aliud mutatur, potentius necessario sit eo quod mutatur. Nec a se ipso quidem. mutaretur enim a se in deterius. quod a natura abhorret. Ita disputantur haec a Platone, libro secundo de rep. vbi de immutabilitate Dei disputatur. Idem hic & Seneca dicit: quod qui non intellexerant, aliquot voces minime necessarias interiecerant. Eas vetustis libris auctoribus sustuli.*

13 Ideoque praeceperunt veteres,] *Socratis hoc praeceptum est apud Xenophontem.* VIII.

14 Voluptates praegustare.] προγεύσασθαι. *Ita in vetustis libris meis, multo sine dubio melius &* XI.
elegantius, quàm, vt in aliis, praestare.

15 Et si minus verminatur.] *Liber vetus* ferminatur: *vnde fecerāt,* fera minatur. *Erroris origo* XVII.
omnibus, vt opinor, in promptu est. Sic quodam loco ex veritate *fecerant* feritatem.

16 Crucibus] *Omnes qui tollebantur in crucem, clauis suffigebantur. & quòd latrones, qui cum* XIX.
CHRISTO *domino ac deo nostro in crucem acti sunt, multis locis ita videmus expressos; quasi funibus tantum alligati fuerint, pictorum ac statuariorum error est. Docet id primum verbum ipsum, quo Graeci vtuntur,* προσηλοῦν. *Sed & latino verbo suffigendi idem plane indicatur. Et cum crux Domini tanto sanctißimae feminae studio quaesita ac reperta est, facile statim agnita esset, si ex tribus, quae effossae sunt, in vna tantum vestigia clauorum fuissent. Quomodo autem mortui essent, nisi forte longa fame, si funibus tantum reuincti pependissent? At nunc adactis per singulas manus, ac singulos pedes singulis clauis, & venis, & neruis abruptis, defluente ingenti copia sanguinis, incredibili cruciatu eos intra horas aliquot mori necesse erat. Quod si serius fieret, effringebantur eis crura ad accelerandam mortem. Illud quidem de clauis manifesto ostendunt multa veterum loca. Vt quod hic scribitur a Seneca:* Cum refigere se crucibus conentur, in quas vnusquisque vestrum clauos ipse suos adigit. *Demosthenes* κατὰ Μειδίου: Καὶ ἐφ' αἵματι φεύγει, καὶ μονονοὺ προσηλῶσθαι. *quod Vlpianus ita exponit:* τῷ σταυρῷ προσηλῶσθαι τοῖς ἥλοις. *Horatius:*

> Si quis eum seruum, patinam qui tollere iussus,
> Semesos pisces, tepidumque ligurrierit ius,
> In cruce suffigat. *Non dixit,* religet, *aut* reuinciat: *sed,* suffigat.

Plinius lib. XXVIII. *cap.* IIII. Item in quartanis, fragmentum claui a cruce, inuolutum lana, collo subnectunt. *Plutarchus:* ἀλλ' εἰς σταυρὸν καθηλώσεις, ἢ σκόλοπι πήξεις. *Appuleius:* Hic nares & digiti: illic carnosi claui pendentium. *Sed plura congerere, nihil necesse est.*

17 Crederem illis, nisi quidam] *Vetus librarius scripserat:* crederem illis hoc, nisi quidam. *deinde cum animaduertisset, vocem* hoc *redundare, adscripserat minutiori charactere,* vacat. *delere enim, etiam si quid perperam scripserant, non solebant: ne libros suos minus venales facerent. At secuti alij, geminato errore, non id quod vacabat sustulerunt: sed vtroque recepto, scripserunt,* crederem illis hoc vacare. *Leuiculum hoc est, fateor. sed quia saepe in eo genere peccatum est, semel monere, non alienum esse duxi.*

18 Non ne habeat, sed ne sollicitus habeat.] *Hoc est, quod Plutarchus ait, fortunae dicturum* XXI.
esse sapientem:

> Ἡδὺ μὲν αἴ τι φέρῃς, ὀλίγον δ' ἄχος, ἤν ἀπολείπῃς.

19 Paucae argenti lamellae,] *Ita vetus liber. Videtur autem respexisse ad illud Ouidij:*

> Et leuis argenti lamina crimen erat.

20 Ingemescat,] *Ne quis putet librariorum erratum esse: ita est in libro Siculo, & saepe in vete-* XXIII.
ribus libris memini legere gemesco, tremesco, *& talia, per secundam vocalem, non per tertiam. Sed quid negligemus, si haec iam non negligimus?*

21 Infruniti.] *De hac voce dixi in superioribus.*

22 Ad togatos] *Ad eos qui limina potentiorum obseruant, vt eos salutent, deducant, ac re-* XXIIII.
ducant.

23 Iustae libertatis, an inter amicos datae,] *Iustam libertatem vocat plenam, vt eorum qui vindicta liberabantur. at inter amicos liberati, Latini tantum fiebant.*

24 Praetextatus & Canusinatus,] *Ita scriptum est in libro Siculo, melius, vt puto, quàm, vt an-* XXV.
tea legebatur, candidatus. *Sed vocis insolentia factum est, vt moueretur loco. Canusinae lanae in optimis & pulcherrimis erant. Plinius libro* VIII. *cap.* XLVIII. Circa Tarentum Canusiumque summam nobilitatem habent. *Athenaeus libro tertio,* κλάειης σοι τῆς ἡμέρας ὁ καλὸς κανυσιτὸς ὑπὸ λωποδυτῶν ἀναρπασθῇ. *Canusinatus igitur est molli & delicata veste indutus, quales e lana Canusina contexebantur.*

25 Quàm nudis ſcapulis.] *Libri veteres,* quàm nudis ſcapulis aferentibus. *puto legendum,* ac foetentibus. *Ob ſqualorem videlicet & illuuiem. At alij ex illo* aferentibus, *fecerunt* vt ſententiae, *non ſane εὐστόχως.*

26 Me hominem maxime cogitabo, cum diis vndique conſultabo.] *Sic alij. At quanto melius, quod a me ex libro Siculo erutum eſt?* Me hominem eſſe tum maxime cogitabo, cum deus vndique conſalutabor. *Haec emendare ſatis erat: oſtentare nihil neceſſe erat. Sed me amicorum quorundam ſtudia ingenio meo indulgere non ſinunt.*

XXVI. 27 Fauere linguis.] *σῖγα πᾶς ἔστω λεώς. εὐφημεῖν χρή. Ita hoc Graeci. & locus mihi diligenter notandus videtur.*

XXVII. 28 Papulas] *In quibuſdam veteribus libris,* puſulas: *quod & ipſum recte legi poteſt.*

29 Ipſi obſiti] *Liber Siculus,* ibſi obſiti. *Alij putarunt,* ibſi obſi, *per errorem a librariis ſcriptum.*

XXVIII. 30 Circi nobis] *Alij,* cur nobis. *Sed illud verius, & veterum librorum auctoritate nititur. Saepe autem dicit ludos circenſes, aliaque eius generis ſpectacula, multorum vitiorum fomitem eſſe. Ego autem quae ab hoc loco vſque ad finem huius libri ſcripta ſunt, puto aliunde aſſuta eſſe: & pertinere ad librum aliquem, quo quaereretur, deberet ne ſapiens ad remp. accedere. Ea re fit, vt quibuſdam inſulſis hominibus Senecae ſcripta parum interdum inter ſe cohaerere videantur. Non Ariſtotelis ſcripta, in quo omnia alia ex aliis apta & connexa ſunt, inter ſe cohaeſerint, ſi quis ad hunc modum ea dilaniauerit.*

XXXII. 31 Praeterea tria genera ſunt vitae,] *Ariſtoteleum eſt e primo Ethicorum ad Nicomachum.*

L. ANNAEI

L. ANNAEI SENECAE AD SERENVM DE TRANQVILLITATE ANIMI

LIBER VNVS.

[a] NQVIRENTI mihi in me, quaedam vitia apparebant retecta, in aperto posita, [a] quae manu prenderem, quaedam obscuriora & in recessu, quaedam non continua, sed ex interuallis redeuntia: quae vel molestissima dixerim, vt hostes vagos, & ex occasionibus assilientes, per quos neutrum licet, nec tanquam in bello paratum esse, nec tanquam in pace securum. Illum tamen habitum in me maxime deprehendo (quare enim non verum vt medico fatear?) me nec bona fide liberatum iis quae timebam & oderam, nec tursus obnoxium. In statu vt non pessimo, ita maxime querulo & moroso positus sum. Nec aegroto, nec valeo. Non est quod dicas, omnium virtutum tenera esse principia, tempore ipsis duramentum & robur accedere. Nō ignoro, etiam quae in speciem laborant, dignitatem dico, & eloquentiae famam, & quicquid ad alienum suffragium venit, mora conualescere. Et quae veras vires parant, & quae ad placendum fuco quodam subornantur, expectant annos, donec paulatim colorem diuturnitas ducat. Sed ego vereor, ne consuetudo, quae rebus affert constantiam, hoc vitium in me altius figat. Tam bonorum quàm malorum [1] longa conuersatio amorem inducit. Haec animi inter vtrunque dubij, nec ad recta fortiter, nec ad praua vergentis infirmitas qualis sit, non tam semel tibi possum, quā per partes ostendere. Dicam quae accidant mihi: tu morbo nomē inuenies. Tenet me summus amor parsimoniae, fateor. Placet non in ambitionem cubile compositum, non ex arcula prolata vestis, non ponderibus aut tormentis splendere cogentibus pressa: sed domestica, & vilis: nec seruata, nec sumenda sollicite. Placet cibus, [b] quem nec parent familiae, nec spectent, [c] non ante multos paratus dies, nec multorum manibus ministratus: sed [c] parabilis facilisque, [d] nihil habens accersiti pretio: sed vbilibet non defuturus, nec patrimonio grauis, nec corpori, nec rediturus qua intrauerat. Placet minister incultus & rudis vernula, argentum graue rustici patris, [e] sine vllo opere & nomine artificis: & mensa non varietate macularum conspicua, nec per multas elegantium dominorum successiones ciuitati nota: sed in vsum posita, quae nullius conuiuae oculos nec voluptate moretur, nec accendat inuidia. [f] Cum bene ista placuerunt, praestringit animum apparatus alicuius paedagogij, [f] diligentius quàm iam intra priuatum larem vestita & auro culta mancipia, & agmen seruorum nitentium. [g] Iam domus etiam qua calcatur pretiosa, & diuitiis per omnes angulos dissipatis, tecta ipsa fulgentia, [h] & assectator comesque patrimoniorum pereuntium populus. Quid perlucentes ad imum aquas, & circumfluentes ipsa conuiuia, quid epulas loquar, scaena sua dignas? Circumfudit me ex longo frugalitatis situ venientem, multo splendore luxuria, & vndique circumsonuit. Paulum titubat acies: facilius aduersus illam animum quàm oculos attollo. Recedo itaque non peior, sed tristior. [e] Nec inter illa friuola mea tam laetus incedo, [? i] tacitusque morsus subit, & dubitatio, nunquid illa meliora sint. nihil horum me mutar, nihil tamen non concutit. Placet vim praeceptorum sequi, & in mediam ire Rempublicam. Placet honores fascesque, [g] nō purpura [h] aut aureis virgis adductum capessere, sed vt amicis propinquisque, & omnibus ciuibus, omnibus deinde mortalibus paratior, vtiliorque sim, [l] propius positus. Sequor Zenonem, Cleanthem, Chrysippum: quorum tamē nemo ad Rempub. accessit, [m] nemo non misit. Ad quam cum animum insolitum arietare permisi, vbi aliquid occurrit, aut indignum (vt in omni vita humana multa sunt) aut parum ex facili fluens, aut multum temporis res non magno aestimandae poposcerunt, ad otium conuertor: & quemadmodum pecoribus fatigatis quoque velocior domum gradus est. Placet intra parietes suos vitam coercere. Nemo vllum auferat diem, nihil dignum tanto impendio redditurus. sibi ipse animus haereat, se colat, nihil alieni agat, nihil quod ad iudicem spectet. Ametur expers publicae priuataeque curae tranquillitas. Sed vbi lectio fortior erexit animum, & aculeos subdiderunt exempla nobilia: prosilire libet in forum: commodare alteri vocem, alteri operam, etsi nihil profuturam, tamen conaturam prodesse: [n] alterius coercere in foro superbiam, male secundis rebus elati. In studiis puto mehercule melius esse res ipsas intueri, & harum causa loqui: ceterum verba rebus permittere, vt qua duxerint, hac

CAP. I.

inelaborata sequatur oratio. Quid opus est saeculis duratura componere? Vis tu non id agere, ne te posteri taceant? Morti natus es: minus molestiarum habet funus tacitum. Itaque occupandi temporis causa, in vsum tuum, non in praeconium aliquid simplici stilo scribe. Minore labore opus est studentibus in diem. Rursus vbi se animus [o] cogitationis magnitudine leuauit, ambitiosus in verba est, [p] altiusque vt spirare, ita eloqui gestit, [q] & ad dignitatē rerum exsurgit oratio: [r] oblitus tum legis pressiorisque iudicij, sublimis feror, & ore iam nō meo. Ne singula diutius persequar, in omnibus rebus haec me sequitur bonae mentis infirmitas, cui ne paulatim defluam vereor, aut quod est solicitius, ne semper casuro similis pendeam, & plus fortasse sit, quàm quod ipse prouideo. Familiariter enim domestica aspicimus, & semper iudicio fauor officit. Puto multos potuisse ad sapientiam peruenire, nisi putassent se peruenisse: nisi quaedam in se dissimulassent, quaedam apertis oculis transiliussent. Non est enim quòd nos magis aliena iudices adulatione perire, quàm nostra. Quis sibi verum dicere ausus est? Quis non inter laudantium blandientiumque positus greges, plurimum tamen sibi ipse assentatus est? Rogo itaque, si quod habes remedium, quo hanc fluctuationem meā sistas, dignum putes me, qui tibi tranquillitatem debeam. Nō esse periculosos motus animi, nec quicquam tumultuosi afferentis scio. Vt vera tibi similitudine id de quo queror exprimam, non tempestate vexor, sed nausea. Detrahe ergo quicquid hoc est mali, & succurre in conspectu terrarum laboranti.

11. [s] Quaero mehercule iamdudum, Serene, ipse tacitus, cui talem affectum animi similem putem. [t] Nec vllius propius admoneor exemplo, quàm eorum qui ex longa & graui valetudine expliciti, motiunculis, leuibusque interim offensis perstringuntur, & cum reliquias effugerint, suspicionibus tamen inquietantur, medicisque iam sani manum porrigunt, & omnem calorem corporis sui calumniantur. Horū, Serene, [t] non parum sanum est corpus, sed sanitati parum assueuit: sicut est quidam tremor etiam tranquilli maris, aut lacus, cum ex tempestate requieuit. Opus est itaque non illis durioribus, quae etiam transcurrimus, vt alicubi obstes tibi, alicubi irascaris, [u] alicubi instes grauius, sed illud quod vltimum venit, vt fidem tibi habeas, & recta ire via te credas, nihil auocatus trāsuersis multorum vestigijs passim discurrentium, & quorundam circa ipsam errantium viam. Quod desideras autem, magnū & summum est, Deoque vicinum, non concuti. Hanc stabilem animi sedem, Graeci εὐθυμίαν vocant, de qua Democriti volumen egregium est: [x] ego tranquillitatem voco. nec enim imitari & transferre verba ad illorum formam necesse est. Res ipsa de qua agitur, aliquo signanda nomine est, quod appellationis Graecae vim debet habere, nō faciem. Ergo quaerimus, quomodo animus semper aequalis, secundoque cursu eat, propitiusque sibi sit, & sua laetus aspiciat, & hoc gaudium non interrumpat, sed placido statu maneat, nec attollens se vnquā, nec deprimens. Id tranquillitas erit. Quomodo ad hāc perueniri possit, in vniuersum quaeramus. Sumes tu ex publico remedio quantum voles. Totum interim vitium in mediū protrahendum est, ex quo agnoscet quisque partem suam. Simul tu intelliges, quāto minus negotij habeas cum fastidio tui, quàm hi quos ad professionem speciosam alligatos, & sub ingenti titulo laborantes, in sua simulatione pudor magis quàm voluntas tenet. Omnes in eadem causa sunt, & hi qui leuitate vexātur, ac taedio, assiduaque mutatione propositi, quibus semper magis placet quod reliquerunt, [y] & illi qui marcent & oscitant. Adiice illos, qui non aliter [z] quàm quibus difficilis somnus est, versant se, & hoc atque illo modo componunt, donec quietē lassitudine inueniant: statum vitae suae formando subinde, in eo nouissime manent, in quo illos non mutandi odium, sed senectus ad nouandum pigra deprehendit. Adiice & illos, [a] qui non inconstantiae vitio parum leues sunt, sed inertia. Viuunt, non quomodo volunt, sed quomodo coeperunt. Innumerabiles deinceps proprietates sunt, sed vnus effectus vitij, displicere sibi. [b] Hoc oritur ab intemperie animi, & cupiditatibus timidis, aut parum prosperis, vbi aut non audent, quantum concupiscunt, aut non consequūtur, & in spem toti prominent, semper instabiles mobilesque. Quod necesse est accidere pendentibus. Omni vita pendēt, & inhonesta se ac difficilia docent, coguntq;: & vbi sine praemio labor est, torquet illos irritum dedecus, [c] & dolent se praua frustra voluisse. Tunc illos & paenitentia coepti tenet, & incipiendi timor, surrepitque illa iactatio animi, nō inuenientis exitum, quia nec cupiditatibus suis imperare, nec obsequi possunt: & cunctatio vitae parum se explicantis, & inter destituta vota torpentis animi situs. Quae omnia grauiora sunt, vbi odio infelicitatis operosae ad otium profugerunt, [d] & ad secreta studia: quae pati non potest animus ad ciuilia erectus, agendique cupidus, & natura inquietus, parum scilicet in se solatiorum habens: ideoque detractis oblectationibus, quas ipsae occupationes discurrentibus praebent, domum, solitudinem, parietes non fert, inuitus aspicit se sibi relictum. Hinc illud est taediū,

&

& diſplicentia ſui, & nuſquam reſidentis animi volutatio, & otij ſui triſtis atque aegra patientia: vtique vbi cauſas fateri pudet, tormenta introrſus egit verecundia, in anguſto incluſae cupiditates ſine exitu [e] ſe ipſae ſtrāgulant. Inde maeror marcorque, [f] & mille fluctus mētis incertae, quam inchoata habent ſuſpenſam, deplorata triſtem: inde ille affectus otium ſuum deteſtantium, querentiumque nihil ipſos habere quod agant, & alienis incrementis inimiciſſima inuidia. Alit enim liuorem infelix inertia: & omnes deſtrui cupiunt, quia ſe nō potuerunt prouehere: [g] & ex hac deinde auerſatione alienorum proceſſuum, & ſuorum deſperatione, obiraſcens fortunae animus, & de ſaeculo querens, & in angulos ſe retrahens, & poenae incubans ſuae, dum taedet ſui, pigetque. Natura enim humanus animus agilis eſt, & pronus ad motus. Grata omnis illi excitandi ſe materia eſt, [h] gratior quibuſque peſſimis ingeniis, quae occupationibus libenter deteruntur. Vt vlcera quaedam nocituras manus appetunt, & tactu gaudent, & feram corporum ſcabiem delectat, quicquid exaſperat: non aliter dixerim his mentibus, in quas cupiditates velut mala vlcera eruperunt, voluptati eſſe laborem vexationemque. Sunt enim quaedam, quae corpus quoque noſtrum cum quodam dolore delectant: vt verſare ſe, [i] & mutare nondum feſſum latus, & alio atque alio poſitum ventilari. Qualis ille [io] Homericus Achilles eſt, modo pronus, modo ſupinus, in varios habitus ſe ipſe componens. Quod proprium aegri eſt, nihil diu pati, & mutationibus vt remediis vti. Inde peregrinationes ſuſcipiuntur vagae, & littora pererrantur, & modo mari ſe, modo terra experitur ſemper praeſentibus infeſta leuitas. Nunc Campaniam petamus. Iam delicata faſtidio ſunt: inculta videantur. Bruttios & Lucanos ſaltus perſequamur. Aliquid tamen inter deſerta amoeni requiratur, in quo luxurioſi oculi longo locorum horrentium ſqualore releuentur. Tarentum petatur, laudatuſque portus, & hiberna caeli mitioris, [k] & recta vel antiquae ſatis opulenta turbae. Iam flectamus curſum ad vrbem. nimis diu a plauſu & fragore aures vacauerunt. Iuuat iam & humano ſanguine frui. [l] Aliud ex alio ſuſcipitur, & ſpectacula ſpectaculis mutantur: vt ait Lucretius,

Hoc ſe quiſque modo ſemper fugit.

Sed quid prodeſt, ſi non effugit? ſequitur ſe ipſe, & vrget grauiſſimus comes. [m] Itaque ſcire debemus, non locorum vitium eſſe quo laboramus, ſed noſtrum. Infirmi ſumus ad omne tolerandum, nec laboris patientes, nec voluptatis, nec noſtrae, nec vllius rei diutius. Hoc quoſdam egit ad mortem, quòd propoſita ſaepe mutando, in eadem reuoluebantur, & non reliquerant nouitati locum. Faſtidio illis eſſe coepit vita & ipſe mundus, & ſubit illud rabidarū deliciarum: Quouſque eadem? Aduerſus hoc taedium quo auxilio putem vtendum, quaeris. Optimum erat (vt ait Athenodorus) actione rerum & Reip. tractatione, & officiis ciuilibus ſe detinere. Nam vt quidam ſole & exercitatione [n] & cura corporis diem ducunt, athletiſque vtiliſſimum eſt, lacertos ſuos, roburque cui ſe vni dicauerunt, maiore temporis parte nutrire: ita nobis animum [o] ad rerum ciuilium certamen parantibus, in opere eſſe lōge pulcherrimum eſt. Nam cum vtilem ſe efficere ciuibus mortalibuſque propoſitum habeat, ſimul & exercetur & proficit, qui in mediis ſe officiis poſuit, communia priuataq; pro facultate adminiſtrans. Sed quia in hac, inquit, tam inſana hominum ambitione, tot calumniatoribus in deterius recta torquentibus parum tuta ſimplicitas eſt, & plus futurū ſemper eſt quod obſtet, quàm quod ſuccedat, a foro quidem & publico recedendum eſt: ſed habet, vbi ſe etiam in priuato lare explicet magnus animus. Nec vt leonum animaliumque impetus caueis coercetur: ſic hominum, quorum maxime in ſeductu actiones ſunt. [p] Ita tamen delituerit, vt vbicunque otium ſuūm abſconderit, prodeſſe velit & ſingulis & vniuerſis, ingenio, voce, conſilio. Nec enim is ſolus Reip. prodeſt, qui candidatos extrahit, & tuetur reos, & de pace belloque cenſet: ſed qui iuuentutem exhortatur, qui in tanta bonorum praeceptorum inopia [q] virtute inſtruit animos, qui ad pecuniam luxuriamque curſu ruentes prenſat ac retrahit, & ſi nihil aliud, certe moratur, in priuato publicum negotium agit. An ille plus praeſtat, [r] qui inter peregrinos & ciues, aut vrbanus praetor adeuntibus aſſeſſoris verba pronuntiat, [s] quàm qui docet quid ſit iuſtitia, quid pietas, quid ſapientia, quid fortitudo, quid mortis contemptus, quid deorum intellectus, quantum bonum ſit bona conſcientia? Ergo ſi tēpus in ſtudia conferas, [t] quod ſubduxeris officiis, non deſerueris, nec munus detractaueris. Neque enim ille ſolus militat, qui in acie ſtat, & cornu dextrum laeuumque defendit: ſed & qui portas tuetur, & ſtatione minus periculoſa, non otioſa tamen, fungitur, vigiliaſque ſeruat, & armamentario praeeſt. Quae miniſteria quamuis incruenta ſint, in numerum ſtipendiorum veniunt. Si te ad ſtudia reuocaueris, omne vitae faſtidium effugeris: nec noctem fieri optabis taedio lucis, nec tibi grauis eris, nec aliis ſuperuacuus: multos in amicitiam attrahes, affluetque ad te optimus quiſque. Nunquam enim quamuis obſcura virtus latet, ſed

mittit sui signa. Quisquis dignus fuerit, vestigiis illam colliget. Nam si omnem conuersationem tollimus, & generi humano renuntiamus, viuimusque in nos tantum conuersi, sequitur hanc solitudinem, omni studio carentem, inopia rerum agendarũ. Incipiemus aedificia alia ponere, alia subuertere, & mare submouere, & aquas [u] contra difficultates locorum ducere, & male dispensare tempus, [x] quod nobis natura consumendum dedit. Alij parce illo vtimur, alij prodige: alij sic impendimus, vt possimus rationem reddere: alij, vt nullas habeamus reliquias. [y] Quare nihil turpius est, quàm grandis natu senex, qui nullum aliud habet argumentum, quo se probet diu vixisse, praeter aetatem. Mihi, carissime Serene, nimis videtur submisisse temporibus se Athenodorus, nimis cito refugisse. Nec ego negauerim aliquando cedendum, sed sensim relato gradu, & saluis signis, salua militari dignitate. Sanctiores tutioresque sunt hostibus suis, qui in fidem cũ armis veniunt. Hoc puto virtuti faciendum, studiosoque virtutis, si praeualebit fortuna, & praecidet agendi facultatem, non statim auersus inermisque fugiat, latebras quaerens, quasi vllus locus sit, quo non possit fortuna persequi. [z] Sed parcius se inserat officiis, & cum dilectu inueniat aliquid, in quo vtilis ciuitati sit. Militare non licet? honores spectet. priuato viuendum est? sit orator. silentium indictum est? tacita aduocatione ciues iuuet. periculosum etiam ingressu forum est? in domibus, in spectaculis, in conuiuiis, bonum contubernalem, amicum fidelem, temperantem conuiuam agat. [a] Officia si ciuis amiserit, hominis exerceat. Ideo magno animo nos non vnius vrbis moenibus clusimus, sed in totius orbis commercium emisimus; patriamque nobis mundum professi sumus: vt liceret latiorem virtuti campum dare. Praeclusum tibi tribunal est, & rostris prohiberis, aut comitiis? respice post te, quantum latissimarum regionum pateat, quantum populorum. Numquam tibi ita magna pars obstruetur, vt non maior relinquatur. Sed vide, ne totum istud vitiũ tuum sit. Non vis enim nisi consul, aut prytanes, aut ceryx, aut sufes administrare Remp. Quid si militare nolis, nisi imperator aut tribunus? etiam si alij primã frontem tenebunt: [b] te sors inter triarios posuit: inde voce, adhortatione, exemplo, animo milita. Praecisis quoq; manibus ille in proelio inuenit, quod partibus conferat, qui stat tantum, & clamore iuuat. Tale quiddam facies, si a prima te Reip. parte fortuna submouerit: [c] stes tamen, clamore iuues: si quis fauces oppresserit, stes tamen, & silentio iuues. Nunquam inutilis est opera ciuis boni. Auditu enim, visu, vultu, nutu, obstinatione tacita, incessuq; ipso prodest. Vt salutaria quaedam citra gustum tactumque odore proficiunt: ita virtus vtilitatem etiam ex longinquo & latens fundit, [d] siue spargitur & se vtitur, suo iure, siue precarios habet excessus, cogiturque vela contrahere, siue otiosa mutaque est, & angusto circumscripta, siue adaperta: [e] in quocunque habitu est, prodest. Quid? tu parum vtile putas exemplum bene quiescentis? [f] Longe, inquam, optimum est miscere otium rebus, quotiens actuosa vita impedimentis fortuitis, aut ciuitatis condicione prohibetur. Nũquam enim vsque eo interclusa sunt omnia, [g] vt nulli actioni honestae locus sit. Nunquid potes inuenire vrbem miseriorem, quàm Atheniensium fuit, cum illam triginta tyranni diuellerent? mille trecentos ciues, optimum quemque, occiderant. Nec finem ideo faciebat, sed irritabat se ipsa saeuitia. In qua ciuitate erat ariopagos, religiosissimum iudicium, in qua senatus populusque senatui similis coibat, quotidie carnificum triste collegiũ, & infelix curia tyrannis angusta. Poteratne illa ciuitas conquiescere, [h] in qua tot tyranni, tot satellites erant? Ne spes quidem vlla recipiendae libertatis animis poterat offerri: nec vlli remedio locus apparebat, contra tantam vim malorum. Vnde enim miserae ciuitati tot Harmodios? Socrates tamen in medio erat, & lugentes patres consolabatur, & desperantes de Rep. exhortabatur, [i] & diuitibus opes suas metuentibus exprobrabat seram periculosae auaritiae paenitentiam; & imitari volentibus magnum circumferebat exemplar, cum inter triginta dominos liber incederet. Hunc tamen Athenae ipsae in carcere occiderunt: & qui tuto insultauerat agmini tyrannorũ, eius libertatem libera ciuitas non tulit: vt scias & in afflicta Rep. esse occasionem sapienti viro ad se proferendum, [k] & in florenti ac beata, impotentiam, inuidiam, mille alia vitia inermia regnare. Vtcunque ergo se Resp. dabit, vtcunque fortuna permittet, ita aut explicabimus nos, aut contrahemus. Vtique mouebimus, nec alligati metu torpebimus. Immo ille vir fuerit, qui periculis vndique imminentibus, armis & cathenis circumfrementibus, nõ alliserit virtutem, nec absconderit. Non est enim seruare se, obruere. Vt opinor, Curius Dentatus aiebat, " [l] malle esse se quàm viuere mortuum. Vltimum malorum est, [m] ex viuorum numero exire, antequam moriaris: sed faciendum erit, si in Reip. tempus minus tractabile incideris, vt plus otio ac litteris vindices: [n] nec aliter quàm in periculosa nauigatione subinde portum
IIII. petas: nec expectes donec res te dimittant, sed ab illis te ipse diiungas. Inspicere autem debemus primum nosmetipsos, deinde quae aggredimur negotia, [o] deinde eos quorum causa,

causa, aut cum quibus agendum est. Ante omnia necesse est seipsum aestimare: quia fere
plus nobis videmur posse quàm possumus. Alius eloquentiae fiducia prolabitur, alius pa-
trimonio suo plus imperauit, quàm ferre possit: alius infirmum corpus [p] laborioso oppres-
sit officio. Quorundam parum idonea est verecundia rebus ciuilibus, quae firmam fron-
tem desiderant: quorundam contumacia non facit ad aulam. Quidam non habent iram
in potestate: & illos ad temeraria verba quaelibet indignatio effert. Quidam vrbanitatem
nesciunt continere, nec periculosis abstinent salibus. Omnibus his vtilior negotio quies
est. Ferox impatiensque natura, [q] irritamenta nociturae libertatis euitet. Aestimanda V.
sunt deinde ipsa quae aggredimur, & vires nostrae cum rebus quas tentaturi sumus, com-
parandae. Debet enim semper plus esse virium [r] in latore, quàm in onere. [s] Necesse est op-
primant onera, quae ferente maiora sunt. Quaedam praeterea non tam magna sunt nego-
tia, quàm foecunda, multumque negotiorum ferunt. Et haec refugienda sunt, ex quibus
noua occupatio multiplexque nascetur. Nec accedendum eo vnde liber regressus non sit.
His admouenda manus est, quorum finem aut facere, aut sperare possis. Relinquenda quae
latius actu procedunt, nec vbi proposueris, desinunt. [t] Hominum vtique delectus ha- VI.
bendus est, an digni sint, quibus partem vitae nostrae impendamus, an ad illos temporis no-
stri iactura perueniat. Quidam vltro officia nostra nobis imputant. Athenodorus ait, ne
ad coenam quidem se iturum ad eum, qui sibi nil pro hoc debiturus sit. Puto intelligis, mul-
to minus ad eos iturum, [u] qui cum amicorum officiis paria in mensa faciunt, qui fercula pro
congiariis numerant: quasi in alienum honorem intemperantes sint. [x] Deme illis testes
spectatoresque, non delectabit popina secreta. Considerandum est, vtrum natura tua a-
gendis rebus, [y] an otioso studio contemplationique aptior sit: & eo inclinandum, quo te
vis ingenij defert. Isocrates Ephorum iniecta manu a foro subduxit, vtiliorem componen-
dis monumentis histotiarum ratus. Male enim respondent coacta ingenia. reluctante natu-
ra irritus labor est. Nihil tamen aeque oblectauerit animum, quàm amicitia fidelis. VII.
Quantum bonum est, vbi sunt praeparata pectora, in quae tuto secretum omne descendat,
quorum conscientiam minus quàm tuam timeas, quorum sermo solicitudinem leniat, sen-
tentia consilium expediat, hilaritas tristitiam dissipet, conspectus ipse delectet? Quos sci-
licet vacuos, quantum fieri poterit, a cupiditatibus, eligemus. Serpunt enim vitia, & in
proximum quemque transiliunt, & contactu nocent. Itaque vt in pestilentia cauendum
est, ne corruptis iam corporibus & morbo flagrantibus assideamus, quia pericula trahe-
mus, [z] afflatuque ipso laborabimus: ita in amicorum legendis ingeniis dabimus operam,
vt quamminime inquinatos assumamus. Initium morbi est, aegris sana miscere. Nec hoc
praeceperim tibi, vt neminem nisi sapientem sequaris, aut attrahas. [a] Vbi enim istum inue-
nies, quem tot saeculis quaerimus? Pro optimo est minime malus. Vix tibi esset facultas de-
lectus felicioris, si inter Platonas & Xenophontas, & illum Socratici foetus prouentum bo-
nos quaereres, aut si tibi potestas Catonianae fieret aetatis, quae plerosque dignos tulit, qui
Catonis saeculo nascerentur, sicut multos peiores, quàm vnquam alias, maximorumque
molitores scelerum. Vtraque enim turba opus erat, vt Cato posset intelligi. habere debuit
& bonos, quibus se approbaret: & malos, in quibus vim suam experiretur. Nunc vero in
tanta bonorum egestate, minus fastidiosa fiat electio. Praecipue tamen vitentur tristes, &
omnia deplorantes, quibus nulla non causa in querelas placet. Constet illi licet fides & be-
neuolentia, tranquillitati tamen inimicus est comes perturbatus, & omnia gemens.
Transeamus ad patrimonia, maximam humanarum aerumnarum materiam. Nam si o- VIII.
mnia alia quibus angimur, compares, mortes, aegrotationes, metus, desideria, dolorum la-
borumque patientiam, cum iis quae nobis mala pecunia nostra exhibet; haec pars multum
praegrauabit. Itaque cogitandum est, quanto leuior dolor sit, non habere, quàm perdere: &
intelligemus, paupertati eo minorem tormentorum, quo minorem damnorum esse mate-
riam. Erras enim, si putas animosius detrimenta diuites ferre. Maximis minimisque corpo-
ribus par est dolor vulneris. Bion eleganter ait, Non minus molestum esse comatis quàm
caluis, pilos velli. Idem scias licet de pauperibus locupletibusque, par illis esse tormentum.
[b] Vtrisque enim pecunia sua adhaesit, nec sine sensu auelli potest. Tolerabilius autem est, vt
dixi, faciliusque, non acquirere, quàm amittere. Ideoque laetiores videbis quos nunquam
fortuna respexit, quàm quos deseruit. Vidit hoc Diogenes, vir ingentis animi, & effecit ne
quid sibi eripi posset. Tu istud paupertatem, inopiam, egestatem voca, & quàm voles igno-
miniosum securitati nomen impone. Putabo hunc non esse felicem, si quem mihi alium in-
ueneris, cui nihil pereat. Aut ego fallor, aut regnum est, inter auaros, circumscriptores, latro-
nes, plagiarios, vnum esse, cui noceri non possit. Si quis de felicitate Diogenis dubitat, [c] po-

test idem dubitare & de deorum immortalium statu, an parum beate degant, quòd illis nõ praedia, nec horti sint, nec alieno colono rura pretiosa, nec grande in foro foenus. [d] Non te pudet, quisquis diuitiis adstupes? Respice agedum mundum: nudos videbis deos, omnia dantes, nihil habentes. Hunc tu pauperem putas, an diis immortalibus similem, qui se fortuitis omnibus exuit? Feliciorem tu Demetrium Pompeianum vocas, quem non puduit locupletiorem esse Pompeio? Numerus illi quotidie seruorum, velut imperatori exercitus, • referebatur, cui iamdudum diuitiae esse debuerant, duo vicarij, & cella laxior. At Diogeni seruus vnicus fugit, nec eum reducere, cum monstraretur, tanti putauit. Turpe est, inquit, Manen sine Diogene posse viuere, Diogenem sine Mane non posse. Videtur mihi dixisse: Age tuum negotium fortuna. [e] nihil apud Diogenem iam tuum est. Fugit mihi seruus. immo liber abiit. Familia vestiarium petit, victumque. Tot ventres auidissimorum animaliũ tuendi sunt. Emenda vestis, & custodiendae rapacissimae manus, & flentium detestantiumque ministeriis vtendum. Quanto ille felicior, qui nihil vlli debet, nisi, cui facillime negat, sibi. Sed quoniam non est tantum roboris nobis, angustanda certe sunt patrimonia, vt minus ad iniurias fortunae simus expositi. [f] Habiliora sunt corpora pusilla, quae in arma sua contrahi possunt, quàm quae superfunduntur, & vndique magnitudo sua vulneribus obiecit. Optimus pecuniae modus est, qui nec in paupertatem cadit, nec procul a paupertate disce-

IX. dit. [g] Placebit autem haec nobis mensura, si prius parsimonia placuerit: sine qua nec vllae opes sufficiunt, nec vllae satis patent: praesertim cum in vicino remedium sit, & possit ipsa paupertas in diuitias se, aduocata frugalitate, conuertere. Assuescamus a nobis remouere pompam, [h] & vsu rerum ornamenta metiri. Cibus famem domet, potio sitim, [i] libido qua necesse est fluat. [k] Discamus membris nostris inniti: cultum victumque non ad noua exempla componere, sed vt maiorum suadent mores. Discamus continentiam augere, luxuriam coercere, gulam temperare, iracundiam lenire, paupertatem aequis oculis aspicere, frugalitatem colere, [l] etiam si nos pudebit desideriis naturalibus paruo parata remedia adhibere, spes effraenatas, & animum in futura eminentem velut sub vinculis habere, id agere, vt diuitias a nobis potius quàm a fortuna petamus. Non potest, inquam, tanta varietas & iniquitas casuum ita depelli, vt non multum procellarum irruat magna armamenta pandentibus: cogendae in arctum res sunt, vt tela in vanum cadant. Ideoque exilia interdum calamitatesque in remedium cessere, & leuioribus incommodis grauiora sanata sunt, vbi parum audit praecepta animus, [m] nec curari mollibus potest. [n] Quid ni consulitur? si & † paupertas & ignominiosa rerum euersio adhibetur: malo malum opponitur. Assuescamus ergo coenare posse sine populo, & seruis paucioribus seruiri, & vestes parare in quod inuentae sunt, habitare contractius. Non in cursu tantum circique certamine, [o] sed in his spatiis vitae [12] interius flectendum est. [p] Studiorum quoque, quae liberalissima impensa est, tamdiu rationem habebo, quamdiu modum. Quo mihi innumerabiles libros & bibliothecas, quarum dominus vix tota vita sua indices perlegit? Onerat discentem turba, non instruit: multoque satius est paucis te auctoribus tradere, quàm errare per multos. [13] [q] Quadringenta millia librorum Alexandriae arserunt, pulcherrimum regiae opulẽtiae monumentum. alius laudauerit, sicut Liuius, qui elegantiae regum curaeque egregium id opus ait fuisse. Non fuit elegantia illud, aut cura, sed studiosa luxuria: imo ne studiosa quidem, quoniam non in studium, sed in spectaculum comparauerant: sicut plaerisque ignaris etiam seruilium litterarum, libri non studiorum instrumenta, sed coenationum ornamenta sunt. Paretur itaque librorum quantum satis sit, nihil in apparatum. [r] Honestius, inquis, in hos impensas quàm in Corinthia pictasque tabulas effuderim. Vitiosum est vbique quod nimium est. Quid habes cur minus ignoscas nomen marmore atque ebore captanti, quàm opera conquirenti aut ignotorum auctorum, aut improbatorum, [s] & inter tot millia librorum oscitanti, cui voluminum suorũ frontes maxime placent, titulique? Apud desidiosissimos ergo videbis, quicquid orationum historiarumque est, & tecto tenus extructa loculamenta. Iam enim inter balnearia & thermas, bibliotheca quoque, vt necessarium domus ornamentum expolitur. Ignoscerem plane, si e studiorum nimia cupidine oriretur. Nunc ista exquisita, & cum imaginibus suis descripta sacrorum opera ingeniorum, in speciem & cultum parietum comparantur.

X. At in aliquot genus vitae difficile incidisti, & tibi ignoranti vel publica fortuna, vel priuata laqueum impegit, quem nec soluere possis, nec abrumpere. Cogita compeditos primo aegre ferre onera & impedimenta crurum: [t] deinde vbi non indignari illa, sed pati proposuerunt, necessitas fortiter ferre docet, consuetudo facile. Inuenies in quolibet genere vitae oblectamenta, & remissiones, [u] & voluptates, si nolueris malam putare vitam potius quàm inuidiosam facere. Nullo melius nomine de nobis natura meruit, [x] quàm

quòd

quòd cum sciret, quibus aerumnis nasceremur, calamitatum mollimentum consuetudinem inuenit, cito in familiaritatem grauissima adducens. Nemo duraret, si rerum aduersarum eandem vim assiduitas haberet, quam primus ictus. Omnes cum fortuna copulati sumus: [y] Aliorum aurea cathena est, & laxa: aliorum arcta & sordida. Sed quid refert? eadem custodia vniuersos circumdedit: alligatique sunt etiam qui alligauerunt. Nisi tu forte leuiorem in sinistra cathenam putas. Alium honores, alium opes vinciunt. Quosdam nobilitas, quosdam humilitas premit: quibusdam aliena supra caput imperia sunt, quibusdam sua: quosdam exilia vno loco tenent, quosdam sacerdotia. Omnis vita seruitium est. Assuescendum itaque condicioni suae, & quamminimum de illa querendum: & quicquid habet circa se commodi, apprehendendum est. Nihil tam acerbum est, in quo non aequus animus solatium inueniat. Exiguae saepe areae in multos vsus describentis arte patuere, [z] & quamuis angustum pedem dispositio fecit habitabilem. Adhibe rationem difficultatibus, possunt & dura molliri, & angusta laxari, & grauia scite ferentes minus premere. Non sunt praeterea cupiditates in longinquum mittendae, sed in vicinum illis egredi permittamus, quoniam includi ex toto non patiuntur. Relictis his quae aut non possunt fieri, aut difficulter possunt, prope posita, speique nostrae alludentia sequamur. Sed sciamus, omnia aeque leuia esse, extrinsecus diuersas facies habentia, introrsus pariter vana. Nec inuideamus altius stantibus. Quae excelsa videntur, praerupta sunt. Illi rursus quos sors iniqua in ancipiti posuit, tutiores erunt superbiam detrahendo rebus per se superbis, [a] & fortunam suam quammaxime poterunt, in planum deferendo. Multi quidem sunt, quibus necessario haerendum sit in fastigio suo, ex quo non possunt, nisi cadendo descendere: [b] sed hoc ipsum testentur, maximum onus suum esse, quòd aliis graues esse cogantur, nec subleuatos se, sed suffixos: iustitia, mansuetudine, humana [c] lege, & benigna manu praeparent multa [d] ad sequentes casus praesidia, quorum spe securius pendeant. Nihil tamen aeque hos ab his animi fluctibus vindicauerit, quàm semper aliquem incrementis terminum figere: nec fortunae arbitrium desinendi dare, sed ipsos, & quidem vltro, citra extrema consistere. Sic & aliquae cupiditates animum acuent, [e] sed finitae: non in immensum incertumque producent.

XI. Ad imperfectos & medioeres, & male sanos hic meus sermo pertinet, non ad sapientem. Huic non timide, nec pedetentim ambulandum est. Tanta enim fiducia sui est, vt obuiam fortunae ire non dubitet, nec vnquam loco illi cessurus sit: nec habet vbi illam timeat: quia non mancipia tantum, possessionesque, & dignitatem, sed corpus quoque suum, & oculos, & quicquid est cariorem vitam facturum, seque ipsum inter precaria numerat, viuitque commodatus sibi, & reposcentibus sine tristitia redditurus. Nec ideo est vilis sibi, quia scit se suum non esse: sed omnia tam diligenter faciet, tam circumspecte, quàm religiosus homo sanctusque [f] solet tueri fidei commissa. Quandocunque autem reddere iubebitur, non queretur cum fortuna: sed dicet: Gratias ago pro eo quod possedi, habuique. Magna quidem res tuas mercede colui: sed quia imperas, cedo gratus libensque. Si quid habere me tu volueris, etiam nunc seruabo: si aliud placet, ego vero factum signatumque argentum, domum, familiamque meam reddo, restituo. Appellauerit natura, quae prior nobis credidit, & huic dicemus. [g] Recipe animum meliorem quàm dedisti. non tergiuersor, nec refugio. paratum habes a volente, quod non sentienti dedisti. Aufer. Reuerti vnde veneris, quid graue est? Male viuet, quisquis nesciet bene mori. Huic itaque primum rei pretium detrahendum est, & spiritus inter seruitia numerandus. Gladiatores (ait Cicero) inuisos habemus, si omni modo vitam impetrare cupiunt: fauemus, si contemptum eius praeseferunt. Idem euenire nobis scias. Saepe enim causa moriendi est, timide mori. Fortuna illa quae ludos sibi facit, Quo, inquit, te reseruem, malum & trepidum animal? eo magis conuulneraberis & confodieris, quia nescis praebere iugulum. [h] At tu & viues diutius, & morieris expeditius, qui ferrum non subducta ceruice, nec manibus oppositis, sed animose recipis. Qui mortem timebit, nihil vnquam pro viuo faciet. At qui scit, hoc sibi cum conciperetur, statim condictum, viuet ad formulam: & simul illud quoque eodem animi robore praestabit, ne quid ex his quae eueniunt, subitum sit. Quicquid enim fieri potest, quasi futurum prospiciendo, malorum omnium impetus molliet, qui ad praeparatos expectantesque nihil afferunt noui, securis & beata tantum spectantibus graues eueniunt. [i] Morbus enim, captiuitas, ruina, ignis, nihil horum repentinum est. [k] Sciebam in quàm tumultuosum me contubernium natura duxisset. Totiens in vicinia mea conclamatũ est, [l] totiẽs praeter limen immaturas exequias [14] fax cereusq; praecessit. Saepe altius ruẽtis aedificij fragor sonuit. [m] Multos ex his quos forũ, curia, sermo, mecũ contraxerat, nox abstulit, & vinctas ad sodalitiũ manus copulatas intercidit. [n] Mirer aliquãdo ad me pericula accessisse, quae

circa me semper errauerunt? Magna pars hominum est, quae nauigatura, de tempestate non cogitat. Nunquam me in bona re mali pudebit auctoris. Publius tragicis comicisque vehementior ingeniis, quotiens mimicas ineptias, & verba [15] ad summam caueam spectantia reliquit, inter multa alia cothurno non tantum sipario fortiora, & hoc ait:

Cuiuis potest accidere, quod cuiquam potest.

Hoc si quis in medullas demiserit, & omnia aliena mala, quorum ingens quotidie copia est, sic aspexerit, tanquam illis liberum & ad se iter sit, multo ante se armabit, quàm petatur. Sero animus ad periculorum patientiã post pericula instruitur. Non putaui hoc futurum. nunquam hoc euenturum credidissem. Quare autem non? Quae suot diuitiae, quas non egestas, & fames, & mendicitas a tergo sequatur? Quae dignitas, cuius ooo praetextam, & augurale, [16] & patricia, & sordes comitentur, & exportatio, & notae, & mille maculae, & extrema contemptio? Quod regnum est, cui noo parata sit ruina, & proculcatio, & domious, & carnifex? Nec magnis ista interuallis diuisa, sed horae momentum interest [o] inter solium, & aliena genua. Scito ergo, omnem condiciooem versabilem esse: & quicquid in vllum incurrit, posse in te quoque incurrere. Locuples es? [17] nunquid ditior Pompeio? [p] cui cum vetus cognatus, hospes nouus, aperuisset Caesaris domum, vt suam cluderet, defuit panis & aqua: cum tot flumina possideret in suo orientia, & in suo cadentia, mendicauit stillicidia, fame ac siti [q] periit, in palatio cognati, dum illi heres publicum funus esurieoti locat. Honoribus summis functus es? Nunquid aut tam magnis, aut tam insperatis, aut tam vniuersis, quàm Seianus? Quo die illum senatus deduxerat, populus in frusta diuisit: in quem quicquid congeri poterat, dij hominesque contulerant; ex eo nihil superfuit, quod carnifex traheret. Rex es? non ad Croesum te mittam, [r] qui rogum suum & escendit iussus, & extingui vidit, factus non regno tantum, sed etiam morti suae superstes: non ad Iugurtham, quem populus Romanus intra annum quàm timuerat, spectauit. Ptolemaeum Africae regem, Armeniae Mithridatem, inter Caianas custodias vidimus. Alter in exilium missus est: alter vt meliore fide mitteretur, optabat. In tanta rerum sursum ac deorsum euntium versatiooe, si non quicquid fieri potest, pro futuro habes, das in te vires rebus aduersis: quas infregit, quisquis prior vidit. Proximum ab his erit, ne aut in superuacuis, aut ex superuacuo laboremus: id est, ne aut quae oon possumus consequi, concupiscamus: aut adepti, cupiditatum vanitatem nostrarum sero post multum pudorem intelligamus. [s] Id est, ne aut labor irritus sine effectu sit, aut effectus labore indignus. Fere enim ex his tristitia sequitur, si aut

XII. non successit, aut successus pudet. Circuncidenda est concursatio, qualis est magnae parti hominum, domos, & theatra, & fora pererrantium. [18] Alienis se negotiis offerunt, semper aliquid agentibus similes. [t] Horum si aliquem exeuntem domo interrogaueris: Quo tu? [u] quid cogitas? Respondebit tibi: Non mehercule scio: sed aliquos videbo, aliquid agam. Sine proposito vagantur, quaerentes negotia: nec quae destinauerunt, agunt, sed in quae incurrerunt. Inconsultus illis vanusque cursus est, qualis formicis per arbusta repentibus, quae in summum cacumen, deinde in imum inanes aguntur. His plaerique similem vitam agunt, quorum non immerito quis inquietam inertiam dixerit. Quorundam quasi ad incendium currentium misereberis: vsque eo impellunt obuios, & se aliosque praecipitant: [x] cum interim cucurreriot, aut salutaturi aliquem oon resalutaturum, aut funus ignoti hominis prosecuturi, [y] aut iudicium saepe litigantis, aut sponsalia saepe nubentis, & lecticam assectati: quibusdam locis & ipsi tulerint. deinde domum cum superuacua redeuntes lassitudine, iurant nescisse seipsos, quare exierint, vbi fuerint, postero die erraturi per eadem illa vestigia. Omnis itaque labor aliquo referatur, aliquo respiciat. [z] Non industria inquietos, & insanos, sed falsae rerum imagines agitant. Nam oe illi quidem sine aliqua spe mouentur, protitat illos alicuius rei species, cuius vanitatem capta mens oon coarguit. Eodem modo vnumquemque ex his qui ad augendam turbam exeunt, [a] inanes & leues causae per vrbem circumducunt, nihilque habentem in quo laboret, lux orta expellit: & cum multorum frustra liminibus illisus [b] nomenclator persalutauit, a multis exclusus, neminem ex omnibus difficilius domi quàm se conuenit. Ex hoc malo depeodet illud taeterrimum vitium, auscultatio, & publicorum secretorumque inquisitio, & multarũ rerum scientia, quae nec tuto narrantur, nec tuto audiuntur. Hoc secutum puto Democritum ita coepisse: [19] Qui tranquille volet viuere, nec priuatim agat multa, nec publice: [c] ad superuacua scilicet refereotem. Nam si necessaria sunt, & priuatim & publice non tantum multa, sed innumerabilia agenda sunt. Vbi vero nullũ officiũ sollemne nos citat, inhibendae

XIII. actiooes sunt. Nam qui multa agit, saepe fortunae potestatem sui facit: quam tutissimũ est raro experiri, ceterum [d] semper de illa cogitare, & sibi nihil de fide eius promittere.

Nauigabo,

Nauigabo, nisi si quid inciderit: & praetor fiam, nisi si quid obstiterit: & negotiatio mihi
respondebit, nisi si quid interuenerit. Hoc est, quare sapienti nihil contra opinionem dica-
mus accidere. Non illum casibus hominum excepimus, sed erroribus. Nec illi omnia vt vo-
luit cedunt, sed vt cogitauit. In primis autem cogitauit aliquid posse propositis suis resiste-
re. Necesse est autem leuius ad animum peruenire destitutae cupiditatis dolorem, cui suc-
cessum non vtique promiseris. Faciles etiam nos facere debemus, [e] ne nimis destina- XIIII.
tis rebus indulgeamus. transeamus in ea, in quae nos casus deduxerit: nec mutationes aut
consilij aut status pertimescamus: dummodo nos leuitas, inimicissimum quieti vitium, non
excipiat. Nam & pertinacia necesse est anxia & misera sit, cui fortuna saepe aliquid extor-
quet: & leuitas multo grauior, nusquam se continens. Vtrumque infestum est tranquilli-
tati, & nihil mutare posse, & nihil pati. Vtique animus ab omnibus externis in se reuocan-
dus est. sibi confidat, se gaudeat, sua suspiciat, recedat quantum potest ab alienis, & se si-
bi applicet, damna non sentiat, etiam aduersa benigne interpretetur. Nuntiato naufragio,
Zeno noster cum omnia sua audiret submersa: Iubet, inquit, me fortuna expeditius phi-
losophari. Minabatur Theodoro philosopho tyrannus mortem, & quidem insepultam. Ha-
bes, inquit, cur tibi placeas: [f] hemina sanguinis in tua potestate est. nam quod ad sepultu-
ram pertinet, o te ineptum, si putas interesse, supra terram, an infra putrescam. Canius Iu-
lus, vir in primis magnus, cuius admirationi ne hoc quidem obstat, quòd nostro saeculo
natus est, cum Caio diu altercatus, postquam abeunti [g] ille dixit, Ne forte inepta spe tibi
blandiaris, duci te iussi: Gratias, inquit, ago, optime princeps. Quid senserit, dubito. Mul-
ta enim occurrunt mihi. Contumeliosus esse voluit, & ostendere quanta crudelitas esset,
in qua mors beneficium erat? An exprobrauit illi quotidianam dementiam? Agebant enim
gratias, & quorum liberi occisi, & quorum bona ablata erant. An tanquam libertatem li-
benter accepit? Quicquid est, magno animo respondit. Dicet aliquis: Potuit post haec iu-
bere illum Caius viuere. Non timuit hoc Canius. Nota erat Caij in talibus imperiis fides.
[2*] Credis ne illum decem medios vsque ad supplicium dies sine vlla sollicitudine exegisse?
Verisimile non est, quae vir ille dixerit, quae fecerit, quàm in tranquillo fuerit. Ludebat
latrunculis, [h] cum centurio agmen periturorum trahens, & illum quoque citari iubet. Vo-
catus numerauit calculos, & sodali suo, Vide, inquit, ne post mortem meam mentiaris te
vicisse. Tum annuens centurioni: Testis, inquit, eris, vno me antecedere. Lusisse tu Ca-
nium illa tabula putas? illusit. Tristes erant amici, talem amissuri virum. [i] Quid maesti, in-
quit, estis? Vos quaeritis, an immortales animae sint. Ego iam sciam. nec desiit, in ipso ve-
ritatem fine scrutari, & ex more suo quaestionem habere. Prosequebatur illum philosophus
suus: [k] nec iam procul erat tumulus, in quo Caesari Deo nostro fiebat quotidianum sa-
crum. [l] Quid, inquit, Cani nunc cogitas? aut quae tibi mens est? Obseruare, inquit Canius,
proposui illo velocissimo momento, an sensurus sit animus, exire se. promisitque, si quid
explorasset, circumiturum amicos, & indicaturum quis esset animarum status. Ecce in me-
dia tempestate tranquillitas: ecce animus aeternitate dignus, qui fatum suum in argumen-
tum veri vocat, qui in vltimo illo gradu positus, exeuntem animam percontatur, nec vs-
que ad mortem tantum, sed aliquid etiam ex ipsa morte discit. [m] Nemo diutius philoso-
phatus: sed non raptim relinquetur magnus vir, & cum cura dicendus. Dabimus te in o-
mnem memoriam, clarissimum caput, Caianae cladis magna portio. Sed nihil prodest XV.
[n] priuatae tristitiae causas abiecisse. Occupat enim nonnunquam odium generis humani,
[o] & occurrit tot scelerum felicium turba, cum cogitaueris, quàm sit rara integritas, quàm
ignota innocentia, [p] & vix vnquam, nisi cum expedit, fides, & libidinis lucra damnaque
pariter inuisa, & ambitio vsque eo iam se suis non continens terminis, vt per turpitudi-
nem splendeat. Agitur animus in noctem, & velut euersis virtutibus, [q] quas nec sperare
licet, nec habere prodest, tenebrae oboriuntur. In hoc itaque flectendi sumus, vt o-
mnia vulgi vitia non inuisa nobis, sed ridicula videantur: & Democritum potius imite-
mur, quàm Heraclitum. Hic enim quoties in publicum processerat, flebat: ille ridebat.
Huic omnia quae agimus, miseriae: illi ineptiae videbantur. Eleuanda ergo omnia, & faci-
li animo ferenda. Humanius est deridere vitam, quàm deplorare. Adiice, quòd de huma-
no quoque genere melius meretur qui ridet illud, quàm qui luget. [r] Ille spei bonae aliquid
relinquit: hic autem stulte deflet, quae corrigi posse desperat. & vniuersa contemplatus ma-
ioris animi est, qui risum non tenet, quàm qui lacrimas: quando leuissimum affectum animi
mouet, & nihil magnum, nihil seuerum, nec serium quidem, ex tanto apparatu putat. Singu-
la propter quae laeti ac tristes sumus, sibi quisque proponat, & sciat verum esse, quod Bion
dixit, [s] Omnia hominum negotia similia initiis esse, nec vitam illorum magis sanctam aut

ſeueram eſſe, [t] quàm conceptus inchoatos. Sed ſatius eſt, publicos mores & humana vitia placide accipere, [u] nec in riſum, nec in lacrimas excidere. Nam alienis malis torqueri, aeterna miſeria eſt: alienis delectari malis, voluptas inhumana. Sicut illa inutilis humanitas, flere, [x] quia aliquis filium efferat, & frontem ſuam fingere. In tuis quoque malis id agere te oportet, vt dolori tantum des, quantum poſcit ratio, non quantum conſuetudo. Plaerique enim lacrimas fundunt, vt oſtendant: & toties ſiccos oculos habent, quoties ſpectator defuit: turpe iudicantes, non flere, cum omnes faciant. Adeo penitus hoc ſe malum fixit, ex aliena opinione pendere, [y] vt in ſimulationem etiam ſimpliciſſima res, dolor veniat. [z] Sequitur pars quae ſolet non immerito contriſtare, & in ſolitudinem deducere, vbi bonorum exitus mali ſunt. Vt Socrates cogitur in carcere mori, Rutilius in exilio viuere, Pompeius & Cicero clientibus ſuis praebere ceruicem: Cato ille, virtutum viua imago, incumbens gladio, ſimul de ſe ac de Repub. palam facere. Neceſſe eſt queri, tam iniqua praemia fortunam perſoluere. Et quid ſibi quiſque nunc ſperet, cum videat peſſima optimos pati? Quid ergo eſt? Vide quomodo quiſque illorum tulerit: & ſi fortes fuerunt, [a] ipſorum animos deſidera: ſi muliebriter & ignaue periere, nihil periit. Aut digni ſunt, [b] quorum virtus tibi placeat: aut indigni, quorum deſideretur ignauia. Quid enim eſt turpius, quàm ſi maximi viri timidos fortiter moriendo faciunt? Laudemus toties dignum laudibus, & dicamus: Tanto fortior, tanto felicior: humanos effugiſti caſus, liuorem, morbum: exiſti ex cuſtodia: [c] non tu dignus mala fortuna Diis viſus es, ſed indignus in quem iam aliquid fortuna poſſet. Subducentibus vero ſe, & in ipſa morte ad vitam reſpectantibus, manus iniiciendae ſunt. Neminem flebo laetum, neminem flentem. Ille lacrimas meas ipſe abſterſit: hic ſuis lacrimis efficit, ne vllis dignus ſit. Ego Herculem fleam, quòd viuus vritur: [d] aut Regulum, quòd tot clauis configitur: aut Catonem, quòd vulnus ſuum iterauerit? Omnes iſti leui temporis impenſa inuenerunt, quomodo aeterni fierent: ad immortalitatem moriẽdo venerunt. Eſt & illa ſolicirudinum non mediocris materia, ſi te anxie componas, nec vlli ſimpliciter oſtendas: qualis multorum vita eſt, ficta, & oſtentationi parata. Torquet enim aſſidua obſeruatio ſui, & deprehendi aliter, quàm ſolet, metuit. Nec vnquam cura ſoluimur, vbi toties nos aeſtimari putamus, quoties aſpici. Nam & multa incidũt, quae inuitos denudent: & vt bene cedat tanta ſui diligentia, non tamen iucunda vita, aut ſecura eſt, ſemper ſub perſona viuentium. [e] At illa quantum habet voluptatis ſincera & per ſe ornata ſimplicitas, nihil obtendens moribus ſuis? Subit tamen & haec vita contemptus periculum, ſi omnia omnibus patent. Sunt enim qui faſtidiant, quicquid propius adierunt. Sed nec virtuti periculum eſt, ne admota oculis reuileſcat: & ſatius eſt ſimplicitate contemni, quàm perpetua ſimulatione torqueri. Modum tamen rei adhibeamus. Multum intereſt, ſimpliciter viuas, an negligenter. Multum in ſe recedendum eſt. Conuerſatio enim diſſimilium, bene compoſita diſturbat, & reuouat affectus, & qoicquid imbecillum in animo, [f] nec percuratum eſt, exulcerat. Miſcenda tamen iſta, & alternanda ſunt, ſolirudo & frequentia. Illa nobis faciet hominum deſiderium, haec noſtri: & erit altera alterius remedium. Odium turbae ſanabit ſolitudo, taedium ſolitudinis turba. Nec in eadem intentione aequaliter retinenda mens eſt, ſed ad iocos reuocanda. Cum pueris Socrates ludere non erubeſcat: & Cato vino laxabat animum, curis publicis fatigatum: & Scipio triumphale illud & militare corpus mouit ad numeros, non molliter ſe infringens, vt nunc mos eſt, etiam inceſſu ipſo vltra muliebrem mollitiem fluentibus, ſed vt illi antiqui viri ſolebant, [g] inter luſum ac feſta tempora virilem in modum tripudiare, non facturi detrimentum, etiam ſi ab hoſtibus ſuis ſpectarentur. Danda eſt remiſſio animis: meliores actioreſque requieti ſurgent. Vt fertilibus agris non eſt imperandum: cito enim exhauriet illos nunquam intermiſſa foecunditas, ita animorum imperus aſſiduus labor frangit. Vires recipient paulum reſoluti & remiſſi. [h] Naſcitur ex aſſiduitate laborum, animorum hebetatio quaedam & languor. [i] Nec ad hoc tanta hominum cupiditas tenderet, niſi naturalem quandam voluptatem haberet luſus iocuſque: quorum freqoens vſus, omne animis pondus, omnemque vim eripiet. Nam & ſomnus refectioni neceſſarius eſt. Hunc tamen ſi per diem noctemque continues, mors erit. Multum intereſt, remittas aliquid, an ſoluas. Legum conditores feſtos inſtituerunt dies, vt ad hilaritatem homines publice cogerenrur, tanquam neceſſarium laboribus interponentes temperamentum. Et magni, vt dixi, viri quidam ſibi menſtruas certis diebus ferias dabant: quidam nullum non diem inter & otium & curas diuidebanr. Qualem Pollionem Aſinium [k] oratorem magnum meminimus, quem nulla res vltra decimam retinuit. Ne epiſtolas quidem poſt eam horam legebat, ne quid nouae curae naſceretur, ſed totius diei laſſitudinem duabus illis horis ponebat. Quidam medio die interiunxerunt,

& in

& in postmeridianas horas aliquid leuioris operae distulerunt. Maiores quoque nostri nouam relationem post horam decimam in senatu fieri vetabant. Miles vigilias diuidit, & nox immunis est ab expeditione redeuntium. Indulgendum est animo : dandumque subinde otium, quod alimenti ac vitium loco sit : & in ambulationibus apertis vagandum, [l] vt caelo libero & multo spiritu augeat attollatque se animus. Aliquando vectatio iterque, & mutata regio vigorem dabunt, conuictusque & liberalior potio : nonnunquam & [11] vsque ad ebrietatem veniendum, non vt mergat nos, [m] sed vt deprimat curas. [n] Eluit enim curas, & ab imo animum mouet : & vt morbis quibusdam, ita tristitiae medetur. Liberque non ob licentiam linguae dictus est inuentor vini, sed quia liberat seruitio curarum animum, [o] & asserit, vegetioremque & audaciorem in omnes conatus facit. Sed vt libertatis, ita vini salubris moderatio est. Et Solonem, Arcesilaumque indulsisse vino credunt. [12] Catoni ebrietas obiecta est. [p] at facilius efficiet, quisquis obiecerit, hoc crimen honestum, quàm turpem Catonem. Sed nec saepe faciendum est, ne animus malam consuetudinem ducat : & aliquando tamen in exultationem libertatemque extrahendus, tristisque sobrietas remouēda paulisper. Nam, siue [13] Graeco poetae credimus, aliquando & insanire iucundum est : siue Platoni, frustra [14] poeticas fores compos sui pepulit: [15] siue Aristoteli, nullum magnum ingenium sine mixtura dementiae fuit. Non potest grande aliquid & supra ceteros loqui, nisi mota mens. Cum vulgaria & solita contempsit, instinctuque sacro surrexit excelsior, tunc demum aliquid cecinit grandius ore mortali. Non potest sublime quicquam & in arduo positum contingere, quamdiu apud se est. [q] Desciscat oportet a solito, & efferatur, & mordeat fraenos, [r] & rectorem rapiat suum : eoque ferat, quo per se timuisset escendere.

Habes, Serene carissime, quae possint tranquillitatem tueri, quae restituere, quae [s] surrepētibus vitiis resistant. Illud tamen scito, nihil horum satis esse validum, rem imbecillam seruantibus, nisi intenta & assidua cura circumeat animum labentem.

Libri de tranquillitate animi finis.

M. ANTONII MVRETI AD LIBRVM SENECAE DE TRANQVILLITATE animi Notae.

VERA *huius libri inscriptio est,* De tranquillitate animi, *non quae vulgo inoleuit,* De trāquillitate vitae. *quod & veteres libri confirmant: & certe* εὐθυμία *Democriti, quam ille alio nomine vocabat* τὴν εὐεστὼ, *animi tranquillitas melius vertitur, quàm tranquillitas vitae. Sed & Cicero ipse nomen* εὐθυμίας *ita interpretatur.* CAP. I.

2 Inquirenti mihi in me,] *Totum hoc principium, vsque ad eam partem,* Quaero mehercule, *videtur cuiusdam esse, qui Senecam consulat, ab eoque petat, vt sibi rationes tradat secure tranquilleque viuendi. Atque hoc ita esse in quibusdam veteribus libris annotatum est : in quibus etiam, quod vulgo legitur,* Quaedam vitia apparebant Serene, *ita scriptum videas,* Quaedam vitia apparebant Seneca. *Genus tamen ipsum dictionis plane Senecam olet. At in libro Siculo neque* Serene *scriptum est, neque* Seneca : *sed,* Quaedam vitia apparebant retecta. *Hoc igitur totum quale sit, alij indicabunt.*

3 Longa conuersatio amorem inducit.] *Hoc est quod ait Lucretius:*

Consuetudo concinnat amorem.

& Aristoteles in rhetoricis, inter ea quae iucunda sunt, numerat ea quibus assueuimus.

4 Parabilis facilisque,] *Horatianum.*

Namque parabilem amo Venerem facilemque.

5 Cum bene ista placuerunt,] *Ouidius:*

Iuraui quoties rediturum ad limina nunquam?
Cum bene iuraui, pes tamen ipse redit.

6 Inter illa friuola mea] *Ita vocabant vtensilia, & supellectilem non magni pretij. Iuuenalis:*

iam friuola transfert Vcalegon.

7 Tantusque morsus] *Coniectura ductus legendum putaui,* Tacitusque morsus.

8 Non purpura aut aureis virgis] *Num virgatas auro vestes, & segmentis ornatas intelligit? An fasces, qui magistratibus praeferebantur? Sed illi certe aurei non erant. Vetera exemplaria variant, & alia habent vocem* aureis, *alia non habent.*

9 Quaero mehercule] *Hinc quidam existimant, ut dixi, incipere Senecam ex persona sua loqui.*

10 Homericus Achilles] Ἄλλοτ' ἐπὶ πλευρὰς κατακείμενος, ἄλλοτε δ' αὖτε
ὕπτιος, ἄλλοτε δὲ πρηνής, τότε δ' ὀρθὸς ἀναστάς. *Iliad. ω.*

III. 11 Malle esse se quàm viuere mortuum.] *Dictum elegantissimum alij, traiectis vocibus, corruperant. Qui mortuus est, ei obiici nihil potest, cur quiescat. At mortui viuere dicuntur, qui, cum viuāt ac spirent, nihilo tamen plus agunt, quàm si mortui essent.*

IX. 12 Interius flectendū est.] *Agitatores exercitati in ludis circensibus, introrsum, quantum poterant, flectebant, ut breuiorem cursum conficerent: ea modo cautione adhibita, ut ne ad metam offenderent, atque arietarent. Sic igitur etiam in vita ait contrahenda esse vela.*

13 Quadringenta millia librorum] *Septingenta fuisse ait scriptor noctium Atticarum, capite ultimo libri sexti.*

XI. 14 Fax cereusque praecessit.] *Immaturas exequias fax & cereus praecedere solebant. Cuius consuetudinis mentio fit etiam in libro de breuitate vitae, in extremo.*

15 Ad summam caueam] *ad plebem, quae ex summa cauea spectare ludos solebat.*

16 Et lora patricia,] *Quae tandem lora patricia esse dicemus? Vox* lora *abest a plaerisque veteribus libris, qua deleta non male fortassis interpretabimur patricia, quos Plutarchus* περὶ εὐθυμίας *vocat* πατρικίους, *his verbis,* κλαίων ὅτι μὴ φορεῖ πατρικίους. *Budaeus vertit Senatoria. significare, quātum opinor, voluit lunatos calceos. quos & Philostratus calceos patricios vocat: ut notauit vir eruditissimus Ianus Parrhasius in Ciceronis Milonianam.*

17 Nunquid ditior Pompeio?] *Quis iste Pompeius est tam diues, qui tamen fame ac siti, miserrimo, ut ait Homerus, mortis genere, in palatio cognati perierit? Equidem non* Pompeio, *sed* Ptolemaco, *legendum arbitror: ut Iubae regis filium intelligamus, quem Suetonius Caligulae consobrinum fuisse testatur. Eum Caligula non sane* συγγενικῶς, *Romam euocatū interfecit. Dio:* Γάιος δὲ ἐν τούτῳ τόν τε Πτολεμαῖον τὸν τοῦ Ἰόβα παῖδα μεταπέμψας, καὶ μαθὼν ὅτι πλουτεῖ, ἀπέκτεινε καὶ ἄλλους πολλοὺς μετ' αὐτοῦ. *Zonaras:* ὁ δὲ καὶ τὸν Πτολεμαῖον τὸν τοῦ Ἰόβα παῖδα μεταστειλάμενος, ὡς πλουτοῦντα, κἀκεῖνον ἀπέκτεινε. *Certius fortassis ab aliis aliquid reperietur. Ego quod potui praestiti.*

XII. 18 Alienis se negotiis offerunt,] *Vt ille Horatianus,*

-- aliena negotia curo,
Excussus propriis.--

19 Qui tranquille volet viuere,] *Graeca ipsa Democriti verba supra posui.*

XIIII. 20 Decem medios vsque ad supplicium dies] *Qui dabantur damnatis ex S. C. quod sub Tiberio factum erat. Auctor Tacitus.*

XV. 21 Vsque ad ebrietatem] *Ita quidem suadet Plato libro primo de legibus.*

22 Catoni ebrietas] *Horatius:*

Narratur & magni Catonis
Saepe mero caluisse virtus.

23 Graeco poetae] *Anacreonti: ex quo illud vertit Horatius,*

Dulce est desipere in loco.

24 Poeticas fores] *Locus est Platonis in Phaedro.*

25 Siue Aristoteli,] *Cicero primo Tusculanarum:* Aristoteles quidem ait, omnes ingeniosos melancholicos esse. *Locus Aristotelis est in problematis* τμήματι λ'.

L. ANNAEI

L. ANNAEI SENECAE AD SERENVM QVOD IN SAPIENTEM NON CADIT INIVRIA.

CAP. I. TANTVM inter Stoicos, Serene, & ceteros sapientiam professos interesse, quantum inter feminas & mares, non immerito dixerim: cum vtraque turba ad vitae societatem tantundem conferat: sed altera pars ad obsequendum, altera imperio nata sit. Ceteri sapientes molliter & blande, vt fere domestici & familiares medici, aegris corporibus, non qua optimum & celerrimum est medentur, sed qua licet. Stoici virilem ingressi viam, non vt amoena ineuntibus videatur curae habent, sed vt [b] quamprimum nos eripiant, & in illum editum verticem educant, qui adeo extra omnem teli iactum surrexit, vt supra fortunam emineat. [c] At ardua per quae vocamur, & confragosa sunt. Quid enim plano aditur excelsum? Sed ne tam abrupta quidem sunt, quàm quidam putant. Prima tantum pars saxa rupesque habet, & inuij speciem: sicut pleraque ex longinquo speculantibus abscissa & connexa videri solent, cum aciem longinquitas fallat. Deinde propius adeuntibus eadem illa quae in vnum congesserat error oculorum, paulatim adaperiuntur: tum illis quae praecipitia ex interuallo apparebant, redit lene fastigium. Nuper cum incidisset mentio M. Catonis, indigne ferebas (sicut es iniquitatis impatiens) quòd Catonem aetas sua parum intellexisset, [d] quòd supra Pompeios & Caesares surgentem, infra Vatinios posuisset: & tibi indignũ videbatur, quòd illi dissuasuro legem, toga in foro esset erepta, quodque a Rostris vsque ad arcum Fabianum per seditiosae factionis manus tractus, voces improbas, & sputa, & omnes alias insanae multitudinis contumelias pertulisset. Tunc ego respondi, habere te quòd Reipublicae nomine moucreris, quam hinc P. Clodius, hinc Vatinius ac pessimus quisque venundabat: [e] & caeca cupiditate corrupti non intelligebant, se, dum vendunt, etiam venire.

II. Pro ipso quidem Catone securum te esse iussi. Nullum enim sapientem nec iniuriam accipere, nec contumeliam posse. Catonem autem certius exemplar sapientis viri nobis deos immortales dedisse, quàm Vlixem & Herculem prioribus saeculis. Hos enim Stoici nostri sapientes pronuntiauerunt, inuictos laboribus, & contemptores voluptatis, & victores omnium terrarum. [f] Cato cum feris manus non contulit, quas consectari venatoris agrestisque est: nec monstra igne ac ferro persecutus est, nec in ea tempora incidit, quibus credi posset caelum vnius humeris inniti, excussa iam antiqua credulitate, & saeculo ad summam perducto solertiam. Cum ambitu congressus, multiformi malo, & cum potentiae immẽsa cupiditate, quam totus orbis [f] in tres diuisus satiare non poterat, aduersus vitia ciuitatis degenerantis, & pessum sua mole sidentis stetit solus, & cadentem Rẽpublicam, quantum modo vna retrahi manu poterat, retinuit: donec vel abreptus, vel abstractus, comitem se diu substentatae ruinae dedit: simulque extincta sunt, quae nefas erat diuidi. Neque enim Cato post libertatem vixit, nec libertas post Catonem. Huic tu putas iniuriam fieri potuisse a populo, quòd aut praeturã illi detraxit, aut togam: quòd sacrum illud caput purgamentis oris aspersit? Tutus est sapiens, nec vlla affici aut iniuria, aut contumelia potest.

III. Videor mihi intueri [h] animum tuum incensum & efferuescentem. Paras acclamare: Haec sunt quae auctoritatem praeceptis vestris detrahant. Magna promittis, & quae ne optari quidem, nedum credi possint. Deinde ingentia locuti, cum pauperem negastis esse sapientem, non negatis solere illi & seruum, & vestem, & tectum, & cibum deesse. Cum sapientem negastis insanire, non negatis & alienari, & parum sana verba emittere, & quicquid vis morbi cogit, audere. Cum sapientem negastis seruum esse, iidem non itis infitias, & venum iturum, & imperata facturum, & domino suo seruilia praestiturum ministeria. Ita sublato alte supercilio, [g] in eadem quae ceteri, descẽditis, mutatis rerum nominibus. Tale itaque aliquid & in hoc esse suspicor, quod prima specie pulchrum atque magnificum est, nec iniuriam, nec contumeliam accepturum esse sapientem. Multum autem interest, vtrum sapientem extra indignationem, an extra iniuriam ponas. Si dicis illum aequo animo laturum, nullum habet priuilegium. Cõtigit illi res vulgaris, & quae discitur ipsa iniuriarum assiduitate, patientia. Si negas accepturum iniuriam, id est, neminem illi tentaturum facere, omnibus relictis negotiis Stoicus fio. Ego vero sapientem non imaginario honore verbo-

rum exornare constitui; sed eo loco ponere,[h] quo nulla perueniat iniuria. Quid ergo? nemo
erit qui lacessat, qui tentet? Nihil in rerum natura tam sacrum est,[i] quod sacrilegum non in-
ueniat. Sed non ideo diuina minus in sublimi sunt, si existunt, qui magnitudinem multum
vltra se positam[k] non icturi petant. Inuulnerabile est, non quod non feritur, sed quod non
laeditur. [l] Ex hac tibi nota sapientem exhibeo. Nunquid dubium est, quin certius robur sit,
quod non vincitur, quàm quod non lacessitur: cum dubiae sint vires inexpertae: at merito
certissima firmitas habeatur, quae omnes incursus respuit? Sic tu sapientem melioris scito
esse naturae, si nullius illi iniuria nocet, [l] quàm si nulla fit. Et illum fortem virum dicam,
quem bella non subigunt, nec admota vis hostilis exterret, non cui pingue otium est inter
desides populos. Huiusmodi igitur sapientem nulli esse iniuriae obnoxium. Itaque non re-
fert, quàm multa in illum coniiciantur tela, cum sit nulli penetrabilis. Quomodo quorun-
dam lapidum inexpugnabilis ferro duritia est, nec secari adamas, aut caedi[m] vel teri potest,
sed incurrentia vltro retundit: quemadmodum quaedam non possunt igne consumi, sed
flamma circumfusa, rigorem suum habitumque conseruant: quemadmodum proiecti in
altum scopuli mare frangunt, nec ipsi vlla saeuitiae vestigia[n] tot verberati saeculis ostētant:
ita sapientis animus solidus est, & id roboris collegit, vt tā tutus sit ab iniuria, quàm illa quae
IIII. retuli. Quid igitur? non erit aliquis qui sapienti facere tentet iniuriam? Tentabit, sed
non peruenturā ad eum. Maiore enim interuallo a contactu inferiotum abductus est, quàm
vt vlla vis noxia vsque ad illum vires suas perferat. [o] Etiam cum potentes, & imperio editi,
& consensu seruientium validi, nocere ei tentent: tam citra sapientem omnes eorum impe-
tus deficient, quàm quae neruo tormentisve in altum exprimuntur, cum extra visum exilie-
runt, citra caelum tamen flectūtur. Quid tu putas, cum stolidus ille rex multitudine telorum
diem obscurasset, vllam sagittam in Solem incidisse?[p] Aut demissis in profundum cathenis
Neptunum potuisse contingi? Vt caelestia humanas manus effugiunt, & ab his qui templa
diruunt, aut simulacra conflant, nihil diuinitati nocetur: ita quicquid fit in sapientem pro-
terue, petulanter, superbe, frustra tētatur. At satius erat, neminem esse qui facere vellet. Rem
difficilem optas humano generi, innocentiam. At non fieri, eorum interest qui facturi sunt,
non eius qui pati, ne si fiat quidem, potest. Immo nescio, an magis vires sapientia ostendat
tranquilla inter lacessentia: sicut maximum argumētum est imperatoris armis virisque pol-
lentis, tuta securitas & in hostiū terra. Diuidamus si tibi videtur, Serene, iniuriam a cōtume-
lia. Prior illa natura grauior est: haec leuior,[q] & tantum delicatis grauis: qua non laeduntur,
sed offenduntur. Tanta est tamen animorum dissolutio & vanitas, vt quidam nihil acerbius
putent. Sic inuenies seruum, qui flagellis quàm colaphis caedi malit, & qui mortem ac ver-
bera tolerabiliora credat, quàm contumeliosa verba. Ad tantas ineptias peruentum est, vt
non dolore tantum, sed doloris opinione vexemur: more puerorum, quibus metus incutit
vmbra, & personatum deformitas, & deprauata facies, lacrimas vero euocant nomina
parum grata auribus, & digitorum motus, & alia quae impetu quodam erroris improuidi
refugiunt. Iniuria propositum hoc habet, aliquem malo afficere. Malo autem sapientia non
relinquit locum. [q] Vnum enim malum illi est turpitudo: quae intrare eo, vbi iam virtus ho-
V. nestumque est, non potest. Iniuria ergo ad sapientem non peruenit. Nam si iniuria ali-
cuius mali patientia est, sapiens autem nullius mali est patiens, nulla ad sapiētem iniuria per-
tinet. Omnis iniuria deminutio eius est, in quem incurrit. Nec potest aliquis iniuriam acci-
pere sine aliquo detrimento vel dignitatis, vel corporis, vel rerum extra nos positarum. Sa-
piens autem nihil perdere potest: omnia in se reposuit, nihil fortunae credit, [r] bona sua in
solido habet, contentus virtute, quae fortuitis non indiget. Ideoque nec augeri, nec minui
potest. Nam in summum perducta, incrementi non habent locum. Nihil eripit fortuna, nisi
quod dedit: virtutem autem non dat: ideo nec detrahit. [s] Libera est, inuiolabilis, immota,
inconcussa, [t] sic contra casus indurata, vt nec inclinari quidem, nedum vinci possit. Aduer-
sus apparatus terribilium, rectos oculos tenet, nihil ex vultu mutat, siue illi dura, siue secun-
da ostentantur. Itaque nihil perdet, quod perire sensurus sit. Vnius enim in possessione vir-
tutis est, ex qua depelli nunquam potest: ceteris precario vtitur. Quis autem iactura moue-
tur alieni? Quòd si iniuria nihil laedere potest ex his quae propria sapientis sunt,[u] quia virtu-
te sua salua sunt, iniuria sapienti non potest fieri. [x] Megara Demetrius ceperat, cui cogno-
men Poliorcetes fuit. ab hoc Stilpon philosophus interrogatus, nunquid perdidisset, Nihil,
inquit: Omnia namque mea mecum sunt. Atqui & patrimonium eius in praedam cesserat,
& filias rapuerat hostis, [y] & patriam. At ille victoriam illi excussit: & se, vrbe capta, [z] non in-
uictum tātum, sed indemnem esse testatus est. Habebat enim secum vera bona, in quae non
est manus iniectio. At ea quae dissipata & direpta ferebantur, non iudicabat sua, sed aduen-
ticia,

ticia,& nutum fortunae sequentia.ideo nõ vt propria dilexerat.Omnium enim extrinsecus affluentium lubrica & incerta possessio est.Cogita nũc,an huic fur,an calumniator,[a] aut vicinus potens,aut diues aliquis,regnum orbae senectutis exercens,facere iniuriam possit,cui bellum & hostis ille egregiam artem quassandarũ vrbiũ professus,eripere nihil potuit.[b] Inter micantes vbique gladios,& militarem in rapinam tumultum, inter flammas & sanguinem stragemque impulsae ciuitatis,inter fragorem templorum super deos suos cadentium, vni homini pax fuit.Non est itaque quòd audax iudices promissum: cuius tibi,[c] si parum fidei habeo, sponsorem dabo.Vix enim credis tantum firmitatis in hominem, aut tantam animi magnitudinem cadere,sed si prodit in medium qui dicat: Non est quòd dubites,[d] an VI.
attollere se homo natus supra humana possit, an dolores,damna,vlcerationes, vulnera,magnos motus rerum circa se frementium securus aspiciat,& dura placide ferat, & secũda moderate: nec illis cedens,nec his fretus,vnus idemque inter diuersa sit, nec quicquam suum, nisi se putet esse, ea quoque parte qua melior est.[e] Assum hoc vobis probaturus,sub isto tot ciuitatum euersore, munimenta incursu arietis labefieri, & turrium altitudinem cuniculis ac latentibus fossis repente residere,& aequaturũ editissimas arces aggerem crescere:at nulla machinamenta posse reperiri, quae bene fundatum animum agitent.[f] Erepsi modo e ruinis domus,& incendiis vndique relucentibus, per flammas,per sanguinem fugi.Filias meas qui casus habeat, an peior publico, nescio. Solus, & senior, & hostilia circa me omnia videns,tamen integrum incolumemque esse censum meum profiteor,teneo,habeo quicquid mei habuit.Nõ est quòd me victum,victorem te credas.Vicit fortuna tua fortunam meam. Caduca illa,& dominum mutãtia,vbi sint nescio.Quod ad res meas pertinet, mecum sunt, mecum erunt.Perdiderunt isti diuites patrimonia: libidinosi amores suos, & magno pudoris impendio dilecta scorta: ambitiosi curiam & forum, & loca exercendis in publico vitiis destinata: foeneratores perdiderunt tabellas suas, quibus auaritia falso laeta, diuitias imaginatur. Ego quidem omnia integra illibataque habeo. Proinde istos interroga qui flent, qui lamentantur,strictis gladiis nuda pro pecunia corpora opponunt, qui hostem onerato sinu fugiunt. Ergo ita habe,Serene,perfectum illum virum, humanis diuinisque virtutibus plenum,nihil perdere.Bona eius solidis & inexuperabilibus munimentis praecincta sunt. Non Babylonis illi muros contuleris,quos Alexander intrauit. Non Carthaginis aut Numantiae moenia, vna manu capta. Non Capitolium, arcemve.[g] Habent ista hostile vestigium: illa quae sapientem tuentur, a flamma & ab incursu tuta sunt:[h] nullum introitum praebent, excelsa, inexpugnabilia, diis aequa. Non est quòd dicas,ita vt soles, hunc VII.
sapientem nostrum nusquam inueniri. Non fingimus istud humani ingenij vanum decus, nec ingentem imaginem falsae rei concipimus,sed qualem confirmamus, exhibuimus, & exhibebimus.Raro forsitan, magnisque aetatum interuallis inuenitur.Neque enim magna & excedentia solitum ac vulgarem modum crebro gignuntur. Ceterum hic ipse M. Cato, a cuius mentione haec disputatio processit,vereor ne supra nostrum exemplar sit. Denique validius debet esse quod laedit, eo quod laeditur. Non est autem fortior nequitia virtute. Non potest ergo laedi sapiens.Iniuria in bonos non tentatur nisi a malis. Bonis inter se pax est.[i] [5] [k] Quòd si laedi nisi infirmior non potest:[6] malus autem bono infirmior est:nec iniuria bonis,nisi a dispari, verenda est:iniuria in sapientem virum non cadit.Illud enim iam non es admonendus,neminem bonum esse, nisi sapientem.[l] Sed iniuste, inquis, Socrates damnatus est,iniuriam accepit.Hoc loco intelligere nos oportet, posse euenire,vt faciat aliquis iniuriam mihi, & ego non accipiam: tanquam si quis rem [m] cum e villa mea surripuit, in domo mea ponat,ille furtum fecerit,ego nihil perdiderim.Potest aliquis nocens fieri,quamuis non nocuerit.Si quis cum vxore tanquam cum aliena concumbat,adulter erit, qnamuis illa adultera non sit.Aliquis mihi venenum dedit,sed vim suam remixtum cibo perdidit.Venenum illud dando, scelere se obligauit, etiam si non nocuit.Non minus latro est,cuius telum [n] opposita veste elusum est.Omnia scelera etiam ante effectum operis,quantum culpae satis est,perfecta sunt.Quaedam eius condicionis sunt,& hac vice copulantur,[o] vt alterum sine altero esse non possit.Quod dico, conabor facere manifestum. Possum pedes mouere, vt non curram:currere non possum, vt pedes non moueam. Possum, quamuis in aqua sim, non natare: si nato, non possum in aqua non esse. Ex hac sorte & hoc est, de quo agitur: si iniuriam accepi, necesse est factã esse: si est facta, non est necesse accepisse me.Multa enim incidere possunt quae submoueant iniuriam. Vt intentam manum deiicere casus potest, & emissa tela declinare: ita iniurias qualescunque potest aliqua res depellere, & in medio intercipere, vt & factae sint, nec acceptae.Praeterea nihil iniustum iustitia pati potest: quia non coeunt contraria.[p] Iniuria autem non potest fieri non iniuste. Ergo sapienti iniuria

VIII. non potest fieri. Nec est quod mireris, si nemo potest illi iniuriam facere,[q] nec prodes-
se quidem quisquam potest. & sapienti nihil deest, quod accipere possit loco muneris, [r] &
malus nihil potest tribuere sapienti. Habere enim prius debet, quàm dare. Nihil autem ha-
bet[s] quod ad se transferri sapiens gauisurus sit. Non potest ergo quisquam aut nocere sa-
pienti, aut prodesse. Quemadmodum diuina nec iuuari desiderant, nec laedi possunt. Sa-
piens autem vicinus proximusque diis consistit, excepta mortalitate, similis Deo.[t] Ad illa
nitens pergensque excelsa, ordinata, intrepida, aequali & concordi cursu fluentia, secura,
benigna, bono publico natus, & sibi & aliis salutaris, nihil humile concupiscet, nihil flebit,
qui rationi innixus, per humanos casus diuino incedet animo.[u] Non habet vnde accipiat
iniuriam. ab homine me tantum dicere putas? nec a fortuna quidem: quae quoties cum
virtute congressa est, nunquam par recessit. Si maximum illud,[x] vltra quod nihil habent ira-
tae leges ac saeuissimi domini quod minentur, in quo imperium suum fortuna consumit,
aequo placidoque animo accipimus, & scimus mortem malum nō esse, ob hoc ne iniuriam
quidem:[y] multo facilius alia tolerabimus, damna, dolores, ignominias, locorum commu-
tationes, orbitates, discidia: quae sapientem, etiam si vniuersa circumueniant, non mergunt,
nedum ad singulorum impulsus maereat. Et si fortunae iniurias moderate fert, quanto ma-
IX. gis hominum potentium, quos scit fortunae manus esse? Omnia itaque sic patitur, vt
hiemis rigorem, vt intemperantiam caeli, vt feruores morbosque, & [z] cetera forte acciden-
tia. Nec de quoquam tam bene iudicat, vt illum quicquam putet consilio fecisse: quod in
vno sapiente est. Aliorum omnium non cōsilia, sed fraudes, & insidiae, & motus animorum
inconditi sunt, quos casibus adnumerat. Omne autem fortuitum [a] citra nos saeuit. Illud
quoque cogita, iniuriarum latissime patere materiam illis, per quae periculum nobis quaesi-
tum est: vt accusatore submisso, aut criminatione falsa, aut irritatis in nos potentiorum mo-
tibus,[b] quaeque alia inter togatos latrocinia sunt.[c] Est & illa iniuria frequens, si lucrum ali-
cui excussum est, aut praemiū diu captatum, si magno labore affectata hereditas auersa est,
& quaestuosae domus gratia erepta.[d] Haec effugit sapiens, qui nescit nec in spe, nec in me-
tu viuere. Adiice nunc, quòd iniuriam nemo immota mente accipit, sed ad sensum eius per-
turbatur. Caret autem perturbatione vir erectus: moderator sui, altae quietis & placidae.
[e] Nam si illum tangit iniuria, & mouet, & impedit. Caret autem ita sapiens, quam excitat in-
iuriae species: nec aliter careret ira, nisi & iniuria, quam scit sibi nō posse fieri. Inde tam ere-
ctus laetusque est,[f] inde continuo gaudio elatus, adeo ad offensiones rerum hominumque
non contrahitur, vt ipsa illi iniuria vsui sit, per quam experimentum sui capit, & virtutē ten-
tat. Faueamus, obsecro vos, huic proposito, aequisque & animis & auribus assimus, dum sa-
piens iniuriae excipitur: nec quicquam ideo petulantiae nostrae, aut rapacissimis cupiditati-
bus, aut temeritati superbiaeque detrahitur. Saluis vitiis vestris, haec sapiēti libertas quaeri-
tur. non vt vobis facere non liceat iniuriam, agimus, sed vt ille omnes iniurias in altū demit-
tat, patientiaque se ac magnitudine animi defendat. Sic in certaminibus sacris plerique vi-
cere, caedentium manus obstinata patientia fatigando.[g] Ex hoc puta genere sapientem eo-
rum, qui exercitatione longa ac fideli, robur perpetiēdi lassandique omnem inimicam vim
X. consecuti sunt. Quoniam priorem partem percurrimus, ad alteram transeamus: in qua
quibusdam propriis,[h] plerisque vero communibus contumeliam refutabimus. Contume-
lia est minor iniuria, quam queri magis quàm exequi possumus, quam leges quoque nulla
dignam vindicta putauerunt. Hunc affectum mouet humilitas animi contrahentis se, ob fa-
ctum dictumque inhonorificum. Ille me hodie non admisit, cum alios admitteret. Sermo-
nem meum aut superbe auersatus est, aut palam risit:[i] & non in medio me loco, sed imo col-
locauit: & alia huius notae. Quae quid vocem, nisi querelas nauseantis animi, in quas fere
delicati & felices incidunt. Non vacat enim haec notare, cui peiora instant. Nimio otio in-
genia natura infirma, & muliebria, & inopia verae iniuriae lasciuientia, his commouentur,
quorum pars maior constat vitio interpretantis. Itaque nec prudentiae quicquam in se esse,
nec fiduciae ostendit, qui contumelia afficitur. Non dubie enim contemptum se iudicat. &
hic morsus non sine quadam humilitate animi euenit, supprimentis se ac descendentis. Sa-
piens autem a nullo contemnitur, magnitudinem suam nouit: [k] nullique tantum de se licere
[l] renuntiat sibi: & omnes has quas non miserias animorum, sed molestias dixerim, non vin-
cit, sed ne sentit quidem. Alia sunt quae sapientem feriunt, etiam si non peruertunt: vt dolor
corporis, & debilitas, aut amicorum liberorumque amissio, & patriae bello flagrātis calami-
tas. Haec non nego sentire sapientem. Nec enim lapidis illi duritiam ferrive asserimus. Nulla
XI. virtus est, quae non sentias, perpeti. Quid ergo est? Quosdam ictus recipit: sed receptos
euincit, sanat, & comprimit. Haec vero minora ne sentit quidem, nec aduersus ea solita illa
virtute

virtute vtitur dura tolerandi: sed aut non annotat, aut digna risu putat. Praeterea cum magnam partem contumeliarum superbi insolentesque faciant, & male felicitatem ferentes, habet quo illum affectum inflatum respuat, pulcherrimam virtutem omnium, animi sanitatem magnitudinemque. illa quicquid huiusmodi est transcurrit, vt vanas somniorum species, visusque nocturnos, nihil habentes solidi, neque veri. Simul illud cogitat, omnes inferiores esse, [l] quàm vt illis audacia sit, tanto excelsiora despicere. Contumelia a contemptu dicta est: quia nemo, nisi quem contempsit, tali iniuria notat. Nemo autem maiorem melioremque contemnit, etiam si facit aliquid quod contemnentes solent. Nam & pueri os parentum feriunt, & crines matris turbauit lacerauitque infans, & sputo aspersit, aut nudauit in conspectu suorum tegenda, & verbis obscoenioribus non pepercit: & nihil horum contumeliam dicimus. Quare? quia qui fecit, contemnere non potest. Eadem causa est, cur nos [m] mancipiorum nostrorum vrbanitas in dominos contumeliosa delectet: quorum audacia ita demum sibi [n] in conuiuas ius facit, si coepit a domino. Vt quisque contemptissimus, & vt maxime ludibrio est, ita solutissimae linguae est. Pueros quidam in hoc mercantur procaces, & eorum impudentiam acuunt, & sub magistro habent, [o] qui probra meditate effundant. Nec has contumelias vocamus, sed argutias. Quanta autem dementia est, iisdem XII.
modo delectari, modo offendi: & rem ab amico dictam, maledictum vocare, a seruulo, ioculare conuicium? Quem animum nos aduersus pueros habemus, hunc sapiens aduersus omnes, quibus etiam post iuuentam canosque puerilitas est. An quicquam isti profecerunt, [p] quibus animi mala sunt vtique in maius errores, qui a pueris magnitudine tantum formaque corporum differunt: ceterum non minus vagi incertique voluptatem sine delectu apparentes, trepidi, & non ingenio, sed formidine quieti? non ideo quicquam inter illos puerosque interesse quis dixerit, quòd illis talorum nucumque & aeris minuti auaritia est, his auri argentique & vrbium: quòd illi inter ipsos magistratus gerunt, & praetextam fascesque ac tribunal imitantur, [q] hi eadem in campo foroque & in curia ludunt. Illi in littoribus arena congesta simulacra domuum excitant: hi vt magnum aliquid agẽtes, in lapidibus ac parietibus, & tectis moliendis occupati, ad tutelam corporum inuenta, in periculum verterunt. [r] Ergo par pueris, longiusque progressis, sed in alia maioraque error est. Non immerito itaque horum contumelias sapiens vt iocos accipit: & aliquãdo illos, tamquam pueros, malo poenaque admonet, & afficit: non quia accepit iniuriam, [s] sed quia fecerunt, & vt desinant facere. Sic enim & pecora verbere domantur: nec irascimur illis, cum sessorem recusauerint: sed compescimus, vt dolor cõtumaciam vincat. Ergo & illud solutum scies, quod nobis opponitur, quare si non accepit iniuriam nec contumeliam sapiens, punit eos qui fecerunt? Non enim se vlciscitur, sed illos emendat. Quid est autem, quare hanc animi XIII.
firmitatem non credas in virum sapientem cadere, cum tibi in aliis idem notare, sed non ex eadem causa liceat? Quis enim phrenetico medicus irascitur? quis febricitãtis & frigida prohibiti, maledicta in malam partem accipit? Hunc affectum aduersus omnes habet sapiens, [t] quem aduersus aegros suos medicus: quorum nec obscoena, si remedio egent, cõtrectare, nec reliquias & effusa intueri dedignatur, nec per furorẽ saeuientium excipere cõuicia. Scit sapiens, omnes hos qui togati purpuratique incedunt, coloratos maleque sanos esse: quos non aliter videt, [u] quàm aegros intemperantes. Itaque ne succenset quidem, si quid in morbo petulãtius ausi sunt aduersus medentem: [v] & quo animo honores eorum nihilo aestimat, eodem parum honorifice facta. Quemadmodum non placet sibi, si illum mẽdicus coluerit, nec cõtumeliam iudicabit, si illi homo plebis vltimae salutanti mutuam salutationem non reddiderit: sic nec se suspiciet quidem, si illum multi diuites suspexerint. Scit enim illos nihil a mẽdicis differre, immo miseriores esse. Illi enim exiguo, hi multo egent: & rursus non tangetur, si illum rex Medorum, Attalus ve Asiae, salutantem silentio ac vultu arroganti transierit. Scit statum eius non magis habere quicquam inuidendum, quàm eius cui in magna familia cura obtigit aegros insanosque compescere. Num moleste feram, si mihi non reddiderit nomen aliquis [x] ex his qui ad Castoris negotiantur, nequam mancipia ementes vendentesque, quorum tabernae pessimorum seruorum turba refertae sunt? Non, vt puto. quid enim is boni habet, sub quo nemo nisi malus est? [y] Ergo vt huius humanitatem inhumanitatemque negligit, ita & regis. [z] Habes sub te Parthos, Medos, & Bactrianos, sed quos metu contines, [a] sed propter quos remittere arcum tibi non contingit, sed postremos, sed venales, sed [b] nouum aucupantes dominum. Nullius ergo mouebitur contumelia. Omnes enim inter se differunt. Sapiens quidem pares illos ob aequalem stultitiam omnes putat. [c] Nam si semel se demiserit eo, vt aut iniuria moueatur, aut contumelia, non poterit vnquam esse securus. Securitas autem proprium bonum sapientis est: nec committet, [d] vt vindicando sibi

contumeliam factam, honorem habeat ei qui fecit. Necesse est enim, a quo quisque conte-
XIIII. mni moleste fert, suspici gaudeat. Tanta quosdam demētia tenet, vt contumeliam sibi
posse fieri putent a muliere. Quid refert quot habeat lecticarios, quàm oneratas aures, quàm
laxam sellam? aeque impudens animal est, & nisi scientia accessit ac multa eruditio, ferum,
cupiditatum incontinens. Quidam se a cinerario impulsos moleste ferunt, & contumeliam
vocant ostiarij difficultatem, nomenculatoris superbiam, cubicularij supercilium. O quan-
tus inter ista risus tollendus est, quanta voluptate implendus animus, ex alienorum errorum
tumultu, contemplanti quietem suam. Quid ergo? Sapiens non accedet ad fores quas durus
ianitor obsidet? Ille vero, si res necessaria vocabit, experietur,[e] & illū, quisquis erit, tanquam
canem acrem, obiecto cibo leniet, nec indignabitur aliquid impendere, vt limen trāseat, co-
gitans & in pontibus quibusdam pro trāsitu dari. Itaque illi quoque, quisquis erit,[e] qui hoc
salutationum publicum exercet, donabit. Scit emere venalia. Ille pusilli animi est, qui sibi
placet, quòd ostiario libere respondit, quòd virgam eius fregit: quòd ad dominum accessit,
[f] & petiit corium. Facit se aduersarium qui contendit, & vt vincat, par fuit. At sapiens co-
laphis percussus, quid faciet? Quod Cato, cum illi os percussum esset: nō excanduit, non vin-
dicauit iniuriam: ne remisit quidem, sed factam negauit. Maiore animo non agnouit, quàm
ignouisset. Non diu in hoc haerebimus. Quis enim nescit, nihil ex his quae creduntur bona
aut mala, ita videri sapienti, vt omnibus? Non respicit quid homines turpe iudicent, aut mi-
serum: non it qua populus: sed vt sidera contrariū mundo iter intendūt, ita hic aduersus opi-
XV. nionem omnium vadit. Desinite itaque dicere: Non accipiet ergo sapiens iniuriam, si
caedetur?[g] si oculus illi eruetur? non accipiet cōtumeliam, si obscoenorum vocibus impro-
bis per forū agetur? si in conuiuio regis recumbere infra mensam, vescique cum seruis igno-
miniosa officia sortitis iubebitur? si quid aliud ferre cogetur, eorum quae excogitari pudori
ingenuo molesta possunt? In quantumcunque ista vel numero, vel magnitudine creuerint,
eiusdem naturae erunt. Si non tangent illum parua, ne maiora quidem. Si non tangent pau-
ca, ne plura quidem. Sed ex imbecillitate vestra[h] cōiecturam capitis ingentis animi: & cum
cogitastis quātum putetis vos pati posse, sapiētis patientiae paulo vlteriorem terminum po-
nitis. At illum in aliis mundi finibus sua virtus collocauit, nihil vobiscum commune haben-
tem.[i] Quare & si aspera, & quaecūque toleratu grauia sunt, audituque & visu refugienda, in-
gruerint,[k] non obruetur etiam eorum coetu: & qualis singulis, talis vniuersis obsistet. Qui
dicit illud tolerabile sapienti, illud intolerabile,[l] & animi magnitudinem intra certos fines
teneri, male agit. Vincit nos fortuna,[m] nisi tota vincatur. Nec putes istam Stoicam esse duri-
tiam. Epicurus, quem vos patronum inertiae vestrae assumitis, putatisque mollia ac desi-
diosa praecipere, & ad voluptates ducentia: RARA, inquit, sapiēti interuenit fortuna. Quàm
paene emisit viri vocem. Vis tu fortius loqui,[n] & illam ex toto submouere? Domus haec sa-
pientis angusta sine cultu, sine strepitu, sine apparatu, nullis obseruatur ianitoribus, turbam
[o] venali fastidio digerētibus. sed per hoc limen vacuum, & ab ostiariis liberum fortuna non
transit. Scit non esse illic sibi locum, vbi sui nihil est. Quòd si Epicurus quoque, qui corpori
plurimum indulsit, aduersus iniurias exurgit: quid apud nos incredibile videri potest, aut su-
pra humanae naturae mēsuram? Ille ait iniurias tolerabiles esse sapienti, nos iniurias nō esse.
XVI. Nec est, quòd dicas hoc naturae repugnare. Nō negamus rem incommodam esse ver-
berari & impelli, & aliquo membro carere: sed omnia ista negamus iniurias esse. Nō sensum
illis doloris detrahimus: sed nomen iniuriae, quod nō potest recipi virtute salua. Vter verius
dicat, videbimus. Ad contemptum quidem iniuriae vterque consentit. Quaeris quid inter
duos intersit? Quod inter gladiatores fortissimos: quorum alter premit vulnus & stat in gra-
du, alter respiciens ad clamātem populum, significat nihil esse, & intercedi non patitur. Non
est, quòd putes magnum, quo dissidemus. Illud quidem agitur, quod vnum ad nos pertinet.
Vtraque exempla hortantur cōtemnere & iniurias, & quas iniuriarū vmbras ac suspiciones
dixerim, cōtumelias. Ad quas despiciendas nō sapienti opus est viro, sed tantū cōspiciente,
qui sibi possit dicere: Vtrum merito mihi ista accidunt, an immerito? Si merito, nō est con-
tumelia, iudicium est. Si immerito: illi qui iniusta facit, erubescendum est.[p] Et quid est illud,
quod contumelia dicitur? In capitis mei leuitatem iocatus est, & in oculorum valitudinem,
& in crurum gracilitatem, & in staturam. Quae cōtumelia est, quod apparet, audire? Coram
vno aliquid dictum ridemus, coram pluribus indignamur: & eorum aliis libertatem non re-
linquimus,[q] quae ipsi in nos dicere assueuimus. Iocis temperatis delectamur, immodicis ira-
XVII. scimur. Chrysippus ait quendam indignatum,[r] quòd illum aliquis veruecem marinum
dixerat. In senatu flentem vidimus Fidum Cornelium Nasonis generum,[s] cum illum Cor-
bulo struthiocamelum depilatum dixisset. Aduersus alia maledicta, mores & vitam conuul-
nerantia,

nerantia, frontis illi firmitas constirit: aduersus hoc tam absurdum lacrimae prociderunt: [t] Tanta animorum imbecillitas est, vbi ratio discessit. Quid quòd offendimur; si quis sermonem nostrum imitatur, si quis incessum, si quis vitium aliquod corporis aut linguae exprimit? quasi notiora illa fiant alio imitãte, quàm nobis facientibus. Senectutem quidem inuiti audiunt, & canos, & alia, ad quae voto peruenitur. Paupertatis maledictum quosdam perussit: quam sibi obiecit, quisquis abscõdit. Itaque materia petulantibus,[u] & per contumeliam vrbanis detrahitur, si vltro illam & prior occupes. Nemo aliis risum praebuit[x] qui ex se cepit. Vatinium hominem natum & ad risum, & ad odium, scurram fuisse venustum ac dicacem, memoriae proditum est. In pedes suos ipse plurima dicebat, & in fauces cõcisas: sic Inimicorũ, quos plures habebat quàm morbos, & in primis Ciceronis vrbanitatem effugit. Si ille hoc potuit duritia oris, qui assiduis conuiciis[y] depudere didicerat: cur is non possit, qui studiis liberalibus & sapientiae cultu ad aliquem profectum peruenerit? Adiice, quòd genus vltionis est, eripere ei qui fecit, cõtumeliae voluptatem. Solẽt dicere: Miserum me, puto non intellexit. adeo fructus contumeliae in sensu & indignatione patiẽtis est. Deinde non deerit illi aliquando par. Inuenietur qui te quoque vindicet.

Caesar inter cetera vitia quibus abundabat, cõtumeliosus, mirabili studio feriebatur omnes aliqua nota ferendi, ipse materia risus benignissima. Tanta illi palloris insaniam testantis foeditas erat, [11] tanta oculorum [z] sub fronte anili latentium toruitas, tanta capitis destituti, [a] & emendicatis capillis aspersi deformitas. Adiice obsessam setis ceruicem, & exilitatem crurum, & enormitatem pedum. Immensum est, si velim singula referre, per quae in parentes auosque suos cõtumeliosus fuit, per quae in vniuersos ordines. ea referam, quae illum exitio dederunt. [b] Asiaticum Valerium in primis amicis habebat, ferocem virum, & vix aequo animo alienas cõtumelias laturum. [c] Huic in conuiuio, itẽ in contione, voce clarissima, qualis in cõcubitu esset vxor eius, obiecit. Dij boni, hoc virum audire, principem scire, & vsque eo licentiam peruenisse, vt non dico consulari, non dico amico, sed tantum marito princeps & adulterium suum narret, & fastidium? [12] [d] De Chaerea tribuno militum, sermo non pro manu erat, quòd [13] languidus, & ni facta nosses, suspectior. Huic Caius signum petenti [14] modo Veneris, modo Priapi dabat: aliter atque aliter exprobrans armato mollitiam. Haec ipse perlucidus, [e] crepidatus, armillatus. Coegit itaque illum vti ferro, ne saepius signum peteret. Ille primus inter cõiuratos manum sustulit: [f] ille ceruicem mediam vno ictu decidit: plurimum deinde vndique publicas ac priuatas iniurias vlciscẽtium gladiorum ingestum est. Sed primus vir fuit, qui minime visus est. [g] At idem Caius omnia contumelias putabat, [h] & fuit ferendarũ impatiens, faciendarum cupidissimus. Iratus fuit Herennio Macro, [i] qui illum Caium salutauerat: nec impunẽ cessit primipilario, quòd Caligulam dixerat. [k] Hoc enim in castris natus, & alumnus legionũ vocari solebat, nullo nomine militibus familiarior vnquam factus: [l] sed iam Caligulam conuicium & probrum iudicabat. Conturbatis ergo hoc ipsum solatio erit, etiam si nostra facilitas vltionem omiserit, futurum aliquem, qui poenas exigat a procace, & superbo, & iniurioso: quae vitia nunquam in vno homine, [m] & in vna contumelia consumuntur. Respiciamus eorum exempla, quorum laudamus patientiam: vt Socratis, qui comoediarum publicatos in se & spectatos sales in partem bonam accepit, risitq; nõ minus, quàm cum ab vxore Xanthippe immũda aqua perfunderetur. [n] At Iphicrates, cui mater barbara & Thressa obiiciebatur, respondit, & deorũ matrem Idaeam esse.

XIX Non est in rixã collucationemque veniendum. procul auferendi pedes sunt: & quicquid horum ab imprudentioribus fiet, fieri autem nisi ab imprudentibus non potest, negligendum. Et honores & iniuriae vulgi, in promiscuo habendi sunt. Nec his dolendũ, nec illis gaudẽdum. Alioquin multa, timore contumeliarum aut taedio, necessaria omittemus: [o] & publicis priuatisque officiis, aliquãdo etiam salutaribus, non occurremus, dum muliebris nos cura angit, aliquid contra animũ audiẽdi: [p] aliquando etiam irati potentibus, detegemus hunc affectũ intemperanti libertate. Non est autẽ libertas, nihil pati? Fallimur: libertas est, animũ opponere iniuriis, & eũ facere se ex quo solo sibi gaudenda veniant: exteriora deducere a se, [q] ne inquieta agẽda sit vita, omniũ risus, omniũ linguas timenti. [r] Quis est enim, qui nõ possit contumeliam facere, si quisquã potest? Diuerso autẽ remedio vtetur sapiẽs assectatorq; sapiẽtiae. Imperfectis enim, & adhuc ad publicũ se iudicium dirigentibus, hoc proponendũ est, inter iniurias ipsos cõtumeliasq; debere versari. Omnia leuiora accidũt expectantibus. [s] quo quisq; honestior genere, fama, patrimonio est, hoc se fortius gerat: memor, in prima acie altos ordines stare, cõtumelias & verba probrosa, & ignominias, & cetera dehonestamẽta, velut clamorẽ hostiũ ferat, & longinqua tela, & saxa sine vulnere circa galeas crepitantia. Iniurias vero, vt vulnera, alia armis, alia pectori infixa, nõ deiectus, ne mot[u] quidẽ gradu, sustineat. Etiã si premeris, & infesta vi vrgeris,

cedere turpe est. assignatum a natura locum tuere. [t] Quaeris quis hic sit locus? Viri. Sapienti aliud auxilium est huic contrarium. Vos enim rem geritis: illi parta victoria est. Ne repugnate vestro bono, & hanc spem, dum ad verum peruenitis, alite in animis: libenterque meliora excipite, & opinione ac voto iuuate. Esse aliquem inuictum, [u] esse aliquem in quem nihil fortuna possit, e Republica humani generis est.

M. ANTONII MVRETI AD LIBRVM SENECAE, QVOD IN SAPIENTEM NEQVE iniuria cadat, neque contumelia, Notae.

H*OC quod inter admirabilia Stoicorum numerarit aliquis, sapientem nulli iniuriae patere, plane Socraticum est. Nam cum iniuriam accipere non dicatur, nisi qui ab alio laeditur: Sapiens autem laedi non queat: consequens est, eum extra iniuriam esse. Siquidem is demum laeditur, qui deterior fit ad obeundum munus suum: vt si equus ad cursum, bos ad culturam agri deterior fiat. At id sapienti vsuuenire non potest. nisi quis ei sapientiam, iustitiam, aliamve quam virtutem auferat: quae bona firmiora & stabiliora sunt, quàm vt eripi possint. Quibus positis, efficitur id, quod hoc libro docetur: posse quidem aliquem multa conari, vt iniuriam sapienti faciat: sed iniuriam ad sapientem non peruenire. Haec a Socrate & in apologia, & libro primo de rep. in hanc fere sententiam disputantur.*

CAP. II. 1 Cato cum feris manus non contulit,] *Haec comparatio Catonis cum Hercule simile quidam habere mihi videtur cum comparatione Herculis & Epicuri, quae legitur apud Lucretium libro quinto.*

III. 2 Animum tuum inclusum] *Melius e libro Siculo* incensum. *& statim,* Paras acclamare, *melius, quàm, vt vulgo,* Paratum acclamare.

3 Ex hac tibi nota.] ἐκ τούτου σοι τῦ κόμματος.

IIII. 4 Tamen delicatis grauis:] *Rectior Siculi libri scriptura:* Et tantum delicatis grauis. *Sed quid ago? Si haec singillatim annumerare voluero, ad molem libri addetur aliquid: ad legentium vtilitatem nihil. Desinamus ergo* λεπτολογεῖν.

VII. 5 Quod si laedi nisi infirmior non potest:] οὐ γὰρ θεμιτὸν ἀμείνονα ὑπὸ χείρονος βλάπτεσθαι.

6 Malus autem bono infirmior est:] *Nam si iniustitia, morbus est animi, iustitia, sanitas; quis aegrotum valente firmiorem dixerit? Itaque ne iniustitia quidem tueri se sine aliqua ope iustitiae potest.*

X. 7 Renuntiat sibi:] *Pessime alij,* quam sibi, *aut* quantum sibi. *Renuntiare sibi, est admonere se, subiicere sibi, reuocare sibi in animum & in memoriam. Sic in consolatione ad Polybium:* Potest illa res a luctu te prohibere nimio, si tibi ipsi renuntiaueris, nihil horum quae facis posse subduci. *Quintilianus lib.* XII. *cap.* XI. Sed ij primum renuntient sibi, quanta sit humani ingenij vis.

XII. 8 Quibus animi mala sunt, auctique in maius errores,] *Inepta scriptura, & ex qua nullã idoneam sententiam elicueris. Lego,* Quibus animi mala sunt, vtique in maius errores. *Sic paulo inferius:* Ergo par pueris longiusque progressis, sed in alia maioraque error est.

XIIII. 9 Qui salutatotium publicum exerceat,] *Foede deprauatus locus: quem e libro Siculo ita restitui,* Qui hoc salutationum publicum exercet. *neque quidquam magis ex consuetudine Senecae, id est, vrbanius & elegantius dici potest. Publica exercent, qui ex eo publicani vocantur: vt publicum pecoris, publicum salis, vini, ceterarumque mercium pro quibus portorium exigitur. Ita igitur dicit eos salutationum publicum exercere, qui admissionibus praesunt, & ad principes salutandos admittũt eos, quibus, eis conuentis opus est: mercedesque ab eis eo nomine non exiguas exigunt.*

10 Et petiit cotium.] *Ita legitur in veteribus libris: melius, quàm, quod quidã substituere voluit,* lorum. *Petere autem corium, est petere, vt ostiarius vapulet: vt sibi de eius corio satisfiat.*

XVIII. 11 Tanta oculorum sub fronte anili latentium toruitas,] *Non displiceret coniectura eorum qui legendum putant,* sub fronte sima: *nisi magis me moneret consensus librorum veterum, in quibus aperte ac perspicue legitur,* sub fronte anili.

12 De Chaerea tribuno militum sermo promanauerat,] *Incredibile dictu est, quanto mihi Siculi libri scriptura verior esse videatur, quae haec est,* Sermo non pro manu erat. *Hoc enim significat sermonem non fuisse conuenientem manus: cum Chaerea sermone quidem mollis & infractus videretur:*

videretur: at manu fortis esset ac strenuus.

13 Languidus somno, & infracta voce suspectior.] *Hic quoque locus mirifice ex eodem libro restitutus est, hoc modo:* Languidus, &c, ni facta nosses, suspectior. *Poterat esse suspectus mollitiae, ni facta nosset, sed facta ipsius nullum ei suspicioni locum relinquebant.*

14 Modo Veneris, modo Priapi dabat:] *Ita & apud Suetonium legitur. at apud Dionem & Xiphilinum, in latina quidem interpretatione,* Cupidinis ant Veneris. *Sed homini eruditissimo, qui eos scriptores interpretatus est, fraudi fuere graeca exemplaria, in quibus vitiose legitur πόθου, cum legendum sit ποσθίου.*

L. ANNAEI SENECAE AD PAVLINVM DE BREVITATE VITAE

LIBER VNVS.

CAP. I. MAIOR pars mortalium, Pauline, de naturae malignitate conqueritur, quòd in exiguum aeui gignimur, quòd haec tam velociter, tam rapide dati nobis temporis spatia decurrant, adeo vt exceptis admodum paucis, ceteros in ipso vitae apparatu vita destituat. Nec huic publico, vt opinantur, malo, turba tantum & imprudens vulgus ingemuit. Clarorum quoque virorum hic affectus querelas euocauit. Inde illa [a] maximi medicorum exclamatio est, Vitam breuem esse, longam artem. [a] Inde Aristoteli cum rerum natura exigenti, minime conueniens sapienti viro lis est: [a] illam animalibus tantum indulsisse, vt quina aut dena secula educent, homini in tam multa ac magna genito, tanto citeriorem terminum stare. Non exiguum temporis habemus, sed multum perdimus. Satis longa vita, & in maximarum rerum consummationem large data est, si tota bene collocaretur. Sed vbi per luxum ac negligentiam defluit, vbi nulli rei bonae impenditur, vltima demum necessitate cogente, quam ire non intelleximus, transisse sentimus. Ita est. non accepimus breuem vitam, sed fecimus: nec inopes eius, sed prodigi sumus. Sicut amplae & regiae opes vbi ad malum dominum peruenerunt, momento dissipantur: at quamuis modicae, si bono custodi traditae sunt, vsu crescunt: ita aetas nostra bene disponenti multum patet.

II. Quid de rerum natura querimur? illa se benigne gessit. Vita, si scias vti, longa est. Alium insatiabilis tenet auaritia: alium in superuacuis laboribus operosa sedulitas: alius vino madet: alius inertia torpet: alium defatigat ex alienis iudiciis suspensa semper ambitio. Alium mercandi praeceps cupiditas circa omnes terras, omnia maria, spe lucri ducit. Quosdam torquet cupido militiae, nunquam non aut alienis periculis intentos, aut suis anxios. Sunt quos ingratus superiorũ cultus volũtaria seruitute consumat. Multos aut affectatio alienae fortunae, aut suae odium detinuit. Plerosque nihil certum sequentes, vaga & inconstans, & sibi displicens leuitas per noua consilia iactauit. [b] Quibusdam nihil quò cursum dirigant, placet, sed marcentes oscitantesque fata deprehendũt: adeo vt quod [c] apud maximum poetarum more oraculi dictum est, verum esse non dubitem:

[c] *Exigua pars est vitae quam nos viuimus.*

Ceterum quidem omne spatium, non vita, sed tempus est. [d] Vrgentia circumstant vitia vndique: nec resurgere, aut in dispectum veri attollere oculos sinunt, [e] sed mersos, & in cupiditatibus infixos premunt. Nunquam illis recurrere ad se licet: sed si quando aliqua quies fortuito contigit, velut in profundo mari, in quo post ventum quoque volutatio est, fluctuantur, nec vnquam illis a cupiditatibus suis otium instat. De istis me putas disserere, quorum in confesso mala sunt? Aspice illos, ad quorum felicitatem concurritur. bonis suis effocantur. Quàm multis graues sunt diuitiae? Quàm multorum eloquentia quotidiano ostentandi ingenij spatio sanguinem educit? Quàm multi continuis voluptatibus pallent? Quàm multis nihil liberi relinquit circumfusus clientium populus? Omnes denique istos ab infimis vsque ad summos pererra. Hic aduocat, hic adest: ille periclitatur, ille

descendit : [f] ille iudicat. Nemo se sibi vindicat. Alius in alium consumitur. Interroga
de istis, quorum nomina ediscuntur. His illos dignosci videbis notis. [g] Hic illius cultor
est, ille illius, suus nemo. Deinde dementissima quorundam indignatio est. Queruntur
de superiorum fastidio, [h] quòd ipsis adire volentibus non vacauerint. Audet quisquam
de alterius superbia queri, qui sibi ipse nunquam vacat? Ille tamen, quisquis est, insolen-
ti quidem vultu, sed aliquando respexit. Ille aures suas ad tua verba demisit. Ille te ad
III. latus suum recepit. Tu non inspicere te vnquam, non audire dignatus es. Non est
itaque quòd ista officia cuiquam imputes: [i] quoniam quidem cum illa faceres, non es-
se cum aliquo volebas, sed tecum esse non poteras. Omnia licet quae vnquam inge-
nia fulserunt, in hoc vnum consentiant, nunquam satis hanc humanarum mentium ca-
liginem mirabuntur. Praedia sua occupari a nullo patiuntur: & si exigua contentio est
de modo finium, ad lapides & arma discurrunt. [k] In vitam suam incedere alios sinunt,
immo vero ipsi etiam possessores eius futuros inducunt. Nemo inuenitur, qui pecuniam
suam diuidere velit: vitam vnusquisque quàm multis distribuit? Astricti sunt in conti-
nendo patrimonio. Simul ad temporis iacturam ventum est, profusissimi in eo, cuius
vnius honesta auaritia est. Libet itaque ex seniorum turba comprehendere aliquem. Per-
uenisse te ad vltimum aetatis humanae videmus. Centesimus tibi vel supra premitur an-
nus. Agedum ad computationem aetatem tuam reuoca. Dic quantum ex isto tempo-
re creditor, quantum amica, [l] quantum reus, quantum cliens abstulerit, quantum lis
vxoria, quantum seruorum coercitio, quantum officiosa per vrbem discursatio. Adiice
morbos quos manu fecimus. Adiice, quod sine vsu iacuit. Videbis te pauciores an-
nos habere quàm numeras. Repete memoria tecum, quando certus consilij fueris, quo-
tus quisque dies vt destinaueras recesserit, [m] qui tibi vsus tui fuerit, quando in statu suo
vultus, quando animus intrepidus, quid tibi in tam longo aeuo facti operis sit: quàm
multi vitam tuam diripuerint, te non sentiente quid perderes: quantum vanus dolor,
stulta laetitia, auida cupiditas, blanda conuersatio abstulerit: quàm exiguum tibi de
IIII. tuo relictum sit. intelliges te immaturum mori. Quid ergo est in causa? Tanquam
semper victuri viuitis. Numquam vobis fragilitas vestra succurrit. Non obseruatis quan-
tum temporis transierit. velut ex pleno & abundanti perditis: cum interim fortasse ille
ipse qui alicui vel homini vel rei donatur, vltimus dies sit. Omnia tanquam mortales
timetis. Omnia tanquam immortales concupiscitis. Audies plaerosque dicentes: A quin-
quagesimo in otium secedam: sexagesimus annus ab officiis me dimittet. Et quem tan-
dem longioris vitae praedem accipis? Quis ista, sicuti disponis, ire patietur? Non pu-
det te [n] reliquias vitae tibi reseruare, & id solum tempus bonae menti destinare, quod
in nullam rem conferri possit? Quàm serum est, tunc viuere incipere, cum desinen-
dum est? Quae tam stulta mortalitatis obliuio, [o] in quinquagesimum & sexagesimum
annum differre sana consilia: & inde velle vitam inchoare, quo pauci perduxerunt. Po-
tentissimis & in altum sublatis hominibus excidere voces videbis, quibus otium optent,
laudent, omnibus bonis suis praeferant. Cupiunt interim ex illo fastigio suo, si tuto
liceat, descendere. Nam vt nihil extra lacessat, aut quatiat, [p] in se ipsa fortuna ruit.
V. Diuus Augustus, cui dij plura quàm vlli praestiterunt, non desiit quietem sibi preca-
ri, vacationem a Rep. petere. Omnis eius sermo ad hoc semper reuolutus est, vt sibi
speraret otium. [q] Hoc labores suos, etiam si falso, dulci tamen oblectabat solatio, ali-
quando se victurum sibi. In quadam ad senatum missa epistula, cum requiem suam non
vacuam fore dignitatis, nec a priore gloria discrepantem, pollicitus esset, haec verba
inueni: *Sed ista fieri speciosius quàm promitti possunt. me tamen cupido temporis optatissimi mi-
hi, prouexit, [r] vt quoniam rerum laetitia moratur adhuc, praeciperem aliquid voluptatis ex ver-
borum dulcedine.* Tanta visa est res otium, vt illam, quia vsu non poterat, cogitatio-
ne praesumeret. Qui omnia videbat ex se vno pendentia, qui hominibus gentibusque for-
tunam dabat, illum diem laetissimus cogitabat, quo magnitudinem suam exueret. Ex-
pertus erat, quantum illa bona per omnes terras fulgentia sudoris exprimerent, quan-
tum occultarum solicitudinum tegerent: cum ciuibus primum, deinde cum collegis,
nouissime cum affinibus, coactus armis decernere, mari terraque sanguinem fudit: per
Macedoniam, Siciliam, Aegyptum, Syriam, Asiamque, & omnes prope oras bello circum-
actus, Romana caede lassos exercitus ad externa bella conuertit. Dum alpes pacat, immix-
tosque mediae paci & imperio hostes perdomat, dum vltra Rhenum, Euphratem & Danu-
bium terminos mouet, in ipsa vrbe, Murenae, Caepionis, Lepidi, Egnatiorum in eum mu-
crones acuebantur. Nondum horum effugerat insidias. filia, & tot nobiles iuuenes adulterio

velut sacramẽto adacti,[s] iam infractam aetatem territabant:plusque & iterum timenda cum † Antonio mulier. Haec vlcera cum ipsis membris absciderat: alia subnascebãtur.velut cum graue multo sanguine est corpus,[t] partes semper aliquae rumpebantur. Itaque otium optabat:in huius spe & cogitatione labores eius residebãt.Hoc votum erat eius,[u] qui voti compotes facere poterat.M.Cicero inter Catilinas Clodiosque iactatus,Põpeiosque & Crassos, partim manifestos inimicos,partim dubios amicos,dum fluctuatur cum republica,[x] & illam pessum euntem tenet,nouissime abductus,nec secũdis rebus quietus,nec aduersarũ patiens, quotiens illum ipsum consulatũ suum non sine causa, sed sine fine laudatũ detestatur,quàm flebiles voces exprimit in quadam ad Atticum epistola, iam victo patre Pompeio,adhuc filio in Hispania fracta arma refouente?Quid agam, inquit, hic quaeris? moror in Tusculano meo semiliber.Alia deinceps adiicit, quibus & priorem aetatem complorat, & de praesenti quaeritur,& de futura desperat.Semiliberum se dixit Cicero.at mehercules nunquam sapiens in tam humile nomen procedet, nunquam semiliber erit. Integrae semper libertatis, & solidae, solutus, & sui iuris, altior ceteris. Quid enim supra eum potest esse, qui supra fortunam est?

VI. Liuius Drusus,vir acer & vehemens,cum leges nouas & mala Gracchana mouisset,stipatus ingenti totius Italiae coetu,exitum rerum non prouidens,quas nec agere licebat,[y] nec iam liberum erat semel inchoatas relinquere,exeeratus inquietam a primordiis vitam, dicitur dixisse, vni sibi, nec puero quidem, vnquam ferias contigisse. Ausus est enim & pupillus adhuc & praetextatus, iudicibus reos commendare,[z] & gratiam suam interponere[a] tam efficaciter, vt quaedam iudicia constet ab illo rapta. Quo non erumperet tam immatura ambitio? Scires in malum ingens, & priuatum,& publicum,euasuram illam[b] tam festinatam audaciam.Sero itaque querebatur, nullas sibi ferias cõtigisse: a puero seditiosus,& foro grauis. Disputatur,an ipse sibi manus attulerit. Subito enim vulnere per inguen accepto, collapsus est: aliquo dubitante,[c] an mors voluntaria esset,an tempestiua.Superuacuum est commemorare plures: qui cum aliis felicissimi viderentur, ipsi in se[d] verum testimonium dixerunt, perosi omnem actum annorum suorum. Sed his querelis nec alios mutauerunt, nec seipsos.Nam cum verba erumperent,affectus ad consuetudinem relabebantur.[e] Vestra mehercule vita, licet supra mille annos exeat,in arctissimum contrahetur.[f] Ista omnia nullum non saeculum deuorabũt.Hoc vero spatium,quod,[g] quamuis natura currit,ratio dilatat,cito vos effugiat necesse est.Non enim apprehenditis,nec retinetis, nec velocissimae omnium rei moram facitis, sed abire vt rem superuacuam ac reparabilem sinitis.In primis autem & illos numero,qui nulli rei, nisi vino ac libidini vacant.Nulli enim turpius occupati sunt.Ceteri,etiam si vana gloriae imagine teneantur,speciose tamen errãt. Licet auaros mihi, licet vel iracundos enumeres,[h] vel bellatores, omnes isti virilius peccant.In venerem ac libidinem proiectorum[i] inhonesta labes est. Omnia istorum tempora excute.Aspice quamdiu computẽt,quamdiu insidientur, quamdiu timeant,[k] quamdiu colant,quamdiu colantur,quantum vadimonia sua atque aliena occupent,quãtum conuiuia,[l] quae iam ipsa officia sunt.videbis quemadmodum illos respirare nõ sinant vel mala sua,vel bona.Denique inter omnes cõuenit,nullam rem bene exerceri posse ab homine occupato: non eloquentiam,non liberales disciplinas:quãdo districtus animus nihil altius recipit, sed omnia velut inculcata respuit. Nihil minus est hominis occupati, quàm viuere: nullius rei difficilior est scientia.Professores aliarum artium vulgo multique sunt.

VII. Quasdam vero ex his pueri admodum ita percepisse visi sunt,vt etiam praecipere possent.[m] Viuere tota vita discendum est:& quod magis fortasse miraberis,tota vita discendum est mori.Tot maximi viri, relictis omnibus impedimentis, cum diuitiis, officiis, voluptatibus renuntiassent,hoc vnum in extremam vsque aetatem egerũt, vt viuere scirent.Plures tamen ex his nondum se scire cõfessi,e vita abierũt,nédum vt isti sciant.Magni,mihi crede,& supra humanos errores eminentis viri est,nihil ex suo tempore delibare:& ideo vita eius lõgissima est,cui quantumcumque patuit,totum ipsi vacauit.[n] Nihil inde incultum otiosumque iacuit: nihil sub alio fuit. neque enim quicquam reperit dignum quod cum tempore suo permutaret, custos eius parcissimus. Itaque satis illi fuit.His vero necesse est defuisse, ex quorum vita multum populus tulit.Nec est quòd putes, hinc illos non intelligere damnum suum. plaerosque certe audies ex his quos magna felicitas grauat, inter clientium greges, aut causarum actiones, aut ceteras honestas miserias exclamare[o] interdum, Mihi viuere non licet.Quid ni non liceat?Omnes illi qui te sibi aduocant,tibi abducũt. Ille reus quot dies abstulit,quot ille candidatus, quot illa anus, efferendis heredibus lassa? quot ille ad irritandam auaritiam captantium simulatus aeger? quot ille potentior amicus, qui vos non in amicitia, sed in apparatu habet?Dispunge,inquam,ac recense vitae tuae dies: videbis paucos admodum &

reiiculos apud te resedisse. Assequutus ille quos optauerat fasces, cupit ponere, & subinde dicit: Quando hic annus praeteribit? Facit ille ludos, quorum sortem sibi obtingere magno aestimauit: Quando, inquit, istos effugiam? Diripitur ille toto foro patronus, & magno concursu omnia, vltra quàm audiri potest, complet: Quando, inquit, res proferentur? Praecipitat quisque vitam suam, & futuri desiderio laborat, praesentium taedio. At ille, qui nullum non tempus in vsus suos confert, qui omnes dies tanquam vitam ordinat, nec optat crastinum, nec timet. Quid enim est, quòd iam vlla hora nouae voluptatis possit afferre? [p] Omnia nota, omnia ad satietatem percepta sunt: de cetero fors fortuna vt volet ordinet. vita iam in tuto est. [q] Huic adiici potest, detrahi nihil: & adiici sic, quemadmo-
VIII. dum saturo iam & pleno aliquid cibi, quod nec desiderat, nec capit. Non est itaque quòd quenquam propter canos aut rugas putes diu vixisse. Non ille diu vixit, sed diu fuit. Quid enim? illum multum putas nauigasse, quem saeua tempestas a portu exceptum huc & illuc tulit, [r] ac viribus ventorum ex diuerso furentium [s] per eadem spatia in orbem egit? Non ille multum nauigauit, sed multum iactatus est. Mirari soleo, cum video aliquos tempus petere, & eos qui rogantur facillimos. Illud vterque spectat, propter quod tempus petitum est: [t] ipsum quidem neuter. Quasi nihil petitur, quasi nihil datur. Re omnium pretiosissima luditur. Fallit autem illos, quia res incorporalis est, quia sub oculos non venit. Ideoque vilissima aestimatur, immo paene nullum pretium eius est. Annua congiaria homines clarissimi accipiunt, & his aut laborem, aut operam, aut diligentiam suam locant: nemo aestimat tempus. Vtuntur illo laxius, quasi gratuito. At eosdem aegros vide, [u] si mortis periculum admotum est propius, medicorum genua tangentes: si metuunt capitale supplicium, omnia sua, vt viuant, paratos impendere. Tanta in illis discordia affectuum est. Quòd si posset quemadmodum praeteritorum annorum cuiusque numerus proponi, sic futurorum: quomodo illi qui paucos viderent superesse, trepidarent, quomodo illis parcerent? Atqui facile est, quamuis exiguum dispensare, quod certum est. Id debet seruari diligẽtius, quod nescias quando deficiat. Nec est tamen, quod ignorare putes illos, quàm cara res sit. [4] Dicere solent eis quos valdissime diligunt, paratos se partem annorum suorum dare. Dãt, nec intelligunt: dant autem ita, vt sine illorum incremento sibi detrahant: sed hoc ipsum an detrahant, nesciunt: ideo tolerabilis est illis iactura detrimenti latentis. Nemo restituet annos, nemo iterum te tibi reddet. Ibit qua coepit aetas, nec cursum suum aut reuocabit, aut supprimet: [x] nihil tumultuabitur, nihil admonebit velocitatis suae: tacita labetur. [y] Non illa regitur imperio, non fauore populi longius proferet. Sicut iussa est a primo die, curret: nusquam diuertet, nusquam remorabitur. Quid fiet? tu occupatus es, vita festinat. Mors
IX. interim aderit, [z] cui, velis nolis, vacandum est. Potest ne quisquam sensus hominum, eorum dico qui prudentiam iactant, [a] operosius, occupati sunt, vt melius possint viuere? Impendio vitae vitam instruunt, cogitationes suas in longum ordinant. Maxima porro vitae iactura dilatio est. Illa primum quemque extrahit diem, illa eripit praesentia, dum vlteriora promittit. Maximum viuendi impedimentum est, expectatio, quae pendet ex crastino. Perdis hodiernum, quod in manu fortunae positum est, disponis: quod in tua, dimittis. Quo spectas, quo te extendis? Omnia quae ventura sunt, in incerto iacent. Protinus viue. clamat ecce maximus vates, [b] & velut diuino furore instinctus, salutare carmen canit:

Optima quaeque dies miseris mortalibus aeui
Prima fugit.

Quid cunctatis, inquit, quid cessas? Nisi occupas, fugit: cum occupaueris, tamen fugiet. Itaque cum celeritate temporis, vtendi velocitate certandum est. velut ex torrente rapido, [c] nec semper casuro, cito hauriendum est. Hoc quoque pulcherrime ad exprobrandam infinitam cogitationem, quòd non optimam quamque aetatem, sed diem dicit. Quid securus, [d] & in tanta tẽporum fuga lentus, menses tibi, & annos, & longam seriem, vtcũque auiditati tuae visum est, exporrigis? De die tecum loquitur, & de hoc ipso fugiente. Non dubium est ergo, quin prima quaeque optima dies fugiat mortalibus [e] miseris, id est, occupatis: quorum pueriles adhuc animos senectus opprimit, ad quam imparati inermesque veniunt. Nihil enim prouisum est: subito in illam, nec opinantes inciderunt. Accedere eam quotidie non sentiebant. Quemadmodum quos aut sermo, aut lectio, aut aliqua interior cogitatio iter facientes decipit, [f] peruenisse se ante sciunt, quàm appropinquasse: ita hoc iter vitae assiduum & citatissimum, quod dormientes vigilantesque eodem gradu facimus, occupatis
X. non apparet, nisi in fine. Quod proposui, si in partes velim & argumenta diducere, multa mihi occurrent, per quae probem breuissimam esse occupatorum vitam. Solebat dicere

Fabianus

Fabianus,non ex his cathedrariis philosophis, sed ex veris & antiquis,[g] contra affectus impetu, non subtilitate pugnandum, nec minutis vulneribus, sed incursu auertendam aciem. Sugillationem enim retundi debere, non vellicari. Tamen vt illis error exprobretur suus, docendi,non tantum deplorandi sunt. In tria tempora vita diuiditur:quod est,quod fuit, & quod futurum est. Ex his quod agimus,breue est:quod acturi sumus,dubium:quod egimus, certum. [h] Hoc est enim in quod fortuna ius perdidit, quod in nullius arbitriũ reduci potest. Hoc amittunt occupati:nec enim illis vacat praeterita respicere : & si vacet, [i] certe iniucunda est recordatio. Inuiti namque ad tempora male exacta animum reuocant, [k] nec audent ea retentare, quorum vitia [l] etiam quae aliquo praesentis voluptatis lenocinio subrepebãt, retentando patescunt.Nemo,nisi a quo omnia acta sunt sub censura sua,quae nunquam fallitur,[m] libenter se in praeteritum retorquet.Ille qui multa ambitiose concupiuit,superbe contempsit,[n] impotenter vicit,insidiose decepit,auare rapuit,prodige effudit,necesse est memoriam suam timeat.Atqui haec est pars tẽporis nostri sacra ac dedicata, omnes humanos casus supergressa,extra regnum fortunae subducta,quam non inopia,non metus,non morborum incursus exagitat. Haec nec turbari, nec eripi potest:perpetua eius & intrepida possessio est. Singuli tantum dies, & hi per momenta praesentes sunt. At praeteriti temporis omnes cũ iusseris aderunt,ad arbitrium tuum se inspici ac detineri patientur: quod facere occupatis non vacat. Securae & quietae mentis est,in omnes vitae suae partes discurrere.[o] Occupatorum animi velut sub iugo sunt, flectere se ac respicere non possunt. [p] Abiit igitur vita eorum in profundum, & vt nihil prodest, quantumlibet ingeras, si non subest [q] quod excipiat ac seruet:sic nihil refert,quantum temporis detur,si non est vbi subsidat,per quassos foratosque animos transmittitur. Praesens tempus breuissimum est, adeo quidem, vt quibusdam nullum videatur:in cursu enim semper est.Fluit & praecipitatur:ante desinit esse,quàm venit. Nec magis moram patitur quàm mundus, aut sidera, quorum irrequieta semper agitatio, nũquam in eodem vestigio manet. Solum igitur ad occupatos praesens pertinet tempus:quod tã breue est, vt arripi nõ possit, & idipsum illis districtis in multa,subducitur.

XI. Denique vis scire,quàm non diu viuant?Vide quàm cupiãt diu viuere. Decrepiti senes paucorum annorum accessionem votis mendicant. Minores natu seipsos esse fingunt : mendacio sibi blandiuntur:& tam libenter fallunt, [r] quàm si fata vna decipiant. [s] Iam vero cum illos aliqua imbecillitas mortalitatis admonuit,quemadmodum pauentes moriuntur,non tãquam exeant de vita,sed tanquam extrahantur? stultos se fuisse, quòd non vixerint, clamitant,& si modo euaserint ex illa valetudine,in otio victuros. Tunc quàm frustra parauerint, quibus non fruerentur,quàm incassum omnis labor ceciderit,cogitant. At quibus vita procul ab omni negotio agitur,quid ni spatiosa sit? Nihil ex illa delegatur, nihil alio atque alio spargitur,nihil inde fortunae traditur, nihil negligentia interit, nihil largitione detrahitur, nihil superuacuum est: [t] tota (vt ita dicam) in reditu est. Quantulacunque itaque abunde sufficit,[u] & ideo quandocunque vltimus dies venerit,nõ cunctabitur vir sapiens ire ad mortem certo gradu. Quaeris forte,quos occupatos vocem. Non est quòd me solos putes dicere;quos a basilica [u] immissi demum canes eiiciunt,quos aut in sua vides turba [x] speciosius elidi, aut in aliena contemptius, quos officia domibus suis euocant, vt alienis foribus illidãt, [y] quos hasta praetoris infami lucro,& quandoque suppuraturo,exercet.Quorundam otium occupatum est. in villa,aut in lecto suo,in media solitudine, quãuis ab omnibus recesserunt, sibi ipsi molesti sunt. [z] Quorum non otiosa vita est dicenda, sed desidiosa occupatio.

XII. Illum tu otiosum vocas,qui Corinthia paucorum furore pretiosa, anxia subtilitate concinnat,& maiorem dierum partem in aeruginosis lamellis cõsumit,qui in ceromate (nam,proh facinus, ne Romanis quidem vitiis laboramus) spectator puerorum rixantium sedet, [&] qui [a] vinctorum suorum greges in aetatum [b] & colorum paria diducit, qui athletas nouissimos pascit?Quid ? illos otiosos vocas,quibus apud tonsorem multae horae transmittuntur, dum decerpitur,si quid proxima nocte succreuit,dum de singulis capillis in consilium itur, dum aut disiecta coma restituitur, aut deficiens hinc atque illinc in frontem compellitur ? Quomodo irascuntur, si tonsor paulo negligentior fuit? tanquam virum tonderet. Quomodo excandescunt, si quid ex iuba sua decisum est, si quid extra ordinem iacuit, nisi omnia in annulos suos reciderunt? Quis est istorum, qui non malit rempublicam turbari, quàm comam suam? qui non solicitior sit de capitis sui decore, quàm de salute ? qui non comptior esse malit, quàm honestior? Hos tu otiosos vocas,inter pectinem speculumque occupatos? Quid illi,qui in componendis, audiendis, [7] discendis canticis operati sunt,dum vocem,cuius rectum cursum natura & optimum & simplicissimum fecit, [c] inflexu modulationis ineptissimae torquent?Quorum digiti aliquod inter se carmen metientes semper sonant:quo-

rum digiti aliquod inter ſe carmen metientes ſemper ſonãt: quorum cum ad res ſerias, etiam ſaepe triſtes, adhibiti ſunt, exauditur tacita modulatio? Non habent iſti otium, ſed iners negotium. Conuiuia mehercule horum non poſuerim inter vacantia tempora, cum videam quàm ſoliciti argentum ordinent, quàm diligenter exoletorum ſuorum tunicas ſuccingant, quàm ſuſpenſi ſint, quomodo aper a coco exeat: quanta celeritate, ſigno dato, glabri ad miniſteria diſcurrant: quanta arte ſcindantur aues in fruſta non enormia: qoàm curioſe infelices pueruli ebriorum ſputa detergeant. Ex his elegantiae lautitiaeque fama captatur, & vſque eo in omnes vitae ſucceſſus mala ſua illos ſequuntur, vt nec bibant ſine ambitione, nec edant. Nec illos quidem inter otioſos numeraueris, qui ſella ſe & lectica huc & illuc ferunt, & ad geſtationum ſuarum, quaſi deſerere illas non liceat, horas occurrunt: quos, quando lauari debeant,[d] quando natare, quando coenare, alius admonet, & vſque eo nimio delicati animi languore ſoluuntur, vt per ſe ſcire non poſſint, an eſuriant. Audio quendam ex delicatis (ſi modo deliciae vocandae ſunt, vitam & conſuetudinem humanam dediſcere) cum ex balneo inter manus elatus & in ſella poſitus eſſet, dixiſſe interrogando, Iam ſedeo? Hunc tu ignorantem an ſedeat, putas ſcire an viuat, an videat, an otioſus ſit? Non facilé dixerim, vtrũ magis miſerear, ſi hoc ignorauit, an ſi ſe ignorare finxit. Multarum quidem rerũ obliuionem non ſentiunt,[e] ſed mentiuntur: quaedam vitia illos quaſi felicitatis argumenta delectant. Nimis humilis & contempti hominis eſſe videtur, ſcire quid faciat. I nunc, & mimos multa mentiri ad exprobrandam luxuriam puta. Plura mehercule praetereunt quàm fingunt: & tãta incredibilium vitiorum copia, ingenioſo in hoc vnum ſaeculo, proceſſit, vt iam mimorum arguere poſſimus negligentiam. Eſſe aliquem, qui vſque eo deliciis interierit, vt an ſe-

XIII. deat, alteri credat? Non eſt ergo otioſus hic: aliud nomen imponas. Aeger eſt: immo mortuus eſt. Ille otioſus eſt, cui otij ſui ſenſus eſt: hic vero ſemiuiuus, cui ad intelligẽdos corporis ſui habitus indice opus eſt. Quomodo poteſt hic alicuius temporis dominus eſſe? Perſequi ſingulos longum eſt: quorum aut laterunculi, aut pila, aut excoquendi in ſole corporis cura conſumpſere vitam. Non ſunt otioſi, quorum voluptates multum negotium habent. Nam de illis nemo dubitabit,[g] quin operoſe nihil agant, qui in litterarum inutilium ſtudiis detinentur: quae iam apud Romanos quoque magna manus eſt. Graecorum iſte morbus fuit, quaerere quem numerum remigum Vlixes habuiſſet: prior ſcripta eſſet Ilias, an Odyſſea: praeterea an eiuſdem eſſet auctoris. Alia deinceps huius notae: quae ſiue contineas, nihil tacitam conſcientiã iuuant: ſiue proferas, non doctior videberis, ſed moleſtior. Ecce Romanos quoque inuaſit inane ſtudium ſuperuacua diſcendi. His diebus audiui quendam referentem,[f] quae primus quiſque ex Romanis ducibus feciſſet. Primus nauali proelio Duillius vicit, primus Curius Dentatus in triumpho duxit elephantos.[g] Etiamnum iſta, & ſi ad veram gloriam non tendunt, circa ciuilium tamen operum exempla verſantur. Non eſt profutura talis ſcientia: eſt tamen quae nos ſpecioſa rerũ vanitate detineat. Hoc quoque quaerentibus remittamus, quis Romanis primus perſuaſit nauem conſcendere. Claudius is fuit: Caudex ob hoc ipſum appellatus, quia plurium tabularum cõtextus caudex apud antiquos vocabatur:[h] vnde publicae tabulae codices dicuntur: & naues nunc quoque,[i] quae ex antiqua conſuetudine per Tiberim commeatus ſubuehunt, caudicariae vocantur. Sane & hoc ad rem pertineat, quòd Valerius Coruinus primus Meſſanam vicit, & primus ex familia Valeriorũ, vrbis captae in ſe tranſlato nomine Meſſana appellatus eſt, paulatimque vulgo permutante litteras, Meſſalla dictus eſt. Num & hoc quenquam curare permittas, quòd primus L. Sylla in circo leones ſolutos dedit,[k] cum alioquin alligati darentur, ad conficiendos eos miſſis a rege Boccho iaculatoribus? Et hoc ſane remittatur. Num & Pompeium primum in circo elephantorum duodeuiginti pugnam edidiſſe, commiſſis more proelij noxiis hominibus, ad vllam rem bonam pertinet? Princeps ciuitatis, & inter antiquos principes, vt fama tradidit, bonitatis eximiae, memorabile putauit ſpectaculi genus, nouo more perdere homines. Depugnant? parum eſt. lancinantur? parum eſt.[l] ingenti mole animalium obterantur. Satius erat iſta in obliuionem ire, ne quis poſtea potens diſceret, inuideretque rei mini-

XIIII. me humanae. O quantum caliginis mentibus humanis obiicit magna felicitas. Ille ſe ſupra rerum naturam eſſe tunc credidit, cum tot miſerorum hominũ cateruas ſub alio caelo natis beluis obiiceret, cum bellum inter tam diſparia animalia committeret, cum in conſpectu populi Romani multum ſanguinis funderet, mox plus ipſum fundere coacturus. At idẽ poſtea Alexandrina perfidia deceptus, vltimo mancipio transfodiendum ſe praebuit, tum demum intellecta inani iactatione cognominis ſui. Sed vt illo reuertar,[m] vnde deceſſi, & in alia materia oſtendam ſuperuacuam quorundam diligentiam:[n] idem narrabat Metellum victis in Sicilia Poenis, triumphantem, vnum omnium Romanorum ante currum[o] centum

&

& viginti captiuos elephantos duxisse: Syllam vltimum Romanorum protulisse pomoerium, quod nunquam prouinciali, sed Italico agro acquisito mos proferre apud antiquos fuit. Hoc scire magis prodest, quàm Auentinum montem extra pomoerium esse, vt ille affirmabat, propter alteram ex duabus causis: aut quòd plebs eò secessisset, aut quòd Remo auspicante illo loco aues non addixissent. Alia deinceps innumerabilia, quae aut ficta sunt, aut mendacij similia. Nam vt concedas omnia eos fide bona dicere, vt ad praestationẽ scribant: tamen cuius ista errores minuent? cuius cupiditates prement? quem fortiorem, quem iustiorem, quem liberaliorem facient? Dubitare se interim Fabianus noster aiebat, an satius esset nullis studiis admoueri, quàm his implicari. Soli omnium otiosi sunt, qui sapientiae vacant: soli viuunt: nec enim suam tantum aetatem bene tuentur: omne aeuum suo adiiciunt: Quicquid annorum ante illos actum est, illis acquisitum est. Nisi ingratissimi sumus, illi clarissimi sacrarum opinionum conditores, nobis nati sunt, nobis vitam praeparauerunt. Ad res pulcherrimas ex tenebris ad lucem erutas, alieno labore deducimur: nullo nobis saeculo interdictum est: in omnia admittimur: & si magnitudine animi egredi humanae imbecillitatis angustias libet, multum per quod spatiemur temporis est. Disputare cum Socrate licet, dubitare cum Carneade, cum Epicuro quiescere, hominis naturam cum Stoicis vincere, cũ Cynicis excedere, cũ rerũ natura in cõsortium omnis aeui pariter incedere. Quid ni ab hoc exiguo & caduco temporis transitu, in illa nos toto demus animo, quae immensa, quae aeterna sunt, quae cum melioribus communia? Isti qui per officia discursant, qui se aliosque inquietant, cum bene insanierint, cum omnium limina quotidie perambulauerint, nec vllas apertas fores praeterierint, cum per diuersas domos meritoriam salutationem circumtulerint: quotumquemque ex tam immensa & variis cupiditatibus districta vrbe poterunt videre? quàm multi erunt, quorum illos aut somnus, aut luxuria, aut inhumanitas submoueat? quàm multi, qui illos, cum diu torserint, simulata festinatione transcurrant? quàm multi per refertum clientibus atrium prodire vitabunt, & per obscuros aedium aditus profugiẽt? quasi non inhumanius sit decipere, quàm excludere. quàm multi [r] hesterna crapula semisomnes & graues, illis miseris somnum suum rumpentibus, vt alienum expectent, vix alleuatis labiis insusurratum millies nomen, [s] oscitatione superbissima reddent? Hos in veris officiis morari licet dicamus, qui Zenonem, qui Pythagoram quotidie & Democritum, ceterosque antistites bonarum artiũ, qui Aristotelem & Theophrastũ volent habere quãfamiliarissimos. nemo horum non vacabit, nemo nõ venientẽ ad se beatiorẽ, amantioremq; sui dimittet, nemo quenquã vacuis a se manibus abire patietur. Nocte conueniri & interdiu ab omnibus mortalibus possunt. Horũ te mori nemo coget, omnes docebũt: horũ nemo annos tuos cõteret, suos tibi contribuet: nullius ex his sermo periculosus erit, [t] nullius amicitia capitalis, nullius sumptuosa obseruatio.

XV. Feres ex his quicquid voles: per illos nõ stabit, [u] quo minus quãtum plurimum ceperis, haurias. Quae illum felicitas, quàm pulchra senectus manet, qui se in horum clientelam contulit? habebit cum quibus de minimis maximisque rebus deliberet, quos de se quotidie cõsulat, a quibus audiat verum sine contumelia, laudetur sine adulatione, ad quorum se similitudinẽ effingat. Solemus dicere, non fuisse in nostra potestate, quos sortiremur parentes: sorte nobis datos. Nobis vero ad nostrum arbitrium nasci licet. nobilissimorum ingeniorum familiae sunt. Elige in quam ascisci velis: non in nomen tãtum adoptaberis, sed in ipsa bona, [x] quae non erunt sordide nec maligne custodienda: maiora fiẽt, quo illa pluribus diuiseris. Hi tibi dabunt ad aeternitatem iter, & te in illum locum, ex quo nemo eiiciet, subleuabunt: haec vna ratio est extendendae mortalitatis, immo in immortalitatem vertendae. [y] Honores, monumenta, quicquid aut decretis ambitio iussit, aut operibus extruxit, cito subruitur: nihil non longa demolitur vetustas, & mouet ocyus, [z] quod cõsecrauit. Sapientiae noceri non potest. nulla delebit aetas praesens, nulla diminuet sequens, ac deinde semper vlterior aliquid ad venerationem conferet: quoniam quidem in vicino versatur inuidia. simplicius longe posita miramur. Sapientis ergo multum patet vita. non idẽ illum qui ceteros terminus includit. solus generis humani legibus soluitur: omnia illi saecula, vt Deo seruiunt. Transiuit tempus? aliquid ex hoc recordatione comprehendit. instat? hoc vtitur. venturum est? hoc praecipit. Longam illi vitam facit omnium temporum in vnum collatio. Illorum breuissima ac solicitissima aetas est, qui praeteritorum obliuiscuntur, praesentia negligunt, de futuro timent. Cum ad extrema venerint, sero intelligunt miseri, tàmdiu se, dum nihil agunt, occupatos fuisse.

XVI. Nec est quòd hoc argumento probari putes, longam illos agere vitam, quia interdum mortem inuocant. Vexat illos imprudentia incertis affectibus, & incurrentibus in ipsa quae metuunt. Mortem saepe ideo optant, quia timent. Illud quoque argumentum non est, [a] quo putes diu victuros, quòd saepe illis longus

videtur dies: quòd dum veniat condictum tempus coenae, tarde ire horas queruntur. nam ſi quando illos deſerunt occupationes, in otio relicti aeſtuant, [y] nec quomodo id diſponant, aut extrahant, ſciunt. Itaque ad occupationem aliquam tendunt, & quod interiacet, omne tempus graue eſt: tam mehercules, [z] quàm cum dies muneris gladiatorij edictus eſt, aut cum alicuius alterius vel ſpectaculi vel voluptatis expectatur conſtitutum, tranſilire medios dies volunt. Omnis illis ſperatae rei longa dilatio eſt. At illud tempus, quod amant, breue eſt, & praeceps, breuiusque multo fit ſuo vitio: aliunde enim aliò transfugiunt, & conſiſtere in vna cupiditate non poſſunt. Non ſunt illis longi dies, ſed inuiſi. At contra, quàm exiguae noctes videntur, quas in complexu ſcortorum aut vino exigunt. Inde etiam poetarum furor, fabulis humanos errores alentium, quibus viſus eſt Iupiter [a] voluptate concubitus delenitus duplicaſſe noctem. [b] Quid aliud eſt vitia incendere, quàm auctores illis inſcribere deos, & dare morbo, exemplo diuinitatis excuſatam licētiam? Poſſunt iſtis nō breuiſſimae videri noctes, quas tam care mercantur? Diem noctis expectatione perdunt, noctem lucis metu. Ipſae voluptates eorum trepidae, & variis terroribus inquietae ſunt, [c] ſubitque cummaxime exultātes ſollicita cogitatio: Haec quàm diu? Ab hoc affectu reges ſuam fleuere potentiam: nec illos magnitudo fortunae ſuae delectauit, ſed venturus aliquando finis exterruit. Cum per magna camporum ſpatia porrigeret exercitum, [d] nec numerum eius, ſed menſuram comprehenderet Perſarum rex inſolentiſſimus, lacrimas fudit, quòd intra centum annos nemo ex tanta iuuentute ſuperfuturus eſſet. At illis érat admoturus fatum [e] ille ipſe qui flebat, perditurusque alios in terra, alios in mari, alios in proelio, alios in fuga: & intra exiguum tempus

XVII. conſumpturus [f] illos, quibus centeſimum annum timebat. Quid, quòd gaudia quoque eorum trepida ſunt? non enim ſolidis cauſis innituntur, ſed eadem qua oriūtur, vanitate turbantur. Qualia autem putes tempora eſſe, etiam ipſorum confeſſione miſera: cum haec quoque quibus ſe attollunt, & ſupra hominem efferunt, parum ſincera ſint? Maxima quaeque bona ſollicita ſunt: nec vlli fortunae minus bene quàm optimae creditur. Alia felicitate ad tuendam felicitatem opus eſt: & pro ipſis quae ſucceſſerunt votis, vota facienda ſunt. Omne enim, [g] quod fortuito euenit, inſtabile eſt: quo altius ſurrexit, vergit pronius in occaſum. Neminem porro caſura delectant. Miſerrimam ergo neceſſe eſt, non tantum breuiſſimam, vitā eorum eſſe, qui magno parant labore, quod maiore poſſideant: operoſe aſſequūtur quae volunt, anxij tenent quae aſſecuti ſunt. Nulla interim nunquam amplius redituri temporis eſt ratio. Nouae occupationes veteribus ſubſtituūtur, ſpes ſpem excitat, ambitionem ambitio: miſeriarum non finis quaeritur, ſed materia mutatur. Noſtri nos honores torſerunt? plus temporis alieni auferunt. [h] Candidati laborare deſiuimus? ſuffragatores incipimus. Accuſandi depoſuimus moleſtiam? iudicandi nanciſcimur. Iudex deſiit eſſe? quaeſitor eſt. Alienorum bonorum mercenaria procuratione conſenuit? [i] ſuis opibus detinetur. Marium caliga dimiſit? conſulatus exercet. Quintius dictaturam properat euadere? ab aratro reuocabitur. Ibit in Poenos [k] nondum tantae maturus rei Scipio, victor Hannibalis, victor Antiochi, ſui conſulatus decus, fraterni ſponſor: ni per ipſum mora ſit, cum Ioue reponetur? ciuiles ſeruatorem agitabunt ſeditiones, [l] & poſt faſtiditos a iuuene dijs aequos honores, iam ſenem contumacis exilij delectabit ambitio. Nunquam deerunt vel felices, vel miſerae ſolicitudinis cauſae: [m] per occupationes intercludetur otium: nunquam agetur, ſemper optabitur.

XVIII. Excerpe itaque te vulgo, [n] Pauline cariſſime, & in tranquilliorem portum, non pro aetatis ſpatio iactatus, tandem recede. Cogita quot fluctus ſubieris, quot tempeſtates partim priuatas ſuſtinueris, partim publicas in te conuerteris. Satis iam per laborioſa & inquieta documenta exhibita virtus eſt: experire quid in otio faciat. Maior pars aetatis, certe melior Reip. data ſit. Aliquid temporis tui ſume etiam tibi. Nec te ad ſegnem aut inertem quietem voco: non vt ſomno [o] & caris turbae voluptatibus, quicquid eſt in te indolis viuae, demergas. Non eſt iſtud quieſcere. Inuenies maiora [p] omnibus adhuc ſtrenue tractatis operibus, quae repoſitus & ſecurus agites. Tu quidem orbis terrarum rationes adminiſtras, tam abſtinenter quā alienas, tam diligenter quàm tuas, tam religioſe quàm publicas. in officio amorem cōſequeris, in quo odium vitare difficile eſt. Sed tamen, mihi crede, ſatius eſt vitae ſuae rationē, quàm frumenti publici noſſe. [q] Iſtum animi vigorem, rerum maximarum capaciſſimum, a miniſterio honorifico quidem, ſed parum ad beatam vitā apto, ad te reuoca: & cogita, non id egiſſe te ab aetate prima omni cultu ſtudiorum liberalium, vt tibi multa millia frumenti committerentur. maius quiddam & altius de te promiſeras. Non deerunt & frugalitatis exactae homines, & laborioſae operae. Tanto aptiora exportandis oneribus tarda iumenta ſunt, quàm nobiles equi: quorum generoſam pernicitatem quis vnquam graui ſarcina preſſit? Cogita praeterea, quantum ſollicitudinis ſit, ad tantam te molem obiicere. cum ventre humano ti-

bi negotium est. Nec rationem patitur, nec aequitate mitigatur, nec vlla prece flectitur populus esuriēs. Modo intra paucos illos dies, quibus C. Caesar periit, si quis inferis sensus est, hoc grauissime ferens, quòd dicebat, populo Romano superstiti, septem aut octo certe dierum cibaria superesse, dum ille pontes nauibus iungit, & viribus imperij ludit, aderat vltimū malorum obsessis quoque, alimentorum egestas. Exitio paene ac fame constitit, & quae famem sequitur rerum omnium ruina, furiosi & externi & infeliciter superbi regis imitatio. Quem tunc animum habuerunt illi, quibus erat mandata frumenti publici cura? ferrum, saxa, ignes, Caium excepturi, summa dissimulatione tantum inter viscera latentis mali tegebant: cum ratione scilicet. Quaedam enim ignorantibus aegris curanda sunt. Causa multis moriendi fuit, morbum suum nosse. Recipe te ad haec tranquilliora, tutiora, maiora. Simile tu putas esse, vtrum cures, vt incorruptum a fraude aduehentium & negligentia frumētum transfundatur in horrea, ne concepto humore vitietur, & concalescat, vt ad mensuram pondusque respondeat: an ad haec sacra & sublimia accedas, sciturus quae natura sit diis, quae voluntas, quae condicio, quae forma, quis animū tuum casus expectet, vbi nos a corporibus dimissos natura componat? Quid sit quod huius mundi grauissima quaeque in medio sustineat, supra leuia suspendat, in summum ignem ferat, sidera cursibus suis excitet? Cetera deinceps ingentibus plena miraculis. Vis tu, relicto solo, mente ad ista respicere? Nūc dum calet sanguis, vigentibus ad meliora eundum est. Expectat te in hoc genere vitae multus bonarum artium amor, virtutumque vsus, cupiditatum obliuio, viuendi atque moriendi scientia, alta rerum quies. Omnium quidem occupatorum condicio misera est: eorum tamē miserrima, qui ne suis quidem occupationibus laborant, ad alienum dormiunt somnum, ad alienum ambulant gradum, ad alienum comedunt appetitum, amare & odisse, res omnium liberrimas, iubentur. Hi si velint scire, quàm breuis ipsorum vita sit, cogitent, ex quota parte sua sit. Cum videris itaque praetextam saepe iam sumptam, cum celebre in foro nomen, non inuideris. ista vitae damno parātur. vt vnus ab illis numeretur annus, omnes annos suos conterent. Quosdam cum in summum ambitionis eniterentur, inter prima luctantes aetas reliquit. Quosdam cum in consummationem dignitatis per mille indignitates erepsissent, misera subiit cogitatio, ipsos laborasse in titulum sepulcri. Quorundam vltima senectus dum in nouas spes vt iuuenta disponitur, inter conatus magnos & improbos inualida defecit. XIX.

Foedus ille, quem in iudicio pro ignotissimis litigatoribus grandem natu & imperitae coronae assentationes captantem, spiritus liquit. Turpis ille, qui viuendo lassus citius quàm laborando, inter ipsa officia collapsus est. Turpis, quem accipiendis immorientem rationibus, diu tractus risit heres. Praeterire quod mihi occurrit exemplum, non possum. Turannius fuit exactae diligentiae senex: qui post annum nonagesimum cum vacationem procurationis a C. Caesare vltro accepisset, componi se in lecto, & velut exanimem a circumstante familia plangi iussit. Lugebat domus otium domini senis, nec finiuit ante tristitiam, quàm labor illi suus restitutus est. Adeone iuuat occupatum mori? Idem plaerisque animus est: diutius cupiditas illis laboris, quàm facultas est: cum imbecillitate corporis pugnant: senectutem ipsam nullo alio nomine grauem iudicant, quàm quòd illos seponit. Lex a quinquagesimo anno militem non cogit, a sexagesimo senatorem non citat. Difficilius homines a se otium impetrāt, quàm a lege. Interim dum rapiuntur & rapiunt, dum alter alterius quietem rumpit, dum mutuo sunt miseri, vita est sine fructu, sine voluptate, sine vllo profectu animi: nemo in conspicuo mortem habet, nemo non procul spes intendit. Quidam verò disponunt etiam illa quae vltra vitam sunt, moles magnas sepulchrorum, & operum publicorum dedicationes, & ad rogum munera & ambitiosas exequias. At mehercule istorum funera ad faces & ad cereos ducenda sunt. XX.

M. ANTONII MVRETI AD LIBRVM SENECAE DE BREVITATE vitae, Notae.

PAVLINVS, *ad quem liber hic scriptus est, socer, vt puto, Senecae fuit.*

1 Maximi medicorum] *Locus Hippocratis notus est, e principio definitionum:* O βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρή. CAP. I.

2 Inde Aristoteli] *Querela haec in libris Aristotelis non extat. Theophrastum hac ipsa de re conquestum esse morientem, narrat Cicero libro tertio Tusculanarum.*

II. 3 Apud maximum poetarum] *Quis tandem iste est maximus poetarum? Libri veteres partim habent*, apud maximum poetam, *partim* apud Axium poetam. *Legendum fortasse sit*, apud Attium poetam. *aut simpliciter* apud Attium. *vt illud* poetam *addiderit aliquis, qui declarare vellet, qui fuisset Attius.*

VIIII. 4 Dicere solent eis quos valdissime diligunt,] *Sic habent veteres libri mei*: valdissime *inquam, non* validissime. *De hoc autem antiquo genere blandiendi scripsi quaedam capite primo libri noni Variarum lectionum.*

X I. 5 Quàm si fata vna decipiant.] *Eleganter Martialis in eum qui capillum sibi tingebat, vt minus senex videretur:*

Non omnes fallis. Scit te Proserpina canum.
Personam capiti detrahet illa tuo.

XII. 6 Qui vicorum suorum greges metatur, & colonorum paria deducit,] *Foede contaminatus locus, quem ope libri Siciliensis ita restitui*: Qui vinctorum suorum greges in aetatum & colorum paria diducit. *neque meo quidem animo, verius aut rectius quidquam excogitari potest.*

7 Discendis canticis operati sunt,] *id est, occupati. Lucretius:*

Et quibus in rebus consuerunt esse operati. *Horatius:*
In cute curanda plus aequo operata iuuentus.

XIII. 8 Quin operose nihil agant, qui in litterarum inutilium studiis detinentur.] *Locus summa animaduersione dignus. Nam nostra quoque aetas eodem, aut etiã grauiori, morbo laborat. Multi sunt, qui quo naso, quibus oculis hic aut ille ex veteribus fuerit, quomodo vestitus, nudis pedibus an calceatis incesserit, Marco an Maenio ei nomen fuerit, vbi habitauerit, diligentius ac sollicitius quaerant, quàm quid ij qui magnam sapientiae opinionem habuerunt, de virtute atque officio senserint, quam optimam reip. formam iudicarint, quod iter ad sapientiam maxime compendiarium censuerint. Ita in superuacanea curiosi, ad profutura negligentes sumus. Ego autem existimo, aeque in studiis nimiam diligentiã, si male collocetur, ac nimiam negligentiam nocere. Videant, obsecro, quanto leniora atque inaniora sint ea, in quibus multi liberalis doctrinae magnam partem positam esse contendunt, iis quae hoc loco Seneca meritissimo irridet.*

XV. 9 Quominus quantũ plurimum ceperis, haurias.] *Libri veteres partim* ceperis, *partim* cupieris. *Neutrũ damno. Sed capere est χωρεῖν, quod huic loco accõmodatius videtur. Itaq;* ceperis *malo.*

XX. 10 Tyrannus fuit exactae diligentiae senex :] *Hic tyrannus in alienum locum, non insitata tyrannis consuetudine, inuaserat. In libro Siculo est* Turannius: *quod, non dubito, quin verum sit. Sed quod hic de Turannio dicitur, simile quiddam, me puero, narrabatur de mercatore quodam Parisiensi, ceteroqui viro bono, sed qui tota vita nihil vnquã vacui temporis a litibus forensibus habuisset: etiamque tunc capularis senex fora omnia quotidie peruagaretur. Quod cum ad Franciscum primum Galliarum regem, elegantissimi hominem ingenij, perlatum esset, quietis se aliquid misero homini confecturũ, & cum omnibus, tum qui quid ab ipso peterent, tum a quibus ipse peteret, bonis & aequis condicionibus transacturum recepit. At infelix senex ad regem accurrit, prouolutusque ad illius genua, supplex orat, vt sibi vna saltem aut altera lis, in qua se exerceret, relinqueretur: vitam sibi, adempta illa exercitatione, iniucundã & insuauem fore. Risit rex: & homini qui quiescere nisi inquietus non posset, lites suas, vbi se arbitratu suo defatigaret, reliquit.*

L. ANNAEI SENECAE LIBER DE CONSOLATIONE AD POLYBIUM

ΑΚΕΦΑΛΟΣ.

[1] OSTRA corpora compares, firma sunt: si redigas [b] ad condicionem naturae omnia destruentis, & vnde edidit eodem reuocãtis, caduca sunt. Quid enim immortale manus mortales fecerint? Septem illa miracula, [c] & si qua his mirabiliora sequentium annorũ extruxit ambitio, aliquando solo aequata visentur. Ita est. nihil perpetuum, pauca diuturna sunt. Aliud alio modo fragile est: rerum exitus variantur. Ceterum quicquid coepit, & desinit. Mundo quidam minantur interitum, & hoc vniuersum, quod omnia diuina humanaque complectitur, si fas putas credere, dies aliquis dissipabit, &

in

in confusionem veterem tenebrasque demerget. [d] Eat nunc aliquis, & singulas comploret animas, Carthaginis ac Numantiae Corinthique cinerem, & si quid altius cecidit, lamentetur: cum etiam hoc, quod non habet quo cadat, sit interiturum. Eat aliquis, & fata tantum aliquando nefas ausura, sibi non pepercisse conqueratur.

XXI. Quis tam superbae impotentisque arrogantiae est, vt in hac naturae necessitate omnia ad eundem finem reuocantis, se vnum ac suos seponi velit? [e] ruinaeque etiam ipsi mundo imminenti aliquam domum subtrahat? Maximum ergo solatium est, cogitare id sibi accidisse, quod ante se passi sunt omnes, omnesque passuri: & ideo mihi videtur rerum natura, quod grauissimum fecit, commune fecisse, vt crudelitatem fati consolaretur aequalitas. Illud quoque te non minimum adiuuerit, si cogitaueris nihil profuturum dolorem tuum, nec illi quem desideras, nec tibi. noles enim longum esse, quod irritum est. Nam si quicquam tristitia profecturi sumus, non recuso, quicquid lacrimarum [f] fortunae meae superfuit, tuae affundere. Inueniam etiam nunc per hos exhaustos iam fletibus domesticis oculos quod effluat, si modo id tibi futurum bono est. Quid cessas? conqueramur. atque adeo ipse hanc litem meam faciam. Iniquissima omniū iudicio fortuna, [g] adhuc videbaris ab eo homine te continuisse, qui munere tuo tantā venerationem receperat, vt, quod tato vlli contingit, felicitas eius effugeret inuidiam. [h] Ecce eum dolorem illi, quem saluo Caesare accipere maximum poterat, impressisti: & cum bene illum vndique circumisses, intellexisti [i] hanc partem tantummodo patere ictibus tuis. Quid enim illi aliud faceres? pecuniam eriperes? nunquam illi obnoxius fuit. nunc quoque quantum potest, [k] illam a se abiicit, & in tanta felicitate acquirendi, nullum maiorem ex ea fructum, quàm contemptum eius petit. Eripetes illi amicos? sciebas tam amabilem esse, vt facile in locum amissorum posset alios substituere. [l] Vnum enim hunc ex his quos in principali domo potentes vidi, cognouisse videor: quem omnibus amicum habere cum expediat, [m] magis tamen etiam libet. Eriperes illi bonam opinionem? solidior est haec apud eum, quā vt a te quoque ipsa concuti posset. Eriperes bonam valitudinem? sciebas animum eius liberalibus disciplinis, quibus non innutritus tantum, sed innatus est, sic esse fundatum, vt supra omnes corporis dolores emineret. Eriperes spiritum? quantulum nocuisses? Longissimum illi aeuum ingenij fama promisit. Id egit ipse, vt meliore sui parte duraret, & compositis eloquentiae praeclaris operibus, a mortalitate se vindicaret. Quamdiu fuerit vllus litteris honor, quamdiu steterit aut Latinae linguae potentia, aut Graecae gratia, vigebit cum maximis viris: quorum se ingeniis vel contulit, vel, si hoc verecundia eius recusat, applicuit.

XXII. Hoc ergo vnū excogitasti, quomodo illi maxime posses nocere. Quo melior enim est quisque, hoc saepius ferre te cōsueuit, sine vllo delectu furentē, & inter ipsa beneficia metuendā. Quantulum erat, tibi immunem ab iniuria praestare eum hominem, in quem videbatur indulgentia tua ratione certa peruenisse, & non ex tuo more temere incidisse? Adiiciamus, si vis, ad has querelas, ipsius adolescentis interceptam inter prima incrementa indolem. Dignus fuit ille te fratre: tu certe eras dignissimus, qui nec ex indigno quidem quicquam doleres fratre. Redditur illi testimonium aequale omnium hominum. Desideratur in tuum honorem, laudatur in suum: nihil in illo fuit, quod non libenter agnosceres. Tu quidem etiam minus bono fratri fuisses bonus: sed in illo pietas tua idoneam nacta materiam, multo se liberius exercuit. Nemo potentiam eius iniuria sensit, nunquam ille te fratrem vlli minatus est. Ad exemplum se modestiae tuae formauerat, cogitabatque quantum tu & ornamentum tuorum esses, & onus. Suffecit ille huic sarcinae. O dura fata & nullis aequa virtutibus. [n] antequam felicitatem suam nosset fratet tuus, exemptus est. Parum autem me indignari scio: nihil est enim difficilius, quàm magno dolori paria verba reperire. Iam nunc tamen si quid proficere possumus, [o] conqueramur. Quid tibi voluisti tam iniusta & tam violenta fortuna? [p] Tam cito indulgentiae tuae te paenituit? quae ista crudelitas est, in medios fratres impetum facere, & tam cruenta rapina concordissimam turbam imminuere, tam bene stipatam optimorum adolescentium domum, in nullo fratre degenerantem, turbare, & sine vlla causa delibare voluisti? Nihil ergo prodest innocentia ad omnem legem exacta, nihil antiqua frugalitas, nihil felicitatis summae potentia, summa conseruata abstinentia, [q] nihil sincerus & purus litterarum amor, nihil ab omni labe mens vacans? Luget Polybius, & in vno fratre, [r] quid de reliquis possit metuere, admonitus, etiam de ipsis doloris sui solatiis timet. Facinus indignū: luget Polybius, & aliquid propitio dolet Caesare. hoc sine dubio impotens fortuna captasti, vt ostenderes neminem contra te, [s] ne a Caesare quidem posse defendi.

XXIII. Diutius accusare fata possumus. stant dura & inexorabilia. nemo illa conuicio, nemo fletu, nemo causa mouet: [t] nihil vnquā parcunt vlli, nec remittunt. Proinde parcamus lacrimis, nihil proficientibus. [u] Facilius enim nos illi dolor adiiciet, quàm illū nobis reducet.

Qui si nos torquet, non adiuuat: primo quoque tempore deponendus est: & ab inanibus solatiis, atque amara quadam libidine dolendi, animos recipiendus. Nam lacrimis nostris, ni ratio finem fecerit, fortuna non faciet. Omnes agedum mortales circumspice. Larga vbique flendi [z] & assidua materia. Alium ad quotidianum opus laboriosa egestas vocat. Aliũ ambitio nunquam quieta sollicitat. Alius diuitias quas optauerat, metuit, & voto laborat suo. Alium solicitudo, alium labor torquet, [y] alium semper vestibulum obsidens turba. Hic habere se dolet liberos, hic perdidisse. Lacrimae nobis deerunt, antequam causae dolendi. Non vides qualem vitam nobis rerum natura promiserit, quae primum nascentium omen fletum esse voluit. Hoc principio edimur, huic omnis sequentium annorum ordo consentit: sic vitam agimus: ideoque moderate id fieri debet a nobis, quod saepe faciendum est: & respicientes, quantum a tergo rerum tristium immineat, si non finire lacrimas, at certe reseruare debemus. Nulli parcendum est rei magis quàm huic, cuius tam frequens vsus est. Illud quoque te non minimum adiuuerit, si cogitaueris, nulli minus gratum esse dolorem tuum, quàm ei cui praestari videtur. Torqueri ille te aut non vult, aut non intelligit. nulla itaque eius officij ratio est, quod ei cui praestatur, si nihil sentit, superuacuum est: [a] si sentit, ingratũ.

XXIIII. Neminem toto orbe terrarum esse, qui delectetur lacrimis tuis, audacter dixerim. Quid ergo? quem nemo aduersus te animum gerit, eum esse tu credis fratris tui, [a] vt cruciatu tuo noceat tibi, vt te velit abducere ab occupationibus tuis, id est, a studio, & Caesare? Non est hoc simile veri. Ille enim indulgentiam tibi tanquam fratri [b] praestitit, venerationem tanquam parenti, cultum tanquam superiori: ille desiderio tibi esse vult, tormento esse non vult. [c] Quid itaque iuuat dolori intabescere: quem, si quis defunctis sensus est, finiri frater tuus cupit? De alio fratre, cuius incerta posset voluntas videri, omnia haec dubie ponerem, & dicerem: Siue te torqueri lacrimis nunquam desinentibus frater tuus cupit, indignus hoc affectu tuo est: siue non vult, [d] vtrique inutilem dolorem dimitte. Nec impius frater sic desiderari debet, nec pius sic velit. In hoc vero, cuius tam explorata pietas est, pro certo habendum est, nihil esse illi posse acerbius, quàm hic si tibi casus eius acerbus est, si te vllo modo torquet, si oculos tuos, indignissimos hoc malo, sine vllo flendi fine conturbat idem & exhaurit. Pietatem tuam tamen nihil aeque [e] a lacrimis tam inutilibus abducet, quàm si cogitaueris, fratribus te tuis exemplo esse debere, fortirer hanc fortunae iniuriam sustinendi. [f] Quod duces magni faciunt, rebus afflictis, vt hilaritatem de industria simulent, & aduersas res adumbrata laetitia abscondant, ne militum animi, si fractam ducis sui mentem viderint, & ipsi collabantur: id nunc tibi quoque faciẽdum est. Indue dissimilem animo tuo vultum, & si potes, proiice omnem ex toto dolorem: sin minus, introrsus abde, & contine, ne appareat, & da operam, vt fratres tui te imitentur, [g] qui honestum putabunt quodcunque facientem viderint, animumque ex vultu tuo sument. [h] Et solatium debes esse, & consolator illorum. Non poteris autem horum maerori obstare, si tuo indulseris.

XXV. Potest & illa res a luctu te prohibere nimio, si tibi ipse renuntiaueris, nihil horum quae facis posse sub duci. Magnam tibi personam hominum consensus imposuit: haec tibi tuenda est. Circumstat te omnis ista consolantium frequentia, & in animũ tuum inquirit, ac perspicit quantum roboris ille aduersus dolorem habeat, [i] & vtrumne tu tantum rebus secundis dextere vti scias, an & aduersas possis viriliter ferre. [k] obseruantur oculi tui. Liberiora omnia sunt iis, quorum affectus tegi possunt. Tibi nullum secretum liberum est, in multa luce fortuna te posuit: omnes scient, quomodo te in isto tuo gesseris vulnere, vtrũne statim percussus arma submiseris, [l] an in gradu steteris. Olim te in altiorem ordinem & amor Caesaris extulit, & tua studia deduxerunt: nihil te plebeium decet, nihil humile. Quid autem tam humile ac muliebre est, quàm consumendum se dolori committere? Non idem tibi in luctu pari, quod tuis fratribus licet. Multa tibi nõ permittit opinio [m] de studiis ac moribus tuis recepta: multũ a te homines exigunt, multũ expectant. Si volebas tibi omnia licere, nõ conuertisses in te ora omniũ: nũc autẽ tibi praestandum est, quantũ promisisti omnibus illis, qui opera ingenij tui laudant, qui describunt: quibus, cũ fortuna tua opus non sit, ingenio opus est. Custodes animi tui sunt. Nihil vnquam potes indignũ facere [n] perfecti & eruditi viri professione, vt non multos admirationis de te suae paeniteat. Non licet tibi flere immodice: nec hoc tantummodo nõ licet, nec somnum quidem extendere in partẽ diei licet, aut a tumultu rerum in otiũ ruris, gratia quietis confugere, aut assidua laboriosi officij statione fatigatum corpus voluntaria peregrinatione recreare, aut spectaculorũ varietate animum detinere, aut ex tuo arbitrio diem disponere.

XXVI. Multa tibi non licent, [o] quae humillimis & in angulo iacentibus licent. Magna seruitus est, magna fortuna. Non licet tibi quicquam arbitrio tuo facere. Audienda sunt tot hominum millia, tot disponendi libelli, tantus rerum ex orbe toto accurrentium congestus.

congeſtus. [p] Vt poſſit per ordinem ſuum ptincipis maximi officium geri, quieti animi eſt: [q] Non licet tibi, inquam, flere: vt multos flentes audire poſſis: vt periclitantium, & ad miſericordiam mitiſſimi Caeſaris peruenire cupientium lacrimae proſint, tibi tuae aſſiccandae ſunt. Hoc tamen etiam non in leuioribus remediis adiuuabit. Cum voles omnium rerum obliuiſci, cogita Caeſarem: vide quantam huius in te indulgentiae fidem, quantam induſtriam debeas. intelliges non magis tibi incuruari licere, quàm illi, [r] ſi quis modo eſt, cuius humeris mundus innititur. Caeſari quoque ipſi, cui omnia licent, propter hoc ipſum multa non licent. Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio. Ex quo ſe Caeſar orbi terrarum dedicauit, ſibi eripuit: & ſiderum modo, quae irrequieta ſemper curſus ſuos explicant, nunquam illi licet nec ſubſiſtere, nec quicquam ſuum facere. Ad quendam itaque modum tibi quoque eadem neceſſitas iniungitur. non licet tibi ad vtilitates tuas, ad ſtudia tua reſpicere: Caeſare orbem terrarum poſſidente, impartiri te nec voluptati, nec dolori, nec vlli rei potes: totum te Caeſari debes. Adiice nunc, quòd cum ſemper praedices [s] cariorem tibi ſpiritu tuo Caeſarem eſſe, fas tibi non eſt, ſaluo Caeſare, de fortuna queri. Hoc incolumi, ſalui tibi ſunt tui: nihil perdidiſti: non tantum ſiccos oculos tuos eſſe, ſed etiam laetos oportet. In hoc tibi omnia ſunt: hic pro omnibus eſt. Quod longe a ſenſibus tuis prudentiſſimis piiſſimisque abeſt, aduerſus felicitatem tuam parum gratus es, ſi tibi quicquam, hoc ſaluo, flere permittis. Monſtrabo etiamnum, non quidem firmius remedium, ſed familiarius. Si quando te domũ receperis, tunc erit tibi metuenda triſtitia. Nam quamdiu numen tuum intueberis, nullum illa ad te inueniet acceſſum: omnia in te Caeſar tenebit: cum ab illo diſceſſeris, tũc, velut occaſione data, inſidiabitur ſolitudini tuae dolor, & requieſcenti animo tuo paulatim irrepet. Itaque non eſt, quod vllum tempus vacare patiaris a ſtudiis: tunc tibi litterae tuae, tam diu ac fideliter amatae, gratiam referant: tunc te illae antiſtitem & cultorem ſuum vindicent: tunc Homerus & Virgilius, tam bene de humano genere meriti, quàm tu de omnibus & de illis meruiſti, quos pluribus notos eſſe voluiſti quàm ſcripſerant, multum tecum morentur. [t] tutum id erit omne tempus, quod illis tuendum commiſeris. Tunc Caeſaris tui opera, vt per omnia ſaecula domeſtico narrentur praeconio, quantum potes compone. Nam ipſe tibi optime formandi condendique res geſtas, & materiam dabit, & exemplum. XXVII.

Non audeo te vſque eo producere, vt fabellas quoque & [u] Aeſopeos logos, intentatum Romanis ingeniis opus, [x] ſolita tibi venuſtate connectas. Difficile eſt quidem, vt ad haec hilariora ſtudia tam vehementer perculſus animus, tam cito poſſit accedere. Hoc tamen argumentum habeto iam corroborati eius, & redditi ſibi, ſi poterit ſe a ſeuerioribus ſcriptis ad haec ſolutiora producere. In illis enim quamuis aegrum eum adhuc, & ſecum reluctantem, aduocabit ipſa rerum quas tractabit auſteritas: haec quae remiſſa fronte commentanda ſunt, nõ feret, niſi cum iam ſibi ab omni parte conſtiterit. Itaque debebis eum ſeueriore materia primum exercere, deinde hilariore temperare. Illud quoque magno tibi erit leuamento, [y] ſi ſaepe te ſic interrogaueris: Vtrum ne meo nomine doleo, an eius qui deceſſit? Si meo, [z] perit meae indulgentiae iactatio, & incipit dolor, hoc vno excuſatus, quòd honeſtus eſt, cum ad vtilitatem reſpiciat, a pietate deſciſcens. Nihil autem minus bono viro conuenit, quàm in fratris luctu calculos ponere. Si illius nomine doleo, neceſſe eſt, alterutrum ex his duobus eſſe iudicem. [a] Nam ſi nullus defunctis ſenſus eſt, euaſit omnia frater meus vitae incommoda, & in eum reſtitutus eſt locum, in quo fuerat antequam naſceretur, & expers omnis mali, [b] nihil timet, nihil cupit, nihil patitur. Quis iſte eſt furor, pro eo me nunquam dolere deſinere, qui nunquam doliturus eſt? Si eſt aliquis defunctis ſenſus, nunc animus fratris mei, velut ex diutino carcere emiſſus, tandem ſui iuris & arbitrij, geſtit, & rerum naturae ſpectaculo fruitur, & humana omnia ex ſuperiore loco deſpicit; diuina vero, quorum rationem tandiu fruſtra quaeſierat, propius intuetur. Quid itaque eius deſiderio maceror, qui aut beatus, aut nullus eſt? Beatum deflere, inuidia eſt: nullum, dementia. XXVIII.

An hoc te mouet, quòd videtur [c] ingentibus & cummaxime circumfuſis bonis caruiſſe? Cum cogitaueris multa eſſe quae perdidit, cogita plura eſſe quae non timet. Non ira cum torquebit, non morbus affliget, non ſuſpicio laceſſet, non edax & inimica ſemper alienis proceſſibus inuidia conſectabitur, non metus ſolicitabit, non leuitas fortunae cito munera ſua transferentis inquietabit. Si bene computes, plus illi remiſſum, quàm ereptum eſt. Non opibus fruetur, non tua ſimul ac ſua gratia, non accipiet beneficia, non dabit. Miſerum putas quòd iſta amiſit, an beatum quòd non deſiderat? Mihi crede, is beatior eſt, cui fortuna ſuperuacua eſt, [d] quàm is cui parta eſt. Omnia iſta bona, quae nos ſpecioſa, ſed fallaci voluptate delectant, pecunia, dignitas, potentia, aliaque complura, ad quae generis humani caeca cupiditas obſtupeſcit;

cum labore possidentur,cũ inuidia conspiciuntur:eosque ipsos quos exornant, & ptemunt:
plus minantur quàm prosunt. Lubrica & incerta sunt:nunquam benè tenentur. nam vt ni-
hil de tempore futuro timeatur,ipsa tamen magnae felicitatis tutela solicita est. Si velis cre-
dere altius veritatem intuentibus,omnis vita supplicium est.In hoc profundum inquietum-
que ptoiecti mare,alternis aestibus reciprocum,[e] & modo alleuans nos subitis incrementis,
modo maioribus damnis deserens,assidueque iactans,nunquã stabili consistimus loco:pen-
demus & fluctuamur,& alter in alterum illidimur , & aliquando naufragiũ facimus, semper
timemus. In hoc tam procelloso, & in omnes tempestates exposito mari nauigantibus,nul-
lus portus nisi mortis est. Ne itaque inuideris fratri tuo. quiescit . tandem liber, tandem tu-
tus,tandem aeternus est: superstitem Caesarem,omnemque eius prolem,superstitem te cum
omnibus habet fratribus. Antequam quicquam ex suo fauore fortuna mutaret,stantem ad-
huc illam, & munera plena manu congerentem reliquit. Fruitur nunc aperto & libero cae-
lo,ex humili atque depresso in eum emicuit locum,quisquis ille est, qui solutas vinculis ani-
mas beato recipit sinu : [f] & nunc libere vagatur,omniaque rerum naturae bona cum summa
voluptate perspicit. Erras. non perdidit lucem frater tuus , sed securiorem sortitus est. [g] O-
mnibus illuc nobis cõmune est iter. Quid fata deflemus? non reliquit ille nos , sed antecef-
XXIX. sit. [h] Est,mihi crede,magna felicitas in ipsa felicitate moriendi . Nihil ne in totum qui-
dem diem certi est.Quis in tam obscura [i] & inuoluta veritate diuinat,vtrũ ne fratri tuo mors
inuiderit,an consuluerit ? [k] Illud quoque necesse est te adiuuet cogitantem,non iniuriam ti-
bi factam,quòd talem fratrem amisisti, sed beneficium datum , quòd tamdiu pietate eius ti-
bi vti fruique licuit. Iniquus est,qui muneris sui arbitrium danti non reliquit:auidus, qui nõ
lucri loco habet quod accepit,sed damni,quod reddidit. Ingratus est,qui iniuriam vocat fi-
nem voluptatis:stultus,qui nullum fructum esse putat bonorum, nisi praesentium,qui nõ &
in praeteritis acquiescit,& ea iudicat certiora quae abierunt , quia de illis ne desinant , non
est timendum. Nimis angustat gaudia sua,qui eis tantummodo quae habet ac videt , frui se
putat, & habuisse eadem pro nihilo ducit. cito enim nos omnis voluptas relinquit,quae fluit
& transit,& paene antequam veniat, aufertur. Itaque in praeteritum tempus animus mittẽ-
dus est,& quicquid nos vnquam delectauit , reducendum, ac frequenti cogitatione pertra-
ctandum est. Longior fideliorque est memoria voluptatum,quàm praesentia.Quòd habui-
sti ergo optimum fratrem,in summis bonis pone. Non est quòd cogites,quanto diutius ha-
bere potueris, sed quamdiu babueris. Rerum natura illum tibi , sicut ceteris fratribus , non
mancipio dedit, sed commodauit:cum visum est deinde,repetiit, nec tuam in eo satietatem
secuta est,sed suam legem. Si quis pecuniam creditam soluisse se moleste ferat, eam praeser-
tim cuius vsum gratuitum acceperit, nonne iniustus habebitur ? Dedit natura fratri tuo vi-
tam,dedit & tibi:quae suo iure vsa,a quo voluit, debitum suum citius exegit. non illa in cul-
pa est,cuius nota erat condicio,sed mortalis animi spes auida, quae subinde quid rerum na-
tura sit obliuiscitur,nec vnquam sortis suae meminit, nisi cũ admonetur. Gaude itaque [l] ha-
buisse te tam bonum fratrem, & vsumfructum eius , quamuis breuior voto tuo fuerit , boni
consule.[m] Cogita iucundissimum esse,quòd habuisti:humanum,quòd perdidisti. Nec enim
quicquã minus inter se consentaneum est , quàm aliquem moueri,quòd sibi talis frater parũ
diu contigerit:[n] non gaudere,quòd tamen contigerit. At inopinanti ereptus est. Sua quęque
credulitas decipit:& in eis quae diligit,volũtaria mortalitatis obliuio. Natura nulli se neces-
sitatis suae gratiam facturam esse testata est. Quotidie praeter oculos nostros trãseunt noto-
rum ignotorumque funera : nos tamen aliud agimus,& subitum id putamus esse, quod no-
bis tota vita denuntiatur futurum. Non est itaque ista fatorum iniquitas, sed mentis huma-
nae prauitas, insatiabilis rerum omnium:quae indignatur inde se exire,quo admissa est pre-
XXX. cario. Quanto ille iustior, qui nuntiata filij morte , dignam magno viro vocem emisit:
Ego cum genui,tum moriturũ sciui. Prorsus non mireris ex hoc natum esse, qui fortiter mo-
ri posset.non accepit tanquam nouum nuntium, filij mortem. Quid est enim noui, hominẽ
mori,cuius tota vita nihil aliud quàm ad mortem iter est ? Ego cum genui , tum moriturum
sciui. Deinde adiecit rem maioris & prudẽtiae & animi, Huic rei sustuli. Omnes huic rei tol-
limur : [o] quisquis ad vitam editur, ad mortem destinatur. Gaudeamus ergo omnes eo quod
datur,reddamusque id cum reposcemur. [p] alium alio tempore fata comprehendent , nemi-
nem praeteribunt. In procinctu stet animus : & id quod necesse est,nunquam timeat : quod
incertum est,semper expectet. Quid dicam duces, ducumque progenies, & multis aut con-
sulatibus conspicuos, aut triumphis, sorte defunctos inexorabili ? Tota cum regibus regna,
populique cum gentibus tulere fatum suum. Omnes , immo omnia in vltimum diem spe-
ctant . non idem vniuersis finis est . Alium in medio cursu vita deserit , alium in ipso aditu
relinquit,

relinquit, [q] alium in extrema senectute fatigatum iam & exire cupientem vix emittit: alio quidem atque alio tempore, omnes tamen in eundem locum tendimus. Vtrum ne, stultius sit nescio, [r] mortalitatis legem igoorare, an impudentius, recusare. Agedum illa quae [s] multo ingenij tui labore celebrata sunt, in manus sume, vtriuslibet auctoris carmina: quae tu ita resoluisti, vt quamuis structura illorum recesserit, permaneat tamen gratia. [t] Sic enim illa ex alia lingua in aliam transtulisti, vt (quod difficillimum erat) omnes virtutes in alienam te orationem secutae sint. Nullus erit in illis scriptis liber, qui non plurima varietatis humanae incertorumque casuum & lacrimarum ex alia atque alia causa fluentium exempla tibi suggerat. Lege, quo spiritu ingentibus intonuetis rebus. Pudebit te subito deficere, & ex tanta orationis magnitudine decidere. Ne commiseris, vt quisquis extemplo ac modo scripta tua mirabatur, quaerat quomodo tam grandia, tamqoe solida, tam fragilis animus conceperit. Potius ab istis quae te torquent, ad haec tot & tanta quae consolantur, conuerte, ac respice optimos fratres, respice vxorem, filium respice. Pro omnium horum salute, hac tecum portione fortuna decidit. Multos habes in quibus acquiescas.

XXXI. Ab hac te infamia vindica, ne videatur omnibus plus apud te valere vnus dolor, quàm haec tam multa solatia. Omnes istos vna tecum perculsos vides, nec posse tibi subuenire, immo etiã vltro expectare, vt a te subleuentur, intelligis: & ideo quanto minus in illis doctrinae minusque ingenij est, tanto magis [u] resistere te necesse est communi malo. Est autem hoc ipsum solarij loco, inter multos dolorem suum diuidere: qui quia dispensatur inter plura, exigua deber apud te parte subsidere. Non desinam totiens tibi offerre Caesarem, illo moderante terras, & ostendente, quanto melius beneficiis imperium custodiatur, quàm armis, illo rebus humanis praesideote, non est periculum, ne quid perdidisse te sentias. in hoc vno tibi satis praesidij, satis solatij est. Attolle te: & quotiens lacrimae suboriuntur oculis tuis, totiens illos in Caesarem dirige. Siccabuntur maximi & clarissimi conspectu numinis. Fulgor eius illos, vt nihil aliud possint aspicere, praestringet, in se haerentes detinebit. Hic tibi quem tu diebus intueris ac noctibus, a quo ounquam deiicis animum, cogitandus est, hic contra fortunam aduocandus: nec dubito, cum tanta illi aduersus omnes suos sit maosuetudo, taotaque indulgentia, quin multis iam solatiis tuum istud vulnus obduxerit, nonnulla quae dolori obstarent tuo congesserit. Quid porro? vt nihil horum fecerit, nonne protinus ipse conspectus per se tantummodo, cogitatusq; Caesar, maximo solatio tibi est? Dij illum Deaeque omnes terris diu cõmodent. Acta hic D. Augusti, & annos vincat, ac, quamdiu mortalis erit, nihil ex domo sua mortale esse sentiat. Rectorem Romano imperio filium longa fide approbet, & ante illum consortem patris [x] quàm successorem accipiat. [y] Sera, & nepotibus demum oostris dies nota sit, qua illum gens sua caelo asserat.

XXXII. Abstine ab hoc manus tuas fortuna, nec in isto potentiam ruam, nisi ea parte qua prodes, ostenderis. Patere illum generi humano iam diu aegro & affecto mederi: patere quicquid prioris principis furor coocussit, in locum suum restituere ac reponere. Sidus hoc, quod praecipitato in profundum, ac demerso in tenebras orbi refulsit, semper luceat. Hic Germaniam pacet, Britanniam aperiat, & patris triumphos ducat & nouos: quorum me quoque spectatorem futurum, quae primum obtinet locum, [z] ex virtutibus eius promittit clementia. nec enim sic me deiecit, vt nollet erigere: immo ne deiecit quidem, sed impulsum a fortuoa & cadentem sustinuit, & in praeceps euntem leniter diuinae manus vsus moderatione deposuit. Deprecatus est pro me senatum, & vitam mihi [a] noo tantum dedit, sed etiam petiit. Viderit qualem volet aestimari causam meam. vel iustitia eius bonam perspiciet, [b] vel clementia faciet. vtruoque io aeqoo mihi eius beneficium erit, siue innocentem me scierit esse, siue voluerit. Interim magnum miseriarũ mearum solatium est, videre misericordiam eius totum orbem peruagantem: [c] quae quum ex ipso angulo, in quo ego defossus sum, complures multorum iam annorum ruina obrutos effoderit, & in lucem reduxerit, non vereor ne me vnum transeat. Ipse autem optime nouit tempus, quo cuique debeat succurrere: ego omnem operã dabo, ne peruenire ad me erubescat. O felicem clementiam tuam Caesar: quae efficit vt quietiorem sub te agant vitam exules, quàm nuper sub Caio egere principes. Noo trepidant, nec per singulas horas gladium expectant, nec [d] ad omnium nauium conspectum pauent. Per te habent, vt fortunae saeuientis modum, ita spem quoque melioris eiusdem, ac praesentis quietem. Scias licet ea demum fulmina esse iustissima, quae etiam percussi colunt.

XXXIII. Hic itaque princeps, qui publicum omnium bominum solatium est, [e] aut me omnia fallunt, aut iam recreauit animum tuum, & tam magno vulneri maiora adhibuit remedia: iam te omni confirmauit modo: iam omnia exempla, [f] quibus ad animi aequitatem compellereris, tenacissima memoria retulit: iam omnium praecepta sapientum [g] assueta sibi facundia explicuit. Nullns itaq; melius

has alloquendi partes occupauerit.aliud habebunt hoc dicēte pondus verba, velut ab oraculo emissa,omnem vim doloris tui diuina eius contuodet auctoritas. Hunc itaque tibi puta dicere:Non te solum fortuna desumpsit sibi, quem tam graui afficeret iniuria. Nulla domus in toto orbe terrarum aut est, aut fuit sine aliqua comploratiooe. Transibo exēpla vulgaria:quae etiam si minora,tamen mira sunt.Ad fastos te & anoales perducam publicos.Vides omnes has imagines,quae impleuere Caesareum atrium? nulla non harum aliquo suorū iocommodo insignis est: nemo non ex istis io ornameotum saeculorum refulgeotibus viris, aut desiderio suorum tortus est, aut a suis cum maximo animi cruciatu desideratus est. Quid tibi referam Scipionem Africanum, cui mors fratris in exilio nuntiata est? Is frater qui eripuit fratrem carcere, noo potuit eripere fato: & [h] quàm impatiens iniuriae pietas Africani fuerit, cunctis apparuit. Eodem enim die quo viatoris manibus fratrem abstulerat, tribuno quoque plebis priuatus intercessit. tam magno tamen fratrem desiderauit hic animo, quàm defenderat. Quid referam Aemilianum Scipionem, qui vno paene eodemque tempore spectauit patris triumphum, duorumque fratrum funera? adòlescentulus tamen, ac propemodum puer, tanto animo tulit illam familiae suae, super ipsum Pauli triumphum coocidentis subitam vastitatem,quanto debuit ferre vir in hoc natus,ne vrbi Romanae aut
XXXIIII. Scipio deesset,aut Carthago superesset. Quid referam duorum Lucullorum diremptā morte coocordiam? Quid Pompeios? quibus ne hoc quidem saeuiens reliquit fortuna, vt vna denique conciderent ruina. Vixit Sextus Pompeius, primum sorori superstes, cuius morte optime cohaerentis Romanae pacis vincula resoluta sunt. Idemque vixit superstes optimo fratri: quem fortuoa in hoc erexerat, ne minus alte eum deiiceret, quàm patrem deiecerat: & post hunc tamen casum non tantum dolori, sed bello suffecit. Innumerabilia vndique exempla separatorum morte fratrum succurrunt: immo contra vix vlla vnquam horum paria conspecta sunt vna senescentia: sed contentus oostrae domus exemplis ero. Nemo enim tam expers erit sensus ac sanitatis, vt fortunam [i] vlli queratur luctum intulisse: quam sciet etiam Caesarum lacrimas concupisse. Diuus Augustus amisit Octauiam sororem carissimam,& ne ei quidem rerum natura lugendi necessitatem abstulit,cui caelum destinauerat: immo vero idem omni genere orbitatis vexatus, sororis filium successioni praeparatum suae perdidit. Denique ne singulos eius luctus enumerem, & generos ille amisit, & liberos, & nepotes. [k] Ac nemo magis ex omnibus mortalibus hominem esse se, dum inter homines erat, sensit: [l] tamen tot tantosque luctus cepit rerum omnium pacatissimum eius pectus, victorque diuus Augustus oon gentium tantummodo externarum, sed etiam dolorum fuit. [m] Caius Caesar, diui Augusti auunculi mei nepos, circa primos iuuentutis suae annos Lucium fratrem carissimum sibi, prioceps iuuentutis principem eiusdem iuuentutis amisit in apparatu Parthici belli, [n] & grauiore multo animi vulnere quàm postea corporis ictus est:quod vtrumque piissime idem & fortissime tulit. Caesar patruus meus,[o] Drusum Germanicum patrem meum,minorem natu quàm ipse erat fratrē, [p] intima Germaniae recludentem,& geotes ferocissimas Romano subiicientem imperio, in complexu & osculis suis amisit:modum tamen lugendi non sibi tantum,sed etiam aliis fecit: ac totum exercitū, ooo solum maestum,sed etiam attonitum,corpus Drusi sui sibi vindicātem, ad morem Romani luctus redegit:iudicauitque nō militandi tantum disciplinam esse seruandam, sed etiā
XXXV. dolendi. Non potuisset ille lacrimas alienas compescere,nisi prius pressisset suas. M. Antonius auus meus, nullo minor nisi eo a quo victus est,tunc cū Remp. cōstitueret,[q] & triumuirali potestate praeditus,nihil supra se,exceptis vero duobus collegis omnia infra se cerneret, fratrem interfectum audiuit.Fortuna impotens,quales ex humanis malis tibi ipsa ludos facis.Eo ipso tempore quo M.Antonius ciuium suorum vitae sedebat mortisque arbiter,M. Antonij frater duci iubebatur. Tulit hoc tamen tam triste vulnus eadem magnitudine animi,qua omnia alia aduersa tolerauerat:& hoc fuit ei lugere, viginti legionum sanguine fratri parentare. Sed vt omnia alia exempla praeteream, vt io me quoque ipso alia taceam funera, bis me fraterno luctu fortuna aggressa est,bis intellexit laedi me posse, vinci non posse. Amisi Germanicum fratrem: quem quomodo amauerim, intelligit profecto quisquis cogitat,quomodo suos fratres pij fratres ament. Sic tamen affectum meum rexi, vt nec relinquerem quicquam quod exigi deberet a bono fratre,nec facerem quod reprehendi posset in principe. Haec ergo puta tibi parentem publicum referre exempla,euodem ostendere quàm nihil sacrum intactumque sit fortuoae, quae ex his penatibus ausa est funera ducere, [r] ex quibus erat deos petitura. Nemo itaque miretur, aliquid ab illa aut crudeliter fieri, aut inique. Potest enim haec aduersus priuatas domos vllam aequitatem nosse, aut vllam modestiam, cuius implacabilis saeuitia totiens ipsa funestauit puluinaria? [s] Faciamus licet illi

conuicium,

conuicium,non nostro tantum ore,sed etiam publico : non tamen mutabitur : aduersus o-
mnes se preces, [t] omnesque querimonias eriget. Hoc fuit in rebus humanis fortuna, hoc
erit;[u] nihil inausum sibi reliquit:nihil intactũ relinquet.Ibit violentior per omnia,sicut sem-
per est solita,[x] eas quoque domos ausa iniuriae causa intrare, in quas per templa aditur, &
atram laureatis foribus inducere vestem. Hoc vnum obtineamus ab illa votis ac pre- XXXVI.
cibus publicis, si nondum illi genus humanum placuit consumere, si Romanum adhuc
nomen propitia respicit, hunc principem, [y] lapsis hominum rebus datum, sicut omnibus
mortalibus, [z] sibi esse sacrosanctum velit. Discat ab illo clemenriam, atque a mitissimo o-
mnium principe mitis fieri. Debes itaque omnes inrueri eos, quos paulo anre retuli, aut
ascitos caelo, aur proximos, & ferre aequo animo fortunam, ad te quoque porrigentem
manus: [a] quas ne ab eis quidem per quos iuramus, abstiner. Debes illorum imitari firmita-
tem in perferendis & euincendis doloribus, & in quantum modo homini fas est, per di-
uina ire vestigia. Quamuis in aliis rebus [b] dignitatum magna discrimina sinr, virtus in me-
dio posita est: neminem dedignatur, qui modo dignum se illa iudicet. Optime certe illos
imitaberis,qui cum indignari possent non esse ipsos expertes huius mali, tamen in hoc vno
se ceteris exaequari bominibus non iniuriam, sed ius mortalitatis iudicauerunt, tulerunt-
que nec nimis acerbe & aspete quod acciderat, nec molliter & effeminate. Nam & non
sentire mala sua, non est hominis: & non ferre, non est viri. Non possum tamen, cum o-
mnes circumiuerim Caesares, quibus fortuna fratres & sorores eripuit, hunc praeterire ex
omni Caesarum numero excerpendum, quem rerum naturã in exitium opprobriumque
humani generis edidit,a quo imperium euersum funditus,principis piissimi recreat clemen-
tia.C.Caesar,amissa sorore Drusilla, is homo qui non magis dolere quàm gaudere princi-
paliter posset,conspectum cõuersationemque ciuium suorum profugit,exequiisque sororis
suae non interfuit, iusta sorori non praestitit,[c] sed in Albanum suum secessit. At foro & ad-
uocatis,& huiusmodi aliis occupationibus acerbissimi funeris leuabat mala.Pro pudor im-
perij.principis Romani lugẽtis sororem,alea solatium animi fuit.Idem ille Caius furiosa in-
constantia,modo barbam capillũque submittens, modo Italiae ac Siciliae oras errabundus
permetiens,& nunquã satis certus vtrum lugeri vellet,an coli sororem.Eodem enim tẽpore
quo templa illi constituebat ac puluinaria, eos qui parum maesti fuerant, crudelissima af-
ficiebat animaduersione. Eadem enim intemperie animi aduersarum rerum ictus ferebat,
qua secundarum elatus euentu,supra humanum intumescebat modum.Procul istud exem-
plum ab omni Romano viro,[d] luctum suum aut intempestiuis auocare lusibus,aut sordium
ac squalloris foeditate irritare, aut alienis malis oblectare, minime humano solatio. Ti-
bi vero nihil ex consuerudine mutandum tua. [e] Quoniam quidem ea instituisti amare stu-
dia, quae & optime felicitatem extollunt, & facillime minuunt calamitatem: eademque
& ornamenta hominum maxima sunt, & solatia. [f] Nunc itaque re studiis tuis immerge XXXVII.
altius, nunc illa tibi velut munimenta animi circunda, [g] nec ex vlla tui parte inueniat in-
troitum dolor. Frátris quoque tui produc memoriam[h] aliquo scriptorum monumento tuo-
rum. Hoc enim vnum est rebus humanis opus, cui nulla tempestas nocear, [i] quod nulla con-
sumat vetustas. Cetera, quae per constructionem lapidum, & marmoreas moles, aut ter-
renos tumulos in magnam eductos altirudinem constant, non propagabunt longam diem:
quippe & ipsa intereunt. [k] Immortalis est ingenij memoria: hanc tuo fratri largire, in hao
eum colloca. melius illum duraturo semper consecrabis ingenio, quàm irrito dolore lu-
gebis. Quod ad ipsam fortunam pertinet, etiam si nunc agi apud te causa eius non potest:
[l] omnia enim illa quae nobis dedit, ob hoc ipsum quòd aliquid eripuit, inuisa sunt: tunc
tamen erit agenda, cum primum aequiorem te illi iudicem dies fecerit: tunc enim poteris in
gratiam cum illa redire. Nam multa prouidit, quibus hãc emendaret iniuriam. Multa etiam
nunc dabit quibus redimat. Denique ipsum quod abstulit, ipsa dederat tibi. Noli ergo con-
tra te ingenio vri tuo, noli adesse dolori tuo. Potest quidem eloquentia tua, quae parua sunt
approbare pro magnis: rursus magna attenuare, [m] & ad minima deducere. Sed alio ista vi-
res seruet suas, nunc tota se in solatium tuum conferat. Sed tamen dispice, ne hoc iam quo-
que sit superuacuum. Aliquid enim a nobis natura exigit: plus vanitate contrahitur. Nun-
quam autem ego a re, ne ex roto macreas, exigam. Et scio inuèniri quosdam durae magis
quàm fortis prudentiae viros, qui negent doliturum esse sapientem.[n] Hi vero videntur nun-
quam in huiusmodi casum incidisse. [o] Alioquin extudisset illis fortuna superbam sapiẽtiam,
& ad confessionem eos veri etiam inuitos cõpulisset.[p] Satis praestiterit ratio, si id vnũ ex do-
lore, quod & superest & abundat, exciderit.[q] Nam vt quidem nullũ omnino esse eum patia-
tur, nec sperandum vlli, nec concupiscendum est. Hũc potius modum seruet, qui nec impie-

tatem imitetur, nec insaniam: & nos in eo teneat habitu, qui & piae mentis est, [r] nec emotae. Fluant lacrimae, sed eaedem desinant: trahantur ex imo pectore gemitus, [s] sed iidem & finiantur. Sic rege animum tuum, vt & sapientibus te approbare possis, & fratribus. Effice, vt frequenter fratris tui memoriam tibi velis occurrere, vt illum & sermonibus celebres, & assidua recordatione repraesentes tibi. Quod ita denique consequi poteris, si tibi memoriam eius iucundam magis quàm flebilem feceris. Naturale est enim, vt semper animus ab eo refugiat, ad quod cum tristitia reuertitur. Cogita modestiam eius, cogita in rebus agendis solertiam, in exequendis industriam, in promissis constantiam. Omnia dicta eius ac facta & aliis expone, & tibimet ipse commemora. Qualis fuerit cogita, qualisque sperari potuerit. [t] Quid enim de illo non tuto sponderi fratre posset? Haec, vtcumque potui, longo iam situ obsoleto & hebetato animo composui: quae si aut parum respōdere ingenio tuo, aut parum mederi dolori videbuntur, cogita quàm non facile Latina ei verba succurrant, [u] quem Barbarorum inconditus grauisque fremitus circumsonat.

M. ANTONII MVRETI AD CONSOLATIONEM SENECAE, AD POlybium, Notae.

POLYBIVS *hic libertus Claudio a studiis fuit: tantae apud illam pecudem potentiae, tantaeque arrogantiae, vt saepe conspectus sit medius inter duos consules publice incedens. Eum, fratre amisso dolentem, consolatur Seneca, in exilium iam a Claudio pulsus. Libri maior pars interiit. Summa eloquentia scriptus est, sed foedae ac seruilis adulationis plenissimus. Neque desunt, qui Senecam vehementer accusent, quòd hic quidem Claudio tam demisse & humiliter aduletur, in apocolocynthosi autem eidem mortuo tam petulanter insultet. Atque equidem, vt verum fatear, non video, quomodo reprehensionem effugere possit, si quis cum eo summo iure agere instituat. Sed tamen & patriae desiderio condonandum aliquid est: & vix quisquam ea sapientia reperitur, qui, mortuo eo, a quo grauissimas accepit iniurias, aut non laetari, aut gestientem efferētemque se, conceptam ea ex re laetitiam coercere ac comprimere possit.*

CAP. I. 1 Nostra corpora compares,] *Dixerat, vt ex his colligitur, & homines & humana omnia caduca ac fragilia esse: & aedificia quoque ipsa, quae firma ac diu duratura videantur, si ad corpora nostra comparentur, firma esse: si ad naturae condicionem, infirma & caduca.*

L. ANNAEI SENECAE AD MARCIAM DE CONSOLATIONE, LIBER VNVS.

CAP. I.

NISI te, Marcia, scirem tam longe ab infirmitate muliebris animi, quàm a ceteris vitiis recessisse, & mores tuos velut antiquum aliquod exemplar aspici, non auderem obuiam ire dolori tuo, [a] cui viri quoque libenter haerent & incumbunt. [b] Nec spem cōcepissem, tam iniquo tempore, tam iniquo iudice, tam inuidioso crimine, posse me efficere, vt fortunā tuam absolueres. Fiduciam mihi dedit exploratum iam robur animi, & magno experimento approbata virtus tua. Non est ignotum, qualē te [c] in personam patris tui gesseris: quem non minus quàm liberos dilexisti: excepto eo, quòd non optabas superstitem: nec scio an & optaueris. [d] Permittit enim sibi quaedam & contra bonum morem magna pietas. [2] Mortem A. Cremutij Cordi, parentis tui, quantum poteras inhibuisti. Postquam tibi aperuit, inter Seianianos satellites [e] illam vnam [3] patere seruitutis fugam, non fauisti consilio eius, sed dedisti manus: [4] victaque [f] fudisti lacrimas clam, & gemitus deuorasti quidem, [g] non tamen hilari fronte texisti: & hoc illo saeculo, quo magna pietas erat, nihil impie facere. [h] Vt vero aliquam occasionem mutatio temporum dedit, ingenium patris tui, de quo sumptum erat supplicium, in vsum hominum reduxisti, & a vera illum vindicasti morte, ac restituisti in publica monumenta [5] libros, quos vir ille fortissimus sanguine

suo

suo scripserat. Optime meruisti de Romanis studiis: magna illorum pars arserat: optime de posteris, ad quos veniet incorrupta rerum fides, auctori suo magno imputata: optime de ipso, cuius viget vigebitque memoria, quamdiu fuerit in pretio Romana cognosci, quamdiu quisquam erit, qui reuerti velit ad acta maiorum, [i] quamdiu quisquam, qui velit scire, [k] quid sit vir Romanus, qui subactis iam ceruicibus omnium, & ad Seianianum iugum adactis, indomitus sit homo, ingenio, animo, manu liber. Magnum mehercule detrimentum resp. ceperat, [l] si illum ob duas artes pulcherrimas in obliuionem coniectum, eloquentiam & libertatem, non eruisses. Legitur, floret, in manus hominum, in pectora receptus, vetustatem nullam timet. At illorum carnificum cito [m] scelera, quibus solis memoriam meruerunt, tacebuntur. Haec magnitudo animi tui vetuit me ad sexum tuum respicere: vetuit ad vultum, quem tot annorum continua tristitia, vt semel obduxit, tenet. Et vide quàm non surrepam tibi, [n] nec fucum facere affectibus tuis cogitem. Antiqua mala in memoriam reduxi. & vis scire hanc quoque plagam esse sanandam? ostendi tibi aeque magni vulneris cicatricem. [o] Alij itaque molliter agant, & blandiantur: ego confligere cum tuo maerore constitui, & defessos exhaustosque oculos, [p] si verum audire vis, magis iam ex consuetudine, quàm ex desiderio fluentes continebo: si fieri potuerit, fauente te remediis tuis: sin minus, vel inuita. teneas licet & amplexeris dolorem tuum, quem tibi in filij locum superstitem fecisti. Quis enim erit finis? Omnia in superuacuum tentata sunt. Fatigatae allocutiones amicorum, auctoritates magnorum & affinium tibi virorum: studia, hereditarium & paternum bonum, surdas aures irrito, ac vix ad breuem occupationem proficiente solatio transeunt. [q] Illud ipsum naturale remedium temporis, quod maximas aerumnas componit, in te vna vim suam perdidit. Tertius iam praeterijt annus, [r] cum interim nihil ex primo illo impetu cecidit, renouat se, & corroborat quotidie luctus: & iam sibi ius mora fecit, eoque adductus est, vt putet turpe desinere. Quemadmodum omnia vitia penitus insidunt, nisi dum surgunt, oppressa sint: [s] ita quoque haec tristia & misera, & in se saeuientia, ipsa nouissime acerbitate pascuntur, & fit infelicis animi praua voluptas dolor. Cupissem itaque primis tēporibus ad istam curationem accedere. leuiore medicina fuisset oriens adhuc restinguenda mali vis: vehementius contra inueterata pugnandum est. Nam vulnerum quoque sanitas facilis est, dum a sanguine recentia sunt: tunc & vruntur, & in altum reuocantur, & digitos scrutantium recipiunt. vbi corrupta [t] in malum vlcus veterarunt, difficilius curantur. Non possum nunc per obsequium, nec molliter assequi tam durū dolorem. Frangendus
est. Scio, a praeceptis incipere omnes qui monere aliquem volunt, [u] & in exempla desi- II.
nere. [x] Mutari hunc interim ordinem expedit. Aliter enim cum alio agendum est. Quosdam ratio ducit: quibusdam nomina clara opponenda sunt, & auctoritas, quae liberum non relinquat animum ad speciosa stupentem. Duo tibi ponam ante oculos maxima [y] & sexus tui, & saeculi nostri exempla: alterius feminae, quae se tradidit ferendam dolori: alterius quae pari affecta casu, maiore damno, non tamen dedit longum in se malis suis dominum, sed cito animum in sedem suam reposuit. Octauia & Liuia, altera soror Augusti, altera vxor, amiserunt filios iuuenes, vtraque spe futuri principis certa. Octauia Marcellum, cui & auunculus & socer incumbere coeperat, [z] in quem onus imperij reclinaret, adolescentem animo alacrem, [a] ingenio potentem, [b] frugalitatis continentiaeque in illis aut annis aut opibus non mediocriter admirandae, patientem laboris, voluptatibus alienum, quantumcunque imponere illi auunculus, & (vt ita dicam) inaedificare voluisset, laturum. Bene legerat nulli cessura ponderi fundamenta. Nullum finem per omne vitae suae tempus flendi gemēdique fecit. Nec vllas admisit voces, salutare aliquid afferētes. Ne auocari quidem se passa est. Intenta in vnam rem, & toto animo affixa, talis per omnem vitam fuit, qualis in funere. [c] non dico non ausa consurgere, sed alleuari recusans: secundam orbitatem iudicans, lacrimas omittere. Nullam habere imaginem filij carissimi voluit, [d] nullam sibi fieri de illo mentionem. Oderat omnes matres, & in Liuiam maxime furebat: quia videbatur ad illius filium transisse, sibi promissa felicitas. Tenebris & solitudini familiarissima, ne ad fratrem quidem respiciēs, [e] carmina celebrandae Marcelli memoriae composita, aliosque studiorum honores reiecit, & aures suas aduersus omne solatium clausit, a solemnibus officiis seducta, & ipsam magnitudinis fraternae nimis circumlucentem fortunam exosa, defodit se, & abdidit. Assidētibus liberis, nepotibus, lugubrem vestem non deposuit, non sine contumelia omnium suorum,
quibus saluis orba sibi videbatur. [f] Liuia amiserat [7] filium Drusum, magnum futurum III.
principem, iam magnum ducem. Intrauerat penitus Germaniam, & ibi signa Romana fixerat, vbi vix vllos esse Romanos notum erat. In expeditione victor decesserat, ipsis illum hostibus aegrum cum veneratione & pace mutua prosequētibus, nec optare quod expedie-

bat audentibus. Accedebat ad hanc mortem, quam ille pro rep. obierat, ingens ciuium pro-
uinciarumque,[f] & totius Italiae multitudo: per quam effusis in officium lugubre municipiis
coloniisque, vsque in vrbem ductum erat funus triumpho simillimum.[g] Non licuerat matri
vltima filij oscula gratumque extremi sermonem oris haurire, longo itinere reliquias Drusi
sui prosecutae, tot per omnem Italiam ardentibus rogis, quasi totiens illum amitteret, irri-
tatae. Vt primum tamen intulit tumulo,[h] simul & illum, & dolorem suum posuit: nec plus
doluit quàm aut honestum erat, aut Caesare, aut aequo maius. Non desût itaque Drusi sui
celebrare nomen,[i] vbique illum sibi priuatim publiceque repraesentare, & libentissime de
illo loqui, de illo audire: cum memoriam alterius nemo posset retentare, quin illam tristem
sibi redderet. Elige itaque, vtrum exemplum putas probabilius. si illud prius sequi vis, eximis
te numero viuorum. Auersaberis & alienos liberos & tuos,[k] ipsumque desiderans, triste
matribus omen occurres. Voluptates honestas permissas, tanquam parum decoras fortunae
tuae reiiciens, inuisam habebis lucem: & aetati tuae, quòd nô praecipitet te quamprimum,
& finiat, infestissima eris.[l] Quod turpissimum alienissimumque est animo tuo,[m] in meliorem
noto partem, ostendes te viuere nolle, mori non posse.[n] Si ad hoc maximae feminae te
exemplum applicueris, moderatius ac mitius, non eris in aerumnis, nec te tormentis ma-
cerabis.[o] Quae enim, malum, amentia est, poenas a se infelicitatis exigere, & mala sua auge-
re? Quam in omni vita seruasti, morum probitatem & verecundiam, in hac quoque re prae-
stabis. Est enim quaedam & dolendi modestia:[p] illum ipsum iuuenem dignissimum quiete,
semper nominans, cogitansque, meliore pones loco, si matri suae, qualis viuus solebat, hi-
IIII. laris, & cum gaudio occurrat. Nec te ad fortiora ducam praecepta,[q] vt inhumano fer-
re humana iubeam modo, vt ipso funebri die oculos matris exsiccem. Ad arbitrum tecum
veniam. Hoc inter nos quaeretur,[r] vtrum magnus esse debeat, an perpetuus dolor. Non du-
bito, quin Liuiae Augustae, quam familiariter coluisti,[s] magis tibi placeat exemplum.[t] Illa
te ad suum consilium vocat: illa in primo feruore cum maxime impatientes ferocesque sunt
miseriae,[u] se consolandam Areo philosopho viri sui praebuit:[x] & multum eam rem profuis-
se sibi confessa est: plus quàm populum Romanum, quem nolebat tristem tristitia sua face-
re: plus quàm Augustum, qui subducto altero adminiculo titubabat, nec luctu suorum in-
clinandus erat: plus quàm Tiberium filium, cuius pietas efficiebat, vt in illo acerbo & de-
fleto gentibus funere, nihil sibi nisi numerum deesse sentiret. Hic, vt opinor, aditus illi fuit,
hoc principium apud feminam opinionis suae custodem[y] diligentissimam. Vsque in hunc
diem Liuia (quantum quidem ego sciam, assiduus viri tui comes,[z] cui non tantum quae in
publicum emittuntur, nota sunt, sed omnes quoque secretiores animorum vestrorum mo-
tus) dedisti operam ne quid esset, quod in te quisquam reprehenderet. Nec id in maioribus
modo obseruasti, sed in minimis, ne quid faceres, cui famam, liberrimam principum iudi-
cem, velles ignoscere. Nec quicquam pulchrius existimo in fastigio collocatis,[a] quàm mul-
tarũ rerum veniam dare, nullius petere. Seruandus itaque tibi in hac re tuus mos est, ne quid
V. committas, quod minus aliterve factum velis. Deinde oro atque obsecro, ne te diffi-
cilem amicis, & intractabilem praestes. Non est enim quòd ignores, omnes hos nescire
[b] quemadmodum se gerant: loquantur aliquid coram te de Druso, an nihil: ne aut obliuio
clarissimi iuuenis illi faciat iniuriam, aut mentio tibi. cum secessimus, & in vnum conueni-
mus, facta eius dictaque quanto meruit suspectu celebramus. coram te altum nobis de illo
silentium est. Cares itaque maxima voluptate, filij tui laudibus: quas non dubito quin vel
impendio vitae, si potestas detur, in aeuum omne sis prorogatura. Quare patere, immo ac-
cerse sermones, quibus ille narretur, & apertas aures praebe ad nomen memoriamque filij
tui: nec hoc graue duxeris, ceterorum more,[c] qui in eiusmodi casibus partem mali putant,
audire solatia. Nũc incubuisti tota in alteram partem,[d] & oblita meliorum, fortunam tuam,
qua deterior est, aspicis.[e] Non conuertis te ad conuictus filij tui, occursusque iucundos, non
ad pueriles dulcesque blanditias, non ad incrementa studiorum. Vltimam illam faciem re-
rum premis. In hanc, quasi parum ipsa per se horrida sit, quicquid potes congeris. Ne, obse-
VI. cro te, concupieris peruersissimam gloriam, infelicissimam videri. Simul vero cogita,
non esse magni animi, se rebus prosperis fortem gerere, vbi secundo cursu vita procedit.
Nec gubernatoris quidem artem, tranquillum mare & sequens ventus ostendit. Aduersi ali-
quid incurrat oportet, quod animum probet. Proinde ne submiseris te, immo contra fige
stabilem gradum: & quicquid onerum supra cecidit, sustine,[f] primo duntaxat strepitu con-
territa. Nulla re maior inuidia fortunae fit, quàm aequo animo. Post hoc ostendit illi filium
incolumem, ostendit ex amisso nepotes. Tuum illic Marcia negotium actum, tibi Areus as-
sedit:[g] te mutata persona consolatus est. Sed puta, Marcia, ereptum tibi amplius quàm
vlla

vlla vnquam mater amiserit. Non permulceo te, nec extenuo calamitatem tuam.[h] Si fleti-
bus fata vincuntur, conferamus: eat omnis inter luctus dies: noctem sine somno tristitia
consumat: ingerantur lacerato pectori manus, & in ipsam faciem impetus fiat: atque sese o-
mni genere saeuitiae, profecturus maeror exerceat. Sed si nullis planctibus defuncta reuo-
cantur, si sors immota, & in aeternom fixa, nulla miseria mutatur,[i] & mors tenet quicquid
abstulit, desinat dolor qui perit.[k] Regamur: nec nos ista vis transuersos auferat. Turpis est
nauigij rector, cui gubernacula fluctus eripuit, qui [l] fluctuantia vela deseruit, permisit tem-
pestati nauem. At ille vel in naufragio laudandos, quem obruit mare clauum tenentem &
obnixum. Atenim naturale desideriũ suorum est. Quis negat? quamdiu modicum est. VII.
nam in discessu, non solum amissione, carissimorum necessarius morsus est, & firmissimo-
rum quoque animorum contractio. Sed plus est quod opinio adiicit, quàm quod natura im-
perauit. Aspice mutorum animalium quàm concitata sint desideria, & tamen quàm bre-
uia. Vaccarum vno die altероve mugitus auditur. Nec diutius eqoarũ vagus ille amensque
discursus est. Ferae cum vestigia catulorum consectatae sunt, & siluas peruagatae,[m] cum sae-
pe ad cubilia expilata redierint, rabiem intra exiguum tempus extinguunt. Aues cum stri-
dore magno inanes nidos circumfremuerũt: intra momentum tamen quietae, volatus suos
repetunt. Nec vlli animali longum foetus sui desiderium est, nisi homini, qui adest dolori
suo: nec tantum quantum sentit, sed quantum constituit, afficitur. Vt scias autem non esse
hoc naturale, luctibus frangi, primũ magis feminas quàm viros, magis barbaros quàm pla-
cidos eruditaeq; gẽtis homines, magis indoctos quàm doctos, eadẽ orbitas vulnerat. Atqui
ea quae a natura vim acceperunt,[n] eandem in omnibus seruant. Apparet non esse naturale,
quod varium est. Ignis omnes aetates, omniũ vrbium ciues, tam viros quàm feminas,[o] vret:
ferrum in omni corpore exhibebit secãdi potentiam. Quare? quia vires a natura datae sunt,
[p] quae nihil in personam constituit.[q] Paupertatem, luctum, orbationem alius aliter sentit,
prout illum consuetudo infecit: & imbecillum impatientemque reddit praesumpta opinio
[r] de non timendis terribilis. Deinde quod naturale est, non decrescit mora.[s] Dolorem VIII.
dies consumit, licet contumacissimum, quotidie insurgentem, & contra remedia efferue-
scentem, tamen illum efficacissimum mitigandae ferociae tempus eneruat. Manet quidem
tibi, Marcia, etiamnum ingens tristitia, & iam videtur duxisse callum, non illa concitata,
[t] qualis initio fuit, sed pertinax & obstinata. Tamen hanc quoque aetas tibi minutatim exi-
met: quoties aliud egeris, animus relaxabitur. nunc te ipsa custodis. Multum autem interest,
vtrum tibi permittas maerere, an imperes. Quanto magis hoc morum tuorum elegantiae
conuenit, finem luctus potius facere, quàm expectare: nec illum opperiri diem qoo te in-
uita dolor desinat? ipsa illi renuntia. Vnde ergo tanta nobis pertinacia in deploratione IX.
nostri, si id non fit naturae iussu? quòd nihil nobis mali, antequam eueniat, proponimus,
sed vt immunes ipsi,[u] & aliis pacatius ingressi iter, alienis non admonemur casibus, illos
esse communes. Tot praeter domum nostram ducuntur exequiae. de morte nõ cogitamus.
tot acerba funera. nos togam nostrorum infantium, nos militiam & paternae hereditatis
successionem animo agitamus. Tot diuitũ subita paupertas in oculos incidit: & nobis nun-
quam in mentem venit, nostras quoque opes aeque in lubrico positas. Necesse est itaque
magis corruamus, qui quasi ex inopinato ferimur. Quae [x] multo ante prouisa sunt, langui-
dius incurrunt. Vis tu scire te ad omnes expositam ictus stare, & illa quae alios tela fixerunt,
circa te vibrasse? velut murum aliquem, aut obsessum multo hoste locum, & arduum ascen-
su, semermis adeas, expecta vulnus, & illa superne volantia cum sagittis pilisque saxa, puta
[y] in tuum vibrata caput. Quoties aut ad latus, aut post tergum ceciderint, exclama: Non
decipies me fortuna, nec securam aut negligentem opprimes. Scio quid pares.[z] alium per-
cussisti, me petisti. Quis vnquam res suas quasi periturus aspexit? Quis vnquam nostrum de
exilio, de egestate, de luctu cogitare ausus est?[a] Qois non, si admoneatur vt de suis cogitet,
tanquam dirum omen respuat, & in capita inimicorum aut ipsius intempestiui monitoris
abire illa iubeat? Non putaui futurum. Quicquam tu putas non futurum, quod multis scis
posse fieri, quod multis vides euenisse?[b] Egregium versum audi, & dignum Publio:

Cuiuis potest accidere, quod cuiquam potest.

Ille amisit liberos: & tu amittere potes. Ille damnatus est: & tua innocentia sub ictu est. Hic
nos [c] error decipit, hic effeminat, dum patimur, quae nunquam pati nos posse praeuidimus.
Aufert vim praesentibus malis, qui futura prospexit. Quicquid est hoc, Marcia, quod X.
circa nos ex aduenticio fulget, liberi, honores, opes,[d] ampla atria, & exclusorum clientium
turba, referta vestibula, clara, nobilis, aut formosa coniux, ceteraque ex incerta & mobi-
li sorte pendentia: alieni commodatique apparatus sunt,[e] nihil horum dono datur: collati-

ciis,& ad dominos redituris instrumentis scaena adornatur. Alia ex his primo die, alia secundo referentur: pauca vsque ad finem perseuerabunt. Ita non est quod nos suspiciamus, tanquam inter nostra positi: mutuo accepimus. Vsusfructus noster est, cuius tempus ille arbiter muneris sui temperat. Nos oportet in promptu habere, quae in incertum diem data sunt,& appellatos, sine querela reddere. Pessimi est debitoris, creditori facere conuicium. Omnes ergo nostros, & quos superstites lege nascendi optamus, & quos praecedere iustissimum ipsorum votum est, sic amare debemus, tanquam nihil nobis de perpetuitate, immo nihil de diuturnitate eorũ promissum sit. Saepe admonendus est animus,[f] amet vt recessura, immo tanquam recedentia. Quicquid a fortuna datum est, tanquam ex templo abiturum possideat. Rapite ex liberis voluptates, fruendos vos inuicem liberis date,[g] & sine dilatione omne gaudium haurite. Nihil de hodierna die promittitur. Nimis magnam aduocationem dedi. Nihil de hac hora. festinandum est. Instat a tergo mors: iam [h] deficiet iste comitatus. Iam contubernia ista sublato clamore soluentur. Rapina rerum omnium est. Miseri nescitis [i] fuga viuere. Si mortuũ tibi filium doles, eius temporis quo natus est, crimen est. Mors enim illi nascenti determinata est.[k] In hanc legem datus. hoc fatum ab vtero statim prosequebatur. In regnum fortunae,& quidem durum atque inuictũ peruenimus, illius arbitrio digna atque indigna passuri: corporibus nostris impotenter, cõtumeliose, crudeliter abutetur: alios ignibus peruret,[l] vel in poenam admotis, vel in remedium: alios nudos mari iactabit, & luctatos cum fluctibus, ne in harenam quidẽ aut littus explodet,[m] sed in alicuius ventrem immensae beluae detrudet. Alios morborũ variis generibus emaceratos, diu inter vitam mortemq; detinebit. Vt varia & libidinosa, mancipiorũque suorũ negligẽs domina,& poenis & muneribus errabit. Quid opus est°partes deflere? Tota vita flebilis est. Vrgebũt noua incommoda, priusquam veteribus satisfeceris.[n] Moderandus est itaque vobis animus ad haec maxime quae immoderate fertis: & in metus, & in dolores humanum pectus dispensandum.

XI. Quae demum ista tuae publicaeque condicionis obliuio est? Mortalis nata es, mortales peperisti: putre ipsa fluidumque corpus, & casibus morbisque repetita, sperasti tã imbecilla materia solida & aeterna gestasse? Decessit filius tuus, id est, decucurrit ad hunc finem, ad quem, quae feliciora partu tuo putas, properant.[o] Huc omnis ista quae in foro litigat, in theatris desidet, in templis precatur turba, dispari gradu vadit.[p] Et quae veneraris, & quae despicis, vnus exaequabit cinis. Hoc iubet illa Pythicis oraculis ascripta vox, NOSCE TE. Quid est homo? quodlibet quassum vas, & quodlibet fragile. iactatu, [q] non tempestate magna, vt dissiperis, est opus. Vbicunque arietaueris, solueris. Quid est homo? imbecillum corpus,& fragile, nudum, suapte natura inerme, alienae opis indigens, ad omnem fortunae contumeliam proiectum: cum bene lacertos exercuit, cuiuslibet ferae pabulum, cuiuslibet victima, ex infirmis fluidisque contextum, & lineamentis exterioribus nitidum, frigoris, aestus, laboris impatiens: ipso rursus situ & otio iturum in tabem, [r] alimenta metuens sua, quorum modo inopia, modo copia rumpitur. Anxiae solicitaeque tutelae, precarij spiritus,
† & male haerẽtis, qua parum repentinum audiet, ex improuiso sonus auribus grauis excutit.
† Soli semper sibi nutrimentum vitiosum & inutile. Miramur in hoc mortem vnius, qua singulis opus est. Nũquid enim vt concidat, res magni molimenti est? Odor illi saporque,& lassitudo,& vigilia,& humor,& cibus,& sine quibus viuere non potest, mortifera sunt. Quocunque se mouet, infirmitatis suae statim conscium, non omne caelum ferens, aquarum nouitatibus, flatuque non familiaris aurae, & tenuissimis causis atque offensionibus [s] morbidum, putre, cassum, a fletu vitam auspicatum:[t] cum interim quantos tumultus hoc tam contemptum animal mouet? in quantas cogitationes oblitum conditionis suae venit? Immortalia, aeterna volutat animo,& in nepotes pronepotesque disponit: cum interim longa conantem eum mors opprimit, & hoc quod senectus vocatur, pauci sunt circuitus annorum.

XII. Dolor tuus, ò Marcia,[u] si modo illi vlla ratio est, vtrum sua spectat incommoda, an eius qui decessit? Vtrumne amisso filio mouet, quòd nullas ex illo voluptates cepisti, an quòd maiores, si diutius vixisset, percipere potuisti? Si nullas te percepisse dixeris, tolerabilius efficies detrimentum tuum. Minus enim homines desiderant ea, ex quibus nihil gaudij laetitiaeque perceperant. Si confessa fueris percepisse magnas voluptates, oportet te non de eo quod detractum est queri,[x] sed de eo gratias agere quod°collegisti.[y] Prouenerũt enim satis magni fructus laborum tuorum ex ipsa educatione: nisi forte hi qui catulos auesque, & friuola animorum oblectamenta, summa diligentia nutriunt, fruuntur aliqua voluptate ex visu tactuque & blanda adulatione mutorum: [z] liberos nutrientibus non fructus educationis ipsa educatio est. [a] Licet itaque tibi nihil industria eius contulerit, nihil diligentia custodierit, nihil prudentia quaesierit: ipsum quod habuisti, quod amasti, fructus est.

est.[b] At potuit longior esse, & maior. Melius tamen tecum actum est, quàm si omnino non contigisset. Quoniam si ponatur electio, vtrum satius sit non diu felicem esse, an nunquam: melius est, discessura nobis bona, quàm nulla contingere. Vtrumne malles degenerem aliquem, & numerum tantũ nomenque filij expleturũ habuisse, an tãtae indolis, quantae tuus fuit?[c] Iuuenis cito prudẽs, cito pius, cito maritus, cito pater, cito curio, cito sacerdos,[d] omnia tam propera. Nulli fere & magna bona & diuturna contingunt. Non durat, nec ad vltimum exit, nisi lenta felicitas.[e] Filium tibi dij immortales non diu daturi, statim talem dederunt, qualis diu effici potest. Ne illud quidem dicere potes,[f] electam te a diis, cui frui non liceret filio. Circũfer per omnem notorum & ignotorum frequentiam oculos.[g] occurrent tibi vbique maiora. Senserunt ista magni duces, senserunt principes. Ne deos quidem fabulae immunes reliquerũt: puto vt nostrorũ funerum leuamentum esset, etiam diuina cõcidere. Circumspice, inquam, omnes. nullam tam miseram nominabis domum, quae non inueniat in miseriore solatium. Non, mehercule, tam male de moribus tuis sentio, vt putem posse te leuius pati casum tuum, si tibi ingentem numerum lugentium produxero. Maliuoli solatij genus est, turba miserorum. Quosdam tamen referam: non vt scias hoc solere hominibus accidere: ridiculum est enim, mortalitatis exempla colligere: sed vt scias fuisse multos, qui lenierunt aspera, ferendo placide. A felicissimo incipiam. L. Sylla filium amisit: nec ea res aut malitiam eius & acerrimam virtutem in hostes ciuesque contudit: aut effecit, vt cognomen illud vsurpasse falso videretur, quod amisso filio assumpsit: nec odia hominum veritus,[h] quorum malis, illius nimis secundae res constabant: nec inuidiam deorum, quorum illud crimen erat, Sylla tam felix. Sed istud inter res nondum iudicatas habeatur, qualis Sylla fuerit: etiam inimici fatebuntur, bene illum arma sumpsisse, bene posuisse: hoc de quo agitur constabit, non esse maximum malum, quod etiam ad felicissimos peruenit. [g] Nec nimis admiretur Graecia illum patrem, qui in ipso sacrificio nuntiata filij morte, tibicinem tantum tacere iussit, & coronam capiti detraxit, cetera rite perfecit.

XIII. Puluillus hoc fecit pontifex, cui postem tenenti & Capitolium dedicanti mors filij nuntiata est: quam ille exaudisse dissimulans,[i] & sollemnia pontificalis carminis verba concepit, gemitu non interrumpente precationem, & ad filij sui nomen, Ioue propitiato. Putasses eius luctus aliquem finem esse debere, cuius primus dies, primus impetus ab altaribus publicis & fausta nuncupatione non abduxit patrem. Dignus mehercule fuit memorabili dedicatione, dignus amplissimo sacerdotio, qui colere deos ne iratos quidem destitit. Idem tamen, vt rediit domum, & impleuit oculos, & aliquas voces flebiles misit: & peractis, quae mos erat praestare defunctis, ad Capitolium hilari rediit vultu. Paulus circa illos nobilissimi triumphi dies,[k] quo victum ante currum egit Persen, duos filios in adoptionem dedit: quos sibi seruauerat, extulit. Quales retentos putas, cum inter commodatos Scipio fuisset? Non sine motu vacuum Pauli currum populus Romanus aspexit. Contionatus est tamen, & egit diis gratias, quòd compos voti factus esset. Precatum enim se, vt si quid ob ingentem victoriam inuidiae dandum esset, id suo potius quàm publico damno lueretur. Vides quàm magno animo tulerit: orbitati suae gratulatus est.[l] Ecquem magis poterat mouere tãta mutatio? solatia simul atque auxilia perdidit.[m] Non cõtigit tamẽ tristem Paulum Persae videre.

XIIII. Quid nunc te per innumerabilia magnorum virorum exempla ducam, & quaeram miseros? quasi non difficilius sit, inuenire felices. Quota quaeque domus vsque ad exitum omnibus partibus suis constitit, in qua non aliquid turbatum sit?[n] Vnum quemlibet annum occupa: & ex eo magistratus cita. Lucium, si vis, Bibulum, & C. Caesarem. videbis inter collegas inimicissimos concordem fortunam. L. Bibuli, melioris quàm fortioris viri, duo simul filij interfecti sunt: Aegyptio quidem militi ludibrio habiti: vt non minus ipsa orbitate, auctor eius, digna res lacrimis esset. Bibulus tamen, qui, toto honoris sui anno, ob inuidiam collegae, domi latuerat, postero die quàm geminum funus renuntiatum est, processit ad solita in publicum officia. Quid minus poterat, quàm vnum diem duobus filiis dare? Tam cito liberorum luctum finiuit, qui consulatum anno luxerat. C. Caesar cum Britanniam peragraret, nec Oceano felicitatem suam continere posset, audiuit[p] decessisse filiam, publica secum fata ducentem. In oculis erat iam Cn. Pompeius, non aequo laturus animo quenquam alium esse in Rep. magnum, & modum impositurus incrementis,[o] quae grauia illi videbantur, etiam cum in commune crescerent: tamen intra tertium diem imperatoria obiit munia, & tam cito dolorem vicit, quàm omnia solebat.

XV. Quid aliorum tibi funera Caesarum referam? quos in hoc mihi interim videtur violare fortuna, vt sic quoque generi humano prosit: ostẽdens, ne eos quidem qui[10] diis geniti deosq; genituri dicãtur, sic suam fortunã in potestate habere, quemadmodum alienam. Diuus Augustus amissis liberis,

nepotibus,exhausta Caesarum turba, adoptione desertam domum fulsit. Tulit tamen for-
titer:tanquam eius iam res ageretur,cuius cummaxime intererat, [o] de diis neminem queri.
Ti.Caesar & quem genuerat,& quem adoptauerat,amisit:ipse tamen pro rostris laudauit fi-
lium,stetitque in conspectu posito corpore,interiecto tantummodo velamento,quod pon-
tificis oculos a funere arceret,& flente populo Romano non flexit vultum:experiendum se
dedit Seiano ad latus stanti, quàm patienter posset suos perdere. Vides ne quanta copia vi-
rorum maximorum sit, quos non excepit hic omnia prosternens casus, in quos tot animi
bona, tot ornamenta publice priuatimque congesta erant? [p] Sed videlicet it in orbem ista
tempestas,& sine dilectu vastat omnia,agitque vt sua.Iube singulos conferre rationem.nul-
XVI. li contigit impune nasci. Scio quid dicas.Oblitus es feminam te consolati.virorum re-
fers exempla.[q] Quis enim dixerit naturam maligne cum muliebribus ingeniis egisse, & vir-
tutes illarum in arctum retraxisse?Par illis,mihi crede,vigor,[r] par ad honesta libera facultas:
[s] laborem doloremque ex aequo,si consueuere,patiuntur.[t] In qua istud vrbe, dij boni, lo-
quimur?in qua regem Romanis capitibus Lucretia & Brutus deiecerunt. Bruto libertatem
debemus,Lucretiae Brutum.In qua Cloeliam,cōtempto hoste & flumine,ob insignem au-
daciam tantum non in viros transcripsimus. Equestri insidens statuae in sacra via celeber-
rimo loco Cloelia exprobrat iuuenibus nostris puluinum ascendentibus,in ea illos vrbe sic
ingredi,in qua etiam feminas equo donauimus.[t] Quòd tibi si vis exēpla referri feminarum,
quae suos fortiter desiderauerunt, non ostiatim quaeram. Ex vna tibi familia duas Corne-
lias dabo. Primam Scipionis filiam, Gracchorum matrem. duodecim illa partus, totidem
funeribus recognouit. & de ceteris facile est, quos nec editos, [u] nec amissos ciuitas sensit.
Ti.Gracchum,& Caium, quos etiam qui bonos viros negauerit,magnos fatebitur,& occi-
sos vidit & insepultos:cōsolantibus tamen miseramque dicentibus, Nunquam,inquit,non
felicem me dicam,quae Gracchos peperi.Cornelia Liuium Drusum,clarissimum iuuenem,
illustris ingenij,vadentem per Gracchorum vestigia,imperfectis tot rogationibus,intra pe-
nates interemptum suos amiserat,incerto caedis auctore:tamen & acerbam mortem filij,&
inultam tam magno animo tulit,quàm ipse leges tulerat. Iam cum fortuna in gratiam,Mar-
cia, reuerteris, si tela, quae in Scipiones [x] Scipionumque matres ac filios egit,quibus Cae-
sares petiit, ne a te quidem continuit. Plena & infesta variis casibus vita est: a quibus nulli
longa pax, vix indutiae sunt.Quartuor liberos sustuleras, Marcia. [y] Nullum autem frustra
cadet telum, quod in confertum agmen immissum est. [z] Mirum est, tantam turbam non
potuisse sine inuidia damnove praeteruehi? [a] At hoc iniquior fortuna fuit, quòd non tan-
tum filios eripuit, sed elegit. Nunquam tamen iniuriam dixeris, ex aequo cum potentiore
diuidere: duas tibi reliquit filias, & harum nepotes: & ipsum quem maxime luges, prioris
oblita,non ex toto abstulit.Habes ex illo duas filias,[b] similes patri: si male fers,magna one-
ra: si bene,magna solatia.in hoc te perduxit,vt illas cum videris,admonearis filij,non dolo-
ris.Agricola, euersis arboribus, quas aut ventus radicitus euulsit, aut contortus repentino
impetu turbo perfregit, subolem ex illis residuam fouet, & amissarum semina statim plan-
tasque disponit,& momento(nam vt in damna, ita ad incrementa rapidum veloxque tem-
pus est) adolescūt amissis laetiora.Has nunc [c] Metilij tui filias in eius vicem substitue:& va-
cantem locum exple.Vnum dolorem,geminato solatio leua.[d] Haec quidem natura morta-
lium est,vt nihil magis placeat, quàm quod amissum est. Iniquiores sumus aduersus relicta,
ereptorum desiderio.Sed si aestimare volueris, quàm tibi valde fortuna, etiam cum saeuie-
XVII. rit,pepercerit,scies te habere plus quàm solatia. Respice tot nepotes,duas filias. Hic[e] il-
lud quoque,Marcia,mouet me,si esset cuique pro moribus fortuna, nunquam mala bonos
sequerentur: nunc video, exempto discrimine, & eodem modo malos bonosque iactari.
Graue est tamē,quem educaueris iuuenē,[f] iam matri,iam patri praesidiū ac decus, amittere.
Quis negat graue esse?sed humanum est.Ad hoc genita es vt perderes,vt perires,vt sperares,
metueres,alios teque inquietares,mortem & timeres,& optares,&,quod est pessimum,nun-
quam scires cuius esses status.Si quis Syracusas petenti diceret:Omnia incommoda,omnes
voluptates futurae peregrinationis tuae ante cognosce, deinde ita nauiga. Haec sunt quae
mirari possis:videbis primum ipsam insulam ab Italia angusto intercisam freto,[g] quam con-
tinenti quondam cohaesisse constat:subitum illo mare irrupit, &

Hesperium Siculo latus abscidit:

deinde videbis (licebit enim tibi [h] auidissimum maris verticem stringere) illam fabulosam,
Charybdim dico, quàm diu ab austro vacat, quietem, at si quis inde ventus spirauit, hia-
tu magno profundoque nauigia sorbentem. Videbis celebratissimum carminibus fontem
Arethusam, nitidissimi ac perlucidi ad imum stagni,gelidissimas aquas profundentem: [i] si-
ue illas

ue illas ibi primum nascentes inuenit, siue immersum terris flumen integrum subter tot maria, & a confusione peioris vndae seruarum reddidit. Videbis portum quietissimum omnium, quos aut natura posuit in tutelam classium, aut adiuuit manus, sic tutum, [a] vt ne maximarum quidem tempestatum furori locus sit. Videbis vbi Atheniarum potentia fracta, vbi tot millia captiuorum, [i] ille excisis in infinitam altitudinem saxis, [l] nobilis carcer incluserat, & ipsam ingentem ciuitatem, [m] & laxius territorium quàm multarum vrbium fines sint: [n] tepidissima hiberna, & nullum diem sine interuentu solis. Sed cum omnia ista cognoueris, grauis & insalubris aestas hiberni caeli beneficia corrumpit. Erit Dionysius illic tyrannus, libertatis, iustitiae, legum exitium, dominationis cupidus, etiam post Platonem, vitae etiam post exilium: alios vret, alios verberabit, alios ob leuem offensam iubebit detruncari: accerset ad libidinem mares feminasque, & inter foedos regiae intemperantiae greges parum erit simul binis coire. Audisti quid te inuitare possit, quid absterrere: Proinde aut nauiga, aut resiste. Post hanc denuntiationem, si quis dixisset intrare se Syracusas velle, satis ne iustam querelam de vllo, nisi de se habere posset, qui non incidisset in illa, sed prudens sciensque venisset? [o] Dicit omnibus nobis natura: Neminem decipio. Tu si filios sustuleris, [p] poteris habere formosos, poteris & deformes: & si fortasse tibi multi nascentur, esse ex illis aliquis tam seruator patriae quàm proditor poterit. [q] Non est quòd speres tantae dignationis futuros, vt nemo tibi propter illos maledicere audeat. Propone tamen & tantae futuros turpitudinis, [r] vt ipsi maledictum sint. Nihil verat illos tibi suprema praestare, & laudari te a liberis tuis: sed sic te para, tanquam in ignem positura, vel puerum, vel iuuenem, vel senem. Nil enim ad rem pertinent anni: quoniam nullum non acerbum funus est, quod parens sequitur. Post has leges propositas si liberos tollis, omni deos inuidia XVIII.
liberas, qui tibi nihil spoponderunt. Ad hanc imaginem agedum totius vitae introitum referamus. Syracusas visere deliberanti tibi, quicquid delectare poterat, quicquid offendere, exposui: puta nascenti me tibi venire in consilium. intratura es vrbem diis hominibusque communem, omnia complexam, certis legibus aeternisque deuinctam, indefatigata caelestium officia voluentem. Videbis illic innumerabiles stellas, miraberis vno sidere omnia impleri, solem quotidiano cursu diei noctisque spatia signantem, [t] annum in aestatem hiememque aequaliter diuidentem. Videbis nocturnam lunae successionem [u] a fraternis occursionibus lene remissumque lumen mutuantem, [x] & modo toto ore terris imminentem, accessionibus damnisque mirabilem, semper proximae dissimilem. Videbis quinque sidera diuersas agentia vias, & in contrarium praecipiti mundo nitentia: ex horum leuissimis motibus fortunae populorum dependent, & maxima ac minima proinde formantur, prout aequum iniquumve sidus incessit. Miraberis conlecta nubila, & cadentes aquas, & obliqua fulmina, & caeli fragorem. Cum [z] satiatos spectaculo supernorum in terram oculos deieceris, excipiet te alia forma rerum, aliterque mirabilis. Hinc camporum in infinitum patentium fusa planicies. Hinc montium magnis & niualibus surgentium iugis, erecti in sublime vertices, deiectus fluminum, & ex vno fonte in Orientem Occidentemque defusi amnes, & summis cacuminibus nemora nutantia, & tantum siluarum cum suis animalibus, auiumque concentu dissono. Varij vrbium situs, & seclusae nationes locorum difficultate, quarum aliae se in erectos subtrahunt montes, aliae ripis, lacu, vallibus, palude circumfunduntur: adiuta cultu seges, & arbusta sine cultore fertilia, & riuorum lenis inter prata discursus, & amoeni sinus, & littora in portum recedentia, sparsae tot per vastum insulae, [y] quae interuentu suo maria distinguunt. Quid lapidum gemmarúque fulgor, [z] & inter rapidorum torrentium arenas aurum interfluens, & in mediis terris, medioque rursus mari nitentes ignium faces, & vinculum terrarum Oceanus, continuationem gentium triplici sinu scindens, & ingenti licentia exaestuans? Videbis his inquietis, & sine vento fluctuantibus aquis [a] immani & fidem excedêri magnitudine terrentia animalia, quaedam grauia & alieno se magisterio mouentia, quaedam velocia, [b] concitaris perniciora remigiis, quaedam haurientia vndas, & magno praenauigantium periculo efflantia. Videbis hic nauigia, quas non nouere terras quaerentia. Videbis nihil humanae audaciae intentatum, [c] erisque ei spectatrix, & ipsa pars magna conantium: [d] disces, docebisque artes, alias quae vitam instruant, alias quae ornent, alias quae regant. Sed istic erunt mille corporum & animorum pestes, & bella, [e] & latrocinia, & venena, & naufragia, & intemperies caeli corporisque, & carissimorum acerba desideria, [f] & mors, incertum facilis, an per poenam cruciatumque. Delibera tecum, & perpende quid velis. vt in illa venias, per ista exeundum est. [g] Respondebis, velle te viuere? Quid ni? immo, puto, ad id non accedes, ex quo tibi aliquid detrahi doles. Viue ergo vt cōuenit. Nemo, inquis, nos cōsuluit. Cōsulti sunt de nobis parētes nostri: qui cum con- XIX.

dicionem vitae nossent, in hãc nos sustulerũt. Sed vt ad solatia veniam, [h] videamus primum quid curandum sit, deinde quemadmodum. Mouet lugẽtem desiderium eius quem dilexit. [i] id per se tolerabile apparet. [k] Absentes enim absuturosque, dum viuerent, nõ flemus, quãuis omnis vsus illorum nobis & cõspectus ereptus sit. Opinio est ergo quae nos cruciat: & tanti quodque malum est, quãti illud taxauimus. In nostra potestate remedium habemus. Iudicemus illos abesse, [l] & nosmetipsi fallamus. Dimisimus illos: immo cõsecuturi praemisimus. Mouet & illud lugentem: Non erit qui me defendat, [m] qui a contemptu vindicet. Vt minime probabili, sed vero solatio vtar: In ciuitate nostra [n] plus gratiae orbitas confert, quàm eripit. Adeoque senectutem solitudo, quae solebat destruere, ad potentiam ducit, vt quidam odia filiorum simulent, & liberos seruẽt, & orbitatem manu faciant. Scio quid dicas: Non mouẽt me detrimenta mea. etenim non est dignus solatio, qui filium sibi decessisse sicut mãcipium moleste fert: cui quicquam in filio respicere praeter ipsum vacat. Quid igitur te, Marcia, monet? Vtrũ, quòd filius tuus decessit: an, quòd non diu vixit? Si quòd decessit, semper debuisti dolere: semper enim scisti moriturum. Cogita, nullis defunctum malis affici. [o] Illa quae nobis inferos faciũt terribiles, fabula est. Nullas scimus imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrãtia igne, nec obliuionis amnem, [p] nec tribunalia, nec reos vllos in illa libertate tam laxa: nullos iterum tyrannos. Luserunt ista poetae, & vanis nos agitauere terroribus. Mors omnium dolorum & solutio est, & finis: vltra quam mala nostra non exeunt, quae nos in illam tranquillitatem, in qua antequam nasceremur iacuimus, reponit. Si mortuorum aliquis miseretur, & non natorum misereatur. Mors nec bonum nec malum est. Id enim potest aut bonum aut malum esse, quod aliquid est: quod vero ipsum nihil est, [q] & omnia in nihilũ redigit, nulli nos fortunae tradit. Mala enim bonaque circa aliquam versantur materiam. [r] Non potest id fortuna tenere, quod natura dimisit: nec potest miser esse, qui nullus est. Excessit filius tuus terminos intra quos seruiit. Excepit illũ magna & aeterna pax: non paupertatis metu, non diuitiarum cura, non libidinis per voluptatem animos carpentis stimulis incessitur, non inuidia felicitatis alienae tangitur, nec suae premitur, nec conuiciis quidem vllis verecundae aures verberantur: [s] nulla publica clades conspicitur, nulla priuata: non solicitus futuri pendet ex euentu, semper in deteriora depẽdenti. Tandem ibi constitit,

XX. [t] vnde nil eum pellat, vbi nil terreat. O ignaros malorum suorum, quibus non mors vt optimum inuentum naturae laudatur: quae siue felicitatem includit, [u] siue calamitatem repellit, siue satietatem aut lassitudinem senis terminat, siue iuuenile aeuum, dum meliora sperãtur, in flore deducit, siue puentiam ante duriores gradus reuocat, omnibus finis, multis remedium, quibusdam votum, de nullis melius merita, quàm de his ad quos venit antequam inuocaretur. Haec seruitutẽ inuito domino remittit. Haec captiuorũ cathenas leuat: [x] haec e carcere educit, quos exire imperium impotẽs vetuerat. [y] Haec exulibus in patriam semper animum oculosque tendentibus, ostendit, nihil interesse inter quos quisque iaceat. [z] Haec, vbi res fortuna male diuisit, & aequo iure genitos, alium alij donauit, exaequat omnia. Haec est quae nihil quicquam alieno fecit arbitrio. Haec est [a] in qua nemo humilitatem suam sensit. Haec est quae nulli paruit. Haec est, Marcia, quã pater tuus concupiuit. Haec est, inquam, quae efficit, vt nasci non sit supplicium: quae efficit, [b] vt non concidam aduersus minas casuum, vt seruare animum saluum ac potentem sui possim. Habeo quò appellam. Video istic cruces non vnius quidem generis, sed aliter ab aliis fabricatas. alij capite cõuersos in terram suspendere, alij per obscoena stipitem egerunt, alij brachia patibulo explicuerunt. Video fidiculas, video verbera: & membris & singulis articulis singula machinamenta: sed video & mortem. Sũt istic hostes cruenti, ciues superbi. Sed video istic & mortem. Nõ est molestum seruire, vbi si domini pertaesum est, licet vno gradu ad libertatem transire. [c] cõtra iniurias vitae beneficium mortis habeo. Cogita, quantum boni opportuna mors habeat, quàm multis diutius vixisse nocuerit. Si Cn. Pompeiũ, decus istius firmamẽtumque imperij, [d] Neapoli valitudo abstulisset, indubitatus populi Romani princeps excesserat. At nũc exigui tẽporis adiectio fastigio illum suo depulit. Vidit legiones in conspectu suo caesas: & ex illo proelio, in quo prima acies senatus fuit, [e] quae infelices reliquiae sunt, imperatorem ipsum superfuisse: vidit Aegyptiũ carnificem, [f] & sacrosanctum victoribus corpus satelliti praestitit, etiam si incolumis fuisset paenitentiam salutis acturus. Quid enim erat turpius, quàm Pompeiũ viuere beneficio regis? M. Cicero si eo tẽpore, quo Catilinae sicas deuitauit, quibus pariter cum patria petitus est, concidisset, [g] liberata Rep. conseruator eius: si denique filiae suae funus secutus fuisset, [h] tunc felix mori potuit. Non vidisset strictos in ciuilia capita mucrones: nec diuisa percussoribus occisorum bona, vt etiam de suo perirent [i]: non hastam consularia spolia vendentem: nec caedes, nec locata publice [k] latrocinia, bella, rapinas trium Catilinarum. M.

Catonem

Catonem si à Cypro & haereditatis regiae dispensatione redeuntem mare deuorasset, vel cum illa pecunia, quam afferebat ciuili bello stipendium, nonne illi bene actum foret? hoc certe secum tulisset, neminem ausurum coram Catone peccare. Nunc annorum adiectio paucissimorum, virum libertati non suae tantum, sed publicae natum, coegit Caesarem fugere, Pompeium sequi.[k] Nihil ergo mali immatura mors attulit Metilio: omnium etiam malorum remisit patientiam.[l] Nimis cito periit & immaturus. Primum puta illum superesse: comprehende quantum plurimum procedere homini licet:[m] quantulum est? Ad breuissimum tempus editi, cito cessuri loco,[n] venienti in pactum hoc, prospicimus hospitium. de nostris aetatibus loquor, quas incredibili celeritate conuolui constat. Computa vrbium saecula. videbis quàm non diu steterint etiam quae vetustate gloriantur. Omnia humana breuia & caduca sunt, infiniti temporis nullam partem occupantia. Terram hanc cum populis, vrbibusque, & fluminibus, & ambitu maris, puncti loco ponimus, ad vniuersa referentes:[o] minorem portionem aetas nostra quàm partem puncti habet, si tempori comparetur omni: cuius maior est mensura quàm mundi:[p] vtpote cum ille se intra huius spatium toties remetiatur. Quid ergo interest id extendere, cuius quantumcunque fuerit incrementum, non multum aberit a nihilo?[q] vno modo multum est quod viuimus: si satis est. Licet mihi vaces, & in moram tardatae senectutis nouies denos centenosque percenseas annos, cum ad omne tempus dimiseris animum, nulla erit illa breuissimi longissimique aeui differentia, si inspecto quanto quis vixerit spatio, comparaueris quanto non vixerit. Deinde non immaturus decessit: vixit enim, quantum debuit viuere.[r] Nihil enim illi iam vltra supererat. Non vna hominibus senectus est, vt ne animalibus quidem:[s] intra quattuordecim quaedã annos defatigantur: & haec illis longissima aetas est, quae homini prima. Dispar cuique viuendi facultas data est. Nemo nimis cito moritur,[t] qui victurus diutius quàm vixit, non fuit. Fixus est cuique terminus:[u] manebit semper vbi positus est:[x] nec illum vlterius diligentia aut gratia promouebit:[y] scit libenter illum vlterius diligentiam ex consilio perdidisse. Tulit suum, † metasque dati peruenit ad aeui. Non est itaque quòd sic te oneres: Potuit diutius viuere. nõ est interrupta eius vita, nec vnquam se annis casus interiecit. Soluitur quod cuique promissum est.[z] eunt vi sua fata: nec adiiciunt quicquam, nec ex promisso semel demunt:[a] frùstra vota ac studia fiunt. Habebit quisque, quantum illi dies primus adscripsit: ex illo quo primum lucem vidit, iter mortis ingressus est, accessitque fato propior: & illi ipsi, qui adiiciebantur adolescentiae anni, vitae detrahebantur. In hoc omnes errore versamur, vt non putemus ad mortem, nisi senes inclinatosque iam vergere, cum illo infantia statim, & iuuenta, omnisque aetas ferat.[b] Agunt opus suum fata: nobis sensum nostrae necis auferunt: quoque facilius obrepat mors, sub ipso vitae nomine latet. Infantẽ in se pueritia conuertit. Pueritiã pubertas, iuuẽtutẽ senectus abstulit. Incremẽta ipsa, si bene cõputes, damna sunt.

XXI. Quereris, Marcia, non tam diu vixisse filium tuum, quàm potuisset. Vnde enim scis an diutius illi expedierit? an illi hac morte consultum sit? Quem inuenire hodie potes, cuius res tam bene positae sint & fundatae, vt nihil illi, procedenti tempore timendum sit? Labuntur humana, ac fluunt. Nulla pars vitae nostrae tam obnoxia aut tenera est, quàm quae maxime placet. Ideoque felicissimis optanda mors est: quia in tanta inconstantia turbaque rerum, nihil nisi quod praeteriit, certum est. Quis tibi recepit, illud pulcherrimum filij tui corpus,[c] & summa pudoris custodia, inter luxuriosae vrbis oculos conseruatum, potuisse ita morbos euadere, vt ad senectutẽ formae illaesum perferret decus?

XXII. Cogita animi mille labes. Neque enim recta ingenia, qualem in adolescentia spem sui fecerant, vsque in senectutem pertulerunt: sed interuersa plerũque sunt.[d] Aut sera, eoque foedior luxuria inuasit, & coegit dehonestare speciosa principia.[e] Aut in popinam ventremque proiectis, summa illis curarum fuit, quid essent, quid biberent. Adiice incendia, ruinas, naufragia, lacerationes medicorum, ossa viuis legentium, & totas in viscera manus demittentium,[f] & non simplici dolore pudenda curantium.[g] Post haec exilium. non fuit innocentior filius tuus, quàm Rutilius. Carcerem. non fuit sapientior, quàm Socrates. Voluntario vulnere trãsfixum pectus. non fuit sanctior quàm Cato. Cum ista perspexeris, scies optime cum his agi, quos natura, quia illos hoc manebat vitae stipendium, cito in tutum recepit. Nihil est tam fallax, quàm vita humana: nihil tam insidiosum. non mehercule quisquam accepisset, nisi daretur inscijs. Itaque felicissimum est, non nasci: proximum puto, breuitate vitae defunctos, cito in integrum restitui. Propone illud acerbissimum tibi tempus, quo Seianus patrem tuum[h] clienti suo[i] Satrio Secũdo cõgiarium dedit. Irascebatur illi ob vnum aut alterũ liberius dictũ, quòd tacitus ferre nõ potuerat, Seianũ in ceruices nostras[l] ne imponi quidem, sed escẽdere.[k] Decernebatur illi statua in Põpeij theatro ponẽda, quod

exustum Caesar reficiebat.[l] Exclamauit Cordus, tunc vere theatrum perire. Quis ergo non rumperetur, supra cineres Cn. Pompeij constitui Seianum, & in monumentis maximi imperatoris [m] consecrari pessimum militem? consecratur. Subscriptio, & acerrimi canes, quos ille,[n] vt sibi vni mansueros, omnibus feros haberet, sanguine humano pascebat, circumlatrare etiam hominem illum imparatum incipiunt. Quid faceret? si viuere vellet, Seianus rogandus erat: si mori, filia: vterque inexorabilis. Constituit filiam fallere. Vsus itaque balneo, & quo plus imponeret, in cubiculum se quasi gustaturus contulit: & dimissis pueris, quaedam per fenestram, vt videretur edisse, proiecit a coena: deinde quasi iam satis in cubiculo edisset, abstinuit: alteroque die, & tertio idem fecit. Quarto ipsa infirmitate corporis faciebat indicium. Complexus itaque te: Carissima, inquit, filia, & hoc vnum tota celata vita, iter mortis ingressus sum, & iam medium fere teneo. Reuocare me nec debes, nec potes. Atque ita lumen omne praecludi iussit, & se in tenebris cōdidit. Cognito consilio eius, publica voluptas erat, quòd è faucibus auidissimorum luporum educeretur praeda. Accusatores, Seiano auctore, adeunt consulum tribunalia: queruntur mori Cordum, vt interpellarent quod coegerant. Adeo illis Cordus videbatur effugere. Magna res erat in quaestione,[s] [*] an morte rei perderentur. dum deliberatur, dum accusatores iterum adeunt, ille se absoluerat. Videsne, Marcia, quantae iniquorum temporum vices ex inopinato ingruant?[p] Fles quòd alicui tuorum mori necesse fuit? paene non licuit.

XXIII. [q] Praeter hoc etiam, omne futurum incertum est, & ad deteriora certius. Facilius ad superos iter est, animis cito ab humana conuersatione dimissis: minus enim faecis ponderisque traxerunt: antequam obducerentur, & altius terrena conciperēt, liberati, leuiores ad originem suam reuolant, & facilius, quicquid est illud, absoluti transfluunt. Nec vnquam magnis ingeniis cara in corpore mora est. Exire atque erumpere gestiunt, aegre has angustias ferunt, vagi per omne sublime, & ex alto assueti humana despicere. Inde est quod Plato clamat: Sapientis animum totum in mortem prominere, hoc velle, hoc meditari, hac semper cupidine ferri in exteriora tendentem. Quid tu, Marcia, cum videres senilem in iuuene prudētiam, victorem omnium voluptatum animum, emendatum, carentem vitio, diuitias sine auaritia, honores sine ambitione, voluptates sine luxuria appetentem, diu tibi putabas illum sospitem posse contingere? Quicquid ad summum peruenit, ad exitum properat. Eripit se aufertque ex oculis perfecta virtus. Nec vltimū tempus expectant, quae in primo maturuerunt. Ignis quo clarior fulsit, citius extinguitur. Viuacior est, qui cum lenta difficilique materia commissus, fumoque demersus, ex sordido lucet. eadem enim detinet causa, quae maligne alit. Sic ingenia [r] quo illustriora, eo breuiora sunt. Nam vbi incremento locus non est, vicinus occasus est. Fabianus ait, quod nostri quoque parentes videre, puerum Romae fuisse, statura ingentis viri: sed hic cito decessit, & moriturum breui nemo non prudens dixit. Non poterat enim ad illam aetatem peruenire, quam praeceperat.[s] Ita est indicium imminentis exitij maturitas, & appetit finis, vbi incrementa consumpta sunt.

XXIIII. Incipe virtutibus illum, nō annis aestimare. satis diu vixit. pupillus relictus, sub tutorum cura vsque ad decimūquartum annum fuit: [t] sub matris custodia semper: cum haberet suos penates, relinquere tuos noluit. Adolescens statura, pulchritudine, cetero corporis robore castris natus, militiam recusauit, ne a te discederet. Computa, Marcia, quàm raro liberos videant, quae in diuersis domibus habitāt.[u] Cogita, totos illos perire annos matribus, & per solitudinem exigi, quibus filios in exercitu habent. Scies multum patuisse hoc tempus, ex quo nihil perdidisti. Nunquam a conspectu tuo recessit: sub oculis tuis studia formauit,[x] excellentis ingenij, & aequaturi auum, nisi obstitisset verecundia, quae multorum profectus silentio pressit. Adolescens rarissimae formae in tam magna mulierū turba viros corrūpentium,[y] nullius spei se praebuit: & cum quarūdam vsque ad tentandum peruenisset improbitas, erubuit, quasi peccasset, quòd placuerat. Hac sanctitate morum effecit, vt puer admodū dignus sacerdotio videretur, materna sine dubio suffragatione. Sed ne mater quidem [z] nisi pro bono candidato valuisset.[a] Harū contemplatione virtutum sic te gere, tanquam si nūc ille tibi magis vacet.[b] Nunc nihil habet quo auocetur. Nūquam tibi solicitudini, nunquam maerori erit. quod vnum ex tam bono filio poteras dolere, doluisti. Cetera exempta casibus, plena voluptatis sunt: si modo vti filio scis, si modo quid in illo pretiosissimum fuerit intelligis, imago dūtaxat filij tui periit, [c] & effigies, nō simillima: ipse quidem aeternus, meliorisque nūc status est, despoliatus oneribus alienis, & sibi relictus. Haec quae vides ossa [d] circūuoluta neruis, & obductam cutem, vultumque, & ministras manus, & cetera quibus inuoluti sumus, vincula animorum tenebraeque sunt. Obruitur his animus, offuscatur, inficitur, [e] arcetur a veris & suis, in falsa coniectus: omne illi cum hac carne graui certamen est, ne abstrahatur & sidat: nititur illò vnde dimissus

est: ibi

est: ibi illum aeterna requies manet, [f] pto confusis crassisque pura & liquida visentem. Proinde non est quòd ad sepulcrum filij tui curras. Pessima eius, & ipsi molestissima istic iacent, XXVI ossa cineresque, non magis illius partes quàm vestes, aliaque tegumenta corporum. Integer ille, [g] nihilque in terris relinquens, fugit, & totus excessit: paulumque supra nos commoratns, dum expurgat inhaetentia vitia, situmque omnis mortalis aeui excutit, deinde ad excelsa sublatus, inter felices currit animas, excipitque illum coetus sacer, Scipiones, Catonesque, [h] vtique contemptores vitae, & mortis beneficio liberi. Parens tuus, Marcia, illic nepotem suum, quamquam illic omnibus omne cognatum est, applicat sibi, noua luce gaudẽtem, & vicinorum siderum meatus docet: nec ex coniecturis, sed omnium ex vero peritus in arcana naturae [i] libens ducit. [k] Vtque ignotatum vrbium monstrator hospiti gratus est: ita sciscitanti caelestium causas, domesticus interpres: [l] & in profunda terrarum permittere aciem iuuat. Delectat enim ex alto relicta respicere. [m] Sic itaque, Marcia, te gere, tanquam sub oculis patris filiique posita, non illorum quos noueras, sed tanto excellentiorum, & in summo locatorum: erubesce quicquam humile aut vulgare, & mutatos in melius tuos flere, in aeterna rerum per vasta & libera spatia dimissos. Nõ illos interfusa maria discludunt, nec altitudo montium, [n] aut imae valles, aut incerta vada Syrtium. tramites omnia plani, & ex facili mobiles, & expediti, & inuicem peruij sunt, intermixtique sideribus. Puta itaque XXVII ex illa arce caelesti patrem tuum, Marcia, cui tantum apud te auctoritatis erat, quantum tibi apud filium tuum, nõ illo ingenio, quo ciuilia bella defleuit, quo proscribentes in aeternum ipse proscripsit, sed tanto clariore, quanto est ipse sublimior, dicere: Cur te filia tam longa tenet aegritudo? Cur in tanta veri ignorantia versaris, vt inique actum judices cum filio tuo, [o] quòd in taedium versus vitae, ipse ad maiores se recepit suos? Nescis quantis fortuna procellis disturbet omnia? [p] quàm nullis benignam facile se praestiterit, nisi qui minimum cum illa contraxerant? [q] Regesne tibi nominem felicissimos futuros, si maturius illos mors instãtibus subtraxisset malis? An Romanos duces, quorum nihil magnitudini deerit, si aliquid aetati detraxeris? an nobilissimos vitos clarissimosque ad ictum militaris gladij composita ceruice formatos? Respice patrem atque aunm tuum. Ille in alieni percussoris venit arbitriũ. Ego nihil in me cuiquam permisi, & cibo prohibitus [r] ostendi, quàm magno animo seripsissem. Cur in domo nostra diutissime lugetur, qni felicissime moritur? Coimus in vnum omnes, [s] videmusq; vos alta nocte circũdari. Nil apud vos, vt putatis, optabile, nil excelsum, nil splendidum: sed humilia cũcta, & grauia, & anxia, & quotam partem luminis nostri cernentia? Quid dicam, nulla hic arma mutuis furere concursibus, nec classes classibus frangi, nec parricidia aut fingi, aut cogitari, nec fora litibus strepere dies perpetuos: nihil in obscuro, detectas mentes, & aperta praecordia, & in publico medioque vitam, & omnis aeui prospectum, [t] cuentumque. Iuuat vnius saeculi fata componere, in parte vltima mundi, & inter paucissimos gesta: tot saecula, tot aetatum cõtexram seriem, quicquid annorum est, licet visere: licet surrectura, licet tuitura regna prospicere, & magnarum vrbium lapsus, & maris nouos cursus. Nam si potest tibi solatio esse desiderüs tuis communt fatum, [v] nihil quo stat loco stabit. Omnia sterner, [u] abducetque secum vetustas: nec hominibus solum ([x] quota enim ista fortuitae potentiae portio est?) sed locis, sed regionibus, sed mundi partibus ludet: tot supprimet montes, & alibi rupes in alrum nouas exprimet: maria sorbebit, flumina auertet: & commercio gentium rupto, societatem generis humani coetusque dissoluet. Alibi hiatibus vastis subducet vrbes, tremoribus quatiet, & ex infimo pestilentes halitus mirtet, & innndationibus quicquid habiratur, obducet. Necabitque omne animal orbe submerso, & ignibus vastis torrobit incendetqne mortalia. Et cum tempus aduenerit, quo se mundus renouaturus extinguat, viribus ista se suis caedent, & sidera sideribus incurrent, & omni flagrante materia, vno igne quicquid nunc ex disposito lucet, ardebit. Nos quoque felices animae, [y] & aeterna sortitae, cum Deo visum erit iterum ista moliri, labentibus cunctis, [z] & ipsi parua ruinae ingentis accessio, in antiqua elementa vertemur. Felicem filium tuum, Marcia, qui ista iam nouit.

M. ANTONII MVRETI AD CONSOLATIONEM SENECAE AD MARCIAM NOTAE.

M[1]ARCIAM A. *Cremutij Cordi filiam, magni & ingenij & animi mulierem, amisso filio immodice dolentem consolatur.*

2 Mortem A. Cremutij Cordi,] *De ea vide Tacitum libro quarto annaliũ ab excessu D. Augu-* CAP. I.

sti,& Dionem ad finem libri LVII.

3 Patriae seruitutis] *legendum* Patere,*vt in libro Siculo.Sed & Pincianus hoc monuerat.*

4 Victa,fudistique lacrimas palam,] *Locus mihi quidem deprauatus videtur. Fortaßis ita legi poßit:* Victaque tenuisti lacrimas palam,& gemitus,non tamen hilari fronte,texisti.*Sed haec coniectura modo est,quam veram praestare non ausim.*

5 Libros,] *Quos patres censuerant per aediles cremandos esse.Tacitus. Dio. Eorum librorum testimonio alicubi vtitur Suetonius.*

II. 6 Carmina celebrandae Marcelli memoriae composita,] *Audisse tamen non illibenter dicitur,quae de eo Virgilius ad finem libri sexti Aeneidos scripserat.*

III. 7 Filium Drusum,] *patrem Germanici, auum Caligulae. De huius morte vide Strabonem libro* VII.

XII. 8 Nec nimis admiretur Graecia illum patrem,] *Xenophontem: de quo,itemque de Paluillo vide Valerium Maximum cap.* X. *libri* V.

XIIII. 9 Decessisse filiam,] *Iuliam,Pompeij vxorem.*

XV. 10 Diis geniti deosque genituri] *Imitatus est Virgilij versum:*

Dis genite & geniture deos.

11 De diis neminem queri.] *Nam ipsemet, stulta illorum temporum opinione, paulo post futurus erat Deus.*

XVI. 12 In qua istud vrbe,di boni, loquimur?] *Imitatus est locum quendam e Ciceronis Miloniana.*

XVII. 13 Nobilis carcer] *Ita conieci legendum: cum veteres libri haberent partim* Nablius, *partim* Noblius.

XXII. 14 Satrio Secundo] *Ita legendum ex Taciti libro* IIII.

15 An morte rei perderentur.] *Retinenda est haec veterum librorum scriptura: quam qui non intelligunt,deprauare conantur. Sententia autem haec est. Quadruplatores,vt notum est,quartam partem ferebant eius pecuniae,quae conficiebatur e sectione damnati. At qui peribant in reatu, mori damnati non videbantur. Moriente igitur ante damnationẽ aliquo,cuius ipsi bona spe iam deuorassent,bolus eis e faucibus eripi videbatur. Hoc igitur illi querebantur, & iniquo animo ferebant: si sibi morte eriperentur & elaberentur e manibus rei sui, quorum explorata damnatio esset. Hoc igitur fuisse dicit in quaestione, an quadruplator perderet reum suum, si reum adhuc indemnatum mori contigisset.*

L. ANNAEI SENECAE
AD HELVIAM MATREM
DE CONSOLATIONE
LIBER VNVS.

CAP. I.

AEPE iam mater optima, impetum cepi consolandi te, saepe continui. [b] Vt auderem, multa me impellebant. Primum videbar depositurus omnia incõmoda, cum lacrimas tuas, [c] etiam si supprimere nõ potuissem, interim certe abstersissem. Deinde plus habiturum me auctoritatis non dubitabam ad excitandam te, si prior ipse consurrexissem. Praeterea timebam, ne a me non victa fortuna aliquem meorum vinceret. Itaque vtcunque conabar manu super plagam meam imposita, ad obliganda vulnera vestra reptare. Hoc propositum meum erant [d] rursus quae retardarent. Dolori tuo, dũ recens saeuiret, sciebam occurrendum non esse, [e] ne illum ipsa solatia irritarent, & accenderent. [f] Nam in morbis quoque nihil est magis periculosum, nec perniciosum, quàm immatura medicina. Expectabam itaque dum ipse vires suas frangeret, & ad sustinenda remedia mora mitigatus, tangi se ac tractari pateretur. [g] Praeterea cum omnia doctissimorum ingeniorum monumenta, ad compescendos moderandosque luctus composita euoluerem, non inueniebam exemplum eius qui consolatus suos esset, cum ipse ab illis comploraretur. Ita in re noua haesitabam, [h] verebarque, ne haec non consolatio, sed exulceratio esset. Quid quòd nouis verbis, nec ex vulgari & quotidiana sumptis allocutione, opus erat homini ad consolandos suos ex ipso rogo caput alleuanti? Omnis autem magnitudo doloris modum excedentis [i] necesse est dilectum verborum eripiat, cum saepe vocem quoque ipsam intercludat.

cludat. Vtcunque connitar, non fiducia ingenij, sed quia possum instar efficacissimae conso-
lationis esse consolator. Cui nihil negares, huic hoc vtique te non esse negaturam (licet o-
mnis maeror contumax sit) spero, vt desiderio tuo velis a me modũ statui. Vide quan- II.
tum de indulgentia tua promiserim mihi: potẽtiorem me futurum apud te non dubito, quã
dolorem tuum, quo nihil est apud miseros potentius. Itaque ne statim cum eo concurram,
adero prius illi, & quibus excitetur, ingeram, omnia proferam, & rescindam quae iam ob-
ducta sunt. Dicet aliquis: Quod hoc genus est consolandi, oblitterata mala reuocare, & ani-
mum in omnium aerumnarum suarum conspectu collocare, vix vnius patiẽtem?[k] Sed is co-
gitet, quaecunque vsque eo perniciosa sunt, vt contra remedium conualuerint, plaerunque
contrariis curari. [l] Omnes itaque luctus illi suos, omnia lugubria admouebo. Hoc erit non
molli via mederi, sed vrere ac secare. Quid consequar? vt pudeat animum, tot miseriarum
victorem, aegre ferre vnum vulnus in corpore tam cicatricoso.[l] Fleant itaque diutius, & ge-
mant, quorum delicatas mẽtes eneruauit longa felicitas, & ad leuissimarum iniuriarum mo-
tus collabantur: at quorum omnes anni per calamitates transierunt, grauissima quoq; forti
& immobili constantia perferant. Vnum habet assidua infelicitas boni, quòd [m] quos saepe
vexat, nouissime indurat. [n] Nullam tibi fortuna vacationem dedit a grauissimis luctibus: ne
natalem quidem tuum excepit. Amisisti matrem statim nata, immo dum nascereris: [o] & ad
vitam quodammodo exposita es. Creuisti sub nouerca: quam tu quidem omni obsequio,
& pietate, [p] quanta vix in filia conspici potest, matrem fieri coegisti. Nulli tamen non ma-
gno constitit & bona nouerca. Auunculum indulgentissimum, optimum ac fortissimum vi-
rum, cum aduentum eius expectares, amisisti. [q] Et ne saeuitiam suam fortuna leuiorem du-
cendo faceret, intra tricesimum diem, carissimum virum tuum, ex quo mater trium liberorũ
eras, extulisti. tibi luctus nũtiatus est, omnibus quidem absentibus liberis: quasi de industria
in id tempus coniectis malis tuis, vt nihil esset [r] vbi se dolor tuus reclinaret. Transeo tot pe-
ricula, tot metus, [s] quos sine interuallo in te incursantes pertulisti. Modo in eundem sinum,
ex quo tres nepotes emiseras, ossa trium nepotum recepisti. [t] Intra vicesimum diem, quàm
filium meum in manibus & in osculis tuis mortuum funeraueras, raptum me audisti. Hoc
adhuc defuerat tibi, lugere viuos. Grauissimum est ex omnibus, quae vnquam in cor- III.
pus tuum descenderunt, recens vulnus: fateor.[u] non summam cutem rupit, pectus, & visce-
ra ipsa diuisit. Sed quemadmodum [x] tirones leuiter saucij tamen vociferãtur, & manus me-
dicorum magis quàm ferrum horrent: at veterani, quamuis confossi, patienter ac sine ge-
mitu velut aliena corpora [y] exsecari patiuntur: ita tu nuno debes te fortiter praebere cura-
tioni. [z] Lamentationes quidem & vlulatus, & alia per quae fere muliebris dolor tumultua-
tur, amoue. Perdidisti enim tot mala, si nondum misera esse didicisti. [a] Ecquid videor tecum
timide egisse? nil tibi subduxi ex malis tuis, sed omnia coaceruata ante te posui. Magno id
animo feci. [b] Constitui enim vincere dolorem tuum, non circumscribere. [1] Vincam, IIII.
puto, primũ si ostẽdero nihil me pati, propter quod possim dici miser, nedum propter quod
miseros etiam quos contingam faciam. Deinde si ad te transiero, & probauero, ne tuã qui-
dem grauem esse fortunam, quae tota ex mea pendet. Hoc prius aggrediar, quod pietas tua
audire gestit, nihil mali esse mihi. si hoc tibi demonstrare non potero, ipsas res quibus me
putas premi, non esse intolerabiles, faciam manifestum. Sin id credi non potuerit: [c] at ego
mihi ipse magis placebo, quòd inter eas res beatus ero, quae miseros solent facere. Non est
quòd de me aliis credas: ipse tibi, ne quid incertis opinionibus perturberis, indico me non
esse miserum. Adiiciam, quo securior sis, nec fieri quidem posse miserum. [2] Bona con- V.
dicione geniti sumus, si eam [d] non deseruerimus. Id egit rerum natura, vt ad bene viuendum
non magno apparatu opus esset. Vnusquisque facere se beatum potest. Leue momentum in
aduenticiis rebus est, & quod in neutram partem magnas vires habeat. Nec secunda sapien-
tem euehunt, nec aduersa demittunt. Laborauit enim semper, vt in se plurimũ poneret, [e] in-
tra se omne gaudium peteret. Quid ergo? sapientem me esse dico? Minime. Nam id quidem
si profiteri possem, non tantum negarem miserum me esse, sed omnium fortunatissimum; &
in vicinum Deo perductum praedicarem. Nunc, quod satis est ad omnes miserias leniẽdas,
sapientibus viris me dedi; & nondum in auxilium mei validus, in aliena castra confugi, eorũ
scilicet, qui [f] facile se & sua tuentur. Illi me iusserunt stare assidue, velut in praesidio positum,
& omnes conatus fortunae, & omnes impetus prospicere multo ante quàm incurrant.[g] Illis
grauis ipsa fortuna est, quibus est repentina. Facile eam sustinere potest, qui semper expectat.
Nam & hostium aduentus eos prosternit, quos inopinate occupauit. At qui futuro se bello
ante bellum parauerunt, compositi & aptati, primum, qui tumultuosissimus est, ictum facile
excipiunt. Nunquam ego fortunae credidi, etiam si videretur pacem agere: [h] omnia illa quae

in me indulgentissime conferebat, pecuniam, honores, gloriam, eo loco posui, vnde posset ea sine motu meo repetere. Interuallum inter me & illam magnum habui. Itaque abstulit illa, non auulsit. Neminem aduersa fortuna comminuit, nisi quem secunda decepit. Illi qui munera eius velut sua & perpetua amauerunt, qui se propter illa suspici voluerunt, iacent & maerent, cum inualidos & pueriles animos, omnis solidae voluptatis ignaros, falsa & mobilia oblectamenta destituunt. At ille qui se laetis rebus non inflauit, nec mutatis contrahit, aduersus vtrunque statum inuictum animum tenet, exploratae iam firmitatis. [i] Nam in ipsa felicitate quid contra infelicitatem valeret, expertus est. Itaque ego in illis quae omnes optant, existimaui semper, nihil veri boni inesse:[k] quin inania, & specioso ac decepturo fuco circumlita inueni, intra nihil habentia fronti simile. Nam in illis quae mala vocantur, nihil tam terribile ac durum inuenio, quàm opinio vulgi minabatur. Verbum quidem ipsum, persuasione quadam & consensu, iam asperius ad aures venit, & audientes tãquam triste, & execrabile ferit: ita enim populus iussit. Sed populi scita ex magna parte sapiẽtes abrogant.

VI. [4] Remoto igitur iudicio plurium, quos prima rerum facies, vtcunque credita est, aufert, videamus quid sit exilium: nempe loci commutatio est. Angustare videor vim eius, & quicquid pessimum in se habet, subtrahere. Hanc commutationem loci sequuntur incommoda, paupertas, ignominia, contemptus. Aduersus ista postea confligam. Interim primum illud intueri volo, quid acerbi afferat ipsa loci commutatio. Carere patria, intolerabile est. Aspice hanc frequentiam, cui vix vrbis immensa tecta sufficiũt. Maxima pars illius turbae patria caret: ex municipiis & coloniis suis, ex toto denique orbe terrarum confluxerunt: alios adducit ambitio, alios necessitas officij publici, alios imposita legatio, alios luxuria, opulentum & opportunum vitiis locum quaerens: alios liberalium studiorum cupiditas, alios spectacula. Quosdam traxit amicitia,[l] quosdam industria, latam ostendendae virtuti nacta materiam. [m] Quidam venalem formam attulerunt, quidam venalem eloquentiam. Nullum non hominum genus concurrit in vrbem, & virtutibus & vitiis magna pretia ponentem. Iube omnes istos ad nomen citari, & vnde domo quisque sit, quaere. Videbis maiorem partem esse, quae relictis sedibus suis venerit in maximam quidem ac pulcherrimam vrbem, non tamen suam. Deinde ab hac ciuitate discede, quae veluti communis patria potest dici, omnes vrbes circumi. [n] Nulla est, vbi magnã partem peregrinae multitudinis non inuenias. [o] Nũc transi ab iis quarum amoena positio & opportunitas regionis plures alliciet: deserta loca, & asperrimas insulas, Sciathum & Seriphum,[p] Gyarum & Cosuram pete. Nullum inuenies exilium, in quo non aliquis animi causa moretur. Quid tam nudum inueniri potest, quid tam abruptum vndique, quàm 'hoc saxum?[q] quid ad copias respicienti ieiunius? quid ad homines immansuetius? quid ad ipsum loci situm horridius? quid ad caeli naturam intemperatius?[r] plures tamen hic peregrini quàm ciues consistunt. Vsque eò ergo commutatio ipsa locorum grauis non est, vt hic quoque locus a patria quosdam abduxerit.[s] Inuenio qui dicant, inesse naturalem quandam animis irritationem commutandi sedes, & transferendi domicilia. Mobilis enim & inquieta mens homini data est. Nunquam se tenet, spargitur, & cogitationes suas in omnia nota atque ignota dimittit, vaga, & quietis impatiens, & nouitate rerum laetissima. Quod non miraberis,[t] si primam eius originem aspexeris. Non est ex terreno & graui concreta corpore. ex illo caelesti spiritu descendit. Caelestium autem natura semper in motu est. Fugit, & velocissimo cursu agitur. [u] Aspice sidera mundum illustrantia. Nullum eorum perstat. labitur assidue, & locum ex loco mutat: [v] quamuis cum vniuerso vertatur, in contrarium nihilominus ipsi mundo refertur. per omnes signorum partes discurrit[x] perpetua eius agitatio, & aliunde alio commigratio est. Omnia voluuntur. [y] Semper in transitu sunt, & vt lex & naturae necessitas ordinauit, aliunde alio deferuntur. Cum per certa annotum spatia[z] orbes suos explicuerint, iterum ibunt per quae venerant. I nunc, & animum humanum, ex iisdem quibus diuina constant compositum seminibus, moleste ferre puta transitum ac migrationem: cum Dei natura, assidua & citatissima commutatione,[a] vel delectet se, vel conseruet. A caelestibus agedum te ad humana conuerte. [7] Videbis gentes, populosque mutasse sedem. Quid sibi volunt[b] in mediis Barbarorum regionibus Graecae vrbes? Quid inter Indos Persasque Macedonicus sermo? Scythia, & totus ille ferarum indomitarumque gentium tractus, ciuitates Achaiae Ponticis impositas littoribus ostentat. Non perpetuae hiemis saeuitia, non hominum ingenia, ad similitudinem caeli sui horrentia, transferentibus domus suas obstiterunt. [c] Atheniensis in Asia turba est. Miletus LXXV. vrbium populum in diuersa effudit. [d] Totum Italiae latus quod infero mari alluitur, maior Graecia fuit. Tuscos Asia sibi vendicat. Tyrij Africam incolunt, Hispaniam Poeni. Graeci se in Galliã immiserunt, in Graeciam Galli. Pyrenaeus Germanorum

transitus

tranſitus non inhibuit:per inuia, per incognita verſauit ſe humana leuitas. Liberos, coniugesque, & graues ſenio parentes traxerunt. Alij loogo errore iactati, non iudicio elegerunt locum, ſed laſſitudine proximum occupauerunt. Alij armis ſibi ius in aliena terra fecerunt. Quaſdam gentes cum ignota peterent, mare hauſit. Quaedam ibi conſederunt, vbi illas rerum inopia depoſuit. Nec omoibus eadem cauſa relinquendi, quaerendique patriam fuit. Alios excidia vrbium ſuarum hoſtilibus armis elapſos, in aliena, ſpoliatos ſuis, expuleruot. Alios domeſtica ſeditio ſubmouit: [e] alios nimia ſuperfluentis populi frequentia ad exooerandas vrbes emiſit. Alios peſtilentia, [f] aut frequens terrarum hiatus, aut aliqua intolerāda [g] infelicis ſoli vitia eiecerunt. Quoſdam fertilis orae in maius laudatae fama corrupit. Alios alia cauſa exciuit domibus ſuis. Illud itaque eſt manifeſtum, nihil eodem loco manſiſſe quo genitum eſt. Aſſiduus humani generis diſcurſus eſt. Quotidie aliquid in tam magno orbe mutatur. Noua vrbium fundamenta iaciunt. Noua gentium nomina, extinctis prioribus, aut in acceſſionem validioris conuerſis, oriuntur. [h] Omnes autem iſtae populorum tranſportationes, quid aliud quàm publica exilia ſunt?

VII. Quid tam longo te circuitu traho? Quid intereſt enumerare Antenorem Patauij conditorē, [i] & Euandrum in ripa Tiberis regna Arcadum collocantem? Quid Diomedem, aliosque qnos Troianum bellum victos ſimul victoresque per alienas terras diſſipauit? Romanum imperium oempe auctorem exulem reſpicit: quem profugum, capta patria, exiguas reliquias trahentem, neceſſitas & victoris metus, longinqua quaerentem, [k] in Italiam detulit. Hic deinde populus quot colonias in omnes prouincias miſit? [l] vbicunque vicit Romanus, habitat. Ad hanc commutationem locorum libenter nomina dabat: & relictis aris ſuis trans maria ſequebatur coloous ſenex. Res quidē non deſiderat plurium enumerationē: vnum tamē adiiciam, quod in oculos ſe ingerit. Haec ipſa ioſula ſaepe iam [m] cultores mutauit.

VIII. Vt antiquiora quae vetuſtas obduxit, tranſeam, Phocide relicta, Graij qui nunc Maſſiliam colunt, prius in hac inſula conſederuot. Ex qua quid eos fugauerit, incertum eſt: vtrum caeli grauitas, an praepotentis Italiae conſpectus, an natura importuoſi maris. Nam in cauſa non fuiſſe feritatem accolarum, eo apparet, quòd maxime tunc trucibus & incooditis Galliae populis ſe interpoſuerunt. Tranſierunt deinde Ligures in eam, tranſierunt & Hiſpani, quod ex ſimilitudine ritus apparet. Eadem enim tegumenta capitum, idemque genus calceamenti, quod Cantabris eſt, & verba quaedam. Nam totus ſermo [n] conuerſatione Graecorum Ligurumque a patrio deſciuit. Deductae deinde ſunt duae ciuium Romanorum coloniae: altera a Mario, altera a Sylla. Toties huius aridi & ſpinoſi ſaxi mutarus eſt populus. Vix denique inuenies vllam terram, quam etiam nunc indigenae colant. [o] Permixta omnia & inſiticia ſunt. Alius alij ſucceſſit. Hic cōcupiuit, quod alij faſtidio fuit: ille vnde expulerat, eiectus eſt. Ita fato placuit, nullius rei eodem ſemper loco ſtare fortunam. Aduerſus ipſam mutatiooem locorum, detractis certis incommodis quae exilio adhaerent, ſatis hoc remedij putat Varro doctiſſimus Romanorum, quòd quocunque venimus, eadem rerū natura vtēdum eſt. M. Brutus ſatis hoc putat, [p] quòd licet in exilium euntibus virtutes ſuas ferre ſecum. Haec etiam ſi quis ſingula parum iudicat efficacia ad conſolandum exulem, vtraque in vnum collata fatebitur plurimum poſſe. Qoātulum enim eſt quod perdidimus? Duo quae pulcherrima ſunt, quocūque nos mouerimus, ſequentur: narura communis, & propria virtus. Id actum eſt, mihi crede, ab illo, quiſquis formator vniuerſi fuit, ſiue ille Deus eſt potens omnium, ſiue incorporalis ratio ingentium operum artifex, ſiue diuinus ſpiritus per omnia maxima mioima, aequali intentione diffuſus, ſiue fatum & immutabilis cauſarum inter ſe cohaerentium ſeries: id, inquam, actum eſt, vt in alienum arbitrium, niſi viliſſima quaeque non caderent. Quicquid optimum homini eſt, id extra humanam potentiam iacet: nec dari, nec eripi poteſt. Mūdus hic, quo nihil neque maius, neque ornatius, rerum natura genuit: animus contemplator, admiratorque mundi, pars eius magnificentiſſima, propria nobis, & perpetua, tamdiu nobiſcum manſura, quamdiu ipſi manebimus. Alacres itaq; & erecti, quocunq; res tulerit, intrepido gradu properemus.

IX. Emetiamur quaſcunque terras, nullum inuenruri ſolum intra mūdum, quod alienum homini ſit. Vndecunque ex aequo ad caelum erigitur acies: paribus interuallis omnia diuina ab humanis diſtant. Proinde dum oculi mei [q] ab illo ſpectaculo cuius inſatiabiles ſunt, non abducantur, dum mihi lunam ſolemque intueri liceat, dum ceteris inhaerere ſideribus, dum ortus eorum, occaſus, interuallaque, & cauſas inueſtigare velocius meandi, vel tardius, ſpectare tot per noctem ſtellas micātes, & alias immobiles, alias non in magnum ſpatiū exeuntes, [r] ſed intra ſuum ſe circumagentes veſtigium, quaſdam ſubito erumpentes, quaſdam igne fuſo perſtringentes aciem, quaſi decidant, vel longo tractu cum luce multa praeteruolantes: dum cum his ſim, & caeleſtibus, qua homini fas eſt, immiſcear, dum animum ad cognatarū

rerum conspectum tendentem, in sublimi semper habeam: quantum refert mea, quid calcem? Atqui non est haec terra frugiferarum aut laetarum arborum ferax. Non magnis & nauigabilibus fluminum alueis irrigatur. Nihil gignit, quod aliae gentes petant, vix ad tutelam incolentium fertilis. Non pretiosus hic lapis caeditur, [t] non auri argentique venae eruuntur. Angustus animus est, quem terrena delectant. [u] Ad illa abducendus est, quae vbique aeque apparent, vbique aeque splendent: & hoc cogitandum est, ista veris bonis per falsa & praue credita obstare: quo longiores porticus expedierint, quo altius turres sustulerint, [w] quo latius vicos porrexerint, quo depressius aestiuos specus foderint, quo maiori mole fastigia coenationum subuexerint, hoc plus erit quod illis caelum abscondat. In eam te regionem casus eiecit, in qua latissimum receptaculum casa est. Ne tu pusilli animi es, & sordide se consolantis, [x] si ideo id fortiter pateris, quia Romuli casam nosti. Dic illud potius: Istud humile tugurium nempe virtutes recipit. Iam omnibus templis formosius erit, cum illic iustitia conspecta fuerit, [y] cum continentia, cum prudentia, pietas, omnium officiorum recte dispensandorum ratio, humanorum diuinorumque scientia. Nullus angustus est locus, qui hanc tam magnarum virtutum turbam capit: nullum exilium graue est, in quo licet cũ hoc ire comitatu. Brutus in eo libro quem de virtute composuit, ait se vidisse Marcellum Mitylenis exulantem, &, quantum modo natura hominis pateretur, beatissime viuẽtem, neque vnquam bonarum artium cupidiorem quàm illo tempore. Itaque adiicit, visum sibi se magis in exilium ire, qui sine illo rediturus esset, quàm illum in exilio relinquere. O fortunatiorem Marcellum, eo tempore quo exilium suum Bruto approbauit, [z] quàm quo populo R. consulatum. Quantus vir ille fuit, qui in admirationem sui adduxit hominem, etiam Catoni suo mirandum. Idem Brutus ait, C. Caesarem Mitylenas praeteruectum, quia non sustineret videre deformatum virum. Illi quidem reditum impetrauit senatus publicis precibus, tam solicitus ac maestus, vt omnes illo die Bruti habere animum viderentur, & non pro Marcello, sed pro se deprecari, ne exules essent, si sine illo fuissent: sed plus multo consecutus est, [a] quo die illum exulem Brutus relinquere non potuit, Caesar videre. Contigit enim illi testimonium vtriusque. Brutus sine Marcello reuerti se doluit: Caesar erubuit. [b] Num dubitas, quin ille tantus vir, sic ad tolerandum aequo animo exilium se ipse adhortatus sit? [c] Ita te disciplinis imbuisti, vt scires omnem locum sapienti viro patriam esse. [d] porro hic qui te expulit, non ipse per annos decem continuos patria caruit? propagandi sine dubio imperij causa: sed nempe caruit. nunc [e] ecce trahit illum ad se Africa resurgentis belli minis plena, trahit Hispania, quae fractas & afflictas partes refouet, trahit Aegyptus infida, totus denique orbis, qui ad occasionem concussi imperij intentus est. cui primum rei occurret? cui parti se opponet? Aget illum per omnes terras victoria sua. Illum suscipiant & colant gentes: tu viue Bruto miratore contentus. Bene ergo exilium tulit Marcellus: nec quicquam in animo eius mutauit loci commutatio, [f] quamuis eum paupertas sequeretur: in qua nihil mali esse, quisquis modo nõdum peruenit in insaniam omnia subuertentis auaritiae atque luxuriae, intelligit. Quantulum est enim, quod in tutelam homini necessarium sit? & cui deesse hoc potest, [f] vllam modo virtutem habenti? Quod ad me quidem pertinet, intelligo me non opes, sed occupationes perdidisse. corporis exigua desideria sunt: frigus submouere vult, alimentis famem ac sitim extinguere. quicquid extra concupiscitur, vitiis, non vsibus laboratur. non est necesse omne perscrutari profundum, nec strage animalium ventrem onerare, nec conchylia vltimi maris ex ignoto littore eruere. Dij istos deaeque perdant, quorum luxuria tam inuidiosi imperij fines transcendit. [g] Vltra Phasim capi volunt, quod ambitiosam popinam instruat: nec piget a Parthis, a quibus nondum poenas repetimus, aues petere. Vndique conuehunt [h] omnia nota fastidienti gulae. Quod dissolutus deliciis stomachus vix admittat, ab vltimo portatur Oceano. Vomunt vt edant, edunt vt vomant. Epulas, quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur. Ista si quis despicit, quid illi paupertas nocet? Si quis cõcupiscit, [i] illi paupertas etiam prodest. Inuitus enim sanatur: & si remedia ne coactus quidem recipit, interim certe [k] dum non potest, nolenti similis est. C. Caesar, quem mihi videtur rerum natura edidisse, vt ostenderet quid summa vitia in summa fortuna possent, centies sestertio coenauit vno die, & in hoc omnium adiutus ingenio, vix tamen inuenit quomodo prouinciarum tributum vna coena fieret. O miserabiles, quorum palatum nisi ad pretiosos cibos non excitatur. Pretiosos autem, non eximius sapor aut aliqua faucium dulcedo, sed raritas & difficultas parandi facit. Alioquin si ad sanam illis mentem placeat reuerti, quid opus est tot artibus ventri seruientibus? quid mercaturis? quid vastatione siluarum? quid profundi perscrutatione? passim iacent alimenta, quae rerum natura omnibus locis disposuit: [l] sed haec velut caeci transeunt, & omnes regiones peruagantur, maria traiiciunt, & cũ

famem

famem exiguo cibo possint sedare, magno irritaut. Libet dicere: Quid deducitis naues? X.
[m] quid manus & aduersus feras & aduersus homines armatis? quid tanto tumultu discurritis? quid opes opibus aggeritis? Non vultis cogitare, quàm parua vobis corpora sint? Nonne furor & vltimus mentium error est, cum tam exiguum capias, cupere multum? Licet itaq; augeatis census, promoueatis fines: nunquã tamen corpora vestra laxabitis. Cum bene cesserit negotiatio, multum militia retulerit, cum indagati vndique cibi coierint, nõ habebitis vbi istos apparatus vestros collocetis. Quid tam multa conquiritis? [n] Scilicet maiores nostri, quorum virtus etiam nunc vitia nostra sustentat, infelices erant, qui sibi manu sua parabant cibum: quibus terra cubile erat: quorum tecta nondum auro fulgebant, quorum templa nondum gemmis [o] renidebant. Itaque tunc per fictiles deos religiose iurabatur. qui per illos iurauerant, ad hostem morituri, ne fallerent, redibant. Scilicet minus beate viuebat dictator noster, qui Samnitum legatos audit, cum vilissimũ cibum in foco ipse manu sua versaret, illa, qua iam saepe hostem percusserat, lauream que in Capitolini Iouis gremio reposuerat, quàm Apicius nostra memoria vixit, qui in ea vrbe, [2] ex qua aliquando philosophi velut corruptores iuuentutis abire iussi sunt, scientiam popinae professus, disciplina sua saeculum infecit. [10] cuius exitum nosse operaepretium est. Cum sestertium millies in culinam congessisset, cum tot congiaria principũ, & ingens Capitolij vectigal singulis comissationibus hausisset, aere alieno oppressus, rationes suas tunc primum coactus inspexit. superfuturũ sibi sestertium centies computauit, & velut in vltima fame victurus, [p] si sestertio centies vixisset, veneno vitam finiuit. Quanta luxuria erat, cui sestertium centies egestas fuit? [q] I nũc, & puta pecuniae modum ad rem pertinere, non animi. Sestertium centies aliquis extimuit: XI.
& quod alij voto petunt, veneno fugit. Illi vero tam prauae mentis homini vltima potio saluberrima fuit. Tunc venena edebat, bibebatque, cum immensis epulis non delectaretur tantum, sed gloriaretur, cum vitia sua ostentaret, cum ciuitatem in luxuriam suam conuerteret, cum iuuentutem ad imitationem sui sollicitaret, [r] etiam sine malis exemplis per se docilem. Haec accidunt diuitias non ad rationem reuocantibus, cuius certi sunt fines: sed ad vitiosam consuetudinem, cuius immensum & incomprehensibile arbitrium est. Cupiditati nihil satis est: naturae satis est etiam parum. Nullum ergo paupertas exulis incommodũ habet: nullum enim tam inops exilium est, [s] quod non alendo homini abunde fertile sit. An vestem, an domum desideraturus est exul? [t] Si haec quoque ad vsum tantum desiderabit, neq; tectum ei deerit, neque velamen. Aeque enim exiguo tegitur corpus, quàm alitur. Nihil homini natura [t] quod necessarium sciebat, fecit operosum. [u] Si desiderat saturatam multo conchylio purpuram, intextam auro, variisque coloribus distinctam & artibus, [x] non fortunae iste vitio, sed suo pauper est. etiam si illi quicquid amisit, restitueris, nihil ages. Plus enim restituto deerit ex eo quod cupit, quàm exuli ex eo quod habuit. Si desiderabit aureis fulgentem vasis supellectilem, & antiquis nominibus artificum argẽtum nobile, aes paucorum insania pretiosum, & seruorum turbam, quae quamuis magnam domum angustet, iumentorũ corpora differta, & coacta pinguescere, & nationum omnium lapides: ista congerantur licet, nunquam explebunt inexplebilem animum, non magis [y] quàm vllus sufficiet humor ad satiandum eum, cuius desiderium non ex inopia, sed ex aestu ardentium viscerum oritur. non enim sitis illa, sed morbus est. Nec hoc in pecunia tantum aut alimentis euenit. Eadem natura est in omni desiderio, quod non ex inopia, sed ex vitio nascitur. quicquid illi congesseris, non finis erit cupiditatis, sed gradus. [z] Qui continebit itaque se intra naturalem modũ, paupertatem non sentiet: qui naturalem modum excedet, eum in summis opibus quoque paupertas sequetur. [a] Necessariis rebus exilia sufficiunt: superuacuis nec regna. Animus est qui diuites facit. hic in exilia sequitur, & in solitudinibus asperrimis, [b] cum quantum satis est sustinendo corpori, inuenit, ipse bonis suis abundat & fruitur. Pecunia nihil ad animũ pertinet, non magis quàm ad deos immortales omnia ista quae imperita ingenia, [c] & nimis corporibus suis addicta suspiciunt. lapides, aurum & argentum, & magni leuatique mensarum orbes, terrena sunt pondera: quae non potest amare sincerus animus, ac naturae suae memor, leuis ipse, & quandocunque emissus fuerit, ad summa emicaturus. interim, quantum per moras membrorum, & hanc circumfusam grauem sarcinam licet, celeri & volucri cogitatione diuina perlustrat. Ideoque nec exulare vnquam potest, liber, & diis cognatus, & omni mundo omnique aeuo par. Nam cogitatio eius circa omne caelum, & in omne praeteritum futurumque tempus immittitur. Corpusculum hoc, custodia & vinculum animi, huc atque illuc iactatur. In hoc supplicia, in hoc latrocinia, in hoc morbi exercentur. Animus quidem ipse sacer & aeternus est, & cui non possit iniici manus. Nec me putes ad XII.
[d] eleuanda incommoda paupertatis, quam nemo grauem sentit nisi qui putat, vti tantum

praeceptis sapientum. Primum aspice, quanto maior pars sit pauperum, quos nihilo notabis tristiores solicitioresque diuitibus: immo nescio an eo laetiores sint, [e] quo animus eorum in pauciora distrahitur. Transeamus a pauperibus, eamus ad locupletes. quàm multa sunt tempora, quibus pauperibus similes sunt? Circumcisae sunt peregrinantium sarcinae: [f] & quotiescunque festinationem necessitas exigit, comitum turba dimittitur. Militantes quotam partem rerum suarum secum habent? cum omnem apparatum castrensis disciplina submoueat. Nec tantum condicio illos temporum, aut locorum inopia pauperibus exaequat. Sumunt quosdam dies, cum iam illos diuitiarum taedium coepit, quibus humi coenent, & remoto auro, argentoque, fictilibus vtantur. Dementes, hoc quod aliquando concupiscunt, semper timent. O quanta illos caligo mentium, quanta ignorantia veritatis exercet, qui fugiunt quod voluptatis causa imitantur. Me quidem, quoties antiqua exempla respexi, [g] paupertatis vti solatiis pudet. Quoniam quidem eo temporũ luxuria prolapsa est, vt maius viaticum exulum sit, quàm olim patrimonium principum fuit. Vnum fuisse Homero seruum, tres Platoni, nullum Zenoni, a quo coepit Stoicorum rigida ac virilis sapientia, satis constat. Num ergo quisquam eos [h] miseros vixisse dicet, vt non ipse miserrimus ob hoc omnibus videatur? Menenius Agrippa, qui inter patres ac plebem publicae gratiae sequester fuit, aere collato funeratus est. Attilius Regulus, cum Poenos in Africa funderet, ad Senatũ scripsit, [i] mercenarium suum discessisse, & ab eo desertum esse rus: quod Senatui publice curari, dum abesset Regulus, placuit. Fuit tanti, seruum non habere, vt colonus eius populus R. esset. Scipionis filiae ex aerario [k] dotem acceperunt: quia nihil illis reliquerat pater. Aequum mehercules erat, populum R. tributum Scipioni semel conferre, cum a Carthagine semper exigeret. O felices viros puellarum, quibus populus R. loco soceri fuit. Beatioresne istos putas, quorum pantomimae decies sestertio nubunt, quàm Scipionem, cuius liberi a senatu tutore suo in dotem aes graue acceperunt? Dedignatur aliquis paupertatem, cuius tam clarae imagines sunt? Indignatur exul aliquid sibi deesse, cum defuerit Scipioni dos, Regulo mercenarius, Menenio funus: cum omnibus illis id quod deerat, ideo honestius suppletũ sit, quia

XIII. defuerat? His ergo aduocatis non tantũ tuta est, sed etiam gratiosa paupertas. Responderi potest: [l] Quid artificiose ista diducis, quae singula sustineri possunt, collata nõ possunt? Commutatio loci tolerabilis est, si tantum locũ mutes: paupertas tolerabilis est, [m] si [n] ignominia absit, quae vel sola opprimere animos solet. Aduersus hunc, quisquis me malorũ turba terrebit, his verbis vtendum erit. Si contra vnam quamlibet partem fortunae satis tibi roboris est, idem aduersus omnes erit. Cum semel animum virtus indurauit, vndique inuulnerabilem praestat. si auaritia dimisit, vehementissima generis humani pestis, morã tibi ambitio non faciet. Si vltimum diem non quasi poenam, sed quasi naturae legẽ aspicis, ex quo pectore mortis metum eieceris, in id nullius rei timor audebit intrare. Si cogitas, libidinem non voluptatis causa homini datam, sed propagandi generis: quem non violauerit hoc secretum & infixum visceribus ipsis exitium, omnis alia cupiditas intactum praeteribit. Non singula vitia ratio, sed pariter omnia prosternit, in vniuersum semel vincit. Ignominia tu putas quemquam sapientem moueri posse, qui omnia in se reposuit, qui ab opinionibus vulgi secessit? Plus etiam quàm ignominia est mors ignominiosa. Socrates tamen eodem illo vultu, quo aliquando solus triginta tyrannos in ordinem redegerat, carcerem intrauit, ignominiam ipsi loco detracturus. [o] neque enim poterat carcer videri, in quo Socrates erat. Quis vsque eo ad conspiciendam veritatẽ excaecatus est, vt ignominiam putet M. Catonis fuisse, duplicem in petitione praeturae & consulatus repulsam? Ignominia illa praeturae & consulatus fuit, quibus ex Catone honor habebatur. [o] Nemo ab alio contemnitur, nisi a se ante contemptus est. Humilis & proiectus animus fit isti contumeliae opportunus: qui vero aduersus saeuissimos casus se extollit, & ea mala quibus alij opprimuntur, euertit, ipsas miserias infularum loco habet: quando ita affecti sumus, vt nihil aeque magnam apud nos admirationem occupet, quàm homo fortiter miser. Ducebatur Athenis ad supplicium Aristides: cui quisquis occurrebat, deiiciebat oculos, & ingemiscebat, [p] non tanquam in hominem iustum, sed tanquam in ipsam iustitiam animaduerteretur. Inuentus est tamen, [q] qui faciẽ eius inspueret. [r] poterat ob hoc moleste ferre, quòd sciebat neminem id ausurum puri oris. At ille abstersit faciem, & subridens ait cõmitanti se magistratui: Admone istum, ne postea tam improbe oscitet. Hoc fuit contumeliae ipsi contumeliam facere. Scio quosdam dicere, contemptu nihil esse grauius, mortem ipsis potiorem videri. His ego respondebo, & exilium saepe contemptione omni carere. Si magnus vir cecidit, magnus iacuit. [s] Non magis illum putes contemni, quàm cum aedium sacrarum ruinae calcantur, quas religiosi aeque

XIIII. ac stantes adorant. [t] Quoniam meo nomine nihil habes, mater carissima, quod

te

te in infinitas lacrimas agat,sequitur vt causae tuae te stimulent. Sunt autem duae.[t] nam aut
illud te mouet,quòd praesidium aliquod videris amisisse : [u] aut,quòd desiderium ipsum per
se pati non potes.Prior pars mihi leuiter perstringenda est. Noui enim animum tuum, nihil
in suis praeter ipsos amantem . Viderint illae matres , [x] quae potentiam liberorum muliebri
impotentia exercent:quae, quia feminis honores non licet gerere,per illos ambitiosae sunt,
quae patrimonia filiorum & exhauriunt & captant , quae eloquentiam commodando aliis
fatigant. Tu liberorum tuorum bonis plurimum gauisa es , minimum vsa. Tu liberalitati
nostrae semper imposuisti modum , cum tuae non imponeres. Tu filia familias locupletibus
filiis vltro contulisti. Tu patrimonia nostra sic administrasti , vt tanquam de tuis laborares,
tanquam alienis abstineres. Tu gratiae nostrae, [y] tamquam alienis rebus vtereris,pepercisti:
& ex honoribus nostris nihil ad te nisi voluptas & impensa pertinuit . Nunquam indulgen-
tia ad vtilitatem respexit. [z] Non potes itaque erepto filio desiderare , quae incolumi num-
quam ad te pertinere duxisti. Illo omnis consolatio mihi vertenda est , vnde vera vis XV.
materni doloris oritur. Ego complexu filij carissimi careo , non conspectu eius, non sermo-
ne fruor. Vbi est ille, quo viso [a] tristem vultum relaxaui , in quo omnes solicitudines meas
deposui ? Vbi colloquia,quorum inexplebilis eram?vbi studia,quibus libentius quàm femi-
na , familiarius quàm mater,intereram ? Vbi ille occursus , vbi matre visa semper puerilis hi-
laritas ? [b] Adiicis istis loca ipsa gratulationum & conuictuum , & , vt necesse est , efficacissi-
mas ad vexandos animos recentis conuersationis notas. Nam hoc quoque aduersus te cru-
deliter fortuna molita est , quòd te [c] ante tertium demum diem quàm percussus sum , secu-
ram , nec quicquam tale metuentem aggredi voluit. [d] bene nos longinquitas locorum diui-
serat : bene aliquot annorum absentia huic te malo praeparauerat : redisti , non vt volupta-
tem ex filio perciperes, sed ne consuetudinem perderes. [e] Si multo ante afuisses , fortius tu-
lisses, ipso interuallo desiderium molliente : si non recessisses, vltimum certe fructum biduo
diutius videndi filium tulisses. Nunc crudele fatum ita composuit, vt nec fortunae meae in-
teresses, [f] nec absentiae assuesceres. Sed quanto ista duriora sunt,tanto maior tibi virtus ad-
uocanda est, & velut cum hoste noto,ac saepe iam victo,acrius est congrediendum.Non ex
intacto corpore tuo sanguis hic fluxit. per ipsas cicatrices percussa es. Non est quòd vtaris
excusatione nominis muliebris, [g] cui paene concessum est immoderatum in lacrimas ius,nõ
immensum tamen : & ideo maiores decem mensium spatium lugentibus viros dederunt, vt
cum pertinacia muliebris maeroris publica constitutione deciderent,non prohibuerunt lu-
ctus, sed finierunt. Nam & infinito dolore cum aliquem ex carissimis amiseris, affici , stulta
indulgentia est : [h] & nullo, inhumana duritia. [i] Optimum inter pietatem & rationem tem-
peramentum est , & sentire desiderium , & opprimere. Non est quòd ad quasdam fe- XVI.
minas respicias , quarum tristitiam semel sumptam [k] mors finiuit . Nosti quasdam , quae a-
missis filiis , imposita lugubria nunquam exuerunt . A te plus exigit vita ab initio fortior.
non potest muliebris excusatio contingere ei , a qua omnia vitia muliebria afuerunt. Non
te maximum saeculi malum , impudicitia, in numerum plurium adduxit. Non gemmae te,
non margaritae flexerunt : non tibi diuitiae, velut maximum generis humani bonum,reful-
serunt : non te bene in antiqua & seuera institutam domo , periculosa etiam probis peio-
rum detorsit imitatio : non te foecunditatis tuae, quasi exprobraret aetatem , puduit. Nun-
quam more aliarum, quibus omnis commendatio ex forma petitur , tumescentem vterum
abscondisti , quasi indecens onus , nec intra viscera tua conceptas spes liberorum elisisti.
[l] Non faciem lenociniis ac coloribus polluisti. nunquam tibi placuit vestis, [m] quae nihil am-
plius, quàm nudam componeret : vnicum tibi ornamentum, pulcherrima,& nulli obnoxia
aetati forma : maximum decus visa est pudicitia. Non potes itaque ad obtinendum dolo-
rem muliebre nomen praetendere , ex quo te virtutes tuae seduxerunt. tantum debes a fe-
minarum lacrimis abesse , quantum a vitiis. Ne feminae quidem te sinent intabescere vul-
neri tuo, sed leuiori necessario moerore cito defunctam , iubebunt exurgere : si modo illas
intueri voles feminas, quas conspecta virtus inter magnos viros posuit. Corneliam ex duo-
decim liberis ad duos fortuna redegit. Si numerare funera Corneliae velles , amiserat decẽ:
si aestimare,amiserat Gracchos. Flentibus tamen circa se,& fatum eius execrantibus inter-
dixit,ne fortunam accusarent,quae sibi filios Gracchos dedisset.Ex hac femina debuit nasci
qui diceret in contione:Tu matri meae maledicas, quae me peperit ? Multo mihi videtur a-
nimosior vox matris. Filius magno aestimabat Gracchorum natales:mater & funera. [n] Ru-
tilia Cottam filium secuta est in exilium,& vsque eo fuit indulgentia cõstricta,vt mallet exi-
lium pati,quàm desiderium:nec ante in patriam,quàm cum filio rediit. [o] Eundem iam redu-
cẽ,& in Rep.florentẽ tam fortiter amisit, quã secuta est:nec quisquã lacrimas eius post elatũ

filium notauit. In expulso virtutem ostendit, in amisso prudentiam. Nam & nihil illam a pietate deterruit, & nihil in tristitia superuacua stultaque detinuit. Cum his te numerari feminis volo. quarum vitam semper imitata es, earum in coercenda comprimendaque aegritudine optime sequeris exemplum. Scio rem non esse in nostra potestate, nec vllum affectum seruire: minime vero eum qui ex dolore nascitur. Ferox enim, & aduersus omne remedium contumax est.[p] Volumus eum interim obruere, & deuorare gemitus: per ipsum tamen compositum fictumque vultum lacrimae profunduntur. Ludis interim aut gladiatoribus animũ occupamus. At illum inter ipsa quibus auocatur spectacula, leuis aliqua desiderij nota subibit. Ideo melius est illum vincere, quàm fallere.[q] Nam qui aut delusus voluptatibus, aut occupationibus abductus est, resurgit, & ipsa quiete impetum ad saeuiendũ colligit. At qui rationi cessit, in perpetuum componitur. Non sum itaque monstraturus illa, quibus vsos multos esse scio, vt peregrinatione te vel longa detineas, vel amoena delectes, vt rationum accipiendarum diligentia, patrimonij administratione multũ occupes temporis, vt semper nouo te aliquo negotio implices. Omnia ista ad exiguum momentum prosunt: nec remedia doloris, sed impedimenta sunt. Ego autem malo illum desinere quàm decipi. Itaque illo te duco, quo omnibus qui fortunam fugiũt, confugiendum est, ad liberalia studia: illa sanabũt vulnus tuũ, illa omnem tristitiam tibi euellent. His etsi nunquam assuesses, nunc vtendũ erat:[r] sed quantum tibi patris mei antiquus rigor permisit, omnes bonas artes non quidem comprehendisti, attigisti tamen. Vtinam quidem virorũ optimus, pater meus,[s] minus maiorum consuetudini deditus, voluisset te sapientum praeceptis erudiri potius quàm imbui. Nõ parandum tibi nunc contra fortunam esset auxilium, sed proferendum. propter istas quae litteris non ad sapientiam vtuntur,[t] sed ad luxuriam instituuntur, minus est indulgere studiis passus. beneficio tamen rapacis ingenij plus quàm pro tempore hausisti.[u] Iacta sunt disciplinarum omnium fundamenta.[x] Nunc ad illas reuertere: tutam te praestabunt illae, consolabuntur illae, delectabunt illae: si bona fide animum tuum intrauerint, nũquam amplius intrabit dolor, nunquam solicitudo, nunquam afflictionis irritae superuacua vexatio:[y] nulli horum patebit pectus tuum. Nam ceteris vitiis iampridem clusum est. Haec quidem certissima praesidia sunt, & quae sola te fortunae eripere possint:[z] sed quia dum in illum portum quem studia promittunt, perueneris, adminiculis quibus innitaris opus est, volo interim solatia tua tibi ostendere. Respice fratres meos: quibus saluis, fas tibi non est accusare fortunã. in vtroque habes quod te diuersa virtute delectet: alter honores industria consecutus est, alter sapienter contempsit. Acquiesce alterius filij dignitate, alterius quiete, vtriusque pietate. Noui fratrum meorũ intimos affectus. alter in hoc dignitatem excolit, vt tibi ornamẽto sit: alter in hoc se ad tranquillam quietamque vitam recepit, vt tibi vacet. Bene liberos tuos & in auxilium & in oblectamentũ fortuna disposuit. potes alterius dignitate defendi, alterius otio frui.[a] Certabunt in te officiis: & vnius desiderium, duorum pietate supplebitur. Audacter possum promittere: nihil tibi deerit, praeter numerum. Ab his ad nepotes quoque respice, Marcum blandissimũ puerum, ad cuius cõspectum nulla potest durare tristitia: nihil tam magnum, nihil tam recens in cuiusquam pectore fuerit, quod non circumfusus ille permulceat. Cuius non lacrimas illius hilaritas supprimat? cuius non contractum solicitudine animum illius argutiae soluant? quem non in iocos vocabit illa lasciuia? quem non in se conuertet & abducet infixum cogitationibus, illa neminem satiatura garrulitas? Deos oro, cõtingat hunc habere nobis superstitem. In me omnis fatorũ crudelitas lassata cõsistat:[b] quicquid matri dolendum fuit, in me transierit: quicquid auiae, in me. Floreat reliqua in suo statu turba. nihil de orbitate, nihil de condicione mea querar. Fuerim tãtum, nihil amplius doliturae domus, piamentum. Tene in gremio tuo cito tibi daturam pronepotes Nouatillam: quam sic in me transtuleram, sic mihi ascripseram, vt possit videri, quòd me amisit, quamuis saluo patre, pupilla. hanc & pro me dilige. abstulit illi nuper fortuna matrem: tua potest efficere pietas, vt perdidisse se matrem doleat tantum, non & sentiat. nunc mores eius compone, nunc formam. Altius praecepta descendunt, quae teneris imprimuntur aetatibus. Tuis assuescat sermonibus.[c] Ad tuum fingatur arbitrium. multum illi dabis, etiam si nihil dederis praeter exemplum. Hoc iam tibi sollemne officium pro remedio erit.[d] Non potest animum pie dolẽtem a solicitudine auertere, nisi aut ratio, aut honesta occupatio. Numerareminter magna solatia patrem quoque tuum, nisi abesset. nunc tamẽ ex affectu tuo, quid illius intersit, cogita: intelliges, quanto iustius sit te illi seruari, quàm mihi impendi. quoties te immodica vis doloris inuaserit, & sequi se iubebit, patrem cogita.[e] cui tu quidem tot nepotes pronepotesque dando effecisti, ne vnica esses: consummatio tamen aetatis actae feliciter in te ver-
XVII. titur. Illo viuo, nefas est te quòd vixeris queri. Maximum adhuc solatium tuum tacueram,

ram, ſororem tuam, illud fideliſſimum pectus tibi, in quod omnes curae tuae pro indiuiſo transferuntur, illum animum omnibus nobis maternum. Cum hac tu lacrimas tuas miſcuiſti, in huius primum reſpiraſti ſinu. [f] Illa quidem affectus tuos ſemper ſequitur. In mea tamen perſona non pro te doluit: illius manibus in vrbem perlatus ſum: illius pio maternoque nutricio per longum tempus aeger conualui. Illa pro quaeſtura mea gratiam ſuam extendit: & quae ne ſermonis quidem, [g] aut clarae ſalutationis ſuſtinuit audaciam, pro me vicit indulgentia verecundiam. Nihil illi ſeductum vitae genus, nihil modeſtia, in tanta feminarum petulantia, ruſtica, nihil quies, nihil ſecreti & ad otium repoſiti mores obſtiterunt, quo minus pro me etiam ambitioſa fieret. Haec eſt, mater cariſſima, ſolatium, quo reficiaris. Illi quantum potes te iunge, illius arctiſſimis amplexibus alliga. Solent maerentes ea quae maxime diligunt, fugere, & libertatem dolori ſuo quaerere. Tu ad illam te, & quicquid cogitaueris, confer: [h] ſiue ſeruare habitum iſtum voles, ſiue deponere, apud illam inuenies vel finem dolori tuo, vel comitem. Sed ſi prudentiam perfectiſſimae feminae noui, non patietur te nihil profuturo maerore conſumi, & exemplum tibi ſuum, cuius ego etiam ſpectator fui, narrabit. [i] Cariſſimum virum amiſerat, auunculum noſtrum, cui virgo nupſerat, in ipſa nauigatione: tulit tamen eodem tempore & luctum, & metum, euictiſque tempeſtatibus corpus eius naufraga euexit. O quàm multarum egregia opera in obſcuro iacent. [k] Si huic illa ſimplex admirandis virtutibus contigiſſet antiquitas, quanto ingeniorum certamine celebraretur vxor, [l] quae oblita imbecillitatis, [m] oblita etiam firmiſſimis metuendi maris, caput ſuum periculis pro ſepultura obiecit, & dum cogitat de viri funere, nihil de ſuo timuit? [n] Nobilitatur carminibus omnium, '' quae ſe pro coniuge vicariam dedit. hoc amplius eſt, diſcrimine vitae ſepulcrũ viro quaerere: maior eſt amor, [o] qui pari periculo minus redimit. Poſt hoc nemo miratur, quòd per ſedecim annos, quibus maritus eius Aegyptum obtinuit, nunquam in publico conſpecta eſt. Neminem prouincialem domum ſuam admiſit: [p] nihil a viro petiit, nihil a ſe peti paſſa eſt. Itaque loquax & ingenioſa in contumelias praefectorum prouincia, in qua etiam qui vitauerunt culpam, non effugerunt infamiam, velut vnicum ſanctitatis exemplum ſuſpexit: & quod illi difficillimum eſt, cui etiam periculoſi ſales placent, omnem verborum licentiam continuit: [q] & hodie ſimilem illi, quamuis nunquam ſperet, ſemper optat. Multum erat, ſi per ſedecim annos illam prouincia probaſſet: plus eſt, quòd ignorauit. Haec non ideo refero, vt eius laudes exequar, [r] quas circumſcribere eſt, tam parce tranſcurrere: ſed vt intelligas, magni animi eſſe feminam: quam non ambitio, non auaritia, comites omnis potentiae [s] & peſtes, vicerunt, non metus mortis eam, exarmata naui naufragium ſuum ſpectantem, deterruit, quo minus exanimi viro haerens, [t] quaereret, non quemadmodum inde exiret, ſed quemadmodum efferret. Huic parem virtutem exhibeas oportet, & animum a luctu recipias, & id agas, ne quis te putet partus tui paenitere. Ceterum quia neceſſe eſt, cum omnia feceris, cogitationes tamen tuas ſubinde ad me recurrere, nec quenquam nunc ex liberis tuis frequentius tibi obuerſari: non quia illi minus cari ſint, ſed quia naturale eſt, [u] manum ſaepius ad id referre quod doleat: qualem mo cogites, accipe. Laetum & alacrem, velut optimis rebus: ſunt autem optimae, cum animus omnis cogitationis expers operibus ſuis vacat, & modo ſe leuioribus ſtudiis oblectat, modo ad conſiderandam [x] ſuam, vniuerſique naturam, veri auidus inſurgit. Terras primum, ſitumque earum quaerit. Deinde condicionem circumfuſi maris, curſuſque eius alternos & recurſus: tunc quicquid inter caelum terraſque plenum formidinis interiacet, perſpicit, & hoc tonitribus, fulminibus, ventorum flatibus, ac nimborum niuiſque & grandinis iactu tumultuoſum ſpatium: tum peragratis humilioribus ad ſumma prorumpit, & pulcherrimo diuinorum ſpectaculo fruitur, [y] aeternitatiſque ſuae memor, in omne quod fuit, [z] futurumque eſt omnibus ſaeculis, vadit.

M. ANTONII MVRETI IN CONSOLATIONEM SENECAE AD HELVIAM matrem, Notae.

In exilium a Claudio pulſus & in Corſicam relegatus, Heluiam matrem caſu ſuo incredibiliter dolentem conſolatur. Nec illud plane indignum, quod notetur, puto: ex eadem gente duorum ſapientiſſimorum & diſertiſſimorũ hominũ matres fuiſſe, Ciceronis & Senecae. Nam Ciceronis quoque matrem

Heluiam fuisse, a Plutarcho traditum est. Tria autem fuisse dicit, quibus ad solandam matrem incitaretur, totidem quibus reuocaretur: sed ad postremum praeualuisse quae incitabant. Quae incitabant, haec erant: quòd sibi quoque magno leuamento sperabat fore, si maternum dolorem aliqua ex parte subleuare potuisset: quòd si ipse calamitate perculsus & afflictus primus consurrexisset, plus se ad minuendum aliis dolorem sperabat auctoritatis habiturum: postremo, quòd metuebat, ne si ipse qui semper philosophiam professus erat, fortunae manus dedisset, ceteri quoque sui ab ea vincerentur. Sed occurrebãt haec, quae propositum morarentur. Esse vt corporis, sic animi quoque aegritudinum suam quandam maturitatem: quae expectanda esset remedia adhibere volentibus: ex illo vetere praecepto Hippocratis, τὰ πέπονα φαρμακεύειν. *Nullum ex omni memoria exemplum extare eius, qui cum ipse cecidisset, suos subleuare conatus esset. Nouo quodam & inusitato dicendi genere opus esse ei, qui rem tam arduam susciperet: doloris autem magnitudine locum delectui verborum non relinqui. Sed plus in omnibus valuisse conceptã de materno erga se amore fiduciam: quae spem dederit fore, vt illa dolori suo modum a filio potißimum velit imponi.*

CAP. II. 1 Fleant itaque] *Primum argumentum. Non debes huic, quamuis acerbo, casui cedere. Nam a primis annis aetatis tuae exercitata es ad maximas calamitates perferendas. Non debes igitur vinci ab vna, quae te perpetuo inuictam aduersus tot alias praestitisti.*

IIII. 2 Vincam puto,] *Bipertita totius libri propositio. Neque meo, neque tuo nomine dolere debes. Nõ meo. nihil enim mihi contigit, ac ne contingere quidem potest, quo miser fiam. Ex quo sequitur, vt ne tuo quidem nomine dolere debeas: cum ego vnus tibi doloris causa sim. Accedit, quòd multa tibi solatia relicta sunt, in quibus acquiescere, & dolorem deponere facile poßis. Haec singula deinde per partes exequitur.*

V. 3 Bona condicione] *Nemo inuitus miser est. Nam sola virtus beatos facit: quae nullo casu eripi potest. Ego autem, & si sapiens non sum, nunquam tamen pepẽdi ex indicio vulgi: neque in eorum quae vulgo putantur bona, aut adeptione, aut amißione momentum esse vllum ad beatam vitam existimaui.*

VI. 4 Remoto igitur] *Primum argumentum ad exilium proprie pertinens. Exilium nihil est aliud, quàm commutatio loci. At maior hominum pars tum priuatim tum publice, relictis patriis sedibus, migrat alio, & sibi voluntarium quodammodo exilium consciscit. Nihil igitur est in exilio mali. Sed dicet aliquis, captiosum esse hoc argumentũ. Nam exules & paupertas & contemptus plaerunque comitatur. Respondet, & tum rationibus, tum exemplis euincit, ne ea quidem mala esse.*

5 Hoc saxum] *Corsicam dicit.*

6 Inuenio qui dicant,] *Naturale est homini, sedium mutatione gaudere. Vera autem eius rei causa est discendi cupiditas. Multa enim noua vident, qui peregrinantur: ob idque prope aßidue discunt: quo nullum est pabulum animorum iucundius. At Seneca sanequam eleganter illud ad caelestem originem refert. Caelestia enim corpora perpetuo moueri.*

7 Videbis gentes,] *Extat liber accuratißime scriptus de migrationibus gentium, ex quo peti poterunt, quae ad certiorem huius loci intelligentiam faciunt.*

IX. 8 Quamuis eum paupertas sequeretur,] *Transit ad eleuanda paupertatis incommoda, docetque neque pauperem quenquam esse posse, qui ad naturam viuat, neque diuitem, qui ad opinionem.*

X. 9 Ex qua aliquando philosophi velut corruptores iuuentutis abire iussi sunt,] *Vide caput XI. libri XV. noctium Atticarum.*

10 Cuius exitum nosse operae pretium est.] *Dio libro LVII.* Ἀπίκιος πάντας ἀνθρώπους ἀσωτίᾳ ὑπερεβάλετο οὕτως, ὥστ' ἐπειδὴ μαθεῖν ποτὲ ἐθελήσας, ὅσα τε ἤδη κατηναλώκει, καὶ ὅσα ἔτ' εἶχεν, ἔγνω, ὅτι διακόσιαι καὶ πεντήκοντα αὐτῷ μυριάδες ἔτι περίεισι, ἐλυπήθη τε, ὡς καὶ λιμῷ τελευτήσειν μέλλων, καὶ ἑαυτὸν διέφθειρε.

XIII. 11 Ignominia] *Ostendit ne ignominia quidem quidquam detrahi de felicitate sapientis.*

XIIII. 12 Quoniam meo nomine] *Haec est secunda pars consolationis. Cum meo nomine nihil sit quod doleas, ne tuo quidem quidquam est, cur dolere debeas.*

XVII. 13 Quae se pro coniuge vicariam dedit.] *Alcestin.*

L. ANNAEI SENECAE AD LVCILIVM NATVRALIVM QVAESTIONVM

LIBER PRIMVS.

QVANTVM inter philosophiam interest, Lucili virorum optime, & ceteras artes: tantum interesse existimo in ipsa philosophia, inter illam partem quae ad homines, & hanc quae ad deos spectat. Altior est haec, & animosior: multum permisit sibi: non fuit oculis contenta. Maius esse quiddam suspicata est, ac pulchrius, quod extra conspectum natura posuisset. Denique tantum inter duas interest, quantum inter Deum & hominem. Altera docet, quid in terris agendum sit: altera, quid agatur in caelo. Altera errores nostros discutit, & lumen admouet, quo discernantur ambigua vitae: [a] altera multo hanc caliginem in qua voluramur excedit, & e tenebris ereptos, illo perducit, vnde lucet. Equidem tunc naturae rerum gratias ago, cum illam non ab hac parte video, quae publica est, sed in secretiora eius intraui: cum disco, [1] quae vniuersi materia sit, [2] quis auctor, aut custos: [3] quid sit Deus, [4] totus in se intendat, an ad nos aliquando respiciat: [5] faciat quotidie aliquid, an semel fecerit: [6] pars mundi sit, an mundus: [7] liceat illi hodieque decernere, & ex lege fatorum aliquid derogare: an maiestatis deminutio sit, & confessio erroris, mutanda fecisse. Necesse est enim ei eadem placere, cui nisi optima placere nō possunt. Nec ob hoc minus liber & potens est. ipse enim est necessitas sua. Nisi ad haec admitterer, [b] non fuerat operaepretium nasci. Quid enim erat, cur in numero viuentium me positum esse gauderem? [3] An vt cibos & potiones percolarem? vt hoc corpus casurum ac fluidum, periturūque nisi subinde impleatur, farcirem, & viuerem aegri minister: vt mortem timerem, [c] cui omnes nascimur? Detrahe hoc inaestimabile bonum. non est vita tanti, vt sudem, vt aestuem. O quàm contempta res est homo, nisi supra humana se erexerit. Quamdiu cum affectibus colluctamur, quid magnifici facimus? Etiam si superiores sumus, portenta vincimus. Quid est, cur suspiciamus nosmetipsos, quia dissimiles deterrimis sumus? Nō video quare sibi placeat, [d] qui robustior est valetudinario. Multum interest inter vires & bonam valetudinem. Effugisti vitia animi: non est tibi frons ficta, nec in alienam voluntatem sermo compositus, nec cor inuolutum, nec auaritia, quae quicquid omnibus abstulit, sibi ipsi negat: nec luxuria pecuniam turpiter amittens, quam turpius reparet: nec ambitio, quae te ad dignitatem nisi per indigna non ducet. Nihil adhuc consecutus es. Multa effugisti: te nondum. [e] Virtus enim quam affectamus, magnifica est. Non quia per se beatum est, malo caruisse, sed quia animum laxat, ac praeparat ad cognitionem caelestium, dignumque efficit, qui in consortium Dei veniat. Tunc consummatum habet plenumque bonum sortis humanae, cum, calcato omni malo, petit altum, & in interiorem naturae sinum venit. Tūc iuuat inter sidera ipsa vagantem, diuitum pauimenta ridere, & totam cum auro suo terram: non illud tantum dico quod egessit, & signandum dedit, sed & illud quod in occulto seruat posterorum auaritiae. Nec potest ante contemnere porticus, & lacunaria ebore fulgentia, & tonsiles siluas, & deriuata in domos flumina: quàm totum circumeat mundum, & terrarum orbem superne despiciens, angustum, & magna ex parte opertū mari, etiam ea parte qua extat, late squalidum, & aut vstum aut rigentem, sibi ipse ait: Hoc est punctum, quod inter tot gentes ferro & igni diuiditur? O quàm ridiculi sunt mortalium termini. Vltra Istrum Dacus non exeat: [f] Strymo Thracas includat: Parthis obstet Euphrates: Danubius Sarmatica ac Romana disterminet: Rhenus Germaniae modum faciat: Pirenaeus medium inter Gallias & Hispanias iugum extollat. Inter Aegyptum & Aethiopias harenarum inculta vastitas iaceat. Si quis formicis det intellectum hominis, nonne & illae vnam aream in multas prouincias diuident? Cum te in illa vere magna sustuleris, quotiens videbis exercitus subrectis ire vexillis, & quasi magnum aliquid agatur, equitem modo vlteriora explorantem, modo a lateribus affusum, libebit dicere:

It nigrum campis agmen.

Formicarū iste discursus est, in angusto laborantium. Quid illis & nobis interest, nisi exigui mensura corpusculi? Punctum est illud in quo nauigatis, in quo bellatis, in quo regna dispo-

PRAEFATIO.

nitis: minima, etiam cum illis [g] vtrinque Oceanus occurrit. Sursum ingentia spatia sunt, in quorum possessionem animus admittitur: at ita, si minimum secum ex corpore tulit, si sordidum omne detersit, & expeditus leuisque ac contentus modico emicuit. Cum illa tetigit, alitur, crescit: ac velut vinculis liberatus, in originem redit. Et hoc habet argumentum diuinitatis suae, quòd illum diuina delectant: [h] nec vt alienis interest, sed vt suis. Secure spectat occasus siderum atque ortus, & tam diuersas concordantium vias. Obseruat vbi quaeque stella primum lumen ostendat, vbi culmen eius summum, qua cursus sit, quousque descendat. Curiosus spectator excutit singula, & quaerit. Quid ni quaerat? Scit illa ad se pertinere. Tunc contemnit domicilij prioris angustias. Quantum enim est, quod ab vltimis littoribus Hispaniae vsque ad Indos iacet? Paucissimorum dierum spatium, si nauem suus ventus impleuit. At illa regio caelestis per triginta annos velocissimo sideri viam praestat, nusquam resistẽti, sed aequaliter cito. Illic demũ discit, quod diu quaesiuit. Illic incipit Deum nosse. Quid est Deus? Mens vniuersi. Quid est Deus? Quod vides totum, & quod nõ vides totum. Sic demum magnitudo sua illi redditur, qua nihil maius excogitari potest. Si solus est omnia, opus suum & extra & intra tenet. Quid ergo interest inter naturam Dei, & nostram? Nostri melior pars, animus est: in illo nulla pars extra animum. Totus ratio est: cum interim tantus error mortalia teneat, vt hoc quo neque formosius est quicquã, nec dispositius, nec in proposito constantius, existimẽt homines fortuitum & casu volubile, ideoque tumultuosum inter fulmina, nubes, tempestates, & cetera quibus terrae ac terris vicina pulsantur. Nec haec intra vulgũ dementia est, sed sapientiam quoque professos contigit. Sunt qui putent, sibi ipsis animum esse, & quidem prouidum ac dispẽsantem singula, & sua, & aliena: hoc autem vniuersum, in quo nos quoque sumus, expers esse consilij, & aut ferri temeritate quadam, aut natura nesciẽte quid faciat. Quã vtile existimas ista cognoscere, & rebus terminos ponere? quantum Deus possit: materiam ipse sibi formet, an data vtatur: vtrum idea materiae prius superuenit, an materia ideae: Deus quicquid vult efficiat, an in multis rebus illum tractanda destituant, & a magno artifice praua formentur multa, non quia cessat ars, sed quia id in quo exercetur, saepe inobsequens arti est. Haec inspicere, haec discere, his incũbere, nonne transilire est mortalitatem suam, & in meliorem transscribi sortem? Quid tibi, inquis, ista proderunt? Si nihil aliud, hoc certe, sciam, omnia angusta esse. Sed haec deinde.

CAP. I. Nunc ad propositum veniam opus. [i] Audi quid de ignibus philosophia velit, quos aer trãsuersos agit. Magna vi illos excuti argumentum est, quod obliqui feruntur, & praerapida celeritate. Apparet illos non ire, sed proiici. Ignium multae variaeque facies sunt. [l] Aristoteles quoddam genus illorum Capram vocat. Si me interrogaueris, quare: prior mihi rationẽ reddas oportet, quare haedi vocentur. Si autem, quod commodissimum est, cõuenerit inter nos, ne alter alterũ interroget, Quid dicit ille? satius erit de re ipsa quaerere, quàm mirari, quid ita Aristoteles globum ignis appellauerit Capram. Talis fuit forma eius, qui bellũ aduersus Persum Paulo gerente lunari magnitudine apparuit. Nos quoque vidimus non semel flammam ingentis pilae specie, quae tamen in ipso cursu suo dissipata est. Vidimus circa diui Augusti excessum simile prodigium. Vidimus cum de Seiano actum est. Nec Germanici mors sine denuntiatione tali fuit. Dices mihi: Ergo tu in tantis erroribus es, vt existimes deos mortium signa praemittere, & quicquam esse in terris tam magnum, quod perire mundus sciat? Erit aliud isti rei tempus. Videbimus, an certus omnium rerum ordo ducatur, & alia aliis ita complexa sint, vt quod antecedit, aut causa sit sequentium, aut signum. Videbimus, an diis humana sint curae, an series ipsa, quid factura sit, certis rerum notis nunciet. Interim illud existimo, huiusmodi ignes existere, aere vehementius trito, cum inclinatio eius in alteram partem facta est, & non cessit, [i] sed intra se pugnauit. Ex hac vexatione nascũtur trabes, & globi, & faces, & ardores. At cum leuius collisus, & (vt ita dicam) strictus est, minora lumina excutiuntur, crinemque volantia sidera ducũt. Tunc ignes tenuissimi iter exile designãt, & caelo producũt. Ideo nulla sine huiusmodi spectaculis nox est. Nõ enim opus est ad efficienda ista magno aeris motu. Denique, vt breuiter dicam, eadem ratione fiunt ista, qua fulmina, sed vi minore. Quemadmodum nubes mediocriter collisae, fulgurationes efficiũt; [l] maiore impetu pulsae, fulmina. [k] Aristoteles eiusmodi rationem reddit. [l] Varia & multa terrarum orbis expirat, quaedam humida, quaedam sicca, [12] quaedam algentia, quaedam concipiendis ignibus idonea. [m] Nec mirum est, si terris omnis generis & varia euaporatio est: cum in caelo quoque nõ vnus appareat color rerum, sed acrior sit caniculae rubor, Martis remissior, Iouis nullus, in lucem puram nitore perducto. Necesse est ergo in magna copia corpusculorum quae terrae eiectant, & in superiorem agunt partem, aliqua in nubes peruenire alimenta ignium, quae non tantum collisa possint ardere, sed etiam afflata radiis solis.

Nam apud nos quoque strameta sulphure aspersa ignẽ ex interuallo trahũt. Veri ergo simile est,[a] talem materiam intra nubes congregatam facile succendi, & maiores minoresve ignes existere, prout illis fuit plus aut minus virium. Illud enim stultissimum est existimare, aut stellas decidere, aut transilire, aut aliquid illis auferri & abradi: nam si hoc fuisset, iam defuissent. Nulla enim nox est, qua non plurimae ire, & in diuersum videantur abduci. Arqui, quo solent, quaeque inueniuntut loco. Magnitudo sua singulis constat. Sequitur ergo, vt infra illas ista nascãtur: & cito intercidãt, quia sine fundamẽto sunt & sede certa. Quare ergo etiam non interdiu transferũtur? Quid si dicam stellas interdiu non esse, quia non apparent? Quemadmodum illae latenr, & solis fulgore obumbrantur: sic faces quoque transcurrunt etiam inrerdiu, sed abscondit eas diurni luminis claritas. Si quando tamen tãta vis emicuit, vt etiam aduersus diem vindicare sibi suum fulgorem possinr, apparent. Nostra certe aetas non semel vidit diurnas faces, alias ab oriente in occidenrem versas, alias ab occasu in ortum. Argumentum tempestatis nautae putant, cum multae transuolanr stellae. quod si signum vẽtorum est, ibi venti sunr, id est, in aere, qui medius inter lunam & terram est. In magna tempestare apparent, quasi stellae velo insidentes. Adiuuari se tunc periclitantes existimant [13] Pollucis & Castoris numine. Causa aurem melioris spei est, quòd iam apparet frangi tempestatem, & desinere ventos. Aliquando feruntur ignes, non sedent. Gylippo Sytacusas peronti visa est stella super ipsam lanceam constitisse. In Romanorum castris visa sunt ardere pila, ignibus scilicet in illa delapsis: qui saepe fulminum more animalia ferire solenr & arbusta, & si minore vi mittuntur, defluunr tantum & insident, non feriunt nec vulnerant. Alij inter nubes eliduntur, alij sereno, si aer ad exprimendum ignem aptus fuit.[14] Nam sereno quoque caelo aliquando tonat, ex eadẽ causa, qua nubilo, aere inter se colliso. Qui etiam si est lucidior ac siccior, coire tamẽ & facere corpora quaedam similia nubibus potest, quae percussa reddanr sonum. Quandoque igitur fiunt trabes, quandoque [15] clypei, & vastorum imagines ignium, vbi in talem mareriam incidir similis causa, sed maior. Videamus 11. nunc, quemadmodum fiat is fulgor, qui sidera circumnectit. Memoriae proditum est, [16] quo die diuus Augustus vrbem, ex Apollonia reuersus, intrauit, circa solem visum coloris varij circulum, qualis esse in arcu solet: hunc Graeci halo vocant, quem nos dicere coronam aptissime possumus. Quemadmodum fieri dicatur, exponam. Cum in piscinam lapis missus est, videmus [o] in mulros orbes aquam discedere,[p] & fieri primum angustissimum orbem, deinde latiorem, ac deinde alios maiores, donec euanescat impetus, & in planiciem immotarum aquarum soluatur. Tale quiddam cogitemus fieri etiam in aere. cum spissior factus, plagam sentire potest, lux solis aur lunae vel cuiuslibet sideris incurrens, recedere illum in circulos cogit. Nam humor, & aer, & omne quod ex ictu formam accipit, in talem habitum impellitur, qualis est eius quod impellit. Omne autem lumen rorundum est: ergo & aer in hunc modum percussus lumine, exibit. Ob hoc tales splendores Graeci areas vocauere: quia fere terendis frugibus loca destinata sunr rotunda. Nos autem non existimemus istas, siue areae, siue coronae sint, in vicinia siderum fieri. Plurimum enim absunt, [q] quamuis cingere ea & coronare videantur. Non lõge a terra fit talis effigies: quam visus noster solita imbecillitate deceptus, circa ipsum sidus putat positam. In vicinia autem solis & stellarum nihil tale potest fieri: quia illic aether tenuis est. Nam formae crassis demum spissisque corporibus imprimi solent: in subtilibus non habent vbi consistant, aut haereant. In balneis quoque circa lucernam tale quiddam aspici solet,[r] ob aeris densi obscuritatem: frequentissime autem austro, cum caelum maxime graue & spissum est.[17] Nonnunquam paulatim diluuntur & desinunt, nonnũquam ab aliqua parte rumpuntur: & inde ventum nautici expectant, vnde contextus coronae perit. [s]Si enim a septentrione discesserit, Aquilo erit: si ab occidente, Fauonius. Quod argumentum est, [t] intra eam partem caeli has fieri coronas, intra quam venti quoque solent. Superiora autem non habent coronas: quia ne ventos quidem. His argumentis & illud adiice, nũquam coronam colligi, nisi stabili aere & pigro. Alirer non solet aspici. Nam qui stat aer, impelli & deduci, & in aliquã faciem fingi potest. Is autem qui fluit, nec feritur quidem lumine. Non enim formatur, nec resistit: quia prima quaeque pars eius dissipatur. Nũquam ergo vllum sidus talem sibi effigiem circundabir,[u] nisi cum aer erit densus atque immotus, & ob hoc custodiens incidentem in se rotundi lineam luminis. nec sine causa. Repete enim exemplum, quod paulo anre proposui. Lapillus in piscinã aut lacum & aliquam alligatam aquam missus, circulos facit innumerabiles: & hoc idem non facir in flumine. Quare? quia omnem figuram fugiens aqua disturbat. [x] Idem ergo in aere euenir, vt ille qui manet, possit figurari: at ille qui rapitur & currit, non det sui potestatem, & omnem ictum venientemque formam exturbet. Hae, de quibus dixi, coronae, cum dilapsae sunt

aequaliter,& in ſemetipſis euanuerint,ſignificatur aeris quies & otiũ & trãquillitas[18][y].Cum ab vna parte ceſſerunt,illinc ventus eſt vnde findũtur.Si ruptae pluribus locis ſunt, tẽpeſtas fit.Quare id accidat, ex his quae iam expoſui, intelligi poteſt. Nam ſi facies vniuerſa ſubſedit,apparet temperatum eſſe aera,& ſic placidum.Si ab vna parte interciſa eſt,apparet inde aera incũbere,& ideo illa regio ventum dabit.At cum vndique & concerpta & lacerata eſt, manifeſtum eſt a pluribus partibus in illam impetũ fieri,& inquietum aera hinc atque illinc aſſilire.Itaque ex hac inconſtantia caeli tam multa tentantis, & vndique laborantis,futura tempeſtas & ventorum proelium apparet. Hae coronae noctibus fere circa lunam & alias ſtellas notãtur, [z] interdiu raro:adeo vt quidam ex Graecis negauerint eas omnino fieri,cum illos hiſtoriae coarguant.Cauſa autem raritatis haec eſt, quòd ſolis fortius lumen eſt, & aer ipſe agitatus ab illo,calefactusque ſolutior eſt:lunae autem inertior vis eſt,& ideo a circumpoſito aere facilius ſuſtinetur,quòd ſidera cetera infirma ſunt,nec perrũpere aera vi ſua poſſunt.Excipitur itaque illorum imago,& in materia ſolidiore ac minus cedente verſatur. Debet enim aer nec tam ſpiſſus eſſe,vt excludat ac ſubmoueat a ſe lumen immiſſum, nec tam tenuis & ſolutus,vt nullam venientibus radiis moram praebeat. Haec noctibus temperatura contingit, cum ſidera conlectum aera luce leui non pugnaciter, nec aſpere feriunt, ſpiſſio-
III. remque,quàm ſolet eſſe interdiu,inficiunt. [19][a] At contra arcus in nocte non fit, niſi admodum raro:quia luna non habet tantum virium,vt nubes tranſeat,& illis colorem ſuffundat,qualem accipiunt ſole perſtrictae.Sic enim formam arcus diſcoloris efficiunt:quia aliae partes in nubibus tumidiores ſunt, aliae ſubmiſſiores : quaedam craſſiores, quàm vt ſolem tranſmittant : aliae imbecilliores, quàm vt excludant. Haec inaequalitas alternis lucem vmbramque permiſcet,& exprimit [b] illam mirabilem arcus varietatem.Altera cauſa eiuſcemodi arcus redditur.Videmus,cum fiſtula aliquo loco rupta eſt, aquam per tenue foramen elidi:quae ſparſa cõtra ſolem oblique poſitum,faciem arcus repraeſentat. Idem videbis accidere,ſi quando volueris obſeruare fullonem:cum os aqua impleuit,& [c] veſtimenta [10] ridiculis diducta leuiter aſpergit, apparet varios edi colores in illo aere aſperſo, quales in arcu fulgere ſolent.Huius rei cauſam [d] in humore eſſe ne dubitaueris.Non fit enim vnquam arcus, niſi nubilo. Sed quaeramus quomodo fiat. Quidam aiunt eſſe aliqua ſtillicidia, quae ſolem tranſmittant, quaedam magis coacta, quàm vt tranſluceant : itaque ab illis fulgorem reddi, ab his vmbram, & ſic vtriusque intercurſu effici arcum, in quo pars fulgeat, quae ſolem recipit, pars obſcurior ſit, quae excluſit, & ex ſe vmbram proximis fecit.Hoc ita eſſe quidam negant. Poterat enim verum videri, ſi arcus duos tantum haberet colores, & ſi ex lumine vmbraque conſtaret.

Sed nunc diuerſi niteant cum mille colores,
Tranſitus ipſe tamen ſpectantia lumina fallit.
Vſqueadeo quod tangit idem eſt,tamen vltima diſtant.

videmus in eo aliquid flãmei,aliquid lutei, aliquid caerulei, & alia in picturae modum ſubtilibus lineis ducta,vt ait Poeta,vt an diſſimiles colores ſint,ſcire non poſſis, niſi cum primis extrema contuleris.Nam commiſſura decipit, vſque adeo mira arte naturae, quod a ſimillimis coepit,in diſſimilia deſinit.Quid ergo iſtic duo colores faciunt luminis atque vmbrae, cum innumerabilium ratio reddenda ſit?Quidam ita exiſtimant arcum fieri. dicũt in ea parte in qua pluit, ſingula ſtillicidia pluuiae cadentis, ſingula ſpecula eſſe : a ſingulis ergo imaginem reddi ſolis.Deinde multas imagines,immo innumerabiles,& deuexas,& in praeceps tranſeuntes cõfundi. Itaque & arcum eſſe multarum imaginum ſolis confuſionem.Hoc ſic colligunt. Pelues,inquiunt, mille die ſereno pone, & omnes habebunt imaginem ſolis. In ſingulis foliis diſpone ſingulas guttas:ſingulae babebunt imaginem ſolis. At contra ingens ſtagnum non habebit niſi imaginem vnam.Quare?quia omnis circumſcripta laeuitas & circundata ſuis finibus, ſpeculum eſt.Itaque piſcinam ingentis magnitudinis, inſertis parietibus diuide : totidem illa habebit imagines ſolis, quot lacus habuerit. Relinque illam ſicut eſt diffuſa : ſemel tibi imaginem reddet. Nihil refert, [e] quàm exiguus ſit humor aut lacus.Si circumſeptus eſt,ſpeculum eſt.Ergo ſtillicidia illa infinita, quae imber cadens defert, totidem ſpecula ſunt,totidem ſolis facies habent.Hae cõtra intuenti perturbatae apparent:nec diſpiciũtur interualla,quibus ſingula diſtant,ſpatio prohibente diſcerni. Deinde pro ſingulis apparet vna facies turbida ex omnibus. Ariſtoteles idem iudicat.Ab omni,inquit,laeuitate acies radios ſuos replicat.Nihil autem laeuius aqua & aere.Ergo etiam ab aere ſpiſſo viſus noſter in nos redit.Vbi vero hebes & infirma eſt acies,quolibet aeris ictu deficit.[21] Quidam hoc genere valetudinis laborant,vt ipſi ſibi videantur occurrere, vt vbique imaginem ſuam cernant. Quare?quia infirma vis oculorũ non poteſt ne proximum quidem ſibi aerem perrum-

perrumpere,sed resistit.Itaque quod in aliis efficit densus aer, in his facit omnis. Satis enim valet qualiscunque,ad imbecillem aciem repellendam: longe autem magis visum nostrum nobis remittit,qui crassior est,& peruinci non potest,sed radios luminum nostrorum moratur,& eo vnde exierint, reflectit. Ergo cum multa stillicidia sint,totidem specula sunt. Sed quia parua sunt,solis colorem sine figura exprimunt.Deinde cum in stillicidiis innumerabilibus, & sine interuallo cadentibus reddatur idem color, incipit facies esse non multarum imaginum intermissarum,sed vnius longae atque cõtinuae.Quomodo,inquis,tu mihi multa millia istic imaginum esse dicis, vbi nullam video?Et quare cum solis color vnus sit,imaginum diuersus est?Vt & haec quae proposuisti,refellam, & alia quae non minus refellenda sunt,illud dicam oportet:nihil acie nostra fallacius, non tantũ in his a quibus subtiliter pernidendis illam colorum diuersitas summouet, sed & in his quoque, quae ad manum cernit. Remus integer in tenui aqua fracti speciem reddit. Poma per vitrum aspicientibus multo maiora sunt.Columnarum interualla porticus longiores iungũt.Ad ipsum solem reuertere: hunc quem toto orbe terrarum maiorem probat ratio,acies nostra sic contraxit, vt sapientes viri pedalem esse contẽderint.Quem velocissimum omnium esse scimus,nemo nostrum videt moueri:nec ire crederemus,nisi appareret isse. Mũdum ipsum praecipiti velocitate labentem,& ortus occasusque intra momentum temporis reuoluentem, nemo nostrum sentit procedere.Quid ergo miraris, si oculi nostri imbrium stillicidia non separant, ingẽti spatio intuẽtibus minutarum imaginum discrimen interit? Illud esse dubium nulli potest,quin arcus imago solis sit, roscida & caua nube concepta.Quod ex hoc tibi apparet. Nunquam non aduersa soli est,sublimis aut humilis, prout ille se submisit, aut sustulit contrario motu. Illo enim descẽdẽte altior est,alto depressior.Saepe talis nubes a latere solis est, nec arcum efficit,quia non ex recto imaginem trahit. Varietas autem non ob aliam causam fit, quàm quia pars coloris a sole est,pars a nube illa:humor autem modo caeruleas lineas, modo virides,modo purpurae similes,& luteas aut igneas ducit,duobus coloribus hanc varietatẽ efficientibus,remisso & intento. Sic enim & purpura eodem conchylio non in vnum modum exit. Interest, quamdiu macerata sit, crassius medicamentum an aquatius traxerit, saepius mersa sit & excocta,an semel tincta. Non est ergo mirum,cum duae res sint, sol & nubes, id est corpus & speculum,si tam multa genera colorum exprimũtur, quae in multis generibus possunt aut incitari,aut relanguescere. Alius enim est color ex igneo lumine,alius ex obtuso & leniore.[f] In aliis rebus vaga inquisitio est,vbi non habemus quod manu tenere possimus, & late coniectura mittenda est:hic apparet duas causas esse arcus,solem,nubẽque,quia nec sereno vnquam fit,nec ita nubilo,vt sol lateat. Ergo vtique ex his est,quorũ sine altero non est. IIII. Iam illud accedit,quod aeque manifestũ est, speculi ratione imaginem reddi, quia nunquam nisi e cõtrario redditur:id est,nisi ex altera parte steterit quod apparet, ex altera quod ostendit. Rationes quae non persuadent,sed cogunt,a geometris adferuntur. Nec dubium cuiquam relinquitur, quin arcus imago solis sit male expressi, ob vitium figuramque speculi. Nos interim [g] tentemus alias probationes. Inter argumenta sic nascẽris arcus pono, quòd celerrime nascitur: igneum enim variumque corpus caelo intra momentum subtexitur,& aeque celeriter aboletur.[h] nihil autem tam cito redditur,quàm a speculo imago. Non enim facit quicquam,sed ostendit. Parianus Artemidorus adiicit, & quale genus nubis esse debeat,quod talem solis imaginem reddit. Si speculum,inquit, cõcauum feceris,quod sit sectae pilae pars,si extra medium constiteris,quicunque iuxta te steterint,vniuersi a te videbuntur,propiores tibi quàm speculo. Idem,inquit, euenit,cum rotundam & cauam nubem intuemur a latere,vt solis imago a nube discedat,priorque nobis sit,& in nos magis conuersa. Color igitur igneus a sole est, caeruleus a nube: ceteri vtriusque mixturae. V. Contra haec illa dicuntur. De speculis duae opiniones sunt:alij enim in his simulacra cerni putant, id est corporum nostrorum figuras, a nostris corporibus emissas ac separatas: alij imagines aiũt non esse in speculo,sed ipsa aspici corpora, retorta oculorum acie, & in se rursus reflexa. Nunc nihil ad rem pertinet,quomodo videamus quodcũque videmus:[i] sed quomodo imago similis debet e speculo reddi. Quid tam est tam dissimile,quàm sol,& arcus,in quo neque color,neque figura solis, neque magnitudo apparet? [k] Arcus enim longior ampliorque est, longeque ea parte,qua fulget,rubicundior quàm sol;ceteris vero coloribus diuersus. Deinde cum velis speculum aeri comparare,des oportet mihi eandem laeuitatem corporis,eandem aequalitatem,eundem nitorem. Atqui nullae nubes habent similitudinem speculi. per medias saepe transimus,nec in illis nos cernimus. Qui montium summa conscendunt, spectant nubem: nec tamen imaginem suam in illa cernunt. Singula stillicidia singula specula sunt. Concedo:sed illud nego,ex stillicidiis constare nubem. Habet enim quaedam ex qui-

bus,fieri ſtillicidia poſſunt,oon ipſa. Nec aquam quidem habet nubes,ſed materiam futurae aquae. Concedam etiam tibi & guttas innumerabiles io nubibus eſſe, & illas faciem reddere:oon tamen omnes vnam reddunt,ſed ſingulae ſingulas. Deinde inter ſe ſpecula coniunge:in vnam imaginem non coibunt: ſed quaeque particula in ſe rei ſimilitudinem claodet. Sunt quaedam ſpecula ex multis mioutiſque compoſita: quibus ſi vnum oſtenderis hominem,populus apparet,vnaquaque parte faciem ſuam exprimente. Haec cum ſint coniuncta & ſimul collocata,nihilominus ſeducũt imagines ſuas,& ex vno turbam efficiunt. Ceterum cateruam illam non confundunt,ſed diremptam in facies ſingulas diſtrahũt.[l] arcus vno circumſcriptus eſt ductu:vna totius eſt facies. Quid ergo? non & aqua, tupta fiſtula, ſparſa,& ore excuſſa, habere quiddam ſimile his quos videmus in arcu, coloribus ſolet? Verum eſt: ſed non ex hac cauſa, ex qua tu videri vis: quia vnaquaeque ſtilla recipit imaginem ſolis. Citius enim cadunt ſtillae, quàm vt concipere imaginem poſſint. Standum eſt, vt id quod imitantur, excipiant. Quid ergo fit? Colorem, non imaginem ducuot: alioquin, vt ait Nero Caeſar diſertiſſime,

Colla Cytheriacae ſplendent agitata columbae:

& variis coloribus pauonum ceruix,quoties aliquo deflectitur,nitet. Nũquid ergo dicemus ſpecula eiuſmodi plumas,quarum omnis inclinatio in colores nouos trãſit? Non minus nubes diuerſam ſpeculis naturam habent,quàm aues quas retuli,& chamaeleontes, & reliqua animalia, quorum colot aut ex ipſis mutatut,cum ira vel cupidine accenſa,[m] cutem ſuam variant humore ſuffuſo,aut poſitione lucis,quam prout rectam vel obliquam receperint,ita colorantut. Quid enim ſimile ſpeculis habent nubes: cum illa oon perluceant,hae tranſmittant lucem? Illa denſa & coacta, hae rarae ſint: illa eiuſdem materiae tota, hae diuerſis temere compoſitae,& ob hoc diſcordes, nec diu cohaeſurae? Praeterea videmus, ortu ſolis partem quandam caeli rubere: videmus nubes aliquando ignei coloris. Quid ergo prohibet,quomodo hunc colorem vnum accipiũt ſolis occurſu, ſic multos ab illis trahi,quamuis non habeaot ſpeculi potentiam?[n] Modo, inquit,inter argumenta ponebas, ſemper arcum contra ſolem excitari, quia nec a ſpeculo quidem imago redderetur, niſi aduerſo. Hoc,inquit,commune nobis eſt. Nam quemadmodum opponendum eſt ſpeculo id, cuius imaginem in ſe transferat: ſic,vt nubes infici poſſint, ita ſolis ad hoc opus eſt radiotum idoneus ictus. Haec dicuntur ab ijs qui videri volunt nubem colorari. Poſidonius,& hi qui ſpeculari ratione[o] effici iudicant viſum,hoc reſpondent. Si vllus eſſet in arcu color,permaneret,& videretur eo manifeſtius, quo ptopius. Nunc imago arcus ex longinquo clara eſt:interit,cum in vicino eſt. Huic contradictioni ooo cõſentio, cum ipſam ſenteotiam probem. Quare? dicam. Quia coloratur quidem nubes, ſed ita, vt color eius non vndique appareat. Nam ne ipſa quidem vndique appatet. Nubem enim nemo qui in ipſa eſt,videt. Quid ergo mitum,ſi color eius non videtur ab eo,a quo ipſa non viſitur? Atqui, quamuis ipſa non videatur, eſt: ergo & colot. Ita non eſt argumentum falſi coloris: quia idem apparere accedeotibus deſinit. Idem enim in ipſis euenit nubibus: nec ideo falſae ſunt, quia non videntut. Praeterea cum dicitut tibi, nubem ſole eſſe ſuffectam, non dicitur tibi colorem illum immixtum eſſe velut duto corpori ac ſtabili & manẽti, ſed vt fluido & vago,& nihil amplius quàm perbreuem ſpeciem recipienti. Sunt etiam quidam colores,qui ex interuallo vim ſuam oſtendunt. '' Purpuram Tyriam quo melior ſaturiorque eſt,eo oportet altius teneas,vt fulgorem ſuum oſtendat. Non tamen ideo nõ habet illa colorem:quia quem optimum habet, noo quomodocunque explicetur,oſtendit. In eadem ſententia ſum, qua Poſidonius,vt arcum iudicem fieri nube formata in modum concaui ſpeculi & rotundi, cui forma ſit partis e pila ſectae. Hoc probari,niſi geometrae adiuuerint, non poteſt: qui argumentis nihil dubij relinquentibus docent, ſolis illam eſſe effigiem, non ſimilem.[p] Neque enim omnia ad verum ſpecula reſpondent. Sunt, quae videre extimeſcas: tanta deformitate corruptam faciem viſentiũ teddunt,ſeruata ſimilitudine in peius. Sunt,quae cum videris,placere tibi vires tuae poſſint:in tantum lacerti creſcunt,& totius corporis ſupra humanam magnitudinem habitus augetur. Sũt,quae dextras facies oſtẽdant,ſunt quae ſiniſtras,ſunt quae torqueant vel euertant. Quid ergo mirum eſt,eiuſcemodi ſpeculum quo ſolis ſpecies vitioſa reddatur, in nube
VI. quoque fieri? Inter cetera argumenta & hoc erit,quòd nunquam maior arcus dimidio circulo apparet: & quòd eo minor eſt,quo altior eſt ſol.

—'' *Et bibit ingens Arcus,*—

vt ait Virgilius ooſter,cum aduentat imber: ſed noo eaſdem, vndecunque apparuit, minas affert. A meridie ortus magnam vim aquarum vehet. Vinci enim non potuerunt valentiſſimo ſole,tantum eſt illis virium. Si circa occaſum refulſit,[q] rorabit,& leuiter impluet. Si ab

ortu

ortu circave surrexit, serena promittit. Quare tamen si imago solis est arcus, longe ipso sole maior apparet? Quia est alicuius speculi natura talis, vt maiora multo quàm videat, ostẽdat, & in portẽrosam magnitudinẽ augeat formas: alicuius inuicem talis est, vt minuat. Illud mihi dic, quare in orbem eat facies, nisi orbi redditur? Dices fortasse, vnde sit ille color varius: vnde talis figura sit, non dices, nisi aliquod exemplar, ad quod formetur, ostenderis. Nullum autem aliud, quàm solis est, a quo fatearis illi colorem dari: sequitur vt detur & forma. Denique inter me & te conuenit, colores illos quibus regio caeli depingitur, a sole esse. Illud vnum inter nos non conuenit: tu dicis illum colorem esse, ego videri. Qui siue est, siue videtur, a sole, tu non expedies, quare subito desinat, cum omnes fulgores paulatim discutiantur. Pro me est & repentina eius facies & repentinus interitus. Proprium enim est speculi hoc, quòd non per partes struitur, quod apparet, sed statim totum fit. Aeque cito omnis imago in illo aboletur, quàm componitur. Nihil enim aliud ad ista efficienda vel remouenda opus est, quàm ostendi & abduci. Non est propria in ista nube substantia, nec corpus, sed mendacium, & sine re similitudo. Vis scire hoc ita esse? Desinet arcus, si obtexeris solem. Oppone, inquam, soli alteram nubem: huius varietas peribit. At maior est aliquanto arcus, quàm sol. Dixi modo, fieri specula, quae multiplicent omne corpus quod imitãtur. Illud adiiciam, omnia per aquam videntibus longe esse maiora. Litterae quamuis minutae & obscurae, per vitream pilam aqua plenam maiores clarioresque cernuntur. Poma formosiora quàm sint videntur, si innatant vitro. Sidera ampliora per nubem aspicienti videntur: quia acies nostra in humido labitur, nec apprehendere quod vult, fideliter potest. Quod manifestum fiet, si poculum impleueris aqua, & in id conieceris annulum. Nam cum in ipso fundo iaceat annulus, facies eius in summo aquae redditur. Quicquid videtur per humorem, longe amplius vero est. Quid mirum, maiorem reddi imaginem solis, quae in nube humida visitur, cum de causis duabus hoc accidat: quia in nube est aliquid vitro simile, quod potest perlucere, est aliquid & aquae: quam si nondum habet, tamen ' iam apparet eius natura, in quam ex sua vertatur.

VII Quoniam, inquis, vitri fecisti mentionem, ex hoc ipso contra te argumentũ sumam. Virgula solet fieri vitrea, stricta, vel pluribus angulis in modum clauae torosa: haec si ex transuerso solem accipit, colorem talem qualis in arcu videri solet, reddit: vt scias hic non imaginem solis esse, sed coloris imitationem ex repercussu. In hoc argumento multa sunt pro me. Primum, quòd apparet quiddam laeue esse debere, simile speculo, quo solem repercutiat: deinde, quòd apparet non fieri vllum colorẽ, sed speciem falsi coloris, qualẽ (vt dixi) columbarum ceruix & sumit & ponit, vtcunque deflectitur. hoc autem & in speculo est, cuius nullus videtur color, sed simulatio quaedam coloris alieni. ' Vnum tamen hoc soluendum est, quòd non visitur in illa virgula solis imago, cuius bene exprimendae capax non est. Ita conatur quidem reddere imaginem, quia leuis est materia, & ad hoc habilis: sed non potest, quia enormiter facta est. Si apte fabricata foret, totidem redderet soles, quot habuisset insecturas. Quae quia non discernuntur inter se, non satis in vicem speculi nitent: inchoant tantum imagines, nec exprimunt: & ob ipsam viciniam turbant, & in speciem coloris vnius adducunt.

VIII Ar quare arcus non implet orbem, sed dimidia pars eius videtur, cum plurimum porrigitur, incuruaturque? Quidam ita opinãtur. Sol cum sit multo altior nubibus, a superiore tantum illas percutit parte. sequitur vt inferior pars earum non tangatur lumine. Ergo cum ab vna parte solem accipiant, vnam partem eius tantum imitantur, quae nunquam dimidia maior est. Hoc argumentum parum potens est. Quare? quia quamuis sol a superiori parte sit, totam tamen percutit nubem. Ergo & tingit. Quid ni? cum radios transmittere soleat, & omnem densitatem perrumpere. Deinde contrariam rem proposito suo dicunt. Nam si superior est sol, & ideo tantum superiori parti nubium affunditur, nunquam terra tenus descendit arcus. Atqui vsque in humum demittitur. Praeterea nunquam non contra solem est arcus. Nihil ad rem pertinet, supra infrave sit: quia totum, quod cõtra est, latus verberatur. Deinde aliquando arcum & occidens facit, cum certe ex inferiore parte nubes ferit, terris propinquus. Atqui & tunc dimidia pars est, quamuis solem nubes ex humili & sordido accipiant. Nostri qui sic in nube, quomodo in speculo, lumen reddi volunt, nubem cauam faciunt, & sectae pilae partem: quae non potest totum orbem reddere, quia ipsa est pars orbis. Proposito accedo, argumento non consentio. Nam si in concauo speculo tota facies oppositi orbis exprimitur, & in semiorbe nihil prohibet aspici totam pilam. etiamnum diximus circulos apparere soli lunaeque in similitudine arcus circumdatos: quare in illis circulus iungitur, in arcu nũquam? Deinde quare semper cõcauae nubes solem accipiũt, ' nec aliquando planae & tumẽtes?[14] Aristoteles ait, post autumnale aequinoctium qualibet hora diei arcum fieri,

aeſtate non fieri, niſi aut incipiente aut inclinato iam die. Cuius rei cauſa manifeſta eſt. Pri-
mum quia medio die ſol calidiſſimus nubes euincit: nec poteſt ab his imaginem ſuam reci-
pere, quas ſcindit. At matutino tempore, & vergens ad occaſum, minus virium habet: &
ideo a nubibus & ſuſtineri & repercuti poteſt. Deinde cum arcum facere non ſoleat, niſi ad-
uerſus his, in quibus facit, nubibus: cum breuiores dies ſunt, ſemper obliquus eſt. Ita-
que qualibet diei parte, etiam cum altiſſimus eſt, habet aliquas nubes, quas ex aduerſo fe-
rire poteſt. At temporibus aeſtiuis ſupra noſtrum verticem fertur. Itaque medio die excel-
ſiſſimus terras rectiore aſpicit linea, quàm vt vllis nubibus poſſit occurri. Omnes enim tunc
IX. ſub ſe habet. Nunc dicendum eſt de virgis, quas minus pictas variasque, & aeque
pluuiarum ſigna ſolemus accipere. In quibus non multum operae conſumendum eſt: quia
virgae nihil aliud quàm imperfecti arcus ſunt. Nam facies quidem illis eſt picta, ſed nihil
curuati habent. In rectum iacent. Fiunt autem iuxta ſolem fere in nube humida, & iam ſe
ſpargente. Itaque idem eſt in illis qui in arcu color, tantum figura mutatur: quia nubium
X. quoque, in quibus extenduntur, alia eſt. Similis varietas in coronis eſt: ſed hoc dif-
ferunt, quòd coronae vbique fiunt, vbicunque ſidus eſt: arcus non niſi contra ſolem: vir-
gae non niſi in vicinia ſolis. Poſſum & hoc modo differentiam omnium reddere. Coro-
nam ſi diuiſeris, arcus erit: ſi direxeris, virga. In omnibus color multiplex eſt, ex caeruleo
fuluoque varius. Virgae ſoli tantum adiacent. Arcus ſolares lunaresque omnes ſunt. Co-
XI. ronae omnium ſiderum. Aliud quoque virgarum genus apparet, cum radij per angu-
ſta foramina nubium tenues, intenti diſtantesque inter ſe diriguntur: & ipſi ſigna imbrium
ſunt. Quomodo nunc me hoc loco geram? Quid eas vocem? imagines ſolis? Hiſtorici ſoles
vocant, & binos ternosque apparuiſſe memoriae tradunt. Graeci parelia appellant: quia
in propinquo fere a ſole viſuntur, aut quia accedunt ad aliquam ſimilitudinem ſolis. Non
enim totum imitantur,ᵘ ſed imaginem eius, figuramque. Ceterum nihil habent ardoris, he-
betes ac languidi. His quod nomen imponimus? An facio quod Virgilius, qui dubitauit de
nomine, deinde id de quo dubitauerat, poſuit?

---- & quo te nomine dicam,

Rhetica? nec cellis ideo contende Falernis.

Nihil ergo prohibet illas parelia vocari. Sunt autem imagines ſolis in nube ſpiſſa & vicina,
in modum ſpeculi. Quidam parelion ita definiunt, Nubes rotunda & ſplendida, ſimilisque
ſoli. Sequitur enim illum, nec vnquam lõgius relinquitur, quàm fuit cum apparuerit. Num-
quis noſtrum miratur, ſi ſolis effigiem in aliquo fonte, aut placido lacu vidit? Non, vt pu-
to. Atqui tam in ſublimi facies eius poteſt, quàm inter nos, reddi: ſi modo idonea eſt ma-
XII. teria, quae reddat. Quoties defectionem ſolis volumus deprehẽdere, ponimus pelues,
quas aut oleo, aut pice implemus: quia pinguis humor minus facile turbatur, & ideo quas
recipit imagines, ſeruat. Apparere autem imagines non poſſunt, niſi in liquido & immoto.
Tunc ſolemus notare, quemadmodum ſe luna ſoli opponat,ˣ vt illum tanto maiorem, ſub-
iecto corpore abſcondat, modo ex parte, ſi ita contigit, vt latus occurrerit, modo totum.
Haec dicitur perfecta defectio, quae ſtellas quoque oſtendit, & intercipit lucem, tunc ſci-
licet, cum vterque orbis ſub eodem libramento ſtetit. Quemadmodum ergo vtriusque ima-
go in terris aſpici poteſt: ita in aere, cum ſic coactus aer & limpidus conſtitit, vt faciem
ſolis acciperet, quam & aliae nubes accipiunt, ſed tranſmittunt, ſi aut mobiles ſunt, aut ra-
rae, aut ſordidae. Mobiles enim ſpargunt illam, rarae emittunt, ſordidae turpesque non
XIII. ſentiunt, ſicut apud nos imaginem maculoſa non reddunt. Solent & bina fieri pare-
lia, eadem ratione. Quid enim impedit quo minus tot ſint, quot nubes fuerunt aptae ad ex-
hibendam effigiem ſolis? Quidam in illa ſententia ſunt, quotiens duo ſimulacra talia exiſtũt,
vt iudicent vnum eſſe ſolis, alterum imaginis. Nam apud nos quoque cum plura ſpecula diſ-
poſita ſunt ita, vt alteri ſit conſpectus alterius, omnia implentur, & vna imago a vero eſt,
ceterae imaginum effigies ſunt. Nihil enim refert quid ſit, quod ſpeculo oſtendatur. Quic-
quid enim videt, reddit. Ita illic quoque in ſublimi, ſi nubes ſors aliqua diſpoſuit, vt inter
ſe aſpiciant, altera nubes ſolis imaginem, altera imaginis reddit. Debent autem hae nubes,
quae hoc praeſtant, denſae eſſe, laeues, ſplendidae, plane naturae ſolis.ʸ Ob hoc omnia quae
huiuſmodi ſunt ſimulacra, candida ſunt, & ſimilia lunaribus circulis: quia ex percuſſu obli-
que accepto ſole reſplendent. Nam ſi infra ſolem nubes fuerit, & propior, ab eo diſſipatur:
longe autem poſita radios non remittit, nec imaginem efficit. Quia apud nos quoque ſpe-
cula cum a nobis procul abducta ſunt, faciem non reddunt, quia acies noſtra non habet vſ-
que ad nos recurſum. Pluuiarum autem & hi ſoles (vtar enim hiſtorica lingua) indicia ſunt:
vtique ſi a parte Auſtri conſtiterunt, vnde maximae nubes ingraueſcunt: cum vtrinque
ſolem

solem cinxit talis effigies (si Araro credimus) tempestas surgit. Tempus est, alios quoque ignes percurrere, quorum diuersae figurae sunt. Aliquando emicat stella, aliquando ardores sunt, aliquando fixi & haerentes, nonnunquam volubiles. Horum plura genera conspiciuntur. Sunt enim velut corona cingente introrsus ignes. Caeli recessus est similis effossae in orbem speluncae. Sunt Pithiae, cum magnitudo vasti rotundique ignis dolio similis, vel fertur, vel in vno loco flagrat. Sunt Chasmata, cum aliquando caeli spatium discedit, & flammam dehiscẽs velut in abdito ostentat. Colores quoque horum omnium plurimi sunt. Quidam ruboris acerrimi, quidam euanidae ac leuis flammae, quidam candidae lucis, quidam micantes, quidam aequaliter & sine eruptionibus aut radiis fului. Videmus ergo XIIII.

Stellarum longos a tergo albescere tractus.

Haec velut stellae exiliunt & transuolant, videnturque lõgum ignem porrigere, propter immensam celeritatem: cum acies nostra non discernat transitum earum, sed quacunque cucurrerunt, id totum igneum credat. Tanta enim est velocitas motus, vt partes eius non dispiciantur, sed tantum summa prendantur. Intelligimus magis, qua appareat stella, quàm qua eat. Itaque velut igne continuo totum iter signat: quia visus nostri tarditas non subsequitur momenta currentis, sed videt simul & vnde exilierit, & quo peruenerit. Quod fit in fulmine, longus nobis videtur ignis eius: quia cito spatium suum transilit, & oculis nostris occurrit vniuersum per quod deiectus est. At ille non est extenti corporis, per omne qua venit. Neque tam longa & extenuata in impetum valent. Quomodo ergo prosiliunt? Attritu aeris ignis incensus, vento praeceps impellitur: non semper tamen vento attritu ve fit. Nonnunquam ex aliqua opportunitate aeris nascitur. Multa enim sunt in sublimi sicca, calida, terrena, inter quae oritur, & pabulum suum subsequens defluit, ideoque velociter rapitur. At quare color diuersus est? Quia refert, quale sit id quod incenditur, & quàm vehemens quo incenditur. Ventum autem significat eiusmodi lapsus, & quidem ab ea parte qua erumpit. Fulgores, inquis, quomodo fiunt, quos Graeci sela appellant? Multis, vt aiunt, modis. Potest illos ventorum vis edere, potest superioris caeli feruor. Nam cum late fusus sit ignis, inferiora aliquando, si sunt idonea accendi, corripit. Potest stellarum motus cursu suo excitare ignem, & in subiecta transmittere. Quid porro? non potest fieri, vt aer vim igneam vsque in aethera elidat, ex qua fulgor ardorve sit stellae, vel similis excursus? Ex his fulgoribus quaedam in praeceps eunt, similia prosilientibus stellis: quaedam certo loco permanent, & tantum lucis emittunt, vt fugent tenebras, & diem repraesentent, donec consumpto alimento, primum obscuriora sint, deinde flammae modo, quae in se cadit, per assiduam diminutionem redigantur in nihilum. Ex his quaedam in nubibus apparent, quaedam supra nubes, cum aer spissus ignem, quem propior terris diu pauerat, vsque in sidera expressit. Horum aliqua non patiuntur moram, sed transcurrunt aut extinguuntur subinde qua reluxerant. Hi fulgores dicuntur: quia breuis facies illorum & caduca est, nec sine iniuria decidens: saepe enim fulminum noxas ediderunt. Ab his recta videmus icta, quae astrapoplecta Graeci vocant. At quibus longior mora & fortior ignis est, motumque caeli sequens, aut qui proprios cursus agunt, Cometas nostri putant: de quibus dicendum est. Horum genera sunt pogoniae, lampades, & cyparissiae, & alia omnia: quorum ignis in exitu sparsus est. Dubium, an inter hos ponantur trabes, & pithiae, quae raro sunt visae. Multa enim conglobatione ignium indigent, cum ingens illorum orbis aliquando matutini amplitudinem solis exuperet. Inter haec ponas licet, & quod frequenter in historiis legimus, caelum ardere visum: cuius nonnunquam tam sublimis ardor est, vt inter ipsa sidera videatur: nonnunquam tam humilis, vt speciem longinqui incendij praebeat. Sub Tiberio Caesare cohortes in auxilium Ostiensis coloniae cucurrerunt, tãquam conflagrantis: cum caeli ardor fuisset per magnam partem noctis, parum lucidus, crassi fumidique ignis. De his nemo dubitat quin habeant flammam quam ostendunt: certa illis substantia est. De prioribus quaeritur, de arcu dico & coronis, an decipiant aciem, & mẽdacio cõstent: an illis quoque verũ sit, quod apparet. Nobis nõ placet, in arcu aut coronis subesse aliquid corporis certi. nihil enim iudicamus in speculis, nisi fallaciam esse, nihil aliud quàm alienum corpus mentientibus. Non enim est in speculo, quod ostenditur. Alioquin non exiret, nec alia protinus imagine obduceretur: nec innumerabiles modo interirent, modo exciperentur formae. Quid ergo? Simulacra ista sunt, & inanis verorum corporum imitatio: suntque ista a quibusdam ita composita, vt possint detorquere in prauum. Nam (vt dixi) sunt specula, quae faciem prospicientium obliquent: sunt, quae in infinitum augeant, & humanum habitum excedant, modũque nostrorũ corporum. Hoc loco volo tibi narrare fabellã, vt intelligas, quàm nullũ instrumẽtum irritãdae voluptatis libido contemnat, & ingeniosa sit ad XVI.

incitandum furorem suum. Hostius quidam fuit obscoenitatis vsque in scaenam productae. Hunc diuitem auarum sestertium milies seruum diuus Augustus indignum vindicta iudicauit, cum a seruis occisus esset: & tamen non pronuntiauit iure caesum videri. Non erat ille tãtummodo ab vno sexu impurus, sed tam virorum quàm feminarum auidus fuit. Fecitque specula eius notae, cuius modo retuli, imagines longe maiores reddentia, in quibus digitus [b] brachij mensuram & loogitudine & crassirudine excederet. Haec autem ita disponebat, vt cum virũ ipse pateretur, [c] auersus omnes admissarij sui motus in speculo videret, ac deinde falsa magnitudine ipsius membri tanquam vera gauderet. In omnibus quidem balneis agebat ille dilectum, & aperta mensura legebat viros: sed nihilominus mendaciis quoque [d] insatiabile malum delectabat. I nunc, & dic, speculum munditiarum causa repertum. [e] Foeda dictu sunt, quae portentum illud lacerandom ore suo dixerit, feceritque, cum illi specula [f] ab omni parte opponerentur, vt ipse flagitiorum suorum spectator esset: & quae secreta quoque conscientia premuntur, & quae accusatus quisque fecisse se negat, non in os tantum, sed in oculos suos ingereret. At hercules scelera conspectum suum reformidant. In perditis quoque, & ad omne dedecus expositis, tenerrima est oculorum verecũdia. Ille autem, quasi parum esset inaudita & iocognita pati, oculos suos ad illa aduocauit: [g] nec quantum peccabat videre contentus, specula sibi per quae flagitia sua diuideret, disponeretque, circundedit: & quia non tam diligenter iotueri poterat, [h] cum compressus erat, & caput merserat, ioguinibusqoe alienis obhaeserat, opus sibi suum per imagines offerebar. Speculabatur illam libidinem oris sui, spectabat sibi admissos pariter in omnia viros. Nonnunquam inter marem & feminam distributus, & toto corpore patientiae expositus, spectabat nefanda. Quidnam homo impurus reliquit, quod in tenebris faceret? Non pertimuit diem, sed ipsos concubitus portentosos sibi ipse ostendit, sibi ipse approbauit. Quid? non putas, eo ipso habitu voluisse pingi? Est aliqua etiã prostitutis modestia: & illa corpora, publico obiecta ludibrio, aliquid, quo infelix patientia lateat, obtendunt: adeo quodam modo lupanar quoque verecundum est. At illud monstrum [i] obscoenitatem suam, spectaculum fecerat, & ea sibi ostentabat, quibus abscondendis nulla satis alta nox est. Simul, inquit, & virum & feminam patior: nihilominus illa quoque superuacua mihi parte, alicuius contumelia marem exerceo. Omnia membra stupris occupata sunt. Oculi quoque in partem libidinis veniant, & testes eius exactoresque sint. Etiam ea quae ab aspectu corporis nostri positio submouit, arte visantur, ne quis me putet nescire, quid faciam. Nihil egit natura, quòd humanae libidini ministeria tam maligoa dedit, quòd aliorum animalium concubitus melius instruxit. Inueniam, qoemadmodum morbo meo imponam & satisfaciam. Quo nequitiam meam, si ad naturae modum pecco? Id genus speculorum circumponam mihi, quod incredibilem imaginum magnitudinem reddat. Si liceret mihi, ad verum ista perducerem: quia non licet, mendacio pascar. Obscoenitas mea, plus quàm capit, videat, & patientiam suam ipsa miretur. [k] Facinus indignum. Hic fortasse cito, & antequam haec videret, occisus est. Ad spe-
XVII. culum suum immolandus fuit. Derideantur nunc philosophi, quòd de speculi natura disserant, quòd inquirant, quid ita facies nostra oobis, & quidem in nos obuersa redditur. Quid sibi rerum natura voluit, quòd cum vera corpora dedisset, etiam simulacra eorum aspici voluit. Quorsus pertinuerit, hanc comparare materiam, excipiendarum imaginum potentem. Non in hoc scilicet, vt ad speculum barbam faciemque velleremus, aut vt faciem viri poliremus. In nulla re illa negotium luxuriae concessit: sed primum omnium, quia imbecilli oculi ad sustinendum cominus solem, ignoraturi erant formam eius, hebetato illum lumine ostendit. Quamuis eoim eum orientem occidentemque contemplari liceat: tamen habitum ėius, ipsum qui verus est, non rubẽtis, sed candida luce fulgentis nesciremus, [l] nisi in aliquo nobis humore lacuior & aspici facilior occurreret. Praeterea duorũ siderum occursum, quo interpolari dies solet, non videremus, nec scire possemus, quid esser, [m] nisi liberius humi solis lunaeque imagines videremus. Inuenta sunt specula, vt homo ipse se nosceret. [n] Multa ex hoc consecuta, primo sui notitia, deinde & ad quaedam consilium. Formosus, vt vitaret infamiam: deformis, vt sciret redimendum esse virtutibus, quicquid corpori deesset: iuuenis, vt flore aetatis admooeretur, illud tempus esse discendi, & fortia audendi: senex, vt indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitatet. Ad hoc rerum natura facultatem nobis dedit, nosmetipsos videndi. Fons cuique perlucidus aut laeue saxum imaginem reddit.

Nuper me in littore vidi,
Cum placidum ventis staret mare.

Qualem fuisse cultum putas ad hoc speculum se comentium? Aetas illa simpliciot, & fortuitis con-

tis contenta,* nondum in vitium beneficium detorquebat, nec inuentum naturae in libidinem luxumque rapiebat. Primo faciem suam cuique casus ostēdit: deinde cum insitus sui mortalibus amor, dulcem aspectum formae suae faceret, * saepius ea despexere, in quibus prius effigies suas viderant. Postquam deterior populus ipsas subiit terras, effossurus obruenda, ferrum primo in vsu fuit: & id homines impune eruerant, si solum eruissent. Tunc demum alia terrae mala, quorum laeuitas aliud agentibus speciem suam obtulit, quam hic in poculo, ille in aere ad alios vsus comparato vidit. * & mox proprius huic ministerio praeparatus est orbis: nondum argenti nitor, sed fragilis vilisque materia. Tunc quoque cum antiqui illi viri incondite viuerent, satis nitidi, si squalorem opere collectum aduerso flumine eluerent, cura comere capillum fuit, ac prominētem barbam depectere: & in hac re quisque sibi, alterique operam dabat inuicem. Coniugum quidem manu crinis ille, quem effundere olim mos viris fuit, attrectabatur: sed illum sibi sine vllo artifice formosi quatiebant, non aliter quàm iubam generosa animalia. Postea rerum iam 'potiente luxuria, specula totis paria corporibus auro argentoque caelata sunt, denique gemmis adornata: & pluris vnum ex his feminae constitit, quàm antiquarum dos fuit ' illa, quae publice dabatur imperatorum pauperum filiabus. An tu existimas, ex auro nitidum habuisse Scipionis filias speculum, cum illis dos fuisset aes graue? O paupertas felix, quae tanto titulo locum fecit. Non fecisset illis Senatus dotem, si habuissent. At quisquis ille fuit, cui soceri loco senatus fuit, intellexit se accepisse dotem, quam fas non esset reddere. Iam libertinorū virgūculis in vnum speculum non sufficit illa dos, ' quam dedit senatus pro Scipione. Processit enim immodestius, paulatim opibus ipsis inuitata luxuria: & incrementum ingens vitia acceperūt. Adeoque omnia indiscreta sunt peruersissimis artibus, vt quicquid mundus muliebris vocabatur, sarcinae viriles sint: minus dico, etiam militares. Iam speculum ornatus tantum causa adhibitum, nulli non vitio necessarium factum est.

M. ANTONII MVRETI AD PRIMVM E LIBRIS SENECAE NATVRALIVM quaestionum, Notae.

HI libri, maximam partem, sumpti sunt ex Aristotelis Meteorologicis: quod e singulis partibus magis intelligetur. Hoc autem prooemio tractatur quaestio multis cōtentionibus agitata apud veteres: cum duae partes sint Philosophiae, vna quae ad cognitionem ac contemplationem refertur, quam Graeci theoreticen, altera quae ad actionem, quam iidem practicen vocant: vtra alteri anteponenda sit. Et Seneca quidem theoreticen, vt pulchriorem ac diuiniorem, anteponit: quae eadem sententia est, cum aliorum, tum Aristotelis libro decimo ad Nicomachum, & septimo Politicorum: qui etiam non obscure idem confirmat libro sexto Ethicorum, vbi sapientiam prudentia superiorem facit. Et certe cum prudentia referatur ad agendum: omnis autem actio ad finem aliquem dirigatur. at cognitio expetatur ipsa per se, neque alio respiciat: ne dubitari quidem videtur posse, quin maius quiddam & sublimius sit cognitio. Immo vero, si quis vim verbi accuratius inspiciat, ea demum vere ac proprie philosophia est. Nam cum sapientes proprie vocemus eos, qui sublimia quaedam & a vulgi captu remota intelligunt: quomodo Anaxagoram, Democritum, Thalem Milesium sapientes nominauit antiquitas: certe qui ad ea perquirenda omni studio incumbunt, quae qui tenent sapientes habentur, y proprie dicendi sunt philosophari. Et quod Aristoteles ait admirationem hominibus causam ac principium philosophandi fuisse, ad hanc partem philosophiae manifesto refertur. Admirati enim homines tum certos ac definitos siderum cursus, tum ea quae in sublimi fierent, tum statas tempestatum anni varietates, aliaque eiusmodi, causas quae quidque eorum efficerent, curiose perquirere ac peruestigare coeperunt. Ea origo philosophiae fuit. Magnum tamen earum rerum tractatio contemptum, magnam etiam inuidiam in vulgus philosophis comparauit. Nam & meteoroleschas eos vocabant, id est, de sublimibus rebus nugantes: & Thaletem a vetula irrisum ferunt, cum in siderum contemplatione defixus in foueam decidisset: & de toto genere illud a Pacuuio dictum est:

Quod ante pedes est, nemo spectat: caeli scrutantur plagas.

& parum religiosos esse opinabantur, qui tam curiose atque anxie rimarentur ea, quae dij hominibus tecta atque abdita esse voluissent. Itaque Socrates vsus notißimo dicto, quae supra nos essent, nihil ad nos attinere, philosophiam a rebus occultis & a natura ipsa inuolutn, vt ait Varro apud Ciceronem, auocauit, & ad vitam communem adduxit, vt de virtutibus ac vitiis, omninoque de

bonis rebus & malis quaereret. Qui etiam dictitabat, vno Homerico versu summam totius philosophiae contineri:

Ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται.

Omnes autem illas quaestiones, quomodo imbres, grandines, tonitrua fierent, stultas & inutiles esse dicebat, vt aperte constat e libro primo commentariorum Xenophontis. Ex quo facile intelligitur omnia illa quae impudenter & malitiose Aristophanes in nebulis aduersus Socratē deblatterauit, non falsa modo, sed a Socratis ingenio ac moribus alienissima fuisse. Nos, his omissis, Senecam, vt instituimus, excutiamus, & vt maculae, quas ei aliorum negligentia aspersit, per nos aliqua ex parte eluantur, operam demus.

AD LIBRI PRIMI PRAEFATIONEM.

1 Quae vniuersi materia sit,] *Vna omnium materia est a parente omnium Deo ex nihilo condita.*

2 Quis auctor aut custos,] *Idem & auctor & custos Deus.*

3 Quid sit Deus,] *Hoc maius est, quàm vt ab homine aut quaeri debeat, aut percipi possit.*

4 Totus in se intendat, an ad nos aliquando respiciat:] *Et perpetua sui cognitione fruitur, & humana respicit, vt qui propter hominem alia condiderit omnia.*

5 Faciat quotidie aliquid, an semel fecerit:] *Quae semel fecit, semper conseruat: quod ipsum genus quoddam perpetuae productionis est.*

6 Pars mundi sit, an mundus:] *Neutrum. neque enim opifex opus suum, aut operis sui pars est.*

7 Liceat illi hodieque] *Licet Deo quicquid libet. Ipse autem non mutatur: sed perpetuo idem est: etsi nobis interdum, propter imbecillitatem nostram, mutari videtur.*

8 An vt cibos & potiones percolarem?] *Haec est quam charadrij vitam vocat Plato in Gorgia. vbi vetus scholion habet charadrium esse auiculam, cuius aspectu sanentur arquati: eius autem esse naturae, vt simul cibum & sumat & egerat.*

AD CAP. I.

A'VDI quid de ignibus] *Idem argumentum tractatur ab Aristotele libro primo Meteorologicon.*

10 Aristoteles quoddam genus illorum capram vocat.] *Ita loquitur, quasi Aristoteles illius appellationis auctor fuerit. Quod tamen verum non est. sed vulgo ita vocabantur: quod ostendunt illa philosophi verba,* καὶ οἱ καλούμενοι ὑπό τινων δαλοὶ καὶ αἶγες. *Causam autem cur caprae vocentur, hanc esse aiunt, quòd in caprarum morem quasi barbulas quasdam pendentes habeant.*

11 Maiore impetu pulsae fulmina.] *Voces aliquot quae hic accreuerant, & sententiam corrumpebant, veteris libri nixus auctoritate deleui.*

12 Quaedam algentia,] *Vetus liber*, alentia. *ex quo fecerant*, calentia. *Ego* algentia *malui. Vt enim humidis sicca, sic algentia idoneis ad concipiendos ignes opponuntur.* ἀτμίδα *&* ἀναθυμίασιν *Aristoteles vocat: illam potestate aquam, hanc potestate ignem.*

13 Pollucis & Castoris numine.] *Celebrata ab omnibus poetis & mythologis fabula. Vide Plinium lib.* II. *cap.* XXXVII.

14 Nam sereno quoque caelo aliquando tonat,] *Neque tonat tantum: sed & fulmen deiicitur. Cicero:*

Aut cum terribili perculsus fulmine ciuis,
Luce serenanti vitalia lumina liquit.

Qua ipsa de re ita Iulius Obsequens: Sereno Varguenteius Pombius de caelo exanimatus. *Fortassis autem apud Senecam quoque vox* caelo *delenda sit. At Plinius hunc ipsum M. Herennium decurionem ex Pompeiano municipio vocat.*

15 Clypei,] *Plinius:* Clypeus ardens ab occasu ad ortum scintillans transcurrit solis occasu, L. Valerio, C. Mario Cos. *Narratur & idem ab Obsequente.*

AD CAP. II.

DIXIT *de capris, trabibus, facibus, ceterisque eiusmodi fulgoribus. Nunc exponit quemadmodū area siue corona fiat. Videndus Aristoteles capite tertio libri tertij Meteorologicon.*

16 Quo die diuus Augustus] *Plinius cap.* XXVIII. *lib.* II. *Obsequens cap.* CXXVIII.

17 Nonnunquam paulatim diluuntur & desinunt, nonnunquam ab aliqua parte rūpuntur:] *Illud Aristoteles vocat* μαραίνεσθαι, *hoc* διασπᾶσθαι: *qui etiam eadem, quae hic Seneca, & ob easdem causas significari docet.*

18 Et tunc aquam expecta.] *Non erant in libris veteribus: eoque deleui. Addita videntur ab aliquo, ex Aristotelis sententia: qui ita scribit:* Ἐὰν μὲν γὰρ μήτε καταμαρανθῇ, μήτε διασπασθῇ, ἀλλ' ἐαθῇ τὴν φύσιν ἀπολαμβάνειν ἑαυτῆς, ὕδατος εἰκότως σημεῖόν ἐστι.

AD

AD CAP. III.

A BSOLVTA *tractatione areae, trabis, facum, & similium, ordinem Aristotelis secutus, de arcu siue iride disputare incipit. in cuius causa reddenda Aristoteleus est.*

19 At contra arcus in nocte non fit, nisi admodum raro:] *Veteres quidem eum noctu nunquam fieri opinabantur: sed raritas eis causa errādi fuit. Aristoteles:* καὶ μεθ' ἡμέραν μὲν ἴρις γίγνεται, νύκτωρ δὲ ἀπὸ σελήνης, ὡς μὲν οἱ ἀρχαῖοι ᾤοντο, οὐκ ἐγίγνετο. τοῦτο δὲ ἔπαθον διὰ τὸ σπάνιον. ἐλάνθανε γὰρ αὐτούς. γίγνεται μὲν γὰρ, ὀλιγάκις δὲ γίγνεται. *Addit id fieri tantum plenilunio: atque ita raro, vt ipse totis quinquaginta annis bis tantum id notauerit.*

20 Ridiculis.] *Aly* tendiculis. *Ego veteri libro fidem habui. Est autem* ridicula *nomen imminutum a* ridica.

21 Quidam hoc genere valetudinis laborant.] *Aristoteles:* οἷόν ποτε συνέβαινέ τινι πάθος, ἠρέμα καὶ οὐκ ὀξὺ βλέποντι. ἀεὶ γὰρ εἴδωλον ἐδόκει προηγεῖσθαι βαδίζοντι αὐτῷ, ἐξ ἐναντίας βλέπον πρὸς αὐτόν. τοῦτο δὲ ἔπασχε διὰ τὸ τὴν ὄψιν ἀνακλᾶσθαι πρὸς αὐτόν. οὕτω γὰρ ἀσθενὴς ἦν καὶ λεπτὴ πάμπαν ὑπὸ τῆς ἀρρωστίας, ὥστε ἔνοπτρον ἐγίνετο καὶ ὁ πλησίον ἀὴρ, καὶ οὐκ ἠδύνατο ἀπωθεῖν. *Sunt qui hunc Antipherontem fuisse dicant, hominem motae mentis, de quo quiddam legitur etiam in libro de memoria. Mihi hoc satis exploratum non est.*

AD CAP. V.

P[22] VRPVRAM Tyriam] *Huc referendum est illud dictū Augusti, quod his verbis a Macrobio exponitur:* Cum de Tyriae purpurae, quam emi iusserat, obscuritate quereretur: dicente venditore, Erige altius & suspice: his vsus est salibus: Quid ergo? vt me populus R. dicat bene cultum, in solario ambulaturus sum?

AD CAP. VI.

E[23] T bibit ingens arcus,] *Hinc vrbanissime dictum est a Palinuro Plautino, qui anum, senio incuruam, bibentem videret:*

Ecce autem bibit arcus: pluet,
Credo, hercle hodie.

AD CAP. VIII.

A[24] RISTOTELES ait, post autumnale aequinoctium] *Vide Aristotelem capite* V. *libri* III. *Meteorologicon.*

AD CAP. XIII.

S[25] I Arato credimus,] *Arati hac de re versus hi sunt:*

Οὐ γὰρ ὅτ' ἀμφοτέρωθεν ὁμοῦ περὶ μέσσον ἔχουσιν
Ηέλιον κῆαι νεφέλαι, σχεδὸν ὠκεανοῖο
Γίγνεται ἀμβολίη, ἔξωθεν χείματος ἰόντος.

L. ANNAEI SENECAE AD LVCILIVM NATVRALIVM QVAESTIONVM

LIBER SECVNDVS.

O MNIS de vniuerso quaestio in caelestia, sublimia, & terrena diuiditur. CAP. I. Prima pars naturam siderū scrutatur, & magnitudinem, & formam igniū quibus mundus includitur: ' solidum ne sit caelum, ac firmae concretaeque materiae, an ex subtili tenuique nexum: agatur, an agat: & infra se sideta habeat, an in cōtextu sui fixa: quemadmodum sol anni vices seruet: an retro flectat: cetera deinceps his similia. Secūda pars tractat inter caelum terramq; versantia. Haec sunt nubila, imbres, niues, & humanas motura tonitrua mentes: quaecunque aer facit, patiturve. Haec sublimia dicimus, quia editiora imis sunt. Tertia illa pars de agris, terris, arbustis, satis quaerit, & (vt Iurisconsultorū verbo vtar) de omnibus quae solo cōtinentur. Quomodo, inquis, de terrarum motu quaestionem eo posuisti loco, quo de tonitruis fulguribusque dicturus es? Quia cum motus terrae fiat spiritu, spiritus autem sit aer agitatus, & si subeat terras, ' non ibi spectandus est: cogitetur in ea sede in qua illum natura disposuit. Dicam, quod magis videbitur mirum: inter caelestia & de terra dicendum erit. Quare? inquis. quia cum propria terrae excutimus

ſuo loco, vtrum lata ſit & inaequalis, & enormiter proiecta, an tota in formam pilae ſpectet,
& in orbem partes ſnas agat, alliget aquas, an aquis alligetur ipſa: animal ſit, an iners corpus,
& ſine ſenſu, plenum quidem ſpititus, ſed alieni, & cetera huiuſmodi quotiens in manus ve-
nerint, terram ſequentur, & in imis collocabuntur. At vbi quaeretur, quis terrae ſit ſitus, qua
parte mundi ſubſederit, quomodo aduerſus ſidera caelumque poſita ſit, haec quaeſtio cedit
II. ſuperioribus, & (vt ita dicam) meliorem condicionem ſequitur. . Quoniam dixi de par-
tibus, in quas omnis rerum naturae materia diuiditur, quaedam in commune ſunt dicenda:
& hoc primum praeſumendum, inter ea corpora, a quibus vnitas eſt, aera eſſe. Quid ſit hoc,
& quare praecipiendum fuerit, ſcies, ſi paulo altius repetiero, & dixero [a] aliquid eſſe conti-
nuum, aliquid commiſſum.[b] Continuatio eſt partium inter ſe non intermiſſa coniunctio. V-
nitas eſt ſine commiſſura continuatio, & duorum inter ſe coniunctorum corporum tactus.
Nunquid dubium eſt, quin ex his corporibus quae videmus tractamusque, quae aut ſentiũ-
tur aut ſentiũt, quaedam ſint compoſita? Illa conſtant aut nexu, aut aceruatione: vt puta fu-
nis, frumentum, nauis. Rurſus non compoſita: vt arbor, lapis. Ergo concedas oportet, ex his
quoque quae ſenſum quidem effugiunt, ceterum ratione prenduntur, eſſe in quibuſdam v-
nitatem corporum. Vide, quomodo auribus tuis parcam. Expedire me poteram, ſi philoſo-
phorum lingua vti voluiſſem, vt dicerem[c] vnita corpora: hoc cum tibi remittam, tu inuicem
mihi refer gratiam. Quare iſtud? ſi quando dixero vnum, memineris me non ad numerum
referre, ſed ad naturam corporis, nulla ope externa, ſed vnitate ſua cohaerentis. Ex hac nota
III. corporum aer eſt. [d]Omnia quae in notitiam noſtram cadere poſſunt, mundus comple-
ctitur.[e] Ex his quaedam ſunt partes, quaedam materiae loco relicta. Deſiderat omnis natu-
ra materiam, ſicut ars omnis quae manu conſtat. Quid ſit hoc, apertius faciam. Pars eſt no-
ſtri, manus, oſſa, [f]nerui, oculi: materia, [g] ſuccus retenti cibi, iturus in partes. Rurſus quaſi
pars noſtri eſt ſanguis: qui tamen & materia eſt. Praeparat enim & alia: & nihilominus in
IIII. numero eſt eorum, quibus totum corpus efficitur. Sic mundi pars eſt aer, & quidem
neceſſaria. hic eſt enim qui caelum terramque connectit, qui ima ac ſumma ſic ſeparat, vt
tamen iungat. Separat, quia medius interuenit: iungit, quia vtrique per hoc inter ſe conſen-
ſus eſt. Supra ſe dat, quicquid accipit a terris. Rurſus vim ſiderum in terrena transfundit.
Quem ſic partem mundi voco, vt animalia & arbuſta. Nam genus animaliũ arbuſtorumque,
pars eſt vniuerſi: quia in conſummationem totius aſſumptum: & quia non eſt ſine hoc vni-
uerſum. Vnum autem animal, & vna arbor quaſi pars eſt: quia quamuis perierit, tamen id ex
quo perit, totum eſt. Aer autem, vt dicebam, & caelo & terris cohaeret. Vtrique innatus eſt.
Habet autem vnitatem,[h] quicquid alicuius rei natiua pars eſt. Nihil enim naſcitur ſine vni-
V. tate. Terra & pars eſt mundi, & materia. Pars quare ſit, non puto te interrogaturũ,[i] aut
aeque interroges, quare caelũ pars ſit: quia ſcilicet nõ magis ſine hoc, quàm ſine illa vniuer-
ſum eſſe poteſt, quod cũ his vniuerſum eſt, ex quibus, id eſt tam ex illo, quàm ex iſta, alimen-
ta omnibus animalibus, omnibus ſatis, omnibus ſtellis diuidũtur. Hinc quicquid eſt virium
ſingulis, hinc ipſi mundo tam multa poſcenti ſubminiſtratur: hinc profertur quo ſuſtinean-
tur tot ſidera, tam exercitata, tam auida, per diem noctemque, vt in opere, ita & in paſtu. Et
omnium quidem rerum natura, quantum in nutrimentum ſui ſatis ſit, apprehendit. Mundus
autem, quantum in aeternum deſiderabat, inuaſit. Puſillum tibi exemplũ magnae rei ponã.
Oua tantum complectuntur humoris, quantum ad effectum animalis exituri ſatis eſt.
VI. Aer continuus terrae eſt, & ſic appoſitus, vt ſtatim ibi futurus ſit, vnde illa diſceſſit. Pars eſt
totius mundi: ſed idem tamen, quicquid terra in alimentum miſit, recipit: vt ſcilicet ma-
teria, non pars intelligi debeat. Ex hoc omnis inconſtantia tumultusque eſt. Hunc quidam
ex diſtantibus corpuſculis, vt puluerem ſtruunt, plurimumque a vero recedunt. Nunquam
enim contexti niſi per vnitatem corporis niſus eſt, cum partes conſentire ad intenſionem
debeant, & conferre vires. Aer autem, ſi in atomos diuiditur, ſparſus eſt. Teneri vero diſ-
iecta non poſſunt. Intenſionem aeris oſtendent tibi inflata, nec ad ictum cedentia. Oſten-
dent pondera, per magnum ſpatium ablata, geſtante vento. Oſtendent voces, quae remiſ-
ſae elataeque ſunt, prout aer ſe concitauit. Quid enim eſt vox, niſi intenſio aeris, vt audia-
tur, linguae formata percuſſu? Quid curſus & motus omnis, nonne intenti ſpiritus opera
ſunt?[k] Hic facit vim neruis, & velocitatem currentibus. Hic cum vehementer cõcitatus ipſe
ſe torſit, arboſta ſiluasque conuellit, & aedificia tota corripiens in altum, frangit. Hic mare
per ſe languidum & iacens incitat. Ad minora veniamus. Quis enim ſine intenſione ſpiri-
tus cantus eſt? cornua & tubae, & ea quae aliqua preſſura maiorem ſonitum reddunt, qoàm
qui ore reddi poteſt, nonne aeris intenſione partes ſuas explicant? Conſideremus quàm
ingentem vim per occultorum agant paruula admodum ſemina. & quorum exilitas in

commissura lapidum vix locum inueniat, in tantum conoalescunt, vt ingentia saxa distra-
hant, [l] & in momenta dissoluant: scopulos rupesque, radices minutissimae, ac tenuissimae.
Hoc quid est aliud, quàm intensio spiritus, sine qua nil validũ, [m] & contra quam nil validius
est? Esse autem vnitatem in aere, vel ex hoc intelligi potest, quòd corpora nostra inter se co-
haerent. Quid enim aliud est quod tenet ea, quàm spiritus? Quid est aliud quo animus noster
agitetur? Quis est illi motus, nisi intensio? Quae intensio, nisi ex vnitate? Quae vnitas, nisi
haec esset in aere? quid autem aliud producit fruges & segetem imbecillam, ac virentes eri-
git arbores, ac distendit in ramos, aut in alrum erigit, quàm spirirus inteosio & vnitas?
Quidam aera discerpunt, & in particulas diducunt, ita vt illi inane permisceant. Argumentũ VII.
autem existimant noo pleni corporis, sed multum vacui habentis, quòd auibus in illo tam
facilis motus, quòd maximis minimisque per illum trãscursus est. Sed falluntur. Nam aqua-
rum quoque similis facilitas est: nec de vnitate illarum dubiũ est, quae sic corpora accipiunt,
vt semper in contrarium acceptis refluant. Hanc nostri circumstantiam, Graeci autem περί-
στασιν appellant, quae in aere quoque sicut in aqua fit. Circumstãt enim omne corpus a quo
impellitur. Nihil autem opus erit inani admisto. Sed hoc alias. Nunc autem esse quan- VIII.
dam in rerum natura vehementiam, magni impetus, est colligendum. Nihil enim nisi inten-
sione vehementius est: & tamen mehercules per aliud nihil intendi poterit, nisi per semet-
ipsum fuerit intentum. Dicimus enim, eodem modo non posse quicquam ab alio moueri,
nisi aliquid fuerit mobile ex semetipso. Quis autem est, quod magis credatur ex semetipso
habere intensionem, quàm spiritus? Hunc intendi quis negabit, cum viderit iactari terram
cum montibus, tecta, murosque plures, & magnas cum populis vrbes, cum totis maria lit-
toribus? Ostendit intensionem spiritus, velocitas eius & diductio. Oculus statim per multa
millia aciem suam intendit: vox vna totas vrbes simul percutit: lumen non paulatim prore-
pit, sed semel vniuersis infunditur rebus. Aqua autem sine spiritu quemadmodum pos- IX.
set intendi? Nunquid dubitas, quin sparsio illa qoae ex fundamentis mediae arenae crescẽs
in summam altitudinem amphitheatri peruenit, cum intensione aquae fiat? Atqui nec tol-
leoo magis, nec vllum aliud tormentũ aquam poterit mittere aut agere, quàm spiritus. Huic
se commodat: hoc ioserto & cogente attollitur, & cootra naturam suam multa conatur, &
ascendit, nata defluere. Quid nauigia sarcina depressa, parum osteoduot, non aquam sibi re-
sistere quo minus mergantur, sed spiritum? Aqua enim cederet: nec posset pondera sustine-
re, nisi ipsa sustineretur. Discus ex loco superiore in piscinam missus, non descendit, sed resi-
lit. quemadmodum, nisi spiritu referente? Vox autem qua ratione per parietum munimen-
ta transmittitur, nisi quòd solido quoqoe aer inest, qui sonum extrinsecus missum & accipit
& remittit? scilicet spiritu non aperta tantum intendens, sed etiam abdita & inclusa. Quod
illi facere expeditum est, quia nusquam diuisus, sed per ipsa, quibus separari videtur, coit se-
cum. Interponas licet muros & mediam altitudinem montium. [n] per omnia ista prohibetur
nobis esse peruius, non sibi. id enim intercluditur tantum, per quod illum nos sequi possu-
mus. Ipse quidem transit per ipsum quod scinditur, [o] & media non circumfundit tantum, sed
vtrinque cingit. Permeat ab aethere lucidissimo aer, in terrã vsque diffusus: agilior qui- X.
dem, tenuiorque, & altior terris, nec minus aquis: ceterum aethere spissior grauiorque, fri-
gidus per se & obscurus. lumen illi calorque aliunde sunt: sed per omne spatium sui similis
non est: mutatur enim a proximis. Summa pars eius est siccissima calidissimaque, & ob hoc
etiam tenuissima, propter viciniam aeternotum ignium, & illos tot motus siderũ, assiduum-
que caeli circumactum. Illa pars ima & vicina terris, densa & caliginosa est: quia terrenas ex-
halationes receptat. Media pars temperatior, si summis imisque conferas, quantum ad sicci-
tatem tenuitatemque pertinet: ceterum vtraque parte frigidior. Nam superiora eius calorẽ
vicinotum siderum sentiunt: inferiora quoque tepent, primum terrarum halitu, qui multum
secum calidi affert, deinde quia radij solis replicantur, & quousque redire potuerunt, repli-
cato calore benignius fouent. Deinde etiam illo spiritu, qui omnibus animalibus, arbustisq;
ac satis calidus est. Nihil enim viueret sine calore. Adiice nonc ignes, non tantum manu fa-
ctos & certos, sed opertos terris: quorum aliqui eruperunt, innumerabiles in abscondito fla-
grant & obscuro semper. Etiamnum tot partes eius fertiles rerum, habent aliquid teporis:
quoniam sterile est frigidum, calor autẽ gignit. Media ergo pars aeris ab his submota in fri-
gore suo manet. Natura enim aeris gelida est. Quia cum sic diuisus sit, ima sui parte ma- XI.
xime varius & inconstans & mutabilis est. Circa terram plurimum agit, plurimum patitur,
exagitat & exagitatur: nec tamen eodem modo totus afficitur, sed aliter alibi: ac partibus in-
quietus est ac turbidus. [p] Causas autem illius mutationis & incõstantiae alias terra praebet,
cuius positiones huc aut illo versae, magna ad aeris temperiem momenta sunt: alias siderum

curſus. Ex quibus ſoli plurimum imputes. Illum ſequitur annus: ad illius flexũ hiemes aeſtateſque vertuntur. ¶ Lunae proximum ius eſt. Sed & caeterae quoque ſtellae non minus terrena quàm incumbentem ſpiritum terris afficiunt, & ortu ſuo occaſuve contrario, modo frigora, modo imbres, aliaſque terrarum iniurias turbidae mouent. Hoc neceſſarium fuit praeloqui, dicturo de tonitruo ac fulminibus & fulgurationibus. Nam quia in aere fiunt, natu-

XII. ram eius explicare oportebat: quo facilius appareret, quid facere aut pati poſſet. Tria ſunt ergo quae accidunt, fulgurationes, fulmina, & tonitrua: quae vna facta ſerius audiuntur. Fulguratio oſtendit ignem: fulminatio emittit. Illa (vt ita dicam) comminatio eſt, ' & conatio ſine ictu: iſta, iaculatio cum ictu. Quaedam ſunt ex his, de quibus inter omnes conuenit: quaedam, in quibus diuerſae ſententiae ſunt. ' Conuenit illis, omnia iſta in nubibus & e nubibus fieri: etiamnum conuenit, & fulgurationes & fulminationes, aut igneas eſſe, aut ignea ſpecie. Ad illa nunc tranſeamus, in quibus lis eſt. Quidam putant ignem eſſe in nubibus, quidam ad tempus fieri: nec prius eſſe, quàm mitti. Nec inter illos quidem quid proferat ignem, conuenit. Alius enim a lumine illum colligit. ' Quidam autem radios ſolis intercurrentis recurrentiſque, ſaepius in ſe relatos, ignem excitare dicit. Anaxagoras ait illum ex aethere deſtillari, & ex tanto ardore caeli multa decidere, quae nubes diu incluſa cuſtodiant. Ariſtoteles multo ante ignem colligi non putat, ſed eodem momento exilire, quo fiat. Cuius ſententia talis eſt. Duae mundi partes in imo iacent, terra & aqua: vtraque ex ſe reddit aliquid. Terrenus vapor ſiccus eſt, & fumo ſimilis, qui vẽtos, tonitrua & fulmina facit: aquarum halitus humidus eſt, & imbres & niues creat. Sed ſiccus ille terrarum vapor, vnde ventis origo eſt, quia coaceruatus eſt, cum coitu nubium vehementer impactarum a latere eliditur: ' deinde, vbi latius ferit nubes proximas, plaga & cum ſono incutitur: qualis in noſtris ignibus redditur, cum flamma vitio lignorum virentium crepat. ' Et vt ille ſpiritus habens aliquid humidi ſecum, cum eſt conglobatus, rumpitur flamma: eodem modo ſpiritus ille, quem paulo ante exprimi colliſis nubibus dixi, impactus aliis nec rumpi, nec exilire ſilentio poteſt. Diſſimilis autem crepitus fit, ob diſſimilem impactionem nubium. Quare aliae maiorem ſonitum habent, aliae minorem. Ceterum illa vis expreſſi ſpiritus ignis eſt, qui fulgurationis nomen habet, leui impetu accenſus & varius. Ante autem videmus fulgurationem, quàm ſonum audiamus: quia oculorum velocior eſt ſenſus, & multum aures antecedit.

XIII. Falſam autem eſſe opinionem eorum, qui ignem in nubibus ſeruãt, per multa colligi poteſt. Si de caelo cadit, quomodo non quotidie fit, cum tantundem illic ſemper ardeat? Deinde nullam rationem reddiderunt, quare ignis, quẽ natura ſurſum vocat, defluat. Alia enim conditio noſtrorum ignium eſt, ex quibus fauillae cadunt, quae ponderis ſecum aliquid habẽt. Ita non deſcendit ignis, ſed praecipitatur & deducitur. Huic ſimile nihil accidit in igne puriſſimo, in quo nihil eſt quod deprimatur: aut ſi vlla pars eius deciderit, in periculo totus eſt: quia totum poteſt excidere, quod poteſt carptim. Deinde illud quod quotidie leuitas cadere prohibet, ſi in abdito ſuo tenet graue, quomodo illic eſſe potuit, vnde caderet? Quid ergo? Non aliqui ignes in inferiora ferri ſolent, ſicut haec ipſa de quibus quaerimus fulmina? Fato enim non eunt, ſed feruntur. Aliqua illos potentia deprimit, quae non eſt in aethere. Nihil enim iniuria illic cogitur, nihil rumpitur, nihil praeter ſolitum euenit. Ordo rerum eſt, & expurgatus ignis in cuſtodia mundi, ſummas ſortitus oras, operas pulcherrime circumit: hinc diſcedere non poteſt, ſed ne ab externo quidem exprimi: quia in aethere nulli incerto

XIIII. corpori locus eſt. Certa enim & ordinata non pugnant. Vos, inquam, dicitis, cum cauſas ſtellarum tranſuolantium redditis, poſſe aliquas partes aeris ad ſe trahere ignem, ex aethere decidentem, & ex eo ſuperioribus locis ardore hic accendi. Sed plurimum intereſt, vtrum aliquis dicat ignem ex aethere decidere, quod natura non patitur: an dicat, ex ignea vi calorem in ea, quae ſubiecta ſunt, tranſilire, an hic accendi. Non enim illinc ignis cadit, quod non poteſt fieri, ſed hic naſcitur. Videmus certe apud nos late incendio peruagante, quaſdam inſulas, quae diu concaluerant, ex ſe concipere flammam. Itaque veriſimile eſt in aere ſummo, qui naturam rapiendi ignis habet, aliquid accendi calore aetheris ſuperpoſiti. Neceſſe eſt enim, vt & imus aether habeat aliquid aeri ſimile, & ſummus aer non ſit diſſimilis imo aetheri: quia non fit ſtatim ex diuerſo in aduerſum tranſitus. Paulatim iſta

XV. confinio vim ſuam miſcent ita, vt dubitare poſſis, an aer, an hic iam aether ſit. Quidam ex noſtris exiſtimant, aera, cum in ignem & aquam mutabilis ſit, non trahere aliunde cauſas flammarum nouas: ipſe enim ſe mouendo accendit, & quum denſos, compactoſque nubium ſinus diſſipat, neceſſario vaſtum in tam magnorum corporum diruptione reddit ſonum. Illa porro nubium difficulter cedentium pugna, aliquid confert ad concitandum ignem. Sic, quemadmodum ferro aliquid manus ad ſecandum confert: ſed

ſed ſecare, ferri eſt. Quid ergo inter fulgurationem & fulmen intereſt? dicam. Fulgura- XVI.
tio, eſt late ignis explicitus: Fulmen, eſt coactus ignis, & impetu iactus. Solemus duabus ma-
nibus inter ſe iunctis aquam concipere, & compreſſa vtrinque palma in modum ſyphonis
exprimere. Simile quiddam & illic fieri puta. Nubiũ inter ſe compreſſarum anguſtiae me-
dium ſpiritum emittunt, & hoc ipſo inflammant, & tormenti modo eliciuot. Nam baliſtae
quoque & ſcorpiones tela cum ſooo expellunt. Quidam exiſtimãt ipſum ſpiritum per XVII.
frigida atqoe humida euntem, ſonum reddere. Nam ne ferrum quidem ardens ſilentio tin-
gitur. Sed quemadmodum, ſi in aquam feruens maſſa deſcendit, cum multo murmure ex-
tinguitur: ita, vt Anaximenes ait, ſpiritus incidens nubibus tonitrua edit, & dũ luctatur, per
obſtantia & interciſa vadens, ipſa ignem fuga acceodit. Anaximander omnia ad ſpi- XVIII.
ritum tetulit. Tonitrua, inquit, ſunt oubis ictae ſonus. Quare inaequalia ſunt? Quia & ipſe
ictus inaequalis eſt. Quare & ſereno tonat? Quia tunc quoque per craſſum & ſiccum aera
ſpiritus proſilit. At quare aliquando noo fulgurat & tonat? quia tenuior & infirmior ſpiri-
tus, qui in flammam noo valuit, in ſonom valuit. Quid eſt ergo ipſa fulguratio? aeris diducẽ-
tis ſe, corruentiſque iactatio, languidum ignem, nec exiturum aperiens. Quid eſt fulmen? a-
crioris denſioriſque ſpiritus curſus. [y] Anaximandtus ait, omnia iſta ſic fieri, vt ex ae- XIX.
there aliqua vis in inferiora deſcendit. Ita ignis impactus nubibus frigidis ſooat. At cum il-
las interſcindit, fulget: & minor vis ignium, fulgurationes facit, maior fulmina. Dioge- XX.
nes Apolloniates ait, quaedam tonitrua igne, quaedã ſpiritu fieri. Illa ignis facit, [z] quae ipſe
aotecedit & nuntiat: illa ſpiritus, quae ſine ſplendote crepuerunt. Vtrunque ſine altero fieri,
& eſſe aliquando, concedo: ita tamen, vt non diſcreta illis poteſtas ſit, ſed vttumque ab vtro-
que effici poſſit. Quis enim oegabit ſpiritum magno imperu latum, cum efficit ſooum, effe-
cturum & ignem? Quis & boc noo concedet, aliquando ignem quoque tumpere poſſe nu-
bes, & non exilire, ſi plurimarum aceruo nubium, cum paucas perſcidiſſet, oppreſſus eſt? Er-
go & ignis ibit in ſpiritum, perdetque fulgorem & ſpeciem, dum ſecuta in terra incẽdit. Ad-
iice nũc, quòd neceſſe eſt, vt impetus fulminis & praemittat ſpiritus, & agat ante ſe, & a ter-
go trahat ventum, cum tam vaſto ictu aera inciderit. Itaque omnia, antequam feriantut, in-
tremiſcunt vibrata vento, quem ignis ante ſe preſſit. Dimiſſis nonc praeceptoribus in- XXI.
cipiamus per nos moueri, & a confeſſis tranſeamus ad dubia. Quid enim confeſſi eſt? Fulmẽ
ignem eſſe: aeque fulguratiooem: quae oihil aliud eſt, quàm flamma; futura fulmen, ſi plus
virium habuiſſet. Non natura iſta, ſed imperu diſtant. Eſſe illum ignem, calor oſtendit: qui ſi
non eſſet, oſtendit effectus. Magnorum enim ſaepe incendiotum cauſa fulmen fuit. Siluae
illo eremantut, & vrbium partes: etiã quae non percuſſa ſuot, tamen aduſta cernuntur: quae-
dam vero velut fuligine colorãtur. Quid, quòd omnibus fulguritis odor ſulphureus eſt? Er-
go & vtranque rem ignem eſſe cooſtat, vtranque rem inter ſe meando diſtare. Fulguratio eſt
fulmen, non in terras vſque perlatum. Et rurſus licet dicas, fulmen eſſe fulgurationem, vſque
in terras perductam. Non ad exercendum verba, baec diutius pertracto: ſed vt iſta cognata
eſſe, & eiuſdem ootae ac naturae, probem. Fulmen eſt quiddam plus, quàm fulguratio. Ver-
tamus iſtud. Fulguratio eſt paene fulmen. Quoniam conſtat eſſe vtranque tem ignem, XXII.
videamus quemadmodum apud nos fieri ſoleat ignis. Eadem enim ratione & ſupra fit. Doo-
bus modis: voo, ſi excitatur ſicut ex lapide percuſſo: altero, ſi attritu iouenitur, [y] ſicut cũ duo
ligna inter ſe diutius trita ſunt. Non omnis hoc tibi materia praeſtabit, ſed idonea eliciendis
ignibos: ſicut laurus, bederae, & alia in hunc vſum nota paſtoribus. Poteſt ergo fieri, vt nu-
bes qooque ignem eodem modo vel percuſſae reddant, vel attritae. Videamus quantis pro-
cellae viribus tuant, quanto vertantur impetu turbines. Id tormentum in quod obuium fit,
diſſipatur, & rapitur, & longe a loco ſuo proiicitur. Quid ergo mirum, ſi taota vis ignem ex-
curit, vel aliunde, vel ſibi? Vides enim quantum fetuorem ſenſura corpora ſunt, [a] horũ tranſ-
itu trita, exanimata. Nihil tamen tantum in his debet credi, ac in vi ſiderum, quorum ingẽs
& confeſſa potentia eſt. Sed fortaſſe nubes quoque in nubes incitatae, fremente ven- XXIII.
to, & leuiter vrgente, ignem euocabunt, qui exſplendeſcat, oec exiliat. Minore enim vi ad
fulgurandum opus eſt, quàm ad fulminandum. Superioribus collegimus, in quantum fer-
uorem quaedam attrita perducerentur. Cum autem aer mutabilis in ignem, maximis viri-
bus ſuis in ignem coouerſus, atteratut, credibile eſt & veriſimile, ignem caducum excuti, &
cito interiturum, quia non ex ſolida materia oritur, nec in qua poſſit conſiſtere. Tranſit ita-
que: tantumque habet morae, quantum itineris: & curſus ſine alimento coniectus eſt.
Qoomodo, inquis, cum dicas hanc ignis eſſe naturam, vt petat ſuperiora, fulmen tamen ter- XXIIII.
ram petit? [b] an falſum eſt, quod de igne dixiſti? Eſt enim illi aeque ſurſum iter, atque deor-
ſum. Vtrumque verum poteſt eſſe. Ignis enim natura in verticem ſurgit, & ſi nihil illum pro-

hibet, ascendit. [c] Sicut aqua natura defertur:si tamen aliqua vis accessit, quae illam in contrarium ageret, illo intenditur, vnde imbre deiecta est. Fulmen autem cadit eadem necessitate, qua excutitur. [d] In his ignibus accidit quod arboribus: quarũ cacumina si tenera sunt, ita deorsum trahi possunt, vt etiam terram attingant, sed cum permiseris, in locum suum exilient. Itaque non est, quòd cum spectes cuiusque rei habitum, qui illi nõ ex voluntate est. Si ignem permittis ire quo velit, caelũ, id est, leuissimi cuiusque sedem repetet: [e] vbi est aliquid,
XXV. quod eum ferat, & ab impetu suo auertat, id nõ natura, sed seruitus eius fit. Dicitis, inquis, nubes attritas edere ignem, cum sint humidae, immo vdae: quomodo ergo possint gi-
XXVI. gnere ignem, quem non magis verisimile est ex nube, quàm ex aqua generari? Ignis qui nascitur, primum in nubibus non est aqua, sed aer spissus, ad gignendam aquam praeparatus, nõdum in illam mutatus, sed iam pronus & vergens. Non est quòd eam existimes tũc colligi, sed effundi. Simul & fit, & cadit. Deinde si concessero humidam esse nubem, conceptis aquis plenam: nihil tamen prohibet, ignẽ ex humido quoque educi, immo ex ipso (quod magis mireris) humore. [f] Quidam negauerũt in ignem quicquam posse mutari, priusquam mutatum esset in aquam. Potest ergo nubes, salua, quam continet, aqua, ignem parte aliqua sui reddere: vt saepe alia pars ligni ardet, alia sudat. Nec hoc dico, non contraria inter se ista esse, & alterum altero perimi: sed vbi valentior ignis, quàm humor est, vincit. Rursus vbi copia humoris exuperat, tunc ignis sine effectu est. Itaque non ardent virentia. Refert ergo, quantum aquae sit. Exigua enim non resistit, nec ignem impedit. Quid ni? Maiorum nostrorum memoria, vt Posidonius tradit, cum insula in Aegaeo mari surgeret, spumabat interdiu mare, & fumus ex alto ferebatur. [f] Nam demum prodebat ignem, non continuum, sed ex interuallis emicantem, fulminum more, [g] quotiens ardor inferius iacens, superum pondus euicerat. Deinde saxa reuoluta, rupesque partim illaesae, [h] quas spiritus anteqnam verteretur, expulerat, partim exesae, & in leuitatem pumicis versae, nouissime cacumen exusti montis emicuit. Postea altitudini adiectum, & saxum illud in magnitudinem insulae creuit. Idem nostra memoria, Valerio Asiatico consule iterum accidit. Quorsus haec retuli? vt appareret, nec extinctum ignem mari superfuso, nec impetum eius, grauitate ingentis vndae prohibitum exire. Ducentorum passuum fuisse altitudinem Asclepiodotus Posidonij auditor tradidit, [i] per quam diruptis aquis ignis emersit. Quòd si immensa aquarum vis, subeuntium ex imo flammarum vim nõ potuit comprimere: quanto minus in aere extinguere ignem poterit, nubium tenuis humor & roscidus? Adeo tes ista non adfert vllam moram, quae contra causas ignium sit: quos non videmus emicare, nisi impendente caelo. Serenum sine fulmine est. Non habet istos metus dies purus, nec nox quidem, nisi obscura nubibus. Quid ergo? [k] Non aliquando etiam apparentibus stellis, & nocte tranquilla fulgurat? Sed scias licet nubes illic esse, vnde splendor effertur: quas videri a nobis terrarum tumor non finit. Adijce nunc, quod fieri potest, [l] vt nubes sudae & humiles attritu suo ignem reddant: qui in supe-
XXVII. riora expressus, [m] in parte sincera, puraque caeli visatur: sed fit in sordida. Tonitrua distinxere quidam ita, vt dicerent, vnum esse genus, cuius sit graue murmur, quale terrarũ motum antecedit, clauso vento & fremente. Hoc quomodo illis videatur fieri, dicam. [n] Cum spiritum intra se clausere nubes, in concauis partibus earum volutatus aer, similem agit mugitibus sonum, raucum & aequalem, & continuum. Itaque etiam vbi illa regio humida est, exitum claudit. Ideo huiusmodi tonitrua venturi praenuntia imbris sunt. Aliud genus est acre, quod crepitum magis dixerim, quàm sonum: qualem audire solemus, cum super caput alicuius dirupta vesica est. Talia eduntur tonitrua, cum globata dissoluitur nubes, & spiritũ, quo distenta fuerat, emittit. Hoc proprie fragor dicitur, subitus & vehemens: quo edito cõcidunt homines, & exanimantur, [o] quidam vero viui stupent, & in totum sibi excidunt, quos vocamus attonitos, quorum mentes sonus ille caelestis loco pepulit. Hic fieri illo quoque modo potest, vt inclusus aer caua nube & motu ipso extenuatus diffundatur. Deinde cum maiorem sibi locum quaerit, a quibus inuolutus est, sonum patitur. Quid autem? non quẽadmodum illisae manus inter se plausum edunt, sic illisarum inter se nubiũ sonus potest esse
XXVIII. magnus, quia magna concurrunt? Videmus, inquit, nubes impingi montibus, nec sonum fieri. Primum omnium non quocunque modo illisae sunt, sonant, sed si aptae sunt compositae ad sonum edendum. Auersae inter se manus collisae non plaudunt, sed palma cum palma collata plausum facit. Et plurimum interest, vtrum cauae concutiantur, an planae & extentae. Deinde non tantum nubes ire oportet, sed agi magna vi, & procellosa. Etiã mons non scindit nubem, sed dirigit, & primam quamque partem eius soluit. Ne vesica quidem, quocunque modo spiritum emisit, sonat. Si ferro diuisa est, sine vllo aurium sensu exit. Rumpi illam oportet, vt sonet, non secari. Idem de nubibus dico: nisi multo impetu dissiluere, nõ sonant.

sonant. Adiice nunc, quòd nubes in monte actae, non franguntur, sed circumfunduntur in
aliquas partes montis, arboris ramos, frutices, aspera saxa & eminentia. Et ita discutiuntur,
& si quem habent spiritum, multifariam emittunt: qui nisi vniuersus erumpit, nec crepat.
Hoc vt scias, ventus qui circa arborem funditur, sibilat, non tonat. Lato (vt ita dicam) ictu,
& totum globum semel dissipante opus est, vt sonitus erumpat: qualis auditur cũ tonat.
Praeter haec natura aptus est aer ad voces. Quid ni? cum vox nihil aliud sit, quàm ictus aer? XXIX.
Debent ergo nubes vtrinque dissecari, & cauae & inrentae. Vides enim quanto vocaliora
sunt vacua quàm plena, quanto intenta quàm remissa. [p] Ita tympana & cymbala sonãt: quia
illa [q] repugnantem ex vlteriore parte spiritum pulsant, [r] haec ad ipsum aerem acta, nisi con-
cauo non tinniunt. Quidam, inter quos Asclepiodotus est, iudicant sic, quorundam XXX.
quoque corporum concursu tonitrua & fulmina excuti posse. Aetna aliquando multo igne
abundauit. Ingẽtem vim arenae vrentis effudit. Inuolutus est dies puluere, populosque sub-
ita nox terruit. Illo tempore aiunt plurima fuisse tonitrua & fulmina: quae concursu arido-
rum corporum facta sunt, non nubium: quas verisimile est, in tanto feruore aeris nullas fuis-
se. Aliquando Cambyses ad Ammonem misit exercitum: quem arena Austro mota, & mo-
re niuis incidens, texit, deinde obruit. Tunc quoque verisimile est fuisse tonitrua fulmina-
que, attritu arenae sese affricantis. Non repugnat proposito nostro ista opinio. Diximus e-
nim, vtriusque naturae corpora efflare terras, & sicci aliquid & humidi in toto aere vagari.
Itaque si quid tale interuenit, nubem facit solidiorem crassioremque, quàm si tantum sim-
plici spiritu intexeretur. Illa frangi potest, & edere sonum: ista quae dixi, siue incendiis va-
porantibus aera repleuerunt, siue ventis terras verrentibus, necesse est nubem faciant ante-
quam sonum. Nubem autem tam arida quàm humida conferunt. Est autem nubes (vt di-
ximus) spissitudo aeris crassi. [s] Ceterum mira fulminis, si intueri velis, opera sunt, nec XXXI.
quicquam dubij relinquentia, quin diuina insit illis & subtilis potentia. Loculis integris ac
illaesis conflatur argentum. Manente vagina, gladius liquescit. Et inuiolato ligno, circa pila
ferrum omne distillat. Stat fracto dolio vinum, nec vltra triduum rigor ille durat. Illud ae-
que inter annotanda ponas [t] licet, quòd & hominum, & ceterorum animalium quae icta
sunt, caput spectat ad exitum fulminis: quòd omnium percussarum arborum [v] contra ful-
mina hastulae surgunt. Quid, quòd malorum serpentium, & aliorum animalium, quibus
mortifera vis inest, cum fulmine icta sunt, venenum omne consumitur? Vnde, inquit, scis?
In venenatis corporibus vermis non nascitur. Fulmine icta, intra paucos dies verminãt.
Quid, quòd futura portendunt: nec vnius tantum aut alterius rei signa dant, sed saepe to- XXXII.
tum fatorum sequentium ordinem nuntiant, & quidem decretis euidentibus, longeque
clarioribus, quàm si scriberentur. Hoc autem inter nos & Tuscos, quibus summa perse-
quendorum fulminum est scientia, interest. Nos putamus, quòd nubes collisae sunt, ideo
fulmina emitti. Ipsi existimant, nubes collidi; vt fulmina emittantur. Nam cum omnia
ad Deum referant, in ea sunt opinione, tanquam, non quia facta sunt, significent: sed
quia significatura sunt, fiant: eadem tamen ratione fiunt, siue illis significare propositum
est, siue consequens. Quomodo ergo significant, nisi a Deo mittantur? Quomodo aues
non in hoc motae, vt nobis occurrerent, dextrum auspicium, sinistrumve fecerunt. Et il-
las, inquit, Deus mouit. Nimis illum otiosum, & pusillae rei ministrum facis, si aliis so-
mnia, aliis exta disponit. Ista nihilominus diuina ope geruntur. Sed non a Deo pennae a-
uium reguntur, nec pecudum viscera sub ipsa securi formantur. Alia ratione fatorum se-
ries explicatur, indicia venturi vbique praemittens, ex quibus nobis quaedam familiaria,
quaedam ignota sunt. Quicquid fit, alicuius rei futurae signum est: fortuita, & sine ratio-
ne vaga, diuinationem non recipiunt. Cuius rei ordo est, etiam praedictio est. Cur ergo
aquilae hic honor datus est, vt magnarum rerum faceret auspicia: aut coruo, aut paucissi-
mis auibus: ceterarum sine praesagio vox est? Quia quaedam in artem nondum redacta
sunt. Quaedam vero ne redigi quidem possunt, ob nimium remotam conuersationem. Ce-
terum nullum animal est, [u] quod non motu & occursu suo praedicat aliquid. Non omnia
scilicet, sed quaedam notantur. Auspicium est obseruantis. Ad eum itaque pertinet, qui in
ea direxerit animum. Quinque stellarum potestatem Chal-
daeorum obseruatio excepit. Quid tu? [x] tot millia siderum iudicas otiosa lucere? Quid est
porro aliud, quod errorem incutiat peritis natalium, quàm quòd paucis nos sideribus assi-
gnant: cum omnia quae supra nos sunt, partem sibi nostri vindicent? Submissiora forsitan in
nos propius vim suam dirigunt, & ea quae frequentius mota, aliter nos, aliter cetera ani-
malia prospiciunt. Ceterum & illa quae aut immota sunt, aut propter velocitatem vniuer-
so mundo parem immotis similia, non extra ius dominiumque nostri sunt. Aliud aspice

N

† & diſtributis rem efficis,tractas. Non magis autem facile eſt,ſcire quid poſſint, quàm dubi-
XXXIII. tari debet,an poſſint. Nunc ad fulmina reuertamur:[x] quorum ars in tria diuiditur:quē-
admodum exploremus, quemadmodum interpretemur,quemadmodum exoremus. Prima
pars ad formulam ſpectat, ſecunda ad diuinationem, tertia ad propitiandos deos: quos bo-
na rogare oportet, mala deprecari. Rogare vt promiſſa firment:deprecari, vt remittant mi-
XXXIIII. nas. Summam eſſe vim fulminum iudicant:quia quicquid alia portendunt, interuen-
tus fulminis tollit. Quicquid ab hoc portenditur,fixum eſt, nec alterius oſtenti ſignificatio-
ne mutatur. Quicquid exta, quicquid aues minabuntur,ſecundo fulmine abolebitur.Qoic-
quid fulmine denuntiatum eſt, nec extis, nec aue contraria refellitur. In quo mihi falli vi-
deotur. Quare? Quia vero verius nihil eſt. Si aues futura cecinerunt, noo poteſt hoc auſpi-
cium fulmine irritum fieri. Aut ſi poteſt, non futura cecinere. Noo enim ounc auem com-
paro & fulmen, ſed duo veri ſigoa: quae ſi vnum ſignificant, paria ſunt. Itaque ſi fulminis
interuentus ſubmouet extorum vel augurum iudicia,male inſpecta exta,male obſeruata au-
guria ſunt. Non enim refert,vtrius rei maior potentiorve natura ſit,[y] ſed vtra vim attulit. ſi-
gnum, quantum ad hoc,par eſt. Si dicas, flammae vim maiorem eſſe,quàm fumi,non men-
tieris:[z] ſed ad indicandum ignem, idem valet flamma, quod fumus. Itaque[a] ſi hoc dicunt,
quoties exta aliud ſignificabunt, aliud fulmina, fulminum erit auctoritas maior, fortaſſe
conſentiam:ſed ſi hoc dicunt,quamuis altera ſigna verum praedixerint,fulminis ictus prio-
ra deleuit, & ad ſe fidem traxit, falſum eſt. Quare? quia nihil intereſt, quàm multa auſpicia
ſint. fatum vnum eſt: quod ſi beoe primo auſpicio intellectum eſt, ſecundo non interit:idē
eſt. Ita dico. non refert,idem an aliud ſit,per quod quaerimus:quoniam de quo quaerimus,
XXXV. idem eſt. Fatum fulmine mutari non poteſt.Quid ni? Nam fulmen ipſum fati pars eſt.
Quid ergo expiationes,procurationesque, quo pertinent,ſi immutabilia ſunt fata? Permit-
te mihi illam rigidam ſectam tueri eorum, qui excipiuot iſta, & nihil aliud eſſe exiſtimant,
quàm aegrae mentis ſolatia. Fata aliter ius ſuum peragunt,nec vlla commouentur prece,nō
miſericordia flectuotur, non gratia. Seruant curſum irreuocabilem, ex deſtinato fluunt.
Quemadmodum rapidorum aqua torrentium in ſe non recurrit, nec moratur quidem,quia
priorem ſuperueniens praecipitat: ſic ordinem rerum fati aeterna ſeries rotat, cuius baec
XXXVI. prima lex eſt, ſtare decreto. Quid enim intelligis fatum? Exiſtimo neceſſitatem rerum
omnium actionumque, quam nulla vis rumpat. Haoc ſi ſacrificiis, & capite niueae agnae
exorari iudicas: diuina non noſti. Sapientis quoque viri ſenteotiam negatis poſſe mutari.
Quanto magis Dei? cum ſapiens quid ſit optimum in praeſentia ſciat, illius diuinitati o-
mne praeſens ſit. Agere tamen nunc eorū volo cauſam, qui procuraoda exiſtimant fulmi-
na: & expiationes non dubitant prodeſſe, aliquando ad ſubmouenda pericula, aliquando
XXXVII. ad leuanda, aliquando ad differeoda. Quid ſit quod ſequitur, paulo poſt proſequar.
Interim hoc habent commune nobiſcum, quòd nos quoque exiſtimamus vota proficere,
ſalua vi ac poteſtate fatorum. quaedam enim a diis immortalibus ita ſuſpenſa relicta ſunt,
vt in booum vertant, ſi admoiae diis preces fuerint: ſi vota ſuſcepta. Ita non eſt hoc con-
tra fatum, ſed ipſum quoque in fato eſt. Aut futurum, inquit, eſt,aut non. Si futurum eſt,
etiam ſi non ſuſceperis vota, fiet.Si noo eſt futurum,etiam ſi ſuſceperis vota, non fiet. Falſa
eſt iſta interrogatio:quia illam mediam ioter iſta exceptionem praeteris.Futurum,inquam,
boc eſt, ſed ſi vota ſuſcepta fuerint. Hoc quoque oeceſſe,inquit,eſt,fato comprebenſum ſit,
XXXVIII. aut ſuſcipias vota, aut non. Puta me tibi manus dare, & fateri, hoc quoque fato eſſe
comprehenſum, vt vtique fiant vota. Ideo fient. Fatum eſt, vt hic diſertus ſit, ſed ſi litteras
didicerit: ab eodem fato continetur, vt litteras diſcat, ideo diſcet. Hic diues erit, ſed ſi na-
uigauerit. At in illo fati ordine, quo patrimonium illi grande promittitur, hoc quoque pro-
tinus fatum eſt, vt nauiget. Ideo nauigabit. Idem dico tibi de expiationibus. Effugiet peri-
cula, ſi expiauerit praedictas diuinitus minas. At hoc quoque in fato eſt,vt expiet: ideo ex-
piabit.Iſta nobis opponi ſolent,vt probetur nihil voluntati noſtrae relictum,& omne ius fa-
to traditum. Cum de iſta re agetur,dicam, quemadmodum,manente fato,aliquid ſit in ho-
minis arbitrio. Nunc vero id de quo agitur, explicaui, quomodo ſi fati certus eſt ordo, ex-
piationes procurationesque prodigiorum, pericula auertant: qoia cum fato non pugnant,
ſed ipſa in lege data ſunt.Quid ergo,inquis,aruſpex mihi prodeſt? Vtique enim expiare,etiā
non ſuadente illo, mihi neceſſe eſt. Hoc prodeſt,quòd fati miniſter eſt.Sic cū ſanitas videa-
tur eſſe de fato, debetur & medico: quia ad nos beneficiū fati per buius manus venit.
XXXIX. Genera fulminum tria eſſe ait Caecinna:Conſiliarium,Auctoritatis,& quod ſtatus dicitur.
Conſiliarium ante rem fit, ſed poſt cogitationem: cum aliquid in animo verſantibus, aut
ſuadetur fulminis ictu, aut diſſuadetur. Auctoritatis eſt, vbi poſt rem factam venit,
quam

quam futuram bono malo ve significat. Status est, vbi quietis nec agentibus quicquam, nec
cogitantibus quidem, fulmen interuenit. Hoc aut minatur, aut promittit, aut monet. Hoc
monitorium vocat: sed nescio quare non idem sit, quod consiliarium. Nam & qui monet,
consilium dat: sed habet aliquam distinctionem. Ideoque separatur a consiliario: quia illud
suadet dissuadetque, hoc solam impendentis periculi euitationem continet. Vt cum time-
mus ignem aut fraudem a proximis, aut insidias a seruis. Etiamnum tamen aliam distinctio-
nem vtriusque video. Consiliarium est, quod cogitanti factum est: monitorium, quod nihil
cogitanti. Habet autem vtraque res suam proprietatem. Suadetur deliberantibus, at vl-
tro monentur. Primo omnium non sunt fulminum genera, sed significationum. Nam XLI
fulminum genera sunt illa, quod terebrat, quod discutit, quod vrit. Quod terebrat, subti-
le est & flammeum, cui per angustissimum fuga est, ob sinceram & puram flammae tenui-
tatem: quod dissipat, conglobatum est, & habet admixtam vim spiritus coacti & procello-
si. Itaque illud fulmen per id foramen, quod ingressum est, redit & euadit. Huius late spar-
sa vis, rumpit icta, non perforat. Tertium illud genus, quod vrit, multum terreni habet, &
igneum magis est quàm flammeum. Itaque relinquit magnas ignium notas, quae percussis
inhaereant. Nullum quidem sine igni fulmen venit: sed hoc proprie igneum dicimus, quod
manifesta ardoris vestigia imprimit. Quod aut vrit, aut fuscat, tribus modis vrit: aut enim
afflat, & leui iniuria laedit, aut comburit, aut accendit. Omnia ista vrunt, sed genere & mo-
do differunt. Quodcunque combustum est, vtique & vstum est. At non omne quod vstum,
vtique & combustum est. Item quod accensum est. Potest enim illud ipso transitu ignis vs-
sisse. Quis nescit quaedam vri quidem, nec ardere? Nihil autem potest ardere, quod non v-
ratur. Vnum hoc adiiciam. Potest aliquid esse combustum, quod non sit accensum. Po-
test accensum esse, nec combustum. Nunc ad id transeo genus fulminis, quo icta fu- XLII
scantur. Hoc aut decolorat, aut colorat. Vtrique distinctionem suam reddam. Decolora-
tur, id cuius color vitiatur, non mutatur. Coloratur, id cuius alia fit quàm fuit facies: tan-
quam caerulea, vel nigra, vel pallida. Haec adhuc Etruscis & philosophis communia sunt.
In illo dissentiunt, quod fulmina dicunt a Ioue mitti, & tres illi manubias dant. Prima (vt
aiunt) monet, & placata est, & ipsius consilio Iouis mittitur. Secundam mittit quidem Iu-
piter, sed ex consilij sententia. Duodecim enim deos aduocat. Hoc fulmen boni aliquid
aliquando facit: sed tunc quoque non aliter, quàm vt noceat. Ne prodest quidem impu-
ne. Tertiam manubiam idem Iupiter mittit: sed adhibitis in consilium diis, quos superio-
res & inuolutos vocant. Quae vastat & includit, & mutat statum priuatum vtique & pu-
blicum, quem inuenit. Ignis enim nihil esse, quod fit, patitur. In his prima specie si in- XLIII
tueri velis, errat antiquitas. Quid enim tam imperitum est quàm credere fulmina e nubibus
Iouem mittere, columnas, arbores, statuas suas nonnunquam petere, vt, impunitis sacri-
legis, percussis ouibus, incensis aris, pecudes innoxias feriat, & ad suum concilium a Ioue
deos, quasi in ipso parum consilij sit, aduocari: illa laeta & placata esse fulmina, quae solus
excutiat: perniciosa, quibus mittendis maior numinum turba interfuit? Si quaeris a me,
quid sentiam, non existimo tam hebetes fuisse, vt crederent Iouem, aut non aequae volun-
tatis, [b] aut certe minus paratum esse. vtrum enim cum emisit ignes, quibus innoxia capita
percuteret, scelerata transiret, aut noluit iustius mittere, aut non successit? Quid ergo secu-
ti sunt, cum hoc dicerent? Ad coercendos animos imperitorum sapientissimi viri, iudica-
uerunt ineuitabilem metum, [c] vt supra nos aliquid timeremus. Vtile erat in tanta audacia
scelerum aliquid esse, aduersum quod nemo sibi satis potens videretur. Ad conterrendos
itaque eos, quibus innocentia nisi metu non placet, [d] posuere super caput vindicem, & qui-
dem armatum. Quare ergo id fulmen quod solus Iupiter mittit, placabile est: pernicio- XLIIII
sum id, de quo deliberauit, & quod aliis quoque diis auctoribus misit? Quia Iouem, id est, re-
gem, prodesse etiam solum oportet, nocere non, nisi cum pluribus visum est. Discant hoc ij,
quicunque magnam potentiam inter homines adepti sunt, sine consilio nec fulmen quidem
mitti: aduocent, considerent multorum sententias, placita temperent, & hoc sibi proponãt,
vbi aliquid percuti debet, ne Ioui quidem suum satis esse consilium. In hoc quoque XLIIIII
tam imperiti non fuere, vt Iouem existimarent tela mutare. poeticam ista licentiam decent.

Est aliud leuius fulmen; cui dextra Cyclopum,
Saeuitiae flammaeque minus, minus addidit irae.
Tela secunda vocant superi.

Illos vero altissimos viros error iste non tenuit, vt existimarent Iouem modo leuioribus ful-
minibus & lusoriis vti: sed voluerunt admonere eos, [e] quibus aduersus peccata hominũ ful-
minandum est, non eodem modo omnia esse percutienda: quaedam frãgi debere, quaedam

XLV. elidi & distringi, quaedam admoneri. [f]Ne hoc quidem crediderunt, Iouem, qualem in Capitolio & in ceteris aedibus colimus, mittere manu fulmina, sed eũdem quem nos Iouem intelligunt, custodem rectoremque vniuersi, animum ac spiritum, mundani huius operis dominum & artificem, cui nomen omne conuenit. Vis illum fatum vocare? non errabis. Hic est, ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum. Vis illum prouidentiam dicere? recte dices. Est enim, cuius consilio huic mundo prouidetur, vt inconcussus eat, & actus suos explicet. Vis illum naturam vocare? non peccabis. Est enim, ex quo nata sunt omnia, cuius spiritu viuimus. Vis illum vocare mundum? non falleris. Ipse enim est, totum quod vides, totus suis partibus inditus, & se sustinens vi sua. Idem Etruscis quoque visum est: &

XLVI. ideo fulmina a Ioue mitti dixerunt, quia sine illo nihil geritur. At quare Iupiter aut ferienda transit, aut innoxia ferit? In maiorem me quaestionem vocas: cui suus locus, suus dies dandus est. Interim hoc dico, fulmina non mitti a Ioue, sed sic omnia disposita, vt ea etiam quae ab illo non fiunt, tamen sine ratione non fiant: quae illius est. Vis eorum, illius permissio est. Nam & si Iupiter illa nunc non facit, fecit, vt fierent. Singulis non adest: sed

XLVII. signum, & vim, & causam dedit omnibus. Huic illorum diuisioni non accedo. Aiunt aut perpetua, aut finita esse fulmina, aut prorogatiua. Perpetua, quorum significatio in totam vitam pertinet, nec vnam rem id enuntiat, sed contextum rerum per omnem deinceps aetatem futurarum complectitur. Haec sunt fulmina, quae prima accepto patrimonio, & in nouo hominis aut vrbis statu fiunt. Finita ad diem vtique respondent. Prorogati-

XLVIII. ua sunt, quorum minae differri possunt, auerti tollique non possunt. Dicam quid sit, quare huic diuisioni non consentiam. Nam & quod perpetuum vocant fulmen, finitum est. Aeque enim talia ad diem respondent. Nec ideo finita non sunt, quia multum tempus significant. Et quod prorogatiuum videtur, finitum est. Nam illorum quoque confessione certum est, quousque impetretur dilatio. Priuata enim fulmina negant vltra decimum annum, publica vltra tricesimum posse differri. Hoc modo & ista finita sunt: quia vltra quod nõ prorogentur, inclusum est. Omnium ergo fulminum & omnis euentus dies stata est. Non potest enim vlla incerti esse comprehensio. Quae inspicienda sint in fulgure, passim & vage dicunt, cum possint sic diuidere, quemadmodum ab Attalo philosopho, qui se huic disciplinae dederat, diuisa sunt, vt inspiciatur vbi factum sit, quando, cui, in qua re, quale, quantum. Haec si digerere in partes suas voluero, quid postea faciam, nisi in immensum proce-

XLIX. dam? Nunc nomina fulminum, quae a Caecinna ponuntur,[g] perstringam: & quid de his sentiam, exponam. Ait esse postulatoria, quibus sacrificia intermissa, aut non rite facta repetuntur. Monitoria, quibus docetur, quid cauendum sit. Pestifera, quae mortem exiliumque portendunt. Fallacia, quae per speciem alicuius boni nocent. Dant consulatum, malo futurum gerentibus: & hereditatem, cuius compendium magno sit luendum incommodo. Deprecanea, quae speciem periculi sine periculo afferunt. Peremptalia, quibus tolluntur priorum fulminum minae. Attestata, quae prioribus consentiunt. Atterranea, quae in incluso fiunt. Obruta, quibus iam prius percussa nec procurata feriuntur. Regalia, quorum vi tangitur vel comitium, vel principalia vrbis liberae loca: quorum significatio regnum ciuitati minatur. Inferna, cum e terra exiliunt ignes. Hospitalia, quae sacrificiis ad nos Iouem arcessunt, & (vt verbo eorum molliori vtar) inuitant. Sed si irascente domino inuitant,[h] tunc venire cum magno inuitantium periculo affirmat. Auxiliaria, quae aduocata

L. dicuntur, sed aduocantium bono veniunt. Quanto simplicior diuisio est, qua vtebatur Attalus noster, egregius vir, qui Etruscorum disciplinam Graeca subtilitate miscuerat. Ex fulminibus quaedam sunt, quae significant id, quod ad nos pertinet: quaedam aut nihil significant, aut id cuius intellectus ad nos non peruenit. Ex his quae significant, quaedam sunt laeta, quaedam aduersa, quaedam nec aduersa nec laeta. Aduersorum hae species sunt. Aut ineuitabilia mala portendunt, aut euitabilia, aut quae minui possunt, aut quae prorogari. Laeta aut mansura significant, aut caduca. Mixta aut partem habent boni, partem mali: aut mala in bonum, aut bona in malum vertunt. Nec aduersa nec laeta sunt, quae aliquam nobis actionem significant, qua nec terreri nec laetari debemus: vt per-

LI. egrinationem, in qua nec metus, nec spei quicquam sit. Reuertar ad ea fulmina, quae significant quidem aliquid, sed quod ad nos non pertineat. tanquam, vtrum eodem anno idem futurum sit fulmen, quod factum est. Nihil significant fulmina, aut id cuius notitia nos effugit: vt illa quae in vastum mare sparguntur, aut in desertas solitudines: quorum si-

LII. gnificatio vel nulla est, vel perit. Pauca adhuc adiiciam ad enarrandam vim fulminis, quae non eodem modo omnem materiam vexat. Valentiora, quia resistunt, vehementius dissipat: cedentia nonnunquam sine iniuria transit. Cum lapide ferroque, & durissimis quibusque

quibusque confligit:quia viam necesse est per illa impetu quaerat.Itaque facit viam qua ef-
fugiat. teneris & rarioribus parcit, quanquam & flammis opportuna videantur:quia trans-
itu patente minus saeuit. Loculis itaque, vt dixi, integris, pecunia quae in his fuerat, con-
flata reperitur: quia ignis tenuissimus per occulta foramina transcurrit. Quicquid autem in
tigno solidum inuenit, vt contumax vincit. Non vno autem, vt dixi, modo saeuit: sed quid
quaeque vis fecerit, [i] ex ipso genere iniuriae intelligis,& fulmen opere cognoscis. Interdum
in eadem materia, multa diuersa, eiusdem vis fulminis facit: sicut in arbore, quod aridissi-
mum est, vrit: quod solidissimum & durissimum est, terebrat & frangit: summos cortices
dissipat, [k] interiores libros interioris arboris rumpit ac scindit, folia perstringit ac tundit:
vinum gelat, ferrum & aes fundit. Illud est mirum, quòd vinum fulmine gelatum, LIII.
cum ad priorem habitum redit, potum aut exanimat, aut dementes facit. [l] Quare id acci-
dat quaerenti mihi, illud occurrit. Inest fulmini vis pestifera.Ex hoc aliquem remanere spi-
ritum in eo humore quem coegit gelauitque, verisimile est. Nec enim alligari potuisset, ni-
si aliquod illi esset additum vinculum. Praeterea olei quoque, & omnis vnguenti, taeter
post fulmen odor est. Ex quo apparet,inesse quandam subtilissimo igni, & contra naturam
acto, pestilentem potentiam, qua non tantum icta cadunt, sed etiam afflata. Praeterea
quocunque decidit fulmen, ibi odorem sulphuris esse certum est: qui quia natura grauis
est, saepius haustus alienat. Sed ad hoc vacui reuertemur. Fortasse enim libebit ostendere,
quantum omnia ista [m] a philosophia artium parente fluxere. Illa primum & quaesiuit cau-
sas rerum, & obseruauit effectus: [n] & quod fulminis inspectione longe melius est, initiis re-
rum exitus contulit. Nunc ad opinionem Posidonij reuertar. [o] E terra terrenisque o- LIIII.
mnibus pars humida efflatur, pars sicca & fumida.Haec fulminibus alimentū est: illa imbri-
bus. Quicquid in aera sicci fumosique peruenit, id includi se nubibus non fert, sed rumpit
claudentia. Inde est sonus, quem nos tonitruum vocamus. In ipso quoque aere quicquid
attenuatur, simul siccatur & calet. Hoc quoque si inclusum est, aeque fugam quaerit, & cū
sono euadit. Et modo vniuersam eruptionem facit, eoque vehementius intonat:modo per
partes & minutatim. Ergo tonitrua hic spiritus exprimit, dum aut rumpit nubes, aut peruo-
lat. Volutatio autem spiritus, in nube conclusi, valentissimum est accendendi genus.
Tonitrua nihil aliud sunt, quàm sicci aeris sonitus,qui fieri,nisi dum aut terit, aut rumpitur, LV.
non potest. Et si colliduntur, inquit, nubes inter se, [p] fit is quem desideras ictus, sed non v-
niuersus. Neque enim tota totis concurrunt,sed partibus partes. Nec sonant mollia,nisi illi-
sa duris sint. Itaque non auditur fluctus, nisi impactus. Ignis, inquit, missus in aquam, so-
nat, dum extinguitur. Puta ita esse. pro me est. Non enim ignis tunc sonum efficit, sed spi-
ritus per extinguentia effugiens. Vt dem tibi, & fieri ignem in nube,& extingui,e spiritu na-
scitur & attritu. Quid ergo? inquit.non potest aliqua ex his transcurrentibus stellis incidere
in nubem, & extingui? Existimemus posse aliquando & hoc fieri. Nunc naturalem causam
quaerimus & assiduam, non raram & fortuitam. Puta me confiteri verum esse, quod dicis.
Aliquando post tonitrua emicare ignes, stellis transuersis & cadentibus similes.Non ob hoc
tonitrua facta sunt: sed cum hoc fieret,tonitrua facta sunt. Clidemus ait, fulgurationẽ spe-
ciem inanem esse, non ignem. [q] Sic enim per noctem splendorem motu remotum videri.
Dissimile est exemplum, illic enim splendor intra ipsam aquam apparet: [r] hic qui fit in aere,
erumpit & exilit. Heraclitus existimat fulgurationem esse velut apud nos incipientiū LVI.
ignium conatus, & primam flammam incertam, modo intereuntem, modo resurgentem.
[s] Haec antiqui fulgetra dicebant: tonitrua nos pluraliter dicimus. Antiqui aut tonitruum
dixerūt,aut tonum.Hoc apud Caecinnam inuenio,facundum virum,qui habuisset aliquod
in eloquentia nomen, nisi illum Ciceronis vmbra pressisset. [t] Etiamnum illo verbo vteban-
tur antiqui, correpto, quo nos producta vna syllaba vtimur. Dicimus enim vt splendere,
sic fulgere. At illis ad significandum hanc e nubibus subitae lucis eruptionem mos erat,
media syllaba correpta, vt dicerent fulgere. Quid ipse existimem, quaeris? Adhuc LVII.
enim alienis opinionibus accommodaui manum. Dicam: Fulgurat, cum repentinum la-
te lumen emicuit. Id euenit, [u] vbi in ignem extenuatus in nubibus aer vertitur, nec vires,
quibus longius prosiliat, inuenit. Non miraris puto, si aera aut motus extenuat, aut exte-
nuatio incendit. Sic liquescit excussa glans funda, & attritu aeris velut igne distillat. Ideo
aestate plurima fiunt fulmina, quia plurimum calidi est. Facilius autem attritu calidorum
ignis existit. Eodem modo fit fulgor, qui tantum splendet, & fulmen quod mittitur. Sed
illi leuior vis, alimentique est minus. Et, vt breuiter dicam quod sentio: Fulmen est fulgur
intentum. Ergo vbi calidi fumidique natura, emissa terris in nubes incidit, & diu in illa-
rum sinu volutata est, nouissime erumpit. Et quia vires non habet, splendor est. [x] At vbi

fulgura plus habuere materiae, & maiore impetu arſerunt, non apparent tantum, ſed deci-
LVIII. dunt. [y] Quidam vtique exiſtimant fulmen reuerti: quidam ſubſidere, vbi aliměta prae-
grauauerunt, & fulmen ictu languidiore delatum eſt. At quare fulmen ſubitum apparet, nec
continuatur aſſiduus ignis? Quia celerrimi motus eſt: ſimul & nubes rumpit, & aera incen-
dit. Deinde deſinit flamma, quieſcente motu. Non enim eſt aſſiduus ſpiritus curſus, vt ignis
poſſit extendi, ſed quoties fortius ipſa iactatione ſe accendit, fugiendi impetum capit. De-
inde cum euaſit, & pugna deſiit, ex eadem cauſa modo vſque ad terram profertur, modo
diſſoluitur, ſi minore vi depreſſus eſt. Quare oblique fertur? Quia ſpiritu conſtat. Spiritus
obliquus eſt, flexuoſusque. Et quia natura ignem ſurſum vocat, iniuria deorſum premit, in-
cipit obliquus eſſe. Interdum dum neutra vis alteri cedit, & ignis in ſuperiora nititur, & in
inferiora deprimitur. Quare frequenter cacumina montium feriuntur? Quia oppoſita ſunt
LIX. nubibus, & e caelo cadentibus, per haec tranſeundum eſt. Intelligo quid iam dudum
deſideres, quid efflagites. Malo, inquis, fulmina non timere, quàm noſſe. Itaque alios do-
ce, quemadmodum fiant. Ego mihi metum illorum excuti malo, quàm naturam indica-
ri. Sequar quo vocas. omnibus enim rebus, omnibusque ſermonibus aliquid ſalutare mi-
ſcendum eſt. Cum imus per occulta naturae, cum diuina tractamus, vindicandus eſt a ma-
lis ſuis animus, ac ſubinde firmandus: quod etiam eruditis, & hoc vnum agentibus, ne-
ceſſarium eſt: non vt effugiamus ictus rerum (vndique enim tela in nos iaciuntur) ſed vt
fortiter conſtanterque patiamur. Inuicti eſſe poſſumus, inconcuſſi non poſſumus: quan-
quam interim ſpes ſubit, inconcuſſos quoque eſſe nos poſſe. Quomodo, inquis? Conte-
mne mortē, & omnia quae ad mortem ducunt, contempta ſunt: ſiue illa bella ſint, ſiue nau-
fragia, ſeu morſus ferarum, ſeu ruinarum ſubito lapſu procidentium pondera. Nunquid
amplius facere poſſunt, quàm vt corpus ab anima reſoluant? Haec nulla diligentia euitat,
nulla felicitas domat, nulla potentia euincit. [z] Alia fortuito diſponuntur. Mors omnes ae-
que vocat. Iratis diis propitiisque moriendum eſt. Animus ex ipſa deſperatione ſumatur.
Ignauiſſima animalia, quae natura ad fugam genuit, vbi exitus non patet, tentant fugam
corpore imbelli. Nullus pernicior hoſtis eſt, quàm quem audacem anguſtiae faciunt: lon-
geque violentius ſemper ex neceſſitate, [a] quàm ex virtute corrigimur. Maiora, aut certe pa-
ria conatur animus magnus ac perditus. Cogitemus, nos, quantum ad mortem, proditos
eſſe: & ſumus. Ita eſt, Lucili. Omnes reſeruamur ad mortem. Totum hunc quem vides po-
pulum, quouſque cogitas eſſe? cito natura reuocabit & condet. Nec de re, ſed de die queri-
tur. Eodem citius tardiusve veniendum eſt. Quid ergo? Non tibi timidiſſimus omnium vi-
detur, & inſipientiſſimus, qui magno ambitu rogat moram mortis? Nonne contemneres
eum, qui inter perituros conſtitutus, beneficij loco peteret, vt vltimus ceruicem praeberet?
Idem facimus. Magno aeſtimamus, mori tardius. In omnes conſtitutum eſt capitale ſuppli-
cium, & quidem conſtitutione iuſtiſſima. Nam, quod maximum ſolet eſſe ſolatium extre-
ma paſſuris, omnium cauſa eadem eſt. Sequeremur traditi à iudice aut magiſtratu, & carni-
fici noſtro praeſtaremus obſequium. Quid intereſt, vtrum ad mortem iuſſi eamus, an vltro-
nei? O te dementem, & oblitum fragilitatis tuae, ſi tunc mortem times, cum tonat. Ita ne
ſalus tua in hoc vertitur? Viues, ſi fulmen effugeris? Petet te gladius, petet lapis, petet febris.
Non maximum ex periculis, ſed ſpecioſiſſimum fulmen eſt. Male ſcilicet erit actum tecum,
ſi ſenſum mortis tuae celeritas infinita praeuenerit, ſi mors tua procurabitur, [b] ſi tu tunc quo-
que cum expiras, non ſuperuacue, ſed alicuius magnae rei ſignum es. Male ſcilicet tecum a-
gitur, ſi cum fulmine conderis. [c] Sed paueſcis ad caeli fragorem, & ad inane nubilum tre-
pidas, & quoties aliquid effulſit, expiras. Quid ergo? Honeſtius iudicas deiectione animi
perire quàm fulmine? Eo itaque fortior aduerſus caeli minas ſurge: & cum mundus vndi-
que exarſerit, cogita te nihil habere [d] de tanta mole perdendum. Quòd ſi tibi parari credis
illam caeli confuſionem, illam tempeſtatum diſcordiam, ſi propter te ingeſtae illiſaeque nu-
bes ſtrepunt, ſi in tuum exitium tanta vis ignium excutitur: at tu ſolatij loco numera, tanti
eſſe mortem tuam. Sed non erit huic cogitationi locus. [f] Caſus iſte donat metum. [g] Eſt inter
cetera quoque hoc commodum eius, quòd expectationem tuam antecedit. Nemo vn-
quam fulmen timuit, niſi qui effugit.

M. ANTONII

M. ANTONII MVRETI AD LIBRVM SECVNDVM NATVRALIVM SENECAE quaestionum, Notae.

AD CAP. I.

D*isputaturus de fulguratione, tonitruo, fulmine, terrae motu, quaedam de vi & potestate aeris ei disputationi necessaria praemunit.*

1 Solidumne sit caelum,] *Vt significat Homerus, cum illum aheneum esse dicit.*

AD CAP. II.

A[b]LIQVID esse continuum, aliquid commissum.] *Ex hac Stoicorum disciplina sumpta sunt, quae disputantur a Pomponio in l. Rerum mixtura, D. de vsurp. & vsucapionibus.*

AD CAP. XXII.

S[c]ICVT cum duo ligna inter se diutius trita sunt.] *Lignorum attritu excitari ignem, multi graues scriptores prodiderũt. Thucydides:* ἤδη γὰρ ἐν ὄρεσιν ὕλη τριφθεῖσα ὑπ' ἀνέμων πρὸς αὐτήν, ἀπὸ ταὐτομάτου πῦρ καὶ φλόγα ἀνῆκε. *Lucretius:*

Emicat interdum flammai feruidus ardor,
Mutua dum inter se rami stirpesque teruntur.

Vitruuius: Interea quodam in loco ab tempestatibus & ventis densae crebritatibus arbores agitatae & inter se terentes ramos, ignem excitauerunt. *Inde apud veteres igniaria ex ligno: quae ex qua materia optime parẽtur, docet Plinius cap.* XL. *lib.* XVI. *Lucianus:* αὐτοὶ δὲ τὰ πυρεῖα συντρίψαντες, καὶ ἀνακαύσαντες, δεῖπνον ἐκ τῶν παρόντων ἐποιούμεθα.

AD CAP. XXV.

Q[d]VIDAM negauerunt] *Theophrastus quidem diserte scribit,* ἄνευ ὑγρότητος οὐδὲν εἶναι καυστόν. *Est enim humor, ignis alimentum.*

AD CAP. XXXI.

C[e]ETERVM mira fulminis] *Quaedam iis consimilia narrat & Plinius lib.* II. *cap.* LI. *Mihi hoc contigit, vt paucis mensibus antequã Hippolytus Cardinalis Ferrariensis, qui ita de me meritus est, vt perpetuo animae ipsius bene precari debeam, ex hac vita discederet, fulmen, in palatiũ ipsius decidens, ad mea vsque cubicula peruenerit. Ibi gladij qui ad lectum vnius e famulis meis pendebat, mucronem ipsum ita colliquefecit, vt in globulum converterit, vagina prorsus illaesa.*

AD CAP. XXXIII.

Q[f]VORVM ars in tria diuiditur:] *Mirum cur non & pro quarto addiderit artem fulminum eliciendorum, siue euocãdorum, de qua est apud Ouidium libro tertio fastorum; & apud Plinium cap.* LIIII. *lib.* II. *& alios. sed illam fortaßis, tanquam nimis periculosam, abiecerant. Possem multa notare ad ea quae sequuntur, de variis generibus fulminum. Sed me, vt verum fatear, ineptiarum piget.*

L. ANNAEI SENECAE NATVRALIVM QVAESTIONVM LIBER TERTIVS,

Qui est de aquis.

NON praeterit me Lucili virorum optime, quàm magnarum rerum fundamenta ponam senex, qui mundum circuire constitui, & causas secretaque eius eruere, atque aliis noscenda prodere. Quando tam multa consequar? tam sparsa colligam? tã occulta perspiciã? Premit a tergo senectus, & obiicit annos inter vana studia cõsumptos. tãto magis vrgeamus, [a] & damna aetatis male exactae labor sarciat. Nox ad diem accedat. [b] Occupationes recidãtur: patrimonij [c] lõge a domino iacẽtis cura soluatur: sibi totus animus vacet, & ad cõtẽplationẽ sui saltẽ in ipso fine respiciat. Faciet, ac sibi instabit, & quotidie PRAEFATIO.

breuitatem temporis metietur. Quicquid amissum est, id diligenti vsu praesentis vitae recolliget. Fidelissimus est ad honesta ex paenitentia transitus. Libet mihi exclamare illum poetae inclyti versum:

Tollimus ingentes animos, & maxima paruo
Tempore molimur. ----

Hoc dicerē, si puer iuuenisve molirer. Nullū enim nō tam magnis rebus tempus angustū est. Nūc vero ad rem seriam, grauē, immēsam, postmetidianis horis accessimus. Faciamus quod in itinere fieri solet. Qui tardius exierunt, velocitate pēsanr morā. Festinemus, & opus nescio an superabile, magnum certe, sine aetatis excusatione tractemus. Crescit animus, quoties coepti magnitudinem attendit & cogitat, quantum proposito, non quantum sibi supersit. Consumpsere se quidam, dum acta regum externorum componunt, quaeque passi inuicem, ausique sunt populi. Quanto satius est, sua mala extinguere, quàm aliena posteris tradere? Quanto potius deorum opera celebrare, quàm Philippi aut Alexandri latrocinia, ceterorumque, qui exitio gētium clari, non minores fuere pestes mortalium, quàm inundatio, qua planum omne perfusum est, quàm conflagratio, qua magna pars animantium exaruit? Quemadmodum Hannibal superauerit alpes, scribunt: quemadmodum confirmatum Hispaniae cladibus bellum Italiae inopinatus intulerit:[a] infractisque rebus etiam post Carthaginem pertinax, reges pererrauerit, contra Romanos ducem se promittens, etiam sine exercitu. Quemadmodum nō desierit senex omnibus angulis bellum quaerere. adeo sine patria esse pati poterat, sine hoste non poterat. Quāto satius, quid faciendum sit, quàm quid factum sit, quaerere, ac docere eos, qui sua permisere fortunae, nihil stabile ab illa datum esse: eius omnia fluere aura mobilius? nescit enim quiescere, gaudet laetis tristia substituere, & vtraque miscere. Itaque in secundis nemo confidat, in aduersis nemo deficiat. alternae sunt vices rerum. Quid exultas? Ista quibus veheris in summum, nescis vbi te relictura sint: habebunt suum, non tuum, finem. Quid iaces? ad imum delatus es: nunc est resurgendi locus. In melius aduersa, in deterius optata flectuntur. Ira concipienda est animo varietas, non priuatarum tantum domuum, quas leuis casus impellit, sed etiam publicarum. Regna ex infimo coorta supra imperantes iacuerunt. Vetera imperia in ipso flore cecidere. Iniri non potest numerus, quàm multa ab aliis fracta sint. nūc cummaxime ' Deus alia exaltat, alia submittit, nec molliter ponit, sed ex fastigio suo nullas habitura reliquias iactat. Magna ista, quia parui sumus, credimus. Multis rebus nō ex natura sua, sed ex humilitate nostra magnitudo est. Quid praecipuum in rebus humanis est? Nō classibus maria complesse, nec in rubri maris littore signa fixisse, nec deficiente terra ad iniurias aliorum errasse in oceano, ignota quaerētem: sed animo omne vidisse, & qua nulla est maior victoria, vitia domuisse. Innumerabiles sunt, qui vrbes, qui populos habuere in potestate: paucissimi, qui se. Quid est praecipuum? Erigere animum supra minas & promissa fortunae. Nihil dignū putare, quod speres. Quid enim habet dignum, quod concupiscas? qui a diuinorum contemplatione quoties ad humana tecideris, non aliter caligabis, quàm quorū oculi in densam vmbram ex claro sole rediere. Quid est praecipuum? Posse laeto animo aduersa tolerare: quicquid acciderit, sic ferre, quasi tibi volueris accidere. Debuisses enim velle, [e] si scisses omnia ex decreto Dei fieri. Flere, queri, ingemere, desciscere est. Quid est praecipuum? Animus contra calamitates fortis & contumax, luxuriae non aduersus tantum, sed & infestus: nec auidus periculi, nec fugax, qui sciat fortunam non expectare, sed facere: & aduersus vtranque intrepidus incōfususque prodire, nec illius tumultu, nec huius fulgore percussus. Quid est praecipuum? non admittere in animum mala consilia, puras ad caelum manus tollere: nullū petere bonū, quod vt ad te trāseat, aliquis dare debet, aliquis amittere: optare, quod sine aduersario optatur, bonā mentem: cetera magno aestimata mortalibus, etiā si quis domū casus attulerit, sic intueri, quasi exitura, qua venerint. Quid est praecipuū? Altos supra fortuita spiritus tollere: hominis meminisse, vt, siue felix eris, scias hoc non futurū diu: siue infelix, scias hoc te nō esse, si non putes. Quid est praecipuum? In primis labris animam habere. Haec res efficit non e iure Quiritium liberum, sed e iure naturae. Liber autem est, qui seruitutem effugit sui. Haec est assidua seruitus, & ineluctabilis, & per diem ac noctem aequaliter premens, sine intervallo, sine commeatu. Sibi seruire, grauissima seruitus est: quam discutere facile est, si desieris multa te poscere, si desieris tibi referre mercedem, si ante oculos & naturam tuam posueris & aetatem, licet prima sit, ac tibi ipse dixeris: Quid insanio? quid anhelo? quid sudo? quid terram verso? quid forum viso? Nec multo opus est, nec diu. Ad hoc proderit nobis inspicere rerum naturam. primo discedemus a sordidis, deinde animum ipsum, quo magno summoque opus est, seducemus a corpore. Deinde in occultis exercitata subtilitas, non erit in aperto deterior. Nihil autem

hil autem est apertius his salutaribus, quae contra nequitiam nostram furotemque discun-
tur, quae damnamus, nec ponimus. Quaeramus ergo de aquis, & inuestigemus, qua CAP. I.
ratione fiant. Siue, vt ait Ouidius,

Fons erat illimis nitidis argenteus vndis:

siue, vt ait Virgilius,

Vnde per ora nouem vasto cum murmure montis,
It mare praeruptum, & pelago premit arua sonanti:

siue vt apud te, Iunior carissime, inuenio:

[f] *Eleus Siculis de fontibus exilit amnis.*

si qua ratio aquas subministret: quomodo tot flumina ingentia per diem noctemque decur-
rant: quare alia hibernis aquis intumescant, alia in defectu ceterorum amnium crescant. Ni-
lum interim seponamus a turba, propriae naturae & singularis: illi diem suum dabimus, nũc
vulgares aquas prosequemur, tam frigidas quàm calentes. In quibus quaerẽdum erit: vtrum
calidae nascantur, an fiant. De ceteris quoque differemus, quas insignes aut sapor, aut aliqua
reddit vtilitas. Quaedam enim oculos, quaedam neruos iuuant, quaedam inueterata & de-
sperata a medicis vitia percurant. Quaedam medentur vlceribus, quaedam interiora fouent
potu, & pulmonis ac viscerum querelas leuant. Quaedam supprimũt sanguinem: tam varius
singulis vsus, quàm gustus est. [b] Aut stant omnes aquae, aut fluunt, aut colliguntur, aut II.
varias habent venas. Aliae sunt dulces, aliae variae: asperae quippe interueniunt, salsae, aut
medicatae: ex quibus sulphuratas dicimus, ferratas, aluminosas. Indicat vim sapor. Habent
praeterea multa discrimina. Primum tactus. frigidae calidaeque sunt. Deinde ponderis. le-
ues & graues sunt. Deinde coloris. purae sunt & turbidae, caeruleae, lucidae. Deinde salubri-
tatis. sunt enim salubres & vtiles, sunt mortiferae, sunt quae cogantur in lapidem. Quaedam
tenues, quaedã pingues: quaedam alũt, quaedam sine vlla bibẽtis ope transeunt, [g] quaedam
haustae foecunditatem afferunt. Vt stet aqua, aut fluat, loci positio efficit: in deuexo III.
fluit, in plano continetur & stagnat, & aliquando in aduersum spiritu impellitur: tunc cogi-
tur, non fluit. Colligitur ex imbribus: ex suo fonte natiua est. Nihil tamen prohibet, eodem
loco aquam colligi, & nasci: quod in Fucino videmus, [h] in quem montis circumiecti fluuij
deriuantur. Sed & magnae latentesque in ipso vndae sunt. itaque etiam cum hiberni deflu-
xere torrentes, faciem suam seruant. Primũ ergo quaeramus, quomodo ad continuan- IIII.
dos fluminum cursus terra sufficiat, vnde tantum aquarum exeat. Miramur, quòd accessio-
nem fluminum maria non sentiant. Aeque mirandum est, quòd detrimenta exeuntium ter-
ra non sentit. Quid est, quod illam sic impleuit, vt praebere tantum ex recondito possit, [i] ac
subinde suppleat? Quamcumque rationem reddiderimus de flumine, eadem erit riuorum ac
fontium. [k] Quidam iudicant, terram quicquid aquarum emisit, rursus accipere: & ob V.
hoc maria non crescere, quia quod influxit, non in suum vertunt, sed protinus reddunt. Oc-
culto enim itinere subit terras, & palam venit, secreto reuertitur, [k] colaturque in transitu ma-
re: quod per multiplices anfractus terrarũ verberatum, amaritudinem ponit, & prauitatem
saporis in tanta soli varietate exuit, & in sinceram aquam transit. Quidam existimant, VI.
quicquid ex imbribus terra concipit, in flumina rursus emitti. Et hoc argumenti loco po-
nunt, [l] quòd paucissima flumina sunt in his locis, in quibus rarus est imber. Ideo siccas esse
aiũt Aethiopiae solitudines, paucosque inueniri in interiore Africa fontes: quia feruida cae-
li natura sit, & paene semper aestiua. Squalidae itaque sine arbore, sine cultore arenae iacẽt,
raris imbribus sparsae, quos statim combibunt. At contra constat, Germaniam Galliamque,
& proxime ab his Italiam, abundare riuis & fluminibus: quia caelo humido vtuntur, & ne
aestas quidem imbribus caret. Aduersus haec multa dici posse vides. Primum ego tibi VII.
vinearum diligens fossor affirmo, nullam pluuiam esse tam magnam, quae terram vltra de-
cem pedes in altitudinem madefaciat. Omnis humor intra primam crustam cõsumitur, nec
in inferiora descendit. Quomodo ergo potest imber suggerere amnibus vires, qui summam
humum tingit? Pars maior eius per fluminũ alueos in mare aufertur. Exiguum est quod sor-
bet terra, nec id seruat. Aut enim arida est, & absumit quicquid in se fusum est: aut satiata, si
quid supra desiderium cecidit, excludit. Et ideo primis imbribus non augentur amnes: quia
totos in se sitiens terra trahit. Quid quòd quaedam flumina erumpũt saxis & montibus? His
quid conferent pluuiae, quae per nudas rupes deferuntur, nec habent terram cui insideant?
Adiice, quòd in siccissimis locis putei in altum acti, per ducenum aut tricenum pedum spa-
tia, inueniunt aquarum vberes venas, in ea altitudine, in quam aqua non penetret: vt scias
illic non caelestem esse, nec collecticium humorem, sed quod dici solet, viuam aquam. Illo
quoque argumento haec opinio refellitur, quòd quidam fontes in summo montis cacumi-

ne redũdant. Apparet ergo, illos sursum agi, [m] aut ibi concipi, cum omnis aqua pluuialis de-
VIII. currat. Quidam existimant, quemadmodum in exteriore parte terrarum vastae palu-
des iacent, magni & nauigabiles lacus, quemadmodum ingenti spatio terrae maria porrecta
sunt, infusa vallibus: sic interiora terrarum abundare aquis dulcibus, nec minus illas stagna-
re, quàm apud nos oceanum, & sinus eius: immo eo latius, quo plus terra in altum patet. Er-
go ex illa profunda copia isti amnes egeruntur: quos quid miraris si terra detractos non sen-
IX. tiat, cum adiectos maria non sentiant? Quibusdã haec placet causa. Aiunt habere ter-
ram intra se cauos recessus, & multum spiritus: qui necessario frigescit, vmbra graui pressus.
Deinde piger & immotus, in aquam, cum se desijt ferre, conuertitur. Quemadmodum supra
nos mutatio aeris vmbram facit, ita infra terras flumen aut riuum agit. Supra nos stare non
potest segnis diu & grauis. Aliquando enim sole tenuatur, aliquando ventis expanditur. Ita-
que interualla magna imbribus sunt. Sub terra vero quicquid est, quod illum in aquam con-
uertat, idem semper est, vmbra perpetua, frigus aeternum, inexercitata densitas: semper ergo
praebebit fonti aut flumini causas. Placet nobis terram esse mutabilem. Hoc quoque quic-
quid efflauit, quia non aere libero concipitur, crassescit, & protinus in humorem conuerti-
X. tur. Habes primam aquarum sub terra nascentium causam. Adijcias etiam licet, quòd
[s] fiant omnia ex omnibus. Ex aqua aer. Ex aere aqua. Ignis ex aere. Ex igne aer. Quare ergo
non terra fiat ex aqua, & ex terra aqua? quae si in alia mutabilis est, & in aquam: immo ma-
xime in hanc. Vtraque cognata res est, vtraque grauis, vtraque densa, vtraque in extremum
mundi compulsa. Ex aqua terra fit. Cur non aqua fiat e terra? At magña flumina sunt. [n] Cum
videris, quanta sunt: rursus ex quanto prodeant, aspice. Rursus miraris, cum labantur assidue,
quaedam vero concitata rapiantur, quae praesto sit illis semper aqua noua. Quid si mireris,
quòd cum venti totum aera impellant, non deficit spiritus, [o] sed per dies noctesque aequali-
ter fluit: nec vt flumina certo alueo fertur, sed per vastum caeli spatium lato impetu vadit?
Quid si vllam vndam superesse mireris, quae superueniat tot fluctibus fractis? Nihil deficit
quod in se redit. Omnium elementorum alterni recursus sunt. Quicquid alteri perit, in alte-
rum transit. Et natura partes suas velut in ponderibus constitutas examinat: ne portionum
aequitate turbata, mundus praeponderet. [t] Omnia in omnibus sunt. Non tantum aer in i-
gnem transit, sed nunquam sine igne est. Detrahe illi calorem: rigescet, stabit, durabitur.
Transit aer in humorem: sed nihilominus non sine humore. Et aera & aquam facit terra: sed
non magis vnquam sine aqua est, quàm sine aere. Et ideo facilior inuicem transitus est: quia
illis in quae transeundum est, iam mixta est. Habet ergo terra humorem: hunc exprimit. Ha-
bet aera: hunc vmbra hiberni frigoris densat, vt faciat humorem. Ipsa quoque mutabilis est
XI. in humorem. natura sua vtitur. Quid ergo, inquis, si perpetuae sunt causae, quibus flu-
mina oriuntur, ac fontes: quare aliquando siccantur, aliquando quibus non fuere locis, ex-
eunt? Saepe motu terrarum itinera turbantur, & ruina interscindit aquas, quae retentae no-
uos exitus quaerũt, & aliquo impetu faciũt, aut ipsius quassatione terrae aliunde alio trans-
feruntur. Apud nos euenire solet, vt amisso canali suo flumina primum refundantur: deinde
quia perdiderũt viam, faciant hoc, quod accidisse ait Theophrastus [7] in Coryco mõte, in quo
post terrarum tremorem noua vis fontiũ emersit. Sed & alios quoque casus interuenire qui-
dam opinãtur, qui aliter euocent aquas, aut a cursu suo deiiciãt atque auertant. Fuit aliquan-
do aquarũ inops [8] Haemus: sed cum Gallorum gens a Cassandro obsessa in illum se contu-
lisset, & siluas caecidisset, ingens aquarum copia apparuit, quas videlicet in alimentum suum
nemora ducebant: quibus excisis, humor, qui desijt in arbusta consumi, superfusus est. Idem
ait & circa Magnesiam accidisse. Sed pace Theophrasti dixisse liceat, non hoc est simile ve-
ri: quia fere aquosissima sunt, quaecũque vmbrosissima. Quod non eueniret, si aquas arbusta
siccarent; quibus alimentum ex proximo est: fluminum vero vis ex intimo manat, vltraque
excipitur, quàm radicibus euagari licet. Deinde succisae arbores plus humoris desiderant.
Non enim tantum id quo viuant, sed & id quo crescant trahunt. [9] Idem ait, circa Arcadiam,
quae vrbs in Creta insula fuit, fontes & lacus substitisse, quia desierit coli terra, [p] diruta vrbe:
postea vero quàm cultores receperit, aquas quoque recepisse. Causam siccitatis hanc ponit,
quòd obduruerit constricta tellus, nec potuerit imbres inagitata transmittere. Quomodo
ergo plurimos videmus in locis desertissimis fontes? Plura denique inuenimus, quae propter
aquas coli coeperunt, quàm quae aquas habere coeperint, quia colebantur. Non enim esse
pluuialem hãc aquam, quae vastissima flumina a fonte statim [q], magnis apta nauigijs defert,
ex hoc intelligas licet, quòd per hiemem aestatemque par est a capite deiectus. Pluuia po-
test facere torrentem: non potest autem aequali inter ripas suas tenore labentem. Aquam
XII. non faciunt imbres, sed excitant. Paulo repetamus hoc altius, si videtur: & scies te non
habere

habere quod quaeris,[r] cum ad veram amnium originem accesseris. Flumen nempe facit copia cursusque aquae perennis. Ergo si quaeris à me, quomodo aqua fiat: interrogabo inuicem: quomodo aer fiat, aut terra. Si rerum elementa sunt quattuor, non potes interrogare vnde aqua sit: quarta enim pars est naturae. Quid ergo miraris, si rerum naturae portio tam magna, potest aliud ex se semper effuodere? Quomodo aer,[s] & ipse quarta pars mundi, ventos & auras mouet, sic aqua riuos & flumina. Si ventus est fluens aer, & flumen est fluens aqua. Satis multum illi virium dedi, cum dixi, elementum est. Intelligis, quod ab illo proficiscitur, non posse deficere.

XIII [10] Aqua, ait Thales, valentissimum elementum est. hoc fuisse primum putat, ex hoc surrexisse omnia. Sed & nos quoque aut in eadem sententia, aut in vltima sumus. Dicimus enim ignem esse, qui occupet muudum, & io se cuncta conuertat. Hnoc euanidum considere, & nihil relinqui aliud in rerum natura, igne restincto, quàm humorem: in boc futuri mundi spem latere. Ita ignis exitus mundi est, humor primordium: Miraris amnes ex hoc posse exire semper, qui pro omnibus fuit, & ex quo sunt omnia? Hic humor in diductione rerum ad quartas redactus est, sic positus, vt fluminibus edendis sufficere, vt riuis, vt fontibus posset. Quae sequitur, Thaletis inepta sententia est. Ait enim, terrarum orbem aqua sustineri, & vehi more nauigij, mobilitateque eius fluctuare, tunc cum dicitur tremere. Noo est ergo mirum, si abundat humor ad flumina fundenda, cum mundus in humore sit totus. Haoc veterem & rudem sententiam explode. Nec est quod credas, in hunc orbem aquam subire per rimas & facere sentinam.

XIIII Aegyptij quattuor elementa fecere: deinde ex singulis bina, marem & feminam. Aerem marem iudicant, qua ventus est: feminam, qua nebulosus & iners. Aquam virilem vocant mare: muliebrem omnem aliam. Ignem vocant masculum, qua ardet flamma: & feminam, qua lucet innoxius tactu. Terram fortiorem marem vocant, saxa cautesque: feminae nomen assignant buic tractabili ad culturam.

XV Mare vode est? ab initio scilicet ita constitutum: habet suas venas, quibus impellitur atque aestuat. Quomodo maris, sic & huius aquae mitioris vasta in occulto via est, quam nullius fluminis cursus exhauriet. Abdita est virium eius ratio. Tantum ex illa, quantum superfluum fit, emittitur. Quaedam ex istis sunt, quibus asseotire possumus: [11] sed hoc amplius censeo. Placet natura regi terram: & quidem ad nostrorum corporum exemplar, in quibus & venae sunt & arteriae: illae sanguinis, hae spiritus receptacula. In terra quoque sunt alia itinera, per quae aqua: & alia, per quae spiritus currit: adeoque illam ad similitudioem humanorum corporum natura formauit, vt maiores quoque nostri aquarum appellauerint venas. Sed quemadmodum in nobis non tantum sanguis est, sed multa genera humoris, alia necessarij, alia corrupti, ac paulo pinguioris, in capite cerebrum, in ossibus medullae, muci, saliuaeque & lacrimae, & quiddam additum articulis, per quod citius flectantur ex lubrico: sic in terra quoque sunt humoris geoera complura. Quaedam quae matura dureotur. Hinc est omnis metallorum humus, ex quibus aurum argentumque petit auaritia: & quae in lapidem ex liquore vertuntur. Io quibusdam vero locis terra humorque liquescit: sicut bitumen, & cetera huic similia. Haec est causa aquarum, secundum legem naturae, voluntatemque nascentium. Ceterum vt in nostris corporibus, ita in illa saepe humores vitia concipiunt, aut ictus, aut quassatio aliqua, aut loci senium, aut frigus, aut aestus corrupere naturam, & sulphuratio contraxit humorem, qui modo diuturnus est, modo breuis. Ergo vt in corporibus nostris sanguis, cum percussa vena est, tamdiu manat, donec omnis effluxit, aut dooec venae scissura subsedit, atque interclusit, vel aliqua alia causa retro dedit sanguinem: ita in terra, solutis ac patefactis venis, riuus aut flumeo effunditur. Interest, quàntum aperta sit vena, quomodo consumpta aqua sit: modo exiccatur aliquo impedimēto, modo coit velut io cicatricem, comprimitque quam fecerat viam: modo illa vis terrae, quam esse mutabilem diximus, desioit posse alimenta in humorem conuertere: aliquando autem exhausta replenturi [t] modo per se viribus recollectis, modo aliunde translatis. Saepe enim inania apposita plenis humorem in se attrahunt. Saepe terra si facilis est, ipsa in tabem resoluitur, & bumescit. Idem eueoit sub terra, quod in nubibus, [u] vt spissetur, [x] grauioremque, quàm vt manere in natura sua possit, gignat humorem. Saepe colligitur roris modo, tenuis & dispersus liquor, qui ex multis in vnum locis confluit. Sudorem aquileges vocant: quia guttae quaedam vel pressura loci eliduntur, vel aestu euocantur. Hic tenuis vnda vix fonti sufficit. [y] At ex magnis causis, magnisque conceptibus excidunt amnes: nonnunquam leuiter, si aqua pondere suo se tantum detulit: noonunquam vehementer & cum sooo suo, si illam spiritus intermixtus eiecit.

XVI [12] Sed quare quidam fontes senis horis pleni, senisque sicci sunt? Superuacuum est nominare singula flumina, quae certis mensibus magna, certis angusta sunt: & occasionem singulis quae-

rere, cum poſſim eandem cauſam omnibus reddere. Quemadmodum quartana ad horam
venit, quemadmodum podagra ad tempus reſpondet, quemadmodum purgatio, ſi nihil ob-
ſtitit, ſtatum diem ſeruat, quemadmodum praeſto eſt ad menſem ſuum partus: ſic aquae
interualla habent, quibus ſe retrahant, & quibus reddant. Quaedam autem interualla mi-
nora ſunt, & ideo notabilia: quaedam maiora, nec minus certa. Et quid hoc mirum eſt,
cum videas ordinem rerum, & naturam per conſtituta procedere? Hiems nunquam aber-
rauit. Aeſtas ſuo tempore incaluit. Autumni, veriſque, vt ſolet, facta mutatio eſt. Tam ſolſti-
tium, quàm aequinoctium ſuos dies retulit. Sunt & ſub terra minus nota nobis iura natu-
rae, ſed non minus certa. Crede infra, quicquid vides ſupra. Sunt & illic ſpecus vaſti, ſunt
ingentes receſſus, & ſpatia ſuſpenſis hinc & inde montibus laxa. Sunt abrupti in infinitum
hiatus, qui ſaepe illapſas vrbes receperunt, & ingentem in alto ruinam condiderunt. Haec
ſpiritu plena ſunt. Nihil enim vſquam inane eſt, & ſtagna obſeſſa tenebris & locis amplis.
Animalia quoque illis innaſcuntur, ſed tarda & informia: vt in aere caeco pinguique con-
cepta, & [13] in aquis torpentibus ſitu: pleraque ex his caeca, [a] vt talpae & [14] ſubterranei mu-
res, quibus deeſt lumen, quia ſuperuacuum eſt. [15] Inde, vt Theophraſtus affirmat, piſces qui-
XVII. buſdam locis eruuntur. Multa hoc loco tibi in mentem venient, quae vrbane in re in-
credibili fabulam dicas. Non cum retibus aliquem, aut cum hamis, ſed cum dolabra ire
piſcatum. [a] Expecto vt aliquis [16] in mari venetur. Quid eſt autem, quare piſces in terram non
tranſeant, ſi nos maria tranſimus? Permutabimus ſedes. Hoc miraris accidere. Quanto in-
credibiliora ſunt opera luxuriae, quoties naturam aut mentitur, aut vincit. In cubili natant
piſces: & ſub ipſa menſa capitur, qui ſtatim transferatur in menſam. Parum videtur recens
mullus, niſi qui in conuiuae manu moritur. [17] Vitreis ollis incluſi offeruntur, & obſeruatur
morientium color, quem in multas mutationes mors luctante ſpiritu vertit. alios necant in
garo, & condiunt viuos. [b] Et ſunt qui ſabulas putant, piſcem viuere poſſe ſub terra, & ef-
fodi, non capi. Quàm incredibile illis videretur, ſi audirent natare in garo piſcem: [c] & coe-
nae cauſa occiſum eſſe ſuper coenam, cum multum in deliciis fuit; & oculos, antequam gu-
XVIII. lam, pauit. Permitte mihi, quaeſtione ſepoſita, caſtigare luxuriam. Nihil eſt, inquis,
mullo expirante formoſius. Ipſa colluctatione animam agenti rubor primum, deinde pal-
lor ſuffunditur: quàm aeque variatur, [d] & incerta facies inter vitam & mortem coloris eſt.
[e] Vacatio longa ſomniculoſae inertiſque luxuriae. Quàm ſero experrecta, circumſcribi ſe
& fraudari tanto bono ſenſit. Hoc adhuc tanto ſpectaculo & tam pulcro piſcatores frue-
bantur, [f] qui coctum piſcem & exanimem in ipſo ferculo etiam experirentur. Mirabamur
tantum in illis eſſe faſtidium, vt nollent attingere, niſi eodem die captum piſcem: qui, vt
aiunt, ſaperet ipſum mare. Ideo curſu aduehebatur, ideo gerulis cum anhelitu & clamore
properantibus dabatur via. Quò peruenere deliciae? [18] Is pro putrido iam piſcis affertur,
[g] qui non hodie eductus, hodie occiſus eſt. Neſcio de re magna tibi credere. Ipſe oportet
mihi credam: huc afferatur, coram me animam agat. Ad hunc faſtum peruenit venter de-
licatorum, vt guſtare non poſſint piſcem, niſi quem in ipſo conuiuio natantem, palpitan-
temque viderint. Quãtum ad ſollertiam luxuriae pereuntis accedit, tanto ſubtilius quotidie
& elegãtius aliquid excogitat furor, vſitata cõtemnẽs. Illa audiebamus, Nihil eſſe melius ſa-
xatili mullo. At nunc audimus: Nihil eſt moriẽte formoſius. Da mihi in manus vas vitreũ,
in quo exultet, in quo trepidet. [h] Vbi multũ diuque laudatus eſt, ex illo perlucido viuario
extrahitur: tunc vt quiſque peritior eſt, monſtrat: Vide quomodo exarſerit rubor, omni
acrior minio. Vide quas per latera venas agat. Ecce ſanguineum putes ventrem: quàm luci-
dum quiddam, caeruleumque ſub ipſo tempore effulſit. Iam porrigitur & pallet, & in vnum
colorem componitur. Ex his nemo morienti amico aſſidet, nemo videre mortem patris ſui
ſuſtinet, quam optauit. Quotus quiſque funus domeſticum ad rogum proſequitur? Fra-
trum, propinquorumque extrema hora deſeritur: ad mortem mulli concurritur. Nihil enim
eſt illo formoſius. Non tempero mihi, quin vtar interdum temerariis verbis, & proprieta-
tis modum excedam. Non ſunt ad popinam, dentibus, & ventre, & ore contenti: oculis
XIX. quoque guloſi ſunt. Sed vt ad propoſitum reuertar, accipe argumentum: magnam
vim aquarum in ſubterraneis occultis, [i] fertilem foedorum ſitu piſcium. Si quando erupit,
affert ſecum immenſam animalium turbam, horridam aſpici, & turpem, ac noxiam guſtu.
Certe cum [19] [k] in Caria circa Lorymam vrbem talis exſiliſſet vnda, periere quicunque illos
ederant piſces, quos ignoto ante eum diem caelo nouus amnis oſtendit. Nec id mirum. E-
rant enim pinguia & differta, vt ex longo otio, corpora: ceterum inexercitata, & in tene-
bris ſaginata, & lucis expertia, ex qua ſalubritas ducitur. Naſci autem poſſe piſces in illo
terrarum profundo, ſit indicium, quòd anguillae quoque latebroſis locis naſcuntur: grauis
& ipſe

& ipse cibus ob ignauiam, vtique si altitudo illas luti penitus abscôdit. Habet ergo non tan-
tum venas aquarũ terra, ex quibus corriuatis flumina effici possunt, sed & amnes magnitu-
dinis vastae: quorũ aliis semper in occulto cursus est, donec aliquo sinu deuorẽtur: alij sub a-
liquo lacu emergũt. Iam quis ignorat, esse quaedã stagna sine fundo? Quorsus hoc pertinet?
Vt appareat, hâc magnis amnibus aeternam esse materiã, cuius non tangũtur extrema, sicut
fluminũ & fontium. At quare aquis sapor varius? propter quatuor causas. Ex solo pri- XX.
ma est, per quod ferũtur. Secunda, ex eadem simulatione eius nascitur. Tertia ex spiritu, qui
in aquam transfiguratus est. Quarta ex vitio, quod saepe cõcipiunt corruptae per iniuriam.
Hae causae saporem dant aquis varium. Hae medicaminum potentiam. Hae grauem spiri-
tum, odoremque pestiferum. Hae leuitatem grauitatemque, aut calorem, aut nimium rigo-
rem. Interest, vtrum per loca sulphure, an nitro, an bitumine plena transeant. Hac ratione
corruptae, cum vitae periculo bibuntur. Hinc illud, de quo Ouidius ait:

Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit
Viscera, quod tactis inducit marmora rebus.

Medicamẽtum est, & eius naturae habet limum, vt corpora & adglutinet & induret. Quem-
admodum Puteolanus puluis, si aqnam attigit, saxnm est: sic e cõtrario, haec aqua si solidum
tetigit, haeret & affigitur. Inde est, quòd res abiectae in eundem lacum, lapideae subinde ex-
trahuntur. Quod in Italia quibusdam locis euenit, siue virgam, siue frondem demerseris, la-
pidem post paucos dies extrahis. Circũfunditur enim corpori limus, alliniturque paulatim.
Hoc minus videbitur tibi mirũ, si notaueris, Albulam, & fere sulphuratam aquam, circa ca-
nales suos tubosque durari. Aliquam harum habent causam illi lacus, quos quisquis fau-
cibus hausit, vt idem poeta ait,

Aut furit, aut patitur mirum grauitate soporem.

Similem habet vim mero, sed vehementiorem. Nam quemadmodum ebrietas, donec exsic-
cetur, dementia est, & nimia grauitate defertur in somnum: sic aquae huius sulphurea vis ha-
bet quoddam acrius ex aere noxio virus, quod mentem aut furore mouet, aut sopore oppri-
mit.[10] Hoc habet mali & Lyncestius amnis:

Quem quicumque parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quàm si mera vina bibisset.

[11] In quosdam specus qui despexere, moriuntur: tam velox malum est, vt transuolantes aues XXI.
deiiciat: talis est aer, talis locus, ex quo lethalis aqua distillat. Quòd si remissior fuerit aeris
& loci pestis, ipsa quoque temperatior noxa, nihil amplius quàm tentat neruos, velut ebrié-
tate torpentes. Nec miror, si locus atque aer aquas inficit, similesque regionibus reddit,
per quas, & ex quibus veniunt. Pabuli sapor apparet in lacte, & vini vis exiſtit etiam in ace-
to. nulla res est, quae non eius a quo nascitur, notas reddat. Aliud est etiam aquarum XXII.
genus, quod nobis placet coepisse cum mundo. Siue ille aeternus est, hoc quoque fuit
semper: siue initium aliquod est illi, hoc quoque cum toto dispositum est. Quid sit hoc,
quaeris? Oceanus, & quodcunque ex illo mare terras interluit. Iudicant quidam flumina
quoque, quorum inenarrabilis natura est, cum ipso mundo traxisse principia, vt Istrum, vt
Nilum, vastos amnes, magisque insignes, quàm vt diei possit, eandem illis originem, quam
ceteris esse. Haec est ergo aquarum diuisio, vt quibusdam videtur. Post illam caele- XXIII.
stes, quas ex superioribus nubila eiiciunt. Ex terrenis aliae sunt, vt ita dicam, supernatan-
tes, quae in summa humo repunt: aliae abditae, quarum reddita est ratio. Quare XXIIII.
quaedam aquae caleant, quaedam etiam feruent in tantum, vt non possint esse vsui, nisi
aut in aperto euanuere, aut mixtura frigidae intepuere, plures causae redduntur. Empedo-
cles existimat ignibus, quos multis locis terra opertos tegit, aquam calescere, si subiecti sunt
solo, per quod aquis transcursus est. Facere solemus [12] dracones & miliaria & complures
formas, in quibus aere tenui fistulas struimus, per decliue circundatas: vt saepe eun-
dem ignem ambiens aqua per tantum fluat spatij, quantum efficiendo calori sat est. Frigi-
da itaque intrat, effluit calida. Idem sub terra Empedocles existimat fieri: [m] quem non fal-
li credent ij, quibus balnearia sine igne calefiunt. Spiritus in illa feruens loco aestuanti in-
funditur. Hic per tubos lapsus, non aliter quàm igne subdito, parietes & vasa balnei cale-
facit. Omnis denique frigida transitu mutatur in calidam: nec trahit saporem euapora-
tio, quia clausa perlabitur. Quidam existimant, per loca sulphure plena exeuntes vel
introeuntes aquas, calorem beneficio materiae, per quiam fluunt, trahere: quod ipso
odore gustuque testantur. Reddunt enim qualitatem eius, qua caluerunt materiae. Quod
ne accidere mireris, viuae calci aquam infunde, feruebit. Quaedam aquae morti- XXV.
ferae sunt, nec odore notabiles, nec sapore.[23] Circa Nonacrin in Arcadia Styx appellata ab

incolis, aduenas fallit: quia non facie, non odore suspecta est: qualia sunt magnorum artificum venena, quae deprehendi nisi morte non possunt. Haec autem, de qua paulo ante rẽtuli, aqua, summa celeritate corrumpit: nec remedio locus est, quia protinus hausta duratur: nec aliter quàm gypsum sub humore constringitur, & alligat viscera.[24] Est autẽ noxia aqua in Thessalia circa Tempe, quam & ferae & pecus omne deuitat: per ferrum & aes exit: tanta vis illi inest, etiam dura molliendi: nec arbusta quidem vlla alit, & herbas necat. Quibusdam fluminibus vis inest mira.[25] Alia enim sunt, quae pota inficiunt greges ouium: intraque breue tempus, quae fuere nigrae, albam ferunt lanam: quae albae venerant, nigrae abeunt. Hoc etiam in Boeotia amnes duo efficiont: quorum alteri ab effectu Melas nomen est: vterque ex eodem lacu exeunt, diuersa facturi. In Macedonia quoque, vt ait Theophrastus, est flumen, ad quod qui facere albas oues volunt, adducunt. Quod vt diutius potauere, non aliter quàm infectae mutantur. At si illis lana opus fuerit pulla, paratus gratuitus infector est: [n] ad Ceronem eundem gregem appellũt. Auctores nouos habeo, esse in Galatia flumen, quod idem in omnibus efficiat: esse in Cappadocia, quo poto equis, nec vlli praeterea animali, color mutatur, & spargitur albo cutis. Quosdam lacus esse, qui nandi imperitos ferant, notum est. Erat in Sicilia, est adhuc in Syria stagnum, in quo natant lateres, & mergi proiecta non possunt, licet grauia sint. Huius rei palam causa est. quamcumque vis rem expende, & contra aquam statue, dummodo vtriusque par sit modus: si aqua grauior est, leuiorem rem, quàm ipsa est, feret, & tanto supra se extollet, quanto erit leuior, grauiora descendent. At si aquae, & eius rei quam contra pensabis, par pondus erit: nec pessum ibit, nec extabit, sed aequabitur aquae: & natabit quidem, sed paene mersa, ac nulla eminens parte. Hoc est cur quaedam tigna supra aquam, paene tota efferantur: quaedam ad medium submersa sint, quaedam ad aequilibrium aquae descendant. Namque cum vtriusque pondus par est, neutraque res alteri cedit, grauiora descendunt, leuiora gestantur. Graue autem & leue est, non aestimatione nostra, sed comparatione eius quo vehi debet. Iaque vbi aqua grauior est hominis corpore, aut saxi, non sinit id quo non vincitur, mergi. Sic euenit, vt in quibusdam stagnis ne lapides quidem pessum eant. de solidis & duris loquor. Sunt enim multi pumicosi & leues, ex quibus quae constant [26] insulae, in Lydia natant: Theophrastus est auctor. Ipse ad Cutylias natantem insulam vidi. Alia in Vadimonis lacu vehitur, alia in lacu Stationensi. Cutyliarum insula & arbores habet, & herbas nutrit, tamen aqua sustinetur: & in hanc atque illam partem non tantum vento impellitur, sed & aura. Nec vnquam illi per diem & noctem in vno loco statio est: adeo mouetur leui flatu. Huic duplex causa est. Aquae grauitas medicarae, & ob hoc ponderosae: [o] & ipsius insulae materia vectabilis, quae non est corporis solidi, quamuis arbores alat. Fortasse enim leues truncos, frõdesque in lacu sparsas pinguis humor apprehendit, ac vinxit. Itaque etiam si qua in illa saxa sunt, inuenies exesa & fistulosa: qualia sunt quae duratus humor efficit, vtique circa medicarorũ fontium riuos: quae vbi purgamenta aquarum coaluerunt, ex spuma solidantur. Necessario leue est, quod ex ventoso inanique concretum est. Quorundam causa non potest reddi, quare aqua Nilotica foecundiores feminas faciat, adeo vt quarundam viscera longa sterilitate praeclusa, ad conceptum relaxauerit: quare quaedam in Lycia aqoae conceptum feminarum custodiant, quas solent petere, quibus parum tenax vulua est. Quod ad me attinet, pono ista inter temere vulgata. Creditum est, quasdam aquas scabiem afferre corporibus: quasdam vitiliginem, & foedam ex albo varietatem, siue infusa siue pota sit: quod vitium dicunt habere aquam ex rore collectam. Quis non grauissimas esse aquas credat, quae in crystallum coeũt? Cõtra autem est: tenuissimis enim hoc euenit, quas frigus ob ipsam tenuitatem facillime gelat. Vnde autem fiat eiusmodi lapis, apud Graecos ex ipso nomine apparet: κρύσταλλον enim appellant aeque hunc perlucidum lapidem, quàm illam glaciem, ex qua fieri creditur. Aqua enim caelestis minimum in se terreni habens, cum induruit, lõgioris frigoris pertinacia spissatur magis ac magis: donec omni aere excluso in se tota compressa est, & humor qui fuerat,

XXVI. lapis effectus est. Aestate quaedam flumina augentur, [27] vt Nilus: cuius alias ratio reddetur. Theophrastus est auctor, in Põro quoque quosdam amnes crescere tempore aestiuo. quattuor autem esse iudicant causas. Aut quia tũc maxime in humorem mutabilis terra est: aut quia maiores in temoto imbres sunt, quorũ aqua per secretos cuniculos reddita, tacite suffunditur. Tertia, si crebrioribos ventis ostium caeditur, [p] & reuerberatur fluctu, amnis restitit: qui crescere videtur, quia non effunditur. Quarta ratio est siderum. Haec enim quibusdam mensibus magis vrgent, & exhauriunt flumina: cum longius recessẽrũt, minus consumunt, atque trahunt.[q] Itaque quod impendio solebat, id incremento accedit. Quaedam flumina palam in aliquem specum decidũt, & sic ex oculis auferuntur: quaedam consumuntur

tur paulatim,& intercidunt:eadem ex interuallo reuertũtur,recipiuntque & nomen & cursum. Causa manifesta est, sub terra vacat locus. Omnis autem humor natura ad inferius, & ad inane defertur. Illo itaque recepta flumina cursus egere secreto:sed cum primum aliquid solidi,quod obstaret,occurrit,praerupta parte, quae minus ad exitum repugnabat, repetiere cursum suum.

[18] Sic vbi terreno Lycus est epotus hiatu,
Existit procul hinc,alioque renascitur ore.
Sic modo combibitur,tacito modo gurgite lapsus,
Redditur Argolicis ingens Erasinus in vndis.

Idem & in Oriente Tigris facit:absorbetur, & desideratus diu, [19] tãdem longe remoto loco, non tamen dubius, an idem sit, emergit. Quidam fontes certo tempore purgamenta eiectãt: [10] vt Arethusa in Sicilia,quinta quaque aestate per Olympia. Inde opinio est, Alphaeon ex Achaia eo vsque penetrare, & agere sub mare cursum,nec ante quàm in Syracusano littore emergere. Ideoque iis diebus quibus Olympia sunt, victimarum stercus secundo traditum flumini illic redundare. Hoc & a te traditum est in poemate, Lucili carissime, & a Virgilio qui alloquitur Arethusam:

Sic tibi cum fluctus subter labere Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat vndam.

Est in Chersoneso Rhodiorum fons,qui post magnũ interuallum temporis,foeda quaedam turbidus ex intimo fundat,donec liberatus eliquatusq; est. Hoc quibusdam locis fontes faciunt,vt non tantũ lutum,sed folia,testasque,& quicquid putre iacuit,expellant:vbique autem facit mare:cui haec natura est,vt omne immundum stercorosumque littoribus impingat. Quaedam vero partes maris id certis temporibus faciunt:vt [11] circa Messanam & Mylas fimo quiddam simile,turbulentũ in littus mare profert,feruetque & aestuat,non sine odore foedo. Vnde illic stabulare Solis boues,fabula est. Sed difficilis ratio est quorundam:vtique inibi tempus eius rei,de qua quaeritur, inobseruatum & incertum est. Itaque proxima quidem inueniri,& vicina nõ potest causa,ceterum publica est illa. Omnis aquarum stãtium clausarũque natura se purgat. Nam in his quibus cursus est,non possunt vitia cõsistere, quae secunda vis defert & exportat. Illae quae non emittunt quicquid insedit,magis minusve aestuant. Mare vero cadauera,stramẽtaque,& naufragorum reliquiis similia, ex intimo trahit, nec tantum tempestate fluctuque,sed trãquillum quoque placidumque purgatur. Sed XXVII.
monet me locus,vt quaeram,cum fatalis dies diluuij venerit, quemadmodum magna pars terrarum vndis obruatur. Vtrum oceani viribus fiat,& externum in nos pelagus exurgat:an crebri sine intermissione imbres,& elisa aestate hiems pertinax,immẽsam vim aquarũ ruptis nubibus deiiciat. An flumina tellus largius fundat, aperiatque fontes nouos:aut non sit vna tanto malo causa,sed omnis ratio cõsentiat,& simul imbres cadãt, flumina increscant,maria sedibus suis excita percurrãt,& omnia vno agmine ad exitium humani generis incũbãt. Ita est. Nihil difficile est naturae,vtique vbi in finem sui properat. Ad originem rerum parce vtitur viribus,dispensatque se incrementis fallentibus:subito ad ruinam toto impetu venit. Quàm longo tempore opus est,vt conceptus ad puerperium perducatur infans? Quantis laboribus tener educatur,quàm diligenti nutrimento obnoxium nouissime corpus adolescit? at quàm nullo negotio soluitur? Vrbes cõstituit aetas:hora dissoluit. Momento fit cinis:diu silua. Magna tutela stant ac vigent omnia : cito ac repente dissiliunt. Quicquid ex hoc statu rerum natura flexerit,in exitium mortaliũ satis est. Ergo cum affuerit illa necessitas temporis,multa simul fata causas mouent:nec sine cõcussione mundi tanta mutatio est,vt quidam putant,inter quos Fabianus est. Primo immodici cadũt imbres,& sine vllis solibus triste nubilo caelum est:nebulaque continua,& ex humido spissaque caligine, nunquam exiccantibus ventis. Inde vitium satis,& segetum sine fruge surgentium marcor. Tunc corruptis quae seruntur manu,palustris omnibus cãpis herba succrescit:mox iniuriam & validiora sensere. Solutis quippe radicibus,arbusta procũbunt,& vitis atque omne virgultũ non tenetur solo, quod molle fluidũque est:iam nec gramina aut pabula laeta aquis sustinet, fame laboratur, & manus ad antiqua alimenta porrigitur:quare ilex & quercus excutitur, [1] & quaecũque in his arduis arbor cõmissura astricta lapidum stetit. Labãt ac madent tecta, & in imum vsque receptis aquis fundamenta desidunt,ac tota humus stagnat, [1] frustra titubantium fulcra tentãtur. Omne enim fundamentũ in lubrico figitur,& lutosa humo nihil stabile est. Postquam magis magisque nimbi ingruunt, & congestae saeculis tabuerunt niues, deuolutus torrens altissimis montibus rapit siluas male haerentes, & saxa reuolutis remissa compagibus rotat. Abluit villas, & intermixtos ouium greges deuehit, vulsisque minoribus tectis, quae

in transitu abduxit, tandem in maiora violentus oberrat. Vrbes, & implicitos trahit moenibus suis populos, ruinam an naufragium querantur, incertos: adeo simul, & quod opprimeret, & quod mergeret, venit. Auctus deinde processu aliquo in se torrentibus raptis plana passim populatur. Nouissime ruina magna gentium clarus onustusque diffunditur. Flumina vero suapte natura vasta, & tempestatibus rapta, alueos relinquunt. Quid tu esse Rhodanum, quid putas Rhenum atque Danubium, quibus torrens etiam in canali suo cursus est, cum superfusi nouas sibi fecere ripas, ac scissa humo simul excessere alueo? Quanta cum praecipitatione voluuntur, vbi per campestria fluens Rhenus, ne spatio quidem languidus, sed latissime velut per angustum aquas implet? Cumque Danubius non iam radices, nec media montium stringit, sed iuga ipsa sollicitat, [u] ferens secum madefacta montium latera, rupesque deiectas, & magnarum promuntoria regionum, [x] quae fundamentis laborantibus a continēte recesserūt. Deinde non inueniens exitum (omnia enim sibi ipse praecluserat) in orbem redit, ingentemque terrarum ambitum atque vrbium vno vortice inuoluit. Interim permanēt imbres, fit caelum grauius, ac sic diu malū ex malo colligit. Quod olim fuerat nubilum, nox est: & quidem horrida & terribilis, intercussu luminis diri: crebra enim micant fulmina, procellae quatiunt mare, tunc primum auctum fluminum accessu, & sibi angustum: iam promouet littus: non continetur suis finibus, sed prohibent exire torrentes, aguntque fluctus retro: pars tamen maior, vt maligno ostio retenta, restagnat, & agros in formam vnius lacus redigit. Iam omnia, qua prospici potest, aquis obsidentur. Omnis tumulus in profundo latet, & immensa vbique altitudo est: tantum in summis montium iugis vada sunt. In ea excelsissima cum liberis coniugibusque fugere, actis ante se gregibus: diremptū inter miseros commercium ac transitus: quoniam quicquid submissius erat, id vnda compleuit. Editissimis quibusque adhaerebant reliquiae generis humani: quibus in extrema perductis, hoc vnum solatio fuit, quòd transierat in stuporem metus. non vacabat timere mirantibus: ne dolor quidem habebat locum. Quippe vim suam perdit in eo, qui vltra sensum mali miser est. Ergo insularū modo eminent montes, & sparsas Cycladas augent, vt ait ille [t] poetarum ingeniosissimus egregie, sicut illud pro magnitudine rei dixit:

Omnia pontus erat: deerant quoque littora ponto.

nisi tantum impetum ingenij & materiae ad pueriles ineptias reduxisset.

Nat lupus inter oues, fuluos vehit vnda leones.

Non est res satis sobria, lasciuire deuorato orbe terrarum. Dixit ingentia, & tantae confusionis imaginem cepit, cum dixit:

Exspatiata ruunt per apertos flumina campos.

——Pressaeque labant sub gurgite turres.

Magnifice hoc, si non curauit, quid oues & lupi faciant. Natari autem in diluuio & in illa rapina potest? aut non eodem impetu pecus omne, quo raptum erat, mersum est? Concepisti imaginē quātam debebas, obrutis omnibus terris, caelo ipso in terram ruente. Perfer. Scies, quid deceat, si cogitaueris orbem terrarum natare. Nunc ad propositum reuertamur.

XXVIII. Sunt qui existimēt immodicis imbribus vexari terras posse, non obrui. Magno impetu magna ferienda sunt. Faciet pluuia segetes malas, fructum grando decutiet, intumescent riuis flumina: sed resident. Quibusdam placet moueri mare, & illinc causam tantae cladis accersi. Non potest torrentium, aut imbrium, aut fluminū iniuria fieri tam grande naufragium. Vbi instat illa pernicies, mutarique genus humanum placuit, fluere assiduos imbres, & non esse modum pluuiis concesserim: suppressis aquilonibus, & flatu sicciore: austris nubes & imbres & amnes abundare.

——Sed adhuc in damna profectum est.

Sternuntur segetes, & deplorata colonis

Vota iacent, longique perit labor irritus anni.

Non laedi debent terrae, sed abscondi. Denique cum per ista prolusum est, crescunt maria, sed super solitum, & fluctum vltra extremum tempestatis maximae vestigium mittunt. Deinde a tergo ventis surgentibus, [y] ingens aequor euoluunt, quod longe a cōspectu littoribus frangitur. Deinde vbi littus bis terque prolatum est, & pelagus in alieno constitit, velut admoto malo cominus, procurrit aestus ex imo recessu maris. Nam vt aeris, vt aetheris, sic huius elementi larga materia est, multoque in abdito plenior. Haec fatis mota, non aestu, (nam aestus fati ministerium est) attollit vasto sinu fretum, agitque ante se. Deinde in miram altitudinem erigitur: & illis tutis hominum receptaculis superest. Nec id aquis arduum est, quoniam aequo terris fastigio ascēderet. Si quis excelsa perlibret, maria paria sunt. Nam par vndique sibi ipsa tellus est. Caua & plana vndique inferiora sunt. Sed istis adeo in rotundum

tundum orbis aequatus est,in parte autem eius & maria sunt,quae in vnius aequalitatem pilae coeunt.Sed quemadmodum campos intuentem, quae paulatim deuexa sunt,fallunt:sic non intelligimus curuaturas maris,& videtur planum quicquid apparet.at illud aequale terris est.Ideoque vt effluat,non magna mole se tollet: dum satis est illi, vt supra paria veniat, leuiter exurgere:[c] nec a littore vbi inferius est,sed a medio,vbi ille cumulus est, defluit.Ergo vt solet aestus aequinoctialis,sub ipsum lunae solisque coitum,omnibus alijs maior vndare: sic hic qui ad occupandas terras emittitur,solitis maximisque violentior,plus aquarum trahit:nec antequam supra cacumina eorum,quos perfusurus est, montium creuit,deuoluitur. Per centena millia quibusdam locis aestus excurrit innoxius,& ordinem seruat. Ad mensuram enim crescit, iterumque decrescit. [a] At illo tempore solutus legibus, sine modo fertur. Qua ratione,inquis?Eadem, qua conflagratio futura est.Vtrumque fit,cum Deo visum ordiri meliora, vetera finiri. Aqua & ignis terrenis dominantur. Ex his ortus,& ex his interitus est.Ergo quandoque placuere res nouae mundo, [b] sic in nos mare emittitur, desuper,vt feruor ignis,cum aliud genus exitij placuit. Quidam existimant terram quoque con- XXIX.
cuti,& dirupto solo noua fluminum capita detegere, quae amplius vt e pleno profundant. Berosus,qui Belum interpretatus est,ait cursu ista siderum fieri:[c]& adeo quidem id affirmat, vt conflagrationi atque diluuio tempus assignet:arsura enim terrena contendit, quando omnia sidera, quae nunc diuersos agunt cursus,in Cancrum conuenerint, sic sub eodem posita vestigio, vt recta linea exire per orbes omnium possit: inundationem futuram,cum eadem siderum turba in Capricornum conuenerit. Illic solstitium, hic bruma conficitur.Magnae potentiae signa: quando in ipsa mutatione anni momenta sunt.Et istas ego receperim causas(neque enim ex vno est tanta pernicies) & illam quae in conflagratione nostris placet, huc quoque transferendam puto: siue anima est mundus, siue corpus: natura gubernante,vt arbores,vt sata,ab initio eius vsque ad exitum quicquid facere, quicquid pati debeat, inclusum est:vt in semine omnis futuri ratio hominis comprehensa est.Et legem barbae & canorum nondum natus infans habet: totius enim corporis, & sequentis aetatis in paruo occultoque lineamenta sunt.Sic origo mundi,non minus solem & lunam,& vices siderum,& animalium ortus,quàm quibus mutarentur terrena,continuit.In his fuit inundatio,quae non secus quàm hiems,quàm aestas, lege mūdi venit. Itaque non pluuia istud fiet, sed pluuia quoque:non incursu maris,sed maris quoque incursu:non terrae motu,sed terrae quoque motu.Omnia adiuuabūt naturam,vt naturae constituta peragantur. Maximam tamen causam,ad se inundandam,terra ipsa praestabit:quam diximus esse mutabilem,& solui in humorem.Ergo quādoque erit terminus rebus humanis, cum partes eius interire debuerint,abolerive funditus totae,vt de integro totae,rudes,innoxiaeque generētur:nec supersit in deteriora magister:plus humoris,quàm semper fuit,fiet.Nunc enim elementa ad id,quod debetur, pensa sunt. Aliquid oportet alteri accedat,vt quae libramento stant,inaequalitas turbet. Accedet humori. Nunc enim habet quo ambiat terras,non quo obruat. Quicquid illi accesserit,necesse est in alienum locum exundet.Vndare ergo terra debet,vt validiori infirma succūbat. Incipiet ergo putrescere,dehinc laxata ire in humorem, & assidua tabe defluere.Tunc exilient sub montibus flumina,ipsosque impetu quatient:[d]inde aura tacita manabunt.Solum omne aquas reddet, summi scaturient montes:quemadmodum in morbum transeunt sana, & vlceri vicina consentiunt: vt quaeque proxima terris fluentibus fuerint, eluentur, stillabūt,& deinde current,& hiante pluribus locis saxo,per fretum salient,& maria inter se component. Nihil erūt Hadriatici,nihil Siculi aequoris fauces,nihil Charybdis; nihil Scylla. Omnes nouum mare fabulas obruet, & hic qui terras cingit Oceanus extremas, veniet in medium. Quid ergo est? nihilominus tenebit alienos menses hiems, aestas prohibebitur,& quodcunque terras sidus exiccat, compresso ardore cessabit. Peribunt tot nomina, Caspium & Rubrum mare,[e] Ambracij & Cretici sinus,Propontis & Pontus.Peribit omne discrimen. Confundetur quicquid in suas partes natura digessit. Non muri quemquam,non turres tuebuntur.Non proderunt templa supplicibus,nec vrbium summa: quippe fugientes vnda praeueniet,& ex ipsis arcibus deferet.Alia ab occasu, alia ab oriente concurrent:vnus humanum genus condet dies. Quicquid tam longa fortunae indulgentia excoluit,quicquid supra ceteros extulit,nobilia pariter atque adornata: magnarūque gentium regna pessumdabit. Sunt omnia,vt dixi,facilia naturae:vtiq; quae a primo facere XXX.
constituit,ad quae non subito,sed ex denuntiato venit. Iam autem a primo die mundi,cum in hunc habitum ex informi vnitate discederet, quando mergerentur terrena, decretum est:& ne sit quandoque velut in nouo opere, dura molitio, olim ad haec maria se exercent.Non vides,vt fluctus in littora,tanquam exiturus, incurrat? Non vides,vt aestus fines

ſuos transeat, & in poſſeſſionem terrarum mare inducat? Non vides, vt illi perpetua cum clauſtris ſuis pugna ſit? Quis porro iſtinc, vnde tantum tumultum vides, metus eſt e mari, & magno impetu erumpentibus fluuiis? Vbi non humorem natura diſpoſuit, vt vndique nos, cum voluiſſet, aggredi poſſet? Mentior, niſi eruentibus terram humor occurrit, & quoties nos auaritia aut defodit, aut aliqua cauſa penetrare altius cogit, eruendi finis vnda eſt. Adiice nunc, quòd immanes ſunt in abdito lacus, & multum maris conditi, multum fluminum per operta labentium. Vndique ergo erunt cauſae diluuio, cum aliae aquae ſubinfluunt terras, aliae circumfluunt, quae diu coercitae vincent, & amnes amnibus iungent, paludibus ſtagna. Omnium tunc mare ora fontium implebit, & maiore hiatu ſoluet. Quemadmodum corpora noſtra ad egeſtum venter exhaurit, quemadmodum eunt in ſudorem vires: ita tellus liquefiet, & aliis cauſis quieſcentibus, intra ſe, quo mergatur, inueniet: ſic magna omnia coitura crediderim. Nec erit longa mora exitij. Tentatur diuelliturque concordia, cum ſemel aliquid ex hac idonea diligentia remiſerit mũdus: ſtatim vndique ex aperto ſuperne, ex abdito ab imo aquarum fiet irruptio. Nihil eſt tam violentum & incontinens ſui, tam cõtumax, infeſtũque retinentibus, quàm magna vis vndae, vt erur libertate permiſſa, & iubente natura, quae ſcindit circuitque, complebit. Vt ignis diuerſis locis ortus, cito miſcet incendium, flãmis coire properantibus: ſic momento redundantia maria ſe cõmittent. Nec ea ſemper licentia vndis erit: ſed peracto exitio generis humani, extinctiſque pariter feris, in quarum homines ingenia tranſierant, iterum aquas terra ſorbebit: natura pelagus ſtare, aut intra terminos ſuos furere coget: & reiectus e noſtris ſedibus, in ſua ſecreta pelletur oceanus: antiquus ordo reuocabitur. Omne ex integro animal generabitur, dabiturque terris homo inſcius ſcelerum, & melioribus auſpiciis natus. Sed illis quoque innocentia non durabit, niſi dum noui ſunt. Cito nequitia ſubrepit: virtus difficilis inuentu eſt, rectorem ducemque deſiderat. Etiam ſine magiſtro vitia diſcuntur.

M. ANTONII MVRETI AD LIBRVM TERTIVM NATVRALIVM SENECAE quaeſtionum, Notae.

AD PROOEMIVM.

DEVS alia exaltat, alia ſubmittit,] *Hoc Aeſopus quaſi proprium Dei opus eſſe reſpondit. Et notum eſt illud Heſiodi,*

Ῥέα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει,
Ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄδηλον ἀέξει
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει.

AD CAP. II.

AVT ſtant omnes aquae, aut fluunt, aut colliguntur,] *Prima diuiſio aquarum.* Τῶν ὑδάτων τὰ μὲν στάσιμα, τὰ δὲ ῥυτά, τὰ δὲ συλλογιμαῖα.

3 Quaedam hauſtae foecunditatem afferunt.] *Theophraſtus libro nono* περὶ φυτῶν, Ἐνιαχοῦ μὲν γάρ φασι τὸ ὕδωρ παιδογόνον εἶναι γυναιξὶν, ὥσπερ καὶ ἐν Θεσπίαις, ἐνιαχοῦ δὲ ἄγονον ὡς ἐν Πυρρᾷ. *Plinius libro* XXXI. Theſpiarum fons cõceptus mulieribus repraeſentat. Item in Arcadia flumen Elatum. Cuſtodit autem partum Linus fons in eadem Arcadia, abortusque fieri non patitur. E diuerſo in Pyra flumen, quod Aphrodiſium vocant, ſteriles facit. *Solinus in capite de Sicilia:* Ibi & fontes duo. Alterum ſi ſterilis ſumpſerit, foecunda fiet: alterum ſi foecunda hauſerit, vertitur in ſterilitatem.

AD CAP. V.

QVIDAM iudicant,] *De cauſa & origine fluuiorum ac fontium videndus Ariſtoteles cap.* XIII. *libri primi Meteorologicon.*

AD CAP. X.

FIVNT omnia ex omnibus.] *Vide eundem Ariſtotelem capite quarto libri ſecundi* περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς.

6 Omnia in omnibus ſunt.] *Vetus dictum Anaxagorae,* πᾶν ἐν παντὶ μέμικται.

AD CAP. XI.

IN Coryco monte,] *Plinius,* In Coryco monte amnis erupit, poſtquam coeptus eſt coli.

8 Haemus:] *Hac de re ita idem Plinius:* Naſcuntur fontes deciſis plaerunque ſiluis, quos arborum alimenta cõſumebant: ſicut in Haemo, obſidente Gallos Caſſandro, cum valli gratia ſiluas caecidiſſent.

9 Idem

9 Idem ait circa Arcadiam] *Plinius*: Et coli mouerique terram, callumque summae cutis solui, aquarum interest. Proditur certe in Creta expugnato oppido, quod vocabatur Arcadia, cessasse fontes, amnesque qui in eo situ multi erant. Rursus condito, post sex annos emersisse, vti quaeque coepissent partes coli.

AD CAP. XIII.

A[10] QVA, ait Thales,] *Aquam principium rerum omnium esse tradidit Thales, vt auctor est Aristoteles libro primo maiore τῆς μετὰ τὰ φυσικά. Eandem putabant fuisse sententiam vetustissimorum poetarum, quos illi Theologos vocabant. Nam & eodem respexisse Homerum illo versu,*

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν.

& cum Odysseas ν, Neptunum ab Ioue ipso vocari facit deorum antiquissimum & optimum.

AD CAP. XV.

S[11] EN hoc amplius censeo.] *Senatorium loquendi genus: cum qui sententiam dicturus erat, probabat quidem quae ab aliis dicta erant, sed addebat aliquid etiam de suo.*

AD CAP. XVI.

S[12] ED quare quidam fontes senis horis pleni, senisque sicci sunt ?] *Huic simile quiddam de Dodoneo fonte scriptum reliquit Plinius libro secundo*: Meridie, *inquit*, semper deficit: qua de causa anapauomenon vocãt. Mox increscens ad medium noctis exuberat: ab eo rursus sensim deficit. *Paulo post addit, fontes esse calidos contra Timauum amnem, qui pariter cum aestu maris crescunt, minuunturve. Vide quae de fonte Comensi scribit Plinius Caecilianus epistola vltima libri quarti: quae eadem & Plinius auunculus, sed breuius, tradiderat.*

13 Et in aquis torpentibus situ.] *Male in aliis libris*, facta.

14 Subterranei mures] *Ita veteres libri, non, vt alij*, vermes.

15 Inde, vt Theophrastus affirmat, pisces quibusdã locis eruuntur.] *Hunc ipsum, vt opinor, Theophrasti locum citat Athenaeus principio libri octaui. Plinius etiã copiosius capite* LVII. *libri noni.*

AD CAP. XVII.

I[16] N mari venetur.] *Multo haec scriptura melior, quàm illa vulgata*, in mari versetur.

17 Vitreis ollis inclusi offeruntur,] *De his ipsis deliciis vide quae scribit Plinius libro nono.*

AD CAP. XVIII.

I[18] S pro putrido] *Totus hic locus quanto melius in veteribus, quàm in vulgatis libris legatur, cupio ex collatione cognosci. Ita enim scriptum est in illis*: Is pro putrido iam piscis est, qui hodie eductus, *& cetera. & paulo post*: Vt gustare possint, nisi quem. *Vox* piscem *redundat. de mullo enim tantum loquitur.*

AD CAP. XIX.

I[19] N Caria circa Loruma vrbem.] *Ita iampridem legendum docui capite septimo libri duodecimi Variarum lectionum: idque ex libro vetere, Strabone, Mela, Plinio, Ptolemaeo. Mentio eius oppidi est apud Liuium libro* XXXVII.

AD CAP. XX.

H[20] OC habet mali Lyncestius amnis:] *Ita legendum ex vetere libro & ex historia. Theopompus* ἐν Λυγκήσταις φησὶ πηγὴν εἶναι τῷ μὲν γεύσει ὀξίζουσαν, τοὺς δὲ πίνοντας μεθύσκεσθαι. *Athenaeus libro secundo. Meminit & Vitruuius, & Plinius, & Oribasius.*

AD CAP. XXI.

I[21] N quosdam specus] *Noti sunt Virgiliani versus de Auerno.*

Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque tenebris:
Quam super haud vllae poterant impune volantes
Tendere iter pennis. talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad conuexa ferebat.

AD CAP. XXIIII.

D[22] RACONES & miliaria] *Vtraque vasa sunt ad aquam calefaciendam. Dracones a figura dicti. Miliariorum & apud iuris auctores, & apud alios mentio.*

AD CAP. XXV.

C[23] IRCA Nonacrin] *Vitruuius*: Item est in Arcadia Nonacris nominata terrae regio, quae habet in montibus e saxo stillantes frigidissimos humores. Haec autem aqua Στυγὸς ὕδωρ nominatur, quam neque argenteum, neque aeneum, neque ferreum vas potest sustinere: sed desilit & dissipatur. Conseruare autem eam & continere nihil aliud potest, nisi mulina vngula, qua etiam memoratur ab Antipatro in prouinciam, vbi erat Alexander, per Iollam filium perlata esse & ab eo ea aqua regem necatum. *Huius aquae Herodotus, Curtius, Plinius, Plutarchus, alij eandem esse vim tradiderunt.*

24 Est item noxia aqua in Thessalia] *Meminit huius & Vitruuius libro octauo, & Plinius capite secundo libri* XXXI.

25 Alia enim sunt, quae pota] *Vitruuius*: Sunt Boeotiae flumina Cephisus & Melas, Lucaniae Crathis, Troiae Xanthus, inque agris Clazomeniorum & Erythreorum & Laodicensium fontes ac flumina. cum pecora suis temporibus anni parantur ad conceptionem partus, per id tempus adiguntur eo quotidie potum: ex eoque quamuis sint alba, procreant aliis locis leucophaea, aliis pulla, aliis coracino colore. *Ouidius*:

Crathis & hinc Sybaris vestris conterminus oris,
Electro similes faciunt, auroque capillos.

Νυμφόδωρος καὶ Θεόφραστός φασι, τῦ Κράθιδος τὸ ὕδωρ ξανθίζειν: *Scholiastes Theocriti in eidyllium quintum. Vide & Plinium libri* II. *cap.* CIII. *& capite secundo libri* XXXI. *ex quo intelliges, recte a me scriptum paulo infra haec verba*, ad Ceronem, *vbi alij legebant*, ad Penenion. *De Xantho idem ab Aristotele traditur libro* III. *de historia animalium, nisi quòd pro Xantho Scamandrum vocat.*

26 Insulae in Lydia natant.] *Vide Plinium cap.* XCV. *libri* II. *Talem insulam paruam quidem, sed quae tamen arbores habeat, & in qua & pecudes & armenta pascantur, in via Tiburtina saepe magna cum voluptate spectaui.*

AD CAP. XXVI.

V[27]T Nilus, cuius alias ratio reddetur.] *Libro proxime sequenti.*

28 Sic vbi terreno Lycus] *De Lyco, Erasino, Tigride idem & apud Plinium legitur.*

29 Tandem longe remoto loco,] *Locus hic foede mutilatus ab aliis, ita in vetere libro meo legitur:* Tandem longe remoto loco, non tamen dubius an idem sit, emergit. Quidam fontes certo tempore purgamenta eiectant. *Ego autem, qui iam pridem ita restituissem, monueram decem ab hinc annos, ita restituendum esse, capite septimo libri duodecimi Variarum lectionum. Sed negligentia eius, cuius opera in eis libris, grauiter tunc aegrotus, vtebar, factum est, vt ea omnia omissa sint, quae ex vetere libro addenda erant.*

30 Vt Arethusa] *Plinius libri secundi cap.* CIII.

31 Circa Messanam & Mylas] *Plinius libri secundi cap.* XCVIII.

AD CAP. XXVII.

32 Poetarum ingeniosissimus] *Notanda eximia, eademque verissima laus Ouidij, quem hodie nonnulli inepte fastidiosi contemnere audent. Notandum etiam, quanto iudicio Seneca in eo reprehendat ea, in quibus luxurianti ingenio nimiū indulsit. Haec nos in scribendo cautiores & consideratiores facere debent.*

L. ANNAEI SENECAE CORDVBENSIS QVAESTIONVM NATVRALIVM LIBER IIII.

In quo de niue, grandine & pluuia agitur.

PRAEFATIO.

DELECTAT te, quemadmodum scribis, Lucili virorum optime, Sicilia, & officium procurationis otiosae. Delectabit, si continere id intra fines suos volueris, nec efficere imperium, quod est procuratio. Facturum te hoc, non dubito. Scio quàm sis ambitioni alienus, quàm familiaris otio & litteris.[a] Turbam rerum hominumque desiderent, qui se pati nesciunt. Tibi tecum optime conuenit. Nec mirum, paucis istud contingere, imperiosi nobis ipsis & molesti sumus: [b] modo amore nostri, modo taedio laboramus: infelicem animum nunc superbia inflamus, nunc cupiditate distendimus: alias voluptate laxamus, alias solicitudine exurimus. Quod est miserrimum, nunquam sumus singuli. Necesse est itaque assidua sit, in tam magno vitiorum contubernio, rixa. Fac ergo, mi Lucili, quod facere consuesti. A turba quantum potes, te separa, nec adulatoribus latus praebeas, artifices sunt ad captandos superiores. Par illis, etiam si bene caueris, non eris. Mihi crede capieris, si proditioni ipse te trades. Habent hoc in se naturale blandiciae: etiam cum reiiciuntur, placent: saepe exclusae, nouissime recipiuntur. Hoc enim ipsum imputant, quod repelluntur, & subigi ne cōtumelia quidē possunt. Incredibile est, quod dicturus sum,

sum, sed tamen verum. Ea maxime quisque patet, qua petitur. Fortasse enim ideo, quia patet, petitur. Sic ergo formare, vt scias non posse te consequi, vt sis impenetrabilis. [c] cum omnia caueris, per ornamenta feriet. Alius adulatione clam vtetur parce: alius ex aperto, palam rusticitate simulata, quasi simplicitas illa, non ars sit. Plancus artifex [a] ante Velleium maximus, aiebat non esse occulte, nec ex dissimulato blandiendum. Perit, inquit, procari, si latet. Plurimum adulator eum deprehensus est, proficit: plus etiamnum si obiurgatus est, si erubuit. [d] Futuros multos in persona tua Plācos cogita: & hoc non esse remedium tanti mali, nolle laudari. Crispus Passienus, quo ego nil cognoui subtilius in omnibus rebus, maxime in distinguendis & curandis vitiis, saepe dicebat, [e] adulationi nos opponere, non claudere ostium. Et quidem sic, quemadmodum opponi amicae solet. Quae si impulit, grata est: gratior, si effregit. Demetrium egregium virum memini dicere cuidam libertino potenti, facilem sibi esse ad diuitias viam, quo die paenituisset bonae mentis. Nec inuidebo, inquit, vobis hanc artem, sed docebo eos quibus quaesito opus est, quemadmodum non dubiam fortunam maris, non emendi vendendique aleam subeant, non incertam fidem ruris, incertiorem fori tenteot, quemadmodum non solum facili, sed etiam hilari via pecuniam faciant, gaudentesque dispolient. Te, inquit, longiorem Fido Annaeo iurabo, & Apollonio Pycta, quamuis staturam habeas Threcae incompositi. [f] Hominem quidem non esse vllum liberaliorem, non mentiar, cum possis videri omnibus donasse, quicquid dereliquisti. Ita est, mi Iunior, quo apertior est adulatio, quo improbior, quo magis frontem suam perfricuit, cecidit alienam, hoc citius expugnat. Eo enim iam dementiae venimus, vt qui parce adulatur, pro maligno sit. [g] Solebam tibi dicere, Gallionem fratrem meum, quem nemo non parum amat, etiam qui amare plus non potest, [h] alia vitia non nosse, hoc etiam odisse. ab omni illū parte teotasti. [i] Ingenium suspicere coepisti, omnium maximum & dignissimū, [k] quod consecrari mallet, quàm cōteri: pedes abstulit. Frugalitatem laudare coepisti. [l] prima statim verba praecidit. Coepisti mirari comitatem & incompositam suauitatem: quae illos quoque, quos transit, abducit, [m] gratuitum etiam in obuios meritum. Nemo enim mortaliū vni tam dulcis est, quàm hic omnibus: cum interim tanta naturalis boni vis est, vti artem simulationemque non redoleat. Nemo non imputari sibi bonitatem publicam patitur. Hoc quoque loco blanditiis tuis restitit, vt exclamares inuenisse te inexpugnabilem virum aduersus insidias, quas nemo non in sinum recipit. Eo quidem magis hanc eius prudentiam, & in euitādo ineuitabili malo pertinaciā te suspicere confessus es, quia speraueras posse apertis auribus recipi, quamuis blanda diceres, quia vera dicebas. Sed eo magis intellexit obstandū. Semper enim falsis a vero petitur veritas. Nolo tamen ribi displiceas, quasi male egeris mimum, & quasi ille aliquid iocorum aut doli suspicatus sit. Non deprehendit te, sed repulit. Ad hoc exemplar componere. Cum quis ad te adulator accesserit, dicito: [n] I tu, ista verba, quae iam ab alio magistratu ad alium cum lictoribus transeunt, ferto ad aliquem, qui paria facturus, vult quicquid dixeris, audire. Ego nec decipere volo, nec decipi possum. Laudari me a vobis, nisi laudaretis etiam malos, vellem. Quid autem necesse est in hoc descendere, vt te petere cominus possint? Longum inter vos interuallum sit. Cum cupieris bene laudari, quare hoc vlli debeas? Ipse te lauda. dic: Liberalibus me studiis tradidi, quanquam paupertas alia suaderet, & ingenium eo duceret, vbi praesens studij pretium est. Ad gratuita carmina deflexi me, & ad salutare philosophiae studium contuli. [o] Ostendi in omne pectus cadere virtutem: & eluctatus natalium angustias, nec sorte me, sed animo mensus, par maximis steti. Non mihi inimicitia Getulici Caij fidem eripuit, non in aliorum personam infeliciter amatorum, Messala & Narcissus, diu publici hostes, antequam sui, propositum meum potuerunt euertere. Ceruicem pro fide opposui. Nullum verbum mihi, quod non [p] salua conscientia procederet, excussum est. Pro amicis omnia timui, pro me nihil, nisi ne parum boous amicus fuissem. Non mihi muliebres fluxere lacrimae, non e manibus vllius supplex pependi. Nihil iodecorum nec bono, nec viro feci. Periculis meis maior, paratus ire in ea quae minabantur, egi gratias fortunae, quòd experiri voluisset, quaoti aestimarem fidem. Non debebat mihi paruo res taota constare. Nec examinauit me quidem diu: neque enim paria pen- †
debant, vtrum satius esset me perire pro fide, an fidem pro me. Non praecipiti impetu in vltimum consilium, quo me eriperem furori potentium, misi. Videbam apud Caium tormenta, videbam ignes. Sciebam olim sub illo in eum statum res humanas decidisse, vt inter misericordiae opera haberetur, occidi. Non tamen ferro incubui, nec in mare aperto ore desilui, ne viderer pro fide tantum mori posse. Adiice nunc inuictum muneribus animum, & in tanto auaritiae certamioe nunquam suppositam manum lucro. Adiice nūc victus parsimoniam, sermonis modestiam, aduersus minores humanitatem, aduersus maiores reuerētiam.

Post hoc ipse te consule, verane an falsa memoraueris. Si vera sunt, coram magno teste laudatus es: si falsa, sine teste derisus es. Possum & ipse nunc videri te aut captare, aut experiri. Vtrumlibet crede, & omnes timere a me incipe. Virgilianum illud excute:

Nusquam tuta fides.

Aut Ouidianum:

— Qua terra patet, fera regnat Erynnis,
In facinus iuraße putes.—

Aut illud Menandri: (Quis enim non in hoc magnitudinem ingenij sui concitauit, detestatus coosensum humani generis, tendentis ad vitia?) Omnes, ait, malos viuere: & in scaenam velut rusticus poeta prosiluit. Non senem excepit: oon puerum, noo feminam, oon virum: & adiicit, non singulos peccare, nec paucos, sed iam scelus esse contextum. Fugiẽdum ergo, & io se redeundum est, immo etiam a se recedendum. Hoc tibi, etsi diuidimur mari, praestare tentabo, vt dubium viae, iniecta manu, ad meliora perducam. Et ne solitudinem sentias, hinc tecum miscebo sermooes. Erimus vna, qua parte optimi sumus: dabimus innicem consilia, [a] non ex vultu audientis peodentia. Longe te ab ista prouincia abducam, ne forte magnam historiis esse fidem credas, & placere tibi incipias, quotiens cogitaueris. Hãc ego habeo sub meo iure prouinciam, quae maximarum vrbium exercitus & sustinuit & fregit, cum ioter Carthaginem & Romam ingentis belli pretium iacuit, cum quattuor Romanorum principum, id est, totius imperij vires contractas in voum locum vidit, [b] altamque [c] Pompeij fortunam erexit, Caesaris fatigauit, Lepidi transtulit, omniumque cepit: quae illi ingenti spectaculo interfuit: ex quo liquere mortalibus posset, quàm velox foret ad imũ lapsus ex summo, quàmque diuersa via magnam potentiam fortuna destrueret. Vno enim tempore vidit Pompeium Lepidumque, ex maximo fastigio aliter ad extrema deiectos, cũ

CAP. I. Pompeius alienum exercitum fugeret, Lepidus suum. [a] Itaque vt te tota mente abducam, quamuis multa habeat Sicilia in se, circaque se mirabilia, omoes interim prouinciae tuae quaestiones praeteribo, & in diuersum cogitationes tuas abstraham. Quaeram enim tecum id quod libro superiore distuli: [b] Quid ita Nilus aestiuis mensibus abundet. Cui Danubium similem habere naturã philosophi tradiderunt, quòd & fontis ignoti, & aestate quã hieme maior sit. Vtrumque apparuit falsum. Nam & caput eius io Germania esse comperimus: & aestate quidem incipit crescere, sed adhuc manente intra mensuram suam Nilo, primis caloribus, cum sol vehemeotior inter extrema veris niues emollit, quas ante consumit, quàm intumescere Nilus incipiat. Reliquo vero aestatis minuitur, & ad hibernam magnitu-

II. dinem redit, [c] atque ex ea demittitur. At Nilus ante exortum caniculae augetur mediis aestibus, vltra aequinoctium. Hunc nobilissimum amnem natura extulit ante humani generis oculos, & ita disposuit, vt eo tempore inundaret Aegyptum, quo maxime vsta feruoribus terra vndam altius traheret, tantum haustura, quantum siccitati annuae sufficere posset. Nam in ea parte, quae in Aethiopiam vergit, aut nulli imbres sunt, aut rari, & qui insuetam aquis caelestibus terram non adiuuent. Vnam, vt scis, Aegyptus in hoc spem suam habet. [f] Proinde aut sterilis annus aut fertilis est, prout ille magous influxit, aut parcior. Nemo aratorum aspicit caelum. Quare non [a] cum poeta meo iocor, & illi [f] Ouidium suum impingo? qui ait:

— Nec pluuio supplicat herba Ioui.

Vnde crescere incipiat si cõprehendi posset, causae quoque incrementi inuenireotur. Nunc vero magnas solitudines peruagatus, & in paludes diffusus, gentibus sparsus circa Philas primum ex vago & erraote colligitur. Philae insula est aspera & vndique praerupta: duobus in vnum coituris amnibus cingitur, qui Nilo mutantur, & eius oomen ferunt. [a] Vrbem totam complectitur. Hanc Nilus magnus magis quàm violentus, egressus Aethiopiam arenasque, per quas iter ad commercia Indici maris est, praelabitur. Excipiunt cum cataractae, nobilis insigni spectaculo locus. Ibi per arduas excisasque pluribus locis rupes Nilus insurgit, & vires suas coocitat. Frangitur enim occurrentibus saxis, & per angusta eluctatus, vbicunque vincit, aut vincitur, fluctuat: & illic excitatis primũ aquis, quas sine tumultu leni alueo duxerat, violentus, & torrens per malignos transitus prosilit, dissimilis sibi. Quippe ad id lutosus & turbidus fluit. [a] At vbi scopulos verberauit, spumat: & illi nõ ex natura sua, sed ex iniuria loci color est. Tandemq; eluctatus obstantia io vastam altitudinem subito destitutus cadit, cũ ingenti circumiacentium regionum strepitu. Quem perferre gens ibi a Persis collocata non potuit, obtusis assiduo fragore auribus, & ob hoc sedibus ad quietiora trãslatis. Inter miracula fluminis incredibilem incolarum audaciã accepi. Bini paruula nauigia conscendũt, quorum alter nauem regit, alter exhaurit. Deinde multum inter rapidam insaniam

Nili,

Nili, & reciprocos fluctus volutati, tandem tenuissimos canales tenent, per quos angusta rupium effugiunt: & cum toto flomine effusi, nauigium ruens manu temperāt, magnoque spectantium metu in caput nixi, cum iam adploraueris, mersosque atque obrutos tanta mole credideris, longe ab eo, in quem ceciderant, loco nauigant, tormenti modo missi. Nec mergit cadens vnda, sed planis aquis tradit. [y] Primum incrementum Nili circa insulam, quam modo retuli, Philas noscitur. Exiguo ab hac spatio petra diuiditur, ἄβατον Graeci vocant: nec illam vlli, nisi antistites caleant: [z] illa primum saxa auctum fluminis sentiunt. Post magnum deinde spatium duo eminent scopuli, Nili venas vocant incolae: ex quibus magna vis funditur, non tamen quanta operire posset Aegyptum. In haec ora stipem sacerdotes, & aurea dona praefecti, cum sollemne venit sacrum, iaciunt. Hinc iam manifestus nouarum virinm Nilus, alto ac profundo alueo fertur, ne in latitudinem excedar obiectu montium pressus. Circa Memphim demum liber, & per campestria vagus, in plura scinditur flumina, manuque canalibus factis, vt sit modus in deriuantium potestare, per rotam discurrit Aegyptum. Inirio diducitur, deinde continuatis aquis in faciem lati ac turbidi maris stagnat: cursum illi violentiamque eripit latitudo regionum, in quas extenditur, dextra leuaque totam amplexus Aegyptum. Quantum creuit Nilus, tantum spei in annnm est. Nec computatio fallit agricolam: adeo ad mensuram fluminis respondet, quam fertilem facit Nilus. Is arenoso & sitienti solo & aquam inducit & terram. Nam cum turbulentus fluat, omnem in siccis atque hiantibus locis faecem relinquit: & [a] quicquid pingue secum tulit, arentibus locis allinit: iuuatque agros duabus ex causis, & quòd inundat, & quòd oblimat. Ita quicquid non adiit, sterile ac squalidum iacet. Si creuit super debitnm, nocuit. Mira aeque natura fluminis, [b] quòd cum ceteri amnes abluant terras & euiscerent, Nilus tanto ceteris maior, adeo nihil exedit, nec abradit, vt contra adiiciat vires, minimumque in eo sit quod solum temperet. Illato enim limo, arenas saturat ac iungit. Debetque illi Aegyptus non tantum fertilitatem terrarum, sed ipsas. Illa facies pulcherrima est, cum iam se in agros Nilus ingessit. Latent campi, opertaeque sunt valles: oppida insularum modo extant. Nullum in mediterraneis, nisi per nauigia commercium est. Maiorque est laetitia gentibus, quo minus terrarum suarum vident. Sic quoque cum se ripis continet Nilus, per septena ostia in mare emittitur: quodcunque elegeris ex his, mare est. Mulros nihilominus ignobiles ramos in aliud atque aliud littus porrigit. Ceterum beluas, marinis vel magnitudine vel noxa pares, educat. Et ex eo quantus sit, aestimari potest, quòd ingentia animalia & pabulo sufficienti, & ad vagandum loco, continet. Babillus virorum optimus, in omni litterarum genere rarissimus, auctor est, cum ipse praefectus obtineret Aegyptum, [c] Heracleotico ostio Nili, quod est maximum, spectaculo sibi fuisse delphinorum a mari occurrentium, & crocodilorum a flumine aduersum agmen agentium, velut pro partibus proelium. Crocodilos ab animalibus placidis morsuque innoxiis victos. His superior pars corporis dura & impenetrabilis est, etiam maiorum animalium dentibus; at inferior mollis ac tenera: [e] hanc delphini spinis, quas dorso eminentes gerunt, submersi vulnerabant, & in aduersum enixi diuidebant. Recisis hoc modo pluribus, ceteri velut acie versa refugerunt. Fugax animal audaci, audacissimum timido. Nec illos Tentyritae generis aut sanguinis proprietate superant, sed contemptu & temeritate. Vltro enim insequuntur, fugientesque iniecto trahunt laqueo: plerique pereunt, quibus minus praesens animus ad persequendum fuit. Nilum aliquando marinam aquā detulisse, Theophrastus est auctor. Biennio continuo, regnante Cleopatra, non ascendisse, decimo regni anno & vndecimo constat. Significatam aiunt duobus rerum potientibus defectionem. Antonij enim Cleopatraeque defecit imperium. Per nouem annos non ascendisse Nilum superioribus saeculis, Callimachus est auctor. Sed nūc ad inspiciendas causas, propter quas aestate Nilus crescat, accedam, & ab antiquissimis incipiā. Anaxagoras ait, ex Aethiopiae iugis solutas niues ad Nilum vsque decurrere. In eadem opinione omnis vetustas fuit. Hoc Aeschylus, Sophocles, Euripides tradunt. Sed falsum esse, argumentis plurimis patet. Primo Aethiopiam feruentissimam esse, indicat hominum adustus color, & Troglodytae, quibus subterraneae domus sunt. Saxa velut igni feruescunt, non tantum medio, sed inclinato quoque die: ardens puluis, nec humani vestigij patiens: argentum replumbatur: signorum coagmenta soluuntur: nullum materiae superadornatae manet operimentum. Auster quoque, qui ex illo tractu venit, ventorū calidissimus est. Nullū ex his animalibus quae latent bruma, vnquam reconditur. Etiam per hiemem in summo & aperto serpens est. Alexandriae quoque, quae longe ab huiusmodi immodicis caloribus est posita, niues non cadunt: superiora etiam pluuia carent. Quemadmodum ergo regio tantis subiecta feruoribus duraturas per totam aestatem niues recipit? Quas sane aliqui montes illic quoque excipiāt:

nunquam tamen magis quàm Thraciae iuga aut Caucasus. Atqui horum montium flumina vere & prima aestate intumescunt, deinde hibernis minora sunt. Quippe vernis temporibus imbres niuem diluunt: reliquias eius primus calor dissipat. Nec Rhenus, nec Rhodanus, nec Ister, nec Caystrus subiacent malo: aestate ptoueniunt. Altissimae sunt & in illis Septenttrionalibus iugis niues. Phasis quoque per id tempus [7] & Borysthenes cresceret, si niues flumina possent contra aestatem magna producere. Praeterea si haec causa attolleret Nilum, aestate prima plenissimus flueret. [d] Tunc enim maximae & integrae adhuc niues, ex mollissimoque tabes est. Nilus autem per menses quattuor liquitur, & illi aequalis accessio est. Si Thaleti credis, Etesiae discedenti Nilo resistunt, & cursus eius acto contra ostia mari sustinent: ita reuerberatus in se recurrit: nec crescit, sed exitu prohibitus resistit, & quacunque mox potuit, inconcessus erumpit. [8] [e] Euthymenes Massiliensis testimonium dicit: Nauigaui, inquit, Atlanticum mare. Inde Nilus fluit maior, quamdiu Etesiae tempus obseruant: tunc enim eiicitur mare instantibus ventis. [f] Cum resederint, & pelagus conquiescit: minorque discedenti inde vis Nilo est. Ceterum dulcis maris sapor est, & similes Niloticis beluae. Quare ergo, si Nilum Etesiae prouocant, & ante illos incipit incrementum eius, & post eos durat? Praeterea non fit maior, quo illi flauere vehementius? Nec remittirur incitaturque, prout illis impetus fuit: quod fieret, si illorum viribus cresceret. Quid, quòd Etesiae littus Aegyptium verberant, & contra illos Nilus descendit, inde venturus, vnde illi, si origo ab illis esset. Praeterea ex mari purus & caeruleus efflueret, non vt nunc turbidus venit. Adde, quòd testimonium eius testium turba coarguitur. Tunc erat mendacio locus, cum ignota essent externa. Licebat illis fabulas mittere. Nunc vero tota exteri maris ora mercatorum nauibus stringitur: quorum nemo narrat nunc caeruleum Nilum, aut mare saporis alterius. quod & natura credi vetat: quia dulcissimum quodque & leuissimum sol trahit. Praeterea quare hieme non crescit? & tunc potest ventis concitari mare, aliquanto quidem maioribus. Nam Etesiae tẽperati sunt. Quòd si e mari ferretur Atlantico, semel oppleret Aegyptum. At nunc per gradus crescit. Oenopides Chius ait, hieme calorem sub terris contineri: ideo & specus calidos esse, & tepidiorem puteis aquam: itaque venas interno calore siccari. Sed in aliis terris augẽtur imbribus flumina. Nilum, quia nullo imbre adiuuetur, tenuari, deinde crescere per aestatem: quo tempore frigent interiora terrarum, & redit rigor fontibus. Quod si verum esset, aestate flumina crescerent, omnesque putei aestate abundarent. Deinde non calorem hieme sub terris esse maiorem. Aqua & specus & putei tepent: quia aera rigentẽ extrinsecus nõ recipiunt. Ita non calorẽ habent, sed frigus excludunt. [g] Ex eadem causa aestate refrigescũt: quia illo remotus, seductusque aer calefactus non peruenit. Diogenes Apolloniates ait: Sol humorem ad se rapit: hunc exsiccata tellus tum ex mari ducit, tum ex ceteris aquis. Fieri autem non potest, [h] vt vna sicca sit tellus, alia humeat. Sunt enim perforata omnia, & inuicem peruia. Sicca ab humidis sumunt aliquãdo. Nisi aliquid terra acciperet, exaruisset. Ergo vndas sol trahit: sed ex his quae premunt, maxime haec meridiana sunt. Terra cum exaruit, plus ad se humoris adducit: vt in lucernis oleum illo fluit, vbi exuritur: sic aqua illo incumbit, quo vis caloris & terrae aestuantis arcessit. [i] Vnde ergo trahitur? ex illis scilicet partibus semper hibernis, Septentrionalibus, vnde exundat. Ob hoc pontus in inferum mare assidue fluit rapidus, nõ vt cetera maria, alternatis vltro citro aestibus, in vnam partem semper pronus & torrens. [k] Quod nisi faceret, hisque itineribus, quod cuique deest, redderetur, quòd cuique superest, emitteretur; iam aut siccata essent omnia, aut inundata. Interrogare Diogenem libet, quare, cum pontus & amnes cuncti inuicem commeent, non omnibus locis aestate maiora sunt flumina? Aegyptum sol magis percoquit. Itaque Nilus magis crescit. Sed in ceteris quoque terris aliqua fluminibus fiat adiectio. Deinde quare vlla pars terrae sine humore est, cum omnis ad se ex aliis regionibus trahit: eoque magis, quo calidior est? Deinde quare Nilus dulcis est, si illi e mari vnda est? Nec enim vlli flumini dulcior gustus.

III. [y] Grandinem hoc modo fieri, si tibi affirmauero, quo apud nos glacies fit, gelata nube tota, nimis audacem rem fecero. Itaq; ex his me testibus numera secundae notae, qui vidisse quidem se negant, sed audisse. Aut quod historici faciũt, & ipse faciam. Illi cum multa mentiti sunt ad arbitrium suum, vnam aliquam rem nolunt spondere: sed adiiciunt, Penes auctores fides erit. Ergo si mihi parum credis, Posidonius tibi auctoritatẽ promittet, tam in illo quod praeteritum, quàm in hoc quod secuturum est. Grandinem enim fieri ex nube aquosa, etiam in humorem versa, sic affirmabit, tanquam interfuerit. Quare autem rotunda sit grando, etiã sine magistro scire potes, cũ adnotaueris, stillicidiũ omne conglomerari. Quod & in speculis apparet, quae humorem halitu colligunt, & in poculis sparsis, aliaque omni laeuitate: nam & in herbarum vel arborum foliis, si quae guttae adhaeserunt, in rotundum iacent.

Quid

Quid magis est saxo durum? quid mollius vnda?
Dura tamen molli saxa cauantur aqua.

aut, vt alius poeta ait:

Stillicidi casus lapidem cauat. ——

& haec ipsa excauatio rotunda fit. Ex quo apparet [l] illud, huic quoque simile esse quod ca-
uat. Locum enim sibi ad formam & habitum suum exculpit. Praeterea potest, etiam si non
fuerit grando talis, cum defertur, corrotundari, & toties per spatium aeris densi deuoluta
aequabiliter atque in orbem teri. Quod nix pati non potest: quia noo est tam solida, immo
fusa est, & oon per magnam altitudinem cadit, sed circa terras initium eius est. Ita non loo-
gius illi per aera, sed ex proximo lapsus est. Quare oon & ego idem mihi permittam, quod
Anaxagoras: cum inter nullos magis quàm inter philosophos esse debeat aequa libertas?
Grando nihil aliud est quàm suspensa glacies.[m] Nix in pruina pendeos congelatio. Illud e-
nim iam diximus, quod inter aquam & rorem interest, hoc inter pruinam & glaciem, nec-
non inter niuem & glaciem interesse. Poteram me, peracta quaestione, dimittere: sed IIII.
[10] bene emensum dabo: & quoniam coepi tibi molestus esse, quicquid in hoc loco quaeri-
tur, dicam. Quaeritur autem, quare hieme ninguat, non grandinet: & vere, iam frigore
infracto, grando cadat. Nam, vt fallar tibi, verum mihi quidem persuadetur, qui me vsque
ad meodacia haec leuiora, in quibus [11] os praecidi, non oculi erui solent, credulum prae-
sto. Hieme aer riget: & ideo nondum in aquam vertitur, sed in niuem, cui aer propior est.
Cum vèr coepit, maior inclinatio aeris sequitur, & calidiore caelo maiora fiunt stillicidia.
Ideo, vt ait Virgilius noster,

—— *Cum ruit imbriferum ver,*

vehementior immutatio est aeris vndique patefacti & soluentis se, ipso tempore adiuuan-
te. Ob hoc nimbi graues magis vastique quàm pertinaces deferuntur. Bruma lentas pluuias
habet & tenues: quales saepe solent interuenire, cum pluuia rara & minuta, niuem quoque
admixtam habet. Dicimus niualem diem, cum altum frigus, & triste caelum est. Praeter-
ea [n] aquilone flante, & suum caelum habente, minutae pluuiae sunt: Austro imber impro-
bior est, & guttae pleniores sunt. Rem a nostris positam nec dicere audeo, quia infir- V.
ma videtur: nec praeterire. Quid enim mali est, aliquid & faciliori iudici scribere? Immo
si omnia argumenta ad lancem coeperimus exigere, silentium indicetur. Pauca enim ad-
modum sunt sine aduersario. Cetera etiam si vincunt, litigant. Aiunt, quicquid circa Scy-
thiam & Pontum & Septentrionalem plagam glaciatum & astrictum est, vere relaxari. Tūc
flumina gelata discedere, tunc obrutos montes niuem soluere. Credibile est ergo, frigidos
spiritus inde fieri, & verno caelo immisceri. Illud quoque adiiciunt, quod nec sum exper-
tus, nec experiri cogito. Tu quoque, censeo, si volueris verum exquirere, niuem ita caue ex-
periaris. Minus algere aiunt pedes eorum, qui fixam & duram niuem calcant, quàm eo-
rum qui teneram & labefactam. Ergo, si non mentiuntur, quicquid ex illis Septentrionali-
bus locis iam distributa niue & glacie frangente se fertur, id meridianae partis tepētem iam
humidumque aera alligat, & perstringit. Itaque cum pluuia futura erat, grando fit, iniuria
frigoris. [12] Non tempero mihi, quo minus omnium oostrorum ineptias proferā. Quos- VI.
dam peritos obseruandarum nubium esse affirmant, & praedicere cum grando ventura sit:
& hoc intelligere vsu ipso potuisse, cum colorem nubium ootasseot, quem grando toties in-
sequebatur. Illud iocredibile, Cleonis fuisse publice praepositos χαλαζοφύλακας, speculato-
res futurae grandinis. Hi cum signum dedissent, adesse iam grandinem, quid expectas? vt ho-
mines ad penulas discurrerent, aut ad scortea? Immo pro se quisque alius agnum immola-
bat, alius pullum. Protinus autem illae nubes alio declinabant, cum aliquid gustassent san-
guinis. Hoc rides. Accipe, quod rideas magis. Si quis nec agnum nec pullum habebat, quod
sine damno fieri poterat, manus sibi afferebat. Et ne tu auidas aut crudeles existimes nubes,
digitum suum bene acuto graphio pungebat, & hoc sanguine litabat. Nec minus ab huius
agello grando se auertebat, quàm ab illo, in quo maioribus hostiis exorata erat. Ratio- VII.
nem huius rei quidam quaerunt. Alteri, vt homines sapientissimos decet, negant posse fieri,
vt cum grandine aliquis paciscatur, & tempestates munusculis redimat, [13] quamuis mu-
nera etiam deos vincant. Alteri suspicari ipsos aiunt, esse in ipso sanguine vim quandam
potentem auertendae nubis, ac repellendae. Sed quomodo in tam exiguo sanguine po-
test esse vis tanta, vt in altum penetret, & eam sentiant nubes? Quanto expeditius erat
dicere, Mendacium & fabula est? At Cleonis iudicia reddebant in illos, quibus delegata
erat cura prouidendae tempestatis: quòd negligentia eorum vineae vapulassent, aut sege-
tes procidissēt. Et apud nos in duodecim tabulis cauetur, ne quis alienos fructus excātassit.

Rudis adhuc antiquitas credebat & attrahi imbres cantibus, & repelli: quorum nihil posse
VIII. fieri, tam palam est, vt huius rei causa nullius philosophi schola intranda sit. * 14 Vnam rem adhuc adiiciã, & fauere, ac plaudere te iuuabit. Aiunt niuem in ea parte aeris fieri, quae prope terras est. Hanc enim plus habere caloris ex tribus causis. Vna, quòd omnis terrarum euaporatio, cum multum intra se feruidi aridique habeat, hoc est calidior, quo recẽtior. Altera, quòd radij solis a terra resiliunt, & in se recurrunt. Horum duplicatio proxima quaeque a terris calefacit. Quae ideo plus habent teporis, quia solem bis sentiunt. Tertia causa est, quòd magis superiora perflantur. At quaecunque depressa sunt, minus ventis verberantur.
IX. Accedit his ratio Democriti. Omne corpus quo solidius est, hoc calorem citius concipit, & diutius seruat. Itaque si in sole posueris aeneum vas & vitreum & argenteum, aeneo citius calor accedet, diutius haerebit. Adiicit deinde, quare hoc existimet fieri. His, inquit, corporibus, quae duriora, & pressiora densioraque sunt, necesse est minora foramina esse, & tenuiorem in singulis spiritum. Sequitur vt quemadmodum minora balnearia & minora miliaria citius calefiunt, sic haec foramina occulta & oculos effugientia, & celerius feruorem sentiant, & propter easdem angustias quicquid receperunt, tardius reddant.
X. Haec longe praeparata ad id perducunt, de quo nunc quaeritur. Omnis aer quo propior est terris, hoc crassior. Quemadmodum in aqua & in omni humore faex ima est: ita in aere spississima quaeque desidunt. Iam autem probatum est, omnia quo crassioris solidiorisque materiae sunt, hoc fidelius custodire calorem receptum: sed quo editior est aer, & quo longius a terrarum colluuie recessit, hoc sincerior puriorque est. Itaque solem non retinet, sed velut
XI. per inane transmittit: ideo minus calefit. Contra autem quidam aiunt, cacumina mõtium hoc calidiora esse debere, quo soli propiora sunt. Qui mihi videntur errare, quòd Apenninum & Alpes, & alios notos ob eximiam altitudinem montes intantum putant crescere, vt illorum magnitudo sentire solis viciniam possit. Excelsa sunt ista, quamdiu nobis comparantur: at vero vbi ad vniuersum respexeris, manifesta est omnium humilitas. Inter se vincuntur, & vincunt. Ceterum intantum nihil attollitur, vt collatione totius nulla sit vel maximis portio: quod nisi esset, non diceremus, totum orbem terratum pilam esse. Pilae proprietas est, cum aequalitate quadam rotunditas: aequalitatem autem hanc accipe, quam vides in lusoria pila. Non multum illi commissurae & rimae earum nocent, quo minus par sibi ab omni parte dicatur. quomodo in hac pila, nihil illa interualla officiunt ad speciem rotundi, sic nec in vniuerso quidem orbe terrarum editi montes, quorum altitudo totius mundi collatione consumitur. Qui dicit altiorem montem, quia solem propius excipiat, magis calere debere: idem dicere potest, longiorem hominem citius quàm pusillum debere calefieri, & citius caput eius quàm pedes. At quisquis mundum mensura sua aestimauerit, & terram cogitauerit tenere puncti locum, intelliget nihil in illa posse ita eminere, vt caelestia magis sentiat, velut in propinquum illis accesserit. Montes isti quos suspicimus, & vertices aeterna niue obsessi, nihilominus in imo sunt: & propius quidem soli est mons, quàm campus aut vallis: sed sic, quo modo est pilus pilo crassior. Isto enim modo, & arbor alia magis quã alia dicetur vicina caelo: quod falsum est: quia inter pusilla non potest esse magnum discrimen, nisi dum inter se comparantur. Vbi ad collationem immensi corporis ventum est, nihil interest quanto alterum altero sit maius: quia etiam si magno discrimine, tamen
XII. minima dicuntur. Sed vt ad propositum reuertar, propter has quas retuli causas, plerisque placuit, in ea parte aeris niuem concipi, quae vicina terris est: & ideo minus alligari, quia minore frigore coit. Nam vicinus aer & plus habet frigoris, quàm vt in aquam & imbrem transeat, & minus quàm vt duretur in grandinem. Hoc medio frigore non nimis in-
XIII. tento niues fiunt coactis aquis. Quid istas, inquis, ineptias, quibus nec litteratior fit quisquam, nec melior, tam operose persequeris? Quomodo fiant niues, dicis: cum multo magis ad nos dici a te pertineat, quare emendae non sint niues. Iubes me cum luxuria litigare. Quotidianum istud & sine effectu iurgium est. Litigemus tamen: etiam si superior futura est, pugnantes ac reluctantes vincat. Quid porro? Hanc ipsam inspectionem naturae nihil iudicas ad id, quod vis, conferre? Cum quaerimus, quomodo nix fiat, & dicimus illam pruinae similem habere naturam, plus illi spiritus quàm aquae inesse, non putas exprobrari illis: cum emere aquam turpe sit, si nec aquam quidem emunt? Nos vero quaeramos potius, quomodo fiant niues, quàm quomodo seruentur: quoniam non contenti vina diffundere veterana, & per sapores aetatesque disponere, inuenimus quomodo stiparemus niuem, vt ea aestatem euinceret, & cõtra anni feruorem defenderetur loci frigore. Quid hac diligentia consecuti sumus? Nempe vt gratuitam mercemur aquam. Nobis dolet, quòd spiritum, quòd solẽ emere non possumus, quòd hic aer etiam delicatis diuitibusque ex facili

li nec emptus venit. O quàm nobis male est, quòd quicquam a rerum natura in medio relictum est. Hoc quod illa fluere & patere omnibus voluit, cuius haustum vitae publicum fecit: hoc quod tam homini, quàm feris auibusque, & inertissimis animalibus, in vsum large ac beate profudit, contra se ingeniosa luxuria redegit ad pretium. Adeo nihil potest illi placere, nisi carum. Vnum hoc erat, quod diuites in aequum turbae deduceret, quo vno non possent antecedere pauperrimum. Illi cui diuitiae molestae sunt, excogitatum est, quemadmodum etiam aqua caperet luxuriam. Vnde ad hoc peruentum sit, vt nulla nobis aqua satis frigida videretur quae flueret, dicam. Quamdiu sanus & salubris cibi capax stomachus est, impleturque, non premitur, naturalibus fomentis contentus est. Vbi quotidianis cruditatibus non temporis aestus, sed suos sentit, vbi ebrietas continua visceribus insedit, & praecordia bile, in quam vertitur, torret, aliquid necessario quaeritur, quo aestus ille frangatur, qui ipsis aquis incalescit, remediis incitat vitium. Itaque non aestate tantũ, sed & media hieme niuem hac causa bibunt. Quae huius rei causa est, nisi intestinum malum, & luxu corrupta praecordia, quibus nullum interuallum vnquam quo interquiescerent, datũ est, sed prãdia coenis vsque in lucem perductis ingesta sunt, & distẽtos copia ferculorum ac varietate, comessatio altius mersit? Deinde nunquam intermissa intemperantia, quicquid ante decoxerat, efferauit, & in desiderium semper noui rigoris accẽdit. Itaque quamuis coenationem velis ac specularibus muniant, & igne multo doment hiemem, nihilominus stomachus ille solutus, & aestu suo languidus, quaerit aliquid quo erigatur. Nam sicut animo relictos stupentesque frigida spargimus, vt ad sensum sui redeant: ita viscera istorum vitiis torpentia nihil sentiunt, nisi frigore illa vehementiore perusseris. Inde est, inquam, quod nec niue quidem contenti sunt, sed glaciem, velut certior illi ex solido rigor sit, exquirunt, ac saepe repetitis aquis diluunt: quae non e summo tollitur, sed vt vim maiorem habeat, & pertinacius frigus, ex abdito effoditur. Itaque ne vnum quidem eius est pretium: sed habet institores aqua, & annonam, pro pudor, variam. Vnguentarios Lacedaemonij vrbe expulerũt, & propere cedere finibus suis iusserunt, quia oleum disperderent. Quid illi fecissent, si vidissent reponendae niuis officinas, & tot iumenta portandae aquae deseruientia, cuius colorem saporemque paleis, quibus custodiunt, inquinant? At, dij boni, quàm facile est extinguere sitim sanam. Sed quid sentire possunt emortuae fauces, & occallatae cibis ardentibus? Quemadmodum nihil illis satis frigidum, sic nihil satis calidũ est. Sed ardentes boletos, & raptim condimento suo mersatos, demittunt paene fumantes, quos deinde restinguant niuatis potionibus. Videbis, inquam, quosdam graciles, & palliolo focalique circumdatos, pallentes & aegros, non sorbere solum niuem, sed etiam esse, & frusta eius in scyphos suos deiicere, ne inter ipsam bibendi moram tepescant. Sitim istam esse puras? Febris est: & quidem eo acrior, quòd nõ tactu venarum, nec in cutem effuso calore deprehenditur. Sed cor ipsum excoquit luxuria, inuictum malum, & ex molli fluidoque durum atque patiens. Non intelligis, omnia consuetudine vim suam perdere? Itaque nix ista, in qua etiamnum natatis, eo peruenit vsu, & quotidiana stomachi seruitute, vt aquae locum obtineat. Aliquid adhuc quaerite illa frigidius, quia pro nihilo est familiaris rigor.

M. ANTONII MVRETI AD LIBRVM QVARTVM NATVRALIVM SENECAE quaestionum Notae.

Vt omnes disputationes suas, vsitata sibi consuetudine, sermone aliquo, qui ad formandos mores pertineat, condiat; de Nilo, grandine, niue, pluuiaque dicturus, elegantissimo prooemio vtitur de vitandis adulatoribus: & quantopere eorum consuetudo tum periculosa, tum perniciosa sit. In eo emẽdando quid praestiterim & ipse mihi conscius sum, & sciet, si quis hos libros cum antea editis conferre voluerit.

1 Ante Villeum] *Parum abest, quin legendum suspicer* Velleum, *vt intelligatur Velleius Paterculus, cuius fragmenta quaedam historiarum extant. Ille quidem certe perfrictae frontis adulator fuit.*

AD CAP. I.

Q[2]VID ita Nilus aestiuis mensibus abundet.] *De hac nobilissima quaestione multa disputat Herodotus libro secundo, sed multo copiosius multoque eruditius Diodorus Siculus libro*

primo bibliothecae. Vide & Solinum capite XLV. *& Plinium capite nono libri quinti, & Heliodorum libro secundo Aethiopicon.*

AD CAP. II.

P[1]ROINDE aut sterilis annus] *Plinius:* In duodecim cubitis famem sentit: in tredecim etiamnum esurit: XIIII cubita hilaritatem afferunt, XV securitatem, XVI delicias.

4 Cum poeta meo] *Id est, secum. erat enim & hic Lucilius poeta. Alij inepte,* cum poeta in eo.

5 Ouidium] *Memoriae lapsus. Tibulli enim versus est, non Ouidij.*

Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
  Arida nec pluuio supplicat herba Ioui.

6 Hanc delphini] *Et de hoc naturali astu delphinorum aduersus Crocodilos, & de Tentyritarum audacia vide Plinium cap.* XXV. *libri octaui.*

7 Et Borysthenes] *Inepte alij,* eas oras tenens.

8 Eudimenes Massiliensis] *Legendum* Euthymenes, *e libro quarto eorum qui Plutarcho tribuuntur, de placitis philosophorum.*

AD CAP. III.

G[9]RANDINEM] *Aristoteles capite* XII. *libri primi Meteorologicon.*

AD CAP. IIII.

B[10]ENE emensum dabo:] *Bene emensum vocat* ἐπίμετρον, *auctarium, corollarium. vt cum multis modiis tritici pugillos aliquot pro cumulo adiiciunt.*

11 Os praecidi, non oculi erui solent,] *Praecidere, aut fortaßis praecludere os audientibus videtur, qui ita mentiuntur, vt contra dici non facile poßit: at oculos eruere, qui non verentur ea pro veris affirmare, quae aspectu ipso mendacij coargui possunt. Excaecare enim eos qui audiunt, quantum in ipsis est, videntur.*

AD CAP. VI.

N[12]ON tempore mihi,] *Horum speculatorum futurae grandinis meminit & Plutarchus libri septimi sympofiacon capite secundo. Et ne tota res, quae alioqui primo aspectu ridicula est, fabulosa existimetur, grauis & sanctus scriptor, Clemens Alexandrinus, putat magos fuisse, qui longa eorum quae in sublimi fierent obseruatione, grandinem imminentem praenoscerent, & illis impiis sacrificiis, aut sanguinis e digito effusione, populum in impietate ac superstitione retinerent. Vide eum libro sexto Stromateon.*

AD CAP. VII.

Q[13]VAMVIS munera etiam deos vincant.] *Respicit ad illud Homericum,*

Δῶρα θεοὺς πείθει, δῶρ' αἰδοίους βασιλῆας

AD CAP. VIII.

D[14]E *origine niuis, de qua hic agitur, videndus Aristoteles capite vndecimo libri primi Meteorologicon.*

L. ANNAEI SENECAE AD LVCILIVM NATVRALIVM QVAESTIONVM LIBER V.

In quo de ventis & aeris motu agitur.

CAP. I.

VENTVS est fluens aer. Quidam ita definierunt: Ventus est aer fluens in vnam partem. Haec definitio videtur diligentior: quia nunquam aer tam immobilis est, vt non in aliqua sit agitatione. Sic tranquillum mare dicitur, cum leuiter commouetur, nec in vnam partem inclinatur. Itaque si legeris,

Cum placidum ventis staret mare:

scito illud non stare, sed succuti leuiter: & dici tranquillum, quia nec huc nec illo impetum capiat. Idem & de aere iudicandum est, non esse vnquam immobilem, etiam si quietus sit. Quod ex hoc intelligas licet. Cum sol in aliquem clausum locum infusus est, videmus corpuscula minuta in aduersum ferri, alia sursum, alia deorsum, varie concursantia. Ergo parum diligenter comprehendet quod vult, qui dixerit, Fluctus est maris

agitatio:

agitatio: quia tranquillum quoque agitatur. At ille abunde sibi cauerit, cuius haec definitio
fuerit: Fluctus est maris in vnam partem agitatio. Sic in hac quoque re, de qua cummaxime
quaerimus, non circumscribetur, qui ita se gesserit, vt dicat: Ventus est fluens aer in vnam
partem: aut, Ventus aer est fluens impetu, aut vis aeris in vnam partem euntis, aut cursus ae-
ris aliquo concitatior. Scio quid responderi pro definitione altera possit. Quid necesse est
adiicere te, in vnam partem fluens aer? Vtique enim quod fluit, in vnam partem fluit. Ne-
mo aquam fluere dicit, si tantum intra se mouetur, sed si aliquo fertur. Potest ergo aliquid
moueri, & non fluere: at e contrario non potest fluere, nisi in vnam partem. Sed si haec bre-
uitas satis a calumnia tuta est, hac vtamur. Si vero aliquis circumspectior est, verbo non par-
cat, cuius adiectio cauillationem omnem poterit excludere. Nunc ad ipsam rem acceda-
mus, quoniam satis de formula disputatum est. Democritus ait, cum in angusto inani II.
multa sunt corpuscula, quae ille atomos vocat, sequi ventum. At contra, quictum & placi-
dum aeris statum esse, cum in multo inani pauca sunt corpuscula. Nam quemadmodum in
foro aut vico quamdiu paucitas est, sine tumultu ambulatur: vbi turba in angustum cucur-
rit, aliorum in alios incidentium rixa fit: sic in hoc quo circumdati sumus spatio, cum exi-
guum locum multa corpora impleuerint, necesse est alia aliis incidant, & impellantur ac re-
pellantur, implicenturque & comprimantur, ex quibus nascitur ventus, cum illa quae col-
luctabantur incubuere, & diu fluctuata ac dubia inclinauere se. At vbi in magna laxitate
corpora pauca versantur, nec arietare possunt, nec impelli. Hoc falsum esse, vel ex eo III.
colligas licet, quòd tunc interim minime ventus est, cum aer nubilo grauis est. Atqui tunc
plurima corpora se in angustum contulere: & inde spissior nubium grauitas est. Aduce nūc,
quòd circa flumina & lacus frequens nebula est, arctatis coniunctisque corporibus, nec ta-
men ventus est. Interdùm vero tanta caligo effunditur, vt conspectum in vicinio stantium
eripiat: quod non eueniret, nisi in paruum locum corpora se multa compellerent. Atqui nul-
lum tempus magis, quàm nebulosum, caret vento. Adüce nunc, quod e contrario venit, vt
sol matutinum aera spissum & humidum ortu suo tenuet. Tunc sorgit aura, cum datum est
laxamentum corporibus, & stipatio illorum ac turba resoluta est. Quomodo, inquis, IIII.
ergo venti fiunt, quos non negas fieri? Non vno modo. Alias enim terra ipsa magnam
vim aeris eiicit, & ex abdito spirat: alias cum magna [1] & continua ex imo euaporatio in
altum agit quae merserat, immutatio ipsa halitus mixti in ventum vertitur. Illud enim nec
vt credam, mihi persuaderi potest, nec vt taceam: [2] quomodo in nostris corporibus ex ci-
bo fit inflatio, quae non sine magna narium iniuria emittitur, & ventrem interdum cum
sono exonerat, interdum secretius: sic putant & hanc magnam rerum naturam alimenta
mutantem emittere spiritum. Bene nobiscum agitur, quòd semper excoquit. Alioquin im-
mundius aliquid timeremus. Nunquid ergo hoc verius est, dicere, multa ex omni parte
terrarum & assidua ferri corpuscula: quae, cum coaceruata sunt, deinde extenuari sole coe-
perint, quia omne quod in angusto dilatatur, spatium maius desiderat, ventus existit?
Quid ergo? hanc solam esse causam venti existimas, aquarum terrarumque euaporationes? V.
Ex his grauitatem aeris fieri, deinde solui impetu, cum quae densa steterant, vt est necesse,
extenuata nituntur in ampliorem locum? Ego vero & hanc iudico. Ceterum illa est lon-
ge verior causa, valentiorque, habere aera naturalem vim mouendi se: nec aliunde con-
cipere, sed inesse illi vt aliarum rerum, ita huius potentiam. An hoc existimas, nobis qui-
dem datas vires esse, quibus nos moueremus, aera autem inertem, inagitabilem relictum
esse? cum aqua motum suum habeat, etiam ventis quiescentibus: nec enim aliter anima-
lia edere posset. Muscum quoque inasci aquis, & herbosa quaedam videmus, summo
innatantia. Est ergo aliquid in aqua vitale. De aqua dico? Ignis qui omnia consumit, VI.
quaedam etiam creat: & quod videri non potest simile veri, sed tamen verum est, [3] ani-
malia igne generantur. Habet ergo aliquam vim talem aer, & ideo modo spissat se, mo-
do expandit & purgat: alias contrahit, alias diducit, ac differt. Hoc ergo interest inter ae-
ra & ventum, quod inter lacum & flumen. Aliquando per se ipse sol causa venti est, fun-
dens rigentem aera, & ex denso coactoque explicans. In vniuersum de ventis dixi- VII.
mus: [4] nunc viritim incipiemus illos excutere. Fortasse apparebit quemadmodum fiant,
si apparuerit, quando & vnde procedant. Primum ergo antelucanos flatus inspiciamus,
qui aut ex fluminibus, aut ex conuallibus, aut ex aliquo sinu feruntur. Nullus ex his perti-
nax est, sed cadit fortiore iam sole: nec fertur vltra terrarum aspectum. Hoc ventorum ge-
nus incipit vere, nec vltra aestatem durat. Et inde maxime venit, vbi aquarum plurimum
& montium est. Plana licet abundent aquis, tamen carent aura: hac dico, quae pro vento
valet. Quomodo ergo talis flatus concipitur, quem Graeci ἐγκολπίαν vocāt? Quicquid VIII.

ex se paludes & flumina emittunt (id autem & multum est, & assiduum) per diem solis ali-
mentum est: nocte non exhauritur, sed montibus inclusum, in vnam regionem colligitur.
Cum illam impleuit, & iam se non capit, sed exprimitur aliquo, & in vnam partem procedit:
hic ventus est. Itaque eo incumbit, quo liberior exitus inuitat, & loci laxitas, in quam coa-
ceruata incurrant. Huius rei argumentum est, quòd prima noctis parte non spirat. Incipit
enim fieri tunc illa collectio, quae circa lucem iam plena est, & onerata, quaerit quò de-
fluat: & eo potissimum exit, vbi plurimum vacui est, & magna ac patens area. Adiicit autem
ei stimulos ortus solis, feriens gelidum aera. Nam etiam antequam appareat, lumine ipso
valet: & nondum quidem aera radiis impellit, iam tamen lacessit & irritat, luce praemissa.
Nam cum ipse processit, alia superius rapiuntur, alia diffunduntur tepore. Ideo non vltra
matutinum illis datur flare. omnis illorum vis conspectu solis extinguitur: etiam si violen-
tiores flauere, circa medium tamen diem relanguescunt: nec vnquam vsque in meridiem
aura producitur. Alia autem imbecillior ac breuior est, prout valentioribus minoribusve
IX. collecta causis est. Quare tamen tales venti vere & aestate validiores sunt? Leuissimi e-
nim cetera parte anni, nec qui vela impleant, surgunt. Quia ver aquosius est, & ex plurimis
aquis, locisque ob humidam caeli naturam saturis & redundantibus, maior euaporatio est.
At quare aestate aeque profunditur? Quia post occasum solis remanet diurnus calor, & ma-
gna noctis parte perdurat: qui euocat exeuntia, ac vehementius trahit, quicquid ex his
sponte reddi solet: deinde non tantum habet virium, vt quod euocauit, absumat. Ob hoc
diutius corpuscula emanare solita, & efflare, terra ex se atque humor emittit. Facit autem
ventum sol ortus, non calore tantum, sed etiam ictu. Lux enim (vt dixi) quae solem an-
tecedit, nondum aera calefacit, sed percutit tantum: percussus autem in latus cedit. Quan-
quam ego ne illud quidem concesserim, lucem ipsam sine calore esse, cum ex calore fiat.
Non habet forsitan tantum teporis, quantum tactu appareat. Opus tamen suum facit, &
densa diducit ac tenuat. Praeterea loca, quae aliqua iniquitate naturae ita clausa sunt, vt
solem accipere non possint, illa quoque nubila & tristi luce calefiunt, & per diem minus
quàm noctibus rigent. Etiamnum natura calor omnis abigit nebulas, & a se repellit. Ergo
sol quoque idem facit. Et ideo quibusdam videtur, inde flatus esse, vnde sol. Hoc falsum
esse ex eo apparet, quod aura in omnem partem vehit, & contra ortum plenis velis nauiga-
X. tur. Quod non eueniret, si semper ventus ferretur a sole. Etesiae quoque, qui in argu-
mentum a quibusdam aduocantur, non nimis propositum adiuuant. Dicam primum quid
illis placeat: deinde, cur displiceat mihi. Etesiae, inquiunt, hieme non sunt: quia breuissi-
mis diebus sol desinit, priusquam frigus euincatur. [b] Itaque niues & ponuntur, & duran-
tur. Aestate incipiunt flare, cum & longius extenditur dies, & recti in nos radij diriguntur.
Veri ergo simile est, concussas calore magno niues plus humidi efflare. Item terras exone-
ratas niue, retectasque spirare liberius. Itaque plura ex Septentrionali parte caeli corpora
exire, [c] & in haec loca quae remissiora ac tepidiora sunt, deferri. Sic impetum Etesias su-
mere: & ob hoc a solstitio illis initium est, vltraque ortum caniculae non valent: quia iam
multum e frigida caeli parte in hanc egestum est. [d] At sol mutato cursu in nostram rectior
tenditur: & alteram partem aeris attrahit, aliam vero impellit. Sic ille Etesiarum flatus ae-
XI. statem frangit, & a mensium feruentissimorum grauitate defendit. Nunc, quod promi-
si, dicendum est, quare Etesiae illos non adiuuent, nec quicquam huic conferant causae.
Dicimus autem luce auram incitari, tandem subsidere, cum illam sol attigit. Atqui Etesiae
ob hoc somniculosi a nautis, & delicati vocantur, quòd (vt ait Gallio) mane nesciunt sur-
gere: eo tempore incipiunt prodire, quo ne pertinax quidem aura est. quod non accideret,
si vt auras, ita illos sol commoueret. Adiice nunc, quòd si causa illis flatus est, spatium diei ac
longitudo, etiam ante solstitium flarent, cum longissimi dies sunt, & cummaxime niues ta-
bescunt. Iulio enim mense iam dispoliata sunt omnia, aut certe admodum pauca iacent ad-
XII. huc sub niue. Sunt quaedã genera ventorũ, quae ruptae nubes & in pronũ solutae prae-
mittunt. Hos Graeci ventos ἐκνεφίας vocant. Qui hoc (vt puto) modo fiunt. Cũ magna in-
aequalitas ac dissimilitudo corporum, quae vapor terrenus emittit, in sublime eat, & alia ex
his corporibus sicca sint, alia humida: ex tanta discordia corporum inter se pugnantiũ, cum
in vnum conglobata sunt, verisimile est quasdam cauas effici nubes, & interualla inter illas
relinqui fistulosa, & in modum tibiae angusta. His interuallis tenuis includitur spiritus: qui
maius desiderat spatium, cum euerberatus cursu parũ libero incaluit: & ob hoc amplior fit,
sciditque cingentia, & erumpit in ventum: qui fere procellosus est, [e] quia superne demitti-
tur, & in nos cadit vehemens & acer: quia non fusus, nec per apertũ venit, sed laborat, & iter
sibi vi ac pugna parat. Hic fere breuis flatus est. Quia receptacula nubiũ per quae ferebatur,
ac

ac munimenta perrumpit,ideo tumultuosus venit aliquandò,non sine igne ac sono caeli. Hi venti multo maiores diuturnioresque sunt, si alios quoque flatus ex eadem causa ruentes in se abstulere,& in voum cōfluxere plures:sicut torrentes modicae magnitudinis eunt,quamdiu separatis suus cursus est:cum vero plures in se aquas conuertere, fluminum iustorum ac perennium magnitudinem excedunt. Idem credibile est fieri & in procellis, vt sint breues quamdiu singulae sunt:vbi vero sociauere vires, [f] & ex pluribus caeli partibus elisus spiritus eodem se contulit,& impetus illis accedit,& mora. Facit ergo ventum resoluta oubes: XIII. quae plurimis modis soluitur. Nonnuoquam conglobatiooem illam spiritus rumpit inclusi & in exitum nitentis luctatio:oonnūquam calor,quem modo sol fecit,modo ipsa arietatio, vt magoorum inter se corpotum attritus. [g] Hoc loco,si tibi videtur,quaeri potest,cur turbo fiat,qui euenire in fluminibus solet,vt quàm diu sine impedimento feruntur, simplex & rectum illis iter sit:vbi incurrere in aliquod saxum ad latus ripae prominens,retorqueantur,& in orbem aquas sine exitu flectant,ita vt circumlatae in se sorbeantur,& vorticem efficiant. Sic ventus quamdiu nihil obstitit,vires suas effundit. Vbi aliquo promuntorio repercussus est, aut vi locorum coeuntium [h] in canalem conuexum tenuemque collectus, saepius in se voluratur, similemque illis, quas diximus conuerti, aquis facit vorticem. Hic ventus circumactus,& eundem ambiens locum,& se in ipsa vertigioe concirans,turbo est. Qui si pugnacior est,ac diutius volutatur,inflammatur, & efficit [i] quem πρηστῆρα Graeci vocant. Hic est igneus turbo. Hi fere omnia pericula venti erupti de oubibus produnt, [k] quibus armamenta rapiantur,& totae naues in sublime tollantur. Etiamnum quidem venti diuersos ex se generant,& impulsum aera in alias quoque partes, quàm in quas ipsi inclinauere, dispergunt. Illud quoque dicam,quod mihi occurrit,quemadmodum stillicidia, quamuis iam inclinent se & labantur, nondum tamen effecere lapsum, sed vbi plura coiere, & turba vires dedit, tunc fluere & ire dicuntur: sic quamdiu leues sunt aeris motus, agitati pluribus locis, nondum ventus est: [l] tunc esse incipit, cum omnes illos miscuit, & in voum impetum cootulit. Spiritum a vento modus separat: vehementior enim spiritus ventus est: inuicem spiritus leuiter fluens aer. Repetam nunc quod primo dixeram,edi e specu venros, re- XIIII. cessuque interiore terrarum. [m] Non tota solida contextu terra in voum vsque fundatur, sed multis partibus caua,

——Et caecis suspensa latebris,

alicubi habet inania sine humore. Ibi etiam si nulla lux discrimen aeris monstrat, dicam tamen nubes nebulasque in obscuro coosistere. Nam ne hae quidem supra terras,quia videntur,suot:sed quia sunt,videntur. Illic quoque nihilominus ob id sunt, [n] quòd noo videntur. Flumina illic scias licet, nostris paria, sublabi: alia leuiter ducta, alia in confragosis locis praecipirando sonantia. Quid ergo? non illud aeque dabis,esse aliquos & sub terra lacus, & quasdam aquas sine exiru stagnare? Quae si ita sunt, necesse est & illud, aera ooerari,oneratumque incumbere, & ventum propulsu suo concitare. Ex illis ergo subterraneis nubibus sciemus nuttiri inrer obscura flarus, cum tantum virium fecerint, quanto aut terrae obstantia auferant,aut aliquod apertum ad hos afflatus irer occupent,& per hanc cauernam in nostras sedes efferantur. Illud vero manifestum est, magnam esse sub terris vim sulphuris,& aliorum non minus ignem alentium. Per haec loca cum se, exitum quaerens, spiritus torsit, accēdat flammam ipso obstrictu necesse est. Deinde flammis latius fusis,etiam si quid ignaui aeris erat,extenuatum moueri,& viam cum fremitu vasto atque impetu quaerere. Sed hoc diligentius persequar,cum quaeram de motibus terrae. Nūc mihi permitte narrare fa- XV. bulam. Asclepiodotus auctor est, demissos quamplurimos a Philippo in metallū antiquum olim destitutum, vt explorarent quae vbertas eius esset, quis status,an aliquid futuris reliquisset vetus auaritia: descendisse illos cum multo lumine, & multos durasse dies: deinde longa via fatigatos,vidisse flumina ingentia, & cooceptus aquarum inertium vastos, pares nostris,nec compressos quidem terra supereminente, sed liberae laxitatis,non sine horrore visos. Cum magna haec legi voloptate: intellexi eoim saeculum nostrum,non nouis vitiis, sed iam aotiquitus traditis laborare:nec oostra aetare primum auaritiam,venas terrarum lapidumque rimatam,in tenebris male obstrusa quaesisse. Illi quoque maiores oostri,quos celebramus laudibus,quibus dissimiles querimur nos esse,spe ducti, mōtes caeciderunt,& supra lucrum sub ruina steteruot. Anre Philippum Macedonem reges fuere, qui pecuniam in altissimis vsque latebris sequerentur,& relicto spiritu libero,in illos se demitterent specus,in quos nullum noctium dierumque perueniret discrimen,& a tergo lucem relinquerēt. Quae tanta spes fuit? Quae taota necessitas hominem ad sidera erectum incuruauit,& defodit, & in fundū telluris intimae mersit,vt erueret aurum,non minore periculo quaerendum,quàm

possidendum? Propter hoc cuniculos egit, & circa praedam lutulentam incertamque raptauit, ° oblitus dierum, oblitus naturae melioris, a qua se auertit. Nulli ergo mortuo terra tam grauis est, quàm istis supra quos auaritia vrgens terrarum pōdus iniecit, quibus abstulit caelum, quos in imo, vbi illud malum virus latitat, infodit. Illò descendere ausi sunt, vbi nouam rerum positionem, terrarumque pendentium babitus, ventosque per caecum inane experirētur, & aquarum in illis fluentium horridos fontes, & altam perpetuamque noctem.

XVI. Deinde cum ista fecerint, inferos metuunt. Sed vt ad id de quo agitur, reuertar, venti quattuor sunt, in ortum, occasum, meridiem, septētrionemque diuisi. Ceteri, quos variis nominibus appellamus, his applicantur.

Eurus ad auroram Nabatheaque regna recessit,
Persidaque, & radiis iuga subdita matutinis.
Vesper & occiduo quae littora sole tepescunt,
Proxima sunt Zephyro. Scythiam septemque triones
Horrifer inuasit Boreas. contraria tellus
Nubibus assiduis, pluuioque madescit ab Austro.

Vel, si breuius illos complecti mauis, in vnam tempestatem (quod fieri nullo modo potest) congregentur:

Vna Eurusque, Notusque ruunt, creberque procellis
Africus. ——

Et qui locum in illa rixa non habuit, Aquilo. Quidam illos duodecim faciunt. Quattuor enim caeli partes in ternas diuidunt, & singulis ventis binos suffectos dant. Hac arte Varro, vir diligens, illos ordinat: nec sine causa. Non enim eodem semper loco sol oritur, aut occidit. Sed alius est ortus occasusque aequinoctialis (bis autem aequinoctium est:) alius solstitialis, alius hibernus. Qui surgit ab oriente aequinoctiali, Subsolanus apud nos dicitur: Graeci illum ἀφηλιώτην vocant. Ab oriente hiberno Eurus exit: quem nostri vocauere Vulturnum. Et Liuius hoc illum nomine appellat, in illa pugna Romanis parum prospera, in qua Hannibal & contra solem orientem exercitum nostrum, & cōtra ventum constituit: cum venti adiutorio ac fulgoris praestringētis oculos hostium vicit. Varro quoque hoc nomen vsurpat. Sed & Eurus iam ciuitate donatus est, & nostro sermoni non tanquam alienus interuenit. Ab oriente solstitiali excitatum, Graeci καικίαν appellant: apud nos sine nomine est. Aequinoctialis occidens Fauonium mittit: quem Zephyrum esse dicent tibi, etiam qui Graece nesciunt loqui. A solstitiali occidente Corus venit, qui apud quosdam Argestes dicitur. Mihi non videtur: quia Cori violenta vis est, & in vnam partem rapax: Argestes fere mollis est, & tam euntibus communis, quàm redeuntibus. Ab occidente hiberno Africus furibundus & ruens, apud Graecos λίψ dicitur. A septentrionali latere summus est Aquilo, medius Septentrio, imus Thracias. Huic deest apud nos vocabulum. A meridiano axe Euronotus est: deinde Notus, Latine Auster. deinde Libonotus, qui apud nos sine nomine est.

XVII. Placet autem duodecim ventos esse: non quia vbique tot sint (quosdam enim inclinatio terrarum excludit) sed quoniam plures nusquam sunt. Sic casus sex dicimus: non quia omne nomen sex recipit, sed quia nullum plures quàm sex. Qui duodecim ventos esse dixerunt, hoc secuti sunt, totidem ventorum esse, quot caeli discrimina. Caelum enim diuiditur in circulos quinque, qui per mundi cardines eunt. Est septentrionalis, est solstitialis, est aequinoctialis, est brumalis, est contrarius septentrionali. His sextus accedit, qui superiorem partem mundi ab inferiore secernit, vt scis. Dimidia enim pars mundi semper supra, dimidia infra est. Hanc lineam, quae inter aperta & occulta est, Graeci ὁρίζοντα vocant: nostri finitorem dixere, alij finientem.[r] Adiiciendus est ad bunc meridianus circulus, qui borizonta rectis angulis secat. Ex his quidam circuli in transuersa currunt, & alios interuentu suo scindunt. Necesse autem est, tot aeris discrimina esse, quot partes. Ergo horizon siue finiens circulus, quinq; illos orbes, quos modo dixi fieri, secat, & efficit decem partes, quinque ab ortu, quinq; ab occasu. Meridianus circulus, qui in horizonta incurrit, regiones duas adiicit. Si duodecim aer discrimina accipit, & totidem facit ventos. Quidam sunt quorundam locorum proprij, qui non transmittunt, sed in proximum ferunt. Non est illis a latere vniuersi mundi impetus. Atabulus Apuliam infestat, Calabriam Iapyx, Athenas Sciron, Pamphyliam Cataegis, [t] Galliam Circius: cui aedificia quassanti, tamen incolae gratias agunt, tanquam salubritatem caeli sui debeant ei. Diuus certe Augustus tēplum illi, cum in Gallia moraretur, & vouit & fecit. Infinitum est, si singulos velim persequi. Nulla enim propemodum regio est, quae non habeat aliquem flatum ex se nascētem, & circa se cadentem.

XVIII. Inter cetera itaque prouidentiae opera, hoc quoque aliquis

aliquis, vt dignum admiratione suspexerit. Non enim ex vna causa ventos, aut inuehit, aut per diuersa disposuit: sed primum vt aera non sinerent pigrescere, sed assidua vexatione vtilem redderent, vitalemque tracturis. Deinde vt imbres terris subministrarent, iidemque nimios compescerent. Nam modo adducunt nubes, modo diducunt, vt per totum orbem pluuiae diuidi possent. In Italiam Auster impellit, Aquilo in Africam reiicit: Etesiae non patiuntur apud nos nubes consistere. Iidem totam Indiam & Aethiopiam cōtinuis per id tempus aquis irrigant. Quid, quòd fruges percipi non possunt, nisi flatu superuacua admixta setuandis ventilarentur, nisi esset quod segetem excitaret, & latentem frugem ruptis velamentis suis, quae folliculos agricolae vocant, adaperiret? Quid, quòd omnibus inter se populis commercium dedit, & gentes dissipatas locis miscuit? Ingens naturae beneficium, si illud in iniuriam suam non vertat hominum furor. Nunc quod de Caesare olim maiore vulgo dictitatum est, & a Tito Liuio positum, in incerto esse, vtrum illum magis nasci Reip. profuerit, an non nasci: dici etiam de ventis potest: adeo quicquid ex illis vtile & necessarium est, non potest his repensari, quae in perniciem suam generis humani dementia excogitat. Sed non ideo nō sunt ista natura sua bona, si vitio male vtentiū nocent. Nimirū in hoc prouidentia, ac dispositor ille mundi Deus, aera ventis exercendum dedit, & illos ab omni parte, ne quid esset situ squalidum, effudit: non vt nos classes partem freti occupaturas compleremus milite armato, & hostem in mari aut post mare inquireremus. Quae nos dementia exagitat, & in mutuum compellit exitium? Vela ventis damus bellū paraturi, & periclitamur periculi causa. Incertam fortunam experimur, vim tempestatū nulla ope humana superabilem, mortem sine spe sepulturae. Non erat tanti, si ad pacem per ista veheremur. Nunc autem cum euaserimus tot scopulos latentes, & insidias vadosi maris: cum effugerimus procellosos desuper montes, in quos praeceps nauigantes ventus impingit: cum inuolutos nubilo dies, & nimbis ac tonitruis horrendas noctes, cum turbinibus diuulsa nauigia: quis erit huius laboris ac metus fructus? quis nos fessos tot malis portus excipiet? Bellum scilicet, & obuius in littore hostis, & trucidandae gentes tracturae magna ex parte victorem, & antiquarum vrbium flamma. Quid in arma cogimus populos? Quid exercitus scribimus, directuros aciem in mediis fluctibus? Quid maria inquietamus? parum videlicet ad mortes nostras terra late patet. Nimis delicate fortuna nos tractat. Nimis dura dedit nobis corpora, felicem valetudinem. Non depopulatur nos casus incurrens. Emetiri cuique annos suos ex commodo licet, & ad senectutem decurrere. Itaque eamus in pelagus, & vocemus in nos fata cessantia. Miseri, quid quaeritis? mortem, quae vbique superest? Petet illa vos & ex lectulo, sed vbique innocētes petat: occupabit vos in vestra domo, sed occupet nullum molientes malum. Hoc vero quid aliud quis dixerit, quàm insaniam, circumferre pericula, & ruere in ignotos, iratum sine iniuria, occurrentia deuastantem ac ferarum more occidere, quem non oderis? Illis tamen in vltionem, aut ex fame morsus est: nos sine vlla parsimonia nostri alienique sanguinis, mouemus maria, & nauigia deducimus, salutem committimus fluctibus, secundos optamus ventos, quorum felicitas est ad bella perferri. Quousque nos malos mala nostra rapuere? Parum est, intra orbem suum furere. Sic Persarum rex stolidissimus in Graeciam traiicit, quam exercitus non vincet, cum impleuerit. Sic Alexander vlterior Bactris & Indis, volet quaerere, quid sit vltra magnum mare, & indignabitur aliquid esse vltimum sibi. Sic Parthis auaritia Crassum dabit. Non horrebit reuocantis diras tribuni, non tempestates longissimi maris, non circa Euphratem praesaga fulmina, & deos resistentes. Per hominum deorūque iras ad aurum ibitur. Ergo non immerito quis dixerit, rerum naturam melius acturam fuisse nobiscum, si ventos flare vetuisset, & inhibito discursu furentium, in sua quemque terra stare iussisset. Si nihil aliud, certe suo quisque tantum ac suorum malo nasceretur. Nūc parum vi domestica, externis quoque laborandum est. Nulla terra tam longe remota est, quae non mittere aliquo suum malum possit. Vnde scio an nunc aliquis magnae gentis in abdito dominus, fortunae indulgentia tumens, non contineat intra terminos arma, an paret classes ignota moliens? Vnde scio, hic mihi, an ille ventus bellum inuehet? Magna pars erat pacis humanae, maria praecludi. Non tamen (vt paulo ante dicebam) queri possumus de auctore nostri Deo, si beneficia eius corrumpimus, & vt essent contraria, efficimus. Dedit ille ventos ad custodiendam caeli terrarumque temperiem, ad euocandas supprimendasque aquas, ad alendos satorum atque arborum fructus: quos ad maturitatem cum aliis causis adducit ipsa iactatio, attrahens cibum in summa, & ne torpeat, promouens. Dedit ventos ad vlteriora noscenda. fuisset enim imperitum animal, & sine magna experientia rerum homo, si circumscriberetur natalis soli fine. Dedit ventos, vt commoda cuiusque regionis fierent communia: non vt legiones equitemque gestarent, nec vt perniciosa gentibus arma trans-

ueherent. Si beneficia naturae vtentium prauitate perpendimus, nihil non nostro malo accepimus. Cui videre expedit? Cui loqui? Cui non vita torme͞tum est? Nihil inuenies tam manifestae vtilitatis, quod non in contrarium transferat culpa. Sic ventos quoque natura bonos futuros inuenerat: ipsi illos contrarios fecimus. Omnes in aliquod nos malum ducunt. nõ eadem est his & illis causa soluendi: sed iusta nulli.[2] Diuersis enim irritamentis ad tentandum iter impellimur. Itaque alicui vitio nauigatur. Egregie Plato dicit, qui nobis circa exitum iam testium loco dandus est, minima esse quae homines emant vita. Immo, Lucili carissime, si bene furorem illorum aestimaueris, id est nostrũ (in eadem enim turba volutamur) magis ridebis, cum cogitaueris [7] vita parari ea, in quibus vita consumitur.

M. ANTONII MVRETI AD LIBRVM QVINTVM NATVRALIVM SENECAE quaestionum Notae.

V[1]ENTVS est fluens aer.] *Hanc definitionem non a Stoicis primum proditam, sed vetustam esse ostendit Aristoteles: & certe Hippocratis in libro de flatibus eam sententiã esse constat: quam tamen multis modis Aristoteles secundo Meteorologicon erroris mendaciique conuincit.*

AD CAP. IIII.

Q[2]VOMODO in nostris corporibus] *Ridicula opinio. Itaque Aristophanes Socratem vt populi ludibrio exponeret, eodem prope modo de tonitrui & fulminis origine disserentem facit.*

AD CAP. VI.

A[3]NIMALIA igne generantur.] *Contra Ouidius,*

Nec tu aliud Vestam, quàm puram intellige flammam.
Nataque de flamma corpora nulla vides.

Sed hac de re vide Aristotelem libro quinto de historia animalium, & Plinium capite XXXVI. *libri* XI.

AD CAP. VII.

N[4]VNC viritim incipiemus illos excutere.] *De his omnibus, quae hoc loco de ventorum varietate narrantur, vide Plinium libro secundo a cap.* XLV. *vsque ad caput* L. *& scriptorem noctium Atticarum cap.* XXII. *libri secundi.*

AD CAP. XVII.

G[5]ALLIAM Circius:] *Galliam Narbonensem: vbi hodieque & vehementiam & nomen retinet. Cercium M. Cato vocat, si emendata sunt exemplaria.*

L. ANNAEI SENECAE AD LVCILIVM NATVRALIVM QVAESTIONVM LIBER VI.

In quo de terraemotu agitur.

CAP. I.

[1] OMPEIOS, celebrem Campaniae vrbem, in quam ab altera parte Surrentinum Sabianumque littus, ab altera Herculanense cõueniunt, mareque ex aperto conductum amoeno sinu cingit,[2] desedisse terraemotu, vexatis quaecunque adiacebant regionibus, Lucili virorum optime, audiuimus:[3] & quidem diebus hibernis: quos vacare a tali periculo maiores nostri solebant promittere. Nonis Febr. fuit motus hic Regulo & Virginio consulibus, qui Campaniam nunquam securam huius mali, indemnem tamen, & totiens defunctã metu, magna strage vastauit. Nam & Herculanensis oppidi pars ruit, dubieque stant etiam quae relicta sunt. Et Nucerinorum colonia, vt sine clade, ita nõ sine querela est. Neapolis quoque priuatim multa, publice nihil amisit, leuiter ingenti malo perstrictae. Villae vero praeruptae passim sine iniutia tremuere. Adiiciũt his [5] sexcentarum ouium gregem exanimatum, & diuisas statuas: motae post hoc mentis aliquos atque

impotes

impotes sui errasse. Quorum vt causas excutiamus, & propositi operis contextus exigit, & ipse in hoc tempus congruens casus. Quaerenda sunt trepidis solatia & demēdus ingens timor. Quid enim cuiquam satis tutum videri potest, si mundus ipse concutitur, & partes eius solidissimae labant? Si, quod vnum immobile est in illo, fixumque vt cūcta in se intenta sustineat, fluctuat: si, quod proprium habet terra, perdidit, stare: vbi tandem resident metus nostri? Quod corpora receptaculum inuenient? quò solicita confugient, si ab imo metus nascitur, & funditus trahitur? Consternatio omnium est, vbi tecta crepuere, & ruina signum dedit: tunc praeceps quisque se proripit, & penates suos deserit, ac se publico credit. Quam latebram prospicimus, quod auxilium, si orbis ipse ruinas agitet? si hoc, quod nos tuetur ac sustinet, supra quod vrbes sitae sunt, quod fundamentum quidam orbis esse dixerūt, discedit ac titubat? Quid ibi esse non dico auxilij, sed solatij potest, vbi timor fugam perdidit? Quid est, inquam, satis munitum? Quid ad tutelam alterius ac sui firmum? Hostem muro repellam: praeruptae altitudinis castella, vel magnos exercitus difficultate aditus morabuntur. A tempestate nos vindicant portus. Nimborum vim effusam, & sine fine cadentes aquas tecta propellunt: fugientes non sequitur incendium: aduersus tonitrua & minas caeli, subterraneae domus, & defossi in altum specus remedia sunt. Ignis ille caelestis non transuerberat terram, sed exiguo eius obiectu retunditur. In pestilentia mutare sedes licet. Nullum malum sine effugio est. Nunquam fulmina populos perusserunt. Pestilens caelum exhausit vrbes, non abstulit. Hoc malum latissime patet, ineuitabile, auidum, publice noxium. Non enim domos solum, aut familias, aut vrbes singulas haurit, sed gentes totas, regionesque subuertit: & modo ruinis operit, modo in altam voraginem condit: ac ne id quidem relinquit, ex quo appareat, quod non est, saltem fuisse, sed supra nobilissimas vrbes, sine vllo vestigio prioris habitus, solum extenditur. Nec desunt qui hoc genus mortis magis timeant, quo in abruptum cum sedibus suis eunt, & e viuorum numero viui auferuntur, tanquam non omne fatum ad eundem terminum veniat. Hoc habet inter cetera iustitiae suae natura praecipuum, quòd cum ad exitum ventum est, omnes in aequo sumus. Nihil itaque interest, vtrum me lapis vnus elidat, an monte toto premar: vtrum supra me domus vnius onus veniat, & sub exiguo eius tumulo ac puluere expirem, an totus caput meum terrarum orbis abscondat: in luce hunc & in aperto spiritum reddam, an in vasto terrarum dehiscentium sinu: solus in illud profundum, an cum magno comitatu populorum cōcidentium ferar. Nihil interest mea, quantus circa mortem meam tumultus sit: ipsa vbique tantundem est. Proinde magnum sumamus animum aduersus istam cladem, quae nec euitari, nec prouideri potest. Desinamus audire istos, qui Campaniae renuntiauere, quique post hunc casum emigrauerunt, [b] negantque se vnquam ipsam regionem accessuros. quis enim illis promittet melioribus fundamentis hoc aut illud solum stare? Omnia eiusdem sortis sunt, & si nondum mota, tamen mobilia: hunc fortasse in quo securius consistis locum, haec nox, aut hic ante noctem dies scindet. Vnde scies an melior eorum locorum condicio sit, in quibus iam vires suas fortuna consumpsit, & quae in futurum ruina sua fulta sunt? Erramus enim, si vllam terrarum partem exceptam immunemque ab hoc periculo credimus. Omnes sub eadem iacent lege. Nihil ita, vt immobile esset, natura concepit. Alia temporibus aliis cadunt. Et quemadmodū in vrbibus magnis, nunc haec domus, nunc illa suspenditur: ita in hoc orbe terrarum nunc haec pars facit vitium, nūc illa. Tyros aliquando infamis ruinis fuit. Asia duodecim vrbes simul perdidit. Anno priore Achaiam & Macedoniam, quaecūque est ista vis mali quae incurrit: nunc Campaniam laesit. Circuit fatum, & si quid diu praeteriit, repetit. Quaedam rarius solicitat, saepius quaedam. Nihil immune esse & innoxium finit. Non homines tantum, qui breuis & caduca res nascimur, vrbes oraeque terrarum & littora, & ipsum mare in seruitutem fati venit. Nos tamen nobis permansura promittimus bona fortunae, & felicitatem, cuius ex omnibus rebus humanis velocissima est leuitas, habituram in aliquo pondus ac moram credimus. Et perpetua sibi omnia promittentibus in mentem non venit, id ipsum, supra quod stamus, stabile non esse. Neque enim Campaniae istud aut Achaiae, sed omnis soli vitium est, male cohaerere, & ex causis pluribus resolui, & summam manere, partibus ruere.

Quid ago? Solatium aduersus pericula dare promiseram: ecce 11.
vndique timenda denūtio. Nego quicquam esse quietis aeternae: quod & perire non possit, & perdere. Ego vero hoc ipsum solatij loco pono, & quidem valentissimi: quandoquidem sine remedio timor stultus est. ratio terrorem prudentibus excutit: [c] imperitis fit magna ex desperatione securitas. Hoc itaque generi humano dictum puta, quod illis subita captiuitate inter ignes & hostem stupentibus dictum est:

Vna salus victis, nullam sperare salutem.

Si vultis nihil timere, cogitate omnia esse timenda: circũspicite quàm leuibus causis discn-tiamur. Non cibus nobis, non humor, non vigilia, non somnus, sine mensura quadam salubria sunt. Iam intelligitis nugatoria esse nostra, & imbecilla corpuscula, fluida, non magna molitione perdenda. Sine dubio id vnum periculi satis esset, quòd tremũt terrae, quod subito dissipantur, ac superposita deducunt. Magni se aestimat, qui fulmina & motus terrarum hiatusque formidat: vult ille imbecillitati suae conscius timere pituitam. ita videlicet nati sumus, tam felicia sortiti membra, & in hanc magnitudinem creuimus, & ob hoc nisi mundi partibus motis, nisi caelum intonuerit, nisi terra subsederit, perire non possumus. Vnguiculi nos, & ne totius quidem dolor, sed aliqua a latere eius scissura conficit: & ego timeam terras trementes, quem crassior saliua suffocat? Ego extimescam emotum sedibus suis mare, & ne aestus, maiore quàm solet cursu, plus aquarum trahens superueniat: cùm quosdam strangulauerit potio, male lapsa per fauces? Quàm stultum est, mare horrere: cum scias, stillicidio perire te posse? Nullum est maius solatium mortis, quàm ipsa mortalitas. Nullum autem omnium istorum quae extrinsecus terrent, quàm quòd innumerabilia pericula in ipso sinu sunt. Quid enim dementius, quàm ad tonitrua succidere, & sub terram correpere fulminum metu? Quid stultius, quàm timere nutationem aut subitos mõtium lapsus, irruptiones maris extra littus eiecti: cum mors vbique praesto sit, & vndique occurrat: nihilque sit tam exiguum, quod non in perniciem generis humani satis valeat? Adeo non debent nos ista confundere, tanquam plus in se mali habeant, quàm vulgaris mors: vt contra, cum sit necessarium e vita exire, & aliquãdo emittere animam, maiore perire ratione iuuet. Necesse est mori vbicũque, quãdoque. Stet licet ista humus, & se teneat suis finibus, nec vlla iactetur iniuria: supra me quãdoque erit. Interest ergo, illã ego mihi, an ipsa se mihi imponat? Diducitur ingenti potentia nescio cuius mali: rumpitur, & me in immẽsam altitudinem abducit. Quid porro? Mors leuior in plano est? Quid habeo quod querar, si terũ natura non me vult iacere in ignobili loco? si mihi iniicit sui partem? Egregie Vagellius meus in illo inclyto carmine:

Si cadendum est, inquit, *mihi, caelo cecidisse velim.*

Idem licet dicere: Si cadendum est, cadam orbe concusso, non quia fas est optare publicam
III. cladem: sed quia ingens mortis solatium est, terram quandoque videre mortalem. Illud quoque proderit praesumere animo, nihil horum deos facere: nec ira numinum, aut caelum concuti, aut terram. Suas ista causas habent: nec ex imperio saeuiunt, sed ex quibusdam vitiis, vt corpora nostra, turbantur: & tunc, cum facere videntur iniuriam, accipiunt. Nobis autem ignorantibus verum, omnia terribilia sunt: vtpote quorum metum raritas auget. Leuius accidunt familiaria: ex insolito formido est maior. Quare autem quicquam nobis insolitum est? quia naturam oculis, non ratione comprehendimus: nec cogitamus, quid illa facere possit, sed tantum quid fecerit. Damus itaque huius negligentiae poenas, tanquam nouis territi: cum illa non sint noua, sed insolita. Quid ergo? Non religionem incutit mentibus & quidem publice, siue deficere sol visus est, siue luna, cuius obscuratio frequentior, aut parte sui, aut tota delituit? Longeque magis illae actae in transuersum faces, & caeli magna pars ardens, & crinita sidera, & plures solis orbes, & stellae per diem visae, subitique transcursus ignium, multam post se lucem trahentium? nihil horum sine timore miramur: & cum timendi sit causa, nescire, non est tanti scire, ne timeas? Quanto satius est, causas inquirere, & quidem toto in hoc intentum animo? Neque enim illo quicquam inueniri dignius potest,
IIII. cui se non tantum commodet, sed impendat. Quaeramus ergo, quid sit quod terram ab infimo moueat,[d] quid tanti molem corporis impellat, quid sit illa valentius, quid tantum onus vi sua labefactet: cur modo tremat, modo luxata subsidat, nunc in partes diuisa discedat: & alias interuallum ruinae suae diu seruet, alias cito comprimat: nunc amnes magnitudinis notae conuertat introrsus, nũc nouos exprimat: aperiat aliquando aquarum calentium venas, aliquando refrigeret: ignesque nonnunquam per aliquod ignotum antea montis aut rupis foramen emittat, aliquando notos & per saecula nobiles comprimat. Mille miracula mouet, faciemque mutat locis, & defert montes, subrigit plana, valles extuberat, nouas in profundo insulas erigit. Haec ex quibus causis accidant, digna res est excuti. Quod, inquis, erit pretium operae? quo nullum maius est, nosse naturam. Neque enim quicquam habet in se huius materiae tractatio pulchrius, cum multa habeat futura vsui, quàm quòd hominem magnificentia sui detinet: nec mercede, sed miraculo colitur. Inspiciamus ergo quid sit, propter quod accidant haec: quorũ est adeo mihi dulcis inspectatio, vt quamuis aliquando de motu terrarum volumen iuuenis ediderim, tamen tentare me voluerim, & experiri, an aetas aliquid nobis aut ad scientiam, aut certe ad diligentiam adiecerit.

Causam

Causam qua terra cõcutitur, alij in aqua esse, alij in ignibus, alij in ipsa terra, alij in spiritu pu-
tauere: alij in pluribus, alij in omnibus his. Quidam liquere ipsis [e] aliquam ex istis causam es- V.
se dixerunt: sed non liquere, quae esset. Nunc singula persequamur. Illud ante omnia mihi
dicendum est, opiniones veterum parum exactas esse, & rudes. Circa verum adhuc erraba-
tur. Noua omnia erant primo tentantibus, post eadem illa limata sunt: & si quid inuentum
est, illis nihilominus referri debet acceptum. Magni animi res fuit, rerum naturae latebras
dimouere, nec contentum exteriori eius conspectu, introspicere, & in deorum secreta de-
scendere. Plurimum ad inueniendum contulit, qui sperauit posse reperiri. Cum excusatio-
ne itaque veteres audiendi sunt. Nulla res consummata est, dum incipit. Nec in hac tãtum re
omnium maxima atque inuolutissima, in qua etiam cum multum actum erit, [f] omnis ta-
men aetas quod agat inueniet, sed in omni alio negotio, longe semper a perfecto fuere prin-
cipia.

In aqua causam esse, nec ab vno dictum est, nec vno modo. Thales Milesius to- VI.
tam terram subiecto iudicat humore portari & innatare: siue illud oceanum vocas, [g] siue
magnum mare, siue alterius naturae, simplicem adhuc aquam & humidum elementum.
Hac, inquit, vnda sustinetur orbis, velut aliquod grande nauigium & graue his aquis quas
premit. Superuacuum est reddere causas, propter quas existimat, [h] grauissimam partem
mundi non posse spiritu tam tenui fugacique gestari: non enim nunc de situ terrarum, sed
de motu agitur. Illud argumenti loco ponit, aquas esse in causa, quibus hic orbis agitatur,
quòd in omni maiore motu erumpunt fere noui fontes: sicut in nauigiis quoque euenit, vt
si inclinata sunt, & abiere in latus, aquam sorbeant, quae in omni onere eorum quae vehit,
si immodice depressa sunt, aut superfunditur, aut certe dextra sinistraque solito magis
surgit. Hanc opinionem falsam esse, non est diu colligendum. Nam si terram aqua susti-
neret, tota aliquando concuteretur, semper moueretur: nec agitari illam miraremur, sed
manere. Tum tota concuteretur, non ex parte: nunquam enim nauis dimidia iactatur. nunc
vero non terrarum vniuersarum, sed ex parte motus est. Quomodo ergo fieri potest, vt
quod totum vehitur, totum nõ agitetur, si id quo vehitur, agitatũ est? At quare aquae erum-
punt? Primum omnium saepe tremuit terra, & nihil humoris noui fluxit. Deinde si ex hac
causa vnda prorumperet, a lateribus terrae circumfunderetur: sicut in fluminibus ac mari
videmus accidere, vt incrementum aquarum, quotiens nauigia desidunt, in lateribus ma-
xime appareat. Ad vltimum non tam exigua fieret quàm dicit eruptio, nec velut per rimam
sentina subreperet, sed fieret ingẽs inũdatio, vt ex infinito liquore, & ferente vniuersa.

Quidam motum terrarum aquae imputauere: sed non ex eadem causa. Per omnem, in- VII.
quiunt, terram, multa aquarum genera decurrunt. Alicubi perpetui amnes, quorum naui-
gabilis etiam sine adiutorio imbrium magnitudo est. Hinc Nilus per aestatem ingentes a-
quas inuehit. Hinc qui medius inter pacata & hostilia fluit, Danubius ac Rhenus, alter Sar-
maticos impetus cohibens, & Europam Asiamque disterminans, alter Germanos, auidam
gentem belli, repellens. Adiice nunc patentissimos lacus, & stagna populis inter se ignotis
circumdata, & ineluctabiles nauigio paludes, nec ipsis quidem inter se peruias, quibus in-
coluntur. Deinde tot fontes, tot capita fluminum, subitos, & ex occulto amnes vomen-
tia. Tot deinde ad tempus collectos torrentium impetus: quorum vires quàm repentinae,
quàm breues. Omnis haec aquarum, etiam intra terram, natura faciesque est. Illic quoque
aliae vasto cursu deferuntur, & in praeceps volutae cadũt: aliae languidiores in vadis refun-
duntur, & leniter ac quiete fluunt. Quis autem neget, vastis illas receptaculis concipi, & ces-
sare multis inertes locis? Non est diu probandum, ibi multas aquas esse, vbi omnes sunt. Ne-
que enim sufficeret tellus ad tot flumina edenda, nisi ex reposito multoque funderet. Si hoc
verum est, necesse est aliquando illic amnis excrescat, & relictis ripis violentus in obstantia
incurrat. Sic fiet motus alicuius partis, in quam flumen impetum dedit, [i] & quam donec de-
crescat verberabit. Potest fieri, vt aliquam regionem riuus affluens exedat, ac secum trahat
aliquam molem: qua lapsa, superposita quatiantur. Iam vero nimis oculis permittit, nec vl-
tra illos scit producere animum, qui non credit esse in abscondito terrae sinus maris vasti.
Nec enim video, quid prohibeat vel obstet, quo minus illic habeatur aliquod etiam in abs-
condito littus, & per occultos aditus receptum mare, quod illic quoque tantundem loci te-
net, aut fortassis hoc amplius, quòd superiora cum tot animalibus erant diuidenda: abstru-
sa enim, & sine possessore deserta, liberius vndis vacant. Quas quis vetat illic fluctuare, &
ventis, quos omne interuallum terrarum, & omnis aer creat, impelli? Potest ergo maior
solito exorta tempestas, aliquam partem terrarum impulsam vehementius mouere. Nam a-
pud nos quoque multa, quae procul a mari fuerant, subito eius accessu vapulauere, & villas
in conspectu collocatas, fluctus, qui longe audiebatur, inuasit. Illic quoque potest accedere

VIII. ac decedere pelagus infernum: quorum neutrum fit sine motu superstantium. Non
quidem existimo diu te haesitatutum, an credas esse subterraneos amnes & mare abscondi-
tum. Vnde enim ista prorumpũt, vnde ad nos veniunt, nisi quòd origo humoris inclusa est?
Age, cum vides interruptum Tigrim in medio itineris siccari, & non vniuersum auerti, sed
paulatim, non apparentibus damnis, minui primum, deinde consumi: quo illum putas abire
nisi in obscura terrarum: vtique cum videas emergere iterum, non minorem eo qui prior
fluxerat? Quid cum vides Alpheum, celebratum poetis, in Achaia mergi, & in Sicilia rur-
sus transiecto mari effundere amoenissimum fontem Arethusam? Nescis autem, inter opi-
niones, quibus narratur Nili aestiua inundatio, & hanc esse, a terra illum erumpere, & auge-
ri non supernis aquis, sed ex intimo redditis? Ego quidẽ centuriones duos, quos Nero Cesar
vt aliarum virtutum, ita veritatis in primis amantissimus, ad inuestigandum caput Nili mi-
serat, audiui narrantes, longum illos iter peregisse, cum a Rege Aethiopiae instructi auxilio,
commẽdatique proximis regibus, penetrassent: Ad vlteriora quidem, aiebant, peruenimus,
ad immensas paludes, quarũ exitum nec incolae nouerant, nec sperare quisquam potest, ita
implicitae aquis herbae sunt, & aquae nec pediti eluctabiles, nec nauigio, quod nisi paruum
& vnius capax, limosa & obsita palus non ferat. Ibi, inquit, vidimus duas petras, ex quibus
ingens vis fluminis excidebat. Sed siue caput illa, siue accessio est Nili, siue tunc nascitur, siue
in terras ex ptiore recepta cursu redit: nonne tu credis illã, quicquid est, ex magno terrarum
lacu ascẽdere? Habeant enim oportet pluribus locis sparsum humorem, & in imo coactum,
IX. vt eructare tanto impetu possint. Ignem causam motus quidã, & quidem non eandem
iudicant. Imprimis Anaxagoras, qui existimat, simili paene ex causa & aera concuti, & ter-
ram: cum in inferiore parte spiritus crassum aera, & in nubes coactum, eadem vi qua apud
nos quoque nubila frangi solent, rumpit, & ignis ex hoc collisu nubium, cursuque elisi aeris
emicuit. Hic ipse in obuia incurrit, exitum quaerens, ac diuellit repugnantia: donec per an-
gusta aut nactus est viam exeundi ad caelum, aut vi atque iniuria fecit. Alij in igne causam
quidẽ esse, sed nõ ob hoc iudicant: sed quia pluribus obrutus locis ardeat, & proxima quae-
que consumat. Quae si quando exesa ceciderint, tunc sequi motũ earum partium, quae sub-
iectis adminiculis destitutae labãt, donec corruere: nullo occurrente, quod onus exciperet.
Tunc chasmata, tunc hiatus vasti aperiuntur:[k] aut cum diu nutauere, super ea se, quae super-
sunt, stantque, componũt. Hoc apud nos quoque videmus accidere, quotiens incendio pars
ciuitatis laborat, cum exustae trabes sunt, aut corrupta, quae superioribus firmamentum da-
bant: tunc diu agitata fastigia concidunt, & tam diu differũtur atque incerta sunt, donec in
X. solido resederunt. Anaximenes ait, terram ipsam sibi esse causam motus, nec extrinse-
cus incurrere, quod illam impellat:[l] sed intra ipsam & ex ipsa quasdam partes eius decidere,
quas aut humor soluerit, aut ignis exederit, aut spiritus violentia excusserit. Sed his quoque
cessantibus non deesse, propter quod aliquid abscedat aut reuellatur. Nam primum omnia
vetustate labũtur, nec quicquam tutum a senectute est. Haec solida quoque & magni robo-
ris carpit. Itaque quemadmodum in aedificiis veteribus quaedam non percussa tamen de-
cidunt, cum plus ponderis habuere quàm virium: ita in hoc vniuerso terrae corpore euenit,
vt partes eius vetustate soluantur, solutae cadant, & tremorem superioribus afferãt: primum
dum abscedunt (nihil enim vtique magnum sine motu eius, cui haesit, abscinditur) deinde
cum deciderunt, solido exceptae resiliant, pilae more, quae cum cecidit exultat, ac saepius
pellitur, totiens a solo in nouum impetum missa. Si vero in stagnãtibus aquis delata sunt, hic
ipse casus vicina concutit fluctu, quem subitum vastũque illisum ex alto pondus eiicit.
XI. Quidam ignibus quidem assignant hunc tremorem, sed aliter. Nam cum pluribus locis fer-
ueant, necesse est ingentẽ vaporem sine exitu voluant, qui vi sua spiritũ intendit: & si acrius
institit,[m] opposita diffundit: si vero remissior fuit, nihil amplius quàm mouet. Videmus aquã
spumare, igne subiecto. Quod in hac aqua facit inclusa & angusta, multo magis illum facere
credamus, cum violẽtus ac vastus ingentes aquas excitat. Tũc ille vaporatione inundãtium
XII. aquarum, quicquid pulsauerit, agitat. Spiritum esse qui moueat, & plurimis & maximis
auctoribus placet. Archelaus antiquitatis diligẽs, ait ita: Venti in concaua terrarũ deferũtur,
deinde vbi iam omnia spatia plena sunt, & inquãtum aer potuit dẽsatus est, is qui superuenit
spiritus, priorem premit & elidit, ac frequentibus plagis primo cogit, deinde perturbat. Tũc
ille quaerens locum, omnes angustias dimouet, & claustra sua conatur effringere. Sic euenit,
vt terrae, spiritu luctante, & fugam quaerente, moueantur. Itaque cum terrae motus futurus
est, praecedit aeris trãquillitas & quies: videlicet, quia vis spiritus, quae concitare vẽtos solet,
in inferna sede detinetur. Nũc quoque cum hic motus in Campania fuit, quamuis hiberno
tempore, & inquieto, per superiores dies aer stetit. Quid ergo? Nunquam flante vento terra
concuf-

concussa est? Admodum raro duo flauere simul venti. Fieri tamen & potest, & solet. quod si
recipimus, & constat duos ventos rem simul gerere: quid ni accidere possit, vt alter superio-
rem aera agitet, alter inferum? In hac sententia licet ponas Aristotelem, & discipulum XIII.
eius Theophrastum, non, vt Graecis visum est, diuini, tamen & dulcis eloquij virum, & niti-
di sine labore. Quid vtrique placeat, exponam. Semper aliqua euaporatio est e terra, quae
modo arida est, modo humido mixta. Haec ab infimo edita, & in quãtum potuit, elata, cum
vlteriorem locum in quem exeat nõ habet, retro fertur, atque in se reuoluitur: dumque rixa
spiritus reciprocantis iactat obstantia, & siue interclusus, siue per angusta enisus est, motum
ac tumultum ciet. Straton ex eadem schola est, qui hanc partem philosophiae maxime co-
luit, & rerum naturae inquisitor fuit. Huius tale decretum est: Frigidum & calidum semper
in contraria abeunt, & vna esse non possunt: eo frigidum confluit, vnde vis calida discessit: &
inuicem ibi calidum est, vnde frigus expulsum est. Hoc quod dico, verum est: sed vtrunque
in contrarium agi, ex hoc tibi appareat. Hiberno tempore, cum supra terram frigus est, ca-
lent putei, nec minus specus, atque omnes sub terra recessus: quia eo se calor contulit, su-
periora possidenti frigori cedens: qui cum in inferiora peruenit, & eo se quantum poterat
ingessit, quo densior, hoc validior est: huic alius superuenit, cui necessario congregatus ille
iam & in angustum pressus, loco cedit. Idem e contrario euenit, cum vis maior frigidi illata
in cauernis est. Quicquid illic calidi latet, frigori cedens abit in angustum, & magno impetu
agitur: quia non patitur vtriusque natura concordiam, nec in vno moram. Fugiens ergo,
& omni modo cupiens excedere, proxima quaeque remolitur ac iactat. Ideòque antequam
terra moueatur, solet mugitus audiri, ventis in abdito tumultuantibus: nec enim aliter pos-
set, vt ait noster Virgilius,

Sub pedibus mugire solum, & iuga celsa moueri:

nisi hoc esset ventorum opus. Vices deinde huius pugnae sunt: desinit calidi congregatio,
ac rursus eruptio. Tunc frigida compescuntur & succedunt, mox futura potentiora. Dum
ergo alterna vis cursat, & vltro citroque spiritus commeat, concutitur. Sunt qui exi- XIIII.
stiment, spiritu quidem, & nulla alia ratione tremere terram, sed ex alia causa, quàm A-
ristoteli placuit. Quid sit quod ab his dicatur, audi. Corpus nostrum & sanguine irrigatur,
& spiritu, qui per sua itinera discurrit. Habemus autem quaedam angustiora animae rece-
ptacula, per quae nihil amplius quàm meat: quaedam patentiora, in quibus colligitur, &
vnde diuiditur in partes. Sic hoc totum terratum omnium corpus, & aquis, quae vicem san-
guinis tenent, & ventis, quos nihil aliud quis quàm animam vocauerit, peruium est.[n] Haec
duo alicubi concurrunt, alicubi consistunt. Sed quemadmodum in corpore nostro, dum
bona valetudo est, venarum quoque imperturbata mobilitas modum seruat, vbi aliquid
aduersi est, micat crebrius, & suspiria atque anhelitus, laborantis ac fessi signa sunt: ita terrae
quoque, dum illis positio naturalis est, inconcussae manet. Cum aliquid peccatur, tunc vel-
ut aegri corporis motus est, spiritu illo qui modestius perfluebat, icto vehementius, & quas-
sante venas suas: nec, vt illi paulo ante dicebant, quibus animal placet esse terram. nam si
hoc est, quemadmodum animal, tota vexationem sentiet. Neque enim in nobis febris alias
partes moderatius impellit, sed per omnes pari aequalitate discurrit.[o] Vide ergo, nunquid
intret in illam spiritus ex circumfuso aere: qui quamdiu habet exitum, sine iniuria labitur:
si offendit aliquid, & incidit quod viam claudat, tunc oneratur primo infundente se a tergo
aere. Deinde per aliquam rimam maligne fugit, & hoc acrius fertur, quo angustius. Id sine
pugna non potest fieri, nec pugna sine motu. At si nec rimam quidem per quam effluat in-
uenit, conglobatus illic furit, & huc atque illo circumagitur,[p] aliaque deiicit, alia intercidit:
cum tenuissimus, idemque fortissimus, & irrepat quamuis in obstructa, & quicquid intrauit,
vi sua diducat & dissipet: tunc terra iactatur. Aut enim datura vento locum discedit, aut
cum dedit, in ipsam, qua illum emisit, cauernam fundamento spoliata considit.
Quidam ita existimant. Terra multis locis perforata est, nec tantum primos illos aditus ha- XV.
bet, quos velut spiramenta ab initio sui recepit, sed multos illi casus imposuit.[q] Alicubi di-
duxit, quicquid superne terreni erat, aqua: alia torrentes exedere, alia aestibus magnis di-
rupta patuere. Per haec interualla intrat spiritus: quem si inclusit mare, & adegit, nec fluctus
retro abire permisit, tunc ille exitu simul rediruque praecluso, voluratur. Et quia in rectum
non potest tendere, quod illi naturale est, in sublime se intendit, & terram prementem reuer-
berat. Etiamnum dicẽdum est, quod plerisque auctoribus placet, & in quo fortasse fiet XVI.
dissensio. Non esse terram sine spiritu, palam est. Non tantum illo dico, quo se tenet, ac par-
tes sui iungit, qui inest etiam saxis mortuisque corporibus: sed illo dico vitali, & vegeto, &
alente omnia. Hunc nisi haberet, quomodo tot arbustis spiritum infunderet, non aliunde

viuentibus, & tot satis? Quemadmodum tam diuersas radices aliter atque aliter in se mersas foueret, quasdam summa receptas parte, quasdam altius tractas, nisi multum haberet animae, tam multa, tam varia generantis, & haustu atque alimento suo educantis? Leuibus adhuc argumentis ago. Totum hoc caelum, quod igneus aether, mundi summa pars, claudit, omnes hae stellae, quarum iniri non potest numerus, omnis hic caelestium coetus, & (vt alia praeteream) hic tam prope a nobis agens cursum sol, omni terrarum ambitu non semel maior, alimentum ex terreno trahunt, & inter se partiuntur: nec vllo alio scilicet, quàm halitu terrarum sustinentur. Hoc illis alimentum, hic pastus est. Non posset autem tam multa, tantaque, & se ipsa maiora, terra nutrire, nisi plena esset animae, quam per diem & noctem ab omnibus partibus suis fundit. Fieri enim non potest, vt non multum illi supersit, ex qua tantum petitur ac sumitur. Et ad tempus quidem, quod exeat, nascitur. Nec enim esset perennis illi copia suffecturi in tot caelestia spiritus, nisi inuicem ista excurrerent, & in aliud alia soluerentur. Sed tamen necesse est abundet ac plena sit, & ex condito proferat. Non est ergo dubium, quin multum spiritus lateat intus, & caeca sub terra spatia aer latus obtineat. Quod si verum est, necesse est id saepe moueatur, quod re mobilissima plenum est. Nunquid enim dubium esse potest cuiquam, quin nihil sit tam inquietum quàm aer, & tam versabile
XVII. & vagatione gaudens? Sequitur ergo, vt naturam suam exerceat, & quod semper moueri vult, aliquãdo & alia moueat. Id quando fit? Cum illi cursus interdictus est. Nam quamdiu non impeditur, placide fluit: cum offenditur & retinetur, insanit, & moras suas abrumpit, non aliter, quàm ille poetae

pontem indignatus Araxes.

Quamdiu illi facilis & liber est alueus, primas quasque aquas explicat. Vbi saxa manu vel casu illata pressere venientem, tunc impetum mora quaerit: & quo plura opposita sunt, plus inuenit virium. Omnis enim illa vnda quae a tergo superuenit, & in se crescit, cum onus sustinere non potuit, vim ruinâ parat, & prona cum his quae iacebant fugit. Idem spiritu fit: qui quo valentior agiliorque est, citius rapitur, & vehementius septum omne disturbat. Ex quo motus fit scilicet eius partis, sub qua pugnatum est. Quod dicitur, verum esse ex illo probatur: saepe enim cum terrae motus fuit, si modo pars eius aliqua dirupta est, inde ventus per multos dies fluxit: vt traditur factum eo terraemotu, quo Chalcis laborauit: quod apud Asclepiodotum inuenies, auditorem Posidonij, in ipsis quaestionum naturalium causis. Inuenies & apud alios auctores, hiasse vno loco terram, & inde non exiguo tem-
XVIII. pore spirasse vẽtum: qui scilicet illud iter ipse sibi fecerat, per quod ferebatur. Maxima ergo causa est, propter quam terra moueatur, spiritus natura citus, & locum e loco mutans. Hic quamdiu impellitur, & in vacanti spatio latet, iacet innoxius, nec circumiectis molestus est. Vbi illum extrinsecus superueniens causa solicitat, compellitque & in arctum agit; scilicet adhuc cedit tantum, & vagatur. Vbi erepta discedendi facultas est, & vndique obsistitur, tunc

magno cum murmure montis
Circum claustra fremit,

quae diu pulsata conuellit ac iactat: eo acrior, quo cum valentiore mora luctatus est. Deinde cum circa perlustrauit omne quo tenebatur, nec potuit euadere, inde quo maxime impactus est, resilit: & aut per occulta diuiditur, ipso terraemotu raritate facta, aut per nouum vulnus emicuit. Ita eius vis tanta non potest cohiberi, nec ventum tenet vlla compages: soluit enim quodcunque vinculum, & omne onus fert secum, infususque per minima, laxamentum sibi parat, indomita naturae potentia liber, vtique concitatus, sibi ius suum vindicat. Spiritus vero inuicta res est: nihil enim erit quod

Luctantes ventos, tempestatesque sonoras
Imperio premat, ac vinclis & carcere fraenet.

Sine dubio poetae hũc voluerant videri carcerem, in quo sub terra clausi laterent. Sed hoc non intellexerunt, nec id, quod clausum est, esse adhuc ventum: nec id quod ventus est, posse iam claudi. Nam quod in clauso est, quiescit, & aeris statio est. Omnis in fuga ventus est. Etiamnum & illud accedit his argumentis, per quod appareat, motum effici spiritu, quòd corpora quoque nostra non aliter tremunt, quàm si spiritum aliqua causa conturbat: cum timore contractus est, cum senectute languescit, & venis torpentibus marcet, cum frigore inhibetur, aut sub accessionem cursu suo deiicitur. Nam quamdiu sine iniuria perfluit, & ex more procedit, nullus est tremor corpori. Cum aliquid occurrit quod inhibeat eius officiũ, tunc parum potens perferendis his quae suo vigore tenebat, deficiens cõcutit, quicquid in-
XIX. teger tulerat. Metrodorum Chium necesse est audiamus, quod vult sententiae loco dicentem.

centem. Non enim permitto mihi nec eas quidem opiniones praeterire, quas improbo:
cum ſatius ſit omnium copiam fieri, & quae improbamus,damnare potius,quàm praeteri-
re.Quid ergo dicit?Quomodo in dolio cantantis vox, per totum cum quadam diſcuſſione
percurrit ac reſonat,& tam leuiter mota,tamen circuit,non ſine tactu eius tumultuque, quo
incluſa eſt:ſic ſpeluncarum ſub terra pendentium vaſtitas habet aera ſuum;quem ſimul alius
ſuperne incidens percuſſit,agitat non aliter, quàm illa de quibus paulo ante retuli, inania
indito clamore ſonuerunt. Veniamus nunc ad eos, qui omnia iſta quae retuli,in cauſa XX.
eſſe dixerunt, aut ex his plura. Democritus plura putat. Ait enim, motum aliquando ſpiri-
tu fieri, aliquando aqua, aliquando vtroque: & id hoc modo proſequitur. Aliqua pars ter-
rae concaua eſt,& in hanc aquae magna vis confluit. Ex hac eſt aliquid tenue, & ceteris li-
quidius. Hoc cum superueniente grauitate reiectum eſt, terris illiditur, & illas mouet.
Nec enim fluctuari poteſt ſine motu eius, in quod impingitur. Etiamnum quod modo de
ſpiritu dicebamus, de aqua quoque dicendum eſt. Vbi in vnum locum congeſta eſt, & ca-
pere ſe deſiit, aliquo incumbit, & primo viam pondere aperit, deinde impetu. Nec enim
exire niſi per deuexum poteſt,diu incluſa, nec in directum cadere moderate, aut ſine con-
cuſſione eorum,per quae & in quae cadit.Si vero cum iam rapi coeperit,aliquo loco ſubſti-
tit, & illa vis fluminis in ſe reuoluta eſt, in continentem terram repellitur, [x] & illam, qua
parte maxime tendit, exagitat. Praeterea aliquando madefacta tellus, liquore penitus ac-
cepto,altius ſidit,& fundus ipſe vitiatur: tunc ea pars premitur, in quam maxime aquarum
vergentium pondus inclinat. Spiritus vero nonnunquam impellit vndas, & ſi vehementius
inſtitit,eam ſcilicet terrae partem mouet,in quam coactas aquas intulit. [y] Nonnunquam in
coacta itinera coniectus, & exitum quaerens,mouet omnia:terra autem penetrabilis ventis
eſt,& ſpiritus ſubtilior eſt,quàm vt poſſit excludi,& vehementior, quàm vt ſuſtineri conci-
tatus ac rapidus.Omnes iſtas eſſe poſſe cauſas Epicurus ait, pluresque alias tentat: & alios,
qui aliquid vnum ex iſtis eſſe affirmauerunt,corripit:cum ſit arduum, de iis quae coniectura
ſequenda ſunt,aliquid certi promittere. Ergo,vt ait,poteſt terram mouere aqua, ſi partes a-
liquas eluit,& abraſit,quibus deſiit poſſe extenuatis ſuſtineri, quod integris ferebatur. Po-
teſt terram mouere impreſſio ſpiritus. Fortaſſe enim aer extrinſecus alio intrante aere, agi-
tatur. Fortaſſe aliqua parte ſubito decidente percutitur, & inde motum capit. Fortaſſe ali-
qua parte terrae velut columnis quibuſdam ac pilis ſuſtinetur: quibus vitiatis ac recedenti-
bus,tremit pondus impoſitum. Fortaſſe calida vis ſpiritus in ignem verſa, & fulmini ſimilis,
cum magna ſtrage obſtantium fertur.Fortaſſe paluſtres & iacentes aquas aliquis flatus im-
pellit,& inde aut ictus terram quatit, aut ſpiritus agitatio,ipſo motu creſcens,& ſe incitans,
ab imo in ſumma vſque perfertur: nullam tamen illi placet cauſam motus eſſe maiorem,
quàm ſpiritum. Nobis quoque placet,hunc ſpiritum eſſe,qui tanta poſſit conari, quo XXI.
nihil eſt in rerum natura potentius,nihil acrius,ſine quo nec illa quidem, quae vehementiſ-
ſima ſunt,valent.Ignem ſpiritus concitat:aquae,ſi ventum detrahas, inertes ſunt. Tunc de-
mum impetum ſumunt,cum illas agit flatus: qui poteſt diſſipare magna ſpatia terrarum, &
nouos montes ſubrectos extollere, [z] & inſulas non ante viſas in medio mari ponere. The-
raſiam noſtrae aetatis inſulam, ſpectantibus nautis in Aegaeo mari enatam, quis dubitat,
quin in lucem ſpiritus vexerit? Duo genera ſunt (vt Poſidonio placet) quibus mouetur ter-
ra: vtrique nomen eſt proprium. Altera ſuccuſſio eſt, cum terra quatitur, & ſurſum ac de-
orſum mouetur:altera inclinatio,qua in latera nutat nauigij more. Ego & tertium illud exi-
ſtimo, quod noſtro vocabulo ſignatum eſt: non enim ſine cauſa tremorem terrae dixere
maiores,qui vtrique diſſimilis eſt. [a] nam nec ſuccutiuntur tunc omnia,nec inclinantur, ſed
vibrantur.Res minime in huiuſmodi caſu noxia,ſicut longe pernicioſior eſt inclinatio con-
cuſſione.Nam niſi celeriter ex altera parte properabit motus, qui inclinata reſtituat, ruina
neceſſario ſequitur. Cum diſſimiles ij motus inter ſe ſint, cauſae eorum diuerſae ſunt.
Prius ergo de motu quatiente dicamus. Si quādo magna onera per vices vehiculorum plu- XXII.
rium tracta ſunt, & rotae maiore niſu in ſalebras inciderunt, terram concuti ſenties. Aſcle-
piodotus tradit, cum petra e latere montis abrupta cecidiſſet, aedificia vicina tremore col-
lapſa. Idem ſub terris fieri poteſt, vt ex his quae impendent rupibus aliqua reſoluta,
magno pondere ac ſono in ſubiacentem cauernam cadat, eo vehementius, quo aut plus
ponderis habuit,aut venit altius.Et ſic commouetur omne tectum cauatae vallis. Nec tan-
tum pondere ſuo abſcindi ſaxa credibile eſt, ſed cum flumina ſupra ferantur, aſſiduus hu-
mor commiſſuras lapidis extenuat, & quotidie his ad quae religatus eſt aufert, & illam
(vt ita dicam) cutem qua continetur,abradit.Deinde longa per aeuum diminutio vſque eo
infirmat illa,quae quotidie attriuit, vt deſinant eſſe oneri ferendo.Tunc ſaxa vaſti ponderis

decidunt, [b] tunc illa praecipitata rupes, quicquid ab imo repercussit, non passura consistere, succutit,

--Et ruere omnia visa repente:

vt ait Virgilius noster. Huius motus succutientis terras haec erit causa. Ad alteram trans-
XXIII. eo. Rara terrae natura est, multumque habens vacui. per has rarirates* spiritus fertur: qui vbi maior influxit, nec emittitur, concutit terram. Haec placet & aliis, vt paulo ante retuli, causa: si quid apud te profectura testium turba est. Hanc etiam Callisthenes probat non contemptus vir. Fuit enim illi nobile ingenium, & furibundi regis impatiens. Hoc est Alexandri crimen aeternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet. Nam quotiens quis dixerit: Occidit Persarum multa millia: [c] opponetur, Et Callisthenem. Quotiens dictum erit, Occidit Darium, penes quem tunc magnum regnum erat: opponetur, Et Callisthenem. Quotiens dictum erit, Omnia oceano tenus vicit, ipsum quoque tentauit nouis classibus, & imperium ex angulo Thraciae vsque ad Orientis terminos protulit: dicetur, Sed Callisthenem occidit. Omnia licet antiqua ducum regumque exempla trāsierit, ex his quae fecit, nihil tam magnum erit, quàm scelus Callisthenes. Hic Callisthenes in libris, quibus describit quemadmodum [1] Helice Burisque mersae sunt, quis illas casus in mare, vel in illas mare immiserit, dicit id quod in priore parte dictum est. Spiritus intrat terram per occulta foramina, quemadmodum vbique, ita & sub mari. Deinde cum est obstructus ille trames, per quem descenderat, reditum autem illi a tergo resistens aqua abstulit, huc & illuc fertur, & sibi ipse occurrens terram labefactat. [d] Ideo frequentissime mari opposita vexantur, & inde Neptuno haec assignata est mouendi potentia. Quisquis primas litteras Graecas di-
XXIIII. dicit, scit illum apud Homerum ἐνοσίγαιον vocari. Spiritum esse huius mali causam, & ipse consentio: de illo disputabo, quomodo intret hic spiritus: vtrum per tenuia foramina, nec oculis comprehensibilia, an per maiora ac patentiora: & vtrum ab imo, an etiam per summa terrarum. Hoc incredibile est. Nam in nostris quoque corporibus cutis spiritum respuit: nec est illi introitus, nisi per quem trahitur: nec consistere quidem a nobis receptus potest, nisi in laxiore corporis parte. Non enim inter neruos pulpasve, sed in visceribus & patulo interioris partis recessu commoratur. Idem de terra suspicari licet, vel ex hoc, quòd motus non in summo terrae, circave summa est, sed subter & ab imo. Huius indicium est, quòd altitudinis profundae maria iactantur, motis scilicet his, supra quae fusa sunt. Ergo verisimile est, terram ex alto moueri, & illic spiritum in cauernis ingentibus concipi. Immo, inquit, [e] ceu cum frigore inhorruimus, tremor sequitur, sic terras quoque spiritus extrinsecus accidens quassat. Quod nullo modo potest fieri. Algere enim debet, vt idem illi accidat, quod nobis, quos externa causa in horrorem agit. Accidere autem terrae simile quiddam nostrae affectionis, sed non ex simili causa, concesserim. Illam interior & altior iniuria debet impellere: cuius rei argumentum vel maximum hoc potest esse, quod cum vehementi motu adapertum ingenti ruina solum est, totas nonnunquam vrbes & recipit hiatus ille, & abscondit. [7] Thucydides ait, circa Peloponnesiaci belli tempus, Atalantam insulam aut totam, [e] aut certe maxima ex parte superfusam. [8] [f] Idem Sidoni accidisse, Posidonio crede. Nec ad hoc testibus opus est. Meminimus enim terris interno motu diuulsis, loca disiecta,
XXV. & campos interisse. Quod iam dicam, quemadmodum existimem fieri. Cum spiritus magna vi in vacuum terrarum locum penitus applicuit, coepitque rixari, & de exitu cogitare, latera ipsa intra quae latet, saepius percutit, supra quae vrbes interdum sitae sunt. haec nonnunquam adeo concutiuntur, vt aedificia superposita procumbant: nonnūquam in tantum, vt parietes quibus fertur omne tegimen caui, decidant in illum subteruacantem locum, [g] totaeque vrbes in immensam altitudinem mergantur. Si velis credere, aiunt, aliquando Ossam Olympo cohaesisse, deinde terrarum motu recessisse, & scissam vnius magnitudinem montis in duas partes. [h] Tūc effugisse Peneum, qui paludes quibus laborabat Thessalia, siccauit, abductis in se quae sine exitu stagnauerant aquis. Ladon flumen inter Helim & Megalen polin medius est, quem terrarum motus effudit. Per hoc quid probo? In laxos specus (quid enim aliud appellem loca vacua sub terris?) spiritum conuenire. Quod nisi esset, magna terrarum spatia commouerentur, & vna multa titubarent. Nunc exiguae partes laborant, nec vnquam per ducenta milliaria motus extenditur. Ecce hic qui impleuit fabulis vrbem, non transcendit Campaniam. Quid dicam, cum Chalcis tremuit, Thebas stetisse? [9] [i] Cum laborauit Aegium, tam propinquas illi Patras de motu nihil audisse? Illa vasta concussio, quae duas suppressit vrbes, Helicen & Burin citra Aegium constitit. Apparet ergo [k] in tantum spatium motum protendere, quantum illa sub terris vacantis loci inanitas
XXVI. pateat. Poteram ad hoc probandum abuti auctoritate magnorum virorum, qui

[10] Aegy-

'' Aegyptum nunquam tremuisse tradunt. Rationem autem huius rei hanc reddunt, quòd ex limo tota concreuerit. Tantum enim ('' si Homero fides est) aberat a continenti Pharos, quantum nauis diurno cursu metiri plenis lata velis potest: sed continenti admota est. Turbidus enim defluens Nilus, multumque secum limum trahens, & eum subinde apponēs prioribus terris, Aegyptum annuo incremento semper vltra tulit. Inde pinguis & limosi soli est, nec vlla interualla in se habet, sed creuit in solidum arescente limo: quo pressa erat & sedens structura, cum partes glutinarentur, nec quicquam inane interuenire poterat, cum solido liquidum ac molle semper accederet. Sed mouetur & Aegyptus '' & Delos, quàm Virgilius stare iussit:

Immotamque coli dedit, & contemnere ventos.

Hanc philosophi quoque, '' credula natio, dixerũt non moueri, '' auctore Pindaro.'' Thucydides ait antea quidem immotam fuisse, sed circa Peloponnesiacum bellũ tremuisse. Callisthenes & alio tempore ait hoc accidisse: Inter multa, inquit, prodigia quibus denuntiata est duarum vrbium Helices & Buris euersio, fuere maxime notabilia, columna ignis immēsi, & Delos agitata. Quam ideo stabilem videri vult,' quia mari imposita, habeat concauas rupes & saxa peruia, quae dent deprehenso aeri reditum. Ob hoc etiam insulas esse certioris soli, vrbesq; eo tutiores, quo propius ad mare accesserunt. Falsa haec esse, Pompeij & Herculaneum sensere. Adiice nunc, quòd omnis ora maris obnoxia est motibus. Sic Paphos nō semel corruit, sic nobilis & huic iam familiaris malo Nicopolis. Cyprum ambit altum mare & agitatur. Tyros & ipsa tam mouetur, quā diluitur. Hae fere causae reddūtur, propter quas tremit terra. Quaedam tamen propria in hoc Campano motu accidisse narrātur, quo- XXVII. rum ratio reddenda est. Aiunt enim sexcentarum ouium gregem exanimatum in Pompeiana regione. Non est quare hoc putes ouibus illis timore accidisse. Diximus solere post magnos terrarum motus pestilentiam fieri. Nec id mirum est: multa enim mortifera in alto latent. At aer ipse qui vel terrarum culpa, vel pigritia, & aeterna nocte torpescit, grauis hauriētibus est: vel corruptus internorum ignium vitio, cum est longo situ emissus, purum hunc liquidumque maculat ac polluit, insuetumque ducentibus spiritum, affert noua genera morborum. Quid, quòd aquae inutiles pestilentesque in abdito latent, vt quas nunquam vsus exerceat, nunquam aura liberior verberet? Crassae itaque, & graui caligine sempiternaque tectae nihil nisi pestiferum in se & corporibus nostris contrarium habent. Aer quoque qui admixtus est illis, quique inter illas paludes iacet, cum emersit, late vitium suum spargit, & haurientes necat. Facilius autem pecora sentiunt, in quae pestilentia incurrere solet, quo auidiora sunt, aperto caelo plurimum vtuntur, & aquis, quarum maxima in pestilentia culpa est. Oues vero mollioris naturae, quo propiora terris ferunt capita, corruptas esse nō miror, cum afflatum diri aeris circa ipsam humum exceperint. Nocuisset ille & hominibus, si maior exisset: sed illum copia aeris sinceri extinxit, antequam vt ab homine posset trahi, surgeret. Multa autem terras habere mortifera, vel ex hoc intellige, quòd tot venena na- XXVIII. scuntur, non manu sparsa, sed sponte: solo scilicet habente, vt boni, ita mali semina. Quid, quòd pluribus Italiae locis per quaedam foramina pestilens exhalatur vapor, quem non homini ducere, non ferae tutum est? Aues quoque si in illum inciderint, antequam caelo meliore leniatur, in ipso volatu cadunt, liuentque corpora, & non aliter quàm per vim elisae fauces tument. Hic spiritus quandiu terris continetur, tenui foramine fluens, non plus potentiae habet, quàm vt despectantia & vltro sibi illata conficiat. Vbi per saecula conditis tenebris, ac tristitia loci creuit in vitium, ipsa ingrauescit mora: hoc peior, quo segnior. Cum autem exitum nactus est, aeternum illud vmbrosi frigoris malum, & infernam noctem soluit, ac regionis nostrae aera infuscat. Vincuntur enim meliora peioribus. Tunc etiam ille spiritus purior transit in noxium. Inde subitae continuaeque mortes, & monstrosa genera morborum, vt ex nouis orta causis. Breuis aut longa clades est, prout vitia valuere. Nec prius pestilentia desinit, quàm spiritum illum grauem exercuit laxitas caeli, ventorumque iactatio. Nam quòd aliquot insanis attonitisque similes discurrere fecit me- XXIX. tus, qui excutit mentes, vbi priuatus ac modicus est, quid vbi publice terret, vbi cadunt vrbes, populi opprimuntur, terra concutitur: quid mirum est, animos inter dolorem & metum destitutos aberrasse? Non est facile, inter magna non desipere. Itaque lenissima fere ingenia in tantum venere formidinis, vt sibi exciderent. Nemo quidem sine aliqua iactura sanitatis expauit, similisque furenti, quisquis timet: sed alios cito timor sibi reddit, alios vehementius perturbat, & in dementiam transfert. Inde inter bella errauere lymphatici: nec vsquam plura exempla vaticinantium inuenies, quàm vbi formido mentes religione mixta percussit. Statuam diuisam non miror, cum dixerim montes a montibus recessisse, &

ipsum diruptum esse ab imo solum.

Haec loca, vi quondam & vasta conuulsa ruina,
(Tantum aeui longinqua valet mutare vetustas)
Dissiluisse ferunt, cum protinus vtraque tellus
Vna foret, venit medio vi pontus, & vndis
Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque & vrbes
Littore diductas, angusto interluit aestu.

Vides totas regiones a suis sedibus reuelli, & trans mare iacere, quod in confinio fuerat: vides & vrbium fieri gentiumque discidium, cum pars naturae concitata est ex se, vel aliquod mare ingens spiritus impegit, quorum mira, vt ex toto, vis est. Quamuis enim parte saeuiat, mundi tamen viribus saeuit. Sic & Hispanias a contextu Africae, mare eripuit. Sic hac inundatione, quam poetarum maximi celebrant, ab Italia Sicilia reiecta est. Aliquando autem plus impetus habent, quae ex infimo veniunt. Acriora enim sunt, in quibus nisus est per angusta. Quantas res ij terrarum tremores, quamque mira spectacula ediderint, satis dictum

XXX. est. Cur ergo aliquis ad hoc stupet, quòd aes vnius statuae, ne solidum quidem, sed concauum ac tenue diruptum est: cum fortasse in illud se spiritus, quaerens fugam incluserit? Illud vero quis nescit? Diductis aedificia angulis vidimus moueri, iterumque componi. Quaedam vero parum aptata positu suo, & a fabris negligentius solutiusque composita, terraemotus saepius agitata compegit. Quòd si totos parietes & totas findit domos, & latera magnarum turrium, quae solida sunt scindit, & pilas operibus subditas dissipat: quid est, quare quisquam dignum annotari putet, sectam esse aequaliter ab imo ad caput in partes duas statuam? Quare tamen per plures dies motus fuit? Non desiit enim assidue tremere Campania, clementius quidem, sed ingenti damno, [m] quia pressa & quassa quatiebat: quibus ad cadendum male stantibus, non erat impelli, sed agitari. Nondum videlicet spiritus omnis

XXXI. exciderat, sed adhuc [n] emissa parte maiore oberrabat. Inter argumenta quibus probatur, spiritu ista fieri, non est quòd dubites & hoc ponere. Cum maximus editus tremor est, quo in vrbes terrasque saeuitum est, non potest par illi subsequi alius, sed post maximum leues motus sunt, [o] quia vehementius exitum ventis luctantibus fecit. Reliquiae deinde residui spiritus non idem possunt, [p] nec illis pugna est: cum iam viam inuenerint, sequanturque ea qua prima vis ac maxima euasit. Hoc quoque dignum memoria iudico, ab eruditissimo & grauissimo viro cognitum: forte enim cum hoc euenit, lauabatur, vidisse se affirmabat in balneo tessellas, quibus solum erat stratum, alteram ab altera separari, iterumque committi: & aquam modo recipi in commissuras, pauimento recedente, modo, compresso, bullire & elidi. Eundem audiui narrantem, vidisse se molles materias, mollius crebriusque tremere,

XXXII. qoàm natura duras. Haec, Lucili virorum optime, quantum ad ipsas causas. Illa nunc quae ad cõfirmationem animorum pertinent: quos magis refert nostra fortiores fieri, quàm doctiores. Sed alterum sine altero non fit. Non enim aliunde animo venit robur, quàm a bonis artibus, quàm a contemplatione naturae. Quem enim non hic ipse casus aduersus omnes firmauerit & erexerit? Quid est cur ego hominem aut feram, quid est cur sagittam aut lanceam tremam? maiora me pericula expectanr. Fluminibus & terris, & magnis naturae partibus petimur. Ingenti itaque animo mors prouocanda est, siue nos aequo vastoque impetu aggreditur, siue quotidiano & vulgari exitu: nihil refert quàm minax veniat, quantumque sit, quod in nos trahat: quod a nobis petit, minimum est. Hoc senectus a nobis ablatura est, hoc auriculae dolor, hoc in nobis humoris corrupti abundantia, hoc cibus patum obsequens stomacho, hoc pes leuiter offensus. Pusilla res est hominis anima, sed ingẽs res est contemptus animae. Hanc qui contempserit, securus videbit maria perturbari: etiam si illa omnes excitauerint venti, etiam si aestus aliqua perturbatione mundi, totum in terras verterit oceanum. Securus aspiciet fulminantis caeli trucem & horridam faciem: frangatur licet caelum, & ignes suos in exitium omniũ, in primis suũ misceat. Secutus aspiciet ruptis compagibus dehiscens solum. Illa licet inferorum regna retegãtur, stabit super illam voraginem intrepidus: & fortasse quo debet cadere, desiliet. Quid ad me, quã sint magna quibus pereo? Ipsum perire non est magnum. Proinde si volumus esse felices, si nec hominum, nec deorũ, nec terum timore vexari, si despicere fortunam superuacua promittentem, leuia minitantẽ, si volumus tranquille degere, & ipsis diis de felicitate [q] controuersiam facere, anima in expedito est habenda. Siue illam insidiae, siue morbi petent, siue hostium gladij, siue insularum cadentium fragor, siue ipsarum ruina terrarũ, siue vasta vis ignium, vrbes agrosque pari clade complexa, quum libet illi, eam accipiat. Quid aliud debeo, quàm exeuntem hortari, & cũ bonis omnibus emittere? Vade fortiter, vade feliciter. Nihil dubitaueris reddere. Non de

re,

re, ſed de tempore eſt quaeſtio. Facis quod quandoque faciendum eſt. Nec rogaueris, nec timueris, nec te velut in aliquod malum exiturum tuleris retro. Rerum natura te, quae genuit, expectat, & locus meliot ac tutior. Illic non tremunt terrae, nec inter ſe venti cum magno nubium fragore concurrunt, non incendia regiones vrbesque vaſtant, non naufragiorum totas claſſes ſorbentium metus eſt, noo arma contraria diſpoſita vexillis, & in mutuam perniciem multorum millium par furor, non peſtilentia, & ardentes promiſcue, communes populis cadentibus rogi. Iſtud leue eſt. qnid timemus? Graue eſt. potius ſemel incidat, quã ſemper impendat. Ego autem perire timeam, cum terra ante me pereat, cum iſta quatiantur quae quatiunt, & in iniuriam noſtram non ſine ſua veniunt? Helicen Burioque totas mare accepit: ego de vno corpuſculo timeam? Supra oppida duo nauigatur: duo autem, quae nouimus, quae in noſtram notitiam memoria litteris ſeruata perduxit. Quàm multa alia aliis locis merſa ſunt? Quot populos aut terra in ſe, aut mare ioclnſit? Ego recuſem mei finem, cũ ſciam me ſine fine non eſſe? immo cum ſciam omnia eſſe finita? Ego vltimum ſuſpirium timeam? Quantum potes itaque ipſe te cohortare, Lucili, contra metum mortis. Hic eſt qui nos humiles facit: hic eſt qui ipſam vitam cui parcit, ioquietat, ac petdit. Hic omnia iſta dilatat, terrarum motus, & fulmina. Quae omnia feres conſtanter, ſi cogitaueris nihil intereſſe inter exiguum tempus & longum. Horae ſunt quas perdimus. Puta dies eſſe, puta menſes, puta annos: perdimus illos, nempe perituros. Quid, oro te, refert, num perueniam ad illos? fluit tempus, & auidiſſimos ſui deſerit. Nec quod futurum eſt, meum eſt, nec quod fuit. In puncto fugieotis temporis pendeo: & magni eſt, modicum fuiſſe. Eleganter Laelius ille Sapiens dicenti cuidam, Sexagiota annos habeo: Hos, inquit, dicis ſexaginta, quos non habes? Ne ex hoc quidem intelligimus incomprehenſibilis vitae condicionem & ſortem temporis ſemper alieni, quòd annos anoumeramus omiſſos. Hoc affigamus animo, hoc nobis ſubinde dicamus: Moriendum eſt. Quaodo? Quid tua? Mors naturae lex eſt, mors tributũ officiumque mortalium, malorumque omnium remedium eſt. Optabit illam, quiſquis timet. Omnibus omiſſis, hoc vnum, Lucili, meditate, ne mortis nomen teformides: effice illam tibi cogitatiooe multa familiarem: vt ſi ita tulerit, poſſis illi vel obuiam exire.

M. ANTONII MVRETI AD LIBRVM SEXTVM NATVRALIVM SENECAE quaeſtionum Notae.

AD CAP. I.

POMPEIOS,] *Vix vlla res eſt, de qua maiore contentione diſputarint philoſophi, quàm de terrae motu. De quo tamen nihil adhuc pro certo atque explorato ſtatuere potuerunt. Videndus Ariſtoteles libro ſecundo meteorologicon, & qui in eum ſcripſerunt: Plinius libri ſecundi cap.* LXXIX. *& deinceps. Liber tertius de placitis philoſophorum.*

2 Et quidem diebus hibernis:] *Ariſtoteles quidem auctor eſt, vere & autumno ſaepius terrã moueri: aeſtate & hieme rarius: ſed tamen nullam eſſe anni partem ab hoc mali genere tutam, experimenta docuerunt.*

3 Sexcentarum ouium gregem] *Hoc ex eo contigiſſe videri poteſt, quòd in terrae motu taetri ac peſtiferi halitus afflãtur e terra: quorum noxia vis ad pecudes citiſſime ac facillime peruenit: vt quae humi paſcantur, neque fere vnquam caput attollant. Sic Homerica peſtis greges primum & armenta corripuit. Sed hoc Seneca ipſe poſtea dicturus eſt.*

AD CAP. XXI.

THERAM & Therasiam] *Locum hunc, qui etiam in vetuſtis libris mutilus ac deprauatus eſt, ita legendum puto,* Inter Theram & Theraſiam, hanc noſtrae aetatis inſulam, *&c. Plinius libro quarto:* Thera, cum primum emerſit, Calliſte dicta: ex ea auulſa poſtea Theraſia, atque inter duas enata, mox Automate, eadem Hiera. & in noſtro aeuo Thia iuxta eandem Hieram nata. *Vide eundem cap.* LXXXVII. *libri ſecundi.*

AD CAP. XXIII.

HELICE Burisque] *Vocatur & Bura. earum vnam hiatu terrae abſorptam, alteram vndis obrutam fuiſſe ſcribit Strabo libro primo. Vide eundem & libro octauo, & Pauſaniam in Achaicis, & Plinium cap.* XCI. *libri ſecundi.*

AD CAP. XXIIII.

CEV cum frigore inhorruimus,] *Lucretius,*

Frigus vti nostros penitus eum venit in artus,
Concutit, inuitos cogens tremere atque mouere.

7 Thucydides ait,] *Libro tertio. Atalanta autem insula est in Locris Opuntiis.*

8 Idem Sidoni accidisse, Posidonio crede.] *Hoc ipsum narrat, & auctorem eundem Posidonium laudat Strabo libro primo.*

AD CAP. XXV.

CVM laborauit Aegium,] *Vere & erudite locum hunc emendauit Pincianus.*

AD CAP. XXVI.

AEGYPTVM nunquam tremuisse tradunt.] *Aliam huius rei causam affert Plinius, cuius haec verba sunt, cap. LXXX. libri secundi:* Ideo Galliae & Aegyptus minime quatiuntur, quoniam hic aestatis causa obstat, illic hiemis.

11 Si Homero fides est,] *Hac de re Homeri versus sunt Odysseae libro quarto:*

Νῆσος ἔπειτά τις ἔστι πολυκλύστῳ ἐνὶ πόντῳ,
Αἰγύπτου προπάροιθε. Φάρον δέ ἑ κικλήσκουσι.
Τόσσον ἄνευθ' ὅσσον τε πανημερίη γλαφυρὴ νηῦς
Ηνυσεν, ᾗ λιγὺς οὖρος ἐπιπνείῃσιν ὄπισθεν.

12 Et Delos, quam Virgilius stare iussit:] *Eleganter quod de Apolline Virgilius dixerat, id ad ipsum Virgilium transtulit.*

13 Credula natio,] *Plaerunque enim, non tam, verum sit aliquid, nec ne sit, quàm posito verũ esse, causas cur ita fiat, inquirunt.*

14 Auctore Pindaro.] *Locus Pindari apud Pindarum ipsum non extat: sed citatur a Strabone libro decimo. Apud Callimachum quidem in hymno in Delum ita legitur:*

Κείνη δ' ἀνεμώεσσα καὶ ἄτροπος.

Herodotus tremuisse ait Delon, quo tempore Dareus in Graeciam exercitum duxit: cum prius oraculo ita responsum esset,

Quinetiam Delon, quanquam est immota, mouebo.

15 Thucydides ait,] *libro secundo:* ἔτι δὲ Δῆλος ἐκινήθη, ὀλίγον πρὸ τούτων, πρότερον οὔπω σεισθεῖσα, ἀφ' οὗ Ἕλληνες μέμνηνται. *Plinius libro* IIII. Ipsaque longe clarissima, Cycladum media, templo Apollinis & mercatu celebrata Delos: quae diu fluctuata, vt proditur, sola motum terrae non sensit ad M. Varronis aetatem. Mucianus prodidit bis concussam.

L. ANNAEI SENECAE AD LVCILIVM NATVRALIVM QVAESTIONVM

LIB. VII. ET VLTIMVS.

In quo agitur de Cometis.

CAP. I.

NEMO vsque eo tardus, & hebes, & demissus in terram est, vt ad diuina non erigatur, ac tota mente consurgat: vtique vbi nouum aliquod e caelo miraculum fulsit. Nam quamdiu solita decurrunt, magnitudinem rerum cõsuetudo subducit. Ita enim compositi sumus, vt nos quotidiana, etiam si admiratione digna sunt, transeant: contra minimarum quoque rerum, si insolitae prodierunt, spectaculum dulce fiat. Hic itaque coetus astrorum, quibus immensi corporis pulchritudo distinguitur, populum non conuocat. At cum aliquid ex more mutatum est, omnium vultus in caelo est. Sol spectatorem, nisi cum deficit, non habet. Nemo obseruat lunam, nisi laborantem. Tunc vrbes conclamant, tunc pro se quisque superstitione vana trepidat. Quanto illa maiora sunt, quòd sol totidem (vt ita dicam) gradus, quot dies habet, & annum circuitu suo claudit: quòd a solstitio statim inclinat, & dat spatium noctibus: quòd sidera abscondit: quòd terras, cum tanto maior sit

fit illis, non vrit, sed calorem suum intensionibus ac remissionibus temperando fouet: quòd
lunam nunquam implet, nisi aduersam sibi, nec obscurat. Haec tamen non annotamus,
quamdiu ordo seruatur. Si quid turbatum est, aut praeter consuetudinem emicuit, specta-
mus, interrogamus, ostendimus. Adeo naturale est magis noua, quàm magna mirari. Idem
in Cometis fit. Si rarus, & insolitæ figurae ignis apparuit, nemo non scire quid sit, cupit:
& oblitus aliorum, de aduenticio quaerit: ignarus, vtrum debeat mirari, an timere. Non
enim desunt qui terreant, qui significationes eius graues praedicent. Sciscitantur itaque, &
cognoscere volunt, prodigium sit, an sidus. At mehercules non aliud quis aut magnificen-
tius quaesierit, aut didicerit vtilius, quàm de stellarum siderumque natura: vtrum flamma
contracta, quod & visus noster affirmat, & ipsum ab illis fluens lumen, & calor inde de-
scendens: an non sint flammei orbes, sed solida quaedam terrenaque corpora, quae per i-
gneos tractus labentia inde splendorem trahant, coloremque, non de suo clara. In qua o-
pinione magni fuere viri,[a] qui sidera crediderunt ex duro concreta, & ignem alienum pa-
scentia. Nam per se, inquiunt, flamma diffugeret, nisi aliquid haberet quod teneret, & a
quo teneretur, conglobatamque nec stabili inditam corpori, profecto iam mundus turbi-
ne suo dissipasset. Ad haec inuestiganda proderit quaerere, num Cometae eius condi- II.
cionis sint, cuius superiora. Videntur enim cum illis quaedam habere communia, ortus &
occasus, ipsam quoque, quamuis spargantur & longius exeant, faciem. aeque enim ignei
splendidique sunt. Itaque si omnia terrena sidera sunt, his quoque eadem sors erit. Si vero
nihil aliud sunt quàm purus ignis, manentque mensibus senio, nec illos cõuersio mundi sol-
uit & velocitas: illa quoque possunt & tenui cõstare materia, nec ob hoc discuti assiduo cae-
li circumactu. Illo quoque pertinebit hoc excussisse, vt sciamus,[a] vtrum mundus terra stan-
te circumeat, an mundo stante terra vertatur. Fuerunt enim qui dicerent, nos esse, quos re-
rum natura nescientes ferat, nec caeli motu fieri ortus & occasus, sed ipsos oriri & occidere.
Digna res est contemplatione, vt sciamus in quo rerum statu simus: pigerrimam sortiti, an
velocissimam sedem: circa nos Deus omnia, an nos agat. Necessarium est autem, veteres or-
tus Cometarum habere collectos. Deprehendi enim propter raritatem eorum cursus adhuc
non potest, nec explorari, an vices seruent, & illos ad suum diem certus ordo producat. No-
ua haec caelestium obseruatio est, & nuper in Graeciam inuecta. Democritus quoque, III.
subtilissimus antiquorum omnium, suspicari ait se, plures stellas esse quae currant: sed nec
numerum illarum posuit, nec nomina, nondum comprehensis quinque siderum cursibus.
Eudoxus primus ab Aegypto hos motus in Graeciam transtulit. Hic tamen de Cometis ni-
hil dicit. Ex quo apparet, ne apud Aegyptios quidem, quibus maior caeli cura fuit, hãc par-
tem elaboratam. Conon postea diligens & ipse inquisitor, defectiones quidem solis serua-
tas ab Aegyptiis collegit, nullam autem mentionem fecit Cometarum: non praetermissu-
rus, si quid explorati apud illos comperisset. Duo certe, qui apud Chaldaeos studuisse se di-
cunt, Epigenes & Apollonius Myndius, peritissimus inspiciendorum naturalium, inter se
dissident. Hic enim ait, Cometas in numero stellarum errantium poni a Chaldaeis, teneri-
que cursus eorum. Epigenes contra ait, Chaldaeos nihil de cometis habere comprehensi,
[b] sed videri illos accendi turbine quodam aeris concitari & intorti. Primum ergo, si ti- IIII.
bi videtur, opiniones huius ponamus, ac refellamus.[c] Huic videtur plurimum virium habe-
re, ad omnes sublimium motus, stella Saturni. Haec cum proxima signa Marti premit, aut in
Lunae viciniam transit, aut in solis incidit radios, natura ventosa & frigida contrahit pluri-
bus locis aera, cõglobatque. Deinde si radios solis assumpsit, tonat, fulguratque. Si Martem
quoque consentientem habet, fulminat. Praeterea, inquit, aliam materiam habent fulmina,
aliam fulgurationes. Aquarum enim, & omnis humidi euaporatio, splendores tantum caeli
citra ictum minaces mouet. Illa autem calidior sicciorque terrarum exhalatio, fulmina ex-
tundit. Trabes vero & faces, quae nullo alio inter se quàm magnitudine distant, hoc modo
fiunt. Cum humida terrenaque in se globus aliquis aeris clausit, quem turbinem dicimus,
quacumque fertur, praebet speciem ignis extenti. Quae tamdiu durat, quamdiu mansit ae-
ris illa complexio, humidi intra se terrenique multum vehens. Vt a proximis menda- V.
ciis incipiam, falsum est, faces & trabes exprimi turbine. Turbo enim circa terras concipitur
ac fertur. Ideoque arbusta radicitus vellit,[d] & quocunque incubuit, solum nudat: siluas in-
terim & tecta corripiens, inferior fere nubibus, vtique nunquam altior. At contra trabes e-
ditior caeli pars ostentat. Ita numquam nubibus obstiterunt. Praeterea turbo omni nube
velocior rapitur, & in orbem vertitur. Super ista velociter desinit, & ipse se sua vi rumpit.
Trabes autem non transcurrunt, nec praeteruolant, vt faces, sed commorantur, & in eadem
parte caeli collucent. Charimander quoque in eo libro quem de cometis composuit, ait A-

naxagorae visum, grande insolitumque caelo lumen magnitudine amplae trabis, & id per
multos dies fulsisse. Talem effigiem ignis longi fuisse, Callisthenes tradit, antequam Burin
& Helicen mare absconderet. Aristoteles ait, non trabem illam, sed Cometen fuisse:ceterũ
ob nimium ardorem non apparuisse sparsum ignem, sed procedente tempore cum iam mi-
nus flagraret, redditam suamCometae faciem. [e] In quo igne multa quidem fuerunt digna,
quae notarentur:nihil tamen magis, quàm quòd vt ille fulsit in caelo, statim supra Burin &
Helicen mare fuit. Nunquid ergo Aristoteles non illam tantum, sed omnes trabes Cometas
esse credebat? Hanc habetis differentiam, quòd iis cótinuus ignis est, ceteris sparsus. Trabes
enim flammam aequalem habent, nec vllo loco intermissam aut languidam, in vltimis vero
VI. partibus coactam: qualem fuisse illam, quam modo retuli, Callisthenes tradit. Duo, in-
quit Epigenes, Cometarum genera sunt. Alij ardorem vndique effundunt, nec locum mu-
tant: alij in vnam partem ignem vagum in modum comae porrigunt, & stellas praetermeãt:
quales duo aetate nostra visi sunt. Illi priores criniti, vndique etiã immoti, humiles fere sunt,
& eisdem causis quibus trabes facesque conflantur, & ex intemperie aeris turbidi, multa se-
cum arida humidaque terris exhalata versantis. Potest enim spiritus per angusta elisus accẽ-
dere supra se positum, aera plenum alimentis idoneis igni. Deinde propellere ex nitido, ne
ex aliqua causa refluat rursus, ac remittatur: deinde iterum proximo die ac sequentibus cõ-
surgere, & eundem locum inflammare. Videmus enim ventos per complures dies ad con-
stitutum redire. Pluuiae quoque, & alia tempestatum genera, ad praescriptum reuertun-
tur. Vt breuiter autem voluntatem eius exprimam, eadem fere ratione hos fieri Cometas
existimat, qua fiunt ignes turbine eiecti. Hoc vnum interest, quòd illi turbines ex superiori
VII. parte in terras deprimuntur, hi de terra in superiora eleuantur. Aduersus haec multa
dicuntur. Primum si ventus in causa esset, nunquam cometes sine vento appareret. Nunc
autem & quietissimo aere apparet. Deinde si vento fieret, cum vento caderet. Et si vento
inciperet, cresceret vento: eoque esset ardentior, quo ille incitatior. His accedit illud quo-
que. Ventus multas aeris partes impellit, Cometes in vno loco apparet: ventus in sublime
non peruenit, Cometae autem visuntur supra quàm ventis ire licet. Transit deinde ad illos,
quos ait certiorem babere stellarum speciem, qui & procedunt, & signa praetereunt. Hos
ait ex eisdem causis fieri, quibus illos, quos dixit humiliores. Hoc tantum interesse, quòd
terrarum exhalationes multa secum arida ferentes, celsiorem petant partem, & in editiora
caeli aquilone pellantur. Deinde si illos aquilo propelleret, ad meridiem semper ageretur,
quò ventus hic nititur. Atqui varie concurrunt, alij in ortum, alij in occasum, omnes in
flexum: quod iter non daret ventus. Deinde si aquilonis illos impetus a terris in altum le-
VIII. uaret, aliis ventis non orirentur Cometae. atqui oriuntur. Illam nunc rationem eius
(vtraque enim vtitur) refellamus. Quicquid humidi aridique terra efflauit, cum in vnum
coit, ipsa discordia corporum, spiritum versat in turbinem. Tunc illa vis venti circumeun-
tis quicquid intra se comprehendit, cursu suo accendit, & leuat in altum: ac tam diu manet
splendor ignis expressi, quàm diu alimenta sufficiunt: quibus desinentibus, & ipse subsidit.
Qui boc dicit, non notat qualis sit turbinum cursus, & qualis Cometarum. Illorum rapidus
ac violentus, & ipsis ventis citatior est: Cometarum lenis, & quod per diem & noctem
quantum transierit, abscondat. Deinde turbinum motus vagus est & disiectus, & (vt Sal-
lustij vtar verbis) verticosus: Cometarum autem compositus, & destinatum iter carpens.
Num quis nostrum crederet, aut [f] lunam, aut quinque sidera rapi vento, aut turbine rotari?
Non, vt puto. Quare? quia non est illis perturbatus & impotens cursus. Ad Cometas idem
transferamus. Non confuse nec tumultuose eunt, vt aliquis credat illos causis turbulentis &
inconstantibus pelli. Deinde etiam si vertices isti comprehendere terrena humidaque, & ex
humili in altum exprimere possent: [g] non tamen supra lunam efferrent. Omnis illis vsque in
nubilum vis est. Cometas autem immixtos stellis videmus per superiora labentes. Ergo ve-
risimile non est, in tantum spatium perseuerare turbinem: qui quo maior est, maturius cor-
IX. rumpitur. Vtrumlibet itaque eligat: aut vis leuis tam alte peruenire nõ poterit, aut ma-
gna & concitata citius ipsa se franget. Praeterea humiliores illi Cometae ob hoc (vt putãt)
non exeunt altius, quia plus terreni habent. Grauitas illos sua in proximo tenet. Atqui ne-
cesse est, his Cometis diuturnioribus & celsioribus, plenior materia sit. Neque enim diutius
apparerent, nisi maioribus nutrimentis sustinerentur. Dicebam modo, non posse diu verti-
cem permanere, [h] nec supra lunam, aut vsque in stellarum locũ crescere. Nempe efficit tur-
binem, plurium ventorum inter ipsos luctatio. Haec diu non potest esse. Nam cum vagus
& incertus spiritus conuolutatus est, nouissime vni vis omnium cedit. Nulla autem tempe-
stas magna perdurat. Procellae quanto plus habent virium, tanto minus temporis. Venti cũ
ad

ad summum venerunt, remittuntur omni violentia. Necesse est ista concitatione in exitium sui tendant. Nemo itaque turbinem toto die vidit, ne hora quidem. [i] Mira velocitas eius, & mira breuitas est. Praeterea violentius celeriusque in terra, circaque eam voluitur: quo celsior, eo solutior, laxiorque est, & ob hoc diffunditur. Adiice nunc, quòd etiam si in summū pertenderet, vbi sideribus iter est, vtique ab eo motu, qui vniuersum trahit, solueretur. Quid enim est illa conuersione mundi citatius? hac omnium ventorum in vnum coniecta vis dissiparetur, & terrae solida fortisque compages, nedum particula aeris torti. Praeterea X. in alto manere nō potest ignis turbine illatus, nisi ipse quoque permaneret turbo. Quid porro tam incredibile est, quàm in turbine longior mora? Vtique motus motu contrario vincitur: habet enim suam locus ille vertiginem, quae rapit caelum,

Sideraque alta trahit, celerique volumine torquet.

Et vt det eis aliquam aduocationem, quod fieri nullo modo potest: quid de his Cometis dicetur, qui senis mensibus apparuerunt? Deinde duo debent esse motus eodem loco: alter ille diuinus & assiduus, suum sine intermissione peragens opus: alter nouus & recens, & turbine illatus. Necesse est ergo alter alteri impedimento sit. Atqui lunaris illa orbita, ceterorumque supra lunam meantium motus irreuocabilis est: [k] nec haesitat vsquam, nec resistit, nec dat vllam nobis suspicionem obiectae sibi morae. Fidem non habet, turbinem, violentissimum & perturbatissimum tempestatis genus, in medios siderum ordines peruenire, & inter disposita ac tranquilla versari. Credamus ignem circumacto turbine accendi, & hunc expulsum in sublime, praebere nobis opinionem speciemque sideris longi. [l] At puto tale esse debet, quale est id quod ignem efficit. Turbinis autem rotunda facies est. In eodem enim vestigio versatur, & in columnae modo circumagentis se voluitur. Ergo ignem quoque qui inclusus est, similem esse illi oportet. Atqui longus est, & disiectus, minimeque similis in orbem coacto. Epigenem relinquamus, & aliorum opiniones persequamur. Quas an- XI. tequam exponere incipiam, illud in primis praesumendum est, Cometas non in vna parte caeli aspici, nec in signifero tantum orbe, sed tam in ortu quàm in occasu, frequentissime tamen circa Septentrionem. Forma eis non est vna. Quamuis enim Graeci discrimina fecerint eorum quibus in morem barbae flamma dependet, & eorum qui vndique circa se velut comam spargunt, & eorum quibus fusus quidem est ignis, sed in verticem tendens: tamen omnes isti eiusdem notae sunt, Cometaeque rectè dicuntur. Quorum cum post longum tempus appareant formae, inter se eos comparare difficile est. Illo ipso tempore, quo apparent, inter spectantes de habitu illorum non conuenit: sed prout cuique acrior acies aut hebetior, ita dicit aut lucidiorem esse aut rubicundiorem, & crines aut in interiora deductos, aut in latera diuisos. Sed siue sint aliquae differentiae illorum, siue non sint, eadem fiant ratione necesse est Cometae. Illud vnum constare debet, praeter solitum aspici nouā sideris faciem, circa se dissipatum ignem trahentis. [i] Quibusdam antiquorum haec placet ratio. Cum ex stellis errantibus altera se alteri applicuit, confuso in vnum duarum lumine, faciem longioris sideris reddi. Nec hoc tunc tantum euenit, cum stella stellam attigit, sed etiā cum appropinquauit. Interuallum enim, quod inter duas est, illustratur ab vtraque, inflammaturque, & longum ignem efficit. His illud respondebimus, certum esse numerum XII. stellarum mobilium. Solere autem eodem tempore & has apparere, & Cometen. Ex quo manifestum fit, non illarum coitu fieri Cometen, sed proprium & sui iuris esse. Etiamnum frequenter stella sub altioris stellae vestigium venit. Et Saturnus aliquando supra Iouem est, & Mars Venerem aut Mercurium rectā linea despicit. Nec tamen propter hūc cursum, cum alter alterū subit, Cometes fit: alioquin annis omnibus fieret. Omnibus enim aliquae stellae in eodem signo simul sunt. Si Cometam faceret stella stellae superueniens, momēto esse desineret. Summa enim velocitas transeuntiū est. Ideo omnis siderum defectio breuis est: quia cito illas idem cursus, qui admouerat, abstrahit. Videmus solem & lunam [m] intra exiguum tempus, cum obscurari coeperint, liberari. Quanto celerior debet fieri in stellis congressio, tanto minoribus? Atqui Cometae senis mensibus manent. quod nō accideret, si duarū stellarum conuentu gignerentur. Illae enim diu cohaerere non possunt, & necesse est illas lex celeritatis separet. [n] Praeterea ista nobis vicina videntur, ceterum interuallis ingentibus dissident. Quomodo ergo potest [o] altera stella vsque ad alteram stellam ignem mittere, ita vt vtraque iuncta videatur, cum sint ingenti regione diductae? Stellarum, inquit, duarum lumen miscetur, & praebet vnius speciē. Nempe sic, quemadmodū rubicunda fit nubes solis incursu, quemadmodum vespertina aut matutina flauescunt, quemadmodū alterne arcus solis visitur. Haec omnia primū magna vi efficiuntur. Sol enim est, qui ista succendit. Stellarū non est eadem potētia. Deinde nihil horū, nisi infra lunam in terrarū vicinia nascitur. Superiora

pura & sincera sunt, & coloris sui semper. Praeterea si quid tale accideret, non haberet moram,sed extingueretur cito:sicut coronae,quae solem lunamve cingunt, & intra breuissimo spatium exolescunt.Nec arcus quidem diu perseuerat. Si quid esset tale, a quo medium inter duas stellas spatium confunderetur, aeque cito dilaberetur. Vtique non in tantum maneret,quantum morari Cometae solent. Stellis intra signiferum cursus est,hunc gyrum premunt: at Cometae vbique cernuntur. Non magis certum est illis tempus quo appareant,
XIII. quàm locus vllus,vltra quem non exeant. Aduersus hoc ab Artemidoro illa dicuntur, non has tantum stellas quinque discurrere,sed solas obseruatas esse. Ceterum innumerabiles ferri per occultum,aut propter obscuritatem luminis nobis ignotas,aut propter circulorum positionem talem,vt tunc demum,cum ad extremam eorum venere,visantur.Ergo intercurrunt quaedam stellae,vt ait, nobis nouae, quae lumen suum cum stantibus misceant, & maiorem quàm stellis mos est,porrigant ignem.hoc ex his quae mentitur,leuissimum est: tota eius narratio mundi, mendacium impudens est. Nam si illi credimus, summa caeli ora solidissima est, in modum tecti durata, & alti crassique corporis,quod atomi congestae,coaceruataeque fecerunt. Huic proxima superficies est ignea,ita compacta, vt solui variarique non possit. Habet tamen spiramenta quaedam, & quasi fenestras,per quas ex parte exteriore mundi influant ignes, non tam magni, vt interiora conturbent. Rursus ex mundo in exteriora labuntur. Itaque haec quae praeter consuetudinem apparent, influxerunt ex illa vtraque mundi iacente materia. Soluere ista quid aliud est,quàm manum exercere,& in ven-
XIIII. tum iactare brachia? Velim tamen mihi dicat iste,qui mundo tam firma lacunaria imposuit, quid sit quare credamus illi tantam esse crassitudinem caeli. Quid fuit,quod illo tam solida corpora adduceret, & ibi detineret. Deinde quod tantae crassitudinis est, necesse est & magni ponderis sit. Quomodo ergo in summo manent grauia?Quomodo illa moles non descendit, & se onere suo frangit? Fieri enim non potest, vt tanta vis ponderis, quantam ille substituit, pendeat, & leuibus innixa sit. Nec illud quidem potest dici, extrinsecus aliqua esse retinacula, quibus cadere prohibeatur. nec rursus de medio aliquid esse oppositi, quod imminens corpus excipiat ac fulciat. Illud etiamnum nemo dicere audebit,mundum ferri per immensum, & cadere quidem, sed non apparere an cadat: quia praecipitatio eius aeterna est, nihil habens nouissimum, in quod incurrat. Hoc quidam de terra dixerunt, cum rationem nullam inuenirent, propter quam pondus in aere staret. Fertur, inquiunt, semper: sed non apparet an cadat, quia infinitum est in quod cadit. Quid est deinde quo probes, non quinque tantum stellas moueri,sed multas esse,& in multis mundi regionibus? Aut si hoc sine vllo probabili argumento licet respondere,quid est, quare non aliquis aut omnes stellas moueri, aut nullam dicat? Praeterea nihil te adiuuat ista stellarum passim euntium turba. Nam quo plures fuerint, saepius in alias incident: rari autem Cometae, & ob hoc mirabiles sunt. Quid, quòd testimonium dicet contra te omnis aetas, quae talium
XV. stellarum exortus & annotauit, & posteris tradidit? Post mortem Demetrij Syriae regis, cuius Demetrius & Antiochus liberi fuere, paulo ante Achaicum bellum Cometes effulsit, non minor sole. Primo igneus ac rubicundus orbis fuit, clarumque lumen emittens, quanto vinceret noctem. Deinde paulatim magnitudo eius districta est, & euanuit claritas. Nouissime autem totus intercidit. Quot ergo coire stellas oportet, vt tantum corpus efficiant? Mille in vnum licet congreges, nunquam hunc ambitum solis aequabunt. Attalo regnante, initio Cometes apparuit modicus. Deinde sustulit se diffuditque, & vsque in aequinoctialem circulum venit, ita vt illam plagam caeli, cui lactea nomen est, in immensum extentus aequaret. Quot ergo conuenisse debent erraticae, vt tam longum
XVI. caeli tractum occuparent igne continuo? Contra argumentum dictum est:contra testes dicendum est. Nec magna molitione detrahenda est auctoritas Ephoro: historicus est. Quidam incredibilium relatu commendationem parant, & lectorem aliud acturum,si per quotidiana duceretur, miraculo excitant. Quidam creduli, quidam negligentes sunt:quibusdam mendacium obrepit, quibusdam placet. Illi non euitant, hi appetunt. Et hoc in commune de tota natione: quae approbare opus suum, & fieri populare non putat posse, nisi illud mendacio asperserit. Ephorus vero non religiosissimae fidei, saepe decipitur, saepe decipit. Sicut hic Cometen, qui omnium mortalium oculis custoditus est, quia ingentis rei traxit euentus, cum Helicen & Burin ortu suo mersit, ait illum discessisse in duas stellas: quod praeter illum nemo tradidit. Quis enim posset obseruare illud momentum, quo Cometes solutus, & in duas partes redactus est? Quomodo autem si est qui viderit Cometen in duas dirimi, nemo vidit fieri ex duabus? Quare autem non adiecit, in quas stel-
XVII. las diuisus sit, cum aliqua ex quinque stellis esse debuerit? Apollonius Myndius in

diuersa

diuersa opinione est. Ait enim, Cometen nō vnum ex multis erraticis effici, sed multos Co-
metas erraticos esse. Non est, inquit, species falsa, nec duarum stellarum confinio ignis ex-
tentus: sed & proprium sidus Cometes est, sicut solis aut lunae. Talis illi forma est, non in
rotundum restricta, sed procerior, & in longum producta. Ceterum non est illi palam cur-
sus: altiora mūdi secat: & tunc demum apparet, cum in imum cursus sui venit. Nec est quòd
putemus, eundem visum esse sub Claudio, quem sub Augusto vidimus: nec hunc qui sub
Nerone Caesare apparuit, & Cometis detraxit infamiam, illi similem fuisse, qui post necem
diui Iulij, ludis Veneris genitricis, circa vndecimam horā diei emersit. Multi variique sunt,
dispares magnitudine, dissimiles colore: aliis rubor est sine vlla luce: aliis cādor, & purum li-
quidumque lumen: aliis flamma, & haec non sincera, nec tenuis, sed multum circa se vol-
uens fumidi ardoris. Cruenti quidam, minaces, qui omen post se futuri sanguinis ferunt.
hi minuunt augentque lumen suum, quemadmodum alia sidera: quae clariora, cum de-
scendere, sunt, maioraque ex loco propiore visuntur: minora, cum redeunt, & obscuriora,
quia abducunt se longius. Aduersus hoc protinus respondetur, non idem accidere in XVIII.
Cometis, quod in ceteris. Cometae enim quo primum die apparuerint, maximi sunt. At-
qui deberent crescere, quo propius accederent. Nunc autem manet illis prima facies, do-
nec incipiant extingui. Deinde quod aduersus priores, etiam aduersus hunc dicitur. Si er-
raret Cometes, essetque sidus, intra signiferi terminos moueretur, intra quod omne sidus
cursus suos colligit. Nunquam apparet stella per stellam. Acies nostra non potest per me-
dium sidus exire, vt per illud superiora prospiciat. Per Cometen autem non aliter quàm per
nubem vlteriora cernuntur: ex quo apparet, illum non esse sidus, sed leuem ignem ac tu-
multuarium. Zenon noster in illa sententia est: congruere iudicat stellas, & radios in- XIX.
ter se committere: hac societate luminis existere imaginem stellae longioris. Ergo quidam
nullos esse Cometas existimāt, sed species illorum per repercussionem vicinorum siderum,
aut per coniunctionem cohaerentium reddi. Quidam aiunt esse quidem, sed habere cursus
suos, & post certa lustra in conspectum mortalium exire. Quidam esse quidem, sed nō qui-
bus siderum nomen imponas: quia dilabuntur, nec diu durant, & exigui temporis mora
dissipantur. In hac sententia sunt plaerique nostrorum: nec id putant veritati repu- XX.
gnare. Videmus enim, in sublimi varia ignium concipi genera, & modo caelum arde-
re, modo

Longos a tergo flammarum albescere tractus,

modo faces cum igne vasto rapi: ipsa etiam fulmina, etsi velocitate mira, simul & perstrin-
gunt aciem, & relinquunt ignes suos, aeris attriti, & impetu inter se maiore collisi. Ideo ne
resistunt quidem, sed expressi fluunt, & protinus pereunt. Alij vero ignes diu manent: nec
ante discedunt, quàm consumptum est omne, quo pascebantur, alimentum. Hoc loco sunt
illa a Posidonio scripta miracula, columnae, clypeique flagrantes, aliaeque insigni nouitate
flammae: quae non aduerterent animos, si ex consuetudine & lege decurrerent. Ad haec
stupent omnes, & repentinum ignem ex alto efferunt, siue emicuit aliquid & fugit, siue cō-
presso aere & in ardorem coacto, loco miraculi stetit. Quid ergo? Non aliquando lacuna
cedentis retro aetheris patuit, & vastum in concauo lumen? Exclamare posses: Quid est hoc?

—— medium video discedere caelum,

Palantesque polo stellas.

quae aliquando non expectata nocte fulserunt, & per medium eruperunt diem. Sed alia hu-
ius rei ratio est, quare alieno tempore appareant, quas esse, etiam cum laterent, constat. Mul-
tos Cometas non videmus, quòd obscurantur radiis solis: quo deficiente, quendam Come-
ten apparuisse, quem sol vicinus obtexerat, Posidonius tradit. Saepe autem cum occidit
sol, sparsi ignes non procul ab eo videntur. Videlicet ipsa stella sole perfunditur, & ideo a-
spici non potest. Cometae autem radios solis effugiunt. Placet ergo nostris, Cometas, XXI.
sicut faces, sicut tubas, trabesque, & alia ostenta caeli, denso aere creari. Ideo circa Se-
ptentrionem frequentissime apparēt, quia illic plurimum est aeris pigri. Quare ergo non stat
Cometes, sed procedit? dicam. Ignium modo alimentum suum sequitur. Quamuis enim il-
li ad superiora nisus est: tamen deficiente materia retroiens ipse descendit in aera quoque, si
dextram laeuamque premit partem. Nulla enim illi via est: sed qua illum vena pabuli sui du-
xit, illo repit, nec vt stella procedit, sed vt ignis pascitur. Quare ergo per longum tempus ap-
paret, & non cito extinguitur? Sex enim mensibus hic, quem nos Neronis principatu lae-
tissimo vidimus, spectandum se praebuit, in diuersum illi Claudiano circumactus. Ille enim
a Septentrione in verticem surgens, Orientem petiit semper obscurior: hic ab eadem parte
coepit, sed in Occidentem tendens, ad Meridiē flexit, & ibi se subduxit oculis. Videlicet ille

humidiora habuit,& aptiora ignibus,quae proſecutus eſt:huic rurſus vberior fuit & plenior
regio. ¶ Huc itaque deſcendunt,inuitante materia,non itinere.Quod apparet duobus,quos
ſpectauimus, fuiſſe diuerſum : cum hic in dextrum motus ſit, ille in ſiniſtrum. Omnibus au-
tem ſtellis in eandem partem curſus eſt,id eſt,contrarius mundo. Hic enim ab ortu voluitur
in occaſum,illae ab occaſu in ortum eunt. Et ob hoc duplex lis motus eſt : ille quo eunt, &
XXII. hic quo auferuntur. Ego noſtris non aſſentior. Non enim exiſtimo Cometen ſubita-
neum ignem, ſed inter aeterna opera naturae. Primum quaecunque aer creat, breuia ſunt.
Naſcuntur enim in re fugaci & mutabili. Quomodo poteſt enim in aere aliquid idem diu
permanere, cum ipſe aer nunquam idem maneat? fluit ſemper, & breuis illi quies eſt. Intra
exiguum momentum in alium,quàm in quo fuerat,ſtatum vertitur. Nunc pluuius, nunc ſe-
renus,nunc inter vtrunque varius:nubesque illi familiariſſimae, in quas coit, & ex quibus
ſoluitur,modo congregantur,modo digeruntur,nunquam immotae iacent.Fieri nõ poteſt,
vt ignis certus in corpore vago ſedeat,& ita pertinaciter haereat,quàm quem natura,ne vn-
quam excuteretur,aptauit. Deinde ſi alimento ſuo haereret, ſemper deſcenderet. Eo enim
craſſior aer eſt; quo terris propior : numquam Cometes in imum vſque demittitur, ' neque
appropinquat ſolo. Etiamnum ignis aut it quo illum natura ſua ducit, id eſt ſurſum : aut eo
XXIII. quo trahit materia, cui adhaeſit, & quam depaſcitur. Nullis ignibus ordinariis & cae-
leſtibus iter flexum eſt. Sideris proprium eſt,ducere orbem. Atqui hoc an Cometae alij fe-
cerint, neſcio : duo noſtra aetate fecerunt. Deinde omne quod cauſa temporalis accendit,
cito intercidit. Sic faces ardent,dum transeunt : ſic fulmina in vnum valent ictum : ſic quae
tranſuerſae dicuntur ſtellae & cadentes, praeteruolant & ſecant aera. Nullis ignibus niſi in
ſuo mora eſt. Illis dico diuinis,quos habet mundus aeternos,quia partes eius ſunt, & opera.
Hi autem aliquid agunt, & vadunt, & tenorem ſuum ſeruant, pareſque ſunt. Nam alternis
diebus maiores minoresve fierent, ſi ignis eſſet collecticius, & ex aliqua cauſa repentinus.
Minor enim eſſet ac maior, prout plenius aleretur aut malignius.Dicebam modo,nihil diu-
turnum eſſe,quod exarſit aeris vitio : nunc amplius adiicio.Morari ac ſtare nullo modo po-
teſt. Nam & fax & fulmen & ſtella tranſcurrens,& quiſquis alius eſt ignis aere expreſſus, in
fuga eſt : nec apparet,niſi dum cadit. Cometes habet ſuam ſedem : & ideo non cito expelli-
tur, ſed emetitur ſpatium ſuum:nec extinguitur,ſed excedit.Si erratica,inquit,ſtella eſſet, in
ſignifero eſſet. Quis vnum ſtellis limitem ponit? Quis in anguſtum diuina compellit? Nem-
pe haec ipſa ſidera, ' quae ſola moueri credis, alios & alios circulos habent. Quare ergo non
aliqua ſint,quae in proprium iter & ab iſtis remotum ſeceſſerint? ' Quid eſt, quare in aliqua
parte caelum peruium non ſit? Quod ſi iudicas, non poſſe vllam ſtellam niſi ſigniferum at-
tingere : Cometes poteſt ſic latum habere circulum, vt in hunc tamen parte aliqua ſui inci-
XXIIII. dat:quod fieri non eſt neceſſarium,ſed poteſt. Vide ne hoc magis deceat magnitudinẽ
mundi,vt in multa itinera diuiſus ſit : nec hanc vnam deterat ſemitam,caeteris partibus tor-
peat. Credis antẽ in hoc maximo & pulcherrimo corpore inter innumerabiles ſtellas, quae
noctem decore vario diſtinguunt,quae aera minime vacuum & inertem eſſe patiũtur,quin-
que ſolas eſſe,quibus exercere ſe liceat,ceteras ſtare, fixum & immobilem populum? Si quis
hoc loco me interrogauerit : Quare ergo non quemadmodum quinque ſtellarum, ita harũ
obſeruatus eſt curſus? Huic ego reſpondebo : Multa ſunt quae eſſe concedimus:qualia ſint,
ignoramus. Habere nos animum, cuius imperio & impellimur & reuocamur, omnes fate-
buntur : quid tamen ſit animus ille rector dominusque noſtri, non magis tibi quiſquam ex-
pediet, quàm vbi ſit. Alius illum dicet eſſe ſpiritum, alius concentum quendam, alius vim
diuinam & Dei partem,alius tenuiſſimum aerem, alius incorporalem potentiam.Nõ deerit
qui ſanguinem dicat,qui calorem. Adeo animo nõ poteſt liquere de ceteris rebus, vt adhuc
XXV. ipſe ſe quaerat. Quid ergo miramur,Cometas, tam rarum mundi ſpectaculum, nondũ
teneri legibus certis:nec initia illorum fineſque noteſcere,quorum ex ingentibus interuallis
recurſus eſt? Nondum ſunt anni mille quingenti,ex quo Graecia

— ſtellis numeros & nomina fecit.

Multaeque hodie ſunt gentes,quae tantum facie nouerint caelum,quae nondum ſciant cur
luna deficiat,quare obumbretur. Hoc apud nos quoque nuper ratio ad certũ perduxit. Ve-
niet tempus,quo iſta quae nunc latent, in lucem dies extrahat, & longioris aeui diligentia.
Ad inquiſitionem tantorum aetas vna non ſufficit,vt tota caelo vacet.Quid,quòd tam pau-
cos annos inter ſtudia ac vitia non aequa portione diuidimus? Itaque per ſucceſſiones iſtas
longas explicabuntur. Veniet tempus, quo poſteri noſtri tam aperta nos neſciſſe mirentur.
Harum quinque ſtellarum,quae ſe ingerũt nobis,quae alio atque alio occurrentes loco, cu-
rioſos nos eſſe cogunt,qui matutini veſpertinique ortus ſint, quae ſtationes,quãdo in rectũ

ferantur,

ferantur, quare agantur retro, modo coepimus scire. Vtrum emergeret Iupiter, an occideret, an retrogradus esset (nam hoc illi nomē imposuere cedenti) ante paucos annos didicimus. Inuenti sunt qui nobis dicerent: Erratis, qui vllam stellam aut supprimere cursum iudicatis, aut vertere. Non licet stare caelestibus, nec auerti: prodeunt omnia: vt semel missa sunt, vadunt. Idem erit illis cursus, qui sui finis. Opus hoc aeternum irreuocabiles habet motus: qui si quando constiterint, alia ex aduerso incident, quae nunc tenor & aequalitas seruat.

Quid est ergo, cur aliqua redire videantur? Solis occursus speciem illis tarditatis imponit, XXVI. & natura viarum circulorumque sic positorum, vt certo tempore intuentes fallant. Sic naues quamuis plenis velis eant, videntur tamen stare. Erit qui demonstret aliquando, in quibus Cometae partibus errent, cur tam seducti a ceteris eant, quanti qualesque sint. Contenti simus inuentis: aliquid veritati & posteri conferant. Per stellas, inquit, vlteriora non cernimus, per Cometas aciem transmittimus. Primum si fit istud, non in ea parte fit, qua sidus ipsum est spissi ac solidi ignis, sed qua ratus splendor excurrit, & in crines dispergitur. Per interualla ignium, non per ipsos vides. Stellae, inquit, omnes rotundae sunt, Cometae porrecti: ex quo apparet, stellas non esse. Quis enim tibi concedet, Cometas longos esse? Quorū natura quidem, vt ceterorum siderum, globus est, ceterum fulgor extenditur. Quemadmodum sol radios suos longe lateque dimittit, ceterum ipsi alia est forma, alia ei quod ex ipso fluit lumini: sic Cometarum corpus ipsum corrotundatur, splendor autem longior quàm ceterorum siderum apparet. Quare? inquis. Dic tu mihi prius, quare luna dissimillimum XXVII. soli lumen accipiat, cum accipiat a sole? Quare modo rubeat, modo palleat? Quare liuidus illi & ater color sit, cum a conspectu solis excluditur? Dic mihi, quare omnes stellae inter se dissimilem habeant aliquatenus faciem, diuersissimam soli. Quomodo nihil prohibet, ista sidera esse, quamuis similia non sint: ita nihil prohibet, Cometas aeternos esse & sortis eiusdem, cuius cetera, etiam si faciem illis non habent similem. Quid porro? mundus ipse, si cōsideres illum, nonne ex diuersis compositus est? Quid est quare in leone semper sol ardeat, & terras aestibus torreat: in aquario astringat hiemem, flumina gelu claudat? Et hoc tamen & illud sidus eiusdem condicionis est, cum effectu & natura dissimile sit. Intra breuissimum tempus aries extollitur, libra tardissime emergit: & tamen hoc sidus & illud eiusdem naturae est: cum illud exiguo tempore ascendat, hoc diu proferatur. Non vides, quàm contraria inter se elementa sint? grauia & leuia sunt, frigida & calida, humida & sicca. Tota huius mundi concordia ex discordibus constat. Negas Cometen stellam esse, quia forma eius non respondeat ad exemplar, nec sit ceteris similis. Vides enim quàm simillima sit illa, quae tricesimo anno reuertitur ad locum suum, huic quae intra annum reuisit sedem suam. Non ad vnam natura formam opus suum praestat, sed ipsa varietate se iactat. Alia maiora, alia velociora aliis fecit. Alia validiora, alia temperatiora: quaedam autem eduxit a turba, vt singula & conspicua procederent: quaedam in gregem misit. Ignorat naturae potentiam, qui illi non putat aliquando licere, nisi quod saepius facit. Cometas non frequenter ostendit, attribuit illis alium locum, alia tempora, dissimiles ceteris motus. Voluit & his magnitudinem operis sui colere, quorum formosior facies est, quàm vt fortuitam putes, siue amplitudinem eorum consideres, siue fulgorem, qui maior est ardentiorque quàm ceteris. Facies vero habet insigne quiddam & singulare, non in angustum coniecta & arctata, sed dimissa liberius, & multarum stellarum amplexa regionem.

Aristoteles ait, Cometas si- XXVIII. gnificare tempestatem, & ventorum intemperantiam atque imbrium. Quid ergo? non iudicas sidus esse, quod futura denuntiat? Non enim sic hoc tempestatis signum est, quomodo futurae pluuiae,

Scintillare oleum, & putres concrescere fungos:

aut quomodo indicium est saeuituri maris, si marinae

In sicco ludunt fulicae: notasque paludes
Deserit, atque altam supra volat ardea nubem:

sed sic, quomodo aequinoctium in calorem frigusque flectentis anni, quomodo illa quae Chaldaei canunt, quid stella nascentibus triste laetumve constituat. Hoc vt scias ita esse, nō statim Cometes ortus, ventos & pluuias minatur, vt Aristoteles ait, sed annum totum suspectum facit. Ex quo apparet, illum non ex proximo, quae in proximum daret signa traxisse, sed habere reposita & compressa legibus mundi. Fecit is Cometes, qui Paterculo & Vopisco consulibus apparuit, quae ab Aristotele Theophrastoque sunt praedicta. Fuerunt enim maximae & continuae tempestates vbique. At in Achaia, Macedoniaque, vrbes terrarum motibus prorutae sunt. Tarditas, inquit, illorum argumentum est, grauiores esse, multumque in se habere terreni: ipsi praeterea cursus. fere enim compelluntur in cardines.

XXIX. Vtrunque falsum est. De priore dicam prius.[u] Quare quae tardius feruntur, grauia sunt? Quid ergo? Stella Saturni, quae ex omnibus iter suum lentissime efficit, grauis est? Atqui leuitatis argumentum habet, quòd super ceteras est. Sed maiore, inquam, ambitu circuit, nec tardius it quàm ceterae, sed longius.[x] Succurrat tibi, idem me de Cometis posse dicere, etiam si segnior illis cursus sit. Sed mendacium est, ire eos tardius. Nam intra sextum mensem dimidiam caeli partem transcurrit hic proximus. Prior intra pauciores mēses recepit se. Sed quia graues sunt, inferius deferuntur. Primum non defertur, quod circumfertur. Deinde hic proximus a Septentrione motus sui initium fecit, & per Occidentem in Meridiana peruenit, erigensque suum cursum obliuit. Alter ille Claudianus a Septentrione primum visus, non desiit in rectum assidue celsior ferri, donec excessit. Haec sunt quae aut alios mouere ad Cometas pertinentia, aut me. Quae an vera sint, dij sciunt, quibus est scientia veri. Nobis rimari illa & coniecturare in occulto tantum licet, nec cum fiducia inueniendi, nec sine spe.

XXX. Egregie Aristoteles ait, nunquam nos verecundiores esse debere, quàm cum de diis agitur. Si intramus templa compositi, si ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus, si in omne argumentum modestiae fingimur: quanto hoc magis facere debemus, cum de sideribus, de stellis, de deorum natura disputamus, ne quid temere, ne quid impudēter, aut ignorantes affirmemus, aut scientes mentiamur? Nec miremur tam tarde erui, quae tam alte iacent. Panaetio, & his qui videri volunt Cometen non esse ordinarium sidus, sed falsam sideris faciem, diligenter tractandum est, an aeque omnis pars anni edendis Cometis satis apta sit: an omnis caeli regio idonea in qua creentur: an quacunque ire, ibi etiam concipi possint: & cetera, quae vniuersa tolluntur, cum dico illos fortuitos non esse ignes, sed intextos mundo, quos non frequenter educit, sed in occulto mouet. Quàm multa praeter hos per secretum eunt, nunquam humanis oculis orientia? Neque enim omnia Deus humanis oculis nota fecit. Quota pars operis tanti nostris oculis committitur? Ipse qui ea tractat, qui condidit, qui totum hoc fundauit deditque, circa se, maiorque est pars operis sui, ac melior, effugit oculos, cogitatione visendus est.

XXXI. [y] Multa praeterea cognata numini summo, & vicinam sortita potentiam, obscura sunt. Aut fortasse, quod magis mireris, oculos nostros & implent & effugiunt: siue illis tanta subtilitas est, quantam consequi acies humana non possit: siue in sanctiore secessu maiestas tanta delituit, & regnum suum, id est se, regit, nec vlli aditum dat, nisi animo. Quid sit hoc, sine quo nil est, scire non possumus. Et miramur, si quos igniculos parum nouimus, cum maxima pars mūdi Deus lateat? Quàm multa animalia hoc primum cognouimus saeculo? & quidem multa venientis aeui populus ignota nobis sciet. Multa saeculis tunc futuris cū memoria nostri exoleuerit, reseruantur. Pusilla res mūdus est, nisi in illo quod quaerat omnis mūdus habeat. Non semel quaedā sacra traduntur. Eleusis seruat, quod ostendat reuisentibus. Rerū natura, sacra sua nō simul tradit. Initiatos nos credimus. in vestibulo eius haeremus. Illa arcana nō promiscue nec omnibus patent: reducta & in interiore sacrario clausa sunt. Ex quibus aliud haec aetas, aliud quae post nos subibit, aspiciet. Quando ergo ista in notitiam nostram perducentur? Tarde magna proueniunt, vtique si labor cessat.[z] Id quod vnum toto agimus animo, nondum perfecimus, vt pessimi essemus. Adhuc in processu vitia sunt. Inuenit luxuria aliquid noui, in quod insaniat. Inuenit impudicitia nouam contumeliam sibi. Inuenit deliciarum dissolutio & tabes[22] aliquid tenerius molliusque, quo pereat. Nondum satis robur omne proiecimus. Adhuc quicquid est boni moris, extinguimus leuitate & politura corporum. Muliebres mundicias antecessimus, colores meretricios, matronis quidem non induendos, viri sumimus. Tenero & molli ingressu suspendimus gradum, non ambulamus, sed incedimus. Exornamus annulis digitos, in omni articulo gemma disponitur. Quotidie comminiscimur, per quae virilitati fiat iniuria, vt traducatur, quia non potest exui. Alius genitalia excidit, alius in obscoenam partem ludi fugit, & locatus ad mortem, infamiae armatur. Egenus etiam, in quo morbum suum exerceat, legit. Miraris, si nondum sapientia omne opus suum impleuit?

XXXII. Nondum tota se nequitia protulit. Adhuc nascitur, & huic omnes operam damus: huic oculi nostri, huic manus seruiunt. Ad sapientiam quis accedit? Quis dignam iudicat, nisi quam in transitu nouerit? Quis philosophiam, aut vllum liberale respicit studium, nisi cum ludi intercalantur, cum aliquis pluuius interuenit dies, quem perdere licet? Itaque tot familiae philosophorum sine successore deficiunt. Academici & veteres & minores nullum antistitem reliquerunt. Quis est qui tradat praecepta Pyrrhonis? Pythagorica illa inuidiosae turbae schola praeceptorem non inuenit. Sextiorum noua & Romani roboris secta, inter initia sua, cum magno impetu coepisset, extincta est. At quanta cura laboratur, ne cuius pantomimi nomen intercidat? Stat per successores Pyladis & Batilli domus:

harum

harum artium multi diſcipuli ſunt, multique doctores. Priuatim vrbe tota ſonat pulpitum. In hoc viri, in hoc feminae tripudiant. Mares inter ſe vxoresque contendunt, vter det latus illis. Deinde ſub perſona, cum diu trita frons eſt, tranſitur ad ganeam. Philoſophiae nulla cura eſt. Itaque adeo nihil inuenitur ex his quae parum inueſtigata antiqui reliquerũt, vt multa quae inuenta erant, oblitterẽtur. At mehercules ſi hoc totis membris premeremus, ſi in hoc iuuentus ſobria incumberet, hoc maiores docerent, hoc minores addiſcerẽt, vix ad fundum veniretur: in quo veritas poſita eſt, quam nunc in ſumma terra & leui manu quaerimus.

Naturalium quaeſtionum finis.

M. ANTONII MVRETI AD LIBRVM SEPTIMVM NATVRALIVM SENECAE quaeſtionum Notae.

DE *cometis, quae propria huius libri materia eſt, videndus Ariſtoteles cap. ſexto, & cap. ſeptimo primi Meteorologicon. Plinius cap. XXV. lib. ſecundi, & alij.*

AD CAP. I.

QVOD a ſolſtitio ad minuẽdos dies vertitur. *Haec omnia & abſunt a veteribus libris, & plane redundant. Quare deleri iuſsi.*

AD CAP. II.

VTRVM mundus terra ſtante] *Cicero in Academicis:* Hicetas (*ita enim iampridem legendum docui, non vt vulgo,* Nicetas) Syracuſius, vt ait Theophraſtus, caelum, ſolem, lunam, ſtellas, ſupera denique omnia ſtare cenſet: neque, praeter terram, rem vllam in mundo moueri: quae cum circum axem ſe ſumma celeritate cõuertat & torqueat, eadem effici omnia, quae, ſi, ſtante terra, caelum moueretur. Atque hoc etiam Platonem in Timaeo dicere quidam arbitrantur, ſed paulo obſcurius. *Laertius ab aliis hunc, ab aliis Philolaum huius admirabilis ſententiae auctorem putari ait. Sed & Heraclides Ponticus, & Ecphantus Pythagoreus idem ſenſiſſe traduntur.*

AD CAP. XI.

QVIBVSDAM antiquorum] *Anaxagorae & Democriti opinio haec fuiſſe dicitur.*

AD CAP. XXI.

SEX enim menſibus] *Quomodo igitur tuebimur Plinium, cuius haec verba ſunt?* Breuiſſimum quo cernerentur ſpatium ſeptem dierum annotatum eſt, lõgiſſimum octoginta. *Nimirum addenda eſt Plinio vna littera* C: *vt ſit,* C. octoginta. *Totidem enim diebus ſex menſes conſtant.*

L. ANNAEI SENECAE CLAVDII CAESARIS ΑΠΟΚΟΛΟΚΥΝΤΩΣΙΣ.

QVID actum ſit in caelo ante diem tertium eidus Octobris, Aſinio Marcello, Acilio Auiola Coſs. anno nouo, initio ſaeculi feliciſſimi, volo memoriae tradere. Nihil offenſae vel gratiae dabitur. Haec ita vera ſi quis quaeſierit vnde ſciam: primum, ſi noluero, non reſpõdebo. Quis coacturus eſt? Ego ſcio me liberum factum, ex quo ſuum diem obiit ille, qui verum prouerbium fecerat, Aut regem, aut fatuum naſci oportere. Si libuerit reſpõdere, dicam quod mihi in buccam venerit. Quis vnquam ab hiſtorico iurato res exegit? Tamen ſi neceſſe fuerit auctorem producere, quaerite ab eo qui Druſillam euntem in caelum vidit. Idem Claudium vidiſſe ſe dicet iter facientem, non paſſibus aequis. Velit, nolit, neceſſe eſt illi omnia videre, quae in caelo agantur. Appiae viae curator eſt: qua ſcis & diuum Auguſtum, & Tiberium Caeſarem ad deos iſſe. Hunc ſi interrogaueris, ſoli narrabit: coram pluribus nunquam verbum faciet. Nam ex quo in ſenatu iurauit ſe Druſillam vidiſſe caelum aſcendentẽ, & illi pro tam bono nuntio nemo credidit quid viderit, ver-

bis conceptis affirmauit,ſe non indicaturũ etiam ſi in medio foro hominẽ vidiſſet occiſnm. Ab hoc ego quaecunque audiui,certe clara affero,ita illum ſaluum & felicem habeam.

Iam Phœbus breuiore via contraxerat ortum
Lucis,& obſcuri creſcebant [2] tempora ſomni.
Iamque ſuum victrix augebat Cynthia regnum:
Et deformis hiems gratos carpebat honores
Diuitis autumni,viſoque ſeneſcere Baccho
Carpebat raras ſerus vindemitor vuas.

Puto magis intelligi ſi dixero,menſis erat October,dies tertius eidus Octobris.Horam non poſſum tibi certam dicere.facilius inter philoſophos,quàm inter horologia conueniet. Tamen inter ſextam & ſeptimam erat.Nimis ruſtice [3] acquieſcunt oneri poetae, non contenti ortus & occaſus deſcribere,vt etiam medium diem inquietent. Tu ſic tranſibis horam tam bonam?

Iam medium curſu Phœbus diuiſerat orbem,
Et propior nocti feſſas quatiebat habenas,
Obliquo flexam deducens tramite lucem.

Claudius animam agere coepit, nec inuenire exitum poterat. Tum Mercurius, qui ſemper ingenio eius delectatus eſſet,vnam de tribus Parcis educit, & ait:Quid femina crudeliſſima hominem miſerum torqueri pateris,[4] nec vnquam meritum,vt tamdiu cruciaretur? Annus ſexageſimus & quartus eſt, ex quo cum anima luctatur. Quid huic inuides? Patere mathematicos aliquando verum dicere, qui illum ex quo princeps factus eſt, [5] omnibus annis, omnibus mẽſibus efferunt.Et tamen non eſt mirum ſi errant.horam eius nemo nouit. Nemo enim illum vnquam natum putauit.Fac quod faciendum eſt.

Dede neci.melior vacua ſine regnet in aula.

Sed Clotho:Ego mehercule,inquit,puſillum temporis adiicere illi volebam,dum hos paucalos,qui ſuperſunt,ciuitate donaret.Conſtituerat enim omnes Graecos,Gallos,Hiſpanos, [6] Britãnos,togatos videre.Sed quoniam placet aliquos peregrinos in ſemen relinqui, & tu ita iubes fieri, fiat. Aperit tum capſulam, & treis fuſos profert. Vnus erat Augurini, [7] alter Babae, tertius Claudij. Hos, inquit, treis vno anno exiguis interuallis temporum diuiſos mori iubebo: nec illum incomitatum dimittam. Non oportet enim eum, qui modo ſe tot millia hominum ſequentia videbat,tot praecedentia,tot circumfuſa, ſubito ſolum deſtitui. Contentus erit his interim conuictoribus.

Haec ait:& turpi conuoluens ſtamina fuſo,
Abrupit ſtolidae regalia tempora vitae.
At Lacheſis redimita comas,ornata capillos,
Pieria crinem lauro frontemque coronans,
Candida de niueo ſubtemina vellere ſumit,
Felici moderanda manu:quae ducta colorem
Aſſumpſere nouum:mirantur penſa ſorores.
Mutatur vilis pretioſo lana metallo.
Aurea formoſo deſcendunt ſaecula filo.
Nec modus eſt illis,felicia vellera ducunt:
Et gaudent implere manus,ſunt dulcia penſa.
Sponte ſua feſtinat opus,nulloque labore
Mollia contorto deſcendunt ſtamina fuſo.
Vincunt Tithoni,vincunt & Neſtoris annos.
Phoebus adeſt,cantuque iuuat,gaudetque futuris:
Et laetus nunc plectra monet,nunc penſa miniſtrat.
Detinet intentas cantu,fallitque laborem.
Dumque nimis citharam,fraternaque carmina laudant.
Plus ſolito neuere manus:humanaque fata
Laudatum tranſcendit opus.Ne demite Parcae,
Phoebus ait:vincat mortalis tempora vitae,
Ille mihi ſimilis vultu,ſimiliſque decore,
Nec cantu,nec voce minor:felicia laſſis
Saecula praeſtabit,legumque ſilentia rumpet.
Qualis diſcutiens fugientia lucifer aſtra:
Aut qualis ſurgit redeuntibus heſperus aſtris:

Qualis

Qualis cum primum tenebris aurora solutis
Induxit rubicunda diem, sol aspicit orbem
Lucidus, & primos e carcere concitat axes:
Talis Caesar adest, talem iam Roma Neronem
Aspiciet, flagrat nitidus fulgore remissa
Vultus, & affuso ceruix formosa capillo.

Haec Apollo. At Lachesis, quae & ipsa homini fortissimo faueret, fecit, & plena orditur manu, & Neroni multos annos de suo donat. Claudium autem iubent omnes χαίροντας, εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων. Et ille quidem animam ebulliit, & eo desiit viuere videri. Expirauit autē dum comoedos audit, vt scias me nō sine causa illos timere. Vltima vox eius haec inter homines audita est, cū maiorem sonitū emisisset illa parte, qua facilius loquebatur: Vae me, puto, concacaui me. Quid autē fecerit, nescio:[8] omnia certe cōcacauit. Quae in terris postea sint acta, superuacuum est referre. Scitis enim optime: nec periculum est, ne excidant,[9] quae memoriae publicum gaudiū impresserunt. Nemo felicitatis suae obliuiscitur. In caelo quae acta sint, audite: fides penes auctorem erit. Nuntiatur Ioui, venisse quendam bonae staturae, bene canum, nescio quid illum minari: assidue enim caput mouere, pedem dextrum trahere. quaesisse se, cuius nationis esset? respōdisse nescio quid perturbato sono, & voce cōfusa, non intelligere se linguam eius: nec Graecum esse, nec Romanum, nec vllius gentis notae. Tum Iupiter Herculem, quia totum orbem terrarū pererrauerat, & nosse videbatur omnes nationes, iubet ire & explorare, quorum hominū esset. Tum Hercules primo aspectu sane perturbatus est, vt qui etiam non omnia monstra timuerit: vt vidit noui generis faciem, insolitum incessum, vocē nullius terrestris animalis, sed (qualis esse marinis belluis solet) raucam & implicatam, putauit sibi tertium decimum laborem venisse. Diligentius intuenti, visus est quasi homo. Accessit itaque, & quod facillimum fuit Graeculo, ait: τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις; Vbi haec Claudius, gaudet esse illic philologos homines, sperat futurum aliquem historiis suis locum. Itaque & ipse Homerico versu Caesarem se esse significans, ait:

Ἰλιόθεν με φέρων ἄνεμος Κικόνεσσι πέλασσεν.

Erat autem sequens versus verior, aeque Homericus:

ἔνθα δ' ἐγὼ πόλιν ἔπραθον, ὤλεσα δ' αὐτούς.

Et imposuerat Herculi homini minime vafro, nisi fuisset illic Febris, quae fano suo relicto, sola cum illo venerat: ceteros omnes deos Romae reliquerat. Iste, inquit, mera mendacia narrat. Ego tibi dico, quae cum ipso tot annos vixi, Lugduni natus est:[10] Marci municipē vides: quod tibi narro, ad sextumdecimum lapidem a Vienna natus est, Gallus germanus. Itaque quòd Gallum facere oportebat, Romam cepit. Hunc ego tibi recipio Lugduni natum, vbi Licinius multos annos regnauit. Tu autē qui plura loca calcasti, quàm vllus mulio perpetuarius, Lugdunenses scire debes, & multa milia inter Xanthum & Rhodanum interesse. Excandescit hoc loco Claudius, & quanto potest murmure irascitur. Quid diceret, nemo intelligebat. Ille autem Febrim duci iubebat, illo gestu solutae manus, & ad hoc vnum satis firmae, quo decollare homines solebat. Iusserat illi collū praecidi. Putares omnes illius esse libertos, adeo illum nemo curabat. Tum Hercules: Audi me, inquit, tu, & desine fatuari: venisti huc, vbi mures ferrum rodunt. Citius mihi verum, ne tibi alogias excutiam. Et quo terribilior esset, tragicus fit, & ait:

Exprome propere, sede qua genitus eluas,
Hoc ne peremptus stipite, ad terram accidas.
Haec claua reges saepe mactauit feros.
Quid nunc profatu vocis incerto sonas?
Quae patria, quae gens mobile eduxit caput,
Edissere. equidem regna tergemini petens
Longinqua regis, vnde ab Hesperio mari
Inachiam ad vrbem nobile aduexi pecus,
Vidi duobus imminens fluuiis iugum,
Quod Phoebus ortu semper obuerso videt:
Vbi Rhodanus ingens amne praerapido fluit,
Ararque dubitans quo suas cursus agat,
Tacitus quietis alluit ripas vadis.
Estne illa tellus spiritus altrix tui?

Haec satis animose & fortiter. Nihilominus mentis suae non est, & timet μωροῦ πληγήν. Claudius vt vidit virum valētem, oblitus nugarum, intellexit neminem parem sibi Romae fuisse

illic

illic non habere se idem gratiae: Gallum in suo sterquilinio plurimum posse. Itaque quãtum intelligi potuit, haec visus est dicere: Ego te fortissime deorum Hercules, speraui mihi affuturum apud alios: & si quis a me [11] notorem petisset, te fui nominaturus, qui me optime nosti. Nam si memoria repetis, ego eram, qui tibi ante tẽplum tuum ius dicebã totis diebus mense Iulio & Augusto. Tu scis qnantum illic miseriarum pertulerim, quum causidicos audirem, & diem & noctem: in quos si incidisses, valde fortis licet, maluisses cloacas Augiae purgare: multo plus ego stercoris exhausi.* Sed quoniam volo, nõ mirum, quòd impetum in curiam fecisti: nihil tibi clusi est. Modo dic nobis, qualem deum istum fieri velis: ἐπικούρειος θεὸς non potest esse: οὔτε αὐτὸς πρᾶγμα ἔχει, οὔτε ἄλλοις παρέχει. Stoicus? quomodo potest rotundus esse (vt ait Varro) sine capite, sine praeputio? Est aliquid in eo Stoici Dei: iã video, nec cor, nec caput habet.* Si mehercules a Saturno petisset hoc beneficiũ, [12] cuius mẽsem toto anno celebrauit Saturnalia eius princeps non tulisset. [13] Illum Deum ab Ioue, quem quãtum quidem in illo fuit, damnauit incesti. L. Syllanum enim generum suum occidit. Oro per quod sororem suam, festiuissimam omnium puellarum, quam omnes Venerem vocarent, maluit Iunonem vocare. [14] Quare, inquit, quaero enim, sororem suam stulte studere? Athenis dimidium licet, Alexãdriae totum. Quia Romae, inquit, mures molas lingũt: [15] hic nobis curua corrigit. Quid in cubiculo suo faciat, nescio: etiam caeli scrutatur plagas, deus fieri vult. Parum est quòd templum in Britannia habet, quòd hunc barbari colunt, & vt deum orant. Αλώρου φιλάτου χύειν. Tandem Ioui venit in mentem, priuatis intra curiam morantibus sententiam dicere, [16] nec disputare. Ego, inquit, P. C. interrogare vobis permiseram, vos mera mapalia fecistis. Volo seruetis disciplinam curiae. Hic qualiscũque est, quid de nobis existimabit? illo dimisso, primus interrogatur sententiam Ianus pater: is designatus erat in Kal. Iulias postmeridianus Cos. homo, quantumuis vafer, qui semper videt ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω. Is multa diserte, quòd in foro viuat, dixit, quae notarius persequi non potuit: & ideo non refero: ne aliis verbis ponam, quae ab illo dicta sunt. Multa dixit de magnitudine deorum: non debere hũc * vulgo dari honorem. Olim, inquit, magna res erat, Deum fieri: [17] iam fama nimium fecisti. Itaque ne videar in personam, non in rem sententiam dicere, censeo ne quis post hũc diem Deus fiat ex his, qui ἀρούρης καρπὸν ἔδουσιν: aut ex his, quos alit ζείδωρος ἄρουρα. Qui contra hoc S.C. deus factus, fictus, pictusve erit, cum dedi laruis, & proximo munere inter nouos auctoratos, ferulis vapulare placet. Proximus interrogatur sentẽtiã Diespiter [18] Vicae Potae filius, & ipse designatus Cos. nũmulariolus. Hic quaestu se sustinebat, vendere ciuitatulas solebat. Ad huncce belle accessit Hercules, & auriculam ei tetigit. Itaque in haec verba censet: Cum Diuus Claudius Diuum Augustum sanguine cõtingat, nec minus Diuam Augustam auiam suam, quam ipse Deam esse iussit, lõgeque omnes mortales sapientia antecellat, sitque e rep. esse aliquem, qui cum Romulo possit

——feruentia rapa vorare.

Censeo, vt D. Claudius ex hac die Deus fiat, ita vti ante eum quis optimo iure factus sit. Eamque rem ad μεταμορφώσεις Ouidij adiiciendã. Variae erãt sententiae, & videbatur Claudius sententia vincere. Hercules enim, qui videret ferrum suum in igne esse, modo huc, modo illuc cursabat, & aiebat: Noli mihi inuidere, mea res agitur, deinde si quid volueris, inuicem faciam: Manus manum lauat. Tũc Diuus Augustus surrexit sentẽtiae suae dicendae, & summa facũdia disseruit. P. C. vos testes habeo, ex quo deus factus sum, nullum verbum me fecisse. semper meum negotium ago. Sed nõ possum amplius dissimulare, & dolorem, quem grauiorẽ pudor facit, continere. In hoc terra marique pacem peperi? ideo ciuilia bella compescui? ideo legibus vrbem fundaui, operibus ornaui? Et quid dicam P. C. non inuenio: omnia infra indignationem verba sunt. Confugiendum est itaque a me ad Messalae Coruini disertissimi viri illam sententiam: [19] Praecidit ius imperij. hic, P.C. qui vobis non posse videtur muscam excitare, tam facile homines occidebat, [20] quàm canis exta edit. Sed quid ego de tot acribus viris dicã? Nõ vacat deflere publicas clades intuẽti domestica mala. Itaq; illa omittam, haec referam. [21] Etiamsi Phormea graece nescit, ego scio. ΕΝΤΥΚΟΝΤΟΝΥΚΗΝΑΙΗC. senescit. Iste, quem videtis per tot annos sub meo nomine latẽs, hãc mihi gratiam retulit, vt [22] duas Iulias proneptes meas occideret, alterã ferro, alteram fame: vnũ abnepotem L. Syllanũ. Videris Iupiter, an in causa mala, certe in tua, si hic inter nos futurus est. Dic mihi, Diue Claudi, quare quẽquam ex his, quos, quasque occidisti, antequam de causa cognosceres, antequam audires, damnasti? hoc fieri solet? in caelo non fit. Ecce Iupiter, qui tot annos regnat, vni Vulcano crus fregit, quem

ῥῖψε ποδὸς τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο.

& iratus fuit vxori, & suspẽdit illã: nunquid occidit? Tu Messalinam, cuius aeque auunculus

maior

maior eram, quàm tuus, occidisti. Nescio, inquis? Dij tibi malefaciát: adeo istud turpius est, quòd nescis, quàm quòd occidisti. Iste C. Caesaré non desijt mortuum prosequi. Occiderat ille socerum: hic & generum. Caius Caesar Crassi filium vetuit Magnum vocari: hic nomen illi reddidit, caput tulit. Occidit in vna domo Crassum Magnum, Scriboniam, Tristioniam, Assarioné, nobiles tamen: Crassum vero tam fatuum, vt etiam regnare posset. Cogitate P.C. quale portentum [23] in numerum deorum se recipi cupiat. Hunc nunc deum facere vultis? Videte corpus eius, diis iratis natum. Ad summam tria verba cito dicat, & [24] seruum me ducat. Hunc deum quis colet? quis credet? denique dum tales deos facitis, nemo vos deos esse credet. Summa rei, P.C. si honeste inter vos gessi, si nulli durius respódi, vindicate iniurias meas. Ego pro sententia mea hoc censeo. Atque ita ex tabella recitauit: Quandoquidem diuus Claudius occidit [25] socerú suum Appium Syllanum, generos duos, Pompeium Magnum & L. Syllanum, socerú filiae suae Crassum, frugi hominem, tam similé sibi, quàm ouo ouum, Scriboniam socrum filiae suae, Messalinam vxorem suam, & ceteros, quorum numerus iniri non potuit: placet mihi in eum seuere animaduerti, nec illi rerum iudicádarum vacationem dari, eumq; quamprimum exportari, & caelo intra dies xxx. excedere, olympo intra diem tertium. Pedibus in hác sententiam itum est. Nec mora, Cyllenius illum collo obtorto trahit ad inferos,

Illuc vnde negant redire quenquam.

Dum descendunt per viam sacram, interrogat Mercurius, quid sibi velit ille concursus hominum, num Claudij funus esset? Et erat omnium formosissimú, & impensa cura plenum, vt scires deum efferri, tibicinum, cornicinum, omnisque generis aeneatorú tanta turba, tantus conuentus, vt etiam Claudius audire posset. Omnes laeti, hilares. P.Ro. ambulabat táquam liber. Agatho, & pauci causidici plorabant, sed plane ex animo. Iurisconsulti e tenebris procedebant, pallidi, graciles, vix habentes animá, tanquam qui cummaxime reuiuiscerent. Ex his vnus cum vidisset capita conferentes, & fortunas suas deplorátes causidicos, accedit, & ait: Dicebam vobis, Non semper Saturnalia erút. Claudius vt vidit funus suum, intellexit se mortuum esse. [26] Ingenti enim μεγαλῃγορίᾳ naenia cantabatur anapaestis:

Fundite fletus, Edite planctus, Fingite luctus,
Resonet tristi Clamore forum: Cecidit pulchre
[27] *Cordatus homo, Quo non alius Fuit in toto*
Fortior orbe. Ille citato Vincere cursu
Poterat celeres, Ille rebelles Fundere Parthos,
Leuibusque sequi Persida telis, Certaque manu
Tendere neruum: Qui praecipites Vulnere paruo
Figeret hostes, Pictaque Medi Terga fugacis.
Ille Britannos Vltra noti Littora ponti,
Et caeruleos Scuta Brigantas Dare Romuleis
Colla cathenis Iussit, & ipsum Noua Romanae
Iura securis Tremere Oceanum. Deflete virum,
Quo non alius Potuit citius Discere causas,
Vna tantum Parte audita, Saepe & neutra.
Quis nunc iudex Toto lites Audiet anno?
Tibi iam cedet Sede relicta, Qui das populo
Iura silenti, Cretaea tenens Oppida centum.
Caedite moestis Pectora palmis, O causidici,
Venale genus. Vosque Poetae Lugete noui,
Vosque in primis Qui concusso Magna parastis
Lucra fritillo.

Delectabatur laudibus suis Claudius, & cupiebat diutius spectare. Iniicit illi manú Talthybius deorum nuntius, & trahit capite obuoluto, ne quis eum possit agnoscere, per campum Martium: & inter Tyberim & [28] viam rectá descendit ad inferos. Antecesserat iam compendiaria via Narcissus libertus, ad patronum excipiendum, & venienti [29] nitidus, vt erat a Balineo, occurrit, & ait: Quid dij ad homines? Celerius, inquit Mercurius, & venire nos nuncia. Ille autem patrono plura bládiri volebat. quem Mercurius iterú festinare iussit, & virga morantè impulit. Dicto citius Narcissus euolat. Omnia procliua sunt, facile descenditur. Itaque quamuis podagricus esset, momento temporis peruenit ad ianuam Ditis: vbi iacebat, vt ait Horatius, bellua centiceps, sese mouens, villosque horrédos excutiens. pusillum superturbatur, (albam canem in deliciis habere consueuerat) vt illum vidit canem nigrú villosum sane

quem nõ velis tibi in tenebris occurrere. Et magna inquit voce: Claudius Caesar venit. Ecce extẽplo cum plausu procedũt cantantes: [10] εὑρήκαμεν, συγχαίρωμεν. Hic erat C. Silius Cos. desig. Iunius Praetorius, Sex. Trallus, M. Heluius Trogus, [11] Cotta Tectus, Valens, Fabius, Equ. Rom. quos Narcissus duci iusserat. Medius erat in hac cantantium turba Mnester Pantomimus, quem Claudius decoris causa minorẽ fecerat. Necnon ad Messalinam cito rumor percrepuit, Claudium venisse. Cõuolarunt primũ omnium liberti, [12] Polybius, Myron, Harpocras, Amphaeus & Pheronactes, quos omnes, necubi imparatus esset, praemiserat. Deinde praefecti duo, Iustus Catonius, & Ruffus Pompeij F. Deinde amici, Saturnius Luscius, & Pedo Põpeius, & Lupus, & Celer Asinius, consulares. Nouissime fratris filia, sororis filia, gener, socer, socrus, omnes plane cõsanguinei. Et agmine facto Claudio occurrunt. Qnos cum vidisset Claudius, exclamat, Πάντα φίλων πλήρη. Quomodo vos huc venistis? Tum Pedo Põpeius: Quid dicis bomo crudelissime? Quaeris quomodo? Quis enim nos alius huc misit quã tu, omnium amicorũ interfector? In ius eamus: ego tibi hic sellas ostendã. Ducit illum ad tribunal Aeaci. is lege Cornelia, quae de sicariis lata est, quaerebat: postulat nomen eius recipi, edit subscriptionẽ. Occisos Senatores xxx. Equites Rom. cccxv. atq; plnres: ceteros ccxxi, ὅσσα ψάμαθός τε κόνις τε. Exterritus Claudius oculos vndecunque circũfert, vestigat aliquem patronum qui se defenderet. Aduocatum nõ inuenit. Tandem procedit P. Petronius, vetus cõuictor eius, homo Claudiana lingua disertus, & postulat aduocationem. Nõ datur. Accusat Pedo Põpeius magnis clamorib⁹. Incipit Petronius velle respondere. Aeacus, homo iustissimus, vetat. Illum tantũ altera parte audita condemnat, & ait: [13] εἴκε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο. Ingẽs silẽtium factum est. Stupebant omnes, nouitate rei attoniti: negabant hoc vnquam factum. Claudio iniquum magis videbatur, quàm nouum. De genere poenae diu disputatũ est, quid illum pati oporteret. Erant qui dicerent, si vni dij laturam fecissent, Tantalnm siti periturũ, nisi illi succurreretur: non vnquam Sisyphum onere releuari: aliquando Ixionis miseri rotã sufflaminãdam. Non placuit vlli ex veteranis missionẽ dari, ne vel Claudius vnquam simile speraret. Placuit nouam poenam excogitari debere, instituẽdum illi laborem irritum, & alicuius cupiditatis species sine fine & effectu. Tum Aeacus iubet illũ alea ludere pertuso fritillo. Et iam coeperat fugientes semper tesseras quaerere, & nihil proficere.

Nam quotiens missurus erat resonante fritillo,
Vtraque subducto fugiebat tessera fundo:
Cumque recollectos auderet mittere talos,
Lusuro similis semper, semperque petenti,
Decepere fidem: refugit, digitosque per ipsos
Fallax assiduo dilabitur alea furto.
Sic cum iam summi tanguntur culmina montis,
Irrita Sisyphio voluuntur pondera collo.

Apparuit subito C. Caesar, & petere illum in seruitutẽ coepit: producit testes, qui illũ viderant ab illo flagris, ferulis, colaphis vapulãtem. Adiudicatur C. Caesari: illum Aeacus donat. Is Menandro liberto suo tradidit, vt a cognitionibus ei esset.

AD ΑΠΟΚΟΛΟΚΥΝΤΩΣΙΝ CLAVDII CAESARIS, NOTAE.

AVCTORIS, *tituli, & tẽporis, quo scriptus est hic festiuissimus liber, fidẽ facit Dio ad finẽ lib.* LX.

2 Tempora somni:] *Quidam veteres* cornua somni: *quam lectionem viri magni secuti & interpretati sunt. Iidem etiam tentarunt sequenti versu legendum,* augebat Cynthia lychnum, *sed repugnantibus membranis.*

3 Acquiescunt oneri poetae,] *Veteres codices habent* omnes poetae.

4 Nec vnquam meritum, vt tamdiu] *Vetus codex,* Nec vnquam tam cruciatus esset.

5 Omnibus annis, omnibus mensibus] *Quidam veteres habent* omnibus annis, mensibus: *alij* omnibus annis, omnibus mensis efferunt.

6 Britannos togatos videre.] *In ceteris editionibus haec inseruntur,* Britannos, Sauromatas, & si qui vltra glacialem Boream incolunt barbari, togatos videre. *quae a sex, quos contuli, codicibus absunt, & a suis abesse notarunt tres doctissimi viri, qui in hoc fragmentum scripsere.*

7 Alter Babae,] *Is est fortasse, de quo Epist.* 15. *notissimae illis temporibus fatuitatis.*

8 Omnia certe concacauit.] *Addunt ceterae editiones,* nec post boletum opipare cõditum, plus cibi sumpsit. *Quae tamen lectio ab omnibus scriptis exẽplaribus abest. Et sane fuisset nimiae impudentiae si voluit Agrippina, vel si noluit, confidentiae, parricidium ueneficio commissum prouulgare.*

9 Quae memoriae publicum gaudium impresserunt.] *Non video cur haec lectio boni & elegantis sensus, quam omnes notarunt in suis extare manu scriptis, quamque in meis plane scriptam inueni, mutari debuerit.*

10 Marci municipem vides:] *Beatus Rhenanus vir rarissimae doctrinae, qui literis renascentibus plurimum contulit, censuit legendum* Munatij municipem vides. *Non sine ratione. Veterem tamen lectionem conatur interpretari magnus Turnebus Aduers. cap. 4. lib. 26. Porro Licinius, quem Lugduni regnasse dicit, is est qui, vt ait Dio lib. 54. in Gallia,* πλεονεξίᾳ μὲν βαρβαρικῇ, ἀξιώσει δὲ ῥωμαϊκῇ χρώμενος, πᾶν μὲν τὸ κρεῖττόν ποτε αὐτῷ νομισθὲν καθῄρει, πᾶν δὲ τὸ ἐν τῷ παρόντι ἰσχυρὸν ἠφάνιζε, *& quae sequuntur. qui etiam cum quoddam tributum quot mensibus a Gallis penderetur, annum quatuordecim mensium effecit, dictitans homo acutus Decembrem mensem decimum esse, nec vltimum duodecim mensium, quibus annus constaret, esse posse, sed duos necessario eum sequi. quod quid est regnare, si hoc non est?*

11 Notorem petisset,] *Notorem interpretor eum, qui ignoti notitiam dat,* γνωστῆρα. *Supra in Epistolis*, qui notorem dat, ignotus est: *& Xenophon lib. 6.* Κύρου παιδείας, εἰ δέ τις χρημάτων προσδεῖσθαι νομίζει εἰς ἐμπολὴν, γνωστῆρας ἐμοὶ προσαγαγὼν καὶ ἐγγυητὰς ἦ μὴν πορεύεσθαι σὺν τῇ στρατιᾷ, λαμβανέτω ὧν ἡμεῖς ἔχομεν: *id est, notores adducat. quod non admonuissem, nisi vidissem doctos viros, qui in hunc librum scripserunt, itemque qui locum Xenophontis latine reddere conati sunt, ad haec vocabula impegisse.*

12 Cuius mensem] *Viri docti legerunt* mensam *ex coniectura, sed frustra: ita enim noster auctor Epist.* 18. *conqueritur olim fuisse mensem Decembrem: nunc autem annum esse. Porro haec tria vocabula* Saturnalia eius princeps, *quae in omnibus exemplaribus habentur, ex glossa sunt, & merito a Romana editione absunt.*

13 Illum Deum ab Ioue,] *Cuius-cuius haec verba sint, sunt censentis Claudium inter Deos non recipiendum ab Ioue maxime, quem ipse Claudius eius imitatorem Syllanum damnando, quantum in se fuit, damnauit incesti. Porro veterem lectionem ad viuum expressi, nisi quòd* qui quantum in eo fuit *habet, in qua illam commiserantis reticentiam* Oro per, *qui non intellexerunt*, Oropen *effecerunt: at Syllani soror non Orope, sed Iunia Caluina dicta est. Tacit. lib. 12. quem vide.*

14 Quare, inquit, quaero enim.] *Haec est codicum veterum lectio, recta fortasse, nisi quis malit legere* studet. *veteres enim omnes* stude *habent. Studere autem est amare,* σπουδάζειν. *Porro quod sequitur de sororum connubio, ex pulcerrimo Philonis loco,* περὶ τῶν ἐν εἴδει νόμων, *facile intelligetur.* ὁ μὲν Ἀθηναῖος, *inquit,* Σόλων ὁμοπατρίους ἀδελφὰς ἐφεὶς ἄγεσθαι, τὰς ὁμομητρίους ἐκώλυσεν· ὁ δὲ Λακεδαιμονίων νομοθέτης ἔμπαλιν, τὸν ἐπὶ ταῖς ὁμογαστρίοις γάμον ἐπιτρέψας, τὸν πρὸς τὰς ὁμοπατρίους ἀπεῖπεν· ὁ δὲ τῶν Αἰγυπτίων ὁ χλευάζων τὴν ἑκατέρων εὐλάβειαν, ὡς ἡμίεργα διατεταγμένων, εὐφόρητον εἰς ἀσέλγειαν ἐπιδαψιλευόμενος δυσθεράπευτον κακὸν σώματος, καὶ ψυχῆς ἀκρασίας, καὶ προσχὼν ἄδειαν ἁπάσας ἀδελφὰς ἄγεσθαι.

15 Hic nobis curua corrigit.] *Plin. Iun. Epist. vlt. lib. 5.*

16 Nec disputare.] *Deest fortasse verbum* licere, *aut tale aliquid: vel potius, vt magno iudicio censet P. Pithoeus, legendum* extra curiam morantibus, *non* intra.

17 Iam fama nimium fecisti.] *Sic habent veteres, corrupte tamen. ex quo effecerunt*, iam famâ minimũ fecit. *Propius ad scriptam lectionem erit, si* iam fama minui fecistis *legamus. Quae autem sequebantur*, & iam pessimum quenque illum affectare, *a veteribus absunt.*

18 Vicae Potae filius,] *Sic plane legendum, vt in duobus manu scriptis codicibus, altero meo, altero eruditissimi P. Pithoei scriptum legi omissis diphthongis, quas fere recentiores transcriptores neglexerunt. Huius Vicae Potae siue Dei, siue Deae, vt numen obsoletum, ita apud auctores obliteratum pene nomen est. Primum id corruptum latere apud Cic. lib. 2. de leg. itemque apud Liuium, & Plutarchum, me docuit vir clarissimus atque ornatissimus Herricus Memmius, prolatísque quibus instructissimam habet bibliothecam manuscriptis exemplaribus probauit. Ciceronis locus ita vulgo habetur:* Quòd si fingenda sunt nomina vice poetae, & potius vincendi potiundique: *& quae sequũtur. Manuscripta vero sic exhibẽt:* Quòd si fingenda sunt nomina, Vicae Potae potius vincendi, potiundiq;, statassandi, quae cognomina statoris, & inuicti Iouis, rerumq; expetendarum nomina, *&c. quomodo etiam legit codex antiquus qui aliquãdo fuit F. Petrarchae, nũc antẽ amicissimi F. Pithoei P. fratris vere in litteris Castorũ. Rectius tamẽ fortasse leui mutatione legamus:* Quòd si fingẽda sunt nomina, Vicae Potae potius vincẽdi potiũdiq;, stassandiq; cognomina statoris, & inuicti Iouis, rerumq; expetendarum nomina Salutis, Honoris, Opis, Victoriae. Ἀπὸ κοινοῦ *enim repetendum est*, fingenda sunt, *idque verum esse ex praecedentibus cuique patebit. Liuius etiam lib. 2. de domo Poplicolae loquens scribit*, Delata confestim materia infra Veliam est, vbi nunc Vicae Potae est. *Plutarc. in Popl. de eadem re,* κατεσκεύασεν οἰκίας ἐκείνης μετεωροτέρας ὅπου νῦν ἱερόν ἐστιν Οὐίκας Ποτᾶς ὀνομαζόμενον. *Vulgo legitur apud Liuium*, vbi nunc vicus publicus est: *& apud*

Plut. ὅπου νυῦ ἱερόν ἐστιν ὐίκος πόπλακος ὀνομαζόμενον, *malo exemplo contra veteres, & ratione͂. Templu͂ enim nominari vicum publicu͂ absurdu͂ est, & vt Romae fuerit vicus publicus, is tamen non templum erat, nec infra Veliam, aut in foro Romano* V I I I. *vrbis regione: sed in* V I. *quae alta semita dicta est. Sex. Ruffus & Publ. Victor. Nec mouere nos debet quòd Plut. Vica͂ Pocam nominauit, quemadmodum etiam in quibusdam exemplaribus Liuij legitur, & in suo exaratum fuisse adnotauit doctißimus Rhenanus. Corrupto enim vocabulo, ita vulgo vocari potuit. Nec enim de mendo Plut. lectio argui potest, quum sex manuscripti codices Regiae bibliothecae, & tres amplißimi illius viri, quorum etiam vnus Florentiae editus ab Iuntis, anno* 1517. *summo consensu ita legant. Vica Pota igitur, ceu Vica Poca, vis est & numen vincendi potiundique dicta, quemadmodum Anna Peranna, vis & numen annandi & perannandi. Vt enim satis non est annare, nisi perannes: ita parum est vincere, nisi victoria potiaris & fruaris: de qua fortasse ab alijs alij inuenientur loci.*

19 Praecidit ius imperij.] *Peßime in editione Romana editum* periit ius imperij, *contra veteres & rationem. Porro obsceno verbo vsurus, quod dicendi magistri vitium esse notarunt, indignationem rei, & Messalae auctoritatem excusauit.*

20 Quàm canis exta edit.] *Veteres omnes legunt,* quàm canis excidit. *Si* canis *accusandi casu in plurali accipimus, notat stoliditatem Claudij hoc canum supplicio delectati, quod tamen apud vllum auctorem non legi: quare malui coniecturam Rhenani sequi, dum quid verisimilius suppetat.*

21 Etiamsi Phormea] *Veterem lectionem exprimendam curaui: quae enim in alijs habentur editionibus, a Rhenano sunt, & toto caelo ab ijs quae in membranis inueniuntur dißident.*

22 Duas Iulias] *Non amitas, vt vulgo legitur. Altera enim Germanici fratris, altera Drusi patruelis ex Liuilla, ceu Liuia Claudij sorore, filia fuit. Suet. in Claud. cap.* 29. *& Dion lib.* L X. *vnde infra fratris filiam, sororis filiam inter consanguineos a Claudio occisos recenset.*

23 In numerum deoru͂ se recipi cupit.] *Post haec vulgo quae sequuntur interiecta sunt:* Principes pietate & iustitia Dij fiunt, scilicet hic pius & iustus, quoniam Druydarum immanem religionem aduexit, nostram prorsus extirpauit, vt Romae nuptiarum sacra essent, quibus ipse, cùm sibi Agrippina nuberet, x x x. Senatoribus, innumeris Equitibus Romanis mactatis, principium dedit: *quae vt supposititia, ita etiam falsa sunt. Apage enim Senecam nuptias Agrippinae culpasse, ea rerum potiente a cuius partibus adhuc etiam priuatae fautor Germanici domus stetit. Falsum autem tantam stragem Cannensi fere parem nuptiarum die editam. Infra ait triginta Senatores occisos, sed toto imperij tempore, non vno nuptiarum die. Denique non Dio, non Tacitus, qui harum nuptiarum historiam narrant, id tacuissent. nec hoc Suetonius dicit, si eius verba, vt res ipsa loquitur, interpungantur, & vt interpungenda docuit Lipsius initio lib.*12. *in Tacit. Lipsius, inquam, cuius laudi & claritati meis verbis nihil addi potest.*

24 Seruum me ducat.] *Lubens delerem vocabulum* seruum. *Id enim per se ducendi verbo significatur.*

25 Socerum suum Appium Syllanum,] *Contra veteres membranas ceterae editiones* consocerum *legunt, cui lectioni causam dedit Suetonius: veruntamen scriptorum librorum auctoritatem ea ratione praetuli, quia supra dixit:* Occiderat ille socerum, hic & generum: *& infra inter consanguineos a Claudio occisos, socerum recenset, quae non nisi de hoc Appio intelligi possunt. Erat autem Appius Syllanus Claudij socer, & consocer: socer quidem, quia Messalinae vitricus. Dio lib.* L X. *consocer, quia pater L. Syllani Octauiae sponsi.*

26 Ingenti enim μεγαλῃγορίᾳ naenia] *Veteres qui Graecae scripturae vestigia retinuerunt, legunt,* ΜΕΓΑΛΩΚΟΡΙΚΟΝΕΝΙΑ.

27 Cordatus homo,] *Omnes veteres* Cordatus iano. *quid hoc sit, scient fortasse alij.*

28 Viam rectam] *Omnes veteres* Viam tectam *legunt, quam viae denominationem nunquam apud auctores legi: rectae fit mentio apud Mart. ad finem lib.*8.

29 Nitidus vt erat a balineo,] *Cur haec dicat, vide Dionem ad finem lib.* L X.

30 Εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν.] *Solemnia verba sunt proclamari solita in Osiridis sacris Deo inuento. Iul. Firmicus de error. profan. relig. statim initio, & commentarius antiquus a nostro Pithoeo luci datus in Iuuenal. Satyr.* 8. *Apud quos tamen potius legerem* Συγχαίρωμεν, *vt hic habetur, per* ω, *quàm per* o.

31 Cotta Tectus, Valens] *Fortasse* Cotta Vectius, Valens. *is enim summus orator & medicus inter Messalinae adulteros iussu Narcißi ductus est. Plin. cap.* 1. *lib.* X X I X. *& Tacit. ad finem* X I. *Cotta autem apud eundem Tacitum non Tectus, sed Messallinus dicitur.*

32 Polybius, Myron,] *Sic veteres melioris notae haec repraesentant, vt edidi. Quidam pro* Myrone, Mytonem, *&* Heronactem *pro* Pheronacte *ponunt, & ad finem* necubi imperatus esset, *vel* ne nisi imperatus esset. *Ait autem Claudium illos suos libertos praemisisse, ne apud inferos imparatus esset, quia sine suis libertis nihil penitus facere, loqui, vel respondere poterat, eratque, vt ait Iulianus*

Iulianus Imperator in Caesaribus: περὶ τῆς τραγῳδίας τὸ δορυφόρημα, μακροῦ δέω φάναι, καὶ ἄψυχον. *Postrema tamen lectio ferri potest, vt notet eum libertorum imperijs obnoxium, vnde dictus est Saturnalia toto anno celebrasse.*

33 Εἴκα πάθοι] *Vetus vnus hunc versum diserte sic scriptum habet*, αἴκε πάθοις τά κ' ἔρξας, δίκη κ' ἰθῦα γένοιτο. *& paulo infra omnes veteres legunt*, si vni Dij laturam fecissent, *& ad finem*, vt a cognitionibus abesset.

L. ANNAEI SENECAE VERSVS.

AD CORDVBAM.

I. CORDVBA solue comas, & tristes indue vultus:
Inlacrymans cineri munera mitte meo.
Nunc longinqua tuum deplora, Corduba, vatem:
Corduba non alio tempore moesta magis.
Tempore non alio, quo versis viribus orbis,
Incubuit belli tota ruina tibi:
Cum geminis oppressa malis vtrinque peribas:
Et tibi Pompeius, Caesar & hostis erat.
Tempore non alio, quo ter tibi funera centum
Heu nox vna dedit, quae tibi summa fuit.
Non, Lusitanus quateret cum moenia latro,
Figeret & portas lancea torta tuas.
Ille tuus quondam magnus, tua gloria, ciuis
Infigar scopulo. Corduba solue comas:
Et gratare tibi, quòd te natura supremo
Alluit Oceano: tardius ista doles.

AD CORSICAM.

II. CORSICA Phocaeo tellus habitata colono,
Corsica, quae Graio nomine Cyrnus eras:
Corsica Sardinia breuior, porrectior Ilua:
Corsica piscosis peruia fluminibus:
Corsica terribilis, cum primum incanduit aestas:
Saeuior, ostendit cum ferus ora canis:
Parce relegatis, hoc est, iam parce sepultis.
Viuorum cineri sit tua terra leuis.

DE EADEM.

III. BARBARA praeruptis inclusa est Corsica saxis:
Horrida, desertis vndique vasta locis.
Non poma Autumnus, segetes non educat Aestas:
Canaque Palladio munere Bruma caret:
Vmbrarum nullo ver est laetabile foetu,
Nullaque in infausto nascitur herba solo:
Non panis, non haustos aquae, non vltimus ignis:
Hic sola haec duo sunt, exul, & exilium.

QVERELA.

IIII. OCCISI iugulum quisquis scrutaris amici
Tu, miserum nec dum me satis esse putas:
Desere confossum victori vulnus iniquo,
Mortiferum impressit mortua saepe manus.

ITEM.

V. QVISQVIS es, & nomen dicam? dolor omnia cogit,
Qui nostrum cinerem nunc, inimice, premis:
Et non contentus tantis, subitisque ruinis,
Stringis in extinctum tela cruenta caput.
Crede mihi, vires aliquas Natura sepulchris
Attribuit: tumulos vindicat vmbra suos.
Ipsos crede Deos hoc nunc tibi dicere, Liuor,
Hoc tibi nunc Manes dicere crede meos:

Res est sacra miser. Noli mea tangere fata.
Sacrilegae bustis abstinuete manus.

VI. ITEM.

CARMINA mortifero tua sunt suffusa veneno,
[4] Et sunt criminibus pectora nigra magis.
Nemo tuos fugiat, non vir, non femina dentes,
Haud puer, haud aetas vndique tuta senis.
Vtque furens totas immittit saxa per vrbes
In populum: sic tu verba maligna iacis.
Sed solet insanos populos compescere sanus:
Et repetunt motum saxa remissa caput.
In te nunc stringit nullus non carmina vates,
Inque tuam rabiem publica Musa furit.
Dum sua compositus nondum bene concutit arma
Miles, & e nostra lancea torta manu:
Bellus homo, & valide capitalia crimina ludis:
Deque tuis manant atra venena iocis.
Sed tu per que iocum dicis vinumque, quid ad rem,
Si plorem? risus si tuus ista facit?
Quare tolle iocos, non est iocus esse malignum.
Nunquam sunt grati, qui nocuere sales.

VII. AD AMICVM.

CRISPE, meae vires, lassarumque ancora rerum:
Crispe vel antiquo conspiciende foro:
Crispe potens nunquam, nisi cum prodesse volebas:
Naufragio littus, tutaque terra meo.
Solus honor nobis, arx & tutissima nobis:
Et nunc afflicto sola quies animo.
Crispe, fides dulcis, placidique acerrima virtus:
Cuius Cecropio pectora melle madent.
Maxima facundo vel auo, vel gloria patri:
Quo solo careat si quis, in exilio est.
[5] An tu cui iaceo saxis telluris adhaerens,
Mens tecum est, nulla quae cohibetur humo.

VIII. DE QVALITATE TEMPORIS.

OMNIA tempus edax depascitur, omnia carpit,
Omnia sede mouet, nil sinit esse diu.
Flumina deficiunt, profugum mare littora siccat,
Subsidunt montes, & iuga celsa ruunt.
Quid tam parua loquor? moles pulcerrima coeli
Ardebit flammis tota repente suis.
Omnia mors poscit. Lex est, non poena, perire:
Hic aliquo mundus tempore nullus erit.

IX. VOTVM.

SIC mihi sit frater, maiorque, minorque superstes,
Et de me doleat nil, nisi morte mea.
Sic illos vincam, sic vincar rursus amando:
Mutuus inter nos sic bene certet amor.
Sic dulci Marcus qui nunc sermone fritinnit,
Facundo patruos prouocet ore duos.

X. EPITAPHIVM SENECAE.

CVRA, labor, meritum, sumpti pro munere honores,
Ite, alias posthac sollicitate animas.
Me procul a vobis Deus auocat. Ilicet actis
Rebus terrenis hospita terra vale.
Corpus auara tamen sollennibus excipe saxis.
Namque animam coelo reddimus, ossa tibi.

AD SENECAE VERSVS, NOTAE.

Q[1]VOD *de Seneca diximus eum Poemata atque etiam Epigrammata edidisse, id magis perspicuum erit ex his, quae hic apposuimus, Epigrammatis. Haec autem eius esse legitima liquido iurare possumus. Primum enim est insignis cuiusdam Cordubensis relegati. Quod cui magis ex tota antiquitate quadrare potest, quàm nostro Senecae? Sed & haec verba,* insigar scopulo, *Corsicae maxime conueniunt, quam abruptum vndique saxum in Consolatione ad Heluiam vocat. Septem vero quae deinceps ordine sequuntur, in vetcribus P. Pithoei, saluti bonorum auctorum nati, schidis Senecae adscribuntur, & argumentum ipsorum in exilio scripta probat. Nonum eiusdem auctoris esse & temporis, hinc liquet, quod maior frater Nouatus siue Gallio, minor Mela intelligantur. Constat enim Gallionem siue Nouatum maiorem natu nostro Seneca fuisse, quem Seneca pater & Tacitus aetatis ratione vbique praeponunt. Marcus autem ille est, quem blandissimum puerum vocat, cuiusque garrulitatem neminem vnquam satiaturam, ad se omnes conuertere in eadem consolatione dicit. Porro ne fucum facere videamur, desumpta sunt magna ex parte ex magni Scaligeri Catalectis, excepto octauo, quod eiusdem Pithoei beneficio nunc primum in lucem prodit. Subiunximus Senecae Epitaphium, quod a quibusdam ab ipso Seneca compositum adstruitur, ex his fortasse, quae nouissimo momento suppeditante eloquentia aduocatis scriptoribus tradidisse scribit Tacitus. Cuiuscumque sit, antiquum sane est, egregiique sensus, & Seneca Philosopho dignum. Adderent fortasse alij quae in iisdem Catalectis de Britannia capta extant Epigrammota, quae nec ipse omisissem, si vt eiusdem temporis, ita etiam auctoris esse constaret.*

EPIG. I. [2] Tempore non alio,] *Legendum esse* tempore non illo, *vt & versu IX. res ipsa loquitur.*

EPIG. II. [3] Iam parce sepultis.] *Vetus nostri Pithoei Codex habet,* Iam parce solutis. *Solutos autem pro mortuis poni non est nouum.*

EPIG. VI. [4] Et sunt criminibus] *Idem codex legit,* Et sunt carminibus, *quod magis probo: pariter fortasse legendum infra,* capitalia carmina ludis, *non* crimina.

EPIG. VII. [5] An tu cui iaceo] *Adnotatum est alias legi,* An tua Cyrneae saxis. *Et fortasse legendum,* At quin Cyrneae saxis.

EXCERPTA QVAEDAM E LIBRIS SENECAE.

HONESTA, inquit Epicurus, res est paupertas laeta. Illa vero iam paupertas non est, si laeta est. Cui cum paupertate bene conuenit, diues est. Non qui parum habet, sed qui plura cupit, pauper est. Quid enim refert, quantum illi in arca, quantum in horreis lateat, quantum pascat aut feneret, si alieno imminet, si non acquisita, sed acquirenda concupiscit? Quis sit diuitiarum modus, quaeris? Primo, habere quod necesse est: secundo, quod satis est. Nulli potest secura vita contingere, qui de producenda nimis cogitat. Nullum bonum iuuat habentem, nisi ad cuius amissionem praeparatus est animus. Magnae diuitiae sunt, lege naturae composita paupertas. Lex autem naturae, scis quos terminos nobis statuit? Non esurire, non sitire, non algere. Vti famem sitimque depellas, [a] non est necesse maria tentare, nec castra sequi. Parabile est quod natura desiderat, & cito apponitur. Ad superuacua sudatur. Illa sunt quae togam terunt, quae nos senescere cogunt, quae in aliena littora impingunt. Ad manum est, quod satis est. Si cui sua non videntur amplissima, licet totius mundi dominus sit, miser est. Miser est, qui se beatissimum non iudicat, licet toti mundo imperet. Non est beatus, qui se id non putat esse. [b] Nihil habeamus, quod cum magno emolumento insidiantis eripi possit. Quamminimum in corpore tuo sit spoliorum. Nemo ad humanum sanguinem venit propter ipsum, vel admodum pauci. Nudum latro transmittit: [c] etiam in obsessa via pauperi pax est. Is maxime diuitiis fruitur, qui minime indiget. Si ad naturam viues, nunquam eris pauper: si ad opinionem, nunquam diues. Exiguum natura desiderat, immensum opinio. Si congeratur in te quicquid multi locupletes possederunt, si vltra priuatum pecuniae modum fortuna te prouehat, auro tegat, purpura vestiat, eo deliciarum opumque perducat, vt terram marmoribus abscondas, non tantum liceat habere, sed calcare diuitias:

accedant ſtatuae & picturae, & quicquid ars vlla luxuriae auto & argento elaborauit: maiora cupere ab his diſces. Deſideria naturalia, finita ſunt: ex falſa opinione naſceotia, [d] vbi deſinant, ooo habent. nullus enim terminus falſo eſt. [e] Veritati aliquid extremum eſt: error immenſus eſt. Retrahe te ergo a vanis: & cum voles ſcire, an oaturalem, an vanam habeas cupiditatem, conſidera num alicubi conſiſtat. Si looge progreſſo ſemper aliquid longius reſtat, ſcito id naturale oon eſſe. [f] Paupertas expedita, ſecura eſt. Cum claſſicum cecinit, ſcit noo ſe peti: cum aliquo cóclamatum eſt, quomodo exeat, noo quid efferat, quaerit. At cum nauigandum eſt, non ſtrepitu portus, non vnius comitatu inquieta ſuot littora. Non circunſtat illum turba hominum, ad quos paſcendos tranſmarinarum tegionnm optanda eſt fertilitas. Facile eſt paſcere paucos ventres, & bene inſtitutos, & nihil aliud deſideraotes, quàm impleri. Paruo fames conſtat, magno faſtidium. Paupertas contenta eſt deſideriis inſtantibus ſatisfacere. Sanus diues eſt, qui licet habeat diuitias, [g] eas tamẽ vt fugientes habet. Quid ergo eſt, quare recuſes eam cootubernalem, cuius mores ſanus diues imitatur? Si vis vacare animo, [h] aut pauper ſis oportet, aut pauperi ſimilis. Noo poteſt ſtudium ſalutare fieri ſine frugalitatis cura. Frugalitas, paupertas voluntaria eſt. [i] Perpeſſi ſunt multotiens exercitus inopiam omniũ rerum, vixerunt herbarum radicibus, & dictu foedam tulerunt famem. Et haec omnia perpeſſi ſunt pto regno, quo magis mireris, alieno. Dubitabit aliquis ferre paupertatem, vt animum a futoribus liberet? Multis diuitias paraſſe, non finis miſeriarum fuit, ſed mutatio. Nec hoc mirot. Non in rebus vitium, ſed in animo ipſo eſt. Illud quod paupertatem grauem nobis fecerat, & diuitias graues faciet. Quemadmodum nihil refert, vtrum aegrum in lecto ligneo, an in aureo colloces: quocunque illum tranſtuleris, [l] morbum ſuum ſecum transferet: ſic nihil refert, vtrum aeger animus in diuitiis an in paupertate ſit: malum ſuum illum ſequitut. [m] Ad ſecuritatem nõ eſt opus fortuna. Quod enim neceſſitati ſat eſt, dabit, licet irata. Ne imparatos nos fortuna deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris. [n] Securius diuites erimus, ſi ſciemus quàm noo ſit graue pauperes eſſe. Incipe cum paupertate habere contubernium.

[o] *Aude hoſpes contemnere opes, & te quoque dignum*
Finge Deo.

Nemo alius dignus Deo eſt, niſi qui opes cõtempſit. Quare poſſeſſiones tibi non interdico, ſed efficere volo, vt illas intrepide poſſideas. Quod vno conſequeris modo, ſi te etiã ſine illis bene victurum ſperaueris: & [p] ſi illas tanquam exituras aſpexeris. [q] Diſcedat quiſquis non te, ſed aliud in te ſequebatur. ob hoc vnum eſt amanda paupertas, [r] quòd a quibus ameris, oſtendit. Multum eſt, non cortumpi diuitiarum contubernio. Magnus ille eſt, qui in diuitiis pauper eſt. Nemo naſcitut diues. Quiſquis exit io lucem, [s] iuſſus eſt pane & lacte eſſe cõtentus. Ab his initiis regna nos non capiunt. Panem & aqoam natura deſiderat. Nemo ad haec pauper eſt. [t] Intra quae ſi quis deſiderium ſuum cluſit, cum ipſo Ioue de felicitate contendat. Res inquieta, felicitas eſt, ipſa ſe exagitat, mouet cerebrum, [u] non in vno genere. [x] Alios in cultum irritat, alios in potentiam, alios inflat, alios mollit. [y] Si vis ſcire quam nihil mali ſit in paupertate, compara intet ſevultum pauperis & diuitis. Saepius pauper & fidelius ridet: nulla ſollicitudine coocutitur, in alto eſt. Cura velut nubes leuis tranſit. Horum qui felices vocantur, hilaritas ficta eſt: [z] huic grauis & ſoprema ſuperbia, licet non palam, triſtitia eſt: eo quidem grauiot, [a] quòd interdum oon licet palam eſſe miſeros, ſed inter aerumnas cot ipſum exedentes, [b] neceſſe eſt agere felicem. Abſtrahunt a recto diuitiae, honores, potentiae, & cetera: quae opinioοe hominum cara ſunt, ptetio ſuo vilia. Neſcimus aeſtimare res, de quibus non cum ſama, ſed cum rerum natura deliberandum eſt. Nihil habent iſta magnificum, quod mentes noſtras in ſe trahat, praeter hoc quòd mirari illa conſueuimus. [c] Noo enim quia concupiſcenda ſuot, laudantur: ſed quia coocupiſcuntur. Hanc praecedentem cauſam habent diuitiae. Mutant animos, [d] ſuperbiam & arrogantiam pariunt, [e] inuidiam trahuot, eo vſque mentem alienant, vt fama pecuniae nos etiam nocitura delectet. [f] Bona omni culpa carere decet: [g] pura ſuot, oon cortumpunt animos, non ſollicitant: extollunt quidem animos & delectant, [h] ſed ſine tumore. Quae booa ſunt, fidociam faciunt: diuitiae audaciam. Quae bona ſuot, magnitudinem animi dant, diuitiae inſolentiam.

ICET cunctorum poetarum carmina gremium tuum semper illustrent, aliquando delibe rans, hoc tibi opusculũ pro accidẽtibus casibus dirigere curaui, [a] quod non praecedentes, sed posteri narrabunt. [b] Vnde ergo primum incipimus? Si tibi videtur, a morte. Ab vltimo, inquis: immo a maximo. Ad hoc praecipue gens humana contremit: nec immerito tibi videtur hoc facere. Ceteri timores habent aliquem post se locum: mors omnia abscindit. Alia nos torquent: mors omnia deuorat. Omnium quae horremus, ad hanc exitus spectat aliorum quae per circuitum. Etiam qui alioqui se nihil timere iudicant, hoc timent. Quicquid aliud extimescimus, habet aut remedium, aut solatium. [c] Sic ergo te forma, vt si quis tibi palam mortem minetur, omnes terriculas eius deludas.

Morieris. Ista hominis natura est, non poena. Morieris. Hac condicione intraui, vt exirem. Morieris. Gentiũ ius est, quod acceperis, reddere. Morieris. Peregrinatio est vita. [d] Multum cum deambulaueris, domum redeundum est. Morieris. Putabam te aliquid noui dicere. Ad hoc veni, hoc ago, huc me singuli dies adducunt. Nascẽti mihi natura protinus hunc posuit terminum. Quid habeo quod indigner? In haec verba iuraui. Morieris. Stultum est timere, quod vitare non possis. Istud non effugit, etiam qui distulit. Morieris. Nec primus, nec vltimus. Multi me antecesserunt, omnes sequentur. Morieris. Hic est humani officij finis. [e] Quis sanus exauctorari moleste tulit? Quo transit orbis, ego transibo. [f] Ad hanc condicionem cuncta gignuntur. Quod coepit, & desinit. Morieris. [g] Nihil graue est, quod semel est. Aes alienum meum noui. Hoc equidem cum eo creditore contraxi, cui decoquere non possum. Morieris. [h] Dij melius. Nemo hac re melius mortalibus minari potest.

Sed decollaberis. Quid interest, vtrum caesim moriar, an punctim? Sed saepe herieris, & multi in te gladij concurrent. Quid refert, quàm multa sint vulnera? Non potest amplius quàm vnum esse mortiferum.

Peregre morieris. Vndecunque ad inferos vna via est. Peregre morieris. Ego quod debeo, soluere paratus sum. Videat feneratot, vbi me appellet. Peregre morieris. [i] Nulla terra est aliena mortuo. Peregre morieris. Non est grauior foris quàm domi somnus. [k] Peregre morieris. Hoc est, in patriam sine viatico peruenire.

Sed iuuenis morieris. Optimum est, antequam optes, mori. Iuuenis morieris. Hoc vnum est, [l] quod aeque ad iuuenem quàm ad senem pertinet. Non citamur ex censu, nec exigitur numerus annorum. Et adolescentes & impuberes eadem fati necessitas ducit. Optimum est mori, cum iuuat viuere. Iuuenis morieris. Quicunque ad extremum fati sui venit, senex moritur. Non enim refert quae sit hominis aetas, sed quae sit meta. Iuuenis morieris. Fortasse alicui malo subducit me fortuna: si nulli alij, vel senectuti. Iuuenis morieris. Nõ refert, quot annos habeam, sed quot acceperim. si plus viuere non possum, haec est senectus mea.

Insepultus iacebis. Quid aliud respondeam, quàm illud Maronis?

—Facilis iactura sepulcri.

Si nihil sentio, non pertinet ad me iactura corporis insepulti. Si sentio, omnis sepultura tormentum est. Insepultus iacebis.

—Coelo tegitur, qui non habet vrnam.

Quid interest, [m] ignis me an fera consumat, [n] an tellus omnium sepultura? Istud non sentienti superuacuum est, sentienti onus. Insepultus iacebis. At tu combustus, at tu obrutus, at tu inclusus, at tu putridus, at tu euisceratus & constrictus, [o] at traditus lapidi, qui te paulatim edat & exsiccet. Nulla est sepultura. non sepelimur, sed proiicimur. Non sepelieris. Quid inter tutissima trepidas? Vltra poenarum omnium terminum iste locus est. [p] Vitae multa debemus, morti nihil. Non defunctorum causa, sed viuorum inuenta est sepultura, vt corpora & visu, & odore foeda, amouerentur. alios terra obruit, alios flamma consumpsit, [q] alios lapis ossa redditurus inclusit. Non defunctis, sed nostris oculis parcimus.

Aegroto. Venit tempus quo experimentum mei caperem. Non in mari tantum, aut in proelio vir fortis apparet. Exhibetur etiam in lectulo virtus. Aegroto. Non potest istud toto sacculo fieri. Aut ego febrem relinquam, aut ipsa me. Semper vna esse non possumus. Cum morbo mihi res est: aut vincetur, aut vincet.

[r] Male de te loquuntur homines. Sed mali. Mouerer, si de me Marcus Cato, si Laelius Sapiens, si alter Cato, si duo Scipiones ista loquerentur. Nunc malis displicere, laudari est. Non potest vllam auctoritatem habere sententia, vbi qui damnandus est, damnat. Male de te loquuntur. Mouerer, si iudicio hoc facerẽt: nunc morbo faciũt. Non de me loquũtur, sed de se,

Male de te loquuntur. Bene neſciunt loqui : [t] faciunt, non quod mereor, ſed quod ſolent. Quibuſdam enim canibus ſic innatum eſt, vt non pro feritate, ſed pro conſuetudine latrent.

Exulabis. Erras: cum omnia fecerim, patriam meam tranſire non poſſum. Omnium vna eſt. Extra hanc nemo proficiſci poteſt. Exulabis. Non patria mihi interdicitur, ſed locus. In quamcunque terram venio, in meam venio. Nulla terra exilium eſt, altera patria eſt. Non eris in patria. Patria eſt, vbicunque bene eſt. Illud autem per quod bene eſt, in homine, non in loco eſt. [u] In ipſius poteſtate eſt, quae ſit illi fortuna. Si enim ſapiens eſt, peregrinatur: ſi ſtultus, exulat. Exulabis. Hoc dicis: alterius loci ciuitate donaberis.

Dolor imminet. Si exiguus eſt, feramus: [x] leuis eſt patientia. Si grauis eſt, feramus: non leuis eſt gloria. Dolor clamorem exprimat, dum ſecreta non exprimat. Non poteſt homo par dolori eſſe, nec rationi dolor. Dura res eſt dolor: immo tu mollis. Pauci dolorem ferre potuerunt. Simus ex paucis. Imbecilles natura ſumus. Naturam infamare nolite. illa nos fortes genuit. Fugiamus dolorem. Quid, quòd ille ſequitur fugientes?

Paupertas mihi grauis eſt. [y] immo tu paupertati. Non in paupertate vitium eſt, ſed in paupere. Illa expedita eſt, hilaris, tuta. Pauper ſum. Neſcis te opinione, non re laborare. Pauper es, quia videris. Pauper ſum. Nihil deeſt auibus. Pecora in diem viuunt. feris ad alimenta ſolitudo ſua ſufficit. [z]

Non ſum potens. [a] Gaude: impotens nõ eris. Injuriam accipere potero. Gaude: facere non poteris. Magnam pecuniam habet. Hominem illum iudicas? arca eſt. Quis aerario, quis plenis loculis inuidet? Et iſte quem dominum pecuniae exiſtimas, loculus eſt. Multum habet. [b] Vtrum auarus, an prodigus eſt? Si auarus, non habet: ſi prodigus, non habebit. [c] Iſte quem beatum credis, ſaepe dolet, ſaepe ſuſpirat. Multi illum comitantur. Mel muſcae ſequuntur, cadauera lupi, frumenta formicae. Praedam ſequitur iſta turba, non hominem.

Pecuniam perdidi. Fortaſſe te illa perdidiſſet. Pecuniam perdidi. Sed habuiſti. Pecuniam perdidi. Sed habebis inde periculi minus. Pecuniam perdidi. O te felicem, ſi cum illa auaritiam perdidiſti. Sed ſi manet illa apud te, es tamen vtcunque felicior, quòd tanto malo materia ſubducta eſt. Perdidi pecuniam. & illa quidem quàm multos. Eris nunc in via expeditior, domi tutior. Non habebis, ſed non timebis heredem. Exonerauit te fortuna, ſi intelligis, & tutiore loco poſuit. [d] Damnum putas? remedium eſt. Defles, gemis, miſerum te clamitas, quòd opibus excuſſus es? Tuo vitio iſta tibi iactura tam triſtis eſt. Non tam moleſte ferres, ſi tanquam perditurus habuiſſes. [e] Perdidi pecuniam. nempe quam vt tu haberes, alius ante perdiderat.

[f] Oculos perdidi. Habet & nox ſuas voluptates. Oculos perdidi. Quàm multis cupiditatibus via inciſa eſt. quàm multis rebus carebis, quas ne videres, vel eruendi erant. Non intelligis partem innocentiae eſſe caecitatem. Huic oculi adulterium monſtrant, huic inceſtum, huic domum quam concupiſcat, huic vrbem, & mala omnia. Certe irritamenta ſunt vitiorum ducesque ſcelerum.

[g] Amiſi liberos. Stultus es, qui defleas mortem mortalium. Quid iſtud aut nouum, aut mirum eſt? Quàm rara eſt ſine iſto caſu domus. Quid ſi infelicem voces arborem, [h] quòd ſtante ipſa, cadunt poma? Et hic tuus fructus eſt. Nemo extra ictum vulneris poſitus eſt. Ducuntur ex plebeia domo immatura funera, ducuntur & ex regia. Non eſt idem ordo fati, qui & aetatis. Non quomodo quiſque venit, emittitur. [i] Quid tamen eſt quod indigneris? Quid contra expectationem tuam euenit? Periere perituri. Sed ego illos ſuperſtites optabam. [k] Verum hoc nemo tibi promiſerat. Perierunt liberi mei. Habebant illi cuius eſſent magis quàm tui: apud te precario morabantur. Educandos tibi fortuna mãdauerat. recepit illos, non abſtulit.

Naufragium feci. Cogita non quid perdideris, ſed quòd euaſeris. Nudus exij. Sed exiſti. Omnia perdidi. Sed perire potuiſti vna cum omnibus.

In latrones incidi. Sed alius in accuſatores, alius in fures, alius in fraudatores. Plena eſt inſidiis via. Noli cõqueri quòd incideris: [l] gaude quòd euaſeris. [m] Inimicos graues habeo. Quomodo aduerſus feras munimenta conquiris, quomodo aduerſus ſerpentes: ſic aduerſus inimicos auxilia circumſpice, quibus illos aut arceas, aut compeſcas, aut quod optimum eſt, places. Inimicos habeo. Illud eſt peius, [n] quòd amicos non habes.

Amicum perdidi. [o] Iam enim te habuiſſe certum eſt? Amicum perdidi. Alium quaere: & ibi eum quaeras, vbi inuenire poſſis. Quaere inter liberales artes, inter honeſta & recta officia, quaere in laboribus. Ad menſam iſta res non quaeritur. quaere aliquem frugi. Perdidi amicum. Fortem animum habe, ſi vnum: erubeſce, ſi vnicum. quid tu in tanta tempeſtate ad vnam anchoram ſtabas?

Vxorem

Vxorem bonam amisi. Vtrum inueneras bonam, an feceras? Si inueneras, habere adhuc te posse ex hoc intelligas licet, quòd habuisti. Si feceras, bene spera. Res periit: saluus est artifex. Amisi vxorem bonam. Quid in illa probabas? Pudicitiam? Quàm multae diu custoditam perdidere. Decus?[p] Quàm multae inter probatas matronalis ordinis, esse coeperunt postea inter exempla mutatarum. Delectabat te fides eius? Quàm multas ex optimis coniugibus pessimas videmus,[q] ex diligentissimis solutissimas. Omnium quidem imperitorum animus, maxime tamen muliebris, in lubrico est.[r] Si bonam vxorem habuisti, non potes affirmare in illo eam permansuram fuisse proposito. Nihil tam mobile quàm feminarum voluntas, nihil tam vagum. Nouimus veterum matrimoniorum repudia, & foediores diuortio, male cohaerentium rixas. Quàm multae quos in adolescentia amauerunt, in communi reliquere senectute: quoties anile diuortium risimus: quàm multarum notus amor odio notiore mutatus est. Sed haec & fuit bona, & fuisset, si vixisset. Mors effecit, vt affirmare id sine periculo possis. Bonam vxorem amisi. Inuenies, si nihil quaeris, nisi bonam.[s] Tu modo ne imagines, proauosque respexeris, nec patrimonium,[t] cui iam ipsa nobilitas cessit. Ista diu cum forma non repugnabunt. Facilius reges animum, nulla vanitate tumentem. Non multum abest a contemptu viri, quae se nimis suspicit. Duc bene institutam, nec maternis inquinatam vitiis. Non cuius auriculis vtrinque bina patrimonia dependeant. Non quam margaritae suffocent, cui minus sit in dote quàm in veste: quam in patente sella circumlatam per vrbem populus ab omni parte aeque vt maritus inspexerit: cuius sarcinis domus sit angusta. Hanc facile ad tuos mores rediges,[u] quam nondum corruperunt publici. Vxorem bonam amisi. Non erubescis flere, & intolerabilem vocare iacturam? Hoc vnum deest, vtrum illam lugeas, an non. Cum maritum te cogitaueris, cogita & virum. Amisi vxorem bonam. Soror bona non potest recuperari, nec mater. Vxor aduenticium bonum est: non est inter illa, quae semel vnicuique contingunt.[x] Amisi vxorem bonam. Multos tibi numerare possum, quibus bonam vxorem lugentibus successit melior.

Mors, exilium, luctus, dolor, non sunt supplicia, sed tributa viuendi. Neminem illaesum fata transmittunt. Felix est,[y] non qui aliis videtur, sed qui sibi.[z] [aa]

AD EXCERPTA.

Haec libenter omisissem. Senecae enim non esse, vel caeco perspicuum est. Sed veritus sum, nequis ea, cuiuscmodi sunt, sublata quereretur. Et in eis tamen multa ex vetere libro emendauimus.

FINIS.

FERNANDI PINCIANI
IN L. ANNAEI SENECAE PHILOSOPHI SCRIPTA CASTIGATIONES EX vetustissimorum exemplarium collatione.

IN LIBRVM PRIMVM DE BENEFICIIS.

VCII Annaei Senecae ad Ebutium Liberalem, &c.] *Docuimus in Plinianis annotationibus scribendum esse* Annaei *per diphthongum in penultima, ex auctoritate Terentiani grammatici*: Annaeus Seneca, & Pomponius ante secundus. CAP. I.

b Sibi enim quisque debet, quod a nesciente accepit.] *Beneficium posse a nesciente dari, negat libro sexto Seneca, adiecta ratione. Item libro nono Controuersiarum*: Beneficium, *inquit*, est, quod totum eius causa praestatur, in quem confertur. *Proinde probo lectionem quorundam codicum, qui non legunt hic* nesciente, *sed* negligente. *Quam videntur confirmare verba statim ante praecedentia*, & ideo non est negligenter dandum. *Et infra libro secundo*: Nam qui negligens est in accipiendo, quum omne beneficium recens placeat, quid faciet quum prima eius voluptas refrixit? *Videtur appellare Seneca negligenter dare aut accipere beneficium, non alacri & laeto animo vtrumque facere.*

c Vtuntur natura sua, & cuncta, interque illa ipsos munerum suorum malos interpretes iuuant.] *Scribendum reor*, Vtuntur natura sua. Cunctaoturque. Illos ipsos munerum suorum, *&c.*

d Quibus turpe est non reddere. Scilicet quàm multi indigni sunt luce.] *Scribe*, quibus turpe est non reddere si licet. Quàm multi indigni sunt luce? *ex vetere lectione.*

e Qui beneficium non reddit, non magis peccat, quàm qui non dat citius.] *Castigo*: Qui beneficium non reddit, magis peccat. Qui non dat, citius. *Nam in exemplaribus diui Francisci Salmanticensis & publicae eius vrbis academiae secunda negatio* non *desideratur omnino. Praeter quam putamus nos particulam* quàm *remouendam, vt sensus fiat perspicuus & tanto auctore dignus.*

f Tantum erogatur.] *Verior quorundam codicum lectio* Tantum eroga. II.

g Sed vtrumlibet ex istis iudicauerim.] *Corrige*, Sed vtrumlibet ex istis iudica verum, *ex correctissimo exemplari coenobij diuorum Facundi & Primitiui.* III.

h AEgleo maximam natu appellauerit,] *Castiga* appellauit, *ex vetere lectione.*

i Prout cuique visum est conuenire, deflectit.] *Verbum* conuenire *supervacaneum est, ex exemplari Facundi & Primitiui.*

k Pasithoan appellauit,] *Scribendum* Pasithean, *non* Pasithoan: *ex Homero quartodecimo Iliados, & vetere lectione.*

l Non quia beneficia ratio commendat, vel oratio,] *Postrema duo verba* vel oratio, *aduentitia putamus, ab aliquo studioso in margine libri sui scripta, adnotante sic in alijs exemplaribus haberi, postea per incuriam librariorum in contextum relata. Cuiusmodi vitia non pauca tum in alijs, tum in hoc praecipue autore admissa sunt, negocium non mediocre eius studiosis exhibentia.*

m Nam praeter ista quae Hecaton scripsit.] *Vetus lectio transcribit* agnoscit, *non* scribit. *Hecatonis autem testimonio saepe alias Seneca vtitur, & plerique alij autores, vt dubitandum non sit de integritate eius dictionis.*

n Debere enim dicit se] *Est scriptus codex, in quo non habetur* dicit, *sed* putat. V.

o Amisso eo per quod datum est,] *Particula* per *superflua, si veteri lectioni credimus. quod confirmant verba sequentia*: Manet etiam sine illis, quod in illos datum est. *Vbi etiam corrigendum arbitramur*, quod in illis datum est.

p Quid habet per se corona preciosum?] *Exemplar diui Francisci* speciosum *legit, non* preciosum, *& vt sentio, rectius. Indicant id verba paulo ante praecedentia*, vt alicubi sit species rei, alicubi ipsa res.

q Itaque boni etiam farre ac fictili religiosi sunt.] *Nullus ex scriptis codicibus*, fictili *agnoscit, sed partim* ficiola, *partim* ficilla. *Exemplar Facundi & Primitiui minus deprauate*, fitila. *Castigo*, fritilla. *Genus id erat pultis sacrificijs familiare.* VI.

r Alcibiadis parem diuitiis animum,] *Legendum puto*, Alcibiadem pari diuitiis animo. *Vel sic*: Alcibiadis compara diuitiis animum. VIII.

s Qui se precium sui fecit.] *Vetus lectio*: Precium se sui fecit. IX.

t Difficilem aditum praebet.] *Quaedam scripta exemplaria addunt negationem*, non difficilem aditum praebet.

v Spesque improbas nihil se adiuturis verbis fouet.] *Castiga*, Spesque improbas nihil re adiuturus verbis fouet: *ex eisdem.*

u At eius peior est opinio, qui lingua asper,] *Sunt codices qui legunt*, At peior opinio, si lingua asper. *Scribendum existimo*, At peior opinor, qui lingua asper.

x Nec clam, sed aperte quidem ludibrio habitis.] *Scribendum per transpositionem verbi* quidem: nec clam quidem, sed aperte ludibrio habitis: *ex scripta lectione.*

y Inhumanus ac maliuolus,] *Eadem*, inurbanus, mali moris.

z Indecentissimum sponsaliorum genus est] *Corrigendum reor*, Hinc decentissimum sponsaliorum genus est: *vel sic*, Inde decentissimum sponsaliorum genus est.

a Nisi qui abduxit iam raptam. Agros spargere, auariciam recolligere certant.] *Vetusta lectio*, nisi qui abduxit. Iam rapta spargere. Sparsa erant, agri auaritia recolligere certant. *vt possit forte pari*, *non agri*, *scribi. Caeterum hunc locum*, *sicuti pleraque alia huius operis*, *in medium relinquimus*, *vt ingeniosus lector pro captu ingenij sui aut emendet*, *aut in meliore statu reponat.*

X. b Prae se ferens animi deformitatem:] *Scribe*, corpore prae se ferens animi deformitatem, *ex eadem.*

c Sine vllo meo incommodo.] *Veteres codices non agnoscunt verbum* incommodo: *sed partim legunt*, sine vllo meo: *partim* sine vllo meo merito.

XI. d Iam caetera ex abundanti veniunt,] *Particula* Iam *in nonnullis exemplaribus desideratur*: *&* *pro verbo* sequemur, *quod mox paulo habetur*, videamus *legunt*, *non* sequemur.

e Vt totiens nobiscum sit, quotiens cum illo sit.] *Scribe*, vt totiens nobiscum, quotiens cum illo sit, *ex vetere lectione.*

XII. f Eo quidem magis duratura quaeramus,] *In quibusdam codicibus*, Eoque magis duratura quaeramus. *In exemplari meo domestico*, *Gallicana manu scripto*, Et eo quidem magis, *&c.*

g Apud paucos post remanet gratia.] *Castigandum putamus contra omnia exemplaria*, Apud paucos post rem manet gratia.

h Sic in beneficio sensus communis,] *Lego* Sit, *non* Sic.

i Tempus, locum obseruet, personas:] *Praepostere locatae dictiones. Lege*, Tempus, locum, personas obseruet: *ex codice coenobij D. Francisci Salmanticensis antiquissimo & emendatissimo ac plane venerandae fidei.*

XIII. k Vbi illa defecerant,] *Fideliorem lectionem ducimus*, vbi illi defecerant: *hoc est*, *Hercules*, *&* *Liber.*

XIIII. l Nulli gratum est.] *Quaedam exemplaria*, nulli datum est.

m Morbo suo morem gessit.] *In quibusdam codicibus*, Minime. morbo suo morem gessit.

n Illa enim in quantumlibet exeat.] *Omnis antiqua lectio*: Illa vero in quantumlibet exeat.

o Ille accepit, quum rogasset, ego, quum rogarer.] *Quaedam exemplaria*, Ille accepit, quum rogasset: ego, quum non rogarem. *Alia*, Ille accepit quum rogasset, ego non rogaui.

p Nae perperam monitiones nostras exaudit.] *Exemplar Academiae Salmanticensis*, Ne perperam monitiones nostras exaudiat.

XV. q Non quod quilibet casus.] *Dictio* quod *expungenda ex vetere lectione. Alioqui legendum erat inuerso ordine*, quod non quilibet casus.

r Et quorundam beneficium malle quàm iudicium.] *Coniunctio* & *delenda est*, *ex eadem.*

s Quid ergo ista inter se mixta diuidimus?] *Distincte scribendum*, Quid ergo? ista inter se, *&c.*

IN LIBRVM II. DE BENEFICIIS.

CAP. I. a Si sic demus, quomodo vellemus accipere.] *Antiqua exemplaria*, Sic demus, quomodo vellemus accipere.

b Et sic dare, tanquam si sibi raperet.] *In eadem superfluit particula* si. *Nam legendum esse* eriperetur, *non* raperet, *alij ante me annotarunt. Codices alij*, tanquam sibi eriperet.

c Proximus est autem neganti qui dubitauit.] *In eadem*, Proximus est autem a negante qui dubitauit.

d Sed aduersus docentem male retinuit.] *Tria illa verba* sed aduersos ducentem, *non agnoscunt nonnulla exemplaria.*

e Parata, facile occurrentia, vbi nulla mora fuit.] *Scribe*, Parata, facilia, occurrentia, vbi nulla interuenit mora: *ex vetere lectione.*

f Os concurrat, & suffuodatur rubor,] *Eadem*, os concurrat, & suffundatur rubore. *Scribendum existimo contra fidem omnium exemplarium*, os corruat, *non* os concurrat: *vt verba etiam mox paulo sequentia indicant*, Molestum verbum est, onerosum, & demisso vultu dicendum, Rogo.

g Quoniam quidem, vt maioribus nostris, grauissimis viris, visum est,] *Duo illa verba*, grauissimis viris, *in exemplaribus aliquot non leguntur. Et scribo*, Quandoquidem, *non* quoniam quidem: *frequentissima in hoc autore menda.*

h Tacite malimus & intra nos precari] *Vetus lectio*, tacite malumus & intra nosmetipsos precari.

III. i Vt illum castiges, quòd tardior in rogando fuit.] *Eadem*, vt ille se castiget, quòd tardior in te rogando fuit.

k Quàm si multiplicatum hoc ad me, de quo loquebar, alia via peruenisset.] *Verba illa*, de quo loquebar, *non sunt Senecae*: *si fidem adhibemus scriptis codicibus.*

IIII. l Quàm vbi quod impetrasti, rogandum est.] *Exemplar diui Francisci*, quàm vbi quid impetrasti rogandum esse.

m Vt beneficia tua illibara & integra] *Scribe*, vt beneficia tua illibata, vt integra: *ex vetere lectione.*

V. n Potes ob id ingratus esse] *Castiga*, potest ob id gratus esse: *ex eadem.*

o Est enim bonarum etiam rerum solicita expectatio.] *Scribo*, Est enim bonarum etiam rerum sollicitis expectatio grauis, *ex eadem.*

p Aut gaudere beneficio suo tardius, manus affert.] *Legendum permutato ordine*, aut gaudere tardius, beneficio suo manus affert: *ex eadem.*

q Et proprium est libenter facientis, cito facere.] *In exemplaribus diuae Mariae & diui Francisci vrbis Salmanticensis aliter haec verba leguntur*: & proprium est benefacientis, libenter & cito facere.

r Qui tarde dedit, & diem extrahens profuit,] *Quaedam codices*, Qui tarde & diem de die extrahens profuit. *Alij*, Qui tarde fecit, diu noluit, & qui de die diem extrahens profuit.

s Sed in infinitum interest,] *Praepositio* in *superuacanea est, ex vetere lectione.* VI.

t Etiam si quid erit de quo velis admonere,] *Breuior scripta lectio*, etiam si quid velis admonere.

v Vt aeri alieno succurreret] *Variant exemplaria. Quaedam legunt*, vt aere alieno grauato ei succurreret. *Alia*, vt aeri alieno eius succurreret. VII.

u Sed creditores conuocare.] *In quibusdam codicibus* onerare *legitur, non* conuocare: *vt legendum forte sit*, sed credito exonerare. *Subijcit enim paulo post*, Liberauit illum a crediturибus, sibi non obligauit.

x Reprehendere est, vt in transitu de hac quoque parte dicam.] *Corrigo*, deprehendere est. Et vt in transitu de hac quoque parte dicam, *ex vetere lectione.* VIII.

y Et ne hoc quidem confitenti, deesse sibi in sumptum ad necessarios vsus,] *Puto scribendum*, & ne sic quidem confitenti deesse sibi in sumptum, *caetera. vt sit* in sumptus, *quod analoma Graeci vocant. Posset etiam legi*, & ne hic quidem confitenti, *hoc est, in morbo.* X.

z Puluino eius ignoranti sacculum subiecit,] *scribe* ignorantis, *non* ignoranti, *ex scripta lectione.*

a Ego sciam me dedisse.] *Festiuiorem reddes orationem, si inuersis dictionibus legas*, ego sciam dedisse me.

b Non est memoriae reuocandum.] *Corrige*, non est memoria renouanda, *ex vetere lectione.* XI.

c Nisi vt aliud dando prioris admoneas.] *Scribendum*, nisi vbi aliud dando prioris admoneas, *ex eadem.*

d Et hoc laudabitur, quòd ipse non narras.] *Sunt codices, in quibus* narrabitur *legas, non* laudabitur: *lepidiore sic & efficaciore sensu.*

e Quae ego magis velle me scio praestare, quàm posse.] *Variant exemplaria. Quaedam legunt*, ego magis velle me scio praestare quàm praestitisse. *Alia sic*, sed & ego magis velle me scio omnia illi praestare quàm adhuc praestitisse.

f Multa cura sata producuntur ad segetem.] Perducuntur *scribendum, non* producuntur, *ex vetere lectione.*

g Nec tamen tuta sunt,] *Emenda*, Haec tamen irrita sunt, *ex eadem.*

h Sed vt ames.] *Delenda particula* vt, *ex eadem.*

i Detrabenda est inanis iactatio.] *Sunt exemplaria, in quibus legitur*, Detrahēda est inanis manus iactatio.

k Caesar dedit vitam] *Scribe*, C. Caesar dedit vitam: *ex scripta lectione.* XII.

l Porrexit ad osculandum sinistrum pedem.] *Particula* ad *non habetur in eadem.*

m Qui excusant eum, negant id insolentiae causa factum:] *Quaedam exemplaria*, Qui excusant & negant id, *&c. Alia breuius*, Qui excusant id insolentiae causa factum.

n Si senator senex submissis honoribus,] *Scribendum forte*, si senator senex summis vsus honoribus.

o Pigros suos.] *Quid si legas* pictos soccos? *Nam soccos muliebres picturis variari, nemo nescit. Et vsum C. Caesarem muliebribus soccis, Tranquillus in eius vita prodit.*

p Et omne beneficium in iniuriam conuertis.] *Lege*, vt omne beneficium, *&c. ex vetere lectione.* XIII.

q Vno modo persuadebimus ne beneficia insolentia perdant.] *Scribendum*, vno modo istis persuadebimus, ne beneficia sua insolentia perdant: *ex eadem.*

r Quae tumultuosius data sunt] Quo, *non* quae, *eadem.*

s Vt frigida aegris negamus.] Frigidam *legendum, non* frigida: *ex exemplari Facundi & Primitiui.* XIIII.

t Et merito, quum ad mentem bonam redierit,] *Deest dictio* quidem: & merito quidem quum ad mentem bonam redierit: *ex vetere lectione.*

u Quod nunquam in malum vertatur.] *Eadem* vertat *agnoscit, non* vertatur. *vt illud*, hoc illi quod nec bene vertat, *caetera. & mox paulo* adiuuabo, *non* iuuabo, *legitur.*

x Siue ambitionis calor abducit a tutis: non committam,] *Exemplar diui Francisci fidelius hunc locum legit, quàm reliqua quae hactenus ad manus meas venerint*: siue ambitionis calor abducit a tutis, non a semetipso vim sibi inferri patiar, nec committam, *&c.*

y Ita qui quantum det, ostendit, munus suum non commendat, sed exprobat.] *Scribe per minorem*, ita qui quantum det, ostendit, munus suum commendat, non exprobrat. *ex vetere lectione.* XV.

z Tecum inter illa quae donabis, examina,] *Sic prior editio. Corrige*, & ipsum inter illas quod donabis, examina: *ex eadem.*

a Et cum regia sit, est stultissima.] *Antiquus codex*, & tamen regia, quum sit stultissima.

b Personarum ac dignitatum proportio.] Ratio *legitur in exemplari diuorum Facundi & Primitiui, non* proportio. XVI.

c Nihil tam exiguum est, quod non honeste regis humanitas tribuat.] *Quaedam exemplaria*, Nam nihil tam exiguum est, quod non honestet regia humanitas. XVII.

d Aut mittentis studio,] *Duo scripta exemplaria* dubio *agnoscunt, non* studio. *Quid si legas* deuio?

e Vt malignis cursoribus propositum est] Lusoribus, *non* cursoribus, *antiqua lectio.*

f Per totam viam eundum est.] Vitam *lege, non* viam: *ex eadem.*

g Subsequuntur autem plurima] Sequuntur *eadem, non* subsequuntur. XVIII.

h Etiam post iniuriam possis.] *In scriptis quibusdam codicibus post haec verba sequitur*, vbi amicitia iucundam alicui eam fecit & iustam. *In alijs*, vbi amicitiam alicui iucundam causa fecit & iustam.

i Honestam vitam sequi volentibus] *Scribe*, honesta sequi volentibus, *ex vetere lectione.*

k Tyrannum pone.] *Si sic legas, sensus non procedit. Vide itaque an* tyrannicidam *placeat legi pro* tyrannum. XIX.

l Venire in disputationem potest aliquando,] *Scribe* aliquam, *non* aliquando, *ex vetustis exemplaribus.* XXI.

m Et infamis repromittit.] *Castiga*, & infamis ore permittit: *ex exemplari Facundi & Primitiui. Loquitur enim, vt paulo post apparet, de illis quorum teterrima libido, vt Lactantius inquit, nec capiti quidem parcit.*

n Viuam cum obscoenn? non viuam cum redemptore?] Scribendum reor, Viuam cum obscoeno? Non. Viuam cum redemptore? Non. partim ex vetere lectione, partim ex coniectura.

o Quem Caesar occidit] Corrige, quem C. Caesar occidit, ex vetere lectione.

XXII. p Vtrum haec munera accipere est, an senatum legere?] Haec verba inuectitia sunt, vt arbitror, & aliunde in Senecae contextum irrepserunt. Certe in exemplari bibliothecae diuae Mariae non habentur omnino.

XXIII. q Ita accipienn adhibenda concio est.] Exemplar Gymnasij Salmanticensis, conscio legit, non concio. Vt putem legendum in totum sic, ita accipienti adhibendus conscius est. dixerat enim paulo ante, testem beneficij & conscium vitant.

r Quidam nolunt nomina secum fieri,] Scribendum reor volunt, potius quàm nolunt.

s Quibus iam ante dignitatem debent:] Quibus vitam aut dignitatem debent: codex diui Francisci.

XXIIII. t Quia nec referre potest gratiam, nisi qui meminit:] Adde ex eodem, & qui meminit, eam refert.

v Non mibi opus est:] Lege, non quidem mihi opus est: ex vetustis exemplaribus. Nec adduci possum vt credam, Senecae esse verba illa quae statim ante habentur, tanquam qui dicat, sed glossema.

XXV. u Nec ad spem quidem exequendi vnquam beneficij accedere.] Lege, quàm nec ad spem quidem exequandi vnquam beneficij accedere, ex eisdem.

x His atque eiusmodi vocibus agamus,] Scribendum ex eisdem, His atque eiusmodi vocibus id agamus.

XXVI. y Nec satis pro suo precio aestimatum putet.] Castiga, nec satis suo precio se aestimatum putet, ex eisdem.

XXVII. z Ingenij fuit sterilis tam pusilli quàm animi.] Sic prior editio. quam lectionem agnoscunt antiqua omnia exemplaria. Cuius loco substituendam puto inuerso verborum ordine, ingenij fuit tam sterilis quàm pusilli animi.

a Derisum a labore irrito liberauerat.] Vetus lectio: derisu ac labore irrito liberauerat.

b Nec hoc quidem faciet, si vnus est vltra se. Cupiditas se porrigit.] Scribendum, Nec hic quidem faciat, si vnus est. Vltra se cupiditas porrigit, ex eadem.

XXVIII. c Quanto est simplicius, quanto purius] Eadem prudentius agnoscit, non purius. Vt forte commodior lectio sit pudentius.

XXIX. d Et quidem professi sapientiam queruntur, quòd non magnitudine corporis aequemus elephantes,] Lego per minorem, etiam quidam professi sapientiam. Deinde scribe per maiorem: Queruntur quòd non magnitudine corporum aequemus elephantos, partim ex vetere lectione, partim ex coniectura.

e Multa animalia nandi felicitate.] Expende, an sit commodior lectio facilitate, quàm felicitate.

f Pares animalibus habeamus.] Haec verba in nullo antiquorum exemplarium habentur.

g Et in negligentes nostri deos querimoniam iaciunt,] Scribe, & negligentes nostri deos. Reliqua desiderantur in vetere lectione.

h Quòd non bona valetudo & virtus inexpugnabilis] Vitiis eadem, non virtus agnoscit.

i Voluerunt secula fortiri,] Eadem secunda agnoscit, non secula. Legendum puto secundas: vt paulo post, ab ipsis proximos nos collocauerunt. Et libro tertio de ira. Optimum iudicauit quicquid dixisset sequi, & secundas agere.

k Quanto velociora assequamur:] Consequamur vetus lectio, non assequamur.

l Magna accepimus, maiora non debuimus.] Scribendum, Magna accepimus, maiora non cepimus: ex eadem: vt sit exornatio paronomasia, siue annominatio, literarum detractione.

XXX. m Haec mihi Liberalis,] Lege, Haec, mi Liberalis, ex eadem.

n Etiam inter caetera,] Etiam in caetera, exemplar scholarum Salmanticensium.

o Ab infirmitate atque inopia eruar,] Petar, non eruar, vetus lectio.

p Referre gratiam facile est,] Supervacaneum est verbum gratiam, ex eadem.

XXXI. q Prodesse ei cui dat ex voluntate, supra est.] Castiga, Prodesse ei cui dat, & voluptati sibi esse, ex eadem.

r Peruenitque ad me animus eius,] Scribendum arbitror munus, non animus.

s Nihil de reditu cogitare,] Scribe per duplex d, redditu, vel contra omnia exemplaria.

t Non quicquid potero, & faciam, & reddam,] Corrigendum arbitror, Non quicquid potero faciam vt reddam.

XXXII. v Licet animo benignissimo acciperet,] Scribe acceperit, non acciperet, ex vetere lectione.

u Et expedite remisit quam acceperat.] Legendum puto exceperat, non acceperat. Nam praecesserat paulo ante, pilam iacere, & diligenter excipere: & sequitur, qui pilam vt oportebat excepit.

x Ludus per se imperfectus est:] Corrige, tamen lusus ipse imperfectus est: ex vetusta lectione.

XXXIII. y Ergo gratus sum.] Emendatiores codices, ego gratus sum.

z Perfecit opus suum, etiam si non vendidit.] Deest dictio Phidias. Perfecit opus suum Phidias, &c. ex eisdem.

a Fructus primus ille conscientiae.] Deest verbum substantiuum est, fructus primus ille est conscientiae, ex eisdem.

b Secundus est & famae, & eorum quae praestari inuicem possunt.] Legendum reor, Secundus est famae. Tertius eorum quae praestari inuicem possunt. vt paria sint imaginis membra. Erroris causam fuisse opinor similitudinem ternarij numeri, per compendium scripti in exemplaribus antiquis, cum figura qua in eisdem effigiatur coniunctio &.

c Itaque quum benigne acceptum est, beneficium est. Qui dedit gratiam quidem iam recepit,] Castigandum puto: Itaque quum benigne accepum est beneficium, is qui dedit, &c.

XXXIIII. d Primum fecit. Bono animo bonum obtulit:] Exemplar Facundi & Primitiui Plurimum legit, non primum. & retulit mallem legeres quàm obtulit.

e Post deinde] Legendum existimo, Post diuide.

f Res esse magis quàm verba.] Castiga, plures res esse quàm verba, ex exemplari scholarum Salmanticens.

g Sed aliunde commodaris, quia pedem & nostrum dicimus] Corrigendum, sed alienis, commodatisque. Pedem & nostrum dicimus, ex vetere lectione.

h Fortitudo

h Fortitudo est pericula iusta contemnens :] *Scribe*, Fortitudo est virtus pericula iusta contemnens, *ex eadem.*

i Vt & ille fortis dicatur] *Sunt codices in quibus particula* vt *non habetur.*

k Sic beneficium est, & actio dicitur beneficij.] *Sic prior editio. Quidam codices*, Sic beneficium est, & actio vt diximus bona. *Alij*, & actio vt diximus benefica.

l Insanire omnes scilicet stultos dicimus :] *Verbum* scilicet *desideratur in scriptis codicibus.* XXXV.

m Gratiam relaturum, etiam quum reddiderit.] Etiam quum retulit, *ijdem praeferunt. Scribendum puto*, etiam cum retulerit.

n Ne intolerabili sarcina depressi deficiamus. Animo bono mihi donata sunt.] *Scribendum reor*, ne intolerabili sarcina depressi deficiamus animo. Bona mihi donata sunt.

o Spiritus, & libertas potior spiritu.] *Restituendus forte hic deprauatissimus locus sic*, Spiritu & libertate potior, *vt superuacanea sit dictio vltima* spiritu : *adiecta fortasse ab aliquo qui putauit* potior *comparandi esse nomen, non verbum.*

p Non vt soluisse te putes,] Non vt solutum te putes, *exemplaria diuae Mariae & diui Francisci.*

IN LIBRVM III. DE BENEFICIIS.

a Haec prauitate naturae accidere] Hoc, *non* haec, *praefert vetus lectio.* CAP. I.

b An quia hoc accidat alicui.] Aut, *non* an, *eadem legit.*

c Nisi ad quod saepe non respexit.] *Scribe*, nisi ad quod non saepe respexit, *ex eadem.* II.

d Merita nonnunquam maxime velant.] Maxima, *non* maxime, *eadem.* III.

e Prima ac omnium potissima,] *Eadem*, Prima omnium ac potentissima.

f Sed quod appetitur intenti.] *Scribe*, sed in id quod appetimus intenti, *ex exemplari diui Francisci.*

g Inuidere, & gratias agere.] *Scribe*, & inuidere, & gratias agere, *ex eadem.*

h Quomodo gratus quisquam esse aduersus beneficia potest, qui omnem vitam suam transtulit? Praesentium intuitus, ac praeteritorum memoria gratum facit. Memoriae minimum tribuit, quisquis spei plurimum.] *Vetus lectio particulam* ergo *addit*, Quomodo ergo gratus quisquam, *caetera. Item correctiora & antiquiora exemplaria* futurorum *legunt, non* praeteritorum. *Quapropter adducor vt locum hunc ambustum & mutilatum sic resarciam, non ausim dicere restituam* : Quomodo ergo gratus quisquam esse aduersus beneficia potest, qui omnem vitam suam transtulit praesentium intuitu, spe futurorum? Memoria gratum facit. Memoriae minimum tribuit, quisquis spei plurimum. IIII.

i Nisi contineatur,] *Aliquot scripti codices*, nisi continuetur. V.

k Quid cuique debeamus cognoscimus.] Recognoscamus *legendum, non* cognoscimus, *ex vetere lectione.*

l Adeo tamen ingratus est,] *Corrige*, Adeo enim ingratus est, *ex eadem.*

m Et a maioribus collata a posteris exigant.] *Eadem*, maiores *legit, non* a maioribus. *Puto scribendum*, Et maioribus collata a posteris exigant. VI.

n Ab hostibus tantum expetierunt beneficia. magno animo dabant, magno perdebant.] *Corrige*, ab hostibus tantum aes petierunt. Beneficia magno animo dabant, magno perdebant. *ex exemplari Facundi & Primitiui.*

o Aut ex conducto, aut ex locato] *Vetus lectio*, aut ex conducto & locato. *cui lectioni fauent Iurisconsulti : apud quos habetur titulus de locatione & conductione.* VII.

p Non magis laudabit quisquam] *Deest coniunctio* enim. non enim magis laudabit quisquam, *ex eadem.*

q Gratum hominem, & beneficium.] *Corrigo*, gratum hominem & beneficum, *contra omnia exemplaria.*

r Si ad iudicem quàm ad arbitrum mittitur:] *Legendum ex codice Facundi & Primitiui*, si ad iudicem, quàm si ad arbitrum mittitur.

a Et equestris haereditas misit.] *Quid si legas?* & equester ordo transmisit. *Aut sic*, quem census in album equestris ordinis misit. *Nam, teste praeter alios Asconio Pediano in orationem pro M. Scauro, iudicia aliquando penes equestrem ordinem fuerunt.*

r Et cum valetudo eius ac salus momentis constaret, excepisse idonea cibi tempora] *Duo verba* ac salus, *non habentur in plerisque exemplaribus, &* cibo *legitur, non* cibi : *in omni scripta lectione.* IX.

v An hoc indicimus, vt nunc demus beneficia sine teste?] *Corrige*, an hoc inducimus, vt non demus beneficia sine teste? *ex eadem.* X.

u Inaequales & pro cuiusque beneficio] *Scribendum ex eadem:* An inaequalem & pro cuiusq; beneficio,

x Sollicitandi ad hunc laborem erunt] *Emenda* erant, *ex eadem.* XI.

y Si deceptus es, quaere, dignum adiuua.] *Quaedam exemplaria*, Si deceptus es quaerere, dignum adiuua. *Legendum reor*, Si deceptus es, quaere te dignum. Adiuua.

z Quibus dederunt, nihilominus daturi sunt.] *Lege*, quibus dederunt, dant nihilominus, daturique sunt : *ex codice scholarum Salmanticensium.*

a Quaedam excipientibus magna sunt :] *Idem codex* accipientibus *habet, non* excipientibus. XII.

b Quem nosse a beneficio incipis.] *Scribe*, quem nosse a beneficio tuo incipis : *ex antiqua lectione.*

c Qui dignitati suae quàm securitati suae consuli malit :] *Legendum*, qui dignitati suae quàm securitati consuli malit, *ex eadem.*

d Beneficium saepe ab ipso accipio a quo nolo,] *Corrige*, ab eo accipio a quo nolo, *ex eadem.*

e An in quo laesus est?] *Castigandum puto*, an id quo laesus est? XIII.

f Erimus per haec ipsi quoque] *Legendum* hoc, *non* haec. *Et paulo post* inuitis *pro* inuitus : *ex scripta lectione.*

g Nisi quod volunt.] *Scribo*, nisi quod volent, *ex eadem.*

XIIII. h In quos merita conferuntur.] Legendum puto conferrentur, non conferuntur.

i Et quaerenti occasiones amputemus.] Mallem legeres, & querendi occasiones amputemus.

XV. k Itaque non honestius erat] Vetus lectio, Ita non honestius erat.

XVI. l Nisi apud alium gestata est, apud alium mansit?] Dispice an legendum sit pransit, potius quàm mansit. Nam saepenumero duas has res, gestari & prandere, coniungit Seneca.

m Matrimonium vocari vnum adulterum.] Scribe adulterium, non adulterum: ex vetere lectione. & mallem legeres vnius, quàm vnum.

XVII. o Non educatoris,] Emendatius, vt sentio, quaedam exemplaria, non educatorum. Nam praecessit parentum, & sequitur praeceptorum.

XVIII. o Dare aliquando beneficium] Deest dictio, domino. dare aliquando domino beneficium, ex exemplaribus scriptis.

p Quid enim animus magnus promitteret sibi, si certam virtutem fortuna mutaret?] Magnum, non magnus, quidam codices. Alij. magni. Et considera, an sit probatior lectio censu, quàm certam. Dixit enim paulo ante, non eligit domum, nec censum.

XIX. q Et labore summo colit.] Exemplar Facundi & Primitini, eius laborem summo colit. Puto castigandum, eius laborem suo tollit.

r Sine respectu dimicantem,] Idem, sine respectu sui dimicantem. Lego suae, non sui.

XXI. s Quàm quod seruo necesse est, beneficium.] Lege, quàm quod seruo necesse est, beneficium est, ex vetere lectione.

t Est aliquid quod dominus praestare seruo debeat, vt cibarium, vestiarium,] Eadem, est aliquid quod dominus praestare seruo suo debeat, vt cibaria, vestiarium.

XXII. v Quàm quod operis locauit:] Omnis antiqua lectio operas agnoscit, non operis.

XXIII. o Claudius Quadrigarius in secundo & vicesimo Annalium tradit, quòd quum obsideretur Drumentum,] Corrige, Claudius Quadrigarius in duodeuicesimo Annalium tradit, Cum obsideretur Grumentum, ex eadem. Grumentinos autem populos esse in Italia Lucaniae regionis, notum est ex Plinio & reliquis.

x Et exemplum duarum vrbium fuit.] Castigo, & exemplum Grumentinae vrbis fuit: ex eadem: in qua quum esset vitiose scriptum Drumen, per compendium, vt solet fieri, non percipiens imperitus librarius quid esset Drumen, substituit duarum. Vera enim lectio erat, Grumen vrbis, hoc est Grumentinae vrbis. Meminit historiae Macrobius etiam primo Saturnaliorum.

y Non est, mihi crede, non est] Eadem, Non est, mihi crede, non dico.

z Atenus praetor Marsorum] Codices nonnulli Vectenus, non Atenus praeferunt. Sed vtroque modo vitiose legitur. Macrobius enim primo Saturnaliorum docet scribendum esse Cluentius, non Vectenus, siue Atenus. Cluentium, inquit, Pelignum Italicensem, comprehensum a cohortibus suis, ne Pompeio traderetur, seruus eius occidit, ac se, ne domino superstes fieret, interemit.

XXIIII. a Cum tergiuersantem eum videret:] Dele pronomen eum, ex vetere lectione.

XXVII. b Petitque non fastidiendam & propitio summam?] Quidam codices emendatius: Petitque ne fastidiendam a propitio summam.

c Honeste Caesar quòd ignouit,] Vetus lectio, Honeste Caesar fecit, quòd ignouit.

XXVIII. d In parte prima aedium collocant,] Summa, non prima, eadem agnoscit.

e Vbicunque fecit nomen illustre, illo Domini fugiunt.] Sic prior editio. Locus est corruptissimus. correxerunt alij fulsit, pro fecit. recte. Nos putamus legendum loco illorum verborum illo Domini fugiunt, illud domi pingunt. Nam & in antiquo quodam exemplari fingunt legitur, non fugiunt.

f Siue libertini ante nos habentur,] Legendum forte, Siue libertini autem nobis aui.

g Et tam contemptus quàm contemnis.] Sunt exemplaria in quibus coniunctio & desideratur, & non contemnis legatur, sed contemneos.

XXIX. h Illud conceditur,] Scribe, Istud conceditur: ex vetere lectione.

i Cuius beneficium est ipsum quod vincit.] Legendum vincitur, non vincit, ex eadem.

k Maius eo quod coepit:] Codex Facundi & Primitini, maius en quo coepit. Scribendum puto, maius eo a quo coepit.

l Tantum quae in firmamentum totius operis] Scribendum tamen, non tantum, ex vetere lectione.

m Cum aeque sine patris beneficio, quam sine nutricis fomento non potuerim, &c.] Verbum fomento non habetur in vllo antiquo exemplari. Existimoque scribendum inuerso dictionum ordine sic: cum aeque sine nutricis beneficio, quàm siue patris, non potuerim, &c.

XXX. n Atqui nemo dicitur plus debere ignotis,] Ex vetere lectione scribo, Atqui nemo dicet me plus debere ignotis.

o Maioribus suis debet.] Verbum suis in codice Facundi & Primitini non habetur: & puto scribendum debeo, non debet.

p Non enim genuisset me pater, ni sanatus esset.] Duo exemplaria, diui Francisci alterum, alterum diuae Mariae aliter: Non enim genuisset me pater meus, nisi beneficio eius sanatus esset.

q An id quod potuit, & id quod fecit, meum sit.] Legendum videtur contra omnia exemplaria, An id quod potui & id quod feci, meum sit.

r Per se intuere quale sit.] Legendum reor, prorsus intuere quale sit.

s Sed non ideo maiorem omnibus, quia primum est.] Veteres codices, Sed non iden magis est omnibus, quia primum est.

t Quicquid humanus ad se animus rapit,] Castiga, quicquid humanos ad se animos rapit, ex eisdem.

v Respondebo tibi & prorsus] Scribe, Respondebo tibi. Est prorsus, ex eisdem.

u Sed si ad bene viuendum minima portio est] Quidam codices benefaciendum habent, non bene viuendum.

x Quod oon ex tuis beneficiis, sed etiam sine tuis oritur.] *Corrige*, quod oon ex tuis beneficiis, etiam si non sine tuis oritur, *ex scripta lectione*.

y Aut per voluptatem dederim] *Eadem*, aut certe per voluptatem dederim.

z Si exposuisses, nempe iniuria erat genuisse.] *Eadem*, Exposuisse est, nempe, *&c. emendo*, Exposuisses. Nempe iniuria erat genuisse. XXXI.

a Ita tamen boc est tuum, quòd viuo.] *Corrigendum*, Ita boc tantum est tuum, quòd viuo, *ex eadem*.

b Ipso beneficio maius quàm quod dederas, recepisti.] *Scribe*, In ipso beneficio tuo maius quàm quod dederas, recepisti: *ex eadem. In quibusdam codicibus non habetur verbum* quod. *In aliis sic legas*, si bene viuo in ipso beneficio, *&c.*

c Quantam accepisset voluptatem,] Cepisset *eadem habet*, *non* accepisset. XXXII.

d Cum maxime pcementia] *Eadem*, tot eum cum maxime pcementia. XXXIII.

e Haud dubium est,] *Aduerbium* haud *non habetur in vetere lectione*.

f Nec danti voluntarium] *In eadem*, sed danti voluntarium. *Legendum forte*, sed & danti voluptarium. XXXIIII.

g Qoid necesse est multis? dedit etiam quibus dedisse se oescit.] *Scribe*, quod necesse est ille multis dederit, etiam quibus dedisse se nescit, *ex eadem*.

h Iam tempus est quaedam ex nostra, vt ita dicam, mooeta primo ferri.] *Eadem*, Iam tempus est, vt XXXV. ex nostra, vt ita dicam, mooeta aliquid proferamus.

i Potest autē, si saepius periculo mortis liberatus] *Eadē*, Potest ergo, si saepiꝰ a periculo mortis liberatus.

k Eo quòd natus est.] *In exemplari Facundi & Primitini desideratur verbum* eo.

l Patris beneficia vinci] *In quibusdam codicibus*, Quid ioquit? Patris beneficia vinci, *&c.*

m Quàm illi dederat.] *Scribe*, quàm ipse illi dedit, *ex vetere lectione*.

n Natura enim gloriosa virtus,] *Deest in fine verbum* est. Natura enim gloriosa virtus est, *ex eadem*. XXXVI.

o Nisi bic ita iudicamus.] *Scribe* hoc, *non* hic, *ex eadem*.

p Posita est inter parentes ac liberos] *Legendum est*, Proposita est, *&c. ex eadem*.

q Ipse, cuius infantia leue tutumque gestamen,] *In eadem non* cuius *habetur, sed* eius. *Vt putem legendum*: XXXVII. Ipse eius io infantia leue tutumqne gestameo.

r Qui cum ante ad tempus relegatus esset,] *Verbum* ante *superuacaneum est*, *ex eadem*.

s Proditorem parentis inuiti,] *Quid si legas* innisi, *non* inuiti: *aut certe*, proditorem parentis in lite?

t Siue iniquum fuit,] *scribe*, siue iniquum fuit ac durum, *ex eadem*. XXXVIII.

IN LIBRVM IIII. DE BENEFICIIS.

a Cum virtutem nec lucrum inuitet, nec absterreat damnum.] *Vetus lectio*, Cum virtus nec lucro inuitet, nec absterreat damoo. *Posset legi*, Cum virtus nec lucro inuitetur, oec absterreatur damno. CAP. I.

b Vt cuncta io se impendere inbeat,] *Scribendum*, Vt contra in se impendere iubeat, *ex eadem*.

c In vltro tributis sit] *Exemplar diui Francisci*, multis tributis sit.

d Disputationem esse oportet de re tota,] *Quidam codices*, Disputatio est de re tota. *Et perpende*, *an pro verbo quod sequitur*, potestate, *substituendum sit* parte. *Sequitur enim mox paulo*: Primae partes eius sunt. II.

e Si voa beneficij dandi causa sit vtilitas,] *Antiqua lectio*, Nam si vna beneficij dandi causa sit dandi vtilitas. *Alij codices*, dari vtilitas. *Lego*, dantis vtilitas. III.

f Itaque ooo dat Deus beneficia,] *Considera an legendum sit*, Vtique noo dat Deus beneficia. IIII.

g Vota facientibus priuata geri ac publica.] *Verbum* geri *expungendum*, *ex vetusta lectione*.

h Nisi noscerent illorum beneficia nunc oblata,] *Scribe*, nisi noscerent illorum vera beneficia nunc vltro oblata, *ex eadem*.

i Quis est itaque tam miser,] *Legendum*, Quis est autem tam miser, *ex eadem*.

k Parum autē id quod nascentibus] *Desideratur ex eadem verbum* est. Parum autē est id quod nascētibus.

l Vsque io delicias armamur.] *Corrige*, vsque in delicias amamur, *ex eadem*. V.

m Illa praebitura commercia via vasta & nauigabili cursu vadentia:] *Castiga*, Illa praebitura commercia mari, vasto & nauigabili cursu vadentia, *ex eadem*.

n Statis diebus] *Quaedam exemplaria*, aestatis diebus.

o Vt anhela & feruenti subiecta coelo loca] Arida *habet eadem*, *non* anhela.

p In aera, super quae decurrunt sola auri vehentia,] *Praepositio* in *non habetur in exemplari Facundi & Primitini*: *vt putem reliqua sic fere restitui posse*, arenas super quas decurrunt solidi auri vehentia. *Tanto magis, quòd eandem sententiam repetitam inuenies in libro de Consolatione ad Martiam*. VI.

q Ille Deus noo est, qui paucas bones] *Praepostero ordine scripta verba*. *Lege*, Ille Deus est, non qui paucas boues: *ex vetere lectione*.

r Effectumque coelestium] *Eadem*, effectumque coelestium rerum. VII.

s Nec distat officinm.] *Lege*, nec distant officio, *ex eadem*. VIII.

t Fortunamque.] *Particula* qne *superuacanea est*: *ex eadem*. *Alioqui scribendum erat* fortunamve.

v Sed oe aliam disputationem ex obliquo babeam,] *Emendo contra omnia exemplaria*, Sed ne in aliam disputatiooem ex obliquo abeam. IX.

u Quocuoque modo & quocunque loco daretur,] *Scribe*, Quae quocunque loco & quocunque modo daretur, *ex vetere lectione*.

x Vtrum inficier, an palam reddam.] *Eadem*, Vtrum inficier, an parum reddam. X.

y Quàm hoc quod existimas,] *Codices nonnulli*, quàm hoc quod tu aestimas.

x Ingratus qui reddidit,] *Vetus lectio*, Et iogratus qni reddidit.

a Sui non auarum, non tenacem,] *Eadem*, sui oon auare tenacem. XI.

b Hunc vero cum elegero,] Hunc ego cum elegero, *eadem.*

XII. c Si latronibus circumueotum defendo,] *Scribe* Sic latronibus, *&c. ex eadem.*

d Nemo Tusculanum atque Tyburtinum] *Emendatiores codices*, Nemo Tusculanum aut Tyburtinum.

XIII. e Inertis ocij facere crepusculum,] *Legendum forte*, inerti ocio assuefacere corpusculum.

f Nobis voluptas est,] *Antiquum exemplar*, virilis oobis voluptas est.

g Alioquio oobis illud damus.] *Codices aliquot*, Alioquin oobis, noo illi, damus.

XV. h Tam naturale quam liberis prauis.] *Vetus lectio*, tam natorale est, quàm liberis paruis.

XVI. i Iisdem etiam hoc collegimus] *scribe*, iisdem etiam hoc colligemus, *ex eadem.*

k Quomodo id fecerit.] *Expende an legendum sit*, Quomodo id feres?

l Et profuturam commiserit?] *In eadem* omiserit *habetur, non* commiserit.

XVII. m Superuacuum est, ioquit, io naturae ius impelli.] *Quaedam exemplaria*, Superuacuum est enim in quod natura imus, impelli. *Alia breuius*, Superuacuum est, in quod imos, impelli.

o Placet suapte natura, adeoque gratiosa virtus est,] Placent suapte natura. Adeoqoe gratiosa virtus est: *ex vetere lectione.*

o Speciem aliam induat recti. Velit quoq; his videri beneficium dedisse,] *Sunt codices qui* inducat *praeferant, non* induat. *Postrema autem verba omnes sic legunt*: Velit quoqoe etiam his videri, *&c.*

p Vt animi causa malus sit.] *Exemplaria quaedam* enim *legunt, non* animi: *vt forte scribendum sit* inani.

q Dic ergo cuilibet ex istis] *Scribo*, Dic enim cuilibet ex istis, *ex vetere lectione.*

XVIII. r Quae illum obnoxio quolibet validissimum facerent.] *Sic prior editio. Expende, an legendum sit*, quae illum a ooxio quamlibet valido securum facerent.

s Societas terras geotium in alienae, *&c.*] *Castiga*, Societas terris gentium in alienae, *&c. ex exemplari scholarum Salmant.*

t Sed quia aliud illi timendum est.] *Lege*, sed quia aliquid illi timendum est, *ex vetere lectione.*

XIX. v Proiecisti ipsum metum.] *Eadem*, proiecisti illum extra metum.

o Est aliquid per se expeteodum,] *Eadem*, Est ergo aliquid per se expetendum.

XX. x Ex apposito acquisitoque] Reposito, *non* apposito, *eadem.*

y Lapsa morbo pecora.] *Quidam codices* laxa. *Alij melius* lassa. *Nullus* lapsa.

XXI. x Bono dedit.] *Vetus lectio*, bono debet.

a Hic intra cooscientiam occlusus est.] Clusus, *non* occlusus, *eadem.*

b Atque hic etiam si] Atqui *legendum videtur, non* Atque.

c Quicquid defuit, fortuna peccat] Deficit, *non* defuit, *codices nonnulli.*

d In contrarium tradidit] Io contrarium vertit, *alia exemplaria.*

XXII. e Licet ipsum corpus plenom bona conscientia stillet.] *exemplaria nonnulla*, Bene conscio homini si cor boonm plenum bona conscientia stillet.

f Per quem bona fides collucebit.] *Vetus lectio*, Per quem booa conscientia lucebit.

g Nunc quoq; illud argomentum, qoamuis dictum, iam reducatur.] *Eadem*, Nūc illud qooq; argomentum supra dictum reducatur. *Alij codices*, Nunc illud quoque argumentum quamuis ductum reducatur.

h Quae saepe tuto ac facili datur.] *Corrigendum reor*, quae saepe tuta ac facili aditur: *vt subintelligatur* via, *Graeco more. Nam & in exemplari Facundi & Primitiui*, tuta *scriptum est, non* toto.

XXIII. i Num dubium est,] *Vetus lectio*, Non dubium est.

k Minoribus sphaerae spaciis flectens] *Eadem*, miooribus se spaciis flectens.

l Aspice ista tanto superne coetu labentia,] *Scribendum fortasse*, Aspice ista tacito superne coelo labentia, *vt quod libenter facit Seneca, oblata occasione, ac nonnunquam captata, alludat ad Virgilianum versum*: Sidera cuncta uotat tacito labentia coelo: *praesertim quòd mox paulo subijcit*, Quanta rerum turba sub hoc silentio euoluitur?

m In numerum ac discrimen demom obseruas,] dierum, *non* demom, *praeferunt antiquissima exemplaria diui Francisci & scholarum Salmanticensium. Nec mutandam eam dictionem censeo. Nam eudibus & imperitis nō praestat alium nox vsum, quàm quietis, discriminis, ac numeri, & spacio temporis, & dierum connumeratione.*

n Certus limes adducit?] Educet, *non* adducit, *vetus lectio.*

XXIIII. o Et necessaria vitaliaque sint,] Vtilia *quidam praeferunt codices, non* vitalia.

p Ita omnis illa virtus & inprimis grati animi,] *Exemplar Facundi & Primitiui*, Ita omnis virtus illa & inprimis grati animi, *Scribendum puto*, ita omnis virtus, & inprimis illa grati animi.

XXV. q Nihil praeter ipsam facieodi ratiooem] *Eadem*, quid praeter ipsam faciendi ratiooem.

XXVI. r Alter ingratus, quia stultus est. Qui stultus, etiam malus est.] *Corrige*, Alter est ingratus, quia stultus est. Stultus, etiam malus est. *ex vetere lectione.*

s Io hoc vitium natura pronus & propensus.] *Scribe*, io hoc vitium natura propensus. *reliqua superfluūt. ex eadem.*

t Qui hac culpa oon caret.] *Legendum*, qoi sic hac culpa ooo caret, *ex eadem.*

v Qui beneficiorum defraudator est,] *Particula de superuacanea est: ex eadem. Notandumque mox infra in dictione* coctori, *desiderari eandem particulam quae hic redundat: vt euidens sit, hic scribendum fuisse* fraodator, *illic vero* decoctori. *Cuiusmodi portenta numerosissima admittere solet librariorum imperitia, transpositis tum syllabis, tum dictionibus, nonnunquam etiam integris versibus.*

u Et ob hoc quidem malos seqoitur.] *Exemplar Facundi & Primitiui*, Et hoc malus sequitur. *Exemplar diui Francisci*, Et ob hoc quia malos sequitur.

XXVII. x Tam acria & concitata habet omoia.] *Deesse existimo negationem contra omnium codicum fidem, vt scribendum videatur*, noo tam acria & concitata habet omnia.

XXVIII. y Sanctius est autem] Satius *legito, non* Sanctius, *ex vetere lectione.*

x Et media veris autumnique tempora,] Temperamenta *eadem agnoscit, non* tempora.

a Quisquis

a Quisquis ciuis est : cum aliquid est, quod tanquam ciui,] *Castiga*, quisquis ciuis est. Quicquid aliud est, quod tanquam ciui. *Caeterum pro verbo illo* ciuis, *in omnibus scriptis codicibus habetur* incisus : *vt putem legendum altero ex duobus modis*, *aut* in censu, *aut* census.

b Deus quoque quaedam in vniuersum humano generi dedit,] *Lege ex vetere lectione*, Deus quoque quaedam munera vniuerso humano generi dedit.

c Medicina & sceleratis opem ministrat.] Monstrat *eadem habet, non* ministrat.

d Non his quae promiscue turbam admittunt.] *Deest praepositio* in, non in his quae promiscue, *&c. ex eadem.*

e Ius fori omnibus dicitur :] *Eadem*, Ius & fori dicitur.

f Quaedam non poterant caeteris contingere] *Mallem legeres* certis, *quàm* caeteris.

g Interdum ista plus prosunt.] *Deest coniunctio* &, *quae non paruum leporem addit orationi*. Et interdum ista plus prosunt, *ex eadem.* XXIX.

h Quosdam turpissimos vtilitas, alios nobilitas industriis praetulit.] *Scribendum*, quosdam turpissimos nobilitas industriis praetulit. *reliqua superfluunt. ex eadem.* XXX.

i Non sine ratione sacra est magnarum virtutum memoria :] *Ea distinctione scribendum puto, vt tria illa verba* non sine ratione, *ad praecedentia pertineant, adstipulante etiam exemplari scholarum Salmant.*

k Et etiam plures bonos iuuat,] Et esse plures bonos iuuat, *vetus lectio.*

l Ciceronem filium quae res consulem fecit ?] Ciceronis, *non* Ciceronem, *eadem.*

m Tanta quidem,] Tanta quondam, *eadem.*

n Cuius osculum etiam impediret viri vota boni,] *Varie in varijs legitur exemplaribus, in nullo recte. Posset non obscure sic forte legi* : cuius osculum etiam impuri viri vitabant. *De hoc Fabia Persico, homine obscoeni oris, habita superius mentio.*

o Quomodo illae id egerunt,] *Lege*, Quomodo illi iidē egerunt, *ex vetere lectione. Et mox* ipsos, *non* ipsas.

p Referam hoc dictum eius in se,] *Pronomen* hoc *non habetur in eadem.* XXXI.

q Pollioni Annio iacenti,] *Corrigendum arbitror*, Pollioni Asinio iacenti.

r Cogitasset, indigne fert sobolem eius iacere.] *Vetus lectio*, cogitas, indigne fers sobolem eius iacere.

a Animum supra fortunam gessit,] *Eadem*, qui animum supra fortunam gessit. XXXII.

t Referre illis gratiam] *scribe*, Referri illis gratia, *ex eadem.*

v Alio me istud dare. Alio olim debitum soluere.] *Legendum vtrobique* alij, *non* alio, *ex eadem.*

u Ingrato ego aliquando quaedam] Ergo *eadem, non* ego. XXXIII.

x Conscientia nostra hoc loco titubat,] Vestra *legendum, non* nostra, *ex eadem.* XXXIIII.

y Patria sibi me dare iusserit ?] *Codices quidam*, patria sibi non dare iusserit ? XXXV.

z Non est mihi cum extraneo connubium.] Externo *vetus lectio, non* extraneo.

a Ignarium dabo.] Linguarium *omnis antiqua lectio : quo nomine appellatur fortasse a Seneca tenue illud lignum, quo blasphemorum linguae coherceri solent.* XXXVI.

b A quo receptus, a quo sanatus.] *scribe*, a quo receptus erat, a quo sanatus, *ex eadem.* XXXVII.

c Non sufficit homo iustus] *Quidam codices*, Non sufficit homo iustus vnus.

d Vt bona priori domino restitueret.] *Verbum* vt *desideratur in exemplari Facundi & Primitiui.*

e Effice vt idem sit cum exigitur, qui fuit cum promitterem. Destituere leuitas non erit.] *scribo*, Effice vt idem status sit, quum exigis, qui fuit cum promitterem, destituere leuitas erit. *ex vetere lectione.* XXXIX.

f Quid enim regi, quid pauperi, quid diuiti reddam?] *Emendandum reor*, Quid enim regi, quid principi, quid diuiti reddam ? *ex consuetudine loquendi Senecae, qui duas dictiones, reges & principes, frequenter copulat, vt in quinta* : A principibus dico, a regibus. *& mox paulo* : Reges & principes dixi, quibus tamen potest opera nauari. XL.

g Quando plus mihi detracturus ero,] *Scribe* : Quando ? si plus mihi detracturus ero, *ex vetere lectione.*

h Qui festinat vtrique reddere,] *corrige*, Qui festinat itaque reddere, *ex eadem, etsi sint codices qui legant*, qui festinat reddere, non habet animum vtique grati hominis.

IN LIBRVM V. DE BENEFICIIS.

a Magis non superuacuum, quàm necessarium.] *Ita praefert maior pars exemplarium. Sed sunt etiam quae inuerso ordine legant*, magis non necessarium, quàm superuacuum. *quae lectio videtur mihi probatior, quia sequitur eodem ordine*, nec facit operaeprecium, nec perdit operam. CAP. I.

b Propositum optimi viri, & ingētis animi est,] *verbum* est *in emendatioribus exemplaribus desideratur : adijciendaque altera coniunctio* &, *vt sit* : Propositum & optimi viri, & ingentis animi.

c Ex toto in hoc intentus animo :] *scribe*, & toto in hoc intentus animo, *ex vetere lectione.* II.

d Velocitate illum, non animo antecessit.] Alium *puto, non* illum, *legendum.* III.

e Quoniam quidem inter superantia animus inuictus est.] *Corrigendum reor*, Quandoquidem in ter superatis animus inuictus est. *Adducunt me vt sic emendem, verba non multa ante praecedentia*, Luctator ter abiectus perdidit palmam, non tradidit. *& veteres codices non* Quoniam quidem *habent, sed* Quandoquidem.

f Quibus nihil potest praestare fortuna.] *Vetus lectio*, quibus nihil potest praestare ipsa fortuna. IIII.

g Rapiuntur a nobis] *praepositio* a *superuacanea est, ex eadem.* V.

h Nos tamen nec vincemur animo, nec turpiter his rebus superabimur,] *Quaedam exemplaria* : Nos tamen non vincemur (animo enim res geritur) nec turpiter, *&c.* VI.

i Vt facetus.] Vir facetus, *vetus lectio.* VII.

k Quare Socrates non agat, quòd ipse se docuit ?] *Antiquum exemplar*, quare Socrates non agat sibi, quòd Platonem docuit ?

l M.Cato ait :] *Vide an legendum sit* , Hecaroo ait , *cuius testimonio subinde vti Senecam , iam a principio testati sumus.*

m Natura sibi dedit.] *Haec verba in correctioribus codicibus desiderantur.*

VIII. n Etiam cum aliquis probe fecerit,] *Tolerabilior lectio exemplaris scholarum Salmanticensium* , etiam cum aliquid prodesse sibi fecerit.

o Quod quo excedat , non habet.] *Exemplar vetustum* , quo excidat. *In altero* , ex quo excidat.

p Quid simile , inqnit , habet hoc exemplum huic propositae quaestiooi ?] *Verbum* huic *desideratur in vetere lectione.*

IX. q Nemo sibi beneficium dat, noo magis quàm hospitium. Nemo sibi donat, noo magis quàm credit.] *Scripti codices* , Nemo sibi beneficium dat , oon magis quàm credit. *reliqua superfluunt.*

r Quando ergo gratiam referet,] *Lege* , Quomodo ergo gratiam referet , *ex eisdem.*

X. s Iurisque sui in alium translatio.] *Scribe* , iurisque in ea sui in alium translatio, *ex eisdem.*

t Sed etiamnum multum interest inter dare & accipere.] *Sunt exemplaria, in quibus haec omnino verba desiderantur. Sunt alia , in quibus deest primum tantum verbum* sed.

v Frater sum alterius.] *Vetus lectio* , Frater sum , sed alterius. *Confirmant hanc lectionem verba sequentia*, Par sum , sed alicui.

u Quid ? cum inter ea sit habendum beneficium,] *Codices nonnulli* , Quidni ? cum inter ea , *&c.*

x Nisi cum altero non habent locum.] Nisi in altero oon habent locum , *vetus lectio.*

XI. y Illi beneficium dedi.] *Scribe* dedit, *non* dedi , *ex eadem.*

XII. z Dicis me abesse ab eo qui operaeprecium facit,] *Puto corrigendum* , Quod dicis ? Me abiisse ab eo qui operaeprecium facit.

a Expecta etiam hoc.] *Considera an sit probatior lectio* , Expecta etiam nunc.

b Crebri aliquid & confragosi] *Scribendum fortasse* scabri , *non* crebri.

c Hic benefaciendi voluntate caret.] *Scribendum puto* , hinc benefaciendi , *&c.*

XIII. d Quae accipere potest,] *Lege* , quae & accipere potest, *ex vetere lectione.*

e Non hoc ex nostra constitutione] Nec hoc ex nostra coostitutione , *eadem.*

f Ita qui viri boni spem fefellit,] *Exemplaria diui Francisci & scholasticum*, Ita & qui veri beneficij speciem fefellit.

XIIII. g Cleanthes vehementius ait.] *Vetus lectio* , Cleanthes vehementius agit.

h Qui ad occidendum] *Scribe ex eadem* , quia ad occidendum.

i Quamuis nemo vsque ad eos manus porrigat] *Videtur legendum* , vsque ad deos.

k Ea scilicet ratione , quia accipiet ab illo aliquid ex his quae apud imperitos sunt : cui tamen & si malus est.] *Vetusta exemplaria* , ea scilicet ratione , qua accipiet ab illo aliquid ex his quae apud imperitos sunt: quorum & si malis copia est. *Legendum arbitror* accepit , *non* accipiet. *Et putamus deesse verbum* bona , *vt scribatur* , ex his quae apud imperitos bona sunt. *Quae lectio videtur probari verbis sequentibus* , & illa qualiacunque sunt , cum pro bonis receperit, pro bonis reddere.

XV. l Sed ad alios spectat] *Eadem* , in alios quaeritur.

m Ecce nescio quaenam] *Particula* nam *delenda ex eisdem.*

XVI. n Traos alpes accitus hostis,] *Lege* , & traos alpes accitus hostis , *ex eisdem.*

o Parum mutatam,] *Scribendum* , parum mulctatam , *ex eisdem.*

p Et pecuniam , tantum non ciuicam] *Legendum puto ordine praepostero*, pecuniam , & tantum ooo ciuicam : *vt subintelligas* coronam.

q Eo redegit R. P. vt saluus esse non posset ,] *Pro duobus elementis* , R. P. *non accipio* rempublicam , *sed* Romanum populum : *quia subdit* , saluus esse noo posset. *Aut si* rempubl. *intelligas*, salua , *non* saluus , *necesse est legas* , *vt alij ante me adnotarunt.*

r Iogratus ipse Pompeij hostis ac victor a Gallia Germaniaque] Ingratus ipse Pompeij hostis ac victor C. Iulius Caesar , qui a Gallia Germaniaque : *vetus lectio.*

s Neminem occidit nisi armatum.] *Legendum reor* odit , *non* occidit : *quandoquidem verbum eius fuit*, Armatus sit oportet quem oderim.

t Proscriptiooibus, incursiooibus, bellis laceratam,] *Verbum* incursiooibus *non habetur in vetere lectione.*

v Nisi querendum est de omnibus.] *Legendum arbitror* , nisi querendum esset de omnibus.

XVII. u Vt dicam , quàm ingrata sit vide iuuentus.] *Castigandum putamus* , vtique quàm ingrata sit iuuentus vide.

x Vt non computet?] *Multum venustatis energiaeque conciliat orationi coniunctio* & , *quam agnoscunt antiqua exemplaria* , vt ooo & computet.

y Vt proloogetur tibi dies mortis,] Vt prorogetur tibi dies mortis , *eadem.*

z De quo vado ad quem currit] *Sic prior editio. Legendum puto*, de quo vsque ad quem currit. *quod ex verbis quae infra sequuntur , apparet. In nonnullis tamen exemplaribus verbum* vado *non habetur , sed tantum legitur*, de quo ad quem currit.

XIX. a Sic pater beneficio in filium collato] *Scribendum opinor* sed , *non* sic.

XX. b Beneficium odit & accepit,] *Lego* , beneficium & odit & accepit , *ex vetere lectione.*

c Hunc occidi.] *Lege* , Hunc ego occidi , *ex eadem.*

d Nullum in hoc habeo huius beoeficij debitorem in publicum. Humanus dicit aliquis.] *Corrigendum reor* , oullum in hoc habeo huius officij debitorem, nisi publicum humanum. Dicet aliquis.

e Indignus etiam repenti non reddet. Dignus etiam per se referet.] *Vetus lectio* , Indignus etiam repetenti noo reddet. Dignus ipse per se referet.

f Petam potius beneficium quàm repetam.] *Scribe* , praeteream : *non* petam , *ex eadem. vt post paulo*, Sic ego quosdam ingratos palam ac pertinaces praeteribo.

g Cum

g Cum quo dio mihi luctandum sit. Quis tam ingratus est, vt illi] *Scribe per maiorem, vt sit initium sensus* XXI. *sequentis*. Cum quo diu mihi luctandum sit, qui tam ingratus est, vt illi non sit satis admoneri, cum transibo, *ex eadem*.

h Si quid illos remorderet,] *Scribendum* momorderit, *non* remorderet, *ex eadem*. XXII.

i Ad ferendam gratiam] Referendam *eadem, non* ferendam. XXIII.

k Ex veteranis quidam paulo violentior] *Scribendum puto*, ex veteranis quidam Publius Militio. *sic enim* XXIIII. *vocabatur hic miles, vt constabit paulo post.*

l Quendam ex commilitonibus penulam,] *Legendum & hic reor*, quendam P. Militionem, *& reliqua.*

m Et quidem siti confectus, qui impeditus] Equidem, *non* & quidem, *vetus agnoscit lectio. Eadem* quia *legit, non* qui.

n Nisi commilito, homo fortis] *Exemplar scholarium Salmant.* nisi pro militio homo fortis. *Corrigendum, vt ante testatus sum*, nisi P. Militio homo fortis.

o Nam galeam illam si videres, agnosceres.] *Vetus lectio*, Nec galeam illam si videris, agnosces.

p Machaera enim Isponia diuisa est.] *Exemplar diui Francisci* Hispania *legit, non* Isponia, *vt videatur scribendum* Hispanica.

q Et agellos in quibus vicinalis via causa rixae ac litium fuerat,] *Legendum forte* vicina sylua, *non* vicinalis via.

r Militi suo donauit.] *Exemplar scholasticum*, militio suo donauit. *Scribendum, vt dixi*, Militioni suo donauit.

s Optanda erat obliuio.] *Legendum reor*, obtendebat obliuionem.

t Melius fuisset quid rerum nostrarum status posceret.] *Quidam codices*, bonum est quid rerum nostrarum status poscat. XXV.

v Paucis animus sui rector optimus.] *Deest verbum* mouetur, *siue* monetur, *ex nonnullis exemplaribus*: Paucis animus sui rector optimus mouetur.

u Opertis oculis inest acies, sed siue visu,] *Vetus lectio*, Opertis oculis eadem est acies, sed sine visu.

x Quod lumen a diis immissum ad ministeria sua vocat.] *Eadem* quam *agnoscit, non* quod: *&* euocat, *siue* aduocat, *non* vocat: *vt putem scribendum sic*, quem lumen ab his emissum ad ministeria sua euocat.

IN LIBRVM SEXTVM DE BENEFICIIS.

a His quoque si abire protinus iosseris,] *Vetus lectio*, In his quoque si abire protinus iusseris. *Fideliorem* CAP. I. *lectionem arbitror*: Quin his quoque si abire protinus iusseris.

b Prodest cognoscere.] Agnoscere *eadem, non* cognoscere.

c Et ea perire agam.] *Eadem*, ea perite agam. *Corrigendum reor*, alia peragam. *Praecessit enim paulo ante*, aut peragi iubeto. *vt sint tria membra*: Alia detinebo, Alia expellam, Alia peragam.

d Materia illius huc & illuc iactatur.] *Eadem*: Materia vero eius huc & illuc iactatur. II.

e Apud Rapirium poëtam,] *Scribendum* Rabiriom, *non* Rapiriũ. *Fuit enim C. Rabirius poeta Epicus, de quo* III. *Quint. 10. meminit, & Ouid. 4. de Ponto*: Cum foret & Marsus magnique Rabirius oris.

f Quae ex alieno sanguine rapta] *Puto praepositionem* ex *aduentitiam esse.*

g Quomodo illa tua facias? dono dando.] *Sic quidam praeferunt codices. Sed magis arridet aliorum lectio, in quibus* donando *scriptum est, non* dono dando. *Confirmant eam verba sequentia*, cum donasti, beneficium est. *in quibus tamen verbis superflui dictio* cum, *ex codice nuper mihi allato Vincia patria mea ex coenobio diui Pauli.*

h Beneficium dare desinimus:] Beneficium debere desinimus, *vetus lectio.* IIII.

i Quid non tam dori quidam etiam scelerati patres sunt, vt illos auersari & euitare ius fasque sit.] *Lego*, quid? non tam duri quidam & tam scelerati patres sunt, vt illos auerti & eiurare ius fasque sit: *ex eadem.*

k Tanquam pecuniam aliquis mihi credidit:] *Verbum* tanquam *non habetur in quibusdam codicibus.*

l Quàm quod est crediti.] *Lege*, quàm quod ex crediti causa petit, *ex eadem.*

m Inter beneficia quoque & iniurias ratio confert.] *Legendum puto* confertur, *non* confert. *Caeterum verba haec alieno loco posita opinamur, & locanda ante ea quae aliquanto post sequuntur*: Dedisti beneficium, iniuriam postea fecisti. *Illud autem quod mox ante legitur*, Argentum quod non emeras, *mihi non probatur, etsi ita omnia praeferant exemplaria. Pro meliore lectione duxerim*, Agellum quem non emeras.

n Saepe etiam beneficium manet,] Saepe inquam beneficium manet: *duo fidelissima exemplaria. In aliis non habetur dictio* etiam.

o Acutae ineptiae sunt,] *Quid si legas?* argutae, *non* acutae. *Vel sic*, argutiae ineptae sunt. V.

p Vtraque sua via habet actionem propriam tam me hercule quàm depositum, quàm furtum,] *Corrige*, vtraque sua via it. Depositum habet suam actionem propriam tam mehercule quàm furtum, *ex vetere lectione.* VI.

q An etiam vltro debeatur.] *Sunt codices in quibus legitur*, an mihi vltra debeatur.

r Sic beneficium superueniens iniuriam apparere non patitur.] *Exemplar diui Pauli* iniuria *legit, non* iniuriam, *recte.*

s Quo tandem mihi dexter abis?] *Scribe*, Quo tantum mihi dexter abis? *ex 5. Aeneidos, & vetustis codicib.* VII.

t Et in flumen alicui cecidisse frigore magno,] *Lego contra omnia exemplaria*, fragore, *non* frigore. VIII.

tt Et vnum testem temere dimittit.] *Scribe*, & in vnum testem temere dimittit: *ex vetere lectione. caeterum erratum esse in ordine verborum existimamus, legendumque ad hunc modum*: Aduersarius meus dum contraria dicit, & in vnum testem temere dimittit iudicem superbia offendit, & causam meam erexit.

v At quid est aliod, quod illum querelae eximat,] *Vetus lectio*: At quicquid est aliud, *& caetera. Corrigendum puto*: Atqui quid est aliud, *&c.* IX.

u Ad primum illud reuertamur.] *Scribe*, Ad primum illum reuertamur: *ex exemplari scholastico.* Repetun- X.

tur enim tria genera hominum quibus nihil debetur, etsi beneficium conferant.

x Vt debeam, nno satis est voluisse.] *Emendo*, vt non debeam, satis est uoluisse, *ex vetere lectione.*

XII. y Nno opus te dicere.] Non opus est te dicere, *eadem.*

XIII. x Quare potius te mihi profuisse dices,] *Eadem*, Vsus me quare potius te mihi *&c.*

a Aduersus hue respoodebo. Aliquid istius tua causa facis, aliquid mea. Tua quod redimis me. tibi enim ad vtilitatem tuam satis est,] *Castigo*: Aduersus huc respondeo. Aliquid istic tua causa facis, aliquid mea. Tua, quòd redimis: mea, quòd eligis. tibi enim ad vtilitatem tuam, *& reliqua ex exemplari diui Francisci.*

b Idem consequi qund vtilitatem rei partiris mecum,] *Corrige*, idem consequi quod mea. Vtilitatem rei partiris mecum. *ex omni vetere lectione.*

XIIII. c Sed quàm ingratum quod noo habuissem, nisi emissem:] *Scribendum forte*, sed quàm gratuitum, quod non habuissem, nisi emissem.

XV. d Cum e terrae coospectu recessit. Certam secanti viam.] *Corrige*, cum aether e conspectu recessit certam secanti viam, *ex vetere lectione.*

XVI. e Quia me nou tanquam amicum vidit, sed tanquam imperatorem.] *Sic quidem omnia quae hactenus legerim, habent exemplaria. Opinor autem corrigendum alterutro ex duobus modis. Aut sic*: quia me oou tanquam amicum vidit, sed tanquam inuocatorem. *Accersere enim medicum, inuocare appellat Seneca paulo post, his verbis*: In turba multorum inuocantium ego illi potissima curatio fui. *Aut certe* emptorem *legas pro* imperatorem, *ex ipsius etiam Ciceronis verbis, quae mox paulo sequuntur*: Non quia pluris est quod viderunt, quàm emimus.

f Ille plus impendit,] *Quidam codices*, ille magis perpendit. *Alij*, Ille magis pependit.

g Io docendo & laborem & taedium tulit,] *Exemplaria aliquot*, in docendo me & laborem & taedium tulit.

b Iniecta (vt ita dicam) manu,] *Breuius quidam codices*, iniecta dicam manu.

i Sed cupit, si posset,] *Scribe*, sed cuperet, si posset, *ex vetere lectione.*

XVIII. k Quid ergo nihil tibi debetur pro hoc tanquam ab vno, nisi cum omoibus soluam, quod tibi cum omnibus debet.] *Scribo*, Quid ergo? nihil debetur pro hoc? Tanquam ab vno, nihil. Cum omnibus soluam, *&c. ex eadem.*

XIX. l Nihil boc nomine debebunt?] *Lege*, nihil boc oomine singuli debebunt, *ex eadem.*

m Deinde ego quoque illi non tanquam proprium debebo, sed commune munus ex populo, non tanquam pro me soluam.] *Exemplar diui Pauli breuius*: Deinde ego quoque illi oou tanquam pro me soluam, sed tanquam pro patria conferam. *caetera superfluunt. Alioqui legendum erat*: Deinde ego quoque illi oou tanquam proprium debebo, sed quomodo vnus e populo. Nno tanquam pro me soluam, sed, *reliqua.*

XX. n Nec ex hoc aes alienum profitebur,] *Praepositio ex delenda est, ex vetere lectione.*

o Quia dedit quidem,] *Lege*, quia mihi dedit quidem, *ex eadem.*

XXI. p Ergo magnum argumentum est firmae voluntatis, ne mutare quidem posse.] *Eadem*, Ergo maximum argumentum est firmae voluntatis, ne mutari quidem posse.

q Itaque quod tanquam coacto noo deberem,] *Scribe* Ita, *non* itaque, *ex eadem.*

XXII. r Inter tot saecula promissas vices] *Scribe*, in tot saecula promissas vices, *ex eadem.*

s Sit tanti vt tu coarguaris.] *Lege*, est tanti vt tu coarguaris, *ex eadem. Sequitur confestim.*

t Possunt tibi etiam inuito,] *Scribendum reor*, primo sunt tibi etiam inuito.

XXIII. v In imbecillitate permanent:] Ex imbecillitate permanent, *legendum ex vetere lectione.*

u Nos tamen in maiora ituri iuuant.] Itura, *non* ituri, *eadem.*

x Quàm non intra homines tantum] *Verbum* tantum *expungendum, ex exemplaribus diui Francisci & scholarum Salmant.*

y Quae cohercuit fine terrarum] *Scribe*, quae non coherc. f. t. *ex vetere lectione.*

x Quis negat ab bis accepisse se a quibus cum maxime accepit.] *Scribe per minorem, vt ad superiora referas*: qui negat accepisse se a quibus cum maxime accipit, *ex eadem.*

a Et omnes alias impudentis animi voces astruat.] *Eadem* astrue *legit, non* astruat.

b Vel boc maximum quod etiam quaerenti daturus est] *Corrige*, vel hoc maximum est quod etiam non quaerenti daturus est, *ex eadem. Quidam tamen codices legunt*, quod etiam quaerenti daturus est.

XXIIII. c Coaptant & applicant.] *Castiga*, coactam applicant, *ex eadem.*

d Ius adhibetur ac seruitus.] Vis adhibetur aut seruitus, *quidam codices.*

XXV. e Fere idem itaque exitus est] *Inuertendus verborum ordo, legendumque*, fere itaque idem exitus est, *ex vetere lectione.*

XXVI. f Non nocet illi votum meum inquit] *Eadem*, Non nocet, inquit, illi votum meum.

XXVII. g Vt possem ferre illi opem,] Possim *videtur legendum, non* Possem.

h Vt ope indigeat] *Scribe*, optas vt ope indigeat, *ex vetere lectione.*

i Sed vt illo necessitatem implorandae. Superiorem te facis] *Deest ex omnibus scriptis exemplaribus dictio* rei, *vt sit* implorandae rei. *Quaedam etiam exemplaria legunt*, Eo voto superiorem te facis.

k Si inficiareris quod acceperis.] *Legendum*, quod acceperas, *ex eisdem.*

XXIX. l Sed quos illi & habere contingat,] *Verbum* Sed *non habetur in eisdem.*

m Tutae secretae,] *Prior editio & omnes scripti codices* tutae sic credere *agnoscunt. Quam lectionem veram genuinamque ducimus, si pro illa particula* sic, *remota litera* c, *legatur* si: *vt accipiatur* credere, *pro* committere.

XXX. n Ista tam tristis est,] Ita, *non* ista, *vetus lectio. vt forte legendum sit*: Ita tua tristis est.

o Et omni voto submouenda occasio,] *Exemplar diui Francisci*, optio *praefert, non* occasio: *vt sit forte scribendum* optio.

p Vindicet a consensu contemptuque falsorum.] *Exemplar diui Francisci*, Vindicet cum consensu contemptuque falsorum. *Scribendum forte*, cum sensu contemptuque falsorum.

q Attraxere superuacua.] *Quidam codices*, attraxere vires suas ad superuacua.

r Super se ac sua regna fregerunt,] Super se ac suos regna fregerunt: *vetus lectio.*

s Non laturos nuncios belli] Nuncium, *non* nuncios, *eadem.*

t Vix patere coelum sagittis ad emittenda omnia manu tela.] Satis, *non* sagittis, *in eadem habetur.* XXXI.

v Et emissas sibi angustias] Commissas, *pro* emissas, *recte emendatum ex omnibus scriptis exemplaribus. Illud tamen sciendum, commissas hoc loco non significare adeo angustias, vt sese contingant, sed Lacedaemoniorum fidei fortitudinique ad tuendum concreditas. AEmilius Probus in vita Themistoclis:* Huius consilium plerisque ciuitatibus displicebat, & in terra dimicari magis placebat. Itaque missi sunt delecti cum Leonida Lacedaemoniorum rege, qui Thermopylas occuparent, longiusque barbaros progredi non paterentur. *Idem significare videtur Herodotus, septimo historiarum scribens, cum multi essent alij suae quisque ciuitatis duces, imperij tamen summam penes Leonidam fuisse. Sed apertissime omnium Valerius Maximus lib. 3. capite de fortitudine, de Leonida loquens: Caeterum perfidia, inquit, & scelere incolarum eius regionis, & loci opportunitate, qua plurimum adiuuabatur, spoliatus, occidere dimicans, quàm assignatam sibi a patria stationem deferere maluit.*

u Velut torrentis modo ablati,] *Quidam codices* mole, *non* modo.

x Deinde hinc atque illinc coorientur,] *Commodior lectio est* adorientur, *quàm* coorientur.

y Stratusque per totam Graeciam passim Xerxes] *Quidam codices ordine inuerso,* Stratusque per totam passim Graeciam Xerxes.

z Haec tam vindicanda principi quàm tacenda] *In nonnullis exemplaribus,* Haec non tam vindicanda principi quàm tacenda. XXXII.

a Solitos illi vera dicere] *Mallem legeres,* solos illi vera dicere.

b Alios vniuersos habuerunt] *Scribe ex vetere lectione,* alios cum vniuersis. Habuerunt. *vt verbum* Habuerunt *ad sequentia pertineat. Proinde verba quae sequuntur:* XXXIIII.

c Itaque isti amicos primos habuerunt & secundos] *sic legenda erunt:* Habuerunt itaque isti amicos primos. Habuerunt & secundos.

d Nunquam veros] *Expende, an commodior sit lectio,* neutros veros: *etsi duriuscula sit correctio.*

e Aduersa eius si nec deserueris,] *Scribe,* si aduersa eius non deserueris, *ex vetere lectione. etsi sint codices in quibus habeatur,* Aduersa eius nec deserueris.

f Et tanti existimat illum miserum esse,] AEstimat, *non* existimat, *maior exemplarium pars.*

g An vt ne debeas.] *Particula* vt *supervacanea est ex quibusdam exemplaribus: quae paulo post* aptabit *legunt, non* aptauit.

h Si famem ac metum imprecareris,] *Scribendum reor contra omnia exemplaria* mortem, *non* metum. XXXV.

i Vtrum vox ista tua an sit voti tui? Sanius aliquid horum opta.] *Vetus lectio:* Vtrum vox ista sit voti tui. Sanius enim aliquid horum opta. *Castigandum puto,* Vtrum vos ista sit voti tui, si animus ei aliquid horum optat.

k Vt bona liberis exempla monstrarent, si optauerunt.] *Errorem esse existimo in ordine verborum: legendumque,* si vt bona liberis exempla monstrarent, optauerunt, *&c.* XXXVI.

l Vt AEtna immensa ignium supra solitum ardens, daretur ipsis occasio] *Corrige,* vt AEtna immensa ignium vi supra solitum ardens, daret ipsis occasionem: *ex vetere lectione.*

m Grauissima infamia est medici opus quaerere. Multi quos auxerant morbos & reuocauerant,] *Eadem sic habet,* Grauissima infamia est medici, opus quaerere medici. Multi quos auxerant morbos & irritauerant.

n Quia satius erat duos iniquo malo affici.] *Perpende an legendum sit* vnico, *non* iniquo. *Quaedam tamen exemplaria* vno *praeferunt. & aliquanto post* votum *legendum, non* ootum: *ex omni antiqua lectione.* XXXVII.

o Demades Athenis certe] *Ita prior editio. Legendum permutato verborum ordine,* Demades certe Athenis, *ex eadem.* XXXVIII.

p Ex alieno commodo lucrum] *Scribe,* Ex alieno incommodo lucrum, *ex eadem.*

q Miles bellum optat in gloriam. Agricolam annonae caritas erigit.] *Emendandum reor,* Miles bellum optat. In gloriam agricolam annonae caritas erigit.

r Eloquentiae precium exoptat litium numerus.] *Quid si legas?* Eloquentiae principes exoptant litium numerum.

s Illi quorum mortes optent nesciunt] *Scribe,* Illi tamen quorum mortes optent nesciunt, *ex vetere lectione.*

t Ex quo propter amicitiam rei plurimum est,] *Locum deprauatissimum sic restituendum reor,* cum quo propter rem amicitiae plurimum est.

v Omnium tamen istorum vota sunt impunita] *Vetus lectio omnis,* Omnium tamen istorum tam nota sunt vota, quàm impunita.

u Quod in manibus est,] *Legendum forte,* quod immane est: *quia aliquanto ante,* Nemo, *inquit,* vt existimo, de immanitate animi tui dubitaret, si aperte illi paupertatem, *&c.* XXXIX.

x Et in id incidentis, quod euitat.] *Deest verbum* vitium, *ex quibusdam exemplaribus,* & in id incidentis vitium quod euitat.

y Resignare rationem parem properas.] Signare, *non* resignare. *vetus lectio.* XL.

z Quo minus tuum reuertatur.] *Exemplar diui Pauli,* quo minus tuum reuertatur ad te. XLI.

a Nulla mora inter nos est.] *Corrige,* nulla mora in Turno est. *Nam initium est Virgiliani versus ex XII. AEneidos circa initia:*

Nulla mora in Turno. nil est quòd dicta retractent
Ignaui AEneadae.—

adstipulante etiam vetere lectione.

b Nec decet gratum animum] Non decet gratum animum, *eadem.* XLII.

c Dimissa est omnis anxietas] *Verbum* est *non habetur in vllo vetusto codice.*

d Dnu istins rei iudices habes, illum quem potes] *Vetus lectio*, Duus istius rei iudices habes, illum quem non potes, & quem potes.

XLIII. e Proferre dona,] *Eadem*, proferre, donare.

f Nec procurandum intempestiue:] *Corrigendum puto*, nec properandum intempestiue: *quia sequitur statim:*

g Qui ad referendam gratiam suo tempore cessat, quàm qui alieno properat.] *Quem locum crediderim legendum esse mutato verborum ordine, hoc pacto*: qui ad referendam gratiam properat tempore alieno, quàm qui suo cessat.

h Praestat esse in vtrumqne facilem:] Praestet se in vtrumque facilem, *vetus lectio*.

i Quid thesaurum eius eripimus?] *Eadem* quid thesaurum eius eruimus? *Et si sunt exemplaria, vbi legatur*, qui custodiam recusamus.

k Tanquam non ducere, sed sequi debeat.] *Codices quidam*, tanquam quae non ducere, sed sequi debeat.

IN LIBRVM VII. DE BENEFICIIS.

CAP. I. a Reliquias hic liber cogit. Exhausta materia circumspicio,] *Vetus lectio*, Reliqua hic liber cogit, & exhausta materia circumspicio.

b In primum statum coegesti:] *Legendum* statim, *non* statum, *ex eadem*.

c Pauca manent] *In quibusdam codicibus*, pauca vincunt. *In alijs*, pauca iuuant.

d AEtati signum imprimat:] *Exemplar diui Francisci*, aetatis *praefert*, *non* aetati.

e Et columnarum nouissime interualla iungantur:] *Legendum reor* nouissima, *non* nouissime.

f Si se supra metum sustulit & posuit,] *Postrema duo verba*, & posuit, *non habentur in vetere lectione*.

II. g Voluptas fragilis & breuis fastidit obiecta:] *Eadem*, Voluptas fragilis est, breuis, fastidit obiecta. *Quidam codices*, fastidio obiecta.

h Cuius subinde necesse est poeniteat,] *Legendum ex eadem*, cuius subinde necesse est aut poeniteat, aut pudeat.

i Qui maxime, vt ita dicam, diuini iuris atque humani peritus,] *Exemplaria quaedam*, quàm maxime *legunt*, *non* qui maxime: *vt putem legendum esse*, cum maxime.

III. k Quantum in id quod inexplebile est coegeras.] *Vetus lectio*, quantum eo quod inexplebile est congeras.

IIII. l Nihil prohibet aliquid esse & eius qui possidet, & eius cui datum & assignatum est.] *Corrigendum*, Nihil prohibet aliquid & sapientis esse, & eius qui possidet, cui datum & assignatum est, *ex eadem*.

m Et intus ager ant vllius R. P. est.] *Exemplar diui Pauli Pinciani*, & totus ager illius R. P. est.

n Cuius vniuersa esse contendimus.] *Veteres codices* concessimus, *non* contendimus, *habent*.

V. o Tua in possessione nascantur:] *Hoc exornationis genus aliorum est autorum, non Senecae: proinde legendum, vt in eisdem habetur*, in tua possessione nascantur.

VI. p At recte vtriusque dicuntur esse.] *Per minorem ijdem*, ac recte vtriusque dicuntur esse.

VII. q Quae viritim ei seruiunt.] Vicissim, *non* viritim, *sunt exemplaria quae legant*.

IX. r Per ordinem pandere,] Per ordinem expandere, *vetus lectio*.

s Ipsa illa quae placet varietas,] *Quaedam exemplaria* veritas, *non* varietas.

t Iam enim exercitatae aures oneri ferendo sunt.] *Nonnulli codices verbum* aures *non agnoscunt. Nam paulo ante praecessit* auribus.

X. v Video istic diplomata,] Ista, *non* istic, *quaedam exemplaria*.

XI. u Itaque cum Caesar illi ducenta talenta donaret,] *Scribendum reor*: Itaque cum C. Caesar, *&c. vt mox paulo liquebit*.

x Pauxillo illum animum] Pusillo, *non* pauxillo, *vetus lectio*.

y Cum miraretur dementiam eius,] *Exemplar scholarum*, Cum miraretur Caij dementiam.

XII. z Quibus cum duo sint,] *Quidam codices*, quibuscunque duo sunt.

a In illis tantum locus meus sit proprius quem occupaui] Tamen *legendum, non* tãtum, *ex vetere lectione*.

b Vti hoc nolente non possum.] *Eadem*, vti his illo nolente non possum.

XIII. c Quo veram amicitiam experiretur] *Aut scribendum erit*, quo veram amicitiam experireris: *aut certe*, quod veram amicitiam experiretur: *vt praefert exemplar Pincianum*.

XIIII. d Hic benignissimus, qui te, cum cursantem & sollicitum atque anxium viderit,] *Scribe*: Hic benignissimus, qui cum videris te concursantem & solicitum: *ex vetere lectione*.

e Si gratiam retulisset.] *Exemplar scholarum*, sic gratiam retulisse. *Legendum puto*, si sic gratiam retulisset.

f Contra illud pone,] *Scribe*, Contra nunc illud pone, *ex vetere lectione*.

g Rebus meis in securitatem creditoris oppositis,] *In quibusdam codicibus* appositis, *non* oppositis, *scriptum est. Mallem legeres* depositis.

h Etiam si in illa nauigatione, *& mox statim*, Etiam vbi in vincula.] *Exemplar Scholarum*, etiam nisi in illa nauigatione, etiam nisi in vincula.

XV. i Huic vere debes & qui vult, & qui conatur, & nihil intentatum relinquit, sed non potes dicere.] *Verba aliquot superuacanea faciunt, vt sensus vix cohaereat. Legendum existimo sic*: Huic vero qui vult, & qui conatur, & nihil intentatum relinquit, non potes dicere.

XVI. k Hic dicat, Habeo: ille respondeat, Non habeo.] *Vetusta exemplaria*: Hic dicat, Habeo: ille respondeat, Debeo. *Quam lectionem approbant verba sequentia*, ita tu ingratus es, nisi ei qui voluntatem bonam in solutum accepit, eo libentius debes, quia dimitteris.

l Hoc illi satis, tibi parum.] *Scribe*, Hoc illi satis sit. Tibi parum. *ex eisdem*.

XVII. m Inter nos & imperitos] *Delenda coniunctio &, ex eisdem*.

n Malo

n Malo beneficium proiiciam, bono reddam. Huic, quia debeo: illi, ne debeam.] Longe aliter in exemplari Pinciani: Malo beneficium proiici a bono, quàm non reddi etiam malo. Reddam huic, quia debeo: illi, ne debeam.

o Vt quidam debeat quod a me accepit. Iam vlterioris est curae] Ita prior editio. Corrigendum arbitror, vt custodiam debeam eius quod a me accepit, iam vlterioris est curae. Nam sequitur mox paulo: Beneficij accepti, non redditi custodiam debeo. XIX.

p Non. Reddo illi quale nunc potest accipere:] Sic habent omnia exemplaria, sed corrupte. Legendum arbitror, Nunc reddo illi, &c.

q Intra se malus,] Verbum se superuacaneum est, ex vetere lectione.

r Omnia mihi in illum bona sint libera,] Etiam hoc loco verbum bona redundat, ex eadem. XX.

s Cui triremes & ceratas non mitterem,] In exemplari diui Francisci, non triremes habetur, sed Thyrrhenicas. Item puto cercyras reponendum, siue cercuros, pro ceratas, ex Plinij 7. historiae naturalis, cap. 55.

t Quamquam ingeniis talibus] Ita praeferunt vetusta omnia exemplaria. sed puto castigandum, Namque ingeniis talibus.

v Optimum est obire ei] Lege ex vetere lectione, Optimumque est obire ei,

u Quod in me non est, redeat domum bonus malus.] Vetusta exemplaria, quod meum non est, redeat ad dominum, bonus sit an malus.

x Quàm diligenter istud excuterem,] Verbum Quàm superuacaneum videtur. Aut certe legendum est: Quid ni? Diligenter istud excuterem.

y At philosophus noster] Exemplar scholarum Salmanticensium, At Pythagoricus noster. XXI.

z Ad te non pertinet.] In quibusdam exemplaribus post haec verba sequitur protinus: Non enim tibi debet eius prodesse malignitas. XXII.

a Quemadmodum inter nos officia diuisa sunt.] Scribendum puto inter vos, non inter nos.

b Quae ideo praecipimus vltra modum, vt ad versum suum redeant.] Vetus lectio: Quae ideo petimus vltra modum, vt ad verum & suum redeant. Quae lectio videtur confirmari verbis, quae paulo post sequuntur: In hoc omnis hyperbole extenditur, vt ad verum mendacio veniat. Caeterum libentius legerem: Quaedam petimus, siue, Quaedam praecipimus (sunt enim exemplaria, quae praecipimus agnoscãt) quàm, Quae ideo petimus.

c In hoc omnis hyperbole excedit.] Vetus omnis lectio extenditur agnoscit, non excedit. XXIII.

d Itaque ille cum dixit,] Eadem, Itaque ille qui dixit. Quidam tamen codices, Itaque iste qui dixit.

e Occasionem ignorant non ostendam?] Exemplar diui Francisci, occasionẽ ignoranti illi non ostendam?

f Tam firmae voluntatis] Tam firmae mentis, vetus lectio.

g Semper aliquo transilientem] Alio, non aliquo, legendum putauerim. XXVI.

h Quibus voluimus:] Quidam codices, in quibus voluimus.

i Quae consequi posse spes non fuit.] In nonnullis exemplaribus, Optare quae cõsequi posse spes nõ fuit.

k Captae quàm maxime ciuitatis faciem,] Ita prior editio. Scribendum cum maxime: ex vetere lectione, & Senecae consuetudine. XXVII.

l Ipsa quibus arcetur,] Exemplar Franciscanum arctatur, non arcetur: & forte rectius, quia praecessit, angusto itinere.

m Ante beneficiorum memoria comitetur.] Corrige, an omnium te beneficiorum memoria comitetur, ex vetere lectione. XXVIII.

n Simus quales fuimus nos,] Scribendum inuerso ordine, Simus nos quales fuimus, ex eadem. XXIX.

o Damnum non tunc factum apparuit.] Exemplar diui Pauli minus corrupte, Damnum nunc tunc factum apparuit. Legendum puto, mutato dictionum ordine, Damnum tunc factum nunc apparuit. Quam sententiam repetit aliis verbis paulo post: Stulte, non nosti detrimenti tui tempora: perdidisti, sed cùm dares.

p Qui beneficia ignoranti dare incipiunt,] Sunt exemplaria in quibus ignorati habetur, non ignoranti. XXXI.

q Saxum aliquod] Exemplar Franciscanum, saxum aliquod ignitum.

r Non est magni animi, beneficium dare & perdere.] Verbum beneficium non agnoscunt plerique codices. XXXII.

FERNANDI PINCIANI CASTIGATIONES
IN EPISTOLAS SENECAE.

IN EPIST. I.

a Quòd mortem prospicimus.] Codices nonnulli, quòd mortem procul esse coniicimus.

b In huius rei nimis fugacis ac lubricae possessionem] Vetus omnis lectio non habet nimis, sed vnius, quod & rectius, quia sequitur, Cum interim hoc vnum est, &c.

c Ex qua expellit quemcunque vult.] Prior editio, ex qua expellitur quicunque vult. Exemplar Scholasticum, ex qua nemo expellitur, nisi quicunque vult.

d Et tanta stultitia mortalium est,] Scribe, Sed tanta stultitia mortalium est, ex eadem.

e Imputari sibi, cum periere, patiantur:] Castigatissima quaedam exemplaria impetrauere agnoscunt, non periere.

f Quid est?] Scribe, Quid ergo est? ex vetere lectione.

IN EPIST. II.

a Bene compositae mentis] Verbum bene non habetur in eadem.

b Quae vbi varia sunt & diuersa, coinquinant,] Eadem inquinant agnoscit, non coinquinant.

c Et si quando ad alios diuerti libuerit,] Diuertere, non diuerti, exemplar Scholasticum. Exemplar Pincianum, & pleraque alia, transire.

IN EPIST. III.

a Illa dicet tibi, se & diem fecisse & noctem.] In quibusdam codicibus, Illa dicet tibi,& diem fecisse se & noctem. In alijs, Illa dicet tibi, se & diem fecisse, se & noctem.

SN EPSST. V.

a Fugamus & a oobis auertimus.] Scribe inuerso ordine, Fngamus a nobis & auertimus, ex vetere lectione.

IN EPIST. VI.

a Obseruauit illum an ex formula sua viueret.] Quidam codices, obseruauit vt ex formula sua viueret.

b Quid me apnd Hecatonem delectanerit,] Desideratur dictio hodie, ex omns vetere lectiane. Quid me hodie, &c.

IN EPIST. VII.

a Quorum animi ex longo morbo inficiuntur.] Eadem reficiuntur praefert, non inficiuntur.

b Omnia ista mortes merae sunt.] Lego ex eadem: Omoia ista mortis morae sunt.

c Interfectores interfectis iubentur obiici,] Exemplar Scholasticum interfecturis habet, non interfectis.

d Vnum exemplum aut luxuriae, aut auaritiae,] Prior coniunctio aut superfluit, ex vetere lectione.

e Non est quòd te gloria publicandi ingenij] Adde verbam ergo. Non est ergo, &c. ex eadem.

f Si tibi didicisti.] Scribe, Tibi didicisti. vt superfluat particula si, ex eadem.

IN EPIST. VIII.

a Quisquis nostrum tutam agere vitam volet,] Legendum vestrum, non nostrum.

b Quod habere oos putamus, haeremus.] Corrige, quod habere nos putamus. Habemur. ex eadem.

c Hanc vtrum cespes erexerit,] Quidam codices extruxerit legunt, non erexerit.

d Mihi crede, qui nihil agere videnrut, maiora agunt, bumana diuinaque tractant.] Scribe, Mihi crede, qui nihil vel minora agere videntur, maiora agunt, quia humana diuinaq; simul tractãt, ex vetere lectione.

e Adbnc Epicurum complicamus,] Bona pars scriptorum codicum replicamus praefert, non complicamus.

SN EPIST. IX.

a Vno verbo cito voluerimns,] Verbum cito aduenticium existimo: & vel expungendum ex contextu, vel in locum eius substituendum scito, aut scite.

b Si qnis oculum casu excusserit,] Scribe casus, non casu. vetus lectio.

c Et erit in minuto corpore & amputato tam laetus, quàm in integro fuit.] Quaedam exemplaria, & erit imminuto corpore & amputato tam laetus animus, quàm integro fuit. Alia sic, & erit imminuto corpore & amputato tam laetus, quàm quum integer fuit.

d Sed quae sibi desunt, oon desiderat? Noo deesse mauult.] Omnia scripta exemplaria pro particula illa nũ, legunt nõ, vt putẽ per transpositionẽ verborũ scribendũ sic: Quae sibi desunt, nõ desiderat, sed nõ deesse mauult.

e Habes autem non tantum amicitiae vsum veteris & certe magnam voluptatem, sed etiam initium & comparationem nouae.] Castigo partim ex vetere lectione, partim ex coniectura: Habes autem non tantum vsu amicitiae veteris & certae magnam voluptatem, sed etiam initio & comparatione oouae,

f Sed habeat aliquem,] Scribe per minorem ex eadem, sed vt habeat aliquem.

g Qui se spectat, & propter hoc ad amicitiam venit,] Quaedam exemplaria, & propter hoc amicitiam init. Illud noscendum, in nonnullis exemplaribus haec verba initium praebere epistolae a superiore distinctae, cuius lemma est: Quomodo aliquis sibi amicum faciat, & quòd nisi sapienti sua non sufficiant sine placent.

h Quia causa vtilitatis assumptus est,] Scribe, Quae causa vtilitatis assumpta est: ex vetere lectione. vt referatur ad amicitiam.

i Et dicet qnod Stilbon ille dixit,] Lege Stilpon, per p. non per b: ex Suida, Diogene, & reliquis.

k Etiamsi hunc diem expunxi.] Particula si superuacanea est, & item paulo post dictio bona: ex vetere lectione.

IN EPIST. XII.

a Quod inter nos fit,] Scribendum puto, qnid interim nobis fit? vt mox ante, Quid mihi futurum est? Nam vetus omnis lectio habet, Quid inter nos fit? & paulo post, primus legendam, non primnm.

b Ego sum Pbilosti villici filius,] Exemplaria quaedam Philositi legunt: alia, Philosoti. Mallem legeres Philisti: quod Graecam magis refert indolem.

c Cupiditates fatigasse ac reliquisse.] Fugasse quidam codices, non fatigasse.

d Vt non improbe vnum diem speret.] Negatio oon superuacua est, ex nonnullis exemplaribus.

e Hic pertinet a natali ad diem extremum.] Codicum pars pertingit agnoscit, non pertinet.

f Est deinde per se annus,] Vetus lectio, Est deinde ipse annus.

g Cui cognomẽ scotinõ fecit orationis obscuritas:] Legendũ reor scotinn, vt sit genitiu° Graecus, nõ scotinõ.

h Planeta facit ista, non alias contractior, alias productior dies.] Exemplaria quaedam Plura habent, non Planeta: Alia, pluralitas. Verbum autem dies in cunctis desideratur.

i Et illis funereis epulis se sepelisset, & quasi sibi parentauerit,] Vetus lectio breuior, & illis funebribus epulis sibi parentauerit. reliqua superuacanea sunt.

k Quid ni nulla? si patent vndique ad libertatem viae.] Scribe, Quid ni nulla sit? Patent vndique ad libertatem viae. ex eadem.

IN EPIST. XIII.

a Certe nunquam venerint.] Castigatior vetus lectio, Certe nondum venerunt.

b Quaedam ergo nos magis torqnent] Eadem, Quaedam enim nos magis torqnent.

c Primum id quia res in controuersia est.] Illud legendum, non id, ex eadem.

d Satis cito dolebit, cum venerit:] Dolebis legendum ex eadem, non dolebit.

e Quid faciet lucri tempus.] Scribe, Quid facies lucri? Tempus. ex eadem.

f Interim non est, meliora propone.] Legendum, interim dum non est, meliora propone: ex eadem.

g Si plures habebit sententias metus.] Habebis antiqua lectio praefert, non habebit. Quaedam etiam exemplaria habes legunt, non habebit, aut habebis.

h Cum

h Cum illic nec sit quicquam mali,] Illi *legendum*, *non* illic, *ex eadem.*

i Et tam leuibus te remediis refocillare.] *Eadem* focillare *agnoscit*, *non* refocillare.

k Videbimus vtrum veniet:] Videbimus vtrum vincat, *eadem.*

l Et mors istam vitam bonestabit.] *Eadem partim* ista *legit*, *non* istam: *partim non habet omnino hoc verbum.*

m Cicuta magnum Socratem confecit.] *Scribendum reor*, Cicuta magnum Socratem fecit.

n Qui se q̃ maxime ad ambitionẽ parent.] *Vetus lectio*, cum maxime, *non* q̃ maxime. *Lego*, tunc maxime.

IN EPIST. XIIII.

a Et turbam ferarum, quam in viscera condat humana.] *Sunt codices qui* sicarum *legant*, *non* ferarum.

b Et cruces, & eculeos,] *vetus lectio* culeos, *non* eculeos.

c Gratiosi timeantur in eo viri:] *Verbum* timeantur *non habetur in eadem.*

d Qui Siculum pelagus interdum etiam plus quàm timere debeamus, exasperet,] *Verba illa*, interdum etiam plus quàm timere debeamus, *desiderantur in eadem.*

e Rixa est inter competitores:] *Lege*, vnde rixa est inter competitores, *ex eadem.*

f Plures computant quàm oderint.] *Sunt codices in quibus* occiderint *legatur*, *non* oderint. *Quid si legas?* plures compilant quàm occiderint.

g Quid tum? alter vincere potest, melior vincere non potest. non potest esse peior qui victus fuerit, melior qui vicerit.] *Sunt exemplaria in quibus sic legitur*, *vt recitaui. In alijs diuerso modo:* Quid tu alter vincat. Potest melior vincere, non potest non peior esse qui vicerit. *In quibusdam ita:* Quid tibi an alter vincat. Potest melior vincere: non potest non esse peior qui vincit. *quae lectio videtur rectior, modo legatur*, non vincit, *sed* vincitur. *& sunt quaedam exemplaria, vbi sic habeatur:* Quid tu alter vincat. Potest melior vincere, non potest peior esse qui vicerit.

h Et misit iratas voces,] Irritas, *non* iratas, *omnis prisca lectio.*

i Et portandus extra forum traheretur,] *Scribendum reor* deportandus, *siue* exportãdus, *non* & portãdus.

k An sapienti opera perdenda sit.] *Quidam codices*, an sapientiora opera perpendenda sit. *vt forte ita restitui possit*, an sapienti opera P. R. impendenda sit.

l Sed tu quid accidere in medio mari credis?] *Scribendum ordine verborum permutato*, sed quid tu accidere, *&c. ex vetere lectione.*

m Propositum est aliena laudare.] *In quibusdam codicibus* dare *legitur*, *non* laudare.

IN EPIST. XV.

a Quodlibet ex his elige, vsu sit facile.] *Vetus lectio*, quemlibet ex his elige vsu rudem facilem.

b Imminere libro, aut tabulis, aut pugillaribus.] *Verba illa* aut tabulis, *non habentur in eadem.*

c Vt non resoluatur, sed vt remittatur.] *Scribe*, vt non resoluatur, sed remittatur, *ex eadem.*

d Quòd si velis deinde quemadmodum ambules discere] *Scribendum cum distinctione*, Quod si velis. Deinde quemadmodum ambules discere. *Ita erit sensus apertior. & fauet etiam vetus lectio.*

e Fac in ciues conuicium,] *Plerique codices non legunt* in ciues, *sed* vicinis. *Codices emendatiores*, vitiis.

f In id valebit] In id latus molesta, *agnoscit omnis vetus lectio*, *non* in id valebit.

g Detraxit tibi non pusillum negocium mercedula & munus gratum, ad haec beneficia accedet.] *Vitiatissimus est locus. Scripta exemplaria modo* vnum Graecum *legunt: vbi scriptum est*, munus gratum: *modo* vnus Graecus. *vt forte ita legi possit:* Detraxit mihi non pusillum negocium mercedulae vnus Graecus, ad haec beneficia accedens. *vt pro vno Graeco, Epicurum accipias, a quo has sententias Lucilio debitas mutuabatur Seneca.*

h Te ipsum ipse antecessisti.] *Verbum* ipsum *superfluit, ex vetere lectione.*

i Ecce hic vltimus dies.] *Scribe*, Ecce hic vltimus dies est, *ex eadem.*

IN EPIST. XVI.

a Cotidiana meditatione] *Sunt codices qui legant*, *non* meditatione, *sed* lectione.

b Nec tamen longis.] Nec tam longis, *vetus lectio.*

c Quòd iam de te spem habeam, nondum fiduciam.] *Particula illa* iam *non habetur in quibusdam codicibus. In alijs habetur*, *sed desideratur* quòd.

d Vt aliqua oblectatione cõsumatur dies,] *Nõnulla exẽplaria*, vt cum aliqua oblectatione cõsumatur dies.

e Si aut cõsiliũ meũ Deus occupauit,] Sed aut cõsiliũ *&c. quidã codices. & si tolerabilis etiã est prior lectio.*

f Aut si repentina, aut subita dominantur.] *Vetus lectio*, aut si repentina vis & subita dominatur.

g Si bene te noui, circumspicies,] Circumspexisti *eadem*, *non* circumspicies.

h Retrahe te a vanis:] *Scribe*, Retrahe ergo te a vanis.

IN EPIST. XVII.

a Vt sufficere nihil agenti possit,] *Quaedam exemplaria* officere, *pro* sufficere *legunt. Alia*, vt sufficere in hoc agenti possit. *Alia*, vt sufficere hoc agenti possit.

b Cum aliqua conclamatum est,] *Vetus lectio*, cum aliqua vi conclamatum est. *Scribendum reor*, cum alicubi conclamatum est.

c Bene mori non vetat.] *Legendum* vetet, *non* vetat. *alias claudicabit sensus. & sic praefert vetus lectio.*

d Aut ex mercede compendium,] *Quidam codices*, aut ex merce compendium.

e Illud quoque paupertatem nobis grauem fecerat] *Verbum* quoque *tollendum ex vetere lectione.*

IN EPIST. XVIII.

a Quo maxime ciuitas desudat.] *Eadem*, quum maxime ciuitas desudat.

b Grabbatus ille ferus sit,] *Scribe*, Grabbatus ille verus sit, *ex eadem.*

c Incipe cum paupere habere commercium.] *Scribe* paupertate, *non* paupere, *ex eadem.*

IN EPIST. XIX.

a Vtinam tibi quidem senescere contigisset] *Verbum* quidem *non habetur in quibusdam codicibus, nec male.*

b Nunquam erit tempus.] *Scribe*, nunquam erit tempus desinendi, *ex vetere lectione.*

c Minora erũt omnia, & affatim implebũt.] *Scribe*, sed affatim implebũt, *nõ* & affatim implebũt, *ex eadem.*

d Et auida felicitas est alienae auiditati exposita.] *Iteranda coniunctio* &, *legendumque*, & auida felicitas est, & alienae auiditati exposita, *ex eadem.*

c Quantũ ad successum accesserit, accedet & metus.] *Scribe* accedet ad metus, *nõ* accedet & metus, *ex ead.*

IN EPIST. XX.

a Cum illum inquit vidi nudum.] *Verbum* inquit, *desideratur in vetere lectione.*

b Nec scio ego Epicuri angel⁹, si pauper *&c.*] *Emẽda*, nec scio, inquit Epicurus, si iste pauper, *&c. ex ead.*

c Inest illis sine qua nihil est, *&c.*] *Deest coniunctio* enim. *vt sit*, Inest enim illis, *&c. ex eadem.*

IN EPIST. XXI.

a Suis literis incidisset?] *Eadem partim legit* indidisset, *partim* indicasset, *non* incidisset.

b Non irritant, inquit, hi hortuli famem,] *Verbum* inquit *desideratur in quibusdam exemplaribus.*

IN EPIST. XXII.

a Et quidem prudentiores quàm ipse sum, ad quos soleo deferre si quid delibero.] *Quidam codices* sunt *legunt*, *non* sum. *Alij diuerso in totum modo, hoc pacto:* Equidem ad prudentiores quàm ipse sum, soleo deferre, si quid delibero.

b Id est si verum affectum eorum inspicias,] *Exemplaria nonnulla*, & si verum affectum, *&c.*

c Vitae desiderio laboramus.] Cum in fine vitae desiderio laboramus, *antiqua lectio. Corrigendum existimo*, quorum in fine vitae desiderio laboramus.

IN EPIST. XXIII.

a Eorum more qui fluminibus innatant,] *Quidam codices*, eorum more quae fluminibus innatant.

b Ex quibus alios leuior vnda detinuit.] Alia, *non* alios, *ijdem. & mox infra vbique ita est corrigendum.*

c Torrens impetus deiecit in mare.] Proiecit *in aliquibus legitur codicibus*, *non* deiecit. *Fidelior mihi videtur lectio*, deuexit.

IN EPIST. XXIIII.

a Nunquid vltra quicquam corpori timendum est,] *Non* corpori, *sed* illi, *quidam praeferunt codices. Alij fidelius*, vlli.

b Vt beneficio eius nihil anteferendum] *Desunt tres dictiones ex omni vetere lectione. legendumque ita*, vt beneficio eius nihil anteferendum timendumve sit.

c Quod facere te moneo, sed scio certe fecisse.] *Particula* sed *eradenda*, *ex eadem.*

d Mors nos aut consumit, aut exuit.] *Exemplaria quaedam non* exuit *habent*, *sed* emittit: *cui lectioni fauet verbum statim sequens*, emissis.

e Vel ad mortis, vel ad vitae patientiam. At in vtrumque emonendi ac firmandi sumus,] *Vetus lectio*, vel ad mortem, vel ad vitae patientiam, aut in vtrumque. emonendi enim ac firmandi sumus.

f Sed non temere, nec cum procursu capiendus est impetus.] *Particula* nec *desideratur in quibusdam codicibus: & quidem, vt sentio, recte.*

IN EPIST. XXV.

a Omnia nobis mala solitudo persuadet.] Vitia *legunt nonnulla exemplaria*, *non* mala.

IN EPIST. XXVI.

a Prositne habituro aliquid, si quicquid nolim, quicquid non possim, non posse me gaudeo.] *Locus vitiatissimus, verbis partim redundantibus, partim deficientibus: nec in vllo alio maior exemplarium dissonantia. discussis igitur, & diligenti censura perpensis scriptorum codicum verbis, hanc lectionem elicio:* Prosintne habituro quae velim. Acqui si nolim, quicquid non posse me scio, gaudeo.

b Quàm in finem suum natura soluente dilabi?] *Vetus lectio* delabi, *non* dilabi.

c Totam vitam tracta.] *Legendum censeo*, tota vita tractata. *Nam & exemplar Facundi & Primitiui* tractata *praefert*, *non* tracta.

d Finire iam volebam:] *Fidelior vetus lectio*, Desinere iam volebam.

e Putas me non dicere vnde sumpturus sum mutuum.] Puta *scribendum*, *non* putas, *ex vetere lectione.*

f Expecta me pusillum,] *Dictio* me *desideratur in nonnullis exemplaribus.*

IN EPIST. XXVII.

a Hoc denique tibi circa diẽ mortis praesta:] *Aliquot codices*, Hoc deniq. tu tibi ante diẽ mortis praesta.

b Dimitte istas voluptates turbidas magno leuandas.] *Scribendum puto* luendas *non* leuandas.

c In quod ipse necesse est vigiles, ipse laborem tuum impendas,] *Castigatius vetusta lectio*, vigiliam *habet*, *non* vigiles.

d Tam properantes, quàm ille Troianos & Achiuos persalutabat.] *Sic prior editio. Corrigo ex exemplari Facundi & Primitiui*, tam perperam tribus quàm ille Troianos, *reliqua.*

e In medio versu excidebat.] Verbo, *non* versu, *eadem agnoscit.*

f Vt Grámaticos haberet analectos.] *Eadẽ* analectas *habet*, *nõ* analectos. *quã lectionẽ etiã Rhodigin⁹ agnoscit.*

IN EPIST. XXVIII.

a Magis quis veneris, quàm quò interest.] Veneris *eadem*, *non* venerit.

b Inquire in te:] *Eadem*, inquire te in te.

IN EPIST. XXIX.

a Et in ipsa desperatione extrema remedia tentet.] *Malim legere*, sed in ipsa desperatione, *&c.*

IN EPIST. XXX.

a Neque cum audirem his dicentibus,] *Vetus lectio*, neque cum audirem ab his dicentibus.

IN EPIST. XXXI.

a Minusque sibi vinci ac stringere permiserint,] *Sic prior editio. Quaedam exemplaria*, minusque sibi vitia (consurgere permiserint.

b Ille prudens atque artifex] *Nonnulli codices* Prudens artifex *tantum legunt.*

c Laborem si non recuses, parum est posse.] *Corrige*, laborem si non recuses, parum est. Posce. *ex vet. lect.*

d Deum in humano corpore hospitem?] *Scribe*, Deum in humano corpore hospitantem, *ex eadem.*

IN EPIST. XXXII.

a Noo coouersari cum dissimilibus,] *Praepositio* cum *in omni antiqua lectione desideratur.*

b Diducimus illam in particulas ac lancinamus.] *Eadem* laniamus *agnoscit, non* lancinamus.

c Nemo sibi contigit.] Contingit *eadem, non* cootigit.

IN EPIST. XXXIIII.

a Itaque pars magoa booitatis est velle fieri bonum] *Verbum* itaque *redundat ex eadem.*

b Cuius acta discordant.] *Aliquot codices*, cuius dictis acta discordant.

IN EPIST. XXXV.

a Si tamen re quoqoe ipsa laetus esse volo] *Vetus lectio*, Sed tamen re quoque, *&c.*

IN EPIST. XXXVI.

a Denique nihil illi iam liberum est. Spopoodit.] *Vetus lectio*, Denique nihil illi iam liberum esse spopondit.

b Nec necesse esset in id comparari] *Scribe*, Nec enim opus esset, *&c. ex eadem.*

IN EPIST. XXXVII.

a Sacramento ligatus es. Deridebit, si quis tibi dixerit.] *Eadem non* ligatus *agnoscit, sed* rogatus : *vt sit* rogatus, *pro* interrogatus. *Codex tamen Franciscanus* decipit *legit, non* deridebit. *quod non displicet: quia paulo post sequitur*, oolo te decipi.

IN EPIST. XXXVIII.

a Et effusae audiente populo.] *Vellem legeres* audienti, *non* aodiente.

b Idem facit ratio :] Oratio *scribe, non* ratio, *ex vetere lectione.*

IN EPIST. XL.

a Quae noo effudit vna, sed premit & vrget.] *Eadem*, quae non effundit, imo premit & vrget. *Exemplar Pincianum notatum habet in margine, legendum esse*, qnae non effundit vna vox, sed premit & vrget, *quam lectionem probo, quia subijcit statim:* Plura enim veninnt, quàm quibus vox vna sufficiat.

b A quo Romana eloquentia exiluit.] *Quidam codices* exiuit, *non* exiluit.

IN EPIST. XLII.

a Sed etiam de iactura.] *Vetusta lectio*, sed etiam vbi de iactura.

b Perdidisti postquam satiatus es.] Perdis, *non* perdidisti, *eadem habet recte. nam iteratur confestim idem verbum* Perdis.

IN EPIST. XLIII.

a Gobernaculum qood naui alteri magnum, alteri exiguum est] *Scribendum ex eadem*, Gubernaculum quod alteri naui magnum est, alteri exiguum est.

b Eo tibi diligentius viuendum est.] *Codex Franciscanus addit complusculα verba, hoc pacto:* Quanto diligentius vita tua, pro honoris fastigio quaeritur, tanto tibi diligentius vinendum est.

IN EPIST. XLIIII.

a Si ad vetera te reuocas,] *Verbum* te *superuacaneum est: ex vetere lectione.*

IN EPIST. XLV.

a Vellem, inquis, magis coosilium mihi quàm libros dares.] *Locus manifeste praepostere scriptus. Lego*, Vellem, inquis, magis libros mihi quàm coosiliom dares.

IN EPIST. XLVII.

a Ex his qui ad te veniunt.] *Scribendum* a te, *non* ad te, *ex vetere lectione.*

b Eruditam manum frustra excutit.] *Quidam codices*, eruditam manum in frustra excitat.

c Tu tam illum ingenuum videre potes, qoàm ille te seruum.] *Lege commutatis dictionibus:* Tam tu illum videre ingenoum potes, quàm ille te seruum: *ex vetustis exemplaribus.*

d Itaque, inqnit, prorsus colant] *Scribe*, Ita, inquam, prorsns colant, *ex eisdem.*

e Verberibus multa admonentur.] *Vetus lectio*, verberibns multa amoueotur. *Puto corrigendum*, verberum mulcta amouetur. *Quid si legas?* Verberibus multa admonentur, *seu* amouentur.

f Sic exardescuot, sic saeuiunt,] Sic excandescunt, sic saeuiunt, *eadem.*

g Diutius te me morari oolo.] *Verbum* me *redundat ex eadem.*

h Et permanent.] *Coniunctio* & *non habetur in eadem.*

IN EPIST. XLVIII.

a In dioersum. Ecce sapientia & stultitia discedunt.] *Error in ordine. Lege per maiorem*, In diuersum ecce sapientia & stultitia discedunt, *ex eadem.*

b Quòd in re tam seria senes ludimus.] *Superfluit verbum* quod : *ex eadem. Illud notandum, in plerisque antiquorum exemplarium connecti hanc epistolam cum sequente, & vnam esse, non duas.*

c Fidem praesta quantum potes. Erga mi Lucili rednc te ab istis exceptionibus] *Erratum est in ordine & distinctione verborum. Corrige*, fidem praesta. Quantum potes ergo, mi Lncili, *&c.*

IN EPIST. XLIX.

a Ant seruuli familiaris amissio.] Admissio *crediderim legendum potius quàm* amissio.

b Nobis satis resistentem.] *Quaedam exemplaria*, ooo satis resistentem.

c AEtatis nostrae portio est.] *Scribe*, AEtatis oostrae bona portio est, *ex vetere lectione.*

d Aduersus haec me doce: aliquid affer, ne mortem fugiam.] *Corrige*, aduersus haec me doce aliquid. Effice, ne mortem fugiam, *ex eadem.*

IN EPIST. LI.

a AEtnam & illum oobilissimũ Siciliae montem :] *Coniunctio* & *superuacanea est in plerisque exemplaribus.*

b Et aspicere tot genera cymbarũ] *Verbũ* aspicere *desideratur in vet. lectione: alioquin* aspiceret *legendũ erat.*

c Quàm ibi vnam ooctem anxius ipse duxisset.] *Scribendum*, qood in vna oocte manu sua ipse duxisset, *ex eadem. & paulo post* extirpa, *non* exturba, *legendum.*

IN EPIST. LII.

a Sed quomodo nos aut quando nos ab illa reuellemus?] *Posterius pronomen* nos *redundat ex eadem. & bona pars exemplarium* reuellemur *legit*, *non* reuellemus.

b Quosdam ait Epicurus ad veritatem sine vllius adiutorio exisse, fecisse sibi ipsos viam.] *Exemplar Facundi & Primitiui*: Quosdam Epicurus ait ad veritatẽ contendere sine vllius adiutorio. Ex se fecisse sibi ipsis viam. *Quid si legas?* ex his se fecisse sibi ipsi viam. *Nam Epicurus gloriabatur, authore etiam Cicerone, nullo visum fuisse praeceptore. Tanto magis, quòd secundae notae exemplum attulit Metrodorum, tertiae Hermachum: vt verisimile sit, primae notae exemplum non fuisse praetermissurum.*

c Alterum puram aream accepit,] *Scribendum arbitror*, Alterum dura area accepit.

IN EPIST. LIII.

a Et huiusmodi exhortationibus tacitis] *Deest verbum* scilicet, *vt sit*, & huiusmodi exhortationibus tacitis scilicet, *ex vetere lectione.*

b Nihil cogito de die tuto.] *Scribendum* toto, *non* tuto, *ex eadem.*

IN EPIST. LV.

a Debilitatem nobis induxere deliciae.] Indixere, *non* induxere, *eadem.*

b Amicitiae Asinij Galli,] *Scribe* amicitia, *non* amicitiae, *ex eadem.*

c Et altera vsque in Occidentem tenet.] *Coniunctio* & *superuacanea est: ex eadem. &* tenetur, *non* tenet, *legunt pleraque exemplaria. Quid si legas?* torretur, *non* tenetur.

d Prata bona medius riuus diuidit,] *Prior editio*: Prata noua medius riuus diuidit. *Exemplar Facundi & Primitiui*: Plataoos medius riuus diuidit. *Exemplar Francifcanum*: Plata ooua medius riuus diuidit. *Lego*: Platanoua medius riuus diuidit.

e Manus ad parata porrigitur.] *Quidam codices* priuata, *non* parata.

f Vt Baias neget.] Baiis, *non* Baias, *scribendum, ex vetere lectione.*

g Animus est qui sibi commendat omnia.] *Verbum* sibi *desideratur in emendatioribus exemplaribus.*

IN EPIST. LVI.

a Cum in aliquem inertem, & hac plebeia functione contentum incidi,] *Scribendum existimo* alipten, *non* aliquem: *&* vnctione *codex meus familiaris habet*, *non* functione. *De alipte Iuuenalis: cuius verba mire cum verbis Senecae congruunt.*

b Si vero pellicrepus superuenerit,] Pilicerpus, *non* pellicrepus, *legunt duo antiqua & correctissima exemplaria, vt sit qui pilos euellit.*

c Et ferrarium vicinum] Ferrarium *eadem*, *non* ferrarium.

d Tabulas experitur & tibias,] *Legendum forte non* tabulas, *sed* tubas.

e Animum noo cogo sibi intentum esse,] *Scribe*, Animum enim cogo sibi intentum esse, *ex vetere lectione.*

f Et ideo ad rerum actus exercitandi,] *Legendum ex eadem* excitandi, *non* exercitandi.

g Ad vocem ex accidenti erigitur.] *Eadem*, ad vocem & accidentia erigitur.

h Arietata in arma agminis densi] Inter, *non* in, *eadem.*

i Et carere conuitio?] *Quidam codices* conuictu, *non* coouitio.

k Et experiri & exercere me volens.] *Prior coniunctio* & *redundat. &* volui *lego*, *non* volens. *Vtrumque ex vetere lectione.*

IN EPIST. LVII.

a Et tamen luti tota via fuit.] *Eadem*, Sed tantum luti tota via fuit.

b Non vt nos per tenebras videamus,] *Pronomen* oos *non habetur in eadem.*

c Itaque & vultum adducet ad tristitiam.] *Castiorem lectionem putamus* abducet *quàm* adducet.

d Vigiliarium ruat, an mons,] *Vetus lectio*, vigilarium, *non* vigiliarium.

e Adeo non effectus, sed efficientiam timor spectat.] *Sunt exemplaria quae non* efficientiam, *sed* efficaciam *praeferunt. Opinor scriptum fuisse*, adeo non effectum, sed effectus causam timor spectat: *Deinde librariorum inscitia duas dictiones in vnam coaluisse, scilicet* effectus causam, *in* efficaciam *siue* efficientiam.

f Permanere noo posse,[*Corrigendum reor*, permeare non posse. *Sequitur enim*, quia non fuerit illi exitus liber.

IN EPIST. LVIII.

a Ciceronem autorem buius verbi habeo,] *Castigandum existimo*, Ciceronem autorem usiae verbi habeo, *quod sequentia monstrant.*

b Natura continens fundamentum omnium?] Naturam, *non* natura, *pleraque legunt exemplaria.*

c Sed id si necesse est, ponam quod esset.] *Ex vetere lectione lege*, sed ita necesse est, ponam quod est.

d Esse aliquid genus & speciem.] *Sic prior editio. Eadem*, Esse aliud geous, esse & speciem.

e Canis est species.] *Verbum* est *non habetur in eadem.*

f Quaedam anima carent,] *Eadem*, sed sunt quaedam quae anima carent.

g Primum genus Stoicis quibusdam videtur: sed quare videatur, subiiciam.] *Exemplar correctissimum Facundi & Primitiui, loco illius particulae* sed, *habet* quod: *vt sit legendum*, Primum genus Stoicis quibusdam videtur quod. Quare videatur, subiiciam. *hoc sensu: Visum esse Stoicis, primum genus non esse, quod est: quia natura complectatur, etiam quae non sunt: sed tantum, quod.*

h Quae suot, interrogas? Proprie Plato Ideas vocat.] *Vetus lectio*: Quae sunt, interrogas? Propria Platonis supellex est. Plato Ideas vocat.

i Ex quibus omnia quae sunt, fiunt,] *Secus eadem*: ex quibus omnia quaecunque videmus, fiunt.

k Eorum quae naturaliter fiunt] *Eadem*, eorum quae oatura sunt.

l Exemplar picturae tuae babeo,] *Scribe* te, *non* tuae, *ex eadem.*

m In idem flumen bis descendimus, & noo descendimus.] *Bona pars exemplarium breuius*: In idem flumen

bis

bis deſcendimus. *vt putem legendum, addita negatione*: In idem flumen bis non deſcendimus. *Sententia Ariſtoteli & alijs memorata.*

o Tanquam ſemper futura, ac ſemper habituri.] *Vetus lectio*, tanquam aut ſemper futura, aut ſemper habituri.

o Hac ratiooe vitium corporis vincat] *Scribe* ac, *non* hac, *ex eadem.*

p Poteſt tamen aliquatenus noſtra quoque prouidentia prorogare buic corpuſculo moram,] *Scribendum reor*, poſſe tandem aliquatenus noſtra quoque prouidentia longiorem prorogari huic corpuſculo moram.

q Vtrum fex vitae baec ſit] *Scribe*, Vtrum ea fex ſit. *reliqua tollenda ex vetere lectione.*

IN EPIST. LIX.

a Opiniooe falſi boni immoderatam & immodicam.] *Legendum*, opinione falſi boni motam immoderatam & immodicam, *ex eadem.*

b Iouenio tamen tralationes verborum, vt oon temerarias, ita oon indecoras. Itaque periculum ſui feceriot.] *Breuius plerique codices*: Iouenio tamen tralationes verborum, vt non temerarias, ita quae non periculum ſui fecerint. *Alij ſic*: Inuenio tralationes verborum, vt non temerarias, ita quae periculum ſui fecerint. *Et paulo poſt*, mouet *ſcribe*, *non* mouit.

c Namque vt ſupremam falſa inter gaudia oočtem egerimus. Noſti eos totam luxuriari noctem inter falſa gaudia. Et quidem tanquam ſupremam agunt.] *Lego*, Namque vt ſupremam falſa inter gandia noctem egerimus oosti. Omnem luxurioſi oočtem inter falſa gaudia, & quidem tanquam ſupremam agunt. *ex vetere lectione.*

IN EPIST. LXI.

a Quia quandiu futurum boc ſit, non minus pendo.] *Quidam pro verbis illis*, noo minus pendo, nemini pando *legunt. Quid ſi ſcribas?* non animi pendeo, *vel certe*, minimi pendo.

IN EPIST. LXIII.

a Deſioe beneficium naturae male interptetari.] *Omnis antiqua lectio* fortunae *agnoſcit*, *non* naturae. *quae ſcriptura videtur confirmari verbis ſequentibus*: Maiorem ipſi nobis iniuriam fecimus, quàm a fortuna accepimus.

b Quia ab hominibus dictum eſt.] Omnibus *lege*, *non* bominibus, *ex eadem.*

IN EPIST. LXIIII.

a Sed haec tamen morbis & temporibus aptanda ſunt.] Modis *legendum*, *non* morbis, *ex eadem. Indicant id etiam verba authoris paulo poſt*: Tetas iſta oportet, & eligas tempus, adhibeas ſingulis modum.

IN EPIST. LXV.

a Eſſe debet ergo vnde aliquid fiat. Denique a quo fiat.] *Scribe*, Eſſe ergo debet vnde aliquid fiat. Deinde a quo fiat. *ex eadem.*

b Nulla ſine motu ars, oulla mutatio eſt.] *In quibuſdam codicibus* imitatio *habetur*, *non* mutatio.

c Ne boc quidem tempus, vt exiſtimas, perdo] *Lege*, Nec ego hoc quidem tempus, *&c. ex vetere lectione.*

d Quemadmodum artifices ex alicuius rei ſubtilioris intentione, quae oculos defatigat,] *Scribendum*, Quemadmodum artifices cum alicuius rei ſubtilioris intentiooe oculos defatigant, *ex eadem. Quidam tamen codices non* intentioue, *ſed* inſpectiooe *praeferunt. Cui lectioni ſuffragantur verba, quae non multo poſt habentur*: Interdices mihi inſpectiouem rerum naturae. *& paulo ante calcem*: Et illa, de qua modo loquebamur, inſpectio.

e Et velut ſacramento ligatus.] Rogatus, *non* ligatus, *eadem.*

f Ao ſaepe naſcendum quo hinc iturus ſim.] *Legendum reor*, an ſaepe. Neſciam quo hinc iturus ſim?

g Et nunc cum haeremus,] *Vetus lectio*, & nunc tamen dum haeremus.

IN EPIST. LXVI.

a Gratiot eſt pulchro veniens e corpore virtus.] *Eadem*, Gratiot & pulchro veniens in corpore virtus. *Bona tamen exemplarium pars ita habet, vt impreſſa lectio.*

b In ſimilitudinem ſui adducit & cingit:] *Rectior lectio*, in ſimilitudinem ſui abducit & fingit.

c Minuuotur, cadunt,] *Mallem legeres*, eminent, cadunt. *Nam & quae ſequuntur, continuo per oppoſitum dicta ſunt*, deteruntur, creſcuot, exhauriuntur, impleotur.

d Io exitium ipſas ſui verti:] Suum, *non* ſui, *omnis antiqua lectio.*

e Libertas, conſtantia, aequanimitas,] Liberalitas, *non* libertas, *eadem.*

f Inter gaudium & dolorem inflexibilemque patientiam?] *Exemplar Franciſcanum*, inter gaudium & dolorum ioflexibilem patientiam.

g Plurimum quantum ad illa,] *Vetus omnis lectio*, plurimum inter illa.

h Naturalis animi remiſſio] *Scribe*, naturalis eſt animi remiſſio.

i Alterius io gaudio poſiti, alterius inter tormenta fortiſſime ſtantis:] *Exemplar peruetus & correctum*, vnius in coouiuio iacentis, alterius inter tormenta fortiſſime ſtantis.

k Ergo tuam quoque virtutem non magis laudabis,] *Scribe*, Ergo tua quoqne virtus non magis laudabilis, *ex vetere lectione.*

l Quàm breuem ant modicum.] *Lege*, quàm breuem & modicum, *ex eadem.*

m Falſa multum babent vani.] *Scribendum*, Illa falſa multum habent vani, *ex eadem.*

n Quàm multo reparata ſanguine.] *Caſtigandum cenſeo*, quàm multorum parta ſanguine.

o Vi quadam & patientia educta.] *Exemplar Franciſcanum*, vi quadam patientiae inducta.

p Maiora eſſe aliis poſſunt,] *Idem exemplar* poſſent *agnoſcit*, *non* poſſnut.

q Et vt calamitatem fortiter ferat.] *Particula* vt *redundat ex vetere lectione.*

r Vt male laxandos articulos exoletis meis porrigam,] *Nonnulla exemplaria* laxandos *tantum habent*: *non*

male laxandos. *Alia rectius*, malaxandos, *hoc est, molliendos: a verbo Graeco tractum. Hoc melius quàm* malactizandos.

IN EPIST. LXVII.

a Nondum me committo frigido veri:] *Exemplar Franciscanum* aeri *legit*, *non* veri.

b Adhuc vigoe est eius in frigoee.] *Corrigendum puto*, adhuc rigore eius infriogoe.

c Itaque maior pars in vestimentis degitur.] *Scribendum reor*, *non* vestimentis, *sed* stramentis: *hoc est, in cubili. Sequitur enim*, quod me lectolo afflixit.

d Quasi colloquor tecum:] Colloquar, *non* colloquor, *vetus lectio*.

e Omniom nostrorum fortem tolerantiam.] *Scribe* tormentorum, *non* nostrorum: *tum ex vetere lectione, tum quòd subijcit*, tormentorum fortis patientia.

f An felicitet, quod agis?] Quidem, *non* quod, *eadem*.

IN EPIST. LXVIII.

a Si non praecepto ad exemplum] *Exemplar meum*, si non praecepto, at exemplo.

b Depono hoc apud te:] Depone *quidam codices*, *non* depono.

c Atqoe etiam aliud proposito tuo nomen impone: valitudinem & imbecillitatem vocato desidiam.] *Vetus lectio*, Atqui aliud proposito tuo nomen impone. Valitudinem & imbecillitatem vocato & desidiam.

d Plus habeo gratiae.] Habet, *non* habeo, *in eadem inuenies. Illud notandum, putare me ordinem verborum hoc loco perturbatum haberi, legendaque esse omnia ad hunc modum*: Ille clientum turba, cuius turbae par esse non possum, plus habet gratiae. Est tanti ab hominibus vinci, dum a me fortuna vincatur.

e Tanti est ab hominibus vinci.] *Inuerte dictiones*: Est tanti ab hominibus vinci: *ex vetere lectione. etsi nonnulli codices praeferant* omnibus, *non* hominibus.

f Iam disputauit.] *Quid si legas*. Iam dispumauit: *quia subdit*, primo feruore adulescentiae: *est enim metaphora, sumpta a musto*.

g Hoc est breuius huius boni tempus.] *Verbum* breuis *non habetur in vetustis codicibus*.

IN EPIST. LXIX.

a Nedum si tam breue rempus per interualla discindimus.] *Exemplar antiquum*, nedum si tam breue temporis interuallum discindimus.

IN EPIST. LXX.

a Et quemadmodum Virgilius noster ait, in mari terraeque vrbesque recedunt.] *Erratum in ordine verborum. Lege*: Et quemadmodum in mari, vt ait Virgilius noster, terraeque vrbesque recedunt: *ex vetere lectione*.

b Stultitia est, timore mortis mori.] *Eadem addit complusculа verba hoc pacto*: Si ibi commodaret, stultitia esset. Stultitia est, timore mortis mori.

c Quam illo seculo quisquam sperare poterat. at ipse quum aeger a senatu, *&c.*] *Lego ex eadem*, quam illo seculo quisquam sperare poterat, aut ipse vllo. Quum aeger a senatu, *&c.*

d Non sane frequentibus obsequiis,] *Exemplar Facundi & Primitiui*, exeqoiis *legit*, *non* obsequiis.

e Vtrum consciscerct mortem,] *Vetus lectio*, vtrum consciscerct sibi mortem.

f Alia enim exercent fortasse in superuacuum.] Execcentur *legendum*, *non* exercent, *ex eadem*.

g Nunquam a nobis exiget huius virtutis experimentum] *Scribo contra omnia exemplaria* exegit, *non* exiget, *quia praecedit*, permansere diuitiae, *& sequitur*, superstites fortuna seruauit.

h Huius vnius rei vsum qui excitet dies veniet.] *Exemplar Franciscanum* exigat *habet*, *non* excitet, *rectissime. dixerat enim paulo ante*, nunquam a nobis exegit huius virtutis experimentum.

i Cumque commodo mori non licuisset,] *Non* commodo, *sed* quo modo, *omnia scripta exemplaria praeferunt: vt putem omissum fuisse librariorum incuria verbum aliquod, necessarium ad complementum sententiae*.

k Et in praeclusis faucibus spiritum elisit.] *Praepositio* in *superuacanea est, ex eisdem*.

IN EPIST. LXXI.

a Ergo consilium sub die nasci debet?] *Venustior lectio antiqui exemplaris* sub diem, *quàm* sob die.

b Summum est, quod honestum est.] *Scribe*, Summum bonum est, quod honestum est, *ex omni antiqua lectione*.

c Qui animum minuta docendo dimittunt,] *Legendum* demittunt, *non* dimittunt, *ex eadem*.

d Et hanc summam dixit esse sapientiam,] *Coniunctio* & *superuacanea est, vt reor. & verbum sequens* inquit, *mutandum in* inquam. *Eusque idem admissus est error, nisi nos potius erramus*.

e Eodem natura demittit.] *Omnis vetus lectio* dimittit.

f Rigidari quidem amplius, intendi non potest.] *Exemplaria pleraque, cum impressa lectione*, rigidari *praeferunt. Alia*, rigida est. *vt considerandum lectores habeant, an ita legi commode possit*: Rigida esse amplius, non intendi potest.

g Nec quae illa quidem fiunt.] *Vetus lectio*, nec quae ab illa quidem fiunt.

h Qui supra fortunam extat.] *Scribe*, quàm qui supra fortunam extat, *ex eadem*.

i Vbi ergo est origo calamitatis, vbi illud malum verum est?] *Scribendum*, Vbi ergo est calamitas? Vbi illud vestrum malum est? *ex codice antiquo*.

k Si ista animum detrahunt,] Distrahunt, *non* detrahunt, *in eodem habetur codice*.

l Omnia quae virtute contracta sunt,] *Quaedam exemplaria* contenta sunt *praeferunt*, *non* contracta sunt.

IN EPIST. LXXII.

a Liquebat mihi si tem edicerem per se, sed diu non retentauit memoriam meam.] *Exemplar Franciscanum*, liquebat mihi, sic rem edidiceram, sed diu non retentaui memoriam meam.

b Quaedam enim sunt, quae posses & incise scribere.] *Codex Facundi & Primitiui non* incise *legit, sed* in circo. *Alij*, in cisio. *quam lectionem probo. est enim cisium, genus vehiculi gestatorij, autore* Nonio Marcello. *Nec* posses *legendum, sed* possis.

c Sapientis vero contexitur gaudium, nulla rumpitur fortuna :] *Vetus lectio*, Sapientibus vero contexitur gaudium. Nulla rumpitur causa, nulla fortuna.

d Aliquo, inquam, incommodo afflatur.] *Melior lectio* aliqnando, *quàm* aliquo.

e Haec est etiam quae aeterna commendet,] *Veteres codices*, Haec etiam est quae externa commendet.

f Ad rapinam alterius erecti & attoniti.] *In quibusdam exemplaribus* attenti *habetur*, *non* attoniti.

g Qnam non quidem attigerunt,] Contigerunt *vetus unus lectio*, *non* attigerunt.

h Cum medios quoque sequatur fructus suus.] *Prior editio* fluctns, *non* fructus. *quod non displicet : quia praecessit*, iam in portu sunt. *Scripti quoque codices eam lectionem agnoscunt.*

IN EPIST. LXXIII.

a Animosius a mercatore quàm a vectore] *Adde coniunctionem* &, *vt sit*, & animosius, *&c. ex eisdem.*

IN EPIST. LXXIIII.

a Illa vero maxima est ex omni mortalium populorum turba miserorum,] *Emenda*, Illa vero maxima ex omni mortalium populo turba miserorum, *ex eisdem.*

b Circa praemium rixa est.] Primum, *non* praemium, *eadem.*

c Aliquos spes vana delusit :] *Lege*, inuadendiqne aliquos spes vana delusit, *ex eisdem.*

d Aut inde fallimur.] *Omnia quae legerim exemplaria, ita habent, praeter vnum Franciscanum, in quo legitur:* aut decipimur, aut fallimur.

e Quicunqne beatum esse se constituet,] *Vetus lectio*, Quicunque beatus esse constituet.

f Et, vt lingua nostra loquar, producta :] *Coniunctio* & *non habetur in eadem.*

g Nisi temperatur, premit :] *Corrige*, nisi temperat, premit, *ex eadem.*

h Ad conuersationem vniuersi pertinere,] *Scribe* consetuationem, *non* conuersationem, *ex eadem.*

i Quòd negaris vllum esse aliud honesto bonum.] *Legendum*, quòd negatis vllum esse aliud ab honesto bonum. *Alia exemplaria*, quòd negatis vllum esse aliud bonum quàm honestum.

k Quare si amicum bonum amisi,] *Si sustinetur particula* Quare, *per interrogationem legatur sententia necessum erit, vt sit responsio*, Si amicum bonum amisi. *Sed in antiquissimo & correctissimo exemplari diui Francisci, quod subinde aduoco, non habetur* Quare.

l Quod si quaeris.] *Scribendum per interrogatinnem*, Quid sit quaeris ? *ex vetere lectione.*

m Quid illos quoque bonos fecerat virtus.] *Lego*, quod illos bonos fecerat virtus, *ex eadem.*

n Non facit collectio amici sapientiorem,] Amicorum *lege*, *non* amici, *ex eadem.*

o Siue circa senectutem finitus est,] Citra *legendum*, *non* circa, *ex codicibus Pinciano & Facundi ac Primitlui.*

p Et nullo actu pigritia.] *Corrige*, & in vllo actu pigritia, *ex vetere lectione.*

IN EPIST. LXXV.

a Multum tamen operis impendi verbis noo oportet.] *Legendum* operae, *non* operis, *ex eadem.*

b Quid aures meas scalpis ? quid oblectas ? Aliud agitur. Vrendus, secandus, abstinendus sum.] Scabis, *non* scalpis : & abscindendus, *non* abstinendus, *in quibusdam habetur exemplaribus.*

c Postquam haec animum implicuerunt, & perpetua cius mala esse coeperunt.] *Nonnulli codices*: Haec cum semel coeperunt animum, implicuerunt, & perpetua eius mala esse coeperunt.

d Assidua & vetus ptysin.] *Legendum reor* phthisin, *non* ptysin. & *mox paulo* profecere, *non* praefecere.

e Iam non solicitatur libidine, sed tolerat etiam nunc ambitionem.] *Sic prior editio. Corrigendum*, Iam oon sollicitatur libidine, etiam nunc ambitionem sentit : *ex vetere lectione. etsi quidam codices legant*, Iam non sollicitatur libidine, at etiam nunc ambitione.

f Optima & noxa carentia expectant nos, si ex hac aliquando fece in illud euadimus sublime & excelsum. Tranquillitas animi est expulsis erroribus absoluta libertas.] *Scribe*, Optima noxa carent. Expectat nos, si ex hac fece in illud euadimus sublime & excelsum, tranquillitas animi, & expulsis erroribus absoluta libertas, *ex collatione & diligenti excussione veterum codicum.*

IN EPIST. LXXVI.

a Et quidem quintum iam diem habeo, ex quo in scholam eo,] *In nonnullis exemplaribus* equidem *habetur*, *non* & quidem. *sed omnino suspecta mihi tota haec lectio : mallemque legeres sic*, & quidem quintus iam dies abiit, ex quo in scholam eo. *etsi nullus antiquus codex faueat.*

b Si hoc vnum senectutem meam decet.] *Scribendum reor* dedecet, *non* decet.

c Metronactis petenti domum.] Petentibus, *non* petenti, *vetus lectio.*

d Illud quidem factum est, & hoc ingenti studio, quis sit Pithaules, bonus indicatur.] *Castiga*: Illud quidem ingenti studio, qnis sit Pithanles bonus, indicatur. *reliqua supernacanea sunt. ex eadem.*

e Honor afferetur,] *Castigatum exemplar* offeretur *habet*, *non* afferetur.

f Vnum est bonum quod honestum.] *Lege*, vnnm enim est bonum quod honestum, *ex vetere lectione.*

g Et vt in artum quae dicta sunt contraham :] *Particula* vt *redundat*, *ex eadem.*

h Et sapor vinum,] *Coniunctio* & *delenda ex eadem.*

i Quare fortia dorso iumenta sint, quaeris ?] Qnàm *legendum*, *non* qnare, *ex eadem.*

k Nec cui argenteum rostrum est,] *Scribe*, nec cui argenteum, aut aureum rostrum est : *ex eadem.*

l Velox, & non sentiens ventum.] *Expende an sit aptior lectio*, velox, & consenniens vento.

m Etiam si statim facturus hoc eris,] *Lege*, etiam si non statim facturus hoc eris, *ex vetere lectione.*

n Iuterdum ex re pulcherrima] *Scribendum puto per maiorem*, Interim ex re pulcherrima.

o Sed ille quòque,] *Lege per maiorem*, Sed & ille quoque, *ex vetere lectione.*

p Et parum grate existimario ciuium respondebit tibi. Ista omnia extra opus meum sunt.] *Corrige*, & parum grata existimatio. Respondebit tibi. Ista omuia extra opus meum sunt. *ex eadem.*

q Cum basi illum sua metire. paruus pumilio licet in monte constiterit.] *Corrigendum ex eadem*, cum basi illum sua metiris. Non est magnus pumilio, licet in monte constiterit.

r Sciebam haec mihi restare.] In quibusdam codicibus notatum inueni in margine legendum esse, Nesciebam, non Sciebam. Sed potest tolerari Sciebam, si legatur per interrogationem ducentem ad negationem.

IN EPIST. LXXVII.

a Nuu enim certus uumerus quem debeas explere; finitur.] Emendandum reor, Num enim certus uumerus, &c. vt sit interrogatio.

IN EPIST. LXXVIII.

a Nun minus mehercule quàm capitis ipsius, sed quu incitatiur est.] Vetus lectio, Nun minus mehercule quàm capitis ipsius, si incitatiur est.

b Animum deducit a corpore,] Diducit verior lectio quàm deducit.

c Curpus tuum valitudu tenet,] Dictio tuum supernacanea est, ex vetere lectione. generalis est enim sententia. Exemplar Facundi & Primitiui, Corpus cum valide tenet. & mox paulo mutatur scribe, non murantur.

d Quantumlibet sit illud,] Nonnulli codices, quantulum licet sit illud.

IN EPIST. LXXIX.

a Au umnis tempestas atque mare illud couturqueat:] Ac que, non atque, vetus lectio. etsi quaedam exemplaria legant, an omnis tempestas atque flatus mare illud contorqueat.

b Quicquid illo freti turbine] Sunt codices, in quibus non habeatur verbum freti.

c Quòd aliqnandu longius nauigantibus suleat ustendi.] Scribe solebat, non soleat, ex vetere lectione.

d Fumo quoque per diem segniut.] Legendum puto segniure, non segniur.

e Foratum pluribus locis solum,] Quaedam exemplaria perforatum legunt, non foratum.

f Retractaturus ingenij tui vires,] Retracturus omnis prisca lectio, non tetractaturus.

g Detrahat assidua vis ignium,] Expende an legendum sit deterat, potius quàm detrahat.

h Non ruina inferius adducet.] Vetus lectio abducet agnoscit, non adducet.

i Circa quas delituerat.] Apud quas delituerat, emendatiores habent codices.

k Nunquid nou upiniu eius emicuit?] Vetus lectio enituit habet, non emicuit. & post paulo enituisse, non emicuisse.

l Qui vuluissent per eadem ire vestigia] Addenda coniunctio &, vt sit, & qui vuluissent, &c. ex eadem.

IN EPIST. LXXX.

a Ad sphaeromachiam auucauit.] Scribendum arbitror sphyromachiam, non sphaeromachiam: hoc est, calcium siue talorum pugnam: vt sequentia videntur probare, si corpus perduci exercitatione ad hanc patientiam potest, qua & pugnus pariter & calces non vnius hominis ferat.

b Nun alleuabatur velum,] Alleuabitur vetus lectio, non alleuabatur.

c Qui nubis partes quas male agamus assignat.] Scribe, qui uubis partes has quas, &c. ex eadem.

d Latius incedit,] Scribendum reor laxius, non latius.

e Quod de aliis luquor.] Emendatiora exemplaria, Quid de aliis luquor? vt sit interrogatio.

IN EPIST LXXXI.

a Foeneraturem uon fugat a foru coactor.] Quaedam exemplaria, non coactur habent, sed tortor. vt legendum putem coctor, qui alias dicitur decoctor.

b Quamuis iniuriae praepundereut, tamen beneficiis donetur, cum quod ex iniuria superest, plus nucuit, sed prius proficit.] Scribendum per maiorem, Quamuis iniuria praeponderet: tamen beneficiis dunetur, quod ex iniuria superest. Plus nocuit, sed prius prufuit, ex vetere lectione.

c Vtique dum prope sibi est, reddere beneficium, & pensare ab acceptu.] Exemplar Facundi & Primitiui, Vtique dum prope est ab acceptu. reliqua superfluunt.

d Quantum autem existimas interesse, vtrum aliquis quod dederat, receperit, vel quod praestauit sumpserit.] Vetus lectio, & breuior, & correctior: Quantum autem putas interesse, vtrum aliquis quod dederat, sed quod praestabat, sumpserit. reliqua non habentur.

e Etiam si multum erit, sed si id donari salua pietate ac fide poterit, remittet,] Scribe per maiorem, Etiam si multum erit, etsi id donari, &c. ex castigatiss. codice.

f Quàm qui cum maxime obligatur.] Lege ex exemplari diui Pauli Pinciani, quàm qui accipiens cum maxime obligatur.

g Et illa crescunt mura:] Videtur scribendum, At illa crescunt mura.

h Nustrum enim hoc bouum, quemadmodum iustitia uuu est, vt vulgo creditur, ad alios pertinens] Corrigendum reor mutato verborum ordine: Nustrum enim hoc bonum est, uuu quemadmudum iustitia vt vulgo creditur, ad alios pertinens.

i Nec vlla miseratio contingit his qui patiuntur iniurias,] Legendum existimo, cum patiuntur, non qui patiuntur. alias nullum elicies sensum.

k Nemo si ingratus est, nuu miser erit, uun differo illum, statim miser est.] Corrigendum ex codice Franciscano. reliquos enim deprauatos inuenio. Nemo si ingratus est, miser erit. Non differo illum. Statim miser est.

l Quod pessimum ex illa est, & (vt ita dicam) spissimum,] Legendum reor pessimum, non spissimum: formauit enim superlatiuum a superlatiuo, vt apud Graecos primissimus, ipsissimus, &c.

m Illud autem venenum] Verbum autem tollendum, ex vetere lectione.

n Sed nec quaerit cui imputet casum,] Dele verbum sed, ex eadem.

u Et hnc facit, quod qui post tabulas accepto quidem praestauerant vsuram. Vel hi remittunt, vel tabulas nouas soluunt.] In duobus fidelissimis exemplaribus Franciscano & Facundi ac Primitiui, multa ex his verbis non habentur, ut fallor, rectissime. Legitur in his ad hunc modum: Et hoc facit, quud qui pust tabulas nouas soluunt. reliqua desiderantur.

p Cogitamus non quid impetratum sit, sed quid petendum sit.] Scribe impetrandum, non petendum, ex exemplari diuae Mariae Salmanticensis.

q Sic

q Sic & in hoc quidem populo demus,] *Vetuſtum exemplar*, Sic & hoc fidei populi credamus.

r Quàm me beneficij violati pudere.] *Sic plerique habent codices caſtigatiores*, quàm beneficij oblati pudere.

IN EPIST. LXXXII.

a Nunc ſic excipe,] *Fidelius in quodam antiquo exemplari*, Nunc ſic accipe.

b Inſuperabili loco ſtat animus,] *Scribe*, in inſuperabili loco ſtat animus, *ex vetere lectione.*

c Laudatur non exilium, ſed qui hoc non doluit.] *Scribendum*, laudatur non exilium, ſed is qui patienter tulit, *ex eadem. Sunt tamen exemplaria, in quibus legitur*: Laudatur non exilium, ſed qui non doluit, quamuis iſſet: *pro quo fortaſſe reponendum*, ſed qui non doluit cum exulaſſet.

d Sed etiam cum perſuaſeris iſtas fabulas eſſe,] *Scribe* iſta, *non* iſtas, *ex exemplari correcto & priſco. & paulo ante* territat, *non* terreat, *habet vetus lectio.*

e Et ab se ſuſpecta ac periculoſa fugiat.] *Malim legeres* fuger, *quàm* fugiat.

f Non ibis audacior, ſi mala illa eſſe credideris.] *Scribe* audentior, *non* audacior. *repetit enim Virgilianum verbum, ſic etiam agnoſcente vetere lectione.*

g Nec victoriam ſperant, nec reditum.] *Scribe* ſperantes, *non* ſperant, *ex caſtigatiſſ. codice, in quo etiam funditus legitur paulo poſt, non* futurus.

h Ne Pythoo quidem vulnerabilis erat,] *Scribendum cenſeo*, ne Pythoo quidem inuulnerabilis erat. *etſi arbitror haec verba Senecae non eſſe, ſed ſtudioſi, Senecae verba refellentis, exemplo Pythonis, qui fuerat ab Apolline ſagittis confectus. Quae verba poſita, per errorem a librarijs in ordinem contextus tracta fuerunt.*

IN EPIST. LXXXIII.

a Sic interuenit dico, non tanquam aliquando diſcedat.] *Tolle negationem* non *ex vetere lectione.*

b Breuiſſimo ſomno vtor, & quaſi interuigilo.] *Eadem* interiungo *habet rectiſſime, non* interuigilo.

c Sed ſane ſi hoc ſenſerit:] *Verbum* ſi *delendum, ex eadem.*

d Tam creditum eſt illi Cymbro,] *Corrige*, tam creditum eſt Tullio Cymbro, *ex exemplari Franciſcano, & ex ipſo Seneca paulo poſt, praetereaque Suetonio, Appiano, Plutarcho, & alijs.*

e Ebrius ex quo ſemel factus fuit.] *Codices correcti*, ebrius, ex quo ſemel factus eſt, fuit.

f Extendi in plures dies illum ebrij habitum] *In quibuſdam exemplaribus verbum* dies *deſideratur, in quibuſdam pro eo* vires *ſubſtitutum leges.*

g Et intellecto facinore, mori voluit. Certe eruit omne vitium ebrietas, & incendit, & detegit.] *Verba illa*, Certe eruit, *aliter habentur in vetere lectione. Quaedam exemplaria*, Certe diruit. *Exemplar diuae Mariae*, Certe deluit. *Quae lectio propius ad veritatem accedit. Scribendum enim puto per minorem, vt legatur coniunctim ad ſuperiora*, certe delituit: *& referatur ad Alexandrum, qui occiſo Clito, conſpectum hominum veritus, domi ſe multos dies continuit, ad confirmandum pudorem: autore Curtio.*

h Vallatur enim, exaſperaturque ſanitas mentis.] *Exemplaria quaedam* vallatur *agnoſcunt: vt habent impreſſi codices. Alia*, villatur. *Alia*, violatur. *Codex diuae Mariae Salmanticenſ.* bellatur, *vt fere adducar, legi poſſe* belluatur, *hoc eſt in belluae naturam tranſit.*

i Nam cum ſaepe apud ſe non ſunt, conſuetudine inſaniae durata,] *Corrige*, Nam cum ſaepe apud ſe non ſint, vbi conſuetudo inſaniae durata eſt, *ex exemplari Facundi & Primitiui.*

IN EPIST. LXXXIIII.

a A lectionibus receſſi.] *Scribe*, a lectione non receſſi, *ex codice Franciſcano. Caeteris cum impreſſis conuenit.*

b Inuicem hoc illo commutandum eſt,] Commeandum, *non* commutandum, *omnis habet antiqua lectio.*

c Et alterum altero temperandum.] *Maior codicum pars* reparandum *legit, non* temperandum.

d Etiam ſi alicuius in te comparebit ſimilitudo,] *In correcto exemplari*, Quòd ſi alicuius, *& caetera, rectius.*

e Ne intelligi quidem poſſe, ſi magni viri:] *In nonnullis codicibus*, ne intelligi quidem poſſe, ſi magni viri ingenium eſt.

f Nec enim omnibus quae ex quoque velut exemplaria traxit,] *Variant hic codices. Quidam legunt*, ex aequo, *non* ex quo. *Alij* exemplari, *non* exemplaria. *Alij* ſtruxit *agnoſcunt, non* traxit. *Ex hac diſſonantia lectionum commodam aliquam excogitato ingenioſus lector.*

g Vt vnitatem cum illa petant.] *Quaedam exemplaria*, & in vnitatem illa computat.

h Et cauea venatoribus cincta] *Exemplar Facundi & Primitiui non* venatoribus *legit, ſed* aeneatoribus, *pulcherrime.*

i Quàm ne ſe poſt alium.] *Vetus lectio*, quàm ne alium poſt ſe. *Sunt tamen codices, in quibus verbum* alium *redundat.*

k Si is cui inuidetur & inuidet.] *Coniunctio* ſi *ſuperuacanea eſt, ex antiquo codice.*

l Tranquilliſſimaſque res & ſimul ampliſſimas pete.] *Deeſt verbum* eius, tranquilliſſimaſque res eius & ſimul ampliſſimas pete, *ex vetere lectione.*

IN EPIST. LXXXV.

a Quod ſi ſanum voces leuiter febricitantem.] *Scribe* Quid, *non* Quod, *ex eadem.*

b Idem enim negat nunquam virtutem eſſe ſine voluptate.] *Scribe* vnquam, *non* nunquam, *ex eadem.*

c Aut ſi ſtulti & amentis eſt, mala non timere:] *Scribendum per maiorem*, At ſi ſtulti & amentis eſt, *&c. ex eadem.*

d Inter lymphaticos metus numera.] *Eadem* numerat *habet, non* numera.

e Si ex interuallo, quo magis tormenta ſentiat, repetitur,] *Quid ſi legas?* refertur, *non* repetitur.

f Et per ſiccata viſcera recens dimittitur ſanguis,] *Vetus lectio* exſiccata, *ſiue* aſſiccata. *Item exiſtimo legendum* demittitur, *non* dimittitur.

g Non in effectu tunc maximus,] *Legendum per maiorem & abſque negatione*, In effectum tunc maximus, *ex eadem.*

b Osculatur tigrim suus custos.] *In quibusdam codicibus legitur*, osculantur tigres suos custodes.

i Elephantem minimus & AEthiops iubet subsidere in genua,] *Dele coniunctionem* &, *paulo post adde illam, vt scribatur*, & ambulare per funem, *ex vetere lectione*.

k Vbique horrenda, cùm ad hunc peruenere, mansueta sunt.] *Eadem*: Quaecunque horrenda ad hunc peruenere, mansueta sunt.

IN EPIST. LXXXVI.

a Aut Scipio Romae deesse debebat, aut Roma in libertate.] *Antiquus codex*: Aut Scipio Romae esse non debebat, aut Roma in libertate. *In alijs*: Aut Scipio Romae deesse debebat, aut Roma sine libertate. *Sed prior lectio magis probatur.*

b Quid putas illo soluisse malicium labore virum.] *Sic prior editio. Legendum reor*: Quid putas illos oluisse? militiam, laborem, virum. *vt paulo post*: Pastillos Rufillus olet. *Vt verba illa*, Quid putas illos oluisse? *interrogatio sit eius qui antiquorum sordes improbabat: Senecae autem responsio sit*, Militiam, laborem, virum. *Posset etiam legi* vires, *non* virum.

c Annuo tempore ista ponenda sunt:] *Corrige*, an vno tempore ista ponenda sint, *ex exemplari Franciscanu.*

d Relicto tantum capite ipso, ex quo illae pependerant.] *Castigatior lectio cuiusdam antiqui codicis*, relicto tantum capite vno, ex quo, *caetera.*

e Quas necesse est teneras adhuc, & precario haerentes.] *Prior editio, & omnes quos legerim scripti codices*, caeteras *habent*, *non* teneras: *vno excepto, in quo* cereas *legitur, non* caeteras: *rectissime.*

f Parum autem arboris antequam obruat radix.] *Sic in omnibus inueni exemplaribus. Sed* radit *scribendum, non* radix, *ex his quae sequuntur datur intelligi.*

g Grandis copiae sunt,] *Forte*, grandiscapiae sunt, *vt sit* grandiscapiae, *dictio composita, hoc est*, grandis capitis. *nam si separatim* copiae *legas, quare adderet*, vt ita dicam?

IN EPIST. LXXXVII.

a Nondum audeo frugalitatem palam ferre,] *Quaedam exemplaria* proferre *legunt, non* ferre.

b Quia magnus calendarij liber voluitur,] *Rectior vetus lectio*, euoluitur.

c Et cum omnia dixeris, pauper est.] *Scribe per maiorem, & absque coniunctione*, Cum omnia dixeris, pauper est. *eadem.*

d Quem tam necessarium Ro. po. hercule profuit nasci quàm Scipionem,] *Eadem*, quem tam R. P. fuit nasci quàm Scipionem. *reliqua desiderantur. Exemplar tamen quoddam* profuit *habet, non* fuit.

e Et hippoperis quidem impositis, vt secum vtilia portaret.] *Puto legendum, non* vtilia, *sed* vtensilia. *Nam non ita multo post subijcit*: partim enim sarcinae ab vtroque latere dependentes occupabant.

f Cursores & Numidas, & multum ante se pulueris agentem.] *Emendatissimum exemplar*, agentibus *legit, non* agentem: *recte. vt referatur ad* trossulis, *non ad* Catonem.

g Cultior imitatiorque quàm M. Cato videretur:] Comitatior, *non* imitatior, *legendum, ex vetere lectione.*

h Ab ipso Catone defrictum.] *Stare potest verbum* defrictum: *vt illud*, nam multos qui fricabat consul factus est. *Sed veteres codices legunt* destrictum: *vnde strigiles dictae.*

i Quod bonum est, facit musicum.] *Aliqua exemplaria*, quod bonum est, bonos facit musicos.

k Ab eo, inquit, quod est bonum,] *Maior codicum pars*, inquiunt *agnoscit, non* inquit.

l Quomodo posuerimus quod bonum est musico.] *Corrige*, quomodo posuerimus quod bonum est, in musica, *ex vetere lectione.*

m Etiam nunc facere his me planius volo.] *Castigandum ex eadem*, Etiamnum facere id planius volo.

n Nec cupit nimis, nec expanescit.] *Lege*, aut cupit nimis, aut expauescit, *ex eadem.*

o Chelidonius ex Cleopatrae mollibus] *Aliqui codices*, Cheledon vnus ex Cleopatrae mollibus.

p Cui contingit habere rem non quamlibet, hunc non quemlibet dixeris.] *Breuior vetus lectio*: Cui contingit habere non quaelibet, hunc non quemlibet dixeris. *& paulo post* accessionem *lege pro* accessione, *ex eadem.*

q Verum est quod contemptissimo] *Scribe*, Verum est ergo quod contemptissimo, *&c. ex eadem.*

r Necesse est vt recipiat, sacrilegium] *Verbum* vt *desideratur in antiquo codice.*

s Quo quid fieri portentuosius potest,] *Legendum* portentosius, *ex vetustis codicibus.*

t Prorsus persuasimus.] *Forte legendum*, prorsus persuasi sumus.

u Dissimillima enim vtriusque rei conditio est.] *Coniunctio* enim *eradenda, ex vetere lectione.*

x Illic lucrum sine sacrilegio facere non possunt.] *Corrige*, Hic lucrum, *&c. Praecessit enim alterum* illic, *ex eadem.*

y Duas, inquit, significationes habet propositio nostra.] Vestra *legendum, non* nostra, *ex eadem. etsi in aliquibus exemplaribus non habeatur omnino ea dictio.*

z Et sua cuique nocet stultitia,] *Scribe*, aut sua cuique nocet stultitia, *ex eadem.*

a Essent malum, si per se nocerent,] *Eadem*, Essent malum, si ipsae nocerent.

b Bonum animum habere.] *Scribe*, Bonum animum habe, *ex eadem.*

c Graeci dicunt steresin, cum dicunt non quod habeat dicitur, sed quod non habeat.] *Lego*, Graeci dicunt cata steresin. Non quod habeat dicit, sed quod non habeat. *vt verbum* habeat *ad paupertatem referatur. Reliqua superuacanea sunt ex eadem.*

d Aliter, inquit, quàm debes paupertatem intelligis.] *Deest coniunctio* enim. Aliter enim, inquit, quàm debes, *&c. ex eadem.*

IN EPIST. LXXXVIII.

a Syllabarum enarratio,] *Sic scripta omnia praeferunt exemplaria. Sed considerandum, an* enumeratio *sit scribendum, non* enarratio.

b Si

b Si tristem me facit vicinus potens,] *Vetus lectio* impotens *habet*, *non* potens : *rectius*. *Sunt tamen exemplaria quae* praepotens *legant*.

c Quid immutabilis rei noticia proficies?] *Mallem legeres* proficiam, *quàm* proficies: *vt* noticia *sit casus auferendi*.

d Vt ab insidiis tutus essem, nunquid me crastina non fallit hora? fallit enim quod nescienti euenit.] *Scribe*, vt ab insidiis tutus esses. Nunquid te crastina non fallit hora, nec insidiis noctis capieris opacae. fallit enim : *caetera*. *ex vetere lectione*.

e His imperitorum feriuntur oculi.] Feruntur *eadem agnoscit* : *non* feriuntur : *hoc est*, *ducuntur*, *trahuntur*, *vt illud summi Poetae*,

— Trahit sua quenque voluptas.

f Pueriles sunt, & aliquid habentes liberalibus simile hae artes, quas eleutheras Graeci] *Legendum puto*, sed aliquid: *non* & aliquid. *Item antiqui & emaculati codices*, *& item impressi ante Germanicam impressionem*, *non* eleutheras *habent*, *sed* encyclius, *hoc est circulares*. *Ita certe appellat illas apud Graecos*, *vt alios omittam*, *Athenaeus*: *apud nostros*, *Capella Martianus*, *& communi vulgataque nomenclatura Graeci encyclopaediam vocant*, *hoc est circularem disciplinam*. *De cuius nominis ratione alia alij*. *plura Philoponus in posteriora*.

g Est aliqua moralis, est aliqua rationalis, sic & hic quoque] *Tria illa prima verba*, est aliqua moralis, *superflua sunt ex nonnullis exemplaribus* : *& legendum* haec, *non* hic : *ex vetere lectione*.

h Aliquid nobis praestat geometriae ministerium.] Aliquod, *non* Aliquid, *exemplar Facundi & Primitiui*.

i Hoc illa altius condent.] *Scribe* condam, *non* condent : *ex vetere lectione*.

k De diuinis humanisque dicendum est,] Discendum, *non* dicendum, *eadem*.

l Primum an per se sit aliquid :] *Eadem*, Primum an ipsum sit aliquid. *Quibusdam tamen exemplaribus conuenit cum impressis*.

m Deinde an aliquid ante tempus sit, si tempus cum mundo coeperit : an & ante mundum quia,] *Duo emendati codices* : Deinde an aliquid ante tempus sit sine tempore. Cum mundo coeperit, an &, *&c*.

n Miser erat, si tam multa superuacua legisset.] *Verbum* erat *in aliquibus scriptis codicibus non habetur*.

o Noli cogitare, quantum temporis tibi auferat mala valetudo,] *Scribe per minorem*, *& lege cum superioribus*: non cogitare. quantum temporis auferat mala valetudo. *vt pronomen* tibi *superfluum sit*. *Alioqui* sibi *scribendum erat*, *non* tibi. *ex vetere lectione*.

p Parmenides ait, ex his quae videntur, nihil esse in vniuerso.] *Corrigendum reor* : Parmenides ait, ex his quae videntur nihil esse nisi vnum.

q Omnia negocia de negocio deiecit.] *Verba illa* de negocio *in plerisque exemplaribus non habentur*.

r Et Megarici & cretici.] *Legendum* critici, *non* cretici, *hoc est*, *si liceret dici*, *iudiciales*. *Sed id verbum receptum iam a Latinis & Latij iure donatum est*.

IN EPIST. LXXXIX.

a Simillimum mundo spectaculum] *Lege*, Simillimum vel mundo spectaculum, *ex codice antiquissimo*.

b Et sic a nobi aspicienda] *Scribe*, erit a nobis aspicienda, *ex antiquo exemplari*.

c Quia causae diuinorum humanorumque partes sunt] *Exemplar Franciscanum*, quia causae diuinorum humanorum pars diuinorum sunt.

d Illud quasi constet,] *Omnis emendatior lectio* constitit, *non* constet.

e Nec iustus homo esse sine studio sui potest.] *Corrige*, Nec virtus autem esse sine studio sui potest, *ex vetere lectione*.

f Sed ad virtutem venitur per ipsam] *In eadem verbum* sed *non habetur*, *recte*.

g Sed eam accessionem esse.] Eum *legendum*, *non* eam : *vt referas ad* locum. *ex eadem*.

h Ipse elementis locus] Elementi *eadem*, *non* elementis.

i Hanc analyticam, illam topicam placuit appellari.] *Eadem aliter profert*, *Graecis literis*: Hanc, dialecticen : illam, rhetoricen placuit appellari.

k Analytica in duas partes diuiditur :] Dialectice, *in eadem scriptum est*, *Graecis characteribus* : *non* Analytica.

l Itaque in eo loco finem faciam] *Eadem*, Itaque hoc loco finem faciam.

m Quousque arationes vestras porrigetis, ne prouinciarum quidem statione contenti] *Scribendum*, Quousque arationibus vestris fines vestros porrigetis : *caetera*. *ex eadem*. *Sed legendum puto* satione, *non* statione.

n Per priuatum decursus] *Deest verbum* est, per priuatum decursus est, *ex eadem*.

o Nisi trans Adrianum & Ionium] Adriam, *non* Adrianum, *eadem recte*. *Res est nota*. *Ideo confirmationibus supersedi*.

p Quam vultis late possidere?] *Scribe*, possidete, *non* possidere. *nec est vlla in verbis interrogatio*. *ex eadem*.

q Non contenti solo nisi quod manu feceritis] *Scribendum*, nec contenti solo, *&c*. *ex eadem*.

r Quantulum enim ex istis epulis, quae per tot comparatis manus,] *Lege ex eadem* : Quantulum enim est, quod ex istis epulis, quas per tot comparatis manus.

IN EPIST. XC.

a Philosophiae autem quod bene viuimus] *Remoue verbum* autem, *ex eadem*.

b Pro certo deberetur] *Lege per minorem cum praecedentibus*, pro certo haberetur, *ex eadem*.

c Cuius scientiam nulli dederunt.] Vlli *habent*, *non* nulli, *antiquiora duo exemplaria*.

d Et sapientia quod in se optimum habet] *Supernacanea est coniunctio* &, *ex eisdem*.

e Inter septem aeui sapientia notus.] *Scribe* natus, *non* notus : *ex castigatis exemplaribus*. *Posset etiam legi*, inter septem aeui illius sapientes natus.

f Nec illi fabricae asseram gloriam] Illam lego, non illi, ex vetere lectione.

g Ante architectotes fuisse] Non architectores, sed architectonas praefert eadem litteris Graecis, quanquam male delineata & vacillantibus.

h Et ferro per designata curreote] Scribe serta, non ferro, ex eadem.

i Non enim tecta coenatiooum epulas receptura parabantur,] Scribe, Non enim tecta coenationi epulum recepturae parabantur, ex exempari Facundi & Primitiui.

k Er in procline disposita] Idem exemplar deposita legit, non disposita.

l Io summo venas iaccotes liquefactas fudisset] Liquefacta, non liquefactas, ex eodem scribendum.

m Ipsa tales inueniunt,] Ista mallem legeres, quàm ipsa.

n Et animo humum spectante] Sunt codices in quibus verbum animo non habetur.

o Quae si audire humanum genus voluerit,] Scribe Quam, non Quae: vt referas ad naturam. ex vetere lectione.

p Io deliciis laborantur etiam] Io delicias laboratur, eadem. In qua verbum etiam non habetur.

q Facilem actum vitae daret,] Legendum fortasse, Facilem ac tutam vitam daret.

r Nos ista perniciosa, nos misera] Corrige, Nos ista preciosa. Nos mira. ex vetere lectione.

s Itaqoe hinc textorum, hinc fabrorum officinae suot,] In quibusdam codicibus non hinc habetur, sed huic: non minus commoda lectione.

c Separata coire cogantur] Castiga, spata coire cogantur, ex omni antiqua lectione.

u Textricum quoque artem a sapientibus dixit inuentam] Textrini lege per minorem, non Textricum, recte. vt non multo post sutrinum.

x Quod lato pariunt insecti pectine dentes.] Sic legitur in omnibus scriptis exemplaribus. Sed ferioot esse legendum, non pariunt, docet Ouid. 6. Metamor. vnde hi versus desumpti. Quos notandum in eodem Ouidij 6. aliter haberi:

> Ioseritur medium radiis subtegmen acutis,
> Quod digiti expediunt, atque inter stamina doctum
> Percusso feriont insecti pectine dentes.

nisi forte Seneca ex commodo suo illos concidit.

y Proscissum aratro solum & inter aratrum] Legendum reor, noo inter aratrum, sed iteratum.

z Et saepius regeruotur] Legendum credo tereruntur, non regeruntur. praecesit enim attritum.

a Omnia haec quidem, inqoit, sapiens ioocoit:] Error in ordine verborum. Corrige ex codice Facundi & Primitiui: Omnia haec, inquit, sapiens quidem inuenit.

b Deinde a corporibus se ad iocorporalia transtulit.] Corrige, Deinde a corporalibus se ad incorporalia transtulit, ex vetere lectione.

c Quia homines sunt, non quia sapieotes.] Lego qua, non quia, vtrobique. Nam & statim subijcitur, qua velox est, non qua sapiens.

d Qui cursu omnes aote ibit] Dictio qoi tollenda, ex vetere lectione.

e Aliquem vitriarium ostendere,] Vitrarium, non vitriarium, legi in antiquo exemplari: quod & videtur exposcere analogiae ratio. Praeterque grammaticos, quosdam id magis approbare video.

f Qui vix diligenti manu effingerentur.] Vetus lectio, qoi vix diligentia manoum effingerentur.

g Quemadmodum ebur molliretur] Sic quidem legunt omnes scripti codices. Sed poliretur existimo legendum, non molliretur.

h Non quia sapiens erat] Corrigendum, vt ante admonui, non qua sapiens erat, adstipulante etiam vetere lectione.

i Sed illa quae oullum bonom putat] Scribe, sed de illa quae nullom booum putat, ex eadem.

k Tam inter diem illis quàm noctem patebant prospectus huius pulcherrimae domos.] Castigo, Tam interdiu illis quàm noctu parebat prospectus huius pulcherrimae domus.

l Et (vt ita dicam) a diis recenres.] Sunt exemplaria quae recedentes habeant, non recentes.

IN EPIST. XCI.

a Lugdonum quod ostendebatur in Gallia, qoaeritur.] Codex antiquus non qoaeritur habet, sed qoaeri.

b Validissimos ptysis] Phthisis legendum, non ptysis, ex vetere lectione, cuius vitij & ante admonui.

c Qui diem dixit, horam, momentumque temporis, euertendis imperiis sufficere.] Puto, reclament licet omnia exemplaria, desiderari in his verbis negationem oon: legendumque, qui diem dixit, non horam, momentumque temporis, caetera. Quam sententiã mutuatus videtur Seneca a Phalereo Demetrio: qui cùm legisset apud Euripidem, diuitias rem esse diariam, sufficereque vel vnicam diem ad alleuanda quae depressa sunt: vel econtrario: reliqua pronunciauit ab Euripide recte dicta, nisi quòd non diem fuit dicturus, sed momentum. Autor est Plutarchus in consolatione ad Apollonium.

d Si tanto tempore repararentur cuncta, quanta finiuotur.] Emendatiora exemplaria, Si tanto tempore perirent cuncta, quanto fiunt. Alia, si tam tarde perirent cuncta, qoàm fioot.

e Ornamentumque prouinciarum quibus & inserta erat & excepta] Considerandum an sit commodior lectio prouincialium, quàm prouinciarum.

f Ac speculas ad humilem arenam deduxit.] vetus lectio, ac speculas ad humile dedoxit.

g Omnibus exitus manet] Eadem, omnes exitus manent.

h Siue interna vi flatuque praeclusa violenti] Eadem, siue interna vis flatusque praeclusa violenti. Sed expendendum, an sit aptior lectio praeclusi, quàm praeclusa.

i Siue torrentium in abdito vastior obstantia effregerit] Vastorum lege, non vastior, ex eadem.

k Felicitatis vrbis inimicus] Puto desiderari hoc loco, principis C. Caligulae nomen: quem infensissimum extitisse vrbis successibus, autor est Tranquillus.

l AEtas

l AEtas oe bomini qoidem extrema deducta.] *Vetus lectio*: AEtas oe bomini quidem extrema, a Plauto deducta. *Alij codices non* a Plautu *habent*, *sed* a Plano. *Alij*, a Planco: *recte. Eusebius in Chronicis*, Mnoatios, *inquit*, Plancus, Ciceronis discipulus, orator babetur insignis: qui cum Galliam comatam regeret, Lugdunum coodidit.

m Nihil horum dedignandum est.] *Legendum* indignandum, *non* dedignandum, *ex eadem.*

n Tam Ardea capta quàm Roma capta est.] *Eadem*, Tam Ardea capta quàm Roma est.

o Discede, inquit, ambitio: omnium quae terram premunt, seruus miles esto.] *Corruptissima verba, nec in vllo scripto codice castigatiora. Minus vitiosa, ni fallor, futura, si sic legantur:* Discede, inquit, ambitio. Omnium quae terram premunt, seriem vnam esse. *Quandoquidem in vetere lectione* fere miles *habetur*, *non* seruus miles.

p Ista de quibos qnaeris omnibus eadem suot] Quereris, *non* quaeris, *vetus lectio.*

q Nisi fama vicisset] *Eadem*, iussisset *agnoscit*, *non* vicisset.

r Com ne morti quidem haec apud nos oocear:] *Scribendum puto*, ne morti quidem hi apud oos oocēat, *vt pronomen* hi *referat rumores. Nam dictio* cum *in omnibus antiquis codicibus propalam desideratur.*

s Et hoc malam molitionem habet.] *In eisdem sic vt recitaui habetur, sed legendum puto*, & haec malam amolitiooem habet: *hoc sensu, mortem quoque, sicuti infamiam, & alia huiusmodi, amolitionem habere, sed malam: hoc est, amoliri homines illam, sed decipi. Non enim, vt creditur, malum est nemine id experto. Ab amoliendo amuleta dicta, quae circa collum aut in brachijs gestari solent, gratia amoliendi fascinationes, morbos ve. Graeci phylacteria vocant, hoc est, vt sic dicam, seruatoria. Dioscorides, & alij.*

IN EPIST. XCII.

a Is inquam beatus quem nulla res] *Deest verbum* est, Is inquam beatus est quem oulla res, *ex vetere lectione.*

b Si veritas tota perfecta est] *Scribe*, *Si* veritas tota perspecta est, *ex eadem.*

c Vides autem quale sit, & te oon esse contentum,] *Sic peior editio. Corrige*, Vides autem quale sit, sole te noo esse contentum, *ex exemplari domestico, reliquis hoc loco depranatis. Corroborant hanc emendationem verba sequentia*: Quod potest io hac claritate solis, *caetera. & aliquanto post*: Paulo ante dicebam, igniculum nihil conferre lumini solis.

d Liber ad conspectum vniuersi] Iospectum, *non* conspectum, *vetus lectio.*

e Tam discors inter se innctura corporum] Corporis, *non* corporum, *legendum*, *ex eadem.*

f Sanctissimae intemperans vsque ad indigesta.] *Eadem* ingesta *agnoscit*, *non* indigesta. *Quid si legas* intemperans aeque ac ioiusta.

g Noo ne petas illas] *Elegantior antiqua lectio*, noo petes illa?

h Hoc vnum bene elegi] *Scribendum* eligi, *non* elegi. *& mox paulo* caena, *non* caeoo, *ex eadem.*

i Ego de corpore quoque] *Lege* Ergo, *non* Ego, *ex eadem.*

k Summom enim bonum ooo sequitur] *Emenda*, Summum tamen illud bonum ooo sequitur, *ex eadem.*

l Non esse miserum etiam beatum] *Scribe*, oon esse miserum, esse etiam beatum, *ex eadem.*

m Io quanto libet tempore bona aeterna consummat.] Quantulo, *non* quanto, *eadem.*

n Et babitu manente suo] Manentem *legit eadem*, *non* manente, *vt referatur ad* aspectum. *Legendum item* Sed *vt puto*, *non* &.

o Vt in perfecto. Hoic malitiae vis quaedam inest.] *Scribendum reor, mutata litterarum quantitate*: Vt imperfecto viro hnic malaciae vis quaedam inest: *vt sit* malaciae, *pro* mollitudinis, *vt supra.*

p Ad praua ille agit carens malitia, & ea agitatio abest a booo.] *Locus in omnibus exemplaribus corruptus. Corrigendus forte sic*: Ad praoa illum agit haerens malacia, & ea agitatus abest a bono.

q Vt suarum possessioonm Orientis Occidentisque terminus fiat,] *Vetus lectio compendiosior & elegantior*, vt sua Orientis Occidentisque termious fiat.

r Vtrum proiectum aues differant, an consumatur canibus data praeda marinis,] *Exemplar diuae Mariae* proiectam *agnoscit*, *non* proiectum, *vt scribendum sit* proiectas. *Item* consumantur *libentius legerim*, *quàm* consumatur: *&* Latinis *legendum*, *non* marinis. *Est enim Virgilianus versus ex nono*: Hen terra ignota canibus data praeda Latinis Alitibusque iaces.

s Quid ad illum qui tunc quoqoe cum inter bomines est, nullas minas timet, vllas oe timebit post mortem minas eorum quibus vsque ad mortem timeri parum est. Non conteret, ioquit, me, nec vocus] *Breuior fideliorque vetus lectio*: Quid ad illum qui oullas, sed tunc quoque cum inter homines est, minas timet, vllas post mortem timebit? Parum est, conteret, *&c.*

t Nisi illud secundis cinxisset.] *Ita omnis scripta & hactenus impressa lectio habet. Correctio erat in promptu*, nisi illud secum discinxisset. *Discinctum fuisse Maecenatem & Virgilius in elegia in eius obitum, & alij testantur. Seneca item statim ante*: Alte cinctum putes dixisse. *De soluto autem & discincto Maecenatis ingenio, legito multa libro vigesimo Epistolarum, in epistola cuius initium est*: Quare quibusdam temporibos prooenerit corrupti generis oratio.

IN EPIST. XCIII.

a Dum vtique exeundum est.] *Castiga*, vnde vtique exeundum est. *& paulo ante* parere, *non* parare, *ex vetere lectione.*

b Nec sero mortoos, sed diu.] *Deest verbum* est, oec sero mortuus est, sed diu, *ex eadem.*

c Et vixit, & viguit.] *Nunnulla exemplaria*, & viuit, & vixit, & viguit.

d Vt agam vitam, vt non praeteruehar.] *Vetus lectio ordine praepostero*, vt agam vitā, non vt praeteruehar.

e Scimus ad quid principalis natura se attollat,] *Scribe*, Scimus a quibus principalis natura se attollat, *ex eadem.*

f Etiam inter illos fui:] *Lego per diuisionem*, & iam ioter illos fui, *ex eadem.*

g Etiam si nusquam transiturus accedo.] *Eadem* excedo *agnoscit*, *non* accedo.

h Anoales Tamusij.] Lego, Annales Tanusij: *tum ex vetere lectione, tum ex Suetonio Tranquillo in Caesare dictatore.* Meminerunt, *inquit*, huius cooiorationis Tanusius Geminus in historia. *Et mox paulo* Tanusius adiicit Crassum poenitentia vel metu, *caetera.*

i Quàm noo decori siot,] *Exemplaria quaedam*, quàm non dedecorosi sint. *Alia pro* decori, derosi *habent. Sunt etiam quae legant*, quàm ooo dederosi sint, *vt forte scribendum sit*, quanto opere derisi sint: *aut sic*, quanto derisui siot.

k Et qui vocentur.] *Legitur etiam in nonnullis codicibus*, & quid vocentur.

l Haec est vita quorumdam looga, & quod Tanusij sequitur annales.] *Corrigendum arbitror:* Atque est vita qoorumdam looga, & quod Tanusij sequitur annales. *Sed considera, an magis placet legi per transpositionem dictionum*, & quod sequitor Tanusij aonales.

m Nunquid aliquem esse tam cupidum vitae putas,] *Vetus lectio:* Nunquid aliquem tam stulte cupidum esse vitae putas.

o Quid autem ad rem pertinet, quamdiu vives,] *Scribe*, Quid enim ad tem pertinet. *&c. ex quibusdam scriptis codicibus.*

IN EPIST. XCIIII.

a At illam habentem praecepta.] *Legendum puto* decreta, *non* praecepta, *vt ex sequentibus constat.*

b Quocunque illa vult, vtitur.] *Inuertendae sunt dictiones*, quocunque vult, illa vtitur, *ex vetere lectione.*

c Alioquin doces illud quod sano faciendum sit,] *Castigo*, Alioquin doces illum quid sano faciendom sit, *ex eadem.*

d Sic incide, sic caena:] *Nonnulla exemplaria*, sic incide, sic mane.

e Vtrum manifesta demum an dubia percipies?] *Corrige*, Vtrum deinde manifesta, an dubia ptaecipies? *& mox paulo* monitore *legito, ex vetere lectione.*

f Si ium mones quod obscurum est] *Scribe per maiorem*, Si id mones quod obscurum est, *ex eadem.*

g Scit sibi faciendum scit etiam te tacente.] *Castigo*, Scit quid sibi faciendum sit, quid oon, etiam te tacente, *ex exemplari domestico.*

h Aut procurare mentem aegram,] *Codices nonnulli* percurare *legunt*, *non* procurare.

i Aut vagantem] *Agnoscunt quaedam vetusta exemplaria* aut vocantem. *etsi sunt quae impressae lectioni consentiant.*

k Malitia liberatur, & liberatis noo est opus exhortatione.] *Vetus lectio*, Malitia liberatus & liberat. Noo est opus exhortatione.

l Non vt tantum nota sint oobis, sed etiam parata.] *Permuta dictionum ordinum*, vt ooo tantum oota sint oobis, *&c. ex eadem.*

m Emas non quod opus est, sed quod oecesse est.] *Scribendum reor, contra omnia exemplaria*, Noo emas quod opus non est, sed quod necesse est. *Confirmat hanc emendationem Seneca ipse subdens:* Quod noo opus est, asse charum est. *Alioqui quod opus est, necesse est.*

n Animom quoque magis alleuent.] *Lege*, animumque magis allenent, *ex vetere lectione.*

o Noo vident aliud ingenium esse hominis mobilis & erecti, aliud tardi & hebetis.] *Corrige*, ooo videot alium esse ingenij mobilis & erecti, alium tardi & hebetis, *ex eadem.*

p Vtique alius alio ingeniosior est.] *Eadem*, Vtique aliom alio ingeniosiorem.

q Hoc scilicet vt liberetur.] *Scribe*, Hoc scilicet, vt illis liberetur, *ex eadem.*

r Si tamen illam diutina pestis oon infecit, nec enecuit.] *Corrige*, si tamen illam diutina pestis infecit, nec enecuit: *ex exemplari Scholarum Salmanticensium. Dixerat enim paulo ante obscuratam esse & oppressam indolem, non extinctam. Considerandumque an sit magis commoda lectio* tantum, *quàm* tamen.

s Sed ad haec non satis prospicit.] *Praepositio ad supernacanea est, &* perspicit *legendum, non* prospicit, *ex vetere lectione.*

t Dubiosqoe & in paruum inclinabiles] *Sic quidem omnia quae legerim exemplaria praeter Franciscanum, in quo* inclinantes *legitur, non* inclinabiles.

u Si saepe tecum sint, profutura quàm booa exempla.] *Desunt duo verba in fine addenda*, plus putes: *ex vetere lectione.*

x Pythagoras ait, aliom animum fieri intrantib. templum, deorumque simulacra ex vicioo cernentibus, & alicuius oraculi vocem opperientibus.] *Locus mutilatus, & verbis nonnullis cassus in exemplaribus omnibus: praeterquam in meo familiari, in quo sic habetur:* Pythagoras ait, alium animum fieri intrantibus templum, deorumque simulacra ex vicino cernentibus, & alium ante fores alicuius oraculi vocem opperienobus.

y Etiam si oudis ptaeceptis vtimur?] *Scribendum* vtitur, *non* vtimur, *ex vetere lectione.*

z Quae adiuuat ratione quae praecipit,] *Castius eadem*, quae adiuuat ratione quod praecipit.

a Si imperio & admonitioone proficitur.] *Lege ex eadem*, Si imperio proficitur, & admonitiooe.

b Vtraque admonitio facit.] *Scribendum*, Vtramque admonitio facit, *ex eadem.*

c Quae affectus nostros velut edicto coercent & obligant.] *Scribe*, ablegaot, *non* obligant, *ex eadem.*

d Nam qui didicit & facienda ac vitanda percipit,] *Scribe*, illam qui didicit, & facienda ac vitanda percepit, *ex eadem.*

e Cui duo ista sufficiant.] *Legendum*, cui duo illa sufficiant, *ex eadem.*

f Nulla ad aures oostras vox impune profertur.] *Lege* perfertur, *non* profertur, *ex eadem.*

g Nemo errat vni,] *Eadem*, Nemo errat vni sibi.

h Opiniones quae oos circumsonant, compescamus.] *Eadem*, opiniones quae oos circumsonant, repellantur.

i Calcandumque ac premendom dedit, & quicquid est propter quod calcamur ac premimur.] *Scribe per maiorem*, calcandumque ac premendum dedit quicquid est propter quod, *&c. ex eadem.*

k Et

k Ex fine vllo ictu sonituque fulgores caeli fatiscentes.] *Legendum videtur per maiorem,* & *distincte*, Coeli fatiscentes. *Vt per fulgores accipias quod Graeci σέλας appellant: per coelos fatiscentes, chasmata, etsi vetus omnis lectio non* fatisceotes *praeferant, sed* patescentes.

l Haec supra nns natura disponit.] *Vetus lectio:* Haec supra oos itura dispofuit.

m Sterile terrae genus & in fnrme perpurgatur.] *Maior codicum pars* infernum *legit, non* infnrme.

o Vnam denique vncem audire.] *Quid si legas* veram, *non* vnam, *lubrico lapsu inter vtrumque verbum, cum veram per compendium scribitur.*

o Quàm quem lictor semita deiicit.] *Antiqua lectio*, qoàm te quem lictor semita deiicit.

p Nemo illis venientibus resistit,] *Scribo* restitit, *non* resistit, *ex eadem.*

q In qua eruditus est incoepit, qui quod cuique optimum est, eripuit?] *Scribe*, incipit & eripit *praesenti tempore, non* incepit & eripuit. *Nam praeterquam quod vetus lectio ita habet, sequitur eodem tempore* iubet, *cum dicit statim:*

r Lacedaemoniam seruire iubet,] *Lege* Lacedaemona, *non* Lacedaemoniam, *ex correctionibus codicibus.*

s Et alias alin locn proiicit,] *Coniunctio* & *supervacanea est, ex eisdem.*

t Nec subsistit vnquam lassata crudelitas,] *Corrige*, oec subsistit vsquam lassa crudelitas, *ex eisdem.*

u Cum Teutonicos Cimbrosque considetet,] Teutnnos *lege, non* Teutooicns, *ex geographis omnibus, ex vetere lectione.*

x Qui rapta cooonluont, & ob haec maiore impetu incurrunt,] *Scribendum*, qoi rapta coouoluunt, sed ipsi ante vnluuntur, & ob hoc mainre impetu incurrunt, *ex eadem.*

y Ideoque cum multis fuerunt mali,] *Corrige*, Ideoque cum multis fuerint maln, *ex eadem.*

z Et ex isto coetu inuicem ooxia procul abegisse.] *Castiga*, & ex isto coetu inuicem onxio procul abiisse, *ex eadem.*

a Quis sub alicuius vmbra rusticae arboris positus,] *Lego*, Quis sub alicuius rusticae arbnris proiectus vmbra, *ex eadem.*

b Si vt ooo osteodamus effeceris.] *Castigatior vetus lectio*, si ne nffendamus, effeceris.

IN EPIST. XCV.

a Non tameo semper ad actiones rectas praecepta perducuot,] *Verbum* tameo *desideratur in vetere lectione.*

b Atque illud ergn hic his respnodemus.] *Lego*, Atqui est illud: ergn & hoc. His respõdemus. *ex eadem.*

c Vnde omnis natura creat res, haurit alitque, Quaeque eadem rursus.] *Vetus lectio:* Vnde omnis natura creat res, auget, alitque, Qunque eadem rursus: *minus vitiose, scribendum:* Vnde nmnis natura creet res, auctet, alarque, Qunue eadem rursus. *ex Lucretio, primo.*

d Qui in re praecepta acceperit, nnn in nomine.] *Exemplar Franciscanum*, qui in rem praecepta acceperit, nnn in nmne. *Confirmatur haec lectio verbis continuo sequentibus:* Imbecilla sunt per se, vt ita dicam, sine radice, quae partibus dantur. *In quibus verbis deest coniunctio* &, *ex vetere lectione:* vt sit, & vt ita dicam sine radice.

e Aliarum impetu subeuotium,] *Corrige*, Aliarum impetu saeuientium, *ex eadem.*

f Aut cursu defatigati, aut venatu, aut tellure versata.] *Exemplar Franciscanum* & *meum familiare aliter habent,* & *quidem, vt sentio, rectius*, aut cursu defatigata, aot venatu, aut tellurem versantia.

g Et huiusmodi scientiae cnnditnt,] Huius, *non* huiusmndi, *vetus lectio.*

h Atqui etiam capillis destituuntur & pedibus aegrae sunt.] *Sic prior editio. Corrigendum puto*, Atqui bae iam capillis destituuntur, &c.

i Nnn minus peruigilant, non minus pntant,] *In codice antiquo non habetur* peruigilant, *sed* petuigilantur: *vt fere persuadear scribendum esse* pogillantur, *etsi verbum sit non frequentatum: tamen quia Seneca solet huiusmodi vti verbu, non debet videri nimis absurdum si sic legatur. Pugiles autem fuisse mulieres, Iuuenalis proclamat:* & *Terentius id quoque innuere videtur, dicens:* Si qua est paoln habitior, pugilem esse aiunt.

k Et vinum omne vnmitu remittunt:] Remetiuntur, *non* remittunt: *vetus omnis lectio.*

l Et antiqui medici nesciebant dare cibum saepius] *Coniunctio* & *supervacanea est. nec* cibum *legitur, sed* scypbum, *in correctissimo exemplari.*

m Nesciebaot crurum vincula brachiorumque latentem vim, &c.] *Scribe* vinculo, *non* vincula, *ex eadem.*

n Quanta circa nepntum fncns iuuentus premit.] *Scribendum reor* premitur, *non* premit.

o Aliae cubiculi coorumeliae expectant.] Cubili, *non* cubiculi, *exemplar castigatum.*

p Eadem prima mensura lanuginis,] *Scribe* primae, *non* prima, *ex vetere lectione.*

q Ne quis cui erectior est coma, crispulis misceatur.] *Eadem* rectior *legit, non* erectior.

r Quid illud Snsiorum garum, preciosam malnrum piscium saniem,] *Lego* socinrum, *non* Sosiotum: *ex eadem,* & *Plinio lib. 31. cap. 7.* & *Ausonio poeta,* & *omnibus fere scriptoribus. Praeterea dictio* malorum, *in vetustissimo codice Facundi* & *Primatiui non habetur: quod non admodum probo. Videtur enim significare scombros pisces, ad nihil aliud vtiles: teste eodem Plinio, eodem loco.*

s Exhalantibus crapula ventrem.] *Corrige*, exhalantibus crapulam veterem. & *mox statim*, cnncoqui, *pro* coqui. *ex eodem.*

t Memini fuisse qunndam in sermnne nobilem patinam.] *Sic quidem omnia praeferunt exemplaria. Sed, nisi coniectura fallor, legi debet:* Memini fuisse quondam AEsnpi oobilem patinam. *De hac AEsopi patina Plinius multa lib. 10. cap. 51. Meminit* & *AEsopi huius, vt ditissimi, Macrob. 3. Saturnaliorum.*

u Apud lautos solet diem docere.] *Sic omnes codices, sed frigida opinor sententia. Animaduertendumque, an sit fidelior scriptura*, diduci in diuersas patinas, *quàm* diem ducere: *hoc sensu, quae separata* & *diducta magnificas* & *sumptuosas apud lautos struunt mensas, ea omnia in vnam AEsopi patinam accumulata fuisse.*

x Et ostrea eatenus circumcisa, quae eduntur, interuenientibus distinguebantur.] *Puto corrigendum*, & ostrea e testis circumcisa, quae dentibus interuenientibus distinguebantur: *aut sic*, quae dêtium interuentu distinguebantur. *Nam dictio* echinis *ad sequentia pertinet. Legendumque* echini, *non* echinis. *Obuallant hanc correctionem verba quae sequuntur*: Quantulo autem minus est hoc testas excerpere, atque ossa. Dentium opera coquum fungi.

y Distractique sine vllis ossibus mulli] *Exemplaria quaedam* districti *habent*, *non* distracti. *Alia*, distincti. *Alia*, districti.

z Constrauerunt. Piget esse iam singula, coqnuntur in vnum sapores. In coena fit, quod fieri debet saturo in ventre.] *Vitiatissima verba*, *restituendaque ad hunc modum ex exemplaribus Pinciano & Facundi ac Primitiui*: contraxerint pituitam singula. Coquuntur in vnum. Sapor is in coenam fit, qui fieri debet saturo in ventre. *Sunt tamen exemplaria quaedam*, *quae* congeruntur *praeferant*, *non* coquuntur.

a Priuatim quae commissa capite luerent, tamen quia paludati fecere, laudamus.] *Verbum* priuatim *superioribus adiungendum. In reliquis variant exemplaria. Quaedam legunt*: Quae clam commissa capite luerent, tamen, *caetera*.

b Non pudet bominis mitissimum genus,] Hominum *codices nonnulli*, *non* hominis. *Alij*, *quod magis placet*, homines.

c Voluptas ex omni quaeritur.] *Verior lectio ex varijs exemplaribus colligitur*, Voluptas ab omni parte quaeritur.

d Honestatis obliuio innasit.] *Elegantior vetus lectio*: Honesti obliuio inuasit.

e Homo, sacra res, bomo iam pet lusum & iocum occiditur.] *Eadem*, Homo sacra res, homini iam per lusum, *caetera*: *rectius*, *vt alludat ad veterem paroemiam*, Homo homini Deus.

f Satisque spectaculi in homine mors est.] *Scribe*, Satisque spectaculi & ex homine mors est, *ex eadem*.

g Siue instructione subtili euaserunt probi,] *Eadem* institutione *agnoscit*, *non* instructione.

h Quae quàm sint necessaria, scilicet videas.] *Exemplar antiquissimum non* scilicet *legit*, *sed* saeculo.

i Sciet in vxorem grauissimum esse genus iniuriae, habere pellicem:] *Verbum* habere *delendum*: *ex vetere lectione*.

k Vt ad praecepta quae damns possit animus soluendus ire.] *Castiga*, Vt ad praecepta quae damus, possit animus ire, soluendus est, *ex eadem*.

l Exhibebit recta] *Eadem*, exibuit recta. *Legendum forte*, exibunt recta.

m Non praestabunt quemadmodum oportet:] *Emendo*, non praestabunt, vt quemadmodum oportet, *ex eadem*.

n Faciet ergo quod oportet monitus.] *Dictio* ergo *superfluit*, *ex eadem*.

o Amici, inquit, omnia me fallunt,] *Legendum puto* omina, *non* omnia, *&* *pronomen* me *desideratur in omnibus antiquis codicibus*.

p Nam ille qui emerat,] *Omnis vetus lectio*, non illi qui emerat, *vt dictio sequens* admiratus *per maiorem litteram scribenda sit*.

q Quaeque ex eo sunt, semper bona sunt.] *Postremae tres dictiones*, semper bona sunt, *desiderantur in eadem*.

r Nisi aestimantur, quae rependunt animos] Repellunt, *non* rependunt, *eadem*.

s Nunquam satis perfectum erit,] *Scribe* profectum, *non* perfectum, *ex eadem*. *Considerandum tamen an* perspectum *emendatior sit lectio quàm* perfectum.

t Errat, si quis putat illos nocere velle vel posse: nec accipere iniuriam.] *Legendum*, Errat, si quis putat illos nocere velle. Non possunt. Nec accipere iniuriam, *ex eadem*.

u Et aliquando spe boni puniunt.] *Scribe* specie, *non* spe, *ex eadem*.

x Erranti vt viam monstret] *Particula* vt *delenda est*, *ex eadem*.

y Paratae sunt inuantis manus.] *Exemplar familiare*, paratae sunt ad iuuandum manus. *In reliquis*, paratae sunt iuuandis manus.

z Isti versus & in pectore & ore sint:] *Vetus lectio*, Iste versus & in pectore & in ore sit.

a Habeamus in commune, quòd nati sumus.] *Exemplar Franciscanum*: Habeamus. In commune nati sumus. *vt forte non* Habeamus *legendum sit*, *sed* Coeamus.

b Causa insque iactationis] *Scribe*, Causa visque iactationis, *ex vetere lectione*.

c Continent vitam & bonam & malam.] *Correctum & antiquum exemplar*, Continent vitam. Bona & mala.

d Rerum commodarum possessio, existimatio ac dignitas.] *Quidam codices*, commodatio, *non* commodarum. *Alij*, moderatio. *&* *mox paulo* aestimationem *substitue*, *pro* aestimatorem: *&* scilicet, *pro* scire licet.

e Hoc nescis nisi constitutionem ipsam] Nescies *vetus lectio*, *non* nescis.

f Recedendum esse a praeceptis superuacuis & decretis,] *Corrigendum reor*, recedendum esse a praeceptis superuacuis sine decretis: *hoc est*, *quae praecepta superuacua sunt sine decretis*.

g Et quidem multa quia inuoluta sunt, vix summa diligentia, &c.] *Scribe per minorem*, *vt adiungas superioribus*, & quidem multa, quia inuoluta sunt, vixque summa diligentia, *&c. ex vetere lectione*.

h Aperta quae sensu comprehenduntur, quae memoria. Obscura, quae extra haec sunt.] *Nullo pacto adduci possum*, *vt credam fidelia esse duo illa verba*, quae memoria: *nec intelligo sensum vllum commodum posse ex his erui. Cum itaque paulo post sensus communis fiat mentio*, *subdubito an scribendum sit*, *etsi duriore castigatione*, *hoc pacto*: Aperta, quae sensu comprehenduntur communi. Obscura, quae extra hunc sunt.

i Sine qua omnia in animo natant. Necessaria ergo sunt decreta,] *Scribo*, Sine qua si omnia in animo natant, necessaria sunt decreta, *ex exemplari Facundi & Primitiui*.

k Adiicimus iustum & honestum.] *Lego*, adiicimus iustum est honestum, *ex eadem*.

l Aperte

l Aperte iuuat cor, illud quo manus iuuant ex quo impetum sumunt,] *Corrige*, Aperte iuuant. *Pertinentque duo haec verba ad praecedentia. Tum sequitur per maiorem*, Cor illud quo manus vinunt, ex quo impetum sumunt, *ex vetere lectione*.

m Admissis receptisque ostenduntur in sacro.] *Corrupta & praepostero ordine scripta verba. Emenda*, admissis receptisque in sacra ostenduntur, *ex eadem*.

n His adiicit causarum inquisitionem & etymologiam, quàm cur ita dicere non audeamus,] *Breuior vetus lectio & correctior*: His adiicit aetologiam, quam quare dicere non audeamus. *Nimirum verba illa* causarum inquisitionem *glossema fuerunt, quo dictio Graeca* aetologiam *exponebatur*.

o Ait vtilem futuram esse descriptionem cuiusque virtutis.] *Eadem*, Ait vtilem futuram & descriptioni cuiusque virtutis ac vitij. *etsi quidam codices* discretioni *legant, non* descriptioni.

p Hanc Posidonius etymologiam vocat, quidam characterismon] *Legendum, vt dixi*, aetologiam, *non* etymologiam. *Sed illud sciendum, desiderari haec verba in nonnullis antiquorum exemplarium.*

q Luxuriatque toris animosum pectus anheli, tum si qua sonitum procul arma dedere.] *Verbum* anheli *non habetur in vetere lectione, nec item in tertio Georgicorum, vnde mutuati sunt hi versus. Item scito deesse ex serie Virgiliani carminis verba complusculа, quae in codice antiquo gymnasii Salmanticensis plene leguntur hoc pacto:*

Luxuriatque toris animosum pectus. Honesti
Spadices, glaucique: color deterrimus albis
Et giluo. Tum, si qua sonum procul arma dedere.

r Et primus incedens admotus iam exercitus alpibus,] *Corrige*, & primus incessens admotos iam exercitus alpibus, *ex vetere lectione*.

s Non enim quaeri debet an liber Cato,] *Verbum* debet *superuacaneum est, ex eadem*.

t Inter publicas ruinas non labentis,] *Eadem* labantis, *non* labentis.

u Tubernnis ligneos lectos] *Eadem* lectulos, *non* lectos.

x Fractum est, & in milites conflatum.] *Exemplar Franciscanum*, fractum est, & milies conflatum. *Exemplar Scholasticum*, fractum est, conflatum. *reliqua non agnoscit. Legendum forte*, fractum est, & in vile aes conflatum.

IN EPIST. XCVI.

a Quomodo in longa via sunt & puluis & lutum & pluuia.] *Verbum* sunt *desideratur in vetere lectione.*

b Turturillae sunt, tuti contumeliae causa.] *Sic legunt exemplaria omnia, fortasse autem non* turturillae *scribi debuit, sed* Tutilinae: *quae dea fuit apud antiquos, a tutando dicta: sicuti & Tutanus deus, auctore Nonio. Meminit & Augustinus in ciuitate Dei.*

IN EPIST. XCVII.

a Quod eum Caesaris vxore in aperto commiserat,] Operto *mallem legeres quàm* aperto. *nota est historia.*

b Violaris religionibus eius sacrificij,] *Quidam codices* religionis *habent, non* religionibus. *Proinde legendum puto in totum sic*, violata religione eius sacri.

c Sic submotis extra conspectum omnibus viris,] *Vetus omnis lectio*, conseptum *habet, non* conspectum.

d Etiam noctes scortorum mulierum] *Vetus quoddam exemplar* certarum *habet, non* scortorum.

e Hoc vero matribus familiae denunciare est.] *Locus mutilatus in reliquis exemplaribus, praeterquam in meo, vbi integer habetur. Legendum igitur hoc pacto*, Illud est matribus familiae denunciare, hoc illudere.

f Quicquid fuisse corruptius illis moribus credis,] Quicquam *legito, non* Quicquid, *ex vetere lectione.*

g Florales iocos nudandarum mulierum.] *Exemplar Franciscanum* nudarum *correctius quàm* nudandarum.

h Et fieri facta ista ex licentia vrbium.] *Scribe*, Et fient & facta ista sunt. Et licentia vrbium. *ex vetere lectione.*

i Iudices apud eum confiterentur:] Reum *fidelior & sincerior lectio, quàm* eum: *vt eadem dictio venuste iteretur, & ex autoris consuetudine.*

k Rei iudicandae causa:] Iudicandi *libentius legerim quàm* iudicandae, *& paulo post*, vno adulterio legito, *non* vni.

l Non omne Catones fert.] *Scribe* feret, *non* fert, *ex vetere lectione.*

m Non praenuncius tantum ad vitia, sed praeceps.] *Sic omnis antiqua & recentior lectio. Sed scribendum existimo altero ex duobus modis: aut sic*, Non in pronum imus tantum ad vitia, sed in praeceps. *aut certe sic*: Non proni imus tantum ad vitia, sed praecipites.

n Offenduntque dum errantem vitae peccata delectant.] *Legendum*, offenduntque deerrantem. Vitae peccata delectant. *ex vetere lectione.*

o Laetatur ille circumscriptione furti, quod non tam illi culpa quàm culpae fortuna displicuit.] *Corrige*, Laetatur ille circumscriptione furtoque, nec ante illi culpa quàm culpae fortuna displicuit, *ex eadem.*

p Subesse animis etiam in pessima adductis,] *Scribendum* abductis, *non* adductis, *ex eadem. & paulo post dictio* omnes *per minorem scribenda, legendaque cum superioribus.*

q Latendi fides non potest] *Legendum puto* fiducia, *non* fides, *vt ex sequentibus liquet.*

r Quia latenti etiamsi facultatem habeant, fiduciam non habent,] *Scribe*, quia latendi etiamsi felicitatem habent, fiduciam non habent, *ex vetere lectione.*

s Hoc ergo repugnare sectae nostrae,] Ego, *non* ergo, *legendum ex eadem.*

t Legem & iudicem effugiunt] Vindicem, *non* iudicem, *quaedam exemplaria.*

IN EPIST. XCVIII.

a Nunquam credideris felicem quemquam ex felicitate suspensum. Fragilibus innititur qui aduentitio laetus est. Exibit, *& caetera.*] *sunt codices qui legant, & forte rectius*, Nunquam credideris felicem quenquam esse ea felicitate suspensum quae fragilibus innititur, qui aduentitio laetus est. Exibit, *&c.*

b Fidele firmumque] *Scribe*, fidele firmumque est, *ex vetere lectione.*

c Omnia quae fortuna iotuetur,] *Eadem* intuentur, *non* intuetur.

d Si qois habens ista se quoque habet,] *Scribe*, Si quis habens illa se quoque habet, *ex eadem.*

e Vt carmen fortius ac iustius repetam,] *Exemplaria quaedam*, petam *legunt, non* repetam. *Alia*, an petam. *pro quo non absurde fortasse substitueris* amputem, *hoc est, breuius faciam.*

f Quio vero metuenda declina.] *Scribe*, Tu vero metuenda declina, *ex omni vetere lectione.*

g Et ad tolerandum omne cõfirmata mens.] Omnino, *non* omne, *eadem.*

h Tam intemperantes in ipsis miseriis quàm sunt ante illas.] *Puto inuertendas esse dictiones, legendumque,* tam iotemperantes in ipsis miseriis sunt, quàm ante illas.

i Plus doler quàm necesse est. Eadem enim infirmitate] *Resarci locum mutilatum sic:* Plus dolet quàm necesse est, qui ante dolet quàm oecesse sit. Eadem enim infirmitate, *ex vetere lectione.*

k Intemperantia fingit sibi perpetuam felicitatem,] *Lege*, Eadem intemperantia fingit, *&c. ex eadem.*

l Et oblitus fati quo humana iactantur,] *Prior editio*, & oblitus huius peccati quo humana iactantur: *minus vitiose. legendum enim* petauri, *non* peccati: *ex omnibus scriptis exemplaribus. De cuius dictionis significatione legendi glossematum scriptores.*

m Mortale est omoium mortalium bonum.] Omne *legendum, non* omnium, *ex eisdem.*

n Quo illos singuli dies turbent,] *Vetus lectio* turbant, *forte* trudant. *Gallicanum meum exemplar contra reliqua omnia* trahant, *non* turbant *legit, siue* turbent.

o AEquo animo perdere quod periturum est.] *Exemplar Facundi ac Primitiui*, aeqno animo perdere quod perdendnm est, *rectius.*

p Intelligebat enim quod dari posset & eripi,] *Vetus lectio*, intelligebat enim quod dari potest, & eripi posse. *Alij codices*, Intelligebat enim quod dari posset, & eripi posse.

q Animosi sumus inter exempla, quare deficimus:] *Lege*, Sumus inter exempla, quare deficimus? *ex eadem.*

r Ista vis vlceris, quam opto mehercules mitigari,] *Scribe*, illa vis vlceris, quam opto mehercule mitigari, *ex eadem.*

s Sed securus de isto sum.] Ipso, *non* isto, *eadem.*

t Quid ergo nonoe suadebit & exibit.] *Corrigendum*, Quid ergo? non si suadebit, exibit? *ex eadem.*

n Philosophiam in opere discere,] *Sic legunt pleraque omnia exemplaria. Vnum tantum scholasticum habet,* pbilosophiam in opns ducere.

IN EPIST. XCIX.

a Qnibus ingemiscunt bomines amoris causa.] *Exemplar Franciscanum non habet* amoris, *sed* moris.

b Quamtumve gauisi sint.] *Particula* ve *redundat, ex vetere lectione.*

c Hoc habet inter reliqua mala dolor, quod non superuacuus tantum, sed ingratus est.] *Legendum,* hoc habet inter reliqna mali dolor. Non superuacuum tantum, sed ingratus est. *ex eadem.*

d Aut si mortem in homine non cogitans,] *Scribendum puto* At, *non* Aut.

e Flet aliquis factum quod aiebat non posse fieri.] *Exemplar Facundi & Primitiui*, Fler aliquis factum, quod aiebat non posse noo fieri.

f Sed quis tibi coocedit,] *Vetus lectio* concedat, *non* concedit.

g Ita nihil perdidit ille, nisi aleam in damnum certius.] *Castiga*, Ita nihil perdidit ille, nisi aleam in damnum certiorem, *ex eadem.*

h Puta autem me vetare quaedam quae non sunt sui iuris.] *Lege*, Pnta autem me vetare. Qoaedam sunt sui iuris. *ex eadem.*

i Quibus adiacentem humorem perpremit] *Lego* premit, *non* perpremit, *ex eadem.*

k Nec fluunt vnquam tam turpiter, quàm fioguntur] *Scribendum opinor*, nec flunns vnquam tam turpiter, quàm cum finguntur.

l Quàm multis vitalia eruuntur.] *Vetus lectio*, quàm multi vitalia emittunt.

m Sic aues, sic ferae suos diligunt,] *Scribe*, Sic aues, sic ferae suos diligunt foetus, *ex eadem.*

n Hanc ipse captandam in eiusmodi tempore.] *Sic prior editio. Sed legendum arbitror* esse, *non* ipse. *Alioqui in meo peruetere exemplari redundat haec dictio.*

o Dolorem aut admittendum non esse,] *Scribito*, dolorem aut admittendum in animnm non esse, *ex vetere lectione.*

p Dico admittimr captatur.] *Inuerte dictiones*, Admittitur, dico captatur, *ex eadem. & si in meo vetusto codice immo legitur, vbi scriptum est* dico. *& paulo post* curanda, *non* sananda, *aliquot praeferunt exemplaria.*

IN EPIST. C.

a Qni inscribuntur ciuilium,] *Quidam codices agnoscunt hanc lectionem. Alij habent*, qui inscribuntur artium ciuilium. *Alij*, qui inscribuntur artium & Iulium. *Alij sine coniunctione*, Artium Iulium. *Alij*, Archinilium.

b Et non respondisse expectationi tuae.] *Legendum reor*, sed non respondisse expectationi tuae.

c Puto esse quod dicis, & effundi verba, oon fingi.] *Lege*, Puta esse quod dicis, & effundi verba, non figi, *ex vetere lectione.*

d Non effuodere videtur orationem, sed fundere.] *In exemplari Facundi & Primitiui vtrobiqne legitur* effundere. *Puto in priore loco scribendum esse* fundere, *in posteriore* effundere. *Sequitur enim*, adeo larga est. *Item non longe a fine epistolae de oratione eius loquens*, non est, *inquit*, violenta, nec torrens, quamuis effusa sit.

e Primo aspectum oculorum occupasse,] Scribe, Primo aspectu oculos occupasse, *ex vetere lectione.*

f Quod parum recisum sit, quod parum structum,] *Eadem* qoid, *non* quod, *vtrobique. Item* strictum *puto scribendum, non* structum, *quia sequitur non multo post*, exceptis paucissimis quae ad certum modum, & ad vnum exemplar astricta sunt. *quamuis de Pollione id, non de Fabiano.*

g Non

g Non sunt enim tenore quieto compositoque formata.] *Castiga ex eadem*, & ad animi tenorem quietum compositumque formata.

h Sed totum corpus videri quàm sit comptum honestum est.] *Sic prior editio. Aliter tamen eadem*, Sed totum corpus videris quàm sit comptum. Honestum est.

i Quos non magis philosophiae annumerare possis, quàm historiae.] *Aut inuersas esse dictiones opinor, & legendum*, quos non magis historiae annumerare possis, quàm philosophiae: *aut certe eradendam esse negationem* non, *& scribendum*, quos magis philosophiae, *caetera*.

k Non est fortis oratio eius, quamuis elata sit?] *Exemplar domesticum* electa *habet*, *non* elata.

l Desideras, inquis, contra vitia aliquid aspere dici,] *Lege*, Desideres, inquit, contra vitia, *&c. ex vetere lectione.*

m Non erunt sine dubio singula circumspecta.] *Exemplar Franciscanum* circumsecta *legit, non* circumspecta: *vt puto, recte. Praecessit namque*, Videbimus quid parum recisum sit: *& sequitur uestigio*, nec in se collecta.

n Sed multum erit in omnibus locis & ingens sine taedio spacium.] *Corrige*, Sed multum erit in omnibus lucis. Sed ingens sine taedio spacium, *ex vetere lectione.*

o Deterret enim qui imitandi cupiditate non fecit, spem abstulit.] *Exemplar Franciscanum sine negatione pulcherrime*: Deterret enim qui imitandi cupiditatem fecit, spem abstulit.

IN EPIST. CI.

a Cum aeterna meditantes respicere cogit ad mortem.] *Scribe*, Tum aeterna meditatos, *&c. ex vetere lectione.*

b Pecunia quoque circa paupertatem plurimum amorem habet, dum ex illa ereptat.] *Sic omnia legunt exemplaria, sed qui sit sensus non percipio. forte scribendum non* amorem, *sed* morae, *aut, si hoc arridet magis*, molem.

c Illi qui & mari & terra pecuniam agitabat, qui ad publica quoque,] *Lego*, Ille quem & mari & terra pecunia agitabat, *ex vetere lectione. & in vno tantum meo codice scriptum annotaui* publicanos, *non* publica.

d In ipso actu bene cedentium rerum,] *Fortasse verior est lectio ictu, hoc est momento, quàm* actu.

e Et castrensium laborum tarda manu precia,] *Scribe coniunctim* manuprecia, *ex vetere lectione.*

f Quae quoniam nunquam cogitatur, nisi aliena, nobis subinde ingeruntur mortalitatis exempla.] *Lege*, Quae quoniam nunquam cogitatur nisi aliena, subinde nobis ingerantur mortalitatis exempla, *ex vetere lectione, & praecipue ex exemplari Franciscano.*

g Tanquam ad extremum ventum sit.] Extrema, *non* extremum, *eadem agnoscit.*

h Quod etiam aliquid ex illa differtur.] *Mendosa verba, & difficilia ad corrigendum coniecturae. Sed ni fallor, verior erat scriptura:* quòd in aliud ex alio differtur. *Nam & vetus omnis lectio pro* etiam aliquid, *habet* in aliquid: *& hoc verbum* aliquid, *cum per compendium scribitur, dubitationem affert, sitne legendum* aliquid, *an* aliud, *sicut etiam hoc ipso loco scriptum erat in exemplari Facundi & Primitiui.*

i Nihil est miserius dubitatione vehementer irruentium, quorsum euadant.] Venientium, *non* vehementer irruentium, *omnia ferme exemplaria scripta: vt forte legendum sit* voluentium, *siue* volutantium. *Cui lectioni suffragari videtur quod sequitur*: Quomodo effugiemus hanc volutationem.

k Collecta mens inexplicabili formidine agitatur.] Explicabili *omnia exemplaria, non* inexplicabili. *quibus fauet quod sequitur statim*, Vno si vita nostra non prominebit, si in se colligitur. *Considerandum tamen an desit negatio, sicuti multis locis superfluit, & legendum sit*, Non collecta mens, *siue* incollecta mens, *vt sint honesto dicendi modo inculcata duo nomina*, incollecta *&* inexplicabili, *idem habentia intrinsecus*.

l Si certus sis aduersus incerta.] *Legendum* sit, *non* sis *praecessit enim verbum tertiae personae* cogitat, *ex vetere lectione.*

m Subitque auiditas, & miserrimum atque miserrima omnia efficiet, metus mortis.] *Castiga*, subitque auiditas temporis, & miserrimus, atque miserrima omnia efficiens metus mortis, *ex eadem.*

n Debilem facito manu, debilem pede. Coxa tuber. astrue gibberum.] *Scribe*, Debilem facito manu. Debilem pede. Debilem coxa. Tuber astrue gibberum. *ex eadem.*

o Hanc mihi vel acutam si subdas crucem sustinen, quod miserrimum erat.] *Scribe*, Hanc mihi vel acuta si sedeam cruce sustine. Quod miserrimum erat. *ex eadem. etsi impressae lectioni fauere videantur verba mox paulo sequentia*, suffigas licet & acutam sensuro crucem subdas. *sed* sessuro *ibi, non* sensuto, *scribi debet, vt notabo. Ita verba illa magis ab antiqua lectione stant quàm ab impressa.*

p Quid tam foeda vitae mendicatio?] *Sunt codices qui legant, non* mendicatio, *sed* commendatio. *nescio quàm recte, quia supra velut commendauit vitam suam, cum dixit*, Hanc mihi vel acuta si sedeam cruce sustine.

IN EPIST. CII.

a Effectum tamen vere habentem:] *Scribe*, affectum tamen vere habentem, *ex vetere lectione.*

b Cogitationi aptae traditum, & iterum si licuisset vlterius.] Iturum *legendum reor, non* iterum. *etsi posset etiam legi* irutae. *vt referatur ad nomen* cogitationi.

c Credebam enim me facilem opinionibus] *Exemplar Pincianum*, Crebebam enim facile opinionibus.

d Neger me epistola prima] Negat *legendum, non* neger, *ex vetere lectione.*

e An ex eo quodcunque erit, sensuri sumus, antequam aliquis fructus percipi ant peti possit.] *Eadem*, An ex eo quod cum erit sensuri non sumus, antequam aliquis fructus, *&c. Ego dictiones illas*, antequam *redundare existimo. & mox paulo* posita *legitur in eadem, non* sita.

f Nisi aliud praecidero, intelligi non poterunt quae refellentur.] *Maior codicum pars*, nisi aliquid praedixero, intelligi, *&c. Exemplar Facundi & Primitiui*, & nisi aliquid praedixero. *Corrigendum puto*, Sed nisi aliquid, *&c.*

g Quid est quod etiam nunc praedicere velim?] *Inuerte dictiones*, Quid est etiam nunc quod praedicere velim? *Ita mea sententia melius legetur, adstipulante etiam exemplari Franciscano.*

h Voo enim ſpiritu vnum booum contineri ac regi debet.] *Expende an ſit rectior lectio* cootinuari, *quàm* contineri.

i Quia in noſtra tela mittuntur.] *Legendum forte*, quia in nos tela mittuntur.

k Dicis, inquit, nullum bnnum ex diſtantibus eſſe.] Dicitis, *non* Dicis, *vetus lectio.*

l Claritas autem iſta bnnorum virorum ſecuoda opinio eſt.] *Verbum* ſecuoda *expungendum ex quodam ſcripto codice allato nobis ab vrbe Valeria ad vſus harum caſtigationum.*

m Vox eſt autem licet virnrum ſit booum. Nam & plaudit & ſibilat.] *Exemplar Scholarum Salmanticenſium*, Vnx eſt autem, licet bonorum virorum ſit, booum oon eſt. Nam qui plaudit, & ſibilat. *in quibus verbis ex duobus ſubſtantiuis verbis* eſt, *prius remoueri debet.*

n Diuerſa hnrum cnnditin eſt & illius.] *Scribe*, Diuerſa horum conditin & illius eſt, *ex vetere lectione.*

o AEque vern inſiſtitur ab his, qui diſſidere non poſſunt.] *Exemplar familiare* proſpicitur *habet, non* inſiſtitur. *vt ſit ſenſus: AEque conſuli veritati a bonis, qui diſcordare non poſſunt. Exemplar Franciſcanum*, aeque vero inficitur. Diſſidere non poſſunt. *reliqua non habentur. Eodem modo legitur in codice Facundi & Primitiui: niſi quòd pro* inficitur, *habet* inficiſcitur. *quod & alia exemplaria agnoſcunt.*

p Illic enim pnreſt vnius ſcotentia, qnod omnium:] *Scribe*, Illic idem poteſt vnins ſententia, *&c. ex vetere lectione.*

q Quia nmnium ſi prorogetur, vna erit] *Exemplar familiare non* prorogetur *habet*, *ſed* interrogentur.

r Non eſt vtiius vna ſententia.] *Scribe altero ex duobus modis: aut ſic*, Non eſt omnium vna ſententia: *aut certe, quod magis probo, ſic*: Nno eſt. Vnius vna ſententia eſt.

s Cum dicant claritatem laudem eſſe boootum a bonis reddi, iam nòo ad vocem referunt,] *Corrige, ex meo exemplari domeſtico, reliqua enim deprauata erant*: Cum dicant claritatem laudem eſſe boootum a bonis redditam, noo ad vocem referunt.

t Et omne aliud ſtudium autibus deditum] *Scribe* debitum, *non* deditum, *ex eodem exemplari.*

u Vtique eorum quibus ipſe ſum boni cauſa.] *Legendum*, Vtiqoe eorum quibus iſtius ſum boni cauſa, *ex vetere lectione.*

x Eſt iſtud laodantium booum.] *Eadem* illud, *non* iſtud *praefert. Item exemplar Franciſcanum* laudatioonum *ferme habet*, *non* laudanòum.

y Quin iuſtitia & habentis bonum ſit,] *Codex Facundi & Primitiui*, an iuſtitia & habentis bonum ſit.

z Et ao bnnum ſit eius cui debitum ſoluit.] *Exemplar Franciſcanum*, & ſit antem eius cui debitum ſoluit. *Lego*, & ſit item eius, &c.

a Abunde reſpnndebimus.] *Conſidera an verior ſit lectio*, reſpoodetimus, *quàm* reſpondebimus.

b Arguta diſſerere,] *Mallem legeres*, argutias ſerere.

c Quàm inter ſe perite captantium luſus.] *Nihil me hoc loco adiuuerunt ſcripta exemplaria. Sed coniectura ductus, opinor reſtituenda eſſe haec verba ſic*: quàm inuicem ſe puerorum capeantium luſus.

d Aut ſi qund eſt etiam nuoc frequentius oculis laetius vectis ſolum. illi patria eſt, quodcuoque ſuprema & vniuerſa circuitu ſuo cingit.] *Puto corrigendum*, aut ſi quod eſt etiam nunc frequentius accolis, laetius nautis ſnlum. Patria illi eſt, quodcuoque ſuprema & voiuerſa circuitu ſuo cingit. *Nam in antiquis exemplaribus verba illa*, Patria illi eſt, *hoc ipſo ordine habentur: & in quibuſdam* occulis *per duplex* cc *legitur. Item in exemplari Franciſcano, pro* ſuprema, ſolennia *legitur. Vt poſſit fortaſſe ſic in totum legi*: Patria illi eſt, quacunque ſol meat, & vniuerſa circuitu ſuo cingit. *Poſſet etiam tolerari* vectis: *poſſet legi* aduenis: *poſſet* vectoribus.

e Iam coniungit,] *Puto ſcribendum*, etiam coniuogit.

f Deinde actam aetatem ſibi dati nnn finit.] *Exiſtimo ſcribendum* certam, *aut* arctam, *non* actam.

g Omnes, inquit, ante me ſunt.] *Scribe*, Omoes, inquit, anni mei ſunt, *ex correctioribus codicibus.*

h Nullum nnn cogitatinni paruum tempus.] *Legendum* peruium, *non* paruum, *ex eiſdem.*

i Qui mixtum hnc diuiti humanique ſecernat tempus. Hic vbi inueni, relinquam] *Corrigendum reor*, qui mixtum bnc diuini humanique ſecernat. Cnrpus hoc, vbi inneni, relioquam.

k Ipſe me dici reddam:] Dus, *non* diei, *vera lectio eſt, quia ſequitur*, nec nunc ſine illis ſum, *adſtipulante etiam exemplari ſcholaſtico.*

l In quem videmur emitti. Iam idonei ſpiritum trabere & io aperto dorare.] *Scribe*, in quem videmur emitti iam idnnei ſpiritum trahere, *&c.*

m In alium naturae ſumimur partum. Alia otigo nos ſpectat.] *Poſſet legi pro illis verbis*, in alium naturae ſumimur partum, in alium matureſcimus partum. *ſed rectiſſime, vt puto, legit hunc locum exemplar Scholarum*, in aluum naturae ſumimur, & tanquam partum alia oos aborigo expectat.

n Relicto in quo latebas cnrpore extiteris.] *Vetus lectio* exieris *habet*, *non* extiteris.

o Demum nffendit durae manus tactus,] Deinde *eadem*, *non* Demom.

p Pereunt ſaepe velamenta naſcentium.] *Mallem legeres* ſemper, *quàm* ſaepe.

q Huic unnc quoque tu quantum potes ſubuolotaris quae oiſi etiam neceſſariis cohaerebunt. Alienus iam hinc altius aliquid ſublimiusqne meditare.] *Sic prior editio. Scribendum reor*, Hinc nunc quoque tu quantum potes ſubuola, ab aliis, oiſi quae oeceſſario cohaerebunt, alienus. Iam hinc altius ſublimiusque cngita.

r Aliquando naturae tibi arcana retegentur.] *In exemplari Scholaſtico non* Aliquando *habetur*, *ſed* Antequam. *Vt forte legendum ſit per minorem cum praecedentibus*, intra te quandn naturae tibi *caetera. Forte ſic*, meditare illa. Quando naturae tibi. *reliqua.*

a Cum tntam lucem & tntus aſpexeris,] *Delenda coniunctio* & *ex vetere lectione.*

t Et tamen admiraris illam prncul.] *Scribe*, Et tamen admiraris iam procul, *ex eadem.*

u Quid tibi videbitur diuina lux,] Videtur *eadem*, *non* videbitur.

x Quid ni nnn timeat, qui mori ſperat:] *Codex Franciſcanus*: Quam qui ni timeat, qui mnri ſperat. *Puto legendum*, Quam qui meminit, quid mori expauet. *vel ſic*: Quam qni mente teneat, quid mori expauet.

Dixerat enim: Quam qui meote concipit.

y Si is qunque qui tandiu animum] Exemplar Scholasticum: Sed ille quoque. vt forte desit coniunctio, legendumque sit: Sed & illa qunque, caetera.

z Nnn minus praesentiam esse vtilem quàm memoriam.] Sic prior editio. Praeposterus est ordo verborum, legendumque, noo minus memnriam quàm praesentiam esse vtilem: ex meo familiari codice.

IN EPIST. CIII.

a Incidentium dico ruinam. aliqua nnbis incidunt, non insidiantur.] Scribendum puto, Incedium dico, ruinam, alia quae nobis incidunt, nno insidiantur.

b Pares sunt casus, & si graues,] Opinor legendum: Rari sunt casus, & si graues. quia sequitur: Ab homine hnmini cotidianum periculum. Rarum autem cotidiano opponitur.

c Quos transire non quaerunt.] Scribe, Quns transiere, nnn quaerunt, ex exemplari Franciscano.

d Ad nocendum nisi necessitas misit.] Omnis vetus lectio iniicit agnoscit, non misit.

e Nno arietant inter se seoes vt eodem ambolantes.] Corrige, Noo arietant inter se, in eodem ambulantes, ex emendatiore lectione scripta.

f Insolenter tractata,] Lego iactata potius quàm tractata: & si omnia exemplaria reclament, quia praecessit, Quid? philosophiam oon debebis iactare?

g Nec ita agat vt quicqoid non facit.] Scribe, nec hoc agat, vt quicquid non facit, ex vetere lectione.

IN EPIST. CIIII.

a Nam cum scias spiritum illius in meo veni:] Vetus lectio, Nam cum sciam spiritum, &c. Sed cum non omnes codices hanc lectionem agnoscant, bona enim eorum pars habet, Nam cum scias spiritum illius, &c. fit vt putem legendum esse, Nam conscius spiritum illius, &c.

b Etiam qoum me fortiorem senectus ad multa reddiderit,] Scribe per maiorem, Et cum me fortiorem senectus, &c. ex eadem.

c Vt me fortius amet:] Castigandum arbitror, vt se fortius amet. alias sensus non procederet.

d Sed si coeperit, intermittat, & suis se commodet.] Exemplar familiare rectius, & suis se concedat.

e Et illum ndorem culinarum fumantium, quae in ora quicquid pestiferi vaporis obruerit, cum puluere effundunt.] Scribendum, & illum nidorem culinarum fumigantium, qoae motae quicquid pestiferi vaporis obtinent, cum puluere effundunt, ex vetere lectione. Sunt tamen exemplaria, in quibus obruerant habeatur, non obtinent.

f Vbique qood stringatur inueniet.] Ita prior editio. Emendo, vbique quo distringatur, inueniet. Exemplar Franciscanum, quo distrahatur. Meum, quomodo distringatur.

g Putes venisse te Athenas,] Puta, non putes, vetus lectio.

h Tantn tibi videris defici, quanto vinceris] Lege, tanto tibi videris deficere, quanto aliquis plus habet, ex emaculatioribus codicibus. Non tamen desunt codices qui defici, non deficere habeant. Item puto scribendum videberis, non videris.

i Ringeris, quotiens aliquem in fastis] In meo familiari codice non ringeris habetur, sed inuidebis.

k Exterrebunt te non tantum pericula, sed suspiciones. Vanis semper agitaberis.] Codex Franciscanus non Vanis habet, sed vanae, vt prioribus adiungatur. Posset etiam legi non absurde, sed suspicionibus vanis semper agitaberis.

l Quicquid te delectat, aeque videt vt videras dum viueret. Vtinam. Alium alio die casus excutiet.] Vitiosissimus locus, & nodus Deo dignus vindice. In codicibus fere omnibus, vide, non videt: & viret, non viueret: & pro vtinam, vter aut vtrum. Itaque coniectura ductus, suspicor Senecam ita scriptum reliquisse: Qoicquid te delectat, aeque vitet. Viuunt dum virent. Vtiqoe alium alio die casus excutiet.

m Horum oihil cogitabis, ab his nec remedia vulneribus nppones,] Duo illa verba ab his, in nullo scriptorum exemplarium habentur, & appones probarem magis quàm oppones.

n Si fatis alterum alteri misceas:] Legendum puto, Si sapis, alterum alteri misceas.

o Quae maxime aegra est, lacessit, mobiliorem leniorem que reddit ipsa tractatio.] Legendum opinor lacessitam, non lacessit.

p Citiusque quàm venerant, abeunt.] Codex Franciscanus ocyus legit, non citius.

q In libertatem asseritur.] In libertatem erigitur, codex idem.

r Medicina ergo non regio quaerenda est.] Scribe, Medicina aegro, non regio quaeroda est, ex vetere lectione.

s In itinere colligitur?] Exemplar Facundi & Primitiui, non itinere colligitur, vt puto, recte. nec est hic vlla interrogatio.

t Et emenda desideria. Intra saltem modom cootine.] Codex Scholarum, & emenda desideria tua. Intra salutem modum contine. Exemplar meum rectius, & emenda desideria, intra mndum saltem contine. Scribendum arbitror, aut amanda desideria, aut intra modum saltem contine: vt sit amanda, pro abige, expelle. Nam verbo illo emenda, max ante vsus fuerat.

u Multum nocituri si prope a te fuissent.] Scribendum, si prope te fuissent, ex exemplari Franciscano.

x Hi videbuntur in npere esse.] Vetus lectio partim, si videbunt io opere esse, partim, Hi videbont in opere esse: partim, Hi iubebunt in opere esse. recte.

y Nec tantum scire loqui.] Eadem eloqui, non loqui. & forte scite, quàm scire, rectius legeres, quandoquidem exemplaria quaedam sic te praeferant, non scire.

z Stare fidenter ad portum,] Castiga, stare fidenter aperte, ex codice Francisc. In quo vno tantum sic emendate legebatur, reliquis vitiatis. Nam sequens verbum latitantem, planissimum facit, scribendum esse aperte, non ad portum.

a Profert se, laudari & aspici credit.] Legendum puto, Profert se. Laudari & aspici gestit.

b Omnium est supra omnia est.] Scribe, Dominus omnium est. Supra omnia est. ex meo familiari codice.

c Nihil quod virum incuruet.] *Dictio virum. in quibusdam codicibus non habetur. In meo illo vetusto exemplari sic legas:* Nihil asperum quod virum incuruet.

d Minime quidem si rectis oculis intueri illa possis,] *Legendum*, minime quidem, si quis rectis oculis intueri illa possit, *ex vetere lectione.*

e Egregie Virgilius noster iure dixit terribiles, sed visu:] Egregie Virgilius noster non re dixit terribiles esse, sed visu, *ex vetere lectione. Codex meus*, Egregie Virgilius noster in re dixit terribiles non esse, sed visu.

f Inuictum tamen & paupertarem,] *Exemplar Franciscanum castigatius*, inuictum fame & paupertate.

g Et labores quos militares quoque pertulit.] Laboribus, *non* labores, *idem codex.*

h Quibus ille domuit exercitus,] Domi *scribe*, *non* domuit, *ex eodem.*

i Vsque eo animum Socratis non mouerant,] *Lege*, Haec vsque eo animum Socratis non mouerunt, *ex vetere lectione.*

k Illam mirabilem laudem & singularem vsque ad extremum, non bilariorem quisquam, non tristiorem Socratem vidit.] *Eadem*, Illam mirabilem laudem & singularem vsque ad extremum seruauit. Nec hilariorem quisquam, nec tristiorem Socratem vidit.

l Totis externarum gentium praesidiis, hinc Cn. Pompeium,] *Opinor inuerso dictionum ordine scribendum*, Hinc Cn. Pompeius totis externarum gentium praesidiis.

m Satis vnus aduersus omnia.] *Sunt codices in quibus* omnes, *non* omnia, *habeatur. In meo exemplari*, satis aduersus omnia tutus.

n Solus Cato fecit aliquas & Reipublicae partes.] *Sic omnia exemplaria, praeter domesticum, in quo legitur:* Solus Cato fecit aliquas sui, & reipublicae partes. *Cui lectioni videtur suffragari quod subijcit*, duos in medio relictos, Rempub. & Catonem.

o Quae constituta esse ab hostibus iratissimis poterant.] *Agnoscitur haec lectio ab omnibus codicibus, praeter Scholarum codicem, in quo ita leges:* quae constituta esse ab hostibus iratissimis vix filius Atrei poterant. *&* *ante paulo*, qui ea sibi *scribe*, *non* quid sibi, *ex domestico codice.*

IN EPIST. CV.

a Si nihil humeris quod cupiditatem alienam & improbam irritet,] *Castiga*, si nihil habueris, quod cupiditatem alienam & intemperiem irritet, *ex exemplari Franciscano.*

b Neminem lacessendo aut gratificando] *Corrige*, neminem lacessendo gratuito, *ex vetere lectione.*

c Qui apud aliquem potentem, potentes sunt:] *Exemplar diuae Mariae*, qui apud aliquem impotentem potentes sunt.

d Dulcedo sermonis qui irrepit & blanditur,] *Vetus lectio*, Dulcedo sermonis quae irrepit & eblanditur.

e Secreta producit.] *Veram & genuinam lectionem arbitramur*, secreta prodit.

f Vt garrulitatem suam custodiat, & contentus sit vnius auribus, popolum faciet. *Sic quaecunque legi exemplaria agnoscunt, vnius literae deprauatione, adumbrato perspicuo sensu. Puto enim scribendum* poculum, *non* populum. *Nam meminisse oportet verborum quae non ante multo praecesserunt*, & non aliter quàm ebrietas aut amor secreta prodit. *Erit ergo sensus, pro modo & capacitate poculi custodire aliquem garrulitatem suam, aut non custodire, & esse contentum vnius auribus, aut plurium.*

g Trepidant enim cum fecerunt. Haeret conscientia, aliud agere non patitur.] *Corrige*, Trepidant enim cum fecerunt. Haerent. Conscientia aliud agere non patitur. *ex vetere lectione.*

IN EPIST. CVI.

a Quare nõ protinus rescriberem ei de quo quaerebas,] *Ita agnoscit maior codicum pars, sed in scholastico codice* tibi *legas*, *non* ei.

b Ergo & corpus est bonum eius.] *Praepostere scripta verba. Lege*, Ergo & bonum eius corpus est, *ex vetere lectione.*

c An ruborem euocent, an fugientem sanguinem.] *Scribe*, An ruborem euocent, an fugent sanguinem, *ex exemplari Franciscano.*

d Ergo & malitia & species omnis malignitaris. Inuidia, superbia] *Corrige*, Ergo & malitia & species eius omnes, malignitas, inuidia, superbia, *ex vetere lectione.*

e Omnes autem virtutes quas retuli bonae sunt,] Bona *potius quàm* bonae *legendum arbitror.*

f Non tristitia adducit?] Abducit, *non* adducit, *exemplar Pincianum. Castigandum puto* obducit. *Vnde frons obducta apud Iuuenalem.*

g Laterunculis ludimus.] Latrunculis ludimus, *in emendatioribus codicibus.*

h Apertior res est, sapere: imo simplicior.] *Scribe*, imo simplicior est. *multum enim addit neruorum orationi verbum substantiuum in fine locatum, iteratumque. & sic legitur in exemplari Franciscano.*

IN EPIST. CVII.

a Tam pusilla tangunt.] *Exemplar diuae Mariae*, Tam pusilla te res angit.

b Si amici deciperent,] *Veriorem lectionem duco*, si amici deceperunt.

c Habeant sane nomen, quod illis Epicurus noster imposuit, & vocentur quo turpius non omnibus sit rebus tuis. Desunt illi,] *Vetus lectio*, quo turpius non sit omnibus rebus tuis, *caetera. Minus vitiose legetur totus hic locus, vt ego credo, si sic legatur*: Habeant enim sane nomen quod illis Epicurus noster imposuit. Ita vocentur. Quota pars non est, si ex omnibus rebus tuis desunt illi qui & operam tuam conterebant, *&c.*

d Et te omnibus molestum esse credebant.] *Fideliorem lectionem existimo*, & te omnibus molestum reddebant.

e Aut inquineris luto] *Lege*, Aut inquineris in luto, *ex vetere lectione.*

f Eadem vitae conditio est quae balnei. Turbae itineris quaedam intermittentur, quaedam incident,] *Error est in disiunctione verborum. Legendum*, Eadem vitae conditio est, quae balnei, turbae, itineris. Quaedam intermittentur, quaedam incident.

g Er labaris nportet, & arietes, & cadas,] *Non* arietes *exemplar antiquum, sed* erigaris *legit.*

h Idem mentiaris.] *Corrupta in omnibus exemplaribus verba. Forte legendum*, iter emetiris: *quia subijcit paulo post*, per eiusmodi offensas emerieodum est confragosum hoc iter.

i Sciat se venisse ronat vbi fulmen.] *Haec verba in quibusdam exemplaribus non habentur. In alijs sic leguntur*, Sciat se venisse vbi patiatnr fulmen.

k Deinceps quae multa & varia suor, in nos diriguntur.] *Correctiorem existimamus lectionem*: Deinde quum multa & varia siur, quae in nos diriguotur.

l Alium aqua, alium ignis eripier.] Aliud, *non* alium, *vtrobique vetus lectio.*

m Quam Cleanthes nnster] *Familiare exemplar*, quomndo Cleanthes nnster.

IN EPIST. CVIII.

a Quia pertinet properas,] *Sunt codices qui legunt*, quia pertinaciter properas.

b Ne ipsa impediat.] *Lege*, ne ipsa se impediat, *ex vetere lectione. Legitur & in alijs codicibus*, oe te ipsa impediat.

c Qui molris apud philnsopbiam annis persederint,] *Corrige*, qui multis apud philnsopbum annis persederunt, *ex eadem.*

d Vt aliqua illi vitia deponant,] *Ita prior editio. Puto scribendum* illic, *non* illi.

e Quàm Phrygij solent tibicinis sonn semiuiri] *Emenda*, quam solent Phrygij tibicinis snno semiuiri, *ex vetere lectione.*

f Afficiuntur illi & sunt quales iubentur. Si illi animn forma permanserit] *Eadem*, afficiuntur illis & sunt quales iubentur. Si illa aoimo forma permaneat. *Puto sinceriorem lectionem esse*, Afficiuntur illis. Essent quales iubentur, *&c.*

g Tuoc illa aoimi bnna velut sn luta excitantur.] *Quaedam exemplaria*, velut ad solita excitantur. *Codex diui Francisci*, tunc illa anima bnna velut sollicitatur. *Scribendum reor*, tunc ad illa animi bona velut sollicitaotur. *vel sic*, tunc ad illa animi bona velut solita escitantur.

h Cum illum tuba per lnngi canalis angustias tractum patenti nre nouissime exitu effudit.] *In quibusdam exemplaribus, dictio illa* tractum *non habetur: & coniunctim* patentiore *legendum, non* patenti nre: *ex omnibus antiquis codicibus. In quorum nonnullis* effundit *legitur, non* effudit.

i Qui paupertati suae aptus est,] *Scribe*, qui paupertati suae aptatus est, *ex vetere lectione.*

k Facillime enim teoera conciliantur ingenia] Reconciliantur *aliqua exemplaria agnoscunt, non* conciliantur.

l Et adbuc docibilibus leuiterque corruptis] Docilibus *praeferunt duo antiqua exemplaria, non* docibilibus, *correctius.*

m Cui liceret censuram agere regnantium.] *Exemplar familiare* genuium *habet, non* regnantium.

n Haec enim nnn cibi, sed oblectamenta sunt,] *Castiga*, Nec enim cibi, sed oblectamenta sunt, *ex vetere lectione.*

o Quem oprinemus odnr in corpore est. Nulln inde vinn carer stomachus.] *Exemplar Franciscanũ*, quooiam npumus ndnr in corpnre est nullus. Inde vinn carens stomachus. *Adstipulatur & alter eiusdem bibliothecae codex.*

p Quem mihi amnrem Pythagoras iniecerit. At Sncioo dicebat, quare ille animalibus abstinuisset,] *Puto corrigendum*, quem mihi amorem Pythagorae iuiecerit Socioo. Dicebat quare ille animalibus abstinuisset. *Sed expende an legendum sit pro* Dicebat, Dncebat, *siue* Dissere bat. *Nam sequitur infra*, Haec cum exposuisset Sncinn.

q Omnia tibi in integro serua.] *Exemplar familiare*, nmnia tibi integra semas.

r Qund istic crudelitanbus tuis damoum est] *Sic in omnibus fere habetur exemplaribus. sed in promptu erat correctio*, Quod istius crudelitatis tuae damnum est. *Nec desunt codices qui hanc etiam lectionem agnoscant.*

s Alienigenarum genrium sacra moue bautur.] *Nullus scriptus codex habet verbum* geutium.

t Sed inter argumenta superstitinnis pnoebatur qnnruodam animalium abstinentia.] *Puto inuertendas esse dictiones, & legendum*, Sed inter argumenta superstitionis quotuodam pnnebatur animalium abstinentia.

u Si quis exhortaretur illos, si quis impenderet.] *Scribendum forte* impelleret, *non* impeoderet.

x Eo omissis ad quae diuertimur,] *Vetus lectio*, diuertimus.

y Qui grammatici oculis carmen istud legit.] *Exemplar Franciscanum* grammaticis *legit, non* grammatici. *quod non minus placet.*

z Anci parer Martius Numae nepns dicitur.] *Idem exemplar*, Anci pater nullus, Numae nepos dicitur. *Alius codex*, Numae nepos fuit.

a Id ita in Pnntificalibus libris aliqui putant. Et Fenestella eosdem libros cum grammaticis eaplicuit.] *Legendum reor*: Id esse in Pontificalibus libris, & alij putant, & Feoestella. Eosdem libros cum grammaticus explicuit, *&c.*

b Primum verba expressa ab se, dici a Cicerone. Idem re ipsa in commentarium refert.] *Verba haec vitiatissima, & Cimmerijs, quod aiunt, inuoluta tenebris, sic restituenda conse ctio*: Primum verbum priscum, reabse, dici a Cicerooe, id est re ipsa, io commentarium refert. *Vt dictionem* priscum *reponam, admonent me ea quae infra sequuntur*: ono vt verba prisca aut ficta captemus. *Exemplar Facundi & Primitiui sic legit*, Primum enim verba espressa ab se, *caetera. Vt forte scribendum sit*: Primum Eonij verbum priscum reabse, dici a Cicernoe, *caetera.*

c Nec mious sese idem seipse] *Castiga*, Nec minus sese, id est, seipse, *ex vetere lectione.*

d Hanc quam nunc in circo cretam vocamus, calcem anriqui dicebant.] *Corrigendum puto*: Hanc quam nunc in circo metam vocamus, *caetera. De metis in circo, Suetonius, & complures alij.*

e Deinde inanes colligit versus,] *Lego*, Deinde Ennianos colligit versus, *vt liquet ex sequentibus.*

f Cui nemo ciuis atque hostis qui vult pro factis reddere operaepretium.] *Vetus lectio*, cui nemo ciuis neque hostis, *caetera. Sed ego opinor, non* qui vult *legendum, sed* quibit, *hoc est, poterit. Nam sequitur*, neminem potuisse Scipioni, neque ciuem, neque hostem reddere operaepretium. *Iam verbum est, quod in fine clausulae adiectum est, a nullo neque antiquo neque recentiore codice agnoscitur.*

g Non tãtum auxilium significasse operam, ait opera eius neminem potuisse Scipionem neque ciuem,] *Vetus lectio deprauata etiam, sed manum nonnihil emendaturo porrigit: quae sic habet*: non tantum auxilium significasse, sed operam, ait, opera enim eius neminem potuisse Scipioni. *Considera igitur, an in integrum restitui possit locus hic, permutato dictionum ordine, hoc pacto*: non tantum auxilium significasse operam, sed alicuius opera, ait enim, neminem potuisse Scipioni.

h Ennius hoc ait, Homero se surripuisse: Ennio Virgilius.] *Scribo*: Ennium hoc ait Homero surripuisse: Ennio Virgilium.

i Esse enim apud Ciceronem in his ipsis de R. P. hoc epigramma:] *Puto contra omnia exemplaria scribendum hoc pacto*: Est Ennij apud Ciceronem in his ipsis de R. P. hoc epigramma. *Alioquin si enim legas, non* Ennij: *vitiosa esset confirmatio, afferre epigramma librorum Ciceronis ad confirmandum, Ennium imitatione Homeri portas coeli appellasse. Quòd autem Ennij poetae sit hoc epigramma, docet Lactantius Firmianus lib. 1. cap. 18. his verbis*: Ille autem qui infinita hominum milia trucidauerit, cruore campos inundauerit, flumina infecerit, non modo in templum, sed etiam in coelum admittitur. Apud Ennium sic loquitur Africanus:

Si fas caedendo coelestia scandere cuiquam est,
Mi soli coeli maxima porta patet.

k Si fas est plagas coelestium ascendere cuiquam:] *Prior editio minus corrupte*, ni faciendo plagas coelestum ascendere cuiquam. *Lege*, Si fas caedendo coelestia scandere cuiquam est, *vt mox ante ex Lactantio apparuit.*

l In philologum aut grammaticum delabar,] *Correcte magis exemplar meum* dilabar.

m Velut aliquod artificium venale didicerunt:] *Reclament licet exemplaria omnia, contenderim legendum esse* docuerunt, *non* didicerunt. *Sequitur enim*, quàm viuendum esse praecipiunt. *& rursus*: Non magis mihi potest quisquam talis prodesse praeceptor.

o Et ingens agmen. Non tamen talium.] *Sic prior editio. Exemplar Francifcanum*, & ingens agmen tot ac talium. *Quid si haec verba* Non tamen talium *adiectitia, sunt glossema, videlicet studiosi cuiuspiam, qui* ingens agmen *interpretabatur esse* non talium, *quales fuerunt Zeno, Chrysippus, Posidonius.*

IN EPIST. CIX.

a Praeter haec aliquis cogitationes suas exprimet,] Aliquas, *non* aliquis, *omnis habet vetus lectio.*

b Vno modo dicas licet non esse in melle dulcedinem.] *Legendum reor*, isto modo dicas licet, *&c.*

c Quibus morbi vitio vel amarum esse videatur.] *scribe*, quibus morbi vitio mel amarum esse videatur, *ex omni vetere lectione.*

d Et huic profuturo idonea materia sit.] Profecturo, *non* profuturo, *eadem.*

e In summum, inquit, producto calorem] Perducto, *non* producto, *eadem. eadem emenda paulo post.*

f Vti amplius arma desiderat?] Armis *lege, non* arma, *ex eadem.*

g Itaque prodest qui virtutes alicuius partes sui amat] *Scribendum puto contra omnia exemplaria*, pares suis, *non* partes sui.

h Etiam nunc sapientis animum perite mouere nemo alius potest, nisi sapiens:] *Scribe*, Etiam nunc sapientis animum perite mouere nemo alius potest, quàm sapiens: sicut hominem mouere rationaliter non potest, nisi homo, *ex omnibus scriptis codicibus.*

i An deliberaturus sit sapiens, an in consilium aliquem aduocaturus] *Castigatiorem existimamus lectionem*, An deliberaturus sapiens sit, aliquem in consilium aduocaturus.

k Et animo cogitationes miscendo,] *scribe*, & animos cogitationesque miscendo, *ex vetere lectione.*

l Quae in exercendo sensu valet.] *Exemplar scholasticum*, quae in exercendo se vsu valet.

m Aiunt homines plus in alieno negocio videre. Vitio hoc illis euenit.] *Lege*, aiunt homines plus in alieno negotio videre quàm in suo. Hoc illis euenit. *ex emaculatioribus codicibus.*

o Etiamsi contra me gladij micarent,] Circa *legendum, non* contra, *ex omni scripta lectione. vt mox statim*, Etiamsi circa me flagrarent incendia.

o Etiamsi subitus turbo totam nauem meam mari raperet.] *Exemplar Francifcanum* toto *legit, non* totam, *ex exemplari Facundi ac Primitiui.*

p Hanc mihi praestaturum voluptatem, vt gloriam contemnam:] *Sic prior editio. Puto legendum*, Hanc mihi praesta tu, vt voluptatem, vt gloriam contemnam.

IN EPIST. CX.

a Vt memineris maiores nostros, qui crediderunt hos Stoicos fuisse] *Legendum puto, non* hos, *sed* hoc.

b Quotiens enim calamitas felicitatis est causa & vitium fuit, quod calamitas vocabatur?] *Castigatius & breuius vetus lectio*, Quotiens enim felicitatis causa & initium fuit quod calamitas vocabatur?

c Est autem tanti diu nihil gaudere,] *Scribe inuersis dictionibus*, Est autem tanti nihil diu gaudere, *ex ead.*

d Nec inter haec humani ingenij sagacitas sistitur.] *Corrige*, Nec intra haec humani, *&c. ex eadem.*

e Quo feratur, vnde surrexerit,] *Eadem*, Quomodo feratur, vnde surrexerit.

f Si contempseris etiam sordidum panem:] *Corrige*, Si non contempseris etiam sordidum panem, *ex exemplari Pinciano.*

g In quem si preciosa congerimus,] *Scribe*, in quem sic preciosa congerimus, *ex vetere lectione.*

h Alia ergo gratiora si recentiora perferuntur ad mensam:] Eo *legendum, non* ergo, *ex eadem.*

i Alia, si diu pasta & coacta pinguescere,] *Verbum* si *eradendum, ex omnibus scriptis codicibus. In quorum vno* dure pasta *habetur pro* diu pasta: *vt forte legendum sit*, diu repasta.

k Delectat

k Delectat te nitor horum,] Nidor *lege*, *non* nitor, *ex eisdem.*

l Hinc puerorum prospicuos cultu atque forma greges,] perspicuos *lege*, *non* prospicuos, *ex eisdem.*

m Haec oobis Attalus dixit natura dixit omnibus.] *Scribo*, Haec nobis Attalus dixit. Natura omnibus dixit. *ex exemplari Facundi & Primitiui. Ex cuius fide lege paulo ante per commutationem verborum*, in alienum cadit arbitrium.

IN EPIST. CXI.

a Quibus quisque se tradidit quaestiunculas quidem vafras] *Vetus lectio*, quibus quisquis se tradidit, qoaestiuuculas quidem varias nectit. *Placet tamen magis*, *vt* vafras *legatur*, *quàm* varias.

b Nec in summis ambulat digitis.] *Praepositio* in *superuacanea est*, *ex eadem.*

c Siue fluctuatur & per aduersa & difficilia] *Superfluit coniunctio* &, *ex eadem*:

d Et animum specie subtilitatis inductum tentant morantur:] *Corrige*, & animum specie subtilitatis inductum teneot ac remorantur, *ex eadem.*

IN EPIST. CXII.

a Cito tamen redibit in gratiam.] *Scribe*, cito tamen cum illa redibit in gratiam, *ex codicibus sincerioribus.*

IN EPIST. CXIII.

a Vt exercere ingenium inter irrita videremur,] *Legendum esse* videamur, *non* videremur, *& sensus monstrat*, *& exemplar scholasticum. Item correctiorem ducerem lectionem* iotra *quàm* inter.

b Sed me io alia sententia profiteor] *Deest verbum* esse, *vt sit* profiteor esse, *ex vetere lectione.*

c Noo tameo duos esse dices nos.] *Pronomen* uos *expungendum. ex exemplari Francis.*

d Quare? quia separatim esse debent.] *In eodem dictio* Quare *non habetur. Et* separati, *non* separatim, *omnis agnoscit antiqua lectio.*

e Iustiria animal est, fortitudo. Sic caeterae virtutes] *Scribe*, Si iustitia animal est, fortitudo, *&c. ex eadem.*

f Ac rursus incipiunt,] *Corrige*, vt rursus incipiant, *ex eadem.*

g Agit, inquit, aliquid & prodest. Impetum habet.] *Exemplar diuae Mariae, & item familiare*, Agit, inquit, aliquid, & prodest. Quod autem agit aliquid, & prodest, impetum habet.

h Omne aoimal donec moriatur hoc est idem quod coepit.] *Corrige*, Omne animal dooec moriatur, id est quod coepit, *ex vetere lectione.*

i Equus, canis, transire in aliud non potest] *Lege*, Equus equus, Canis canis. Trausire io aliod non possunt. *ex eadem.*

k Ista quomodo erunt siogula animalia, cum vnus animus sit,] *Scribe* Itaque, *non* ista, *ex vetere lectione. Exemplar diui Francisci*, Ita quomodo singulae animalia erunt, *&c.*

l Hoc quoque existimo & quòd in tanta copia rerum] *Legendum reor*, Hoc qooque existimo esse, quòd in tanta copia rerum.

m Nulli similitudo cum altero conuenit.] *Corrige*, Nullius magnitudo cum altero conuenit, *ex vetere lectione.*

n Aut irrationalia aut pecora. Virtutes quoque rationales suut.] *Legendum*, aut irratioualia, vt ferae, vt pecora. Virtutes vtique rationales sunt. atqui nec homines sunt *&c. ex correctioribus codicibus. Sed quia non multo post negat virtutes rationales esse, crediderim legendum hic potius* sint *quàm* suot, *vt cōcedat aduersarijs quod ipse nonsentit.*

o Specie alicuius rei irritatum est:] *Exemplar Franciscanum magis praeferre videtur* incitatum, *quàm* irritatum.

p Puta enim prudeotiam esse] *Scribendum arbitror*, Puta animal prudentiam esse.

q Hoc natura oon praecipit:] *Scribe* recipit, *non* praecipit, *ex melioribus codicibus.*

r Prudenter tacere & coenare bonum est. Ita & tacere & cnenare animal est.] *Castiga*, Prudenter tacere, bonum est. Coenare bene, bonum est. Ita & tacere, & coenare, animal est. *ex vetere lectione.*

s Quaeram, an & auaritia, & luxuria, & clementia] *Scribe* dementia, *non* clementia, *ex eadem.*

t Sunt eoim & ipsa aoimalia.] Ipsae, *non* ipsa. *legito*, *ex eadem.*

u Si has quoque rotundauerint,] *Eadem*, si has quoque corrotundaueriut.

x Ne putes autem primum ex nostris,] *Lege*, Ne putes autem me primum ex nostris, *ex eadem.*

y Ergo cur non ipsius Chrysippi exemplo] *Muta verborum ordinem*, Cur ergo uou ipsius, &c. *ex eadem.*

z Idem est animus & iustus & prudens & fortis. At siogulae virtutes quodammodo se habent.] *Corrige*, Idem est animus: & animus iustus, & prudens, & fortis, ad singulas virtutes quodam modo se habens, *ex meo familiari codice.*

a Et aptans illis facies tanquam pictor assigno.] Aptas, *non* aptans, *omnis vetus lectio.*

b Non possunt hoc loco dicere] Possum *lege*, *non* Possunt, *ex eadem.*

c Tuis pugna coutra ipsam fortunam, uon armat itaque coutra hostes, instructi coutra illam inermes suut.] *Hunc locum in omnibus exemplaribus corruptum deprehendi. Corrigendum hoc pacto cēseo*: Tuis pogna. Contra ipsam fortunam uou armant illa quae cootra hostes. Instructi contra illam iuermes suot.

d Priuatis commodis quàm longissime auersa sit.] *Deest praepositio* a, *vt sit*, a priuatis commodis quam long. au. sit, *ex domestico exemplari.*

e Noo est quod spectes, quod sit iustae rei praemium maius iniusto est.] *Castiga*, Non est quod exspectes, quòd sit iustae rei praemium maius quàm iustum esse, *ex eodem. Exemplar tamen Scholasticum* quàm iostam esse *legit*, *non* quàm iustum esse,

IN EPIST. CXIIII.

a Si approbata est & recepta.] *Scribe*, sed approbata est & recepta, *ex vetere lectione.*

b Moecenas in cultu suo.] De cultu suo *eadem*, *non* in cultu suo. *& paulo ante* ire, *nō* iri: *&* nunc, *non* tunc.

c Vide vt alueum liotribus aret, versoque vado remittat hortos.] *Exemplar familiare*: Vide vt alueum lintribus arent, versosque vadn remittant horros.

d Quid si quis foeminae cirro crispat, & labris columbatur?] *Vetus lectio*, Quid si quis foeminae cirro crispatae labris columbatur?

e Vt ceruice lassa sanantur.] *Idem exemplar*, vt ceruice laxa feratur.

f Ne mori tyranni irremediabilis factin] Nemo tyranni, *&c. idem exemplar.*

g Tum tam oegligeotem abiecta,] *Particula* tum *tollenda, ex eadem.*

h Qund vitinm hnminis esse, loterdum corpnris snlet.] *Corrige*, quod vitium hominis esse interdum, interdum temporis solet, *ex exemplari Facundi ac Primitiui.*

i Vt ea quae cludere snlent coena prima ponantur,] *Emendo*, vt ea quae includere coenam solent, prima ponantur, *ex vetere lectione.*

k Et illi & pro sordidis snlita sunt,] *Ex duabus coniunctionibus posterior expungenda, ex eadem.*

l Mndo fingit, & ignnta deflectit,] *Eadem*, modo fingit ignota ac deflectit.

m Et hoc gratiam sperent, si sententia pependerit,] Hinc, *non* hoc, *eadem. & paulo post* ament, *non* amet.

n Ad Appium & vsque ad Coruncanum redeunt.] *Corrigendum*, Ad Appium vsque & Coruncanum redeuot, *ex eadem.*

o Quàm si nollent splendidis vti,] *In quibusdam codicibus excerptum in margine, lege scribendum* vellent, *non* nolleot.

p Deo hlanditur & mnlliter labitur.] *Scribe*, aden blanditur, *&c. ex vetere lectione.*

q Vix ad clausulas redduntur.] Redeunt, *non* redduntur, *eadem.*

r Quid illa in exitu lenta,] *Castigandum reor*, Quid de illa in exitu lenta.

s Quae audita Panormitanos debere Romanis fecere.] Dedere, *non* debere, *lege ex vetere lectione. & paulo ante*, fugam fecere, *non* facere.

t Irritant illos, & in se aduertuot.] *Scribo* auertuot, *non* aduertunt, *ex eadem.*

v Nulli mnlesta est, nisi animus labatur.] *Eadem* labat, *non* labatur.

x Simul duhitant.] *Legendum puto*, simul notant.

y Nnn cum nmni exnletnrum] *Scribe*, Quòd noo cum omni exolerorum, *ex vetere lectione.*

z Nunquid enim, mi Lucili, hic furor est,] *Ex scriptis exemplaribus quaedam sic legunt*, Nunquid enim, mi Lncili, in hoc furor est. *Alia negationem addunt*, Nunquid enim, mi Lucili, in hoc furor non est.

a In illo quod nemn oostrum] *Exemplar Scholasticum*, In illo etiam quod oeinn. *Exemplar Franciscanum*, Imo in illo quod oemn nostrum. *quam lectionem magis probo.*

b Cui tanto tumultu comparatur cibus?] *Vetus lectio*, Cui tantorum cultu comparatur cibus.

c Aspice veteraria oostra,] Veterana, *non veteraria, exemplar Franciscanum.*

d Tnt consulum reginoumque vina cluduntur.] *Exemplar Scholasticum*, tot climatum regionumque vina cooduntur.

e Nihil tam aeque tibi profuerit] Tamen, *non* tam, *vetus lectio.*

IN EPIST. CXV.

a Habeo maiora quae cures quàm quae scribas.] *Postremae tres dictiones* quàm qoae scribas, *in omnibus vetustis exemplaribus desiderantur.*

b Barba & coma niodos, de capsula tortos.] Discapsulatos, *pleraque exemplaria*: *non* de capsula tortos. *Codex Franciscanus*, de capsula totos.

c Si circumtunsa est,] *Vetus lectio*, si circumtnnsa est.

d Et quod credas in homioe rarum humanitatis booom,] *Scribe*, & (quis credat?) in homine rarum humanitatis hooum, *ex eadem.*

e Splendnremque illi suum affundereot.] *Dictiuncula* que *supernacanea est, ex eadem.*

f Tonc prouidentia, cum elegantia,] Tum *legendum*, *non* Tuoe, *ex eadem.*

g Nemo illum amabilem.] *Lege* illam, *non* illum, *de facie enim loquitur. ex eadem.*

h Nemo nno, ioquam, amore eius arderet,] *Corrige*, Nemo, inquam, oon amore eius arderet, *ex ead.*

i Nunc enim multa nbsigillant,] *Codices quidam* nbsugillant. *Alij minus deprauate* obstigillant. *Lego* nbstrigillant. *Cuius verbi significationem legito apud Marcellum.*

k Et aciem nostram aut splendore nimin repercutiont, aut nbscurae retinent.] *Scribendum reor* obscuritate, *non* obscure: *vt splendori opponatur obscuritas.*

l Quamuis multus circa diuitiarum radiantium splendor impediat,] *Exemplar familiare* impendeat, *non* impediat.

m Nos ingeotium maculae columnarum siue ex AEgyptiis arenis] *Quid si legas* eremis, *non* arenis. *Nam solitudinam Aegypti & Hieronymus & alij meminerunt. & sequitur statim*: siue ex Africae snlitudlnibus.

n Miramur parietes tenoi marmore inductos:] *Codices quidam* iodutos, *non* ioductns.

o Quantum mali iaceat,] *Emendatius quaedam exemplaria* lateat, *non* iaceat. *quam lectionem cõfirmant quae paulo ante praecesserunt*, sub illo auro foeda ligna latitare.

p Haec ipsa res tot magistratus] *Scribe*, Haec ipsa res quae tot magistratus. *& dictio sequens* Pecunia. *per minorem scribi debet & praecedentibus annecti, ex vetere lectione.*

q Qoaerimus ono quale sit quid, sed quanti.] *Scribe*, quaerimus oõ quale sit quidque, sed quanti, *ex ead.*

r Et hnnesta quamdiu spes ioest, sequimur: in cootrarium transituri, si plos scelerata promitterent.] *Eadem*, Honesta, quamdiu aliqua illis spes inest, seqoimur: in contrarium transituri, si plus scelera promittant.

s Qui lucrn innocentiam, salute opinionem bonam mutant.] *Lege*, Qui lucro, innocentiam, salutem, opininnem honam motent, *ex eadem.*

t Sine me vncari pessimum, vt diues vocer.] *Adijcit eadem verbum* simul. Sine me vocari pessimum, simul vt diues vocer.

o An

u An dines, an bonus nemo, omnes quaerunt.] *Caſtiga*: An diues ſit, omnes quaerimus: nemo, an bonus. *ex eadem.*

x Vtinã honores petituri com ambitioſis. Vtinam qui diuitias optaturi eſſent, cum diuitibus deliberarent & ſummum, *&c.*] *Mutandus ordo verborum, & ſcribendum ex eadem ſic*: Vtinam qui diuitias appetituri eſſent, cum diuitibus deliberarent. Vtinam bonores petituri, cum ambitioſis ſummum, *&c.*

y Cum priora damnauerint.] *Exemplar familiare*, qui priora damnauerant.

z Et opinionum ſuarum ſecurus,] *Verbum* ſuarum *expungendum, ex vetere lectione.*

IN EPIST. CXVI.

à Nullum enim vitium ſine patrocinio. Nnlli non vitium eſt verecundum.] *Caſtiga*, Nullum eſt vitium ſine patrocinio. Nulli non initum eſt verecundum. *ex eadem.*

b Imbecillisque primo omnis affectus,] *Eadem*, imbecillus eſt primo omnis affectus.

c Nec vino infirmum animum committamus,] *In quibuſdam exemplaribus* vitio *habetur, non* vino.

IN EPIST. CXVII.

a Multum mibi tibique negocium concinnabis,] *Eadem*, Multum mihi negocij concinnabis. *etſi in pleriſque codicibus* continuabis *legatur, non* concinnabis.

b Deinde tunc dicere ſententiam audebo.] *In exemplari ſcholaſtico verbum* Deinde *non habetur.*

c Qnid ergo, inquiunt, cum dicimus bonum ſapere, dicimus referentes ad id de quo pendet,] *Vetuſta lectio*, Quid ergo, inquit? Non dicimus bonum eſt ſapere. Sapere dicimus referentes ad id de quo pendet. *Aliqui codices ſic*, Quid ergo inquit? Non dicimus bonum eſſe ſapere. Sapere dicimus referentes, *&c.*

d Et in aliam partem conſidere.] *Lege*, & in alia parte conſidere, *ex eadem.*

e Si experenda res eſt, bona eſt.] *Eadem*, Si experenda res eſt, bonum eſt.

f Sed petito bono accedit.] *Exemplar Franciſcanum*, ſed petito bonum accedit.

g Inter alia hinc colligimus,] *Vetus lectio*, Inter alia hoc colligimus.

h Aut timentium inferos, aut colentium.] *Eadem*, aut timentium inferos, aut colentium aethera.

i Tam corpus eſt quàm ille cui accidit.] *Scribe* illud, *non* ille, *ex eadem.*

k Si extra eſt, poſtquam acceſſerat, receſſit.] *Lege* acciderat, *non* acceſſerat, *ex eadem.*

l An quale iſtud ſit, tale boc ſit,] *Scribendum* illud, *non* iſtud, *ex eadem.*

m Vnum enim deerat illi quo minus bonum eſſet,] *Particula* enim *in quibuſdam exemplaribus non habetur. In alijs* ergo *habetur pro* enim.

n Niſi quia ſapientiam haber.] *Lege*, niſi qui ſapientiam habet, *ex vetere lectione. Adſtipulantur & verba ſequentia*, Nunquid quenquam qui ſapiat, non putas habere ſapientiam?

o Puto concedas dno eſſe haec,] Puto concedes duo eſſe haec. *ex eadem ſcribendum.*

p Habitu ſapientiam habet qui ſapit.] *Caſtiga ex eadem*, Habetur ſapientia. Habet qui ſapit.

q Non corpus, inquit, eſt quod nunc loquor,] *Quidam codices*, non corpus eſt quidem quod nunc loquor.

r Non enim qnid mihi videatur pronuntio:] *Scribe*, nondum enim quid mihi, *&c. ex vetere lectione.*

s Quid prohibet, qnominns aliud quidem, ſed nihilominus bonum?] *Puto legendum*, Quid prohibet, quominus alia qnidem ſint nihilominus bona? *Nam paulo poſt ſubijcit*, Coeperam dicere poſſe iſta duo eſſe, & tamen vtraque bona.

t Et ſapientiam & ſapientiam habere duo eſſe:] *Vetuſta lectio*, Et tanquam ſapientia & ſapiens duo ſint.

u Nihil obſtat ergo, quominus & ſapientia bonum ſit,] *Caſtiga*, ſic nihil obſtat, quominus & ſapientia bonum ſit, *ex eadem.*

x Olim me ipſum damno,] *Eadem*, Olim ipſe me damno.

y Omnia iſta circa ſapientiam ſunt, non in ipſa ſapientia ſunt.] *Corrigo*, Omnia iſta circa ſapientiam, nõ in ipſa ſunt, *ex eadem.*

z De ſyderum elementis,] *Exemplaribus reliquis hoc loco deprauatis Franciſcanum exemplar opem nobis tulit. In quo non* de ſyderum elementis *legitur, ſed* de ſyderum alimento, *rectiſsime.*

a Quid mihi profuturum eſt ſcire aliud bonũ eſſe] *Exemplar familiare, & paucioribus verbis & longe alijs*, Et ex his qnid bonum ſit. *Sciendum tamen notatum hoc haberi partim in margine, partim in contextu, quem vt apparet, deleuit ille qui ante me codicem poſſederat, quàm recte, non auſim affirmare.*

b Quibus animnm labentem ſtudiis firmem:] Labantem, *non* labentem *ſcribendum. & paulo poſt* feriunt, *non* ferunt, *ex vetere lectione.*

c Quae ad me irrumpunt, quomodo illas ad quas irrupi.] Eruperunt *&* erupi *ſunt codices qui habeant, non* irruperunt *&* irrupi.

d Sed ipſe mecum quo viſum erit, profugiam.] *Caſtigo*, ſed ipſemet, cum viſum erit, profugiam, *ex vetere lectione.*

e Siue non vis, quid deos rogas,] *Corrigendum arbitror*, ſi viuere non vis, quid deus rogas. *& ita notatum praefert domeſticum exemplar.*

f Itaqne, inquit, quamprimum moriar.] *Legendum puto, non* Itaque, *ſed* Ita. *Nam videtur principium eſſe, a voto ſumptum hominis, qui aegritudini manus dederat. Nemo autem incipit a verbo* Itaque. *Idem vitium mox paulo bis caſtigandum.*

g Tot qnaeſtiones tibi fortuna impoſuit.] *Lege* poſuit, *non* impoſuit, *ex vetere lectione.*

h Remoue iſta luxuriae arma:] Luſoria *exemplar Franciſcanum, non* luxuriae.

i Hoc ſecretarum copiditatum pondus effundam.] *Lege*, Qua ratione boc ſecretarum, *&c. ex eadem.*

k Qua ratione agatur aliquid.] *Prima duo verba* qua ratione, *deſiderantur in eadem.*

l Sic ſit. Negemus ſapere bonnm eſſe.] Fit, *non* ſit, *eadem.*

m An bonum ſit ſapientia.] *Scribe*, an bonum ſit futura ſapientia, *ex Franciſcano exemplari.*

n Quid enim dubium est, oro te,] Dubij, non dubium, legendum ex eodem.

o Deinde quale esse.] Vetus lectio, deinde quale est.

p Sapiam spero, sed interim non sapio.] Castigo, Vt sapiam spero, sed interim non sapio, ex correctioribus exemplaribus.

q Tabulam laterunculariam] Tabulam latrunculariam, eadem.

r Et vnde quam multa] Mallem legeres, & vides quàm multa. Quaedam exemplaria, & vide quàm multa.

s Et hoc tempore tam angusto & rapido,] Legendum reor, Ex hoc tempore tam angusto & rapido.

t Delectare potius quàm sanare:] scribe, delectare se potius quàm sanare, ex vetere lectione.

u Dic mihi, cum quid inter sapientiam & sapere intersit didicero, cur potius inter vocabula] Desiderantur hic duo verba, verbum sapiam, & coniunctio ergo, ex codice Facundi ac Primitini. Vt legendum sit per interrogationem ducentem ad negationem hoc pacto: Dic mihi, cum quid inter sapientiam & sapere intersit, didicero, sapiam? Cur ergo potius inter vocabula.

x Si dixero omne quod disco.] Direxero, non dixero, plerique codices.

IN EPIST. CXVIII.

a Vt scriberes, ego rescriberem.] Vetus lectio, Tu scriberes, ego rescriberem.

b Quis aperte petat.] In quibusdam codicibus arte legitur, non aperte.

c Propinquis nummus moueri non possit.] Corrige, propinqui nummum mouere non possunt, ex vetere lectione.

d In templis suis pendant,] Scribe pendeant, non pendant, ex exemplari Facundi & Primitini.

e Qui vt aliquid pestiferi consequantur, per mala nituntur in malum,] Diuersus est verborum ordo in vetere lectione, Qui vt aliquid pestiferi per mala consequantur, nituntur in malum. & paulo post optanti, non optandi, scribendum.

f Verum & verisimile inter se differunt. Itaque quod bonum est vero iungitur. Non est enim bonum nisi verum est. Ad quod inuitat ad se & allicere facit verisimile est.] Legendum puto hoc pacto, Verum & verisimile inter se differunt ita. Quod bonum est, vero iungitur. Non est bonum, nisi verum est. At quod inuitat ad se, & allicit facie, verisimile est. Nam & scholasticum exemplar ita, non itaque habet. & in Franciscano codice coniunctio enim non habetur.

g Surripit, sollicitat, attrahit.] Exemplar Franciscanum minus deprauate Subripit, non Surripit. Lego subrepit.

h Iam & honestum est:] Superfluit verbum est, ex vetere lectione. Legendaque haec verba, vt puto, per consequentiam cum praecedentibus, nulla distinctione.

i Haec cum honeste ministrata sunt,] Eadem administrata agnoscit, non ministrata.

k Leuia enim sunt contemnenda.] Superuacaneum est verbum sunt, ex eadem. In familiari codice, Lenia enim sunt & contemnenda.

l Nullum enim minimum cōtemnendum bonum.] Eadem non habet coniunctionem enim. In meo domestico exemplari aliter, Nullum etiam minimum contemnendum bonum.

m Vnde aliquid cognoscitur bonum?] Codices quidam, Vnde agnoscitur bonum?

n Haec eius proprietas] Deest in fine verbum est, ex vetere lectione.

o Quomodo ad illam proprietatem peruenit,] Aliam, non illam, eadem.

p Ille irrationabilis est, hic rationabilis.] Castiga, ille enim irrationalis est, hic rationalis, ex eadem.

q Et exiguum mellis pondus,] Legendum sine coniunctione, Exiguum mellis pondus, ex eadem.

r Vbi animus aliquid diu protulit, & in magnitudinem eius sequendo lassatus est, infinitum coepit vocari, quod longe aliud factum est quàm fuit, cum magnum videretur. Sed finitum eodem modo,] Verba haec vitiosissime habentur in omnibus & priscis & neotericis codicibus, nullo vel minimo apparente vestigio antiquae sincerae que lectionis. Promam nihilo secius sententiam meam: cui quantum tribui debeat, aliorum esto iudicium. Certe facilius ea lectione, quam coniectio, Senecae mens percipietur. Ad hunc ergo modum scribendum existimo: Vbi homus aliquid diu protulit, qui in magnitudine eius secanda lassatus est, infinitum coepit vocare, quod longe aliud factum est, quàm fuit cum magnum videretur, sed finitum. Eodem modo, &c. Quidam codices adijciunt coniunctionem &: sed & finitum.

s Nouissime crescente ad difficultatem,] Castiga, nouissime crescente hac difficultate, ex omni vetere lectione.

IN EPIST. CXIX.

a Ad maximas te diuitias compendiario ducam.] Quidam codices compendiarie legunt, non compendiario. Sed rectius exemplar diui Francisci compendiaria, vt subintelligatur via.

b Catonianum illud: a te mutuum sumes.] Corrigendum credo, Hecatonianum illud: a te mutuum sumes: nam Hecatonis testimonium frequens est in Seneca.

c Summa res in vtroque est eadem:] Corrige, Summa rei in vtroque eadem est, ex eadem.

d Vtrum haec aqua sit ex lacu proximo excepta, an ea quam multa niue clusero,] In eadem aliter, Vtrum haec aqua sit quam ex lacu proximo excepero, an ea quam multa niue clusero.

e Et superuacanea deuites.] Dimittes, non deuites, eadem.

f Ad proxima quaeque tendatur manus. Ipsa mihi commendabit quodcunque comprehendero.] Scribe, Ad proxima quaeque porrigatur manus. En ipsa mihi commendauit, &c. ex eadem.

g In anima, inquis, lance numeras.] Corrige ex meo familiari exemplari, Inani me, inquis, lance muneras. & paulo ante quaesitor, non quaestor, habent nonnulla exemplaria.

h Nam ego paraueram fiscos.] Vetus lectio, Ego iam paraueram fiscos.

i Consecutus est, quod nunquam diuitiis contigit, finem.] Scribe, consecutus est, quod nunquam diuiti contigit, finem, ex eadem.

k Qui tantū non alget, non esurit, non sitit.] Puto legendum, qui tantūnō nō alget, hoc est, qui fere nō alget.

l Nunquam

l Nunqnam ſatis eſt, quod multum.] *Vetus omnis lectio*, Nunquam multum eſt, quod ſatis non eſt.

m Poſt Darium & Indos pauper eſt Alexander Macedo: quaerit quod ſuum faciat.] *Exemplar Franciſcanum non* Macedo *agnoſcit, ſed* Mentiot, *vt ſit obiectio.*

n Tanto fine terrarum per ſuum rediturus orbem triſtis.] *Scribe*, de tanto fine terrarum per ſuum rediturus orbem triſtis eſt, *ex exemplari Facundi & Primitiui, etſi codex Franciſcanus non* tanto *habeat, ſed* toto, *vt forte legendum ſit* tot, *non* toto.

o Quorum nomina cum Croeſo Licinioque numerantur,] *Quaedam exemplaria* Craſſo *agnoſcunt, non* Croeſo, *rectius. Nam Croeſus cum Licinio male committitur, cum Craſſo bene, vt illud Perſij:*

Nunc Licini in campos, nunc Craſſi mittit in aedes.

p Iſte, ſi mihi credis, pauper eſt: ſi tibi, poteſt eſſe.] *Corrige*, iſte, mihi crede, pauper eſt, ſi poteſt eſſe, *ex omni ſcripta lectione.*

q Hic ipſe quem circa naturam diximus,] *Exemplar Scholaſticum*, hic ipſe quem circa naturam dicimus. *Exemplar familiare*, hic ipſe de quo circa naturam dicimus.

r E contrario dicere ſolemus,] *Caſtigandum reor*, e contrario dicere debemus.

s Quàm paribus miniſteriis & leuibus offeratur cibus.] *Lege*, quàm paribus miniſtris & laeuibus affertur cibus, *ex vetere lectione.*

t In prima potione ſedatam] *Superfluit praepoſitio* in, *ex eadem.*

u Oculos meos laedit. Id actum eſt] *Eadem*, Oculos hoc meos laedit. Id pactum eſt.

x Vtamur ergo in boc naturae beneficio] *Praepoſitio* in *ſuperuacanea eſt, ex eadem.*

IN EPIST. CXX.

a Quomodo ad nos boni honeſtiqne notitia peruenerit.] *Vetus lectio*, Qnomodo ad nos boni honeſtique prima notitia peruenerit.

b Per analogiam noſtri intellectum & honeſtum & bonum iudicant.] *Corrigendum reor*, per analogiam noſtro intellectu & boneſtum & bonum iudicante. *Patet ſic eſſe legendum ex ſequentibus.*

c Nemo non gloriam vltra rectum tulit.] *Scribendum*, Nemo non gloriam vltra verum tulit, *ex vetere lectione.*

d Quàm ſi ſponte veniſſet.] *Exemplar Facundi & Primitiui*, quàm ſi ponte veniſſet. *Caſtigo*, quàm ſi e pōte veniſſet.

e Sed ſemel bunc vidimus in bello fortem,] *Prima duo verba*, ſed ſemel, *ad praecedentia pertinent. Tum ſequitur per maiorem litteram*, Hunc vidimus in bello fortem, *ex vetere lectione.*

f Sed hoſpitinm, & breue hoſpitium:] *Scribe*, ſed hoſpitium, & quidem breue hoſpitium, *ex eadem.*

g Vbi te grauem eſſe boſpitem videas.] Hoſpiti, *non* hoſpitem, *ex eadem.*

h At nos corpus tam turpe ſortiti nihilominus alterna proponimus,] *Scribe*, At nos corpus tam putre ſortiti nihilominus aeterna proponimus. *Nam vetus lectio* putre, *non* turpe, *habet. & exemplar Franciſcanum* aterna *praefert corrupte pro* aeterna.

i Hoc quod futurum dico, nunc maxime fit,] *Lego*, Hoc quod futurum dico, cum maxime fit: *ex omni veteri lectione.*

k Modo Lucium Craſſum dinitiis,] *Corrige*, Modo Licinium diuitiis, *tum ex praecedentibus, tum ex vetere omni lectione, in qua dictio* Craſſum *non habetur.*

l Et inter ſimulationem virtutis amoremqne vtilium aſſidua iactatio.] *Corrige*, & intra ſimulationem virtutum amoremque vitiorum aſſidua iactatio, *ex eadem.*

m Modo pecuniam ſpargit, nunc rapit.] *Scribe*, Nunc pecuniam ſpargit, nunc rapit, *ex eadem.*

n Sic maxime coarguitur animus imprudens, alius prodit atque alius,] *Quaedam exemplaria*, Sic maxime coarguitur animus impudens. Prodit alins, proditque alius.

IN EPIST. CXXI.

a Interim enim clamabis hoc, quod clamare ſoles.] *Exemplar Franciſcanum*, Iterum enim exclamabis, *caetera ſuperfluunt, ex eadem.*

b Sed ad exclamandum tibi. Primum alios opponam.] *Praepoſitio* ad *eradenda ex vetere lectione, ſcribendumque per maiorem*, Primum alios opponam. *In exemplari Facundi & Primitiui*, Sed exclamanti tibi, *reliqua.*

c Et virtutes exhortabor,] *Melius*, ad virtutes exhortabor.

d Et affectus efferatiſſimos] *Lege*, & affectus effrenatiſſimos, *ex vetere lectione.*

e Nemo aegre molitur actus ſnos] Artus *lege, non* actus, *ex eadem.*

f Nullum tormentum ſentit ſnpina teſtudo.] Supinata, *non* ſupina, *correctiora exemplaria.*

g Ergo omnibus conſtitutionibus ſuus ſenſus eſt.] *Legendum*, Ergo omnibus conſtitutionis ſuae ſenſus eſt, *ex vetere lectione.*

h Neceſſe eſt enim id ſentiant, per quod animalia quoque ſentiunt.] *Exemplar Franciſcanum*, Neceſſe eſt enim adſentiant, per quod animalia quoque ſentiunt. *Vt forte legendum ſit*: Neceſſe eſt ei adſentiant, per quod animalia quoque ſentiuntur. *Sic enim pleraque exemplaria habent, non* ſentiunt. *Addit codex ſcholarum Salmanticenſium verbum* ferri: Neceſſe eſt enim id ferri ſentiant, per quod, *caetera. Vt rurſus legi poſſit*: Neceſſe eſt enim id fieri ſentiant, per quod animalia quoque ſunt, *vel ſic*, per quod animalia quoque ſentiuntur.

i Et quod ſibi eſſe ſcit:] *Corrige*, & conatum ſibi eſſe ſcit, *ex omni vetere lectione.*

k Enati ſunt dentes:] *Exemplar Franciſcanum*, Ei nati ſunt dentes.

l In quam conſtitutionem cum venit, eam tuetur,] *Corrige*, In quamcunque conſtitutionem venit, eam tuetur, *ex vetere lectione.*

m Qnòd nibil amplius, ſi intellexerint, faciant.] *Lego* facient, *non* faciant, *ex eadem: etſi ſint codices in quibus habeatur*, qnòd nihil amplius quàm intellexerint faciant. *Vt exiſtimem legendum, non* quàm, *ſed* quum.

n Simul enim conciliatur ſaluti ſuae quicque, & quae iuuant, illa petit,] *Corrige*, ſimul enim conciliatur ſaluti ſuae: quaecunque iuuant, illa petit: *ex exemplari Franciſcano.*

o Quanta diurni laboris] *Omnis ſcripta lectio*, quanta diuidui laboris.

p Io quorum precium illa tenduntur,] *Legendum reor contra omnia exemplaria*, perniciem, *non* precium.

q AEquo venit quod natura diſtribuit.] Ex aequo *lege*, *non* aequo, *ex vetere lectione.*

r Tacitis quoque & brutis quamuis in cetera torpeant,] *Scribendum puto*, Tacitis namque & brutis.

IN EPIST. CXXII.

a Ita tamen vt liberale adhuc ſpacium ſit.] *In codice meo non* ſit *habetur*, *ſed* ſuperſit.

b Et lucem primam exuit.] *Legendum arbitror*, luce prima exiuit. *Nam Franciſcanus codex* exiuit *praefert*, *non* exuit. *aut lege ſic*, vt luce prima exeat.

c Cuius vigilia in medio die incipit,] *Redundat praepoſitio* in, *ex vetere lectione.*

d Sunt quidem eadem vrbe antipodes,] Quidam, *non* quidem, *legendum*, *ex eadem.*

e Tam infauſti homines quàm nocturnae aues ſunt.] *Exemplar Franciſcanum* noctuae *agnoſcit pro* nocturnae. *& crediderim legendum eſſe* omnios, *non* homines.

f Totum peruerſum vigiliae tempus deducant,] Peruerſae *palam eſt ſcribendum eſſe*, *non* peruerſum, *agnoſcente etiam id vetere lectione. & mox ante* diſtrictis, *non* diſcoctis, *eadem praefert. Et* diducant *ſcribo*, *non* deducant.

g Non conuiuantur, ſed iuſta ſibi faciunt.] Buſta, *non* iuſta, *vetus lectio.*

h Et ſoperbam vmbram iners ſagina ſuccreſcit.] *Maior pars exemplarium*, ſuperba membra, *non* ſuperbam vmbram. *Et* ſubrexit *forte*, *non* ſuccreſcit.

i At iſtorum corpora qui ſe tenebris dicauerunt,] *Corrigendum puto*, ita iſtorum corpora qui ſe tenebris dicauerunt.

k Quippe non ſpecioſior illis, quàm morbo pallentibus color eſt:] *Exemplar Franciſcanum*: Quippe ſuſpectior illis, quaſi morbo pallentibus color eſt.

l Deinde etiam iſti e contrario non videntur ſibi contra naturam viuere. Ieiuni bibunt,] *Scribe*, Deinde etiam e contrario iſti non videntur tibi contra naturam viuere qui ieiuni bibunt: *ex vetere lectione.*

m Atque frequens hoc adoleſcentum vitium eſt,] Atqui, *non* Atque, *legendum eſt*, *ex eadem.*

n Merum illud delectat, non quod innatat cibo, quod libere penetrat ad neruos.] *Caſtiga*, Merum illud delectat, quod non innatat cibo, quod libere penetrat ad neruos: *ex eadem.*

o Qui ſpectant, vt pueritia ſplendeat] *Scribendum* expectant, *non* ſpectant, *ex eadem.*

p Et calorum apta imitatione brumalium florem vernum exprimunt?] Mutatione, *non* imitatione, *eadem agnoſcit. & forte commodior eſſet lectio* bruma lilium *quàm* brumalium.

q Quorum ſyluae in tectis domuum] *Scribe* domorum, *non* domuum, *ex eadem.*

r Et delicate natare ipſi videntur, vbi calentia ſtagna,] *In eadem ſic habetur*, & delicate natare ſibiipſi videntur, niſi calentia ſtagna. *vt forte legendum ſit*, nec delicate natare ipſi ſibi videntur, niſi calentia ſtagna.

s Lucet, ſomni tempus quies eſt] *Correctiores codices*, Focus lucet, ſomni tempus eſt, quies eſt.

t Nunc exerceamur, nunc geſtemur, nunc prandeamus.] *Exemplar diuae Mariae non* prandeamus *legit*, *ſed* pendeamus, *quod non ita diſplicet. Nam Cornelius Celſus lib. 2. inter geſtationum genera ponit lecti ſuſpenſionem.*

v Et frigore, ortus & occaſus libentiſſime inſerebat.] *Exemplar familiare non* frigore *agnoſcit*, *ſed* frequenter. *Eſt & in quibuſdam exemplaribus* licentiſſime, *non* libentiſſime.

u Nunquam liberalius poſſum agere.] *Scribe per interrogationem*, Nunquid liberalius poſſum agere? *ex vetere lectione.*

x Argutis redit vſa cibos immittere nidis] *Lege*, Argutis reditura cibos immittere nidis, *ex eadem.*

y Varus eques Romanus vicini comes,] *Scribendum*: Varus eques Romanus, L. Vinitij comes, *ex exemplari Franciſcano. Fuit hic L. Vinitius praeſtans orator, Auguſti temporibus, tam praeſentaneo in agendis cauſis ingenio, vt quicquid longa cogitatio alijs praeſtitura erat, praeſto illi adeſſet prima animi duntaxat intentione. Itaque eleganter de illo Auguſtus, ingenium in numerato habere dixit. Auctor Seneca libro Declamationum ſecundo.*

z Itaque aliquotiens faciunt quod excitet famam.] Itaque male habent, quotiens faciunt quod excedat famam: *exemplar familiare. Puto deeſſe negationem*, *legendumque hoc pacto*: Itaque male habent, quotiens non faciunt quod excitet famam.

a Habitaſſe ſe ſupra domum Spanij.] *Quaedam exemplaria*, Spapinij *habent*, *non* Spanij. *Alia*, Spu. Panij. *Forte legendum*, Spu. Papinij.

b Clamorem concitatum:] *Legendum reor*, clamorem concinentium: *ſiue*, clamorem cantuum.

c Quid ſit ille ſonus rotarum? velle geſtari dicitur.] *Vetus lectio*, quid ſibi ille ſonus rotarum vellet, geſtari dicitur.

d A balneo exiſſe.] *Exemplar Franciſcanum*, ab alueo exiſſe, *quod non diſplicet. Nam ſolium in balneo etiam alueus dicebatur. Qua in ſignificatione vtitur praeter alios Cicero, quarto Rhetoricorum ad Herennium, ſiue quis alius fuerit pro Cicerone eius compoſitionis ſcriptor*: Deinde, *inquit*, vbi viſum eſt, vt in alueum deſcenderet. Ecce ibi iſte de tranſuerſo, *caetera.*

e Excedebat, inquit, coena, cuius diem minime.] *vetus lectio inuerſis dictionibus*: Excedebat, inquit, cuius diem coena minime. *Scribendum fortaſſe*, Excedebat, inquit, eius in diem coena? Minime.

f Itaque credo dicentibus illum quibuſdam auarum & ſordidum: Vos, inquit, & lychnobium dicetis.] *Sic prior editio. Scribendum reor* Pedo, *non* credo. *vt referatur dicterium ſequens ad Pedonem Albinouanum, cuius erant priora verba. Item* lichnobium *per i, non per y legendum: vt ludat in ambigua verbi ſignificatione. Deſignat enim & hominem ad lucernam viuentem, & helluonem ac voracem: prout hoc vel illo modo ſcribitur.*

g His diſtorti] *Exemplar D. Mariae*, Ab his diſtorti.

h Quibus peccandi praemium infamia eſt.] *Commodior erit, mea ſententia, lectio*, Quibus peccandi praemium in fama eſt: *ſiue ſine praepoſitione*, quibus peccandi praemium fama eſt: *vt liquet ex ſuperioribus.*

i Qui, vt ita dicam, recto viuunt.] *Corrigendum arbitror*, qui, vt ita dicam, retro viuunt.

IN EPIST. CXXIII.

a Itaque in lecto lassitudinem pono. hanc coci ac pistoris moram boni consulo.] *Scribe*, Ita in lectulo lassitudinem pono. Hanc coci, hanc pistoris moram boni coosolo. *ex vetere lectione.*

b Quòd indignandum oihil,] *Puto legendum*, Quàm indignandum oihil.

c Etiam locupletibus & instructis, a nobis optantem prohibeot, & occurrent.] *Ita prior editio. Qua in lectione exemplaria omnia deprauata comperi, praeter vnum illud meum familiare, in quo sinceram scripturam deprehendi ad hunc modum*: Etiam locupletibus,& instructis aciebus optatum prohibentes occurrent. *Suffragatur nonnihil exemplar Scholarum, legens* a diebus, *non* a nobis.

d Haec qualiscunqoe coena Diali iucundior erit.] *Exemplar Facundi & Primitiui*, Haec qualiscunque coena Attali iucundior erit. *De Attalo philosopho supra.*

e Si noo tantum aeqous molestiam, sed placidus aspexit,] *Nonnulli codices* molestia. *Lego* molesta.

f Sed qood dari deberet,] *Vetus lectio*, si quod dari deberet.

g Vtehamor illis, non quia debebamus,] *Adde coniunctionem* enim. Vtebamur enim illis, *&c. ex eadem.*

h Quàm multa ante parabamus, quia alij paraoerunt.] Autem *eadem agnoscit, non* ante. *& puto castigatiorem esse lectionem* paramus, *quàm* parabamus.

i Vt qui honestum hominem venire] *Verbum* vt *supernacaneum existimo.*

k Omnes iam multos habent, qui crystallina,] *Bona exemplarium pars* mulos *legit, non* multos. *Quid si legas* famulos, *non* multos, *sine* mulos? *quod magis videtur sensus exposcere.*

l Horum omnium sermo vitandus est.] *Scribe*, hominum, *non* omnium, *ex exemplari domestico, vt paulo post*, Pessimom genus horum hominum videbatur.

m Hi sunt qni vitia tradent, & alio aliunde transferent.] *Scribe*, Hi sunt qui vitia tradunt, & alio aliunde transferunt, *ex vetere lectione.*

n Nam etiamsi non statim proficit,] Officit *lege, oon* proficit, *ex exemplari diuae Mariae.*

o Feruot secum in auribus modulationem illa ad dulcedinem cantumque cogitatiooes] *Castiga*, ferunt secum in auribus modulationem illam ac dulcedinem cantus quae cogitationes impedit: *ex vetere lectione.*

p Facete omnia libere.] *Eadem*, facere, esse, bibere. *Vt forte accipiat* facere, *pro* veoereis vti. *In qua significatione & apud Plautum inuenitur, & vulgo vsurpatur.*

q Dubitamus quod iuuat sapere,] Dubitamus qood iuuat facere, *quaedam agnoscunt exemplaria.*

r Et aetati voluptates non semper decepturae. Interim dum potest, dum possit ingerere?] *Castigo*, & aetati ooo semper voluptates recepturae, interim dum potest, dum possit, ingerere: *ex codice Franciscano.*

s Quanta dementia est haeredi suo procurare,] *Scribo*, Quanta dementia est haeredis sui res procurare, *ex omni vetere lectione.*

t Alienae vitae censores siue hostes,] *Scribe*, alienae vitae censores, suae hostes, *ex eadem.*

v Et in turpem vitam ac miseram vbi turpius illidnot.] *Breuius & sincerius exemplar familiare*, & in turpem vitam miseros illidunt.

o Aduersus petentia concitemur.] Potentia, *non* petentia, *omnis scripta lectio. Quid si legas?* premeotia. *Nam supra duo dixit esse genera rerum quae nos inuitent aut fugent, vt dicat hic* prementia, *quae nos fugant.*

x In res asperas & duras subeundum est.] *Eadem*, In aspera & dura subeundum est.

y Qui dolores, metus per se formidabiles res incuoont.] *Scribendum puto*, Qui doloris metus per se formidabilis rei incutiunt. *Videntur fauere huic lectioni verba epistolae sequentis*: Quibus nimium volnptas placet, quibusque summos est doloris timor. *& paulo post*: & improbamus illos, qui nihil viriliter ausuri sunt doloris metu.

z Combibendi & coouioendi] *Vetus lectio*, combibendi & coouitandi.

a Gloria vanum & volatile quiddam est,] *Eadem*, Gloria vannm & volobile qoiddam est.

b Quid quaeris? Sola in aeqoo est generis homans.] *Eadem*, Quid sit, quaeris? Sola vis aequum est geoeris humani. *Exemplar familiare*, Sola ius generis humani aequat.

c Superstitio error insanus est.] *Exemplar Franciscanum*, Superstitio error infantis est.

IN EPIST CXXIIII.

a Non est elegaotiae tuae tam magoa sectari,] *Legendum puto* tantum, *noo* tam.

b Daretur, booum malumqoe dignoscere.] *Vetus lectio, partim* daret, *parom* deberet: *non* daretur.

c Sicut quid sit integrum, quod cootingit protinus nato,] *Scribe*, sicut quid sit integrum. Quid est secundum natutam? qood contingit protinus nato.

d Et illum qui maternorum viscerum latens ooos est.] *Exemplar familiare*, & illum qui maternorum viscerum latens vermis est.

e Et ooo magis infans ad hoc boni capax est,] *Exemplar Facundi & Primitiui*, Quia ooo magis infans ad hoc booi capax est. *Videtur mihi legendum* adhuc, *oon* ad hoc.

f Ob hoc infantiae quoq; ooo est:] *Scribendom per maiorem, legendumque*, Ob hoc in infante qooqoe nõ est: *ex omni vetere lectione.*

g Ratio illud secum affert.] *Scribe rursus per maiorem*, Ratio illud secum affert, *ex eadem, hoc est, bonum sine ratione esse nequit, & bonum comitatur.*

h Noo quod erit booum io eo quod irratiooabile est. Io eo quod oondum rationale est, tunc esse bonum non potest, sed imperfectum iam potest bonom, sed non est.] *Castigo ex lectione diuersorum exemplarium. nam in vno veram scripturam inuenire non potui.* In eo quod irrationale est, ounquam erit bnnũ. In eo quod nondum tationale est, tunc esse bonum oon potest. In imperfecto iam potest bonum esse, sed non est.

i Ergo nec in teoero modo calescente corpusculo est.] *Scribe*, ergo nec in vtero modo coalescente corpusculo est, *ex codice meo familiari.*

k Non magis quàm in semioe hoc. Si dicas aliqood arboris aut sati bonum nouimus.] *Castiga*, Non magis quàm in semioe. Haec si dicas: Aliquod arboris ac sati booum nouimus. *ex vetere lectione.*

l Hoc nondum est in berba latente.] *Puto mendum esse in verba* latente, *legendumque* lacteote : *vt Virgilius lactentia frumenta in Georgicis appellauit.*

m Quod autem hoc bonum dicam.] *Legendum,* Quod aotem hoc sit bonnm, dicam : *ex vetere lectione.*

n Si hoc & bonum & intelligibile est.] *In eadem habetur*, vbi hoc & bonum & intelligibile est.

o Hoc quod in illis bonum est, praedicatione bonum dicitur.] *Lege* precario, *non* predicatione, *ex correctioribus codicibus.*

p Bonum autem cadere in mutum animal] *Vetus lectio*, Bonum quidem cadere in mutum animal.

q Alterius cura, hominis.] *Deest dictio* scilicet, *vt sit*, alterius cura, hominis scilicet, *ex eadem.*

r Caetera tamen in sua natura perfecta sunt.] *Verbum* tamen *superuacuum est : ex eadem.*

s In muto animali beata vita nun efficitur.] *Castiga*, in muto animali oon est quo beata vita efficitur, *ex codice Scholastico.*

t In muto animali bonum non est.] *Deest verbum* ergo. In mutó ergo animali bonom oon est. *ex eadem.*

v Mutum animal sensu comprehendit praesentia. Praeteritotum reminiscitur, cum id incidit, quo sensus admonetur : tanquam equus reminiscitur viae, cum ad initium eius admotus est.] *Multa ex his verbis in exemplari Franciscano non habentur. Sic enim in eo legitur* : Mutum animal sensu comprehendit praesentia. Praeteritnrum reminiscitur. Reminiscitur viae, cum ad initium eius admotum. *reliqua desiderantur.*

u In stabulo qoidem nullius viae est quamuis saepe calcatae memoria est.] *Corrigo*, In stabulo quidem nulla illi viae, quamuis saepe calcatae, memoria est, *ex vetere lectione.*

x Aut si natura habet, hoc habet, quod habent & sata.] *Codices Franciscanus & diuae Mariae, breuius*, Aut si natura babet, hoc habent & sata.

y Sed quale nec bonum absolute, nec virtus.] *Verbum* quale *non agnascitur a vetere lectione.*

z Nullo modo prodesse magis possum.] *Scribe*, Nullo modo prodesse óbi magis possum, *ex eadem.*

a Vel Germanorum modo vinxeris,] *Verbum* modo *expungendum, ex eadem. etsi non absurde pro eo substitui posset* oodo, *vt illud :*

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.

b Cum ribi gaudium omne nascetur.] *Scribe*, cum tibi ex te gaudium omne nascetur, *ex eadem.*

c Tuuc habebis bonum tuum,] *Aptior lectia domestici exemplaris*, Bnnum tunc habebis tuum. *In exemplari tamen Franciscana desideratur dictio* Boonm.

FERNANDI PINCIANI CASTIGATIONES

IN LIBRVM QVARE BONIS VIRIS MALA ACCIDANT, *cum sit prouidentia : vulgo* DE DIVINA PROVIDENTIA *inscriptum.*

CAP. I. a Quid ita si diuina prouidentia mundus ageretur,] *Verbum* dinina *vetus lectia non agnoscit.*

b Cum praeesse vniuersis prouidentiam probaremus,] *Castigandum censeo*, quo praeesse vniuersis prouidentiam probamus. *Existimamus enim fieri hoc loco a Seneca mentionem operis alterius de prouidentia, quod citatur a Lactantia Firmiano, & alijs.*

c Saepe turbari, & cito arietare :] *Dua illa verba* & cito, *desideantur in exemplari domestico.*

d Vt infusa vallibus maria molliant terras,] *Quid si non legas*, molliant : *sed* moueant, *siue* commoueant? *nam in quibusdam codicibus* commoliant *habetur. Vnde & a poetis ἐνοσίγαιος appellatur Neptunus, hoc est, terram quatiens.*

e Sed & illa causas habent] *Scribe*, sed suas & illa causas habent, *ex vetere lectione.*

f Quam quae alienis locis conspecta miracula sunt,] *Lege* miraculo, *non* miracula, *ex eadem.*

g Aduersus optimns optimus sis.] *Scribendum*, aduersus optimus optimis, *legendaque ea verba per consequentiam cum praecedentibus : ex eadem.*

h Neque enim natnra patitur, vt vnquam bona bonis noceant.] *Scribe*, Neque enim rerum natura patitur, vt bona bonis noceant : *ex eadem.*

i Quoniam quidem bonus tempore] *Lege ex eadem* quandoquidem, *non* quoniam quidem.

k Cogita filiorum nos modestia delectari,] *Scribe*, cogita filiorum hos modestia delectari, *ex eadem.*

II. l Tantum superne deiectorum imbrium,] *Sunt codices in quibus legitur*, tot supernae deiectiones imbrium.

m Est enim omnibns externis potentinr :] *Exemplaria aliqua*, Est enim omnibus casibus potentinr.

n Per quos certamini praeparantur,] *Alij codices*, per quos certamen praeparatur : *vt significet illos, quos Graeci vocant agonothetas.*

o Caedi, vexarique patinntur. Et si oon inoeniunt singulos pares, pluribos simul obiiciuntur.] *Scribendum reor*, caedi vexarique patiantur. Etsi non inueniant singulos pares, pluribus simul obiiciant. *vt referatur ad agonothetas.*

p Quantumque valeat, polleatque,] *Vetus lectio*, quantumque polleat : *reliqua desiderantur.*

q Si aliquando impetum capiunt. Spectant Dij magnos viros] *Castigandum arbitror*, si quando impetum capiant spectandi magnos viros.

r Sed puerilia & oblectamenta humanae leuitatis.] *Vetus lectio*, puerilia & humanae oblectamenta leuitatis. *& paulo post* rectum, *non* erectum.

s Ferrum istud in ciuili bello purum] *Scribe*, ferrum istud etiam ciuili bello purum, *ex eadem.*

t Retenta ac reuocata virtus est,] Renouata *quidam codices, non* reuocata.

u Eos dignos malo esse, si oolint.] *Lege*, ac dignos malo. *reliqua desiderantur: ex vetere lectione.*

x Et radi ossa & laedi,] *Scribendum*, & radi ossa & legi, *ex eadem.* III.

y Vbi ex voto illi fluxerunt omnia, vt ante votum:] *Eadem*, Vt ex voto illi fluxerunt omnia, immo & vt ante votum.

x Ignemque experitur in Mucio,] *Particula* que *delenda*, *ex eadem.*

a Magnum exemplum nisi mala fortuna ooo inuenit.] *In quibusdam exemplaribus* magna *legitur*, *non* mala.

b Quas in agro triumphalis senex euulsit,] *Scribe*: Quas in repurgando agro triumphalis senex euulsit: *ex vetere lectione.*

c Si ingenti pomorum strue augeret,] *Lege*, augeretur, *non* aogeret, *ex eadem.*

d Primae formae feras captas multa caede venantium?] *Deest verbum* deglutire, *reponendum in fine horum verborum*, *ex exemplari Francifcano.*

e Viderint, inquit, hoc isti quos Romae deprehendit felicitas tua.] *Vetus lectio non agnoscit verbum* hoc. *Item* ista *lego*, *non* isti: *vt paulo post*, Videant ista qui exulare non possunt.

f Id enim ptoscriptionis spoliarium est.] *Scribe*, Id enim proscriptionis Syllanae spoliarium est, *ex eadem.*

g Male tu natum Socratem indicas,] *Prior editio*, Male tu natum Socratem iudicas. *Scribo*, Male tractatum Socratem iudicas, *ex eadem.*

h Male cum illo actum est? Congelatus est sanguis.] *Lego*, Màle cum illo actum est, quòd gelatus est sanguis: *ex eadem.*

i Suamque illi felicitatem contigisse] Summam, *non* Suam, *eadem habet.*

k Opponatur simul Pompeio, Caesari, & Crasso.] *Remoue coniunctionem* &, *ex eadem.*

l Descendisti ad Olympia, sed nemo praeter te. victoriam noo habes, Olympiam corooam habes.] IIII. *Corrige*, Descendisti ad Olympia. Si oemo praeter te, corouam habes, victoriam oon habes, *ex eadem.*

m Quid quidem quisque posset, nisi tentando non didicit.] *Eadem non agnoscit verbum* quidem.

n Et virtuti iter in occasiooem per quam enitescerent, quaesierunt.] *Castigandum*, & virtuti iturae in obscurum occasionem per quam enitescerent, quaesierunt: *ex eadem.*

o Quooiam & qood passura est, gloriae pars est.] Qoanquam, *non* qooniam, *eadem agnoscit.*

p Quàm aequo animo passurus sis orbitatem filiorum,] *Verbum* filiorum *non habetur in eadem.*

q Tranquillitas itineris detinet.] *Castiga*, tranquillitas iners detioet, *ex eadem.*

r Graue est ferre ceruicibus iugum.] *Sic prior editio*, *in qua desiderabatur verbum* teneris. *Legendum itaque*, Graue est ferre teneris ceruicibus iugum, *ex eadem.*

s Sed veniet ad illum diu felicem sua portio.] *Coniunctio* Sed *redundat*, *ex eadem.*

t Quare io castris quoque periculosa fortissimis imperantur? dux lectissimos] *Castiga*, Quia in castris quoque periculosa fortissimis imperat dux. Lectissimos, *&c. ex eadem.*

u In varias mentem imagines euocat,] Vanas, *non* varias, *eadem.*

x Publice verberibus admotis] *Eadem* admotos *agnoscit*, *non* admotis.

y Quam frequens vsus agitauit.] Exagitauit, *non* agitauit, *praefert eadem.*

x Vt contra illam ab ipsa duremur.] *Corrige*, vt contra ipsam ab ipsa duremur, *ex domestico exemplari.*

a Sic sunt nautica corpota ferendo mari dura:] Nautis *praefert omnis antiqua lectio*, *non* nautica. *&* extritae *paulo post*, *non* ttitae.

b Ad contemnendam malorum potentiam] Patientiam, *non* potentiam, *eadem.*

c Super durata glacie stagna persultant,] *In quibusdam exemplaribus verbum* stagna *non habetur.*

d Hoc est propositum deo, sapienti viro ostendere] *Scribe*, Hoc est propositum deo, qnod sapienti V. viro ostendere, *ex vetere lectione.*

e Debilitari aut confringi,] *Eadem* configi *habet*, *non* constingi.

f Idem in hac re magna publica fit.] *Lege conversis dictionibus*, Idem in hac magna republica fit, *ex eadem.*

g Sed sequuntur illam, & aequo gradu si scissent, antecessissent.] *Scribo*, Sequuntur illam, & aequant gradus. Si scisseot, antecessissent. *ex eadem.*

h Quid est qnnd nos sic viuere, sic mori iussit] *Scribendum*, Quicquid est quod nos sic viuere iussit, sic mori iussit. *ex eadem. nec est hic vlla interrogatio.*

i Vt efficiatur vir cum cura dicendus,] *Quid si legas* ducendus, *non* dicendus?

k Sciens illi oon per secura vadendum esse.] *Scribendum reor per maiorem*, Scies illi, &c.

l Post haec ait: Finge datos currus.] Iunge, *non* finge, *habetur in omni vetere lectione. Videntur enim verba esse adulescentis. Alioqui si* Finge *legas*, *verba erunt solis*: Finge datos currus. Qoid ages? Poterisne rotatis Obuius ire polis, *caetera. sed ratio non procedit.*

m Quidni cum aliquando & occidant?] *Exemplar Francifcanum*, Quidni cum aliquando ipsi occidant? VI.

n Qui etiam, quaedam dura patiuntnt.] *Scribe per interrogationem*, Quare quaedam dura patiuntur? *ex vetere lectione.*

o Quanto magis versaueritis & vndiqne inspexeritis meliora maioraque permisi vobis.] *Castiga*, *ex exemplari Francifcano*, Quanto magis versanerit aliquis & vndique inspexerit, tanto videbit meliora, maioraque permisi vobis.

p Contemnite dolorem, qnia aut soluetur, aot solnet. Contemnite fortunam:] *Scribo ex vetere lectione*, Cootemnite dolorem. Aut soluetur, aut soluet. Contemnite mortem. Aut finit, ant transfert vos. Contemnite fortunam, *&c.*

q Quacunqne vi peruium est. Ipsum illnd quod vocarut mori,] *Corrige ex eadem*, Quacunqne peruium est ipsum illud qnod vocarut mori.

r Siue corpus lapsum subiacentis soli duritia comminuit:] *Emenda*: Siue in caput lapsos subiacētis, *&c.*

ex exemplari Facundi & Primitiui. Nec est vllum scriptum exemplar in quo corpus legatur. Omnia caput habent, non corpus. Sciendum antem, in omni vetere lectione post hunc priorem de prouidentia librum sequi & alterum eiusdem materiae, cuius initium est: Tantum inter Stoiens, Serene, & caeteros sapientiam professos, reliqua. qui liber in impressis codicibus secundus de tranquillitate animae inscriptus est.

FERNANDI PINCIANI CASTIGATIONES

IN PRIMVM LIBRVM DE IRA

AD NOVATVM.

a Ad conspectum aequi veriqne inhabilis,] Dispectum scribendum, non conspectum, ex vetere lectione.

CAP. I. b Flagrant & micant nculi,] Eadem, flagrant, emicant nculi.

II. c Alium inter sacra mensae ira percussit:] Exemplar Facundi & Primitiui, & plerique alij codices, iuta legunt, non ita.

d Celebrisque spectaculum fori] Mallem legeretur, celebrisve spectaculum fori.

e Tanquam aut curam nostram deserentibus, aut auctoritatem contemnentibus.] Desideratur verbum diis, ex antiquis exemplaribus, vt sit, tanquam diis ant curam, &c. Ego vero etiam deesse opinor dictionem suam ad complementum sententiae, vt in totum legendum sit, tanquam diis aut euram nostri deserentibus, aut auctoritatem suam eooremnentibus.

f Quod de gladiatorihus, quare populus irascitur,] Particula de non habetur in exemplari Pinciano.

g Et saepe nesciunt quid est eui irascantur,] Corrige, & saepe nec sciunt qnidem cui irascantut, ex eodem exemplari.

III. h Verum etiam irasci nos laesuris.] Scribe per maiorem, Verum est irasci nos laesuris, ex vetere lectione.

i Nnn magis quàm luxuriam, vel iniuriam.] Duo postrema verba, vel iniuriam, non habentur in eadem.

k Et in quasdam vnluptates intemperatiores homines sunt.] Homine, non hnmines, eadem praefert.

l Prudentia est, prouidentia, diligentia, cognitio:] Omnia exemplaria cogitatin habent, non cognitin. & in plerisque illorum verbum prnuidentia desideratur.

m Regium enim illud & principale aliter dicunt.] Qnidam codices, Regum autem illud & principale aliter dicunt. Codex Pinciani, Regium est illud & principale alte ductum.

IIII. n Caput ergo visus speciesque rerum,] Scribendum reor, Capit enrum visus species rerum.

o Decursuque vesann] Discursuque vesano, omnis fere vetus lectio.

p Quaedam sede manent,] Eadem, Quaedam sine motu.

q Quaedam in verborum dictorumque amaritudine effusae:] Maledictorum legendum, non dictorum, ex eadem.

V. r Homioe quid amantius?] Eadem, Quid homioe aliorum amantius?

s Ille enngtegati vult, illa discedere:] Scribendum, Hic eongregari volt, illa dispergi, ex eadem.

t Commendatissimn eius nperi] Emendatissimo quidam codices, non enmmendatissimn.

u Beneficiis autem humana vita constat] Vetus lectio, Beneficiis enim humana vita consistit.

x Transeat deinde ad tristinrem nrationem,] Codex Franciscanus castigatus, Transeat deinde ad strictiorem oratinnem. frequens hoc, & fere familiare mendum in hoc auctore.

VI. y Noo quia delectetur illins poena,] Vllius, non illins, vetus lectio.

z Nnn gaudebit ne in eo quidem affectu,] Particula in non habetur in vlla scripta lectione.

& Nunquid quamnis non sit naturalis ira,] Exemplaria quaedam, Quid? quamuis, caetera.

VII. b Et excussa mens] Cnneussa, non excussa, omnis antiqua lectio.

VIII. c Primum iritamenrum irae protinus spernere,] Mallem legeres aspernari quàm spernete. vt in 2. libro, ad quosdam tactus aspernatin.

d Sed etiam affectum ipse imitatut.] Exemplar Facundi & Primitiui, sed in affectum ipse mutatut.

e Peiusque in melius mutatio animi est.] Corrige, in melius peiusque mntatio animi est, ex omni scripta lectione.

IX. f Non tatinnis beneficio quieuit,] Exemplar Pincianum, Non rationis tune beneficio quieuit.

g Quntiens impetui est locus,] Scribe, Quntiens impetu opus est, ex vetere lectione.

h Cui proprium est contumacia.] Cuius, non cui, eadem.

X. i Ita, inquit, vtilis affectus est,] Scribe, Ira, inquit, vtilis affectus, ex eadem.

XI. k Qoid Cimbrorum Theutonieorumque tot milia] Teutooorum exemplar Facundi & Primitiui, non Theutonieorum.

l Quae vt aliquando perculit straaitque omnia,] Castiga, Qnae vt aliquando propulit strauitque obuia, ex vetere lectione.

m Non suffragia aduersus perpetem cneli rigorem.] Legendum reor suffugia, non suffragia.

n Affectu imperij vires] Corrige, affectas imperij vires, ex vetere lectione.

o Qnam dum circumnallat, & includit hostem,] Verbum quam non habetur in eadem.

XII. p Non canet.] Nnn praecauet, quaedam exemplaria.

q Quid ergo? vir bonus non irascitut, inquit,] Scribe ex scripta lectione, Quid ergo, inquit? Vir bonus non irascitut?

r Nee liquetur animo:] Corrige, nec linquetur animn, ex eadem.

s Si ealceus luto sparsus est.] Eadem, aspersns, non sparsus.

t Praerabidus & amens, & omnis fere cnpiditas.] Eadem, praerabida & amens, vt omnis fere cupiditas.

u Obliuiscitur

u Obliuiscitur mortem esse communem,] Martem, *non* mortem, *eadem*.

x Errantes per agros ignorantes viae,] Ignorantia, *non* ignorantes, *scribendum ex eadem*. XIIII.

y Immansuetum bouem caedimus,] Occidimus, *non* caedimus, *eadem*. XV.

z Ferum demittimus,] Ferrum apponimus, *exemplar Facundi & Primitiui*.

a Portentuosos foetus extrahimus,] *Exemplar Franciscanum aliter & pluribus verbis*, Portentosos foetus extinguimus, liberos quoque si debiles monstrosique editi sunt, abigimus.

b In illo tempore se admonuit.] *Vetus lectio*, illo tempore se admonuit.

c Ad euertionem errantium, sceleratorumque] Correctionem *quaedam exemplaria*, *non* coertionem.

d Quid ergo? non irascar latroni?] *Codex Franciscanus*, Quid ergo? non irascar latroni? Non. XVI.

e Primum secreta, deinde publicata] *Exemplar Facundi & Primitiui* publica, *non* publicata.

f Ignominia continebis.] *Deesse negationem existimo, vt sit*, Ignominia non continebis.

g Iam solida nequitia] *Quidam codices*, iam solita nequitia. *Quid si legas?* insolita nequitia.

h Tibi insanabilis animus] *Scribe*, Tibi insanabilis animus est, *ex vetere lectione*.

i Et perpetua alienaque voluptate supplicia id quod vnum bonum tibi superest] *Corrige*, & per tuam alienamque voluptatem supplicium id quod vnum bonum tibi superest, *ex eadem*.

k Sed vulto legis, & illa sollennia verba, leni magis, grauique quàm rabida voce concipiam, & agi iubebo,] *Praepostere scripta verba totum sensum obnubilant. Corrigendum arbitror*: sed vultu leni & magis graui quàm rabida voce illa sollennia verba legis concipiam, & agi iubebo. *Posset etiam legi, & forte aptius*: Illa sollennia verba concipiam & lege agi iubebo.

l Et cum Tarpeiae pendentem] Tarpeio, *non* Tarpeiae, *omnis vetus lectio*.

m Quid enim videtur lex irasci his quos non nouit,] *Eadem*, Quid? tibi lex videtur, *&c. ex eadem*.

n Sentiet itaque suspirationes quasdam,] Suspiciones *exemplar Facundi & Primitiui*, *non* suspirationes.

o Quàm hoc ab iracundia petere praesidium,] Hanc *legendum*, *non* hoc, *ex eodem*.

p Non solum in solidum imbut,] *Verbum* solum *non habetur in eadem*, *&* solidum *legitur, non* insolidum.

q Et fluminibus paludibusque excepti,] *Eadem* concepti *legit*, *non* excepti.

r Modo citius debito resistit.] *Exemplar Facundi & Primitiui*, modo citerius debito resistit.

s Et ea tenet quae inuasit,] *Duo exemplaria Franciscanum & Pincianum mutato verborum ordine legunt*, & ea quae inuasit tenet.

t Nam militem fortuna reddiderat.] Militi *vetus lectio*, *non* militem.

u Quid ergo indignius?] *Scribe*, Quid hoc indignius? *eadem*.

x Non eodem malo afficiet,] *Eadem*, non eodem modo afficiet.

y Haec cuique expendenda aestimandaque sunt. Vides quantum debeat] *Corrige*, Haec cui expendenda aestimandaque sunt, vides quàm debeat, *ex eadem*.

z Altum quidem & sublime spirare se credunt:] *Lege*, altum quiddam & sublime, *&c. ex eadem*.

a Veterni & infelicis animi imbecillitas sibi conscij indolescere.] *Eadem*, Veternosi & infelicis animi, imbecillitatis sibi conscij saepe indolescere.

b Quae ad tactus leuissimos] Ictus, *non* tactus, *exemplar Facundi & Primitiui*.

c Quae magno videantur animo,] *Vetus lectio*, quae magno emissae videantur animo.

d Etiam bonum erit, aut nec magnum:] *Eadem*, aut & bonum erit, aut nec magnum.

e Qualis inesse malis ingeniis nõ potest.] *Codex Fac. & Primitiui*, qualis esse in malis ingeniis non solet.

f Et quidem sine intermissione,] *Omnis scripta lectio*, & quidem sine missione, *sed in codice Facundi & Primitiui, non habentur omnino haec verba*.

IN LIBRVM II. DE IRA.

a Et vt alia minime speciosa visu,] *Sic prior editio. Corrigendum puto*, & vitalia minime speciosa visu. CAP. I.

b Perfecto iam corpore effunditur.] Affunditur, *non* effunditur, *legunt pleraque exemplaria*.

c Nisi animus qui tangebatur, assensus est.] *Quidam codices*, nisi animus eis, qui tangebatur, accensus est. *Alij*: nisi animus eius quibus tangebatur, *&c.*

d Quorsus, inquit, hoc non pertinet?] *Corrige*, Quorsus, inquis, haec quaestio pertinet, *ex vetere lectione*. II.

e Ad quosdam ictus aspernatio,] Tactus, *non* ictus, *eadem habet*.

f Cantus nos nonnunquam & concitata modulatio instigat.] *Quidam codices*, Cantus nos nonnunquamque citata modulatio instigat.

g Animorum moueri volentium,] *Scribendum reor* nolentium.

h Alexandrum aiunt Zenophanto canente] Xenophanto *lege*, *siue* Xenophante, *ex vetere lectione*, *non* Zenophanto.

i Voluntatis iudicio pergentis.] *Scribe*, voluntate & iudicio pergentis, *ex eadem*. III.

k Incedens intra cadauera] *Exemplar diuorum Facundi & Primitiui*, incedens supra cadauera. *Alij codices*, incedens inter cadauera. V.

l Quis haec rex fecisset?] *Corrige*, Quid hic rex fecisset? *ex duobus codicibus, Pinciano & Facundi ac Primitiui*.

m Irasci non ex dignitate eius,] *Scribendum*, Irasci non est ex dignitate eius, *ex vetere lectione*. VI.

n Et in homine omnis ira] *Corrige*, & in hanc omnis ira, *ex eadem*.

o Si profecto cuique irascendum est.] *Castiga*, si pro facto cuiusque irascendum est, *ex eadem*.

p Desinet Socrates] *Eadem*, Desinet ille Socrates.

q Quanto turpiores aduocatos habent?] *Quidam codices*, quanto turpiores aduocatos consciscunt.

r Alius iudicia patris accusat, quem mereri satis fuit. Alius cum matre consistit.] *Haec verba in nonnullis exemplaribus desiderantur. Alioqui sic, ni fallor, legenda fuere*: Alius iudicio patrem accusat, quem demereri satius fuit, *&c. Nam & exemplar Facundi & Primitiui*, satius, *non* satis, *legit*. VII.

VIII. s Nunquam irasci desinet, semel si sapiens coeperit.] *Scribe inuerso verbarum ordine*, Nunquam irasci desinet sapiens, si semel coeperit, *ex vetere lectione.*

t Plus committitur quàm quod possit coertione sanari.] *Verbum* quod *superfluit, ex eadem.*

u Certatur ingenti quidem nequitiae certamine:] *Scribendum reor* quodam, *non* quidem.

x Ad fas nefasque miscendum coorti sunt.] *Exemplar Facundi & Primitiui*, ad fas nefasque miscendum coiere.

y Et parentum liberorumque sacramenta diuersa,] *Idem exemplar singularitatis numero*, sacramentum diuersum.

z Et ne hoc quidem libidini exceptum.] *Exemplar idem minus corrupte*, & ne eos quidem libidini exceptum. *Exemplaria duo, Pincianum & diuae Mariae*, & ne os quidem libidini exemptum, *rectissime.*

IX. a Quicquid non resistebat adductum,] *Legendum puto* abductum, *non* adductum.

b Quid si illis irasci velis vel qui aegrotant,] *Particula* vel *non habetur in vetere lectione.*

c Inter cetera mortalitatis incommoda, & haec est,] *Scribe* & hoc est, *ex eadem.*

d Vniuersis ignoscendum & indulgendum est:] *Duo illa verba*, & indulgendum, *superuacanea sunt, ex ead.*

X. e Intelligit quàm est iniquum & periculosum,] *Eadem*, intelligit quàm & iniquum sit & periculosum.

f Vbi isti hiccine locus est?] *Castigandum reor*, Vbi isthic irae locus est?

g Lento adiutorio opus est] *Exemplar Facundi & Primitiui*, Non lento adiutorio opus est.

XI. h Nec hoc sapienti dici velim, quòd fere quoque telum timeri.] *Vetus omnis lectio*, Nec hoc sapientiam dici velim, quòd fere sapientis quoque telum est timeri. *Sed in hac parte magis ab impressa lectione isto modo emaculetur. Existimo enim legendum*: Nec hoc sapientis dici velim, quod ferae quoque telum est, timeri. *Nam verbum* est, *omnis antiqua lectio agnoscit.*

i Aut contra, omnia despecta, & foeda, & turpia, ipso quo timentur, sunt?] *Exemplar Pincianum*: At contra omnia despecta, foedaque, turpia, *&c. Exemplar Facundi & Primitiui*, At contra omnia despecta, foedaque, & turpia timentur. *reliqua desiderantur.*

k Ita per se deformis est,] *Idem exemplar*, Sic ira per se deformis est. *& paula post* dictus *legendum, non* ductus?

l Pauida sunt ad leuissimos strepitus pectora.] *Exemplar diui Francisci*, Pauida sunt ad leuissimos pectora sonos. *Exemplar Facundi & Primitiui*, Pauida sunt ad leuissimos tactus pectora. *Quid si legas* ictus, *potius quàm* tactus?

XII. ll Quia formidandum est. Quoniam quidem etiam contemptissima timentur:] *Corrige*, quia formidini est. Quando quidem, *&c. ex vetere lectione.*

m Et ossa mortifera, & morsus.] *Castigandum puto*, & ossa mortifera morsu.

n Linea pennis distincta contineat,] *Exemplar Facundi & Primitiui*, conterreat, *non* contineat.

o Curriculi motusque totarum versata facies leonem redegit in caueam.] *Castiga*, curriculi motus, totarumque versata facies leonem redigit in caueam, *ex vetere lectione.*

p Vigiliam indefatigabilem extendit.] *Exemplar Facundi & Primitiui*, vigilia se indefatigabilem ostendit.

q Didicerunt tenuissimis & aduersis funibus currere,] *Exemplar Pincianum*, didicerunt alij tenuissimis, *&c.*

XIII. r Aut nulla causa pertinacis studij, aut indigna merces fuit.] *Vetus lectio*, aut nulla tam pertinacis studij, aut non digna merces fuit.

s Non est quòd in patrocinium nobis quaeramus etiam excusatam licentiam,] *In codice Pinciano desideratur verbum* etiam. *Exemplar Facundi & Primitiui*, Non est quòd patrocinium nobis quaeramus & excusatam licentiam.

t Non vanae nobis auctor rei venit.] *Vetus lectio*, Non vanae vobis auctor rei venio.

u Rectiusque scelera tollentur:] Potiusque scelera tollentur, *codex Facundi & Primitiui. Quid si legas* ocyus, *non* potius.

XIIII. x Cuius causa domum sollicitius obseruet.] *Verbum* causa *in nullo scripto exemplari inuenies. Et puto legendum* modum, *non* domum.

y Et qua noceat, tantum aspicit.] *Exemplar diui Francisci*, & qua noceat tantum, non qua caueat, aspicit.

XVI. z In exemplum hominis adduxit.] Adducit *vetus lectio, non* adduxit.

a Quid autem cot hominem] *Eadem*, Quid autem est cur hominem.

b Cum habeas mundum denique deumque,] *Verbum* denique *non habetur in eadem.*

c Simplicissimi, inquit, omnium habentur] *Eadem*, Simplicissimi, inquit, hominum habentur. *etsi exemplar Facundi & Primitiui aliter legat.* Simplicissimi, inquit, omnium sunt.

d Stultis, luxuriosis, nepotibusque] *Duo postrema verba* nepotibusque, *desiderantur in eadem.*

XVII. e Imo imitatus iratum.] *Omnes fere scripti codices habent*, imo irritatus.

f Nec latronem oportet esse, nec praedonem,] *Legendum forte* praedem, *non* praedonem. *Vt sicuti in verbis sequentibus*, nec misericordem, nec crudelem, *ita & in his duo opponantur contraria.*

XVIII. g Scilicet ne incidamus in iram,] *Verbum* scilicet *nulla vetus lectio agnoscit.*

XIX. h Iracundos feruida animi natura faciet.] *Exemplar Pincianum* feruidi *praefert*, non feruida. *Vt putem scribendum contra omnia exemplaria*, Iracundos feruidi mixtura faciet. *Quam lectionem approbant haec quae subijcio verba.*

i Frigida mixtura frigidos facit.] *Corrige*, Frigidi mixtura timidos facit: *ex correctioribus exemplaribus, Pinciano, Facundi & Primitiui, meo domestico Gallicana littera scripto.*

k Frigus insequetur.] Frigus insequitur, *scribe ex eisdem.*

XX. l Quidam saucij] *Exemplaria Pincianum & Franciscanum*, quidam saucij sunt. *Exemplar Facundi & Primitiui*, quidam saturi.

m Pluri-

m Plurimumque potest consuetudo: quae si grauis est, aliud vitium alit.] *Exemplar Facundi & Primitiui*, Plurimum potest consuetudo: quae si grauis est, aliud initium est.

n Vt minuatur, & non vt consumatur calor,] *Coniunctio* & *non habetur in vlla vetere lectione*.

o Lusus quoque proderunt.] Ludi, *non* Lusus, *eadem agnoscit*.

p Facile autem etiam attendentem similia decipiunt.] *Verbum* etiam *superfluum est, ex exemplari Facundi & Primitiui*. XXI.

q Vt modo frenis vtatur,] *Scribe*, vt modo frenis vtamur, *ex vetere lectione*.

r Nunquam illi necesse sit rogare simpliciter, nec prosit rogasse:] *Eadem*, Nunquam illi necesse sit rogare suppliciter. nec prosit rogare.

s Quin citius patrem quàm Platonem imitatus sit.] *Exemplar Facundi & Primitiui*, quin citius Platonem quàm patrem imitatus sit. *Alij codices*, quin citius patrem quàm Platonem comitatus sit.

t In nobis quidem sors nascendi] *in eadem*, In nobis siquidem sors nascendi. XXII.

u Et ab ipso tortus,] *Vetus lectio*, & ab Hippia tortus. *Nota est historia*. XXIII.

x Qui cum legisset epistolam matris,] *Dissentiunt a Seneca quinque praestantissimi scriptores: Curtius libro 4. Valerius Max. 3. Trogus 11. Arrianus 2. Plutarchus in Alexandro. Omnes produnt hanc epistolam a Parmenione missam, non ab Alexandri matre*.

y Non veritus bibit.] *Scribe*, non deterritus bibit, *ex vetere lectione, siue, vt quidam praeferunt codices*, non territus bibit.

z Hoc ergo magis in Alexandro laudo,] *Exemplar Facundi & Primitiui*, hoc ego magis in Alexandro laudo. *Exemplar Pincianum, & item meum castigatius*, Hoc eo magis, &c.

a Quo maior autem moderatio in regibus,] *Scribendum puto* rarior, *non* maior. *Nam si* maior *legas, inepta erit sententia. non enim in regibus tantùm, sed in plebeijs hominibus maior moderatio magis laudanda est*.

b Aut in diuersis, aut in neutris fuisse partibus,] Aduersis *legendum puto contra omnia exemplaria, non* diuersis.

c Gratissimum putant genus veniae.] *Lege* putauit, *non* putant, *ex vetere lectione*.

d Aut tepidior aqua potui erogata,] *Quaedam exemplaria*, aut tepidior aqua poturo. *Alia*, aut tepidiore aqua potus ero. *Alia*, aut tepidior aqua potaturo. XXV.

e Vt aegrae & infelicis valitudinis est,] *Scribe*, aegrae & infelicis valitudinis est, *ex vetere lectione*.

f Miridem aiunt fuisse] Mindyridem, *non* Miridem, *eadem*.

g Vetuit illud opus in conspectu suo facere.] *Exemplar Pincianum* illum *legit, non* illud.

h Aut obuersatus canis] *Exemplar Facundi & Primitiui*, aut obuersatus calix.

i Sine consensu sunt:] sine sensu sunt, *vetus lectio*. XXVI.

k Sic & mutis animalibus, quia nulla iniuria nisi a consilio profecta faciunt.] *Exemplaria duo, Franciscanum & Facundi & Primitiui, hunc locum sic legunt*: sic & multis animalibus, quae nullam iniuriam nobis faciunt, quia velle non possunt. Non est enim iniuria, nisi a consilio profecta.

l Alios per nos facere,] *Vetus lectio*, Alios pronos facere. XXVIII.

m Et eos qui volentes scientesque faciunt,] *Scribe*, Etiam eos qui volentes, &c. *ex eadem*.

n Ad singula quibus offenditur dixerit. Is qui nullius non vxorem] *Castiga*, Ad singula quibus offenditur dixerit, Haec & ipse commisi. Sed vbi tam aequum iudicem inuenies? Is qui nullius non vxorem. *ex exemplari Facundi & Primitiui*.

o Pudicitiam seruorum suorum attentari non vult,] Seruulorum, *non* seruorum, *vetus lectio*.

p Tempestiua filij conuiuia] Vitia, *non* conuiuia, *eadem*.

q Haec ab illo poenae initio non vt ignoscat,] *Corrige*. Hoc ab illa pete initio, non vt ignoscat: *ex eadem*.

r His quae narrata sunt,] *Omnis scripta lectio*, De his quae narrata sunt. XXIX.

s Vt videatur diluisse factam.] Doluisse, *non* diluisse, *eadem*.

t Quo saepius ad manum venerit.] Quo saepius ad manum venit, *eadem*.

u Iam verum iamque] *Eadem*, Iam enim iam.

x Alioquin nunquam tibi dicam.] *Scribe ex eadem*, Alioqoin nihil vnquam tibi dicam.

y Vt illi donanda iniuria eius sit:] *Omnis antiqua lectio*, vt illi etiam iniuria eius sit. *Corrigendum reor*: vt illius iam iniuria ius sit. XXX.

z Mulier est, errat.] *Emendandum arbitror*: Mulier est, erat. *vt sit sensus: Muliebrem errorem ignoscendum esse. Erat enim mulier: hoc est, sexus in errores proni*.

a Quaedam quae non superauerint.] *Scribe*, quaedam, quia non sperauerint, *& mox statim* putamus, *non* putauimus, *ex vetere lectione*.

b In se nolit alteri.] *Verbum* alteri *superuacuum est, ex eadem*. XXXI.

c Aut ignorantia nos itaque] *Scribe*, Aut ignorantia nos itaque rerum, *ex eadem*.

d Insidiosos amicos,] Insidiosos animos, *exemplar Facundi & Primitiui*. Insidos amicos, *codex diuae Mariae*.

e Adulantibusque. Non ergo feras pudebit cum animalibus permutasse mentes.] *Magna pars codicum aliter hunc locum legit*, adulantesque domino feras. Pudebit cum animalibus permutasse mores.

f Ergo & homines.] *Scribendum reor*, ergo & homo vnus.

g Et si qua morsu aut ictu noceant, effugerimus,] *Castiga*, & si qua morsu aut ictu nocent, affligeremus, *ex codice Facundi & Primitiui*.

h Inhumanum verbum est, & quidem pro iusto receptum, vltio & talio, non multum differt nisi ordine.] *Idem exemplar duorum tantum verborum locum commutat, hoc pacto*: Inhumanum verbum est, & quidem pro iusto receptum, vltio & talio, multum non differt nisi ordine. *Corrigendum reor*: Inhumanum verbum est, & quidem pro iusto receptum, vltio: & a contumelia non differt, nisi ordine. XXXII.

i Si tanquam ad remedium sine ira veniamus.] *Scribe*, si tanquam ad remedium venimus, sine ira venia-

mus: *ex vetere lectione.*

XXXIII. k Quos laeserunt, & oderunt.] *Exemplar Facundi & Primitiui addit particulam* quòd, *vt sit*, quòd quos laeserunt, & oderunt.

l Et gratias agendo de ipsis.] *Postrema duo verba* de ipsis, *non habentur in vllo scripto exemplari.*

m Immunditiis eius & incultioribus capillis offensus,] *Vetus lectio e contrario*, immunditiis eius & cultioribus capillis offensus.

n Contempsisset Romanum patrem] *Legendum puto*, contempsisset Romanum patrem.

XXXIIII. o Ad quas si manum admoueris, ora conuertunt.] *Exemplar Facundi & Primitiui*, quas si manu amoueris, ora conuertunt. *& paulo ante dictio* vt *superfluit, ex exemplari Franciscano, in quo legitur*: Mures & formicae, &c. *Sed considerandum, an ordine verborum erratum sit. Forte enim Seneca sic scriptum reliquit*: Imbecilla se laedi putant, si tanguntur, vt mures & formicae: quas si manu amoueris, ora conuertunt. *Aut sic*: ad quas si manum admoueris, ora conuertunt. *Posset etiam aliter legi*: Mures formicaeque, si manu amoueris, ora conuertunt. Imbecilla se laedi putant, si tanguntur. *Nam & in exemplari Facundi & Primitiui praepositio* ad *non habetur. Sic enim praefert*: Mures, formicae: quas si manu amoueris, ora conuertunt.

p An expediat omnes nobis inexorabiles esse.] *Idem exemplar*, an expediat nobis omnes inexorabiles esse. *Scribendum forte* homines, *non* omnes. *In exemplari tamen Pinciano non habetur omnino ea dictio.*

q Quàm saepe hic pedibus eius aduolutus est quem a suis reppulit?] *Vetus lectio*, Quàm saepe eius pedibus aduolutus est, quem a suis reppulit.

r Quos populus R. feliciores habet socios fidelioresque,] *Lege*, quos populus R. fideliores habet socios. *reliqua superfluunt. ex eadem.*

s Nisi pariter non pugnat, sed si vtrioque certabit, ira concurritur] *Eadem*, Nisi pariter non pugnant. Si vtrinque certabitur, ira concurritur. *Vide an haec lectio magis arrideat*, Nisi par non pugnat, *&c.*

t Nunquam velit quisquam] *Corrige*, Nunquid velit quisquam, *ex eadem.*

u Vt vix retrahatur.] *Eadem*, vix retrahitur.

XXXV. x Nihil tam aeque profuit,] *Scribe*, Nihil tamen aeque profuit, *ex eadem.*

y Etiamsi amictus illius compositus sit ad legem, retrahet vestem.] *Exemplar Facundi & Primitiui*, & si ne amictus illius compositus sit ad legem, trahet vestem.

z Et tumescunt venae,] *Vetus lectio*, Tumescunt venae.

a Deterrimae inferum exeunt furiae:] *Scribe* teterrimae, *non* deterrimae, *ex eadem.*

b Incessu vesano effusam] *Exemplar Facundi & Primitiui*, sua sanie offusam.

c Vel, si videtur, qualis sit apud vates nostros est:] *Sic prior editio. Scribendum*, Vel, si videtur, sit qualis apud vates nostros est, *ex eadem.*

d Sanguineum quatiens dextra laeuaque flagellum,] *Omnis scripta lectio*, sanguineum quatiens dextra Bellona flagellum.

XXXVI. e Speculo qui neminem deterritum ab ira credit.] *Duo exemplaria, Franciscanum & Pincianum*, Speculo quidem neminem deterritum ab ira credis. *sed considerandum an legendum sit potius* credo, *quàm* credis.

f Repentina & vniuersa vis eius est:] Huius, *non* eius, *vetus lectio.*

g Magno aestimata ira proiecit insignia,] *Verbum* ira *superuacaneum est, ex eadem.*

IN LIBRVM III. DE IRA.

CAP. I. a Haec incitata & seipsam rapiens violentia,] *Corrige*, Huius incitata, *&c. ex vetere lectione*,

b Quia non eunt, sed cadunt.] *Exemplar Facundi & Primitiui*, quia non eunt, sed casu ruunt.

c In ira detectus animorum est.] *Exemplar Facundi & Primitiui*, in ira deiectus etiam animorum est. *& mox paulo*, Nec refert quantum sit.

II. d Tam inter Graios quàm barbaros] *Sunt exemplaria in quibus* Graecos, *non* Graios, *scriptum est.*

e Nunquam vniuersus populus foeminae amore flagrauit.] *Duo exemplaria, proprium & diuae Mariae*, Nunquam vniuersus populus vnius foeminae amore flagrauit.

f Et modo eloquio fauorabilis habitus in multo honore, *&c.*] Fauorabilior, *non* fauorabilis, *codex Pincianus. Item perpende, an malis legere* in medio honore, *quàm* in multo honore.

III. g Pigrum inermemque fieri.] *Superuacanea sunt duo verba illa* inermemque, *ex vetere lectione, & recte. nam mox ante praecesserant.*

h Quasi dubiae apud homines opinionis sic infamem.] *Scribe* sit, *non* sic, *ex eadem.*

i Eculeus & fidiculae,] *Eadem* Eculei, *non* Eculeus.

k Defossis corporibus ignes.] *Corrigendum arbitror contra omnia exemplaria*, defixis corporibus ignes. *vt illud Iuuenalis*: Qua stantes ardent qui fixo gutture fumant.

l Et bestiarum immanium cauernae.] *Scribe* caueae, *non* cauernae, *ex exemplari Facundi & Primitiui.*

m Omnibus per quae furit deterior.] *Lege* tetrior, *non* deterior, *ex vetere lectione. vt non multo post*, ferarum mehercule minus tetra facies est.

IIII. n Adiice nunc dentium inter se arietatorum] *Nullus scriptus codex agnoscit particulam* nunc.

o Vel infixum visceribus ferrum,] *Legendum ex scripta lectione*, siue infixum visceribus ferrum.

V. p Nihil potest firmitas corporis,] *Lege*, nihil prodest firmitas corporis, *ex eadem.*

q Quemadmodum ab illa liberemur:] *Rectius eadem*, quemadmodum nos ab illa liberemus.

r Potior est inquam luxuria:] *Corrige*, Peior est etiam quàm luxuria, *ex exemplari Facundi & Primitiui.*

s Haec alieno dolore vincit malignitatem & inuidiam.] *Scribendum ea distinctione, vt verba illa* haec alieno dolore *ad superiora pertineant.*

t Ad sensum sui adducit.] *Lege* abducit, *non* adducit, *ex vetere lectione.*

u Quem incurrit iniuria.] *Eadem*, quem incurrat iniuria.

x Inferiora fulminantur.] *Omnis scripta lectio*, inferiora fulminant. VI.

y Et venerabilis est & dispositus,] *Eadem* depositus *agnoscit*, *non* dispositus.

x Ex leuissimis causis irascitur,] *Corrige*, & leuissimis causis irascatur, *ex eadem*.

a Atqui alienis in nos manibus imposita] *Legendum reor contra omnia exemplaria*, At quae alienis in nos, *&c caetera*.

b Premunt atque adducunt administrantem qui non quae facilia sunt aggreditur] *Restituenda huic loco sunt complusculа verba ex fide exemplaris Facundi & Primitiui. Legendum igitur sic*, Premunt atque abducunt administrantem, tenetique iam visa, cum ipso cadunt. Itaque fit, vt frequenter irrita sit eius voluntas, qui non quae facilia sunt aggreditur. VII.

c Hoc interest vtrum quis, *&c.*] Hic, *non* hoc, *idem exemplar*.

d Nec paruae sint, nec audaces,] Prauae *legendum reor*, *non* paruae.

e Quam ferre nescimus.] Quia ferre nescimus, *vetus lectio*.

f Et minime obnoxio moroloque viuendum est.] *Eadem* anxio *agnoscit*, *non* obnoxio.

g In contactos corpore vitia transiliunt,] *Exemplar Franciscanum, & item exemplar Facundi ac Primitiui*, ad contactus corporis *legunt*, *non* in contactos corpore.

h Fortemque & si liceat virum emollit.] *Legendum reor*, fortem quoque & siliceum virum emollit. *Vetus etiam lectio nonnihil adiuuat*.

i Nec euocent & ferant.] *Exemplar Facundi & Primitiui*, non euocent, sed ferant. *Codex Franciscanus*, nec euocent, neque ferant. VIII.

k Vitio suo interuallum] *Verbum* suo *non habetur in nonnullis codicibus*.

l Et dimissos altius tenet.] *Particula* & *superuacanea est ex codice Facundi & Primitiui. Fideliorem quoque lectionem arbitramur* demissos, *quàm* dimissos.

m Et acria concitantur.] *Scribe*, & acria concitat, *ex omni scripta lectione*. IX.

n Sine quia calorem inedia compellit, & nocet sanguini,] *Non caret hic locus vitio, ni fallor. Proinde perpende, an sit legendum*, siue quia calorem inediam compellit, ea nocet sanguini.

o Sunt quaedam praenuncia.] Prognostica *in exemplari Facundi & Primitiui*, *non* praenuncia, *habetur*. X.

p Incipientem casum occupant,] *Vetus lectio* causam, *non* casum. *Sunt tamen exemplaria quae* curam *habeant*, *non* casum, *aut* causam.

q Etiamsi secreto habiti sunt, euerrit,] *Eadem partim* eruerit, *partim* eruit, *partim* quaerit, *non* euerrit. XI.

r Quaedam interpretatio eo producit,] *Scribe* perducit, *non* producit, *ex eadem*.

s Tumida fortunata & licentia ingenia] *Legendum puto* fortuna, *non* fortunata

t Non magis illi se succensere,] *Exemplar Facundi & Primitiui*, non magis illis se succendi. *rectius: quia praecessit*, faces subderent.

u Aut ferre, aut pati,] *Clarius nihil quàm duo illa posteriora verba* aut pati, *glossema esse, siue annotationem diuersae lectionis esse. Idem enim est ferre quod pati.* XII.

x Aut humanum, aut humile sit.] *Exemplar Facundi & Primitiui mutato verborum ordine*, aut humanum sit, aut humile, *commodius*.

y Apparebit iudicium non esse iram] *Quidam codices*, apparebit iudicium, non iram esse. *Alij*, Apparebit iudicium esse, non iram.

z Et stabat percussori similis.] Percussuro *scribe*, *non* percussori, *ex vetere lectione*. *& quod mox ante praecessit*, sua manu ipse percussurus.

a Ob hoc non caecidi propter quod, *&c.*] *Legendum per maiorem*, Ob hoc non caecidit propter quod, *&c. ex exemplari Facundi & Primitiui*.

b Et mutare faciem:] *Aptius idem exemplar*, & immutare faciem. XIII.

c Cum exterioribus interiora formantur.] *Vetus lectio* formentur, *non* formantur.

d Nec illi exprobratio, *&c.*] *Exemplaria Franciscanum & Pincianum*, Nec erat illi exprobratio.

e Traxhexauspes vous e carissimis] *Scribe* Praexaspes, *non* Traxhetauspes, *ex Herodoti tertio*. XIIII.

f Et iam grauis, & vinolentus, ac violentus,] *Duae postremae dictiones* ac violentus, *desiderantur in vetere lectione*.

g Haerens in ipso spiculum ostêdit:] *Deest verbum* corde, haerens in ipso corde spiculum ostêdit, *ex ead.*

h Omnium suorum arcus vertantur.] Verterentur *eadem agnoscit*, *non* vertantur.

i Videmus quomodo se pater gerere debuerit,] *Castiga*, Videbimus quomodo pater se gerere debuit, *ex eadem*.

k Quem satius erat] *Omnis scripta lectio*, quàm satius erat.

l Non dubito, quin Harpalus quoque] *Legendum* Harpagus, *non* Harpalus, *ex Herodoto, Trogo, & ceteris*. XV.

m Regi suo Persarum suaserit,] *Vetus lectio*, regi suo Persarumque suaserit.

n Etiam exigentibus malis nascentem iram abscondi,] *Scribe*, etiam ex ingentibus malis, *&c. ex eadem*.

o Vides illam arborem breuem, horridam, infelicem?] *Corrigendum reor*, Vides illam arborem retorridam, infelicem? *Nam si breuis erat, quomodo poterat libertas ab illa suspendio peti?*

p Vnum est leuamentum malorum ingentium, pati,] *Verbum* ingentium *non habetur in exemplari Facundi & Primitiui*. XVI.

q Post ablatum magorum imperium,] *Vetus lectio* mago, *non* magorum.

r Rogatus ab Oraborto nobili sene,] *Quidam codices* Orobasio *legunt*, *non* Oraborto. *Alij minus vitiose*, Orobazo. *Lege* Oebazo, *ex Herodoti quarto*.

s Qui Pithio quinque filiorum patri] *Scribe per* y, Pythio, *ex eiusdem septimo*. XVII.

t Nec in Romanos mores cum aliis aduenticiis vitiis, suppliciorum irarumque barbariae transissent.] *Exemplar Pincianum*, nec inter Romanos mores cum aliis aduenticiis vitiis, etiam suppliciorum irarumque in barbariem transissent. XVIII.

u Iam omne facinus io Mario exercens] *Exemplar Facundi & Primitiui*, in omne facinus manus exercens. *Codex Franciscanus*, Iam omoe facinus manu exereens.

x Et oon tam immerito quàm nimis amatus,] *Exemplar Franciscanum*, merito *legit*, *non* immerito. *Pincianum* meritus.

y Hostium & iudicum gladios reciperet.] *Scribendum* vindicum, *non* indicum, *ex vetere lectione.*

z Bethemum Bassum] *Exemplar Facundi & Primitiui*, Bedienum Bassum, *minus*, *vt puto*, *corrupte.*

a Quam ingentem crudelitas sine dilatione poscebat,] *Scribe*, quam ingens crudelitas eius sine dilatione poscebat, *ex eodem exemplari.*

b Vt in cyrrha maternorum hortorum] *Corrige*, Vt in xysto maternorum hortorum, *ex omni vetere lectione. & continuo*, qui porticum, *non* quae porticum.

XIX. c Quanquam aberrare aliquando possimus videri, & in deuium exire:] *Exemplar Facundi & Primitiui breuius*: alioqui possemus videri in deuium exire. *Exemplar Pincianum*, quanquam aberrare alio possimus videri, & in deuium exire.

d Fidiculis tabularibus] *Exemplar Gallicanae litterae quo vtor familiariter* tribularibus *legit*, *non* tabularibus.

e Inter vesperam & flammas] Verbera, *non* vesperam, *vetus lectio.*

f Qui imperanerit silentium his in quos animaduerti volebat, iubebat os inserta spongia includi,] *Duo verba expungenda* silentium, *&* volebat, *ex eadem.*

g Quo gemeret?] Qua gemeret, *eadem. & paulo post* farciri, *non* farcire.

h Liceat vltimum spiritum trahere.] *Exemplar Facundi & Primitiui*, obice vltimum spiritum trahere.

i Liceat animum non per vulnus emittere.] Liceat illam noo per volons emittere, *vetus lectio.*

XX. k Quos patres occisorum] *Corrige*, quot patres qnoque occisorum, *ex eadem.*

l Quae noo tantum in vnum furit,] *Exemplar Facundi & Primitiui*, quae non tantum virium fudit. *Legendum puto*, quae non taotum viritim furit.

m Inter primum iter deerant necessaria,] Intra *legendum*, *non* inter, *ex vetere lectione.*

XXI. n Nam cum Babyloniam oppugnaturus festinaret,] *Scribe* Babylonem, *non* Babyloniam, *ex eadem.*

o Nando transire tentauit:] *Eadem* vado *agnoscit*, *non* naodo.

p Qui trahere regium currum alibi solebant.] *Lego* albi, *non* alibi, *ex Herodoti primo.*

q Regis commeatus auferentem,] *Quid si legas?* regiis equis mextum auferentem.

r Periit itaque rempus & magna in magnis rebus iactura, & militum ardor,] *Scribendum puto mutato coniunctionis loco*, Periit itaque & tempus, magna in magnis rebus, *&c.*

XXII. a De rege suo male existimant?] *Lege*, qui de rege suo male existimant, *ex vetere lectione. Et expende, an pro verbo quod paulo ante habetur* incumbeotes, *reponendum sit* eacubantes.

t Cum inter dicentem & audientem] *Legendum puto* dicentes, *non* dicentem. *Duo enim erant manipulares milites.*

u Paulum interesset, quem ille leniter commouit, & longius, inquit, discedite, ne vos rex exaudiat.] *Exemplar Facundi & Primitiui*, Palla interesset, qnam ille leuiter commouit, &, loogius, inquit, discedite, ne vos rex audiat.

x Et aliquid booi spero, in castris meis Silenum habeo.] *Vetus lectio*, & boni spero, si in castris meis Silenum habeo. *Scribendum reor*, & bene spero, si in castris meis, *&c.*

y Captis sicut mos est,] *Eadem*, captis sic vsus est.

x Praeconio subiiceret:] Praeconi subiiceret, *eadem.*

XXIII. a Parrhesiastes] *Exemplar Franciscanum & Pincianum*, Parrhesiades *praeferunt*, *non* Parrhesiastes.

b Te, inquit, suspendere.] *Deest coniunctio* &, *ex exemplari Facundi & Primitiui. Legendumque*, &, Te, inquit, suspendere.

c Historias quas postea scripserat, recitauit,] *Vetus lectio*, historias postea quas scripserat, recitauit.

d Quasi fulguris ictum] *Malim legere*, quasi fulgure ictum.

e Paranti demum excusationem obstitit, fruere, inquit, mi Pollio, fruere.] *Exemplar Facundi & Primitiui, & Pincianum*: Paranti deinde excusationem obstitit, &, fruere, inquit, *&c.*

f Si iubes Caesar, statim illi domum meam interdicam.] *Eadem exemplaria*, Si iubes Caesar, domo mea interdicam.

XXIIII. g Hilarius responsum] *Quidam codices* clarius, *non* hilarius. *Alij* elatius.

h Prudentiori credamus:] Cedamus, *non* credamus, *legendum*, *ex vetere lectione.*

XXV. i Etiam ea regia duci:] *Exemplar Facundi & Primitiui*, etiam ea regia domo duci.

k Ad latratum canum] *Scribendum alterutro modo*, *aut* ad latratus canum, *aut* ad latratum canis, *vt praefert exemplar Pincianum.*

l Inconcussus in iniuria perstitit:] *Superfluit particula* in, *ex vetere lectione.*

XXVI. m Imprudentia par in omnibus patrocinium est.] *Aut legendum* imprudentiae, *non* imprudentia, *aut supernacaneae sunt duae illae dictiones*, patrocinium est, *vt quidam ostentant codices.*

n Nec ruffus crinis & coactus in nodum apud Germanos vtrumque decet.] *Quaedam exemplaria*, Virum dum decet, *vt forte legendum sit*, viritim dedecet. *In codice diui Francisci*: Nec ruffus crinis & in nodum coactus apud Germanos dum decet. *pro quo existimo*, *vt dixi*, *legendum*, apud Germanos dedecet.

o Nihil in vno iudicabis] *Exemplar Facundi & Primitiui*, Nec in vno iudicabis.

p Quod genti suae publicum est.] Gentis, *non* genti, *vetus lectio.*

q Sed iam aliqua fortasse laesisti:] Aliquem, *non* aliqua, *eadem.*

XXVII. r Qoanto melius est abire in vnioersum, nec vitia vitiis componere.] *Exemplar Facundi & Primitiui*, Quanto melius est ire indulsum, nec vitia vitiis opponere. *Praeter citatum exemplar*, *alia quoque exemplaria* opponere *habent*, *non* componere. *Sunt etiam codices qui legant*, Quanto melius est abire in diuersum, *&c.*

s Quàm iniquus est,] *Scribe*, quàm iniquus es, *ex vetere lectione.*

t Hac

t Hac peccauit. Hoc enim primum, hoc extremom.] *Eadem*, Peccauit, hoc est primum, hoc est extremom.

u Inter errores suos volutabitur,] *Expungenda dictio* suos, *ex eadem.*

x Ao semper haec cogitatio durabit,] *Exemplar Facundi & Primitini*, Si semper haec cogitatio permanebit.

y Nisi bene te ipse succenderis, & subiude causas quibus stimuleris reuocaueris.] *Idem exemplar*, cum xxviii.
bene te ipse succenderis, & subinde causas quibus stimuleris, reuucaueris.

z Victum liceat accipias,] *Corrige*, vinctum licet accipias, *ex eodem exemplari.*

a Consternantur ad ima.] *Sic in omnibus exemplaribus legitur. Considera an* inania, *non* ima, *aut, vt alij volunt*, minima, *scribendum sit. Nam paulo ante dixerat*, friuolis turbamur & inanibus. xxx.

b Obliti quantum sequatur a tergo ingentis inuidiae.] *Exemplar Franciscanum & Pincianum*, obliti quantum sequatur a tergu spiculis ingentis inuidiae fauciati. xxxi.
Exemplar Facundi & Primitini multo aliter, obliti quãtum hominum tetru sit, & paucis indigentes, quantum sequatur a tergo ingentis inuidentiae.

c Sed deest mihi ad sacerdotium.] *Vetus lectio*, sed deesse mihi ad sacerdotium.

d Et dedit mihi,] *Exemplar Facundi & Primitini*, Ea dedit mihi.

e Quod properamus verberare statim,] *Legendum existimo*, Quid properamos verberare statim.

f Castigandum flagris leuioribus.] Flagellis, *non* flagris, *vetus lectio.* xxxii.

g Hi sunt propter quus oculi clamare exprimantur:] *Exemplar Facundi & Primitini*, Hi sunt propter xxxiii.
qoos venae clamore tumescunt.

h Euucati qui longinquis regionibus iudices sedeant,] *Idem exemplar*, euocati ex longinqois regionibus adulaut.

i Aut imputatum a seruo denarium,] Amputatum *fortasse*, *non* imputatum, *scribendum.*

k Ad comparandum nun relictis.] *Quid si legas?* ad computandum mudo relictis.

l Horumque causa paratam ambitiunem,] *Superfluunt verba haec ex codice Facundi & Primitini: quorum* xxxiiii.
loco habetur vnica tantum dictio, ambitiones.

m qualia quae pueros] Qualia quoque pueros, *exemplar Facundi & Primitini.* qualiaque poeros, *exemplar Franciscanum.* qualia pueros, *exemplar meum.*

n Nihil ex his quae tam tristes agimus, saeuum est.] *Scribe* serium est, *non* saeuum est: *ex exemplari Facundi & Primitini. Sunt etiam codices in quibus habetur* tanti getimus, *non* tam tristes agimus. *Quid si legas?* Nihil ex his quae tanquam seria agimus, serium est, *vt quod statim subijcit:* Inde, inquam, vubis ira & insania est, quud exigua magna existimatis.

o Dum spe supremæ captus est, criminatur.] *Exemplaria quaedam minus, ni fallor, corrupte:* Dio spe suprema captatus criminatus est.

p Et ad clamorem serui, & ad tinnitum aeris, aut ianuae impulsum?] *Exemplar Facundi & Primitini si-* xxxv.
ne vlla coniunctione, ad clamorem serui, ad tinnitum aeris, ad laminae impulsum.

q Quod de auribus dictum est, transferunt ad oculos:] *Vetus lectio*, Hoc quod de auribus dictum est, transfer ad oculus.

r Quia nunc ne sobriis quidem pudor est.] *Particula* nunc *non habetur, in vetere lectione.* xxxvii.

s Honestiutem te aut turpiorem potest facere puluinum?] *Eadem*, puluinar *agnoscit, non* puluinom.

t Cato videtur melius:] *Scribe*, Catu noster melius, *ex exemplari Franciscano.*

u Diuus Augustus, cum coenaret apud Atedium Pulliunem.] *Prior editio minus corrupte*, apud Nedium xl.
Pulliunem. *Lego* Vedium Pollionem. *Plin. lib. 9. histor. natur. cap. 23.* Inuenit, inquit, in hoc animali ducumenta saeuitiae Vedius Pollio, eques Romanus, ex amicis diui Augusti, viuariis earum immergens damnata mancipia. *& cap. 53.* In Caesaris piscinis a Polliune Vedio cuniectum piscem sexagesimum post annum spirasse scribit Annaeus Seneca. *Meminit & alio loco Seneca. Corrigendus paulo post idem error.*

x Fregerat vnus crystallinum ex seruis.] *Vetus lectio*, Fregerat vnus ex seruis eius crystallinum.

y Quas ingens piscina cootinebat.] *Eadem partim*, quas ingentes in piscina cootinebat: *partim*, quas ingenti in piscina cuntinebat.

x Et crystallina ante omniá coram se frangi iossit,] *Castigo ex eadem*, crystallina autem omnia coram se frangi iussit.

a Et noui generis poenis lacerari?] Lancinari *eadem*, *non* lacerari.

b Vbi iram ex superiori loco aggredi possit, male tractabilem, ac talem duntaxat, *&c.*] *Exemplar Fa-* xli.
cundi & Primitini, vt ira ex superiori luco aggredi non possit, male tractet. At talem duotaxat.

c Sequatur vel mala de bene meritis.] *Omnis vetus lectio*, sequatur vel mala, dum bene merearis.

d Vndecunque haeserint renascentur:] Exierint *eadem*, *non* haeserint. xlii.

e Non capiunt res istae iacturam.] *Sunt exemplaria quae habeant* gestae, *non* istae.

f Fortasse citra tuam est.] Circa, *non* citra, *vetus lectio.*

g Suus confector spectat.] *Exemplar Facundi & Primitini*, finis confector expectat. *Cui lectioni suffragan-* xliii.
tur verba haec quae mox paulo sequuntur.

h Cum victo victori finis aeque maturus] *Magna pars scriptorum codicum legit*, & qoidem matutinus, *non* aeque maturus.

i Conclamatum in vicino incendium] *Fidelior mihi videtur lectio* vicinia *quàm* vicino.

k Vhi metus maior apparuit.] Maiorum, *non* maior, *vetus lectio.*

l Nolo, inquis, vtique occidere,] *Verbum* vtique *non habetur in exemplari Facundi & Primitini.*

m Vellicationes contemnamus] *Quidam codices*, vellicationes, contemptus.

n Immortalitas aderit.] *Corrigendum reor*, iam mortalitas aderit, *vt supra*, Nec vlla res magis proderit quàm cogitatio mortalitatis.

FERNANDI PINCIANI CASTIGATIONES

IN PRIMVM LIB. DE CLEMENTIA AD NERONEM.

CAP. I. a Ita loqui secum :] *Exemplar Pincianum*, & ita loqui secum.

b Apud me gratiosus] *Adde verbum* est, apud me gratiosus est, *ex vetere lectione.*

c Omnia in fida tutela haberi, nihil per te, neque vi, neque clam a te R. P. ereptum.] *Exemplaria Franciscanum & Pincianum* : Omnia quae in fidem tutelamque tuam venerunt, nihil per te, neque vi neque clam Reipublicae ereptum. *Scribendum reor* omnium, *non* omnia.

d Nemo vnus homo] *Quidam codices*, Nec vous homo. *Alij*, Non vous homo.

e Nec quod te imitari velis,] *Corrige*, Nemo qui te imitari velit, *ex vetere lectione.*

f Laetissima forma reip.] Lectissima, *non* laetissima, *exemplar Franciscanum.*

g Nisi pereundi licentia.] *Prior editio*, nisi pereat licentia. *Codex modo citatus*, nisi perennis diligentia.

h Proportione fortunae suae] Portione fortunae suae, *emendatiora exemplaria.*

III. i Qui hominem voluptati donant,] *Quidam codices* dant *legunt*, *non* donant.

IIII. k Vt deduci alterum non posset] *Vetus lectio*, vt seduci alterum non posset. *Legendum videtur* diduci *potius quàm* seduci *aut* deduci.

V. l Nam si quid adhuc colligitur,] Nam si quid adhuc colligis : *eadem.*

m Ne vltra quàm necesse sit incidat.] *Quaedam exemplaria* insidas *legunt*, *non* incidat. *Legendum reor* incidas. *& post* crudelitas *scribe*, *non* crudelitate.

n Quid enim maius aut fortius,] *Quidam codices*, Quid enim maius infortunius.

o In bona fortuna latiorem locum habet,] Laxiorem, *non* latiorem, *vetus lectio. Item dictionem* magnanimitas *adiectitiam esse opinor.*

p Quid enim est memorabilius,] *Vetus lectio*, Quid enim est mirabilius.

q Nec deprecaturus est quidem,] *Verbum* est *superfluit*, *ex eadem.*

r Transeunt quem impulerunt.] Transeunt quae impulerunt, *ex eadem.*

VI. s Qui non ex ipsa lege teneatur quae quaeritur.] *Eadem* quaerit, *non* quaeritur.

VII. t Et quis regum erit tutus,] *Puto legendum*, Ecquis regum erit tutus?

u Quòd si dij placabiles sunt & aeque delicta, *&c.*] *Corrige*, Quòd si dij placabiles & aequi delicta, *&c. ex vetere lectione.*

x Facilius priuatis ignoscitur,] *Legendum puto*, Difficilius priuatis ignoscitur. *Alias non video quis sensus elici possit.*

VIII. y Ista quidem seruitus est,] *Corrige*, Ista, inquis, seruitus est, *ex exemplari Pinciano.*

z Non tibi seruitutem?] *Negatio* non *superuacanea est*, *ex vetere lectione.*

IX. a Iam fuerat collega proscriptoris.] *Eadem* proscriptionis *agnoscit*, *non* proscriptoris.

b Cum M. Antonius proscriptionis edictum inter coenam dictaret.] *Legendum arbitror*, Cum M. Antonio proscriptionis edictum inter coenam dictarat.

c Saluidenum Lepidus secutus est,] *Sic quidem praefert vetus lectio. sed legendum* Saluidienum, *non* Saluidenum, *ex Velleio Paterculo, secundo.*

d Gauisus sibi quòd aduocatum inuenerat,] *Verbum* sibi *non habetur in vetere lectione.*

e Dimissisque omnibus egressus est e cubiculo,] *Eadem*, dimissisque omnibus e cubiculo. *reliqua redundant.*

f Ne meo sermone medio proclames.] *Exemplar diui Pauli ordine verso*, ne medio sermone meo proclames. *in alijs non habetur verbum* meo.

X. g Et Duellios,] *Legendum* Duillios, *non* Duellios, *tum ex vetere lectione, tum ex vulgata apud historicos nomenclatura.*

h Eius pontificatum maximum,] *Vetus lectio*, & pontificatum maximum.

i Adeo non odit,] *Sunt codices qui habeant*, adeo non occidit.

XI. k Senectutem plusquam maturam] *Exemplar Franciscanum*, senectutem potius quàm naturam.

l In voluptate saeuiunt,] *Quidam codices*, in voluptatem saeuiunt.

XII. m Hic non est mentitus :] *Scribe*, Hoc non est mentitus, *ex vetere lectione.*

n Nam vt inuisus sit quia timetur,] *Corrigendum reor.* Nam vt inuisum se scit, quia timetur. *Posset etiam scribi* inuisus fit, *non* inuisus sit.

o Sic feras lineis & pinna conclusas contine.] *Castiga*, Sic feras lineae & pinnae clausas continent, *ex vetere lectione.*

XIII. p Fidae ac bonae voluntatis ministros,] *Scribe permutato verborum ordine*, Bonae ac fidae voluntatis ministros, *ex eadem.*

q Hoc enim inter cetera pessimum habet crudelitas. Perseuerandum est.] *Eadem*, Hoc enim vel pessimum habet crudelitas, quòd perseuerandum est.

r Qui a tota ciuitate amatur,] *Verbum* qui *superfluit*, *ex eadem.*

XIIII. s Pro prima offensa exhaeredat?] *Eadem*, ad primam offensam exhaeredat.

t Vt sciret datam sibi potestatem patriae :] *Scribendum puto contra omnia exemplaria*, potestatem patris, *non* potestatem patriae.

XV. u Exilio damnauit,] Consilio, *non* exilio, *veteres codices. Cui lectioni suffragantur verba quae mox paulo sequuntur* : aduocauit in consilium Caesarem Augustum. *& legendum infra* effecit, *non* efficit.

x Gratuitam esse seueritatem suam,] Sententiam, *non* seueritatem, *vetus lectio.*

y Contundet

y Contundet enim amicos, & quicquid est indolis, comminuetur.] *Emenda*, Contunditur enim animus, & quicquid est indolis, comminuitur, *ex eadem.* XVI.

z Cui tradita salus omnium est,] *Quaedam codices* credita *legunt*, *non* tradita.

a Quosdam morbi curatio decipiat,] *Scribe*, Quosdam molli curatione decipiat, *ex vetere lectione.* XVII.

b Quid aliud quàm serpentibus obiici iubebat?] *Scribe*, quid aliud quàm serpentium abiici iubebat. *& mox paulo* abiiciebat, *non* obiiciebat, *ex eadem.* XVIII.

c Si ad naturae legem componitur.] *Quaedam exemplaria*, sed ad naturae legem compositam. XIX.

d Hoc tamen maxime distinguitur.] *Variant hoc exemplaria. Sunt enim quae habeant*, Hoc cum maxime distinguitur.

e Nullumque momentum immune amet. Habeat hanc aliquis aegram vitam sustinet, cum liceat innoxium. Alius ob hoc securum salutarem potentiam eius] *Sic prior editio. Corrigendum.* Nullumque momentum immune a metu habeat. Sed quis hanc vitam aegram sustinet? cum liceat innoxium alus, & ob hoc securum salutarem potentiam eius, *ex vetere lectione.*

f Intueamur venerantes colentesque.] *Legendum reor per minorem cum superioribus*, intueremur venerantes colentesque. *& paulo ante* intuetur *lege*, *non* intuentur.

g Quas scit aliquando sibi fastidio obtinuisse:] *Locus vitiatissimus. Veteres codices* fastigium *legunt*, *non* fastidio, *vt potem hunc locum restituendum sic*: quos scit aliquando par sibi fastigium obtinuisse: *aut sic*, quos scit aliquando simile fastigium obtinuisse. XXI.

h Alienam de capite suo regiamque sententiam expectauit.] *Castiga ex exemplari scholarum Salmanticensium*, alienam de capite regio sententiam expectauit.

i Quod dignum esset victoria, apud victos inuenisse,] *Scribe* victore, *non* victoria, *ex vetere lectione.*

k Aut sublatis malis] *Lege*, aut vt sublatis malis, *ex eadem.* XXII.

l Et vitia eius compescit,] *Maior pars exemplarium*, & vitia eius facilius reprimit.

m Cum magno tormento] *Scribe*, & cum magno tormento, *ex vetere lectione.*

n Clementia inuocatus ad occidendum amicum] *Sic prior editio. Scribendum puto*, Leo etiam innocatus ad occidendum amicum. *Veteres enim omnes codices* inuocatus *praeferunt.* XXV.

o Tunc ille diri animi morbus] Dirus, *non* diri, *iidem.*

p Odio veneno gladiis.] Odia, venena, gladij, *exemplar Pincianum.*

q Tam multis periculis petitur,] Patitur, *non* petitur, *plerique omnes codices. Quid si legas?* patet.

r Quoque seruiles manus] *Inuerte dictiones*, *& scribe*, seruiles quoque manus.

s Et impietatem, & feritatem,] *Quaedam exemplaria* impunitatem, *non* impietatem. XXVI.

t Nec quantum videtur, peccat.] *Exemplar Pincianum*, nec quantum videtur, tantum peccat.

u Noxiosissimo cuique animali] Noxiissimo *vetus lectio*, *non* noxiosissimo: *vt a* pius, piissimus, *quod in antiquis legitur monumentis: etsi in Philippicis Cicero reclamet.*

x Et tuta est inter feras] Et tuta est etiam inter feras, *eadem.*

y Apud homines tamen] *Eadem*, Apud homines autem.

z A singulorum deinde caedibus in exitia gentium serpere,] *Scribendum inuerso ordine*, a singulorum caedibus, deinde in exitia gentium serpere, *ex eadem.*

zz Barbarorum sanguine cruenti] Cruentati *eadem*, *non* cruenti.

IN LIBRVM II. DE CLEMENTIA

AD NERONEM.

a Et, cum diceretur, audisse memini,] *Exemplar scholasticum*, & cum diceretur, audisse me memini. CAP. I.

b Et bonitatem tuam cum fortuna tua litigantem] *Legendum arbitror*, sed bonitatem, *&c.*

c Vellem nescirem literas] *Vetus lectio*, Vellem nescire litteras.

d Quae Rom. imperium colunt,] *Eadem* incolunt, *non* colunt.

e O vocem publica generis humani innocentia dignam, cui redderetur antiquum illud seculum.] *Scribendum disponendumque ad hunc modum arbitror*, O vocem priscae generis humani innocentiae, dignam cui redderetur, *&c.*

f Pietatem, integritatem] *Vetus lectio*, pietatem integritatemque.

g Et cuncta in similitudinem sui formabuntur.] *Quaedam exemplaria* tui, *non* sui. *Alia* tuam *agnoscunt.* II.

h A capite bona valetudo, ea transibit in omnes. Vegetata sunt,] *Prima duo verba*, a capite, *superioribus adiungenda sunt. Quae succedunt, sic scribe ex plerisque antiquis codicibus*: Bona valitudo in omnes vegeta est. *reliqua superfluunt, ex omni scripta lectione. & mox paulo* viuit *substitue pro* iuuit.

i Quid ergo est, propter quod bene actis dictisque tuis] *Legendum*, Quid ergo est praeter id quod, *&c. vt prior editio habebat.*

k Materia secundiore expresserunt sensus vehementes] *Lego* foecundiore, *non* secundiore, *ex exemplari Pinciano.*

l Quid ergo est vt raro inuitus, & cum magna cunctatione, cum multis dilationibus. Et ne forte decipiat nos speciosum clementiae nomen] *Scribe ex omni antiqua lectione*, Quid ergo est? Vt raro, inuitus, & cum magna cunctatione, ita aliquando scribas necesse est istud quod tibi in odium litteras adduxit, sed sicut facis, cum magna cunctatione, cum multis dilationibus. Ne forte decipiat, *&c.*

m Speciosum clementiae nomen aliquando] *Verbum* aliquando *redundat*, *ex eadem.* III.

n Plura proponere est tutius:] *Mallem legeretur* Plures *quàm* Plura.

o Nullam virtutem cuiquam minus debito facere.] *Legendum puto* quicquam, *non* cuiquam.

p Vt Busiris ille & procrustes] *Exemplar academiae*, Osiris ille & proclustes. *Exemplar Francisc*anum, Siris IIII.

ille & procuſtes. *Lego*, Sinis ille & Procruſtes, *ex Plutarcho*, *Ouidio*, *& plerisque alijs.*

q Hanc clementia repellit lnngius ſtare a ſe.] *Sic prior editio. Exemplar Pincianum*, Hanc clementia repellit, longiusque ſtare a ſe facit.

r Ne per ſpeciem clementiae in miſericordiam incidamus.] *Pleraque verba quae hic deſiderantur, reſtitue ex exemplari Pinciano hoc pacto*, ne per ſpeciem ſeueritatis in crudelitatem, ne per ſpeciem clementiae in miſericordiam incidamus.

V. s Quod ſi eſt quid in hac ſcientia] *Vetus lectio*, Quod ſi eſt, quidni haec ſcientia.

t AEque aeſtimanda.] *Scribendum* aequa, *non* aeqne, *ex eadem.*

u Caetera nmnia quaeque miſerentur. Volo facere libens, & alius animo faciet.] *Ita prior editio. Quae verba vitioſiſſime ſcripta ad hunc modum caſtiganda exiſtimo*, Caeterum nmnia quae ſi miſereretur, nolens faceret, libens & alacri animo faciet.

VI. x Et fortins laborantibus] Fortuitis, *non* fortius, *legendum puto*, *vt ſequentia indicant.*

y Vultum qnidem non deiiciet, nec animum,] *Sciendu multa hic verba deeſſe, ſed quae in ſcriptis exemplaribus varie leguntur. Modo ſic*: Vultum qnidem non deiiciet, nec animum ad corruſcantis ciuis aut pannnſi aridam faciem, & obnoxiam baculn ſenectutem. *Modo ſic*: Vnltum quidem nnn deiiciet, nec animum obſtruſit cauſa rerum in pannoſum faciem, & in obnoxiam baculn ſenectutem. *Vt forte corrigendum ſit*: Vultum quidem non deiiciet, nec animum ad aeruſcantis ciuis, aut pannoſi aridam faciem, & obnoxiam baculo ſenectutem.

z At quare non ignnſcet vacuam] *Sic prior editio. Scribendum puto* dicam, *non* vacuam. *& paulo poſt* debitae, *non* meritae, *ex vetere lectione: ſicuti etiam patet circa finem libri repetitis eiſdem verbis.*

VII. a Inuidia criminis manifeſte laborantem.] *Exemplar Pincianum*, inuidiae crimine manifeſte laborantem.

b Sed & quanti vult aeſtimare litem.] Taxare, *non* aeſtimare, *vetus lectio.*

c Secundum haec videbit perfectus ſapiens, quod ingenium qua ratione tractandnm ſit, dnnec in rectum praua flectantur.] *Eadem*, Videbit, quod ingenium qua ratione tractandnm ſit, quomodo in rectum praua flectantur. *reliqua ſuperfluunt.*

FERNANDI PINCIANI CASTIGATIONES

IN LIBRVM DE VITA BEATA AD GALLIONEM FRATREM.

CAP. I. a Quae in contrarium ducit,] *Vetus lectio*, quae vbi in contrarium ducit.

b Quantum cotidie proficiamus,] *Eadem*, Quantum cotidie profligetur.

c Quodque exempla prn bnnis multa ſunt:] *Exemplar Pincianum & Facundi ac Primitiui*, quodque exempla boni multa ſunt. *Reliqua quae legerim omnia per defectum illorum duorum verborum* pro bonis, *ſic habent* qnndqne exempla multa ſunt. *Vt corrigendum arbitrer*, quorumque exempla multa ſunt.

II. d Qnid optime factum ſit,] *Exemplar Facundi ac Primitiui*, quid optimum factu ſit.

e Quantn leuius fuit quàm quod concupiui?] *Idem exemplar* melius *praefert*, *non* leuius.

f Cum multis amicitias geſſi,] *Omnis antiqua lectio* inimicitias *agnoſcit*, *non* amicitias.

g Et aliquam dntem nntabilem facerem.] *Corrige*, & aliqua dote notabilem facerem, *ex eadem.*

III. h Nnn in ſpecie bonum, ſed ſolidum & aequale,] *Eadem*, nnn in ſpeciem bonum, ſed in ſnlidum & aequale.

i Deinde ſit fortis ac vehemens.] *Verbum* ſit *ſuperuacaneum eſt, ex eadem. Alioqui ſi legendum erat, non* ſit.

k Sine admiratinne cuiuſcunque:] *Eadem* ſine admiratione cuiusque, *melius* cuiusquam.

IIII. l Eo quod ſibi ipſi dare poteſt,] Ipſe *ſcribendum*, *non* ipſi, *ex eadem.*

m Quid enim prohibet nns beatam dicere,] *Eadem*, Quid enim prohibet nos beatam vitam dicere.

n Nec detrahens quicquam beatae vitae,] Detrahet, *non* detrahens, *exemplar Facundi & Primitiui.*

V. o Expulſis terroribns] *Qnidam codices* doloribus, *non* terroribus. *Legendum forte* errnribus.

p Aliaque ex aliis admnueat, qnibus totas quoque partes nnſtri ſollicitet:] *Vetus lectio*, aliaque ex aliis admnueat, quibus totos parteſque noſtri ſnllicitet.

VI. q Vide autem & in illis qui ſnmmum bnnum voluptatem dixerint,] *Exemplar Facundi & Primitiui*, Videant qui in his ſummum bonum dixerunt.

r Et a virtute deduci,] *Coniunctio* & *ſuperuacanea eſt, ex vetere lectione. &* diduci *reor ſcribendum*, *non* deduci.

s Vt nnn iucunde] *Lege*, vt nnn iucunde viuat, *ex eadem.*

t Videlicet quod omne bonis ex virtute principium eſt.] *Legendum*, videlicet quia omne boni ex virtute principium eſt, *ex codice Facundi & Primitiui.*

VII. u Immo ab ipſa voluptate] *Idem codex*, immo ab ipſam vnluptatem.

x Pallidam ac fucatam,] *Exemplar Facundi & Primitiui*, pallidam aut fucatam.

y Quod venit tranſitn celerrime,] *Vetus lectio*, quod venit tranſitve celerrime.

VIII. z Nec minus turpes dedecus] *Addenda eſt dictio* ſuum. Nec minus turpes dedecus ſuum. *ex eadem.*

a Quo ſunt in caſtris auxilia & armatura leuis.] *Pluralitatis numero*, armaturae leues, *eadem.*

b In exteriora quidem tendit & redit.] *Eadem*, In exteriora quidem tendit, ſed tamen in tntum vndique in ſe redit.

c Ad externa porrexit, & illnrum & ſui potens ſit,] *Exemplar Franciſcanum poſt haec verba adijcit*, &, vt ita dicam, deuinciat ſummum bonum. *Item* porrexerit *agnoſcit*, *non* porrexit.

d Non

d Non diffidens nec haesitans] Diffidens *legendum*, *non* diffidens, *ex vetere lectione.*

e Nihil enim praui, nihil subiti superest.] Lubrici *legendum*, *non* subiti, *ex eadem. quam lectionem arguunt verum verba statim sequentia* : nihil in quo arietet, aut labet. arietet *refertur ad* praui, labet *ad* lubrici. *Solet enim Seneca libenter eandem sententiam alijs verbis repetere.*

f Non enim hanc praestat, sed nec huic laborat. Sed labor eius] *Correctiora exemplaria*, Non enim hanc praestat, sed & hanc. Nec huic laborat, sed labor eius. IX.

g Quae cum suum impleuit,] *Exemplar domesticum*, quae cum suum implenit. *Exemplar Facundi & Primitiui*, quem cum impleuit.

h Quaeris enim aliquid supra summum. Interrogas quid petam] *Vetus lectio*, Quaeris enim aliquid supra summum bonum, interrogans quid petam.

i Clare, inquam, ac palam testor] Inquit *legunt*, *non* inquam, *exemplar Franciscanum*, *& Facundi ac Primitiui.* X.

k Iam dicacitatem & loquacitatem] *Duo postrema verba* & loquacitatem, *in vetere lectione desiderantur.*

l Nec quas probauit, magni pendit : vtique enim admittit.] *Haec verba in codice Franciscano non habentur omnino.*

m Egregium autem virtutis apud vos officium, voluptates praestare.] *Exemplar idem & item Facundi ac Primitiui*, Egregium autem habet virtus apud vos officium, voluptates praegustare. XI.

o Omnium generum animalia.] Gentium, *non* generum, *eadem praefert.*

o Tam longinquum illos ab omni molestia abesse,] *Corrigendum*, tam longe tum illos, *&c. ex exemplari Facundi & Primitiui.* XII.

p Ac vagabundus semper atque ebrius,] *Antiqua omnia exemplaria non* vagabundus *habent, sed* raptabundus. *scribendum puto* reptabundus. *vt infra*, quo minus virtutem adorem, & ex interuallo ingenti reptabundus sequar.

q Ita non ab Epicuro repulsi luxuriantur,] Impulsi *legendum*, *non* repulsi, *ex eisdem.*

r Nec aestimabitur voluptas illa Epicuri. Ita mehercules enim sentio,] AEstimatur, *non* aestimabitur, *eadem praeferunt. & coniunctio* enim *in castigatioribus codicibus non habetur.*

s Ad prouum & exile] *Vetus omnis lectio* paruum, *non* prouum. XIII.

t Et dum ille venit, blando nomine inductus.] Illo *legendum*, *non* ille, *ex eadem.*

o Quae non statim venerint vitia.] *Sic prior editio. Exemplar Pincianum*, quae statura venerunt vitia. *Exemplar Facundi ac Primitiui*, quae statim eneruant, cum venerunt, vitia. *quae lectio confirmatur verbis statim sequentibus* : Qui voluptatem sequitur, videtur eneruis, fractus, *&c.*

x Vir peruenturus in turpia :] *Prior editio* vix, *non* vir. *Quid si legas?* mox, *non* vis. *Exemplar Facundi & Primitiui*, vt peruenturus in turpia. *vt forte scribi possit*, & peruenturus in turpia.

y Quae in praeceps ferantur,] *Corrige*, quae in praeceps ferant, *ex vetere lectione.*

z Et voluptas nocet nimia :] *Scribe sine coniunctione* &, *per maiorem*, Voluptas nocet nimia, *ex eadem.*

a Si hoc placet scilicet ad beatam vitam ire comitatum.] *Puto verba haec Senecae non esse, sed studiosi alicuius Senecae sensum exponentis.* XIIII.

b Virtutem quidam excellentissimam omnium voluptari tradidere ancillam. Nihil magnum animo capientis est,] *Exemplar Franciscanum & domesticum*, virtutem quidem excellentissimam omnium, voluptati tradere ancillam, nihil magnum animo capientis est.

c Ita habentis magnae voluptates] *Corrige*, ita habentes magnas voluptates, *ex vetere lectione.*

d Permanere licet in hac] Libet, *non* licet, *ex eadem scribendum.*

e Quia pars honesti non potest esse, nisi honestum & iucundum sit.] *Postrema tria verba*, & iucundum sit, *non habentur in eadem.* XV.

f Et ne ex aequo quidem, fragilitate alterius boni quicquid in altero vigoris est, vetat] *Emendo ex eadem*, & ne exaequat quidem, fragilitate alterius boni quicquid vigoris in altero est, hebetat.

g Libertatemque illam voluptas ista demum, si nihil se pretiosius nouit, in vitam sub iugum mittit.] *Scribe*, libertatemque illam ita demum, si nihil se pretiosius nouit, inuictam, sub iugum mittit, *ex eadem.*

h Namque quod maxima seruitus est,] *Lege*, Nam quae maxima seruitus est, *ex eadem.*

i Trepida, casum pariens,] *Castiga*, trepida, casum pauens, *ex eadem. Exemplar tamen Facundi & Primitiui*, trepida, casum timens, *legit.*

k Temporum suspensa momenta.] *Verbum* momenta *non habetur in codice domestico.*

l Illo ergo summum bonum ascendat,] *Codex Pincianus* ascendit, *non* ascendat. *recte* : *quia sequitur statim compar verbum* dettahitur, *non* detrahatur.

m Illa virtus fortiter stabit,] *Verbum* virtus *aduentitium est, ex omni scripta lectione.*

n Quisquis autem cogitur, queritur, & plorat,] *Expungendum verbum* cogitur, *ex eadem.*

o Aut aeque mirari, vel indigne ferre,] *Scribendum*, aut mirari, aut indigne ferre, *ex eadem.*

p Ex vniuersa constitutione] *Exemplar Facundi & Primitiui*, vniuersi *legit*, *non* vniuersa.

q Quid haec tibi virtus suadebit?] *Dictionem* virtus, *cum paulo ante praecesserit, putamus adiectitiam esse.* XVI.

r Quod nec virtute, nec malitia contingeret.] *Scribendum* contiuget, *non* contingeret, *ex vetere lectione.*

s Cur autem domus disponitur?] *In maiore veterum exemplarium parte verba haec desiderantur. In nonnullis verbum* domus *tantum. Et expende, an* laute *legendum sit, vbi* autem *legitur.* XVII.

t Et aliquis est scindendi obsonij magister?] *Vetus lectio ordine mutato*, & est aliquis scindendi obsonij magister?

o Cur plura quàm nosti, possides? Turpiter.] *Exemplar Facundi & Primitiui* : Cur plura quàm nosti? *reliqua supersunt.*

x Non tanquam sapiens, sed solum vt maliuolentiam tuam pascam. Nec ero.] *Idem exemplar* : Non sum sapiens, &, vt maliuolentiam tuam pascam, nec ero.

y Vt non optimis par sim,] *Corrige ex exemplari domestico*, non vt optimis pat sim.

z Et si minus fera minatur.] Irata, *non* fera, *bona pars exemplarum*.

XVIII. a Cui aliquid apti est.] Acti, *non* apti, *plerique codices. Exemplar Pacundi & Primitiui* actum *castigatius*.

b Hoc per malignissima capita,] *Particula* per *superuacanea est*, *ex vetere lectione*.

c O virum acerrimum,] *Aduerbium* o *expungendum*, *ex eadem*.

d Hoc pauperiorem quàm caeteros cynicos,] *Scribe*, hoc pauperiorem quàm caeteri cynici, *ex eadem*.

e Vides enim non virtutis scientiam, &c.] *Expende an legendum sit* Vix, *non* Vides.

XIX. f Reddidit sibi testimonium praecedentis vitae laudabilisque eius aetatis in portu, & ad anchorã vitae actae quies.] *Exemplar Pacundi & Primitiui*, reddidit sibi testimonium vita excedens, laudauitque aetatis in portu ad anchoram vitae actae quietem.

g Dicit quod vos inuiti audistis,] *Vetus lectio*, Et dixit quod vos inuidi audistis.

h Quibus ipsum nomen virtutis odio est?] *Adde ex omnibus antiquis exemplaribus verba haec*: Negatis quenquam praestare quae loquitur, nec ad exemplar orationis suae viuere.

i Nisi quidam ex patibulo suos spectatores conspuerent.] *Eadem*, Nisi quòd quidam ex patibulo suos spectatores conspuerunt.

XX. k Laudanda tractatio est.] Landanda oratio est, *vetus lectio*.

l Quis sibi proposuit haec?] *Eadem*, qui sibi haec proposuit: *vt ordo sit*, ingenti animo qui sibi haec proposuit.

m Ego mortem eodem vultu audiam, quo iubebo & videbo.] *Exemplar Pacundi & Primitiui*, Ego mortem eodem vultu videbo, quo audiam. *reliqua superuacanea sunt*.

n Et praesentes & absentes aeque contemnam?] Posteras *legit exemplar domesticum*, *non* absentes.

o Nec si aliubi iacebunt, tristior:] Tristor *legendum*, *non* tristior: *ex vetere lectione*.

p A nemine meam.] *Eadem*, minime meam.

XXI. q Hoc ille etiam si nõ tenuerit, magnis tamen excidit causis.] *Prior editio*, Nec ille etiam si non tenuerit, *& reliqua. Castigo*, Nae ille, etiam si non tenuerit, magnis tamen excidet ausis. *ex Phaethontis epitaphio apud Ouidium*.

r Paucae argenti armillae,] *Codex Franciscanus*, *& nonnulli alij* laminae *praeferunt*, *non* armillae. *Codex Pacundi & Primitiui* lamellae, *rectius*, *vt sentio*.

s Non in animum illam gazam, sed in domum recipit.] *Omnis scripta lectio*, Non in animum illas, sed in domum recipit.

t Nec respuit possessas diuitias, sed contemnit,] *Eadem*, Nec respuit possessas, sed continet.

u Et maiorem virtutis suae materiam subministrari vult.] *Scribe* virtuti, *non* virtutis, *ex eadem*.

XXII. x Vt dies bonus & in pruina ac frigore apricus locus.] *Exemplar Pacundi & Primitiui*, vt dies bonus in pruina & frigore apricus locus. *Exemplar Pincianum castigatius*, *vt reor*, vt dies bonus, in bruma & frigore apricus locus.

XXIII. y Nemo sapientem paupertate damnauit.] Sapientiam, *non* sapientem, *vetus lectio*.

z O magnum virum optime diuitem,] *Adde post haec verba ex exemplari Pacundi & Primitiui*, Si opus ad hanc vocem consonet.

a Quid donabit? erexistis aures. Quid expeditis sinum.] *Legendum puto ordine praepostero*: Donabit. Quid? Erexistis aures? Quid? Expeditis sinum?

XXIIII. b Illi credo. Huic succurro. Huic misereor.] *Corrige*, Illi reddo. Huic succurro. Huius misereor. *ex vetere lectione. Potest tamen legi* credo.

c Erit defecturum.] Erit defuturum, *eadem*.

d Si processero, quantum proposui,] *Eadem*, Quantumcunque, *non* quantum, *agnoscit*.

e Et quanti quemquam aestimem.] *Exemplar Pacundi & Primitiui*, & quanti quaeque aestimem.

XXV. f Domum illam splendidam malo quàm putentem.] *Codices quidam* petentem *habent*, *non* putentem. *Alij* potentem. *Lego* pontem. *Nam duae res comparantur*, *domus splendida & pons sublicius*.

g Pone in instrumentis splendentibus,] *Corrige*, Pone in stramentis splendentibus, *ex exemplari Pacundi & Primitiui*.

h Si lapsa ceruix mea] *Vetus lectio* lassa, *non* lapsa.

i Praetextatus & candidatus,] *Variant hoc loco exemplaria. Alia legunt* praetextatus & chlamydatus. *Alia* praetextatus & causeatus.

k Vt omnes mihi ex voto cedant,] *Veteres quidam codices*, aut fetentibus. Omnes mihi ex voto decidant. *Alij*, aut assentientes mihi omnes ex voto discedant. *Corrigendum arbitror*, Fac sententiae omnium mihi ex voto cedant.

l Nulla homo hora sine querela sit:] *Exemplar Pacundi & Primitiui*: Nullus homo sine querela aliqua sit.

m Iura reges Persarum petant.] *Prior editio*, Iura reges penatum petant. *Exemplar modo citatum*, Iura regnis imponam.

n Cum diis vndique consultabo.] *In varijs exemplaribus varia lectio*, *in nullo sincera. Quaedam legunt*, cum Deo vtique conscientia luctabor. *Alia*, cum Deus vndique quae sunt requirat.

XXVI. o Quae exercendae tranquillius sint.] *Codex Pacundi & Primitiui*, quae exercendo tranquillae sunt.

p Quid inter me stultum & te sapientem interest, si vterque habere volumus plurimum?] *Exemplar Pincianum & duorum Pacundi ac Primitiui*, Quid ergo inter me stultum & te sapientem virum interest, si vterque habere volumus? Plurimum. diuitiae enim, &c.

q Diuitiae apud sapientem virum in seruitute sunt:] *Exemplar Franciscanum*, Diuitiae cum apud sapientem virum sunt, in seruitute sunt.

r Nec quo illa pertingant quae ex longinquo instruuntur, intelligunt.] *Scribendum*, nec quo illa pertineant

neant quae ex longinquo struuntur, intelligunt, *ex vetere lectione.*

a Iam iamque preciosa spolia laturi.] *Pro commodiore lectione duxerim* daturi *quàm* laturi.

t Quia calamitas est, odisse, & lacessere virtutem, bonae spei euitatio est.] *Vetus lectio*, quia calamitates odisse, & lacessere virtutem, bonae spei eiuratio est.

u Sed ne diis quidem,] *Vide an sit fidelior lectio*, sicut ne diis quidem.

x Adulterum illum induxit & abnoctantem:] Obnoctantem, *non* abnoctantem, *scripta lectio.*

y Alius raptorem ingenuorum, corruptorem, & cognatorum quidem:] *Verbum* raptorem *desideratur in exemplari Facundi & Primitini.*

z Vestra tamen vos moneo causa.] *In eodem*, Vestra tamen vos mouet causa.

a Mentio sacratum litterarum interuenerit,] Sacra, *non* sacrarum, *legendum ex vetere lectione,*

b Et medio lucernam die proferens,] Praeferens *eadem*, *non* proferens. XXVII.

c Illustrata est manus mea per ea ipsa, &c.] *Codex Facundi ac Primitini*, virtus mea *legit*, *non* manus mea.

d Quare hic philosophus latius habitat?] Laxius, *non* latius, *omnis scripta lectio.*

e Quem vera scabies depascitur.] *Exemplar Facundi & Primitini*, fera *legit*, *non* vera. *Exemplar Pincianum*, foeda: *rectius. vt in libro de Tranquillitate animi*: Vt vlcera quaedam nocituras manus appetunt, & tactu gaudent, & foedam corporum scabiem delectat quicquid exasperat.

f Vt vobis tantum ocij supersit,] *Scribendum* & vobis, *non* vt vobis, *ex vetere lectione.*

g Aut tam vicinae, vt vos ac vestra rapturae propius accesserint.] *Corrige*, aut iam vicinae, vos ac vestra tracturae, propius accesserint, *ex eadem.* XXVIII.

h Nunc in infima allisos rapit? Cur nobis magno consensu vitia commendant?] *Exemplar Facundi ac Primitini*, nunc in infima allisos magno vos consensu in vitia rapit. *Quid si legas non* consensu, *sed* concussu?

i Proderit tamen primo in seipsum secedere.] *Exemplar Pincianum & Gallicanum domesticum*, proderit tamen posse ipsum secedere.

k Ad quod vitam dirigamus, licet admonitio nota sit.] *Sic prior editio. Castiga*, ad quod vitam dirigamus, licet quod in ocio non fit: *ex vetere lectione.*

l Certe Stoici nostri dicunt:] Certe Stoici vestri dicunt, *codex Facundi & Primitini. & paulo post* vacationem, *non* vacationes.

m Nunc probo tibi non desciscere me.] *Scribendum* probabo, *non* probo, *ex eodem.* XXIX.

n Vtinam quidem iam tenentur omnia] *Corrige ex eadem*, Vtinam quidem iam tenerentur omnia. XXX.

o Causa autem late illa patet:] *Scribendum mutato dictionum ordine*, Causa autem illa late patet, *ex omni scripta lectione.*

p Quoniam qui se deteriorem facit,] *Codex Facundi ac Primitini*, Quomodo qui se deteriorem facit. *Et paulo post*, sic si quis bene de se meretur *legendum*, *non* Sed si quis, *&c.*

q Non ad huoc angulum respicimus aut illum.] *Corrigendum*: non ad hunc angulum respicimus, aut ad illum, *ex omni scripta lectione.* XXXI.

r Aut Carthaginensium erit,] *Verbum* erit *eradendum, ex eadem.*

s Huic maiori R. P.] Minori, *non* maiori, *exemplar Franciscanum & Pincianum.*

t Quod maria terrasque & mari ac terris inserta complectitur:] *Corrigendum reor contra omnia exemplaria*, Quod mari terras, & maria terris inserta complectitur.

u Immobilis sit mundus,] *Castiga*, immortalis sit mundus, *ex vetere lectione.*

x Natura ad vtrumque genuit & contemplationi rerum & actioni.] *Exemplar Franciscanum*, Natura ad vtrumque genuit, & contemplationem rerum, & actionem.

y Sed etiam ad contemplationem factum] Factura, *non* factum, *maior pars scriptorum codicum.* XXXII.

z Et vultum suum circumferre cum toto corpore,] *Verbum* corpore *non habetur in eodem exemplari*, *nec item in Gallicano meo*, *vt per dictionem* toto, *accipiamus* mundo ipso.

a Sublime fecit illi caput,] *Exemplar Facundi ac Primitini*, sublimius *praefert*, *non* sublime.

b Sena per noctem signa perlucent, nullam non partem sui explicuit:] *Vetus lectio*, produceret *agnoscit*, *non* perlucent. *vt forte legendum sit*, sena per noctem signa produxit, & nullam non partem sui explicuit.

c An propter ipsum pondus corporum] Praeter. *non* propter, *eadem.*

d Quod a me probatur homines diuini spiritus esse partem,] *Legendum*, quo maxime probatur, *non* quod a me probatur, *ex eadem. & verbum illud* partem *sequentibus adiungendum est*, *non praecedentibus.*

e In terras desiluisse, atque ex alieno loco exisse.] *Scribe*, in terram resiluisse, atque extraneo loco haesisse: *ex eadem.*

f Ad haec quaerenda natus aestima,] *Legendum ex eadem*, Ad haec quaerenda natus existimat.

g Ego secundum naturam viuo,] *Scribendum* Ergo, *non* ego, *ex eadem.*

h Quooiam ne contemplatio quidem sine actione est.] *Exemplar Facundi ac Primitini*, quoniam ne contemplationi quidem intendere possum sine actione.

i Nec vnquam sumas illud tempus,] Vllum, *non* illud, *vetus lectio.*

k Nec ille qui se contemplationi inseruit,] *Codex Facundi ac Primitini*, nec ille qui contemplationem elegit.

l Sed eam qua ratione efficit firmam sibi.] *Sic prior editio. Idem codex* quam *agnoscit*, *non* qua.

m Nobis statio est, non portus haec.] *Lege inuersis dictionibus*, Nobis statio haec, non portus est: *ex vetere lectione.*

n Adiice nunc huc,] Adiice nunc hoc, *exemplar Facundi & Primitini.*

o Quòd e lege Chrysippi] *Vetus lectio*, quod de lege Chrysippi.

p Negabis mihi accessurum in hanc R.P.] Ad hanc Remp. *exemplar Facundi & Primitini*, *non* in hãc R.P.

q Et hanc fugiet.] *Scribe*, & hanc fugiet sapiens, *ex eodem exemplari.*

r Quum laudet nauigationem.] *Exemplar idem & Pincianum*, antequam laudet nauigationem. *Scribendum puta per transpositionem dictionum*, quum ante laudaret nauigationem.

FERNANDI PINCIANI CASTIGATIONES
IN LIBRVM DE TRANQVILLITATE ANIMI, AD SERENVM.

CAP. I. a Quae manu praeciderem,] *Quidam codices*, quae manu penderem. *Exemplar Facundi & Primitini*, quae manu prenderem, *recte*.

b Quem nec parcot familiae, nec spectent,] *Pro meliore lectione duxerim* expectent, *quàm* spectent: *quam approbant verba haec statim succedentia:*

c Noo ante multos paratus dies,] *Quaedam exemplaria*, oec in multos paratus dies. *Alia*, nec ante multos imparatus dies. *Quid si legas?* nec multos ante paratus dies.

d Nihil habeat accersiti precio, sed habilibus oon defuturus,] *Vetus lectio*, nihil habens accersiti precio, sine vbi licet non defuturus. *scribo*, nihil habens accersiti preciosive. Vbi libet oon defuturus.

e Sioe vllo opere & nomine artificis:] *Eadem*, sine vllo nomine artificis. *Reliqua non agnoscit.*

f Diligentius quàm iam intra latus vestita & auro culta mancipia,] *Eadem*, diligentius quàm intra larem vestita, *&c. vt forte legi possit*, diligentius quàm in priuato lare vestita. *vt hoc ipso libro infra:* Sed habet vbi se etiam in priuato lare explicet magnus animus. *Verba autem statim ante praecedentia, de luxuria perditorum, non habentur in vllo vetere exemplari.*

g Iam domus etiam quae calcatur preciosa,] *Scribe* qua calcatur, *non* quae calcatur, *ex eadem.*

h Et assentator comesque patrimoniorum] Affectator *lege*, *non* assentator, *ex eadem.*

i Tantusque morsus subit.] Tacitus *lege*, *non* tantus, *ex eadem.*

k Aut aureis virgis adductum capessere] *In quibusdam codicibus verbum* aoreis *non habetur*. *In alijs* abductum, *non* adductum. *&* compescere, *non* capessere.

l Promptus compositus.] *scribe*, propius positus, *& adiunge superioribus*, *ex antiqua lectione.*

m Et nemo oon omisit. Ad quam cum animum insolitum arietari permisi,] *Corrige*, & nemo non misit. Vbi aliquid animam insolitam arietari percussit, *ex eadem.*

n Alterius coercere in foro superbiam,] Alicuius, *non* alterius, *omnes scripti codices praeferunt.*

o Cogitationis magnitudine leuauit,] *Iidem* cogitationum, *non* cogitationis, *rectius.*

p Altiusque vt spirare, ita eloqui gestit,] Sperare *in eisdem habetur*, *non* spirare.

q Et ad dignitatem rerum exit oratio] *Exemplar Facundi & Primitini*, & ad dignitatem rerum exigitur oratio.

r Oblitus tum lenis pressiorisque iudicij, sublimis feror] Legis, *non* lenis: *&* sublimius, *non* sublimis, *scripta lectio.*

II. s Nec vllius propius admoneri exemplo,] *Eadem*, Nec vlli propius admouerim exemplo.

t Noo patum est corpus sanum,] *Scribe inuerso ordine*, non parum sanum est corpus, *ex eadem.*

u Alicubi instes grauis,] Grauius *legendum*, *non* grauis, *ex eadem.*

x Ego eam tranquillitatem voco.] *Verbum* eam *superuacaneum est. ex eadem.*

y Et illi qui marcent & oscitant.] *Prior editio* oscitantur, *non* oscitant. *pro quo* ociantur *legit exemplar Facundi & Primitini.*

z Quàm quibus difficilis somnus] Quàm quibus difficilis somnus est, *ex vetere lectione scribendum.*

a Qui oon inconstantiae vitio] *Quaedam exemplaria*, qui non constantiae vitio. *Quid si legas?* qui non constantia iu vitio.

b Hoc oritur ab intemperantia animi] Intemperie *exemplar diuae Mariae*, *non* intemperantia.

c Nec dolent se praua frustra voluisse.] *Sic prior editio. Exemplar Facundi & Primitini*: Nec dolent praua se frustra voluisse. *minus corrupte. Codex Franciscanus*: Nec dolent praua, sed frustra voluisse. *rectissime.*

d Ad secreta studia:] *scribe*, & ad secreta studia, *ex vetere lectione.*

e Se ipsas strangulant] Se ipsae strangulant, *eadem.*

f Et ille fluctus mentis incertae] Melle, *non* ille, *eadem.*

g Et ex hac deiode versatione alienorum processuum,] *Sic prior editio. Legendum per minorem cum superioribus*, & ex hac deinde auersatiooe alienorum processuum, *ex eadem.*

h Gratior quibusdam pessimis ingeniis,] *Lege*, gratior pessimis quibusque ingeniis, *ex eadem. Quaedam exemplaria*, gratiorque pessimis quibusque ingeniis.

i Et mutare noodum fessum latus,] *Quid si legas* motare, *non* motare? *vt alludat ad Virgilianum illud*,

Et fessum quoties motat latus.—

k Et tecta vel antiquae satis opuleota turbae.] *Verba haec in exemplaribus, Pinciana & Francisc. desiderātur.*

l Aliud ex alio suscipitur.] *Lege*, Aliud ex alio iter suscipitur, *ex vetere lectione.*

m Omnes itaque scire debemus.] *Expungendum verbum* omnes, *ex eadem.*

III. n Curam corporis educunt,] *scribe*, & cura corporis diem educunt, *ex eadem.*

o Ad rerum ciuilium tutamen] Certameo *in eadem*, *non* tutamen *habetur.*

p Ita tamen delitnerit, vt vbicuoqne ocium suum absconderit, prodesse velit] *Corrige*, ita tamen delituerint. vt vbicuoque ocium suum absconderint, prodesse velint, *ex eadem.*

q Virtute instruit animos, qui ad pecuoiam luxuriamque cursu ruentes prensat ac retrahit,] *Eadem*, virtute instruit, qui animos ad pecuniam luxuriamque cursu ruentes prensat ac retrahit.

r Quà

r Qui inter peregrinos & ciues, aut vrbanus praetor adeuntibus assessoribus verba pronnnciat,] *Emendandum puto*, qui inter peregrinos & ciues, aut vrbanus praetor adeuntibus, ant assessor aeris verba pronunciat. *vt pro* aeris, *accipias* legis in aere incisae: vt illud,

—Nec verba minantia fixo
AEre ligabantur.—

a Qnàm qui docet quid sit iustitia, quid pietas, quid sapientia, qnid fortitudo, quid mortis contemptus, quid deorum intellectus, quantum bonum sit bona conscientia?] *Vetus lectio*, quàm qui quid sit institia, quid pietas, qnid patientia, qnid fortitudo, quid mortis contemptus, quid deorum intellectus, quàm gratuitum bonum sit bona conscientia, declarat.

t Quod subduxeris officiis, non deserueris, nec mnnus detrectaueris.] *In exemplari Pinciano vltima verba*, nec muous detrectaueris, *non habentur. Legendumque ex eodem*, non te deserueris. *In codice Facundi ac Primitiui*, quod de officiis subduxeris, &c.

u Contra difficultates locorum educere,] *Vetus lectio* ducere *praefert*, *non* educere.

x Qnod nobis natura consumendum dedit.] Consumandum, *non* consumendum, *exemplar Facundi & Primitiui.*

y Quare nihil turpins est,] *Deest verbum* saepe, *ex omni antiqua lectione*. Quare nihil turpius est saepe.

z Sed parcius se inserat officiis,] Inserat, *non* inserat, *quidam codices. posset legi* ingerat.

a Officia si cinis amiserit,] Officia ciuis amisit, *vetus lectio*.

b Et sors inter gregarios posuit:] Triarios, *non* gregarios, *in eadem habetur.*

c Stes tamen, clamore iuues, si quis fauces oppressisset,] *Corrige*, Stes tamen, clames. Siquis fauces oppresserit. *ex eadem.*

d Siue patiatur & sentitur iure suo,] *Sic prior editio. Legendum*, siue exspatiatur, & vtitur suo iure, *ex exemplari Facundi ac Primitiui.*

e In quocunque habitu est, prosit.] *Scribe*, in quocunque habitu est, prodest, *ex eadem.*

f Longe itaque optimum miscere ocium rebus,] *Lege ex eodem*, Longe, inquam, optimnm est miscere ocium rebus.

g Vt nulli actioni locus honestae sit.] *Scribendū ordine inuerso*, vt nulli actioni honestae locus sit, *ex eodē.*

h In qua tot tyranni, quot satellites erant?] *Expende an econtrario legendum sit*, in qua qnot tyranni, tot satellites erant.

i Et diuitibus opes suas moerentibns] *Omnis scripta lectio* metuentibus *agnoscit*, *non* moerentibus.

k Et in florenti ac beata, pecuniam, inuidiam,] *Exemplar Franciscanum*, & in florenti ac beatam peciam inuidiam. *Vt legendum putem*, & in florenti ac beata, impotentiam, innidiam.

l Malle esse se mortuum quàm viuere] *Sic prior editio. Legendum reor, mutato verborum ordine*, malle esse se quàm viuere mortuum. *Sequitur confestim.*

m Ex vitorum numero exire,] Viuorum *scribendum puto*, *non* vitorum.

n Nec aliter quàm periculosa nanigatione submersus portum petas:] *Scribe*, nec aliter quàm in periculosa nanigatione subinde portum petas, *ex vetere lectione.*

o Deinde eos quorum causa, aut cum qnibns] *Eadem*, deinde eos quorum causa, aut cum quibus agendum est. IIII.

p Laborioso oppressit officio.] Pressit, *non* oppressit, *eadem.*

q Irritamenta nocitura libertati euitet.] *Eadem*, irritamenta nociturae libertatis euitet.

r In actore quàm in pondere.] *Quid si legas?* in latore quàm in pondere. *quia sequitur mox paulo*, quae ferente maiora sunt. V.

s Necesse est vt opprimant onera,] *Particula* vt *supernacanea est, ex vetere lectione.*

t Hominum vtique namque delectus habendus est,] *Ita prior editio. Lege*, Hominum vtique delectus habendus est, *ex eadem.* VI.

u Qui cum amicorum officiis paria in mensa faciunt,] *Exemplar Facundi & Primitiui*, qui cum amicorū officiis pares mensas faciunt.

x Deinde illi sint testes] *Corrige*, Deme illis testes, *ex vetere lectione.*

y An ocio, studio, contemplationique aptior sit.] *Lege*, an ocioso studio contemplationique aptior sit, *ex eadem.*

z Afflatuque ipso in proximo laborabimus:] *Duo verba* in proximo, *non habentur in eadem.* VII.

a Vbi enim istud inuenies quod tot saeculis quaerimus?] *Scribendum*, vbi enim istum inuenies, quem tot saeculis quaerimus, *ex eadem.*

b Vtrique enim pecunia sua adhaesit,] Vtrisque enim pecunia sua obhaesit, *eadem.* VIII.

c Potest ipse dubitare] Idem *legendum*, *non* ipse, *ex eadem.*

d Non pudet,] *Eadem*, Non te pudet.

e Nihil apud Diogenem iam tui est.] *Eadem* tutum *agnoscit*, *non* tui. *Lego* tuum.

f Habiliora sunt corpora pusilla,] *Prior editio*, Habiliora sunt corpora imbecilla. *Exemplar Facundi & Primitiui*, imbecillo *legit*, *non* imbecilla. *Corrigendum puto* in bello, *siue* in bella.

g Placebit autem nobis mensura,] *Scribe*, Placebit autem haec nobis mensura, *ex vetere lectione.* IX.

h Et vsu rerum ornamenta metiri.] *Eadem*, Et vsus rerum, non ornamenta metiri.

i Libidoque qua necesse est effluat:] *Dictiuncula* que *superflua, ex eadem.*

k Discamus membris nostris inuitis cultum victumque non ad noua exempla componere.] *Eadem*, Discamus membris nostris inniti. Cultum victumqne, &c.

l Etiam si bos pudebit.] *Variant hoc loco insigniter exemplaria. Quaedam sic habent*: Etiam simul hos pudebit. *Alia sic*: Etiam simules nos pudebit ei plus. *Alia*: Etiam simules nos pudebit esse populo. *Legendum reor*, Etiam si milies nos pudebit. *Aut sic*: Etiam si similes nos pudebit esse populo.

m Nec curari mollius potest.] Melius *in vetere habetur lectione*, *non* mollius. *etsi exemplaria quaedam* mollibus *praeferant.*

n Quidni durius enim consulitur, etsi paupertas, & ignominiosa rerum euersio adhibetur, malo ma-

lum opponitur.] *Corrige*, Quidni conſulitur? ſi & paupertas, & ignominia, & rerum euerſio adhibetur. Malo malum opprimitur. *ex eadem.*

o Sed in ſpaciis vitae] Sed in his ſpaciis vitae, *eadem.*

p Studiorum quoque quae liberaliſſima impenſa eſt, tandiu rationem habet,] *Exemplar Facundi & Primitiui*, Studiorum quoque liberaliſſima impenſa eſt: tamen tandin rationem habent. *Legendum puto* habebo, *non* habent, *quia ſequitur*, Quo mihi innumerabiles libros.

q Quadraginta milia librorum Alexandriae arſerunt,] *Legendum videtur* Quadringenta *potius*, *quàm* quadraginta. *Caeterum Gellius lib.6.cap. vltimo, ſeptingenta prodit fuiſſe librorum milia.*

r Honeſtius, inquis, in hos impenſas, quàm in Corinthia pictaſque tabulas effuderim.] *Exemplar Facundi & Primitiui*: Honeſtius, inqnis, in hos impenſum eſſe, quod in Corinthia pictaſque tabulas effuderint.

s Et inter tot millia librorum oſcitanti,] *In quibuſdam codicibus non habetur coniunctio &. In alijs habetur, & deſideratur* tot.

t Deinde vbi non indignari illa, ſed pati propoſuerunt,] *Exemplar Pincianum*, Deinde vbi non dedignari illa, *&c.*

x. u Et voluptatem ſi volueris malam putare vitá potius quàm inuidioſam facere.] *Vetus lectio*, & voluptates, ſi volueris malam putare potius vitam quàm inuidioſam facere.

x Quàm cum ſciret quibus aerumnis naſceremur, calamitatum mollimentum conſuetudine inuenit,] *Corrigendum arbitror*, quàm quod ſciens quibus aerumnis naſceremur, calamitatum mollimentum conſuetudinem inuenerit. *Nam & in codice Pinciano* conſuetudinem *habetur*, *non* conſuetudine.

y Aliorum aurea catena eſt, aliorum laxa:] *Exemplar Facundi & Primitiui*, Aliorum aurea catena eſt & laxa, *rectiſsime.*

z Et quamuis auguſtum pedem] *Legendum reor*, quemuis anguſtum pedem.

a Et fortunam ſuam quam maxime potuerunt in planum deferendo.] Poterunt, *non* potuerunt, *ſcribendum ex vetere lectione.*

b Sed hoc ipſum teſtentur,] *Lege*, Sed hoc ipſo teſtantur, *ex eadem.*

c Large & benigna manu] *Sic prior editio. Legendum* larga, *non* large, *ex eadem.*

d Ad ſecundos caſus praeſidia,] *Forte* ſequentes, *non* ſecundos, *commodius legeretur.*

e Et finitae, non immenſum, *&c.*] *Exemplar Facundi & Primitiui*, ſed finitae, non in immenſum.

xi. f Solet intueri fidei commiſſa.] Tueri *lege*, *non* intueri, *ex exemplari Facundi & Primitiui.*

g Recipe animo meliore quàm dediſti.] *Omnis ſcripta lectio*, Recipe animnm meliorem quàm dediſti.

h Viues diutius, & morieris expeditius,] *Scribe*, At tu etiam viues diutius, *&c. ex eadem.*

i Morbus & captiuitas, ruina, ignis,] *Lege*, Morbus enim, captiuitas, ruina, ignis, *ex eadem.*

k Sciebam in quàm tumultuoſum me contubernium natura duxiſſet.] Cluſiſſet, *non* duxiſſet, *eadem.*

l Totiens prope limen immaturas exequias fax cereuſque preſſit.] *Corrigendum*, Totiens praeter limen immaturas exequias fax cereuſque praeceſſit, *ex eadem.*

m Multos ex his quorum forum, curia, ſermo, mecum contraxerat,] *In eadem*, Multos ex his quos forum, curia, ſermo, mecum contraxerat.

n Miror aliquando ad me pericula acceſſiſſe,] Mirer *eadē praefert*, *non* miror. *& paulo poſt* ſipário, *non* ſiparij.

o Inter ſolum & aulam ingenuam.] *Scribe*, inter ſolium & aliena genua, *ex eadem.*

p Cui cum Granius vetus cognatus,] Caius, *non* Granius, *eadem.*

q Periit in palatio cognata.] Cognati *lege*, *non* cognata, *ex eadem.*

r Qui in rogum ſuum deſcendit iuſſus & extingui vidit,] *Eadem*, Qui rogum ſuum, & deſcendit iuſſus, & extingui vidit. *Corrigendum reor*, qui rogum ſuum & incendi viuus & extingui vidit, *ex Herodoto, primo.*

s Id eſt ne aut labor irritus] *Verbum* id eſt *eradendum*, *ex eadem.*

xii. t Horum & ſi aliquem, *&c.*] *Dele coniunctionem* &, *ex eadem.*

u Quid cogitas? Reſpondebit tibi:] *Legendum ſine interpolatione cum nota interrogationis in fine*, Quid cogitas reſpondebit tibi? *ex eadem.*

x Cum interim concurrerunt,] *Legendum per minorem*, cum interim cucurrerunt, *ex exemplari Franciſcano.*

y Ad iudicium ſaepe litigantis, ad ſponſalia ſaepe nubentis,] *Corrige*, Saepe aut iudicium litigantis, aut ſponſalia nubentis, *ex codice Facundi & Primitiui.*

z Non induſtria inquietos, ſed inſanos falſae rerum imagines agitant.] *Scribe per maiorem*, Non induſtria inquietos & inſanos, ſed falſae rerum imagines agitant, *ex exemplari Franciſcano. Exemplar tamen Facundi & Primitiui*, inquietes *praefert*, *non* inquietos. *Sed puto veriorem eſſe lectionem, etſi nullo ſuffragante exemplari, ad hunc modum*: Inanis induſtria inquietes, vt inſanos falſae rerum imagines agitant.

a Inanes & leues etiam cauſae] *Verbum* etiam *delendum ex vetere lectione.*

b Nomenclator perſalutauit,] *Eadem*, nomenculatores perſalutauit.

c Nec publice ad ſuperuacua ſe ferat] *Caſtiga*, ad ſuperuacua ſcilicet referens, *ex eadem.*

xiii. d Semper de illa cogitare, & ſibi nihil de fide eius promittere.] *Exemplar Pincianum & Franciſcanum*, ſemper de illa cogitare debemus, & nihil ſibi de fide eius promittere.

xiiii. e Ne nimis deſtinatis rebus indulgeamus, tranſeamus in ea quae nos caſus deduxerit:] *Vetus omnis lectio*, ne minus deſtinatis rebus indulgeamus, tranſeamuſque in ea, *&c. ſed placet prior lectio.*

f Hemina ſanguinis in tua poteſtate eſt] *Corrige ex eadem*, En vena ſanguinis. In tua poteſtate eſt.

g Falleris ille dixit,] *Exemplar Facundi & Primitiui*, Phalaris *habet*, *non* Falleris.

h Cum centurio agmen periturum trahens, & illum quoque citari iuberet.] *In vetere lectione*, cum centurio agmen periturorum trahens illum quoque excitari iuberet.

i Quid

i Quid mocsti, inquit, estis vos? Quaeritis, an imtuortales animae sint.] *Castigandum puto sic:* Quid mnesti, inquir, estis ? Vos quaeritis, *&c.*

k Iam nnn procul erat tumulus,] *scribe*, Nec iam procul erat tumulns, *ex vetere lectione.*

l Inquit. Quid Cani nunc cngitas ?] *Inuerso ordine legendum*, Quid, inquit, Cani, nunc cogitas ? *ex eadem: vt mox ante*, Quid moesti, inquit, estis vns.

m Nemo diutius philnsnphatus :] *Eadem*, Nemn diutius philosnphatur.

n Priuatae tristitiae causas abiecisse.] *Quaedam exemplaria* adiecisse *legunt*, *non* abiecisse. XV.

o Et circumcurrit tot scelerum felicium turba,] *scripta lectio* nccurrit, *non* circumcurrit.

p Vt vix vnquam est nisi cum expedit fides, sed libidinis lucra damnaque pariter inuisa,] *Eadem*, Et vix vnquam nisi cum expedit fides & libidinis, *&c.*

q Qnas nnn sperare licet, non habere prodest,] *Scribe*, qnas nec sperare licet, nec babere prodest, *ex ead.*

r Ille & spei bonae aliquid relinquit :] *Coniunctio & expungenda ex exemplari Pinciano.*

s Omnia hominum negocia similia nuptiis esse,] *Exemplaria nonnulla* initiis *praeferunt*, *non* nuptiis. *Alia* miciis. *Corrigendum reor* mimis, *siue* mimicis. *Nam & vetus est adagium, mimum esse vitam. & Augustus, auctore Tranquillo, paulo ante obitum amicos percunctatus est, ecquid his videretur mimum vitae commode transegisse.*

t Quàm cnnceptus inchoatns.] *Quid si scribas ?* quàm concubitus in his actos.

u Nec in risum, nec in lacrymas excidere.] *Exemplar Facundi & Primitini*, excitari *habet*, *non* excidere. *sed non displicet impressa lectio.*

x Quia aliqnis filium suum efferat,] *Exemplar Facundi & Primitini*, si qnis filium efferat.

y Vt in simulatinne etiam simplicissima dolot eueniat,] *Scribe*, vt in simulatinne etiam simplicissima res dolor veniat, *ex vetere lectione.*

z Sequitur pars qnae solet nnn immeritn contristari, & in sollicitndinem deduci, vbi dolorum exitus mali sunt. Vbi Sncrates cngitur in carcere mori,] *Exemplar Facundi & Primitini*, sequitur pars quae snlet non immerito cnntristare, & in sollicitudinem adducere. Vt bnnorum exitus mali sunt. Vt Socrates cogitur, *&c.*

a Ipsorum animns desidera,] *Idem exemplar*, tu talis fieri desidera.

b Quorum desiderio virtus tibi placeat,] *Verbum* desiderin *delendum*, *ex vetere lectione.*

c Nnn tu dignus mala snrtuna. Diis visus es. Indignus in quem iam aliquid snrtuna posset.] *Eadem*, Non tn dignus mala snrtuna diis visus es, sed indignus, *&c.*

d Aut Regnlum, quòd tot clauis configitur, aut Catonem, quòd vulnera sua fortiter tulerit ?] *Exemplar Facundi & Primitini*, aut Regulum, quòd tot clauis transfigitur, ant Catonis vulnus iteratum. *rectissime.*

e Aut illa quantum haberet voluptatis] Habet *legendum est*, *non* baberet, *ex vetere lectione.*

f Nec perduratum est,] *Quidam codices*, percuratum. *Alij*, procuratum.

g Inter lusum ac festa ipsa tempora] *Exemplaria aliquot* intra lndos *legunt*, *non* inter lusum. *& in omni antiqua lectione desideratur verbum* tempora.

h Nascitur ex assiduitate laborutu animorum bebetatio] *Exemplar Facundi ac Primitini*, animo *praefert*, *non* animorum.

i Ncc ad tanta hominum cupiditas tenderet,] *Scribe*, Nec ad hoc tanta hominum cupiditas tenderet, *ex vetere lectione.*

k Oratorem magnum meminimus, quem nulla hnra vltra decimam retinuit.] *Exemplar Facundi & Primitini*, oratorem magnum meminit nnstra aetas, quem nulla res vltra decimam retinuit.

l Vt coelo libero & multn spiritu.] *Festiuior lectio exemplaris Facundi & Primitini*, vt coelo libero, vt multo spiritu.

m Sed vt deprimat curas.] *Verbum* curas *expungendum ex vetere lectione.*

n Trudit enim curas,] Elnit enim curas, *eadem.*

o Et asserit, vegetinremque & audaciotem in nmnes conatus facit] *Scribe*, Et asserit, vegetatque & audacinrem, *&c. ex eadem.*

p At facilius efficiet quisquis obiecerit crimen honestum quàm turpem Catnnem] *Eadem*, Facilius efficiet quisquis nbiiciet hoc, crimen hnnestum, quàm turpem Catonem. *& paulo post* perpulit, *aut* compulit, *non* pepulit.

q Decidat nportet a snlito, & efferatur,] Desciscat, *non* decidat, *exemplaria diui Francisci & Facundi ac Primitini. & perpende an sit correctior lectio* efferetnr, *quàm* efferatur.

r Et rectnrem capiat suum, eoque feratur qno per se timuisset ascendere.] *Corrige*, & rectorem rapiat suum, eoqne ferat qno per se timuisset accedere, *ex exemplari Facundi & Primitini.*

s Surrepentibus vitiis] *Quidam codices*, repentibus vitiis. *Alij*, semper repentibus vitiis.

FERNANDI PINCIANI CASTIGATIONES

IN LIB. AD SERENVM, QVOD IN SAPIENTEM NON CADIT INIVRIA.

a Lucij Annaei Senecae ad Serenum liber secundus,] *Verbum* secundus *in correctioribus exemplaribus non habetur.*

b Quã primũ nos eripiãt, & in illũ editũ verticẽ educant,] *Legendum singularitatis numero*, eripiat *&* edu- CAP. I.

cat, ex vetere lectione.

c Et ardua ad quae vocamur,] Exemplar Facundi & Primitiui, At ardua per quae vocamor.

d Supra Pompeios & Caesares surgentem,] Lege, quod supra, &c. & paulo ante pro Catonis, substitue M.Catoois, ex vetere lectione.

e Et tacita cupiditate corrupti ooo intelligebant, se, dum vendunt, & venire.] Scribendum, & caeca cupiditate correpti noo iotelligebant, se, dum venduot, etiam venire, ex eadem.

II. f Io tres diuisus partes] Verbum partes redundat, ex eadem. Significari autem Caesarem, Pompeium, Crassum, euidens est.

III. g In eadem quae caeteri descendistis,] Lege incidistis, non descendistis, ex eadem.

h Quo oulla permittatur iniuria.] Perueoiatur crediderim scribendum, non permittatur.

i Quod sacrilegium ooo inoeniat.] Castigatior puto lectio erit sacrilegum, quàm sacrilegium. quam confirmant verba statim sequentia, si existunt qui magnitudinem, &c.

k Noo icturi petant.] Omnis scripta lectio appetat, non petat, agnoscit. & mox paulo habeatur, non habebatur.

l Quàm si nulla sit.] Quam si oulla fit, eadem.

m Vel teri potest,] Vel deteri potest, eadem.

n Tot verberati procellis] Eadem, Tot verberati seculis.

IIII. o Cum potentes imperio editi,] Eadem, Etiam cum potentes & imperio editi.

p Aut dimissis in profundum cathenis Neptuoum potuisse contingi?] Demissis, non dimissis, eadem habet: & videtur constringi legendum esse potius quàm cootingi.

q Voum malum enim illi est turpitudo:] Permuta verborum ordinem, Voum enim illi malum est turpitudo, ex eadem.

V. r Bona sua solidum habet,] Scribendum, bona sua in solido habet, ex eadem. & paulo post perducta, non producta, in eadem habetur.

s Libera est, inuiolabilis, immota,] Scribe, Libera est, inuiolabilis, immota, incoocussa, ex eadem.

t Sic contra casus indurat] Scribendum reor, Sic cootra casus indurata: aut, Sic cootra casus indurruit.

u Quia virtute sui salua sunt,] Sua vt legatur, non sui, & grammaticae ratio poscit, & exemplaria scripta confirmant.

x Megaram Demetrius ceperat,] Corrige Megara neutro genere, tam nota re, vt prodi non debeat.

y Et patriam violauerat. Ille illi victoriã excussit.] Vetus lectio, & patriam. At ille victoriam illi excussit.

z Noo victum taotum,] Scribe, oon inuictum taotum, ex eadem.

a Aut vicinus potens,] Corrige, aut vicinus impotens, ex eadem.

b Ioter nutaotes vbique gladios,] Micantes, non outantes, exemplar Facundi & Primitiui.

c Si parum fidei habeo,] Habes legendum, non habeo, ex vetere lectione.

VI. d Ao tollere se homo natos supra humana possit,] In eadem attollere habetur, non tollere.

e Tandem assum boc vobis probaturus,] Scribendum, Eo ad sum hoc vobis probaturus, ex eadem.

f Eripimus erumnis domos,] Castiga, Erepsi modo e ruinis domus, ex exemplari Facundi & Primitiui.

g Habent ista hostile vestigium:] Quid si legas? Patent ista hostili vestigio.

h Nullum iotroitum habent oec probent] Lege, oullum introitum praebent. reliqua superuacanea sunt, ex vetere lectione.

VII. i Quàm mali inter se.] Dictio mali tollenda e medio, ex eadem.

k Quòd si laedi nisi iofirmior ooo potest, oec iniuria bonis, nisi a dispari, verenda est:] Scribe, Quòd si laedi nisi infirmior oõ potest: malus autẽ infirmior bono, nec iniuria bonis, oisi a dispari, inferẽda est, ex ead.

l Sed ioiuste, inquis, Socrates damnatus est. Iniuriam accepit.] Legendum absque illa distinctione, expuncto verbo est. Sed iniuste, inquis, Socrates damnatus iniuriam accepit, ex eadem.

m Cum io villa mea surripuit] Scribe, cum e villa mea surripuit, ex eadem.

n Opposita veste elusum est.] Exemplar Facundi & Primitiui, apposita veste elusum est. sed magis placet prior lectio.

o Vt alterum sioe altero esse non possit.] Scribe, vt alterum sine altero esse possit, alterum sine altero noo possit, ex eodem exemplari.

p Iniuria autem non potest, fieri oisi inioste. Non est quod mireris] Corrige, Ioioria autem noo potest fieri nisi iniuste. Ergo sapieoti ioiuria non potest fieri. Nec est quod mireris. ex vetere lectione.

VIII. q Nec prodesse quidem quisquam potest.] Eadem, Neç prodesse vero quisquam potest.

r Et maius nihil potest tribuere sapienti.] Exemplar Pincianum, & inanis oihil potest triboere sapiens. Astipulatur & codex Franciscanus.

s Quod ad se transferri sapiens gauisurus sit.] Duo paulo ante citata exemplaria, quod a se transferri legunt, non quod ad se transferri.

t Ad illa oitens petensqoe excelsa,] Pergens, non petens, vetus lectio.

u Non habet vbi accipiat iniuriam.] Mallem legeres, vode acciperet, quàm vbi acciperet.

x Vltra quod nihil habent iratae leges ac saeuissimi domioi minantor,] Scribendum reor, vltra quod nihil habent iratae leges ac saeuissimi domini quod minentur.

y Multo facilius alia tolerabimos. Damnum & dolores & ignominias,] Vetus lectio, multo fortius alia tolerabimus, damna, dolores, ignominias.

IX. z Caetera forte accideoria.] Forte, non sorte, legendum, ex eadem.

a Circa nos saeuit.] Expende, an citra nos scribi debeat, non circa nos.

b Quaeque alia intra rogatos latrocinia sunt.] Ioter, non iotra, legendum, ex vetere lectione,

c Est & alia iniuria frequens,] Illa, non alia, eadem praefert.

d Haec effugiet sapieos,] Effugit, non effugiet, in eadem habetur,

e Nam

e Nam ſi illum tangit iniuria, & mouet, & impedit. Caret autem ira ſapiens.] Eadem, Etiam ſi illum taogit iniuria, & mouet, & impedit, habet iram. Caret autem ira ſapiens.

f Inde continuo gaudio elatus. Adeo autem ad offenſiones rerum hominumque non contrahitur, vt illa ipſi iniuria vſui ſit.] Corrige, Inde cootinuo gaudio elatus, adeo ad offenſiones rerum hominumque oon contrahitur, vt ipſa illi ininria vſui ſit, ex eadem.

g Ex hoc pota genere patientiam & ſapientiam] Eadem, Ex hoc puta genere ſapientem.

h Pleriſque non communibus] Corrige, Pleriſque vero communibus. ex eadem. Totus autem hic locus ſic forte apuus legetur: Quum iam quibuſdam propriis, pleriſque vero communibus contumeliam refutauerimus, eſt minot iniuria, &c. X.

i Et non in medio me loco] Maior pars exemplarium lecto agnoſcit, non loco.

k Nullique tantum de ſe licere nunciat quàm ſibi:] Quaedam exemplaria quantum legunt, non qoàm. Alia non agnoſcunt omnino eam particulam.

l Quantum illis audaciae ſit, tanto audaciora deſpicere.] Corrige, quàm vt illis audacia ſit tanro celſiora deſpicere, ex vetere lectione. XI.

m Mancipiorum noſtrorum vrbanitas] Verbum noſtrorum ſuperfluit, ex eadem.

n In conuiuiis ius facit,] In coouiuas ius facit, eadem.

o Qui probra meditatae effundant.] Eadem, Qui probra immeditata effundunt.

p Hi autem in campo foroque ſerio ludunt.] Eadem, Hi eodem in campu, &c. Legendum puto eadem, non eodem. XII.

q Ergo par pueris ſed loogius progreſſus] Corrige, Ergo par pueris loogiusque progreſſis, ex eadem. & mox paulo malo, non mala, ſcribendum.

r Sed quia fecerunt, vt deſinant facere.] Scribe, ſed qoia fecerunt, & vt deſinant facere, ex eadem.

s Quemadmodum aduerſus aegros ſuos medicus:] Scribendum, quem aduerſus aegros ſuos medicus, ex eadem. XIII.

t Quàm aegros intemperatos.] Quàm aegros intemperantes, eadem.

u Quo animo honores eorum] Lege, & quo animo honores eorum, ex eadem.

x Ex his qui ad caſtra negociantur,] amenda, ex his qui ad Caſtoris negociantur: vt ſubaudias templum, Attice. Fuiſſe autem Caſtoris templum in foro, Papinius in ſyluis, Catullus, & multi alij ex poetis hiſtoricisque paſſim teſtantur: aſtipulante etiam omni ſcripta lectione.

y Ergo vt huiuſmodi humanitatem, inhumanitatemque] Huius eadem agnoſcit, non huiuſmodi.

z Habentis ſub ſe Parthos, Medos, & Bactrianos] Corrige, Habes ſub te Parthos, Medos, & Bactrianos, ex eadem.

a Sed propter qoos remittere arcum non tibi cootingit,] Exemplar Facundi & Primitini, ſed per quos remittere arcum tibi non contingit. Poſſet etiam legi, & fortaſſe ſincerius, remittere animum, non remittere arcum.

b Nouum aucupantes dominum.] Omnis ſcripta lectio dominium agnoſcit, non dominum.

c Nam ſi ſemel ſe dimiſerit eo,] Corrigendum puto demiſerit, pro dimiſerit.

d Vt in iodicando ſibi contumeliam factam,] Particula in non habetur in vetere lectione.

e Et illum quem quaerit tanquam canem acrem obiecto cibo leniet.] Caſtiga, & illum quisquis erit, tanquam canem acrem, &c. ex eadem. XIIII.

f Et petit tornum] Exemplar domeſticum, petens toruum. Exemplar Facundi & Primitini, petens thronum, rectius.

g Si quis oculos illi eruet?] Corrige, ſi oculus illi eruetur, ex eadem. XV.

h Coniectutam oon capitis ingentis animi:] Negatio non delenda, ex eadem.

i Quare & aſpera & quaecunque toleratu grauia ſunt,] Exemplar Facundi & Primitini, Quare & ſi aſpera, &c. Corrigendum reor, Quare & ſi aſpera & quanrumcumqoe toleraru graoia ſint.

k Eum oon obruent cum eorum coetu.] Vetus lectio, oon obruetur eorum coetu.

l Et animi magnitudinem intra certos fines tenet,] Scribe teneri, non tenet, ex eadem.

m Niſi tota vincatur. Nec putes iſtam Stoicam eſſe duritiam.] In eadem, niſi tota vincitur. Ne putes iſtam, &c.

n Et illum ex toto ſummoouere?] Illam, non illum, exemplar Pincianum.

o Venali faſtidio] Quaedam exemplaria ſtudio, non faſtidio.

p Equidem illud contumelia dicitur] Exemplar Facundi & Primitini, & quibos illud quod cootumelia dicitur. Corrigendum puto, e quibus illud eſt quod contumelia dicitur? XVI.

q Quae ipſi dicere aſſueuimus.] Scribe, Quae ipſi in oos dicere aſſueuimns, ex vetere lectione.

r Quòd illum veruecem aliquis maximum dixerat.] Eadem, qood illum aliquis veruecem marinum dixerat. XVII.

s Cum illum Corbula ſtruthiocamelum depilatum dixiſſet,] Caſtiga, Cum illum Corbulo ſtrurbocamelum depilatum dixiſſet, ex eadem.

t Taota animorum imbecillitas eſt, vbi ratio diſceſſit, offendimur. Si quis ſermooem noſtrum imitatur] Corrige, Tanta animorum imbecillitas eſt, vbi ratio diſceſſit. Quid? quòd offeodimur, ſi quis ſermonem noſtrum imitatur, ex eadem.

u Et ptopter contumeliam vrbanis] Emendandum, & per cootumeliam vrbanis, ex eadem. & mox paulo quaedam exemplaria illa legunt, non illam.

x Qui ex ſe coeperit.] Qui ex ſe coepit, in eadem habetur.

y Depudere didicerat:] Omnia ſcripta exemplaria podere agnoſcunt, non depudere. Expende itaque an per transpoſitionem ſyllabarum placeat legi, pudere dedidicerat.

z Sob froote ſimul latentium] Eadem, ſub fronte anili latentium. XVIII.

a Et enudatis capillis aspersi] *Exemplar Facundi & Primitiui*, & emendicatis capillis aspersi. *Quid si legas* medicatis, *non* emendicatis?

b Asiaticum Valerium in primis ferocem habebat virum] *Corrige*, Asiaticum Valerium in primis amicis habebat, ferocem virum, *ex vetere lectione*.

c Huic in coouiuio, in cootione,] *Scribe per maiorem*, Huic in coouiuio, item in contione, *ex eadem*.

d De Chaerea tribuno militum sermo promanauerat languidus somoo & infracta voce suspectior] *Corrige*, Chaereae tribuno militum sermo non pro mano erat: quod languidus sono & infracta voce suspectior, *ex eadem*.

e Crepidatus, auratus,] *Eadem*, crepidatus aç itatus.] *Castigandum reor*, crepidatus, armillatus, *ex Suetonio in eius vita*.

f Ceruicem mediam vno ictu decidit:] *Scribendum arbitror* discidit, *non* decidit, *ex eodem Suetonio*.

g Hac idem Caius omnia cõtumelias putat.] *Legendum forte*, Hic idem Caius omnis cõtumeliae puteus.

h Et fuit ferendarum impatiens, faciendarumque cupidissimus.] *Corrige ex vetere lectione*, & sicut ferendarum impatiens, faciendarum cupidissimus.

i Qui illum Caium salutauerat,] *Lege*, qood illum, *&c. ex eadem*.

k Hic enim in castris natus, & alumnus legiooum vocari solebat,] *Scripta omnis lectio* Hoc *praefert*, *non* Hic. *vt sit Graecanicus dicendi modus*: Hoc ille vocabatur, *pro* Hoc nomioe ille vocabatur.

l Sed iam caligulam coonicium & probrum putabat. Cooturbatus ergo] *Verbum* conturbatus, *ad superiora pertinebat in priore editione. Quapropter corrigendum reor*, sed iam caligam conuiciom & probrum putabat cothurnatus, *ex Suetonio*: Saepe, *inquit*, depictas gemmatasque indutus penulas manuleatus & armillatus in publicum processit. Aliquando sericatus & cycladatus: ac modo in crepidis vel cothurnis, modo in speculatoria caliga, nonnunqoam socco muliebri.

m Et in vna contumelia consumuntur.] Confirmantur *sunt nonnulla exemplaria quae habeant*, *non* consumuntur.

o At Iphicrates, cui mater barbara & Thraessa obiiciebatur,] *Prior editio*: Aotiopeque mater barbara & Thraessa obiiciebatur. *Nonnulla exemplaria scripta*: Antiphoni mater barbara, *&c. Exemplar Facundi & Primitiui*, Aotistheni mater barbara & Thraessa obiiciebatur: *rectissime*, *ex Diogene Laertio in vita Antisthenis*.

XIX. o Ex poblicis & priuatis officiis. Aliquando etiam salutantibus ooo occurremus.] *Vetus lectio*, publicisque & priuatis officiis, aliquando etiam salutaribus, ooo occurremus.

p Aliquando etiam oberati potentibus detegemus honc affectum] *Exemplar Facundi & Primitiui* obiratis *legit*, *non* oberati.

q Ne inquieta ogenda sit vita,] *Verbum* agenda *non habetur in exemplaribus Pinciano & Franciscano*.

r Quis omnimm est] *Scribe*, Quis enim est, *ex vetere lectione*.

s Quoqoe honestior est, genere, fama, patrimonioque, hoc se fortius gerat:] *Eadem*, Quo quisque honestior, genere, fama, patrimonio est, hoc se fortius stare faciat.

t Quaeris quis sit locus viri sapientis? Aliud auxilium est.] *Exemplar Pincianum & Facundi ac Primitiui*, Quaeris quis hic sit locus? viri. Sapienti aliud auxilium est.

u Esse aliquem in qoem fortuna noo possit, ex republica est. humani generis est.] *Scribe*, esse aliquid inuictum, esse aliquem in quem nihil fortuna possit, e republica est, generis humani est, *ex eadem. & si existimo redundare alterutrum e duobus verbis illis subsiantiuis est, aut prius, aut posterius*.

FERNANDI PINCIANI CASTIGATIONES

IN LIBRVM DE BREVITATE VITAE, AO PAVLINVM.

CAP. I. a Aiunt animalibus tantum indulsisse,] *Exemplar Facundi & Primitiui*, Illam scilicet iam animalibus tantum indulsisse.

II. b Quibusdam oihil in quo cursum dirigant, placet,] *Praepositio* in *delenda*, *ex vetere lectione*.

c Exigua pars est vita qua oos viuimos.] *Verbum* noa *non habetur in eadem. Legendum reor*, Exigua pars est vitae quam viuimos.

d Vrgentes circumstant vitia:] Surgentes, *non* Vrgentes, *exemplar Facundi & Primitiui*. Vrgentia, *exemplar Franciscanum*.

e Et emersos & in cupiditate infixos premont.] Cupiditatibos, *non* cupiditate, *vetus lectio*. *Legendum autem reor*, sed mersos & in cupiditatibus infisos premuot.

f Ille iudicat.] *Exemplar Franciscanum*, Ille iudicat, oec se sibi vendicat.

g Hic illius cultor est. Ille illius, suus nemo est.] *Codex Facundi & Primitiui*, Ille istius cultor est, iste illius, suus nemo.

h Quòd ipsis adire volentibus noo vacuerint.] *Vetus lectio*, quòd ipsos adire volentibus non vacauerint.

III. i Quoniam quidem cum illa faceres,] *Exemplar Facundi & Primitiui*, quae quidem cum ipse faceres.

k In vitam suam incedere alios siount. Immo vero ipsi etiam possessores eius futuros inducuot.] *Exemplar idem longe aliter*, & in aliorum caedem suaeqoe vitae dispendium properant. *vt vehementer mirandum sit, vnde tanta in exemplaribus diuersitas oriatur*.

l Quantom respu.] *Quidam codices*, *non* respu. *legunt*, *sed* rex. *Alij* reus.

m Qui

m Qui tibi vsus tui fuerit.] *Exemplar scholarum Salmant.* Quando tibi vsus tui fuerit, *adstipulante etiam codice Facundi & Primitiui.*

n Ad reliquias vitae reseruare,] *Lege*, reliquias vitae tibi reseruare, *ex vetere lectione.*

o Ad quinquagesimum annum differre sana consilia, & inde velle vitam inchoare in quod pauci perduxerunt.] *Corrige ex eadem*, in quinquagesimum & sexagesimum annum differre sana consilia, & inde velle vitam inchoare quo pauci perduxerunt. IIII.

p In te ipsa fortuna ruit.] *Scribendum puto*, in se ipsam fortuna ruit, *vt illud*, in se magna ruunt.

q Hic labores suos etiam si falso, dulci tamen oblectabat solatio,] *Scribe* hoc, *non* hic, *ex vetere lectione.*

r Vt quanquam rerum laetitia moratur adhuc] *Emendandum reor*, vt quum rerum laetitia moretur adhuc. *& statim ante* perduxit, *non* prouexit, *habet exemplar Facundi & Primitiui.* V.

s Iam infractam aetatem territabant:] *Aliter idem exemplar*, iam fractam aetatem irritabant.

t Partes semper aliquae rumpebantur.] *Quidam codices*, corrumpebantur *agnoscunt*, *non* rumpebantur.

u Qui voti compotes tacere facere poterat.] *Verbum* tacere *superuacaneum est*, *ex vetere lectione.*

x Et illam pereuntem tenet,] *Eadem*, & illam pessum euntem tenet.

y Nec iam liberum erat inchoatas relinquere,] *Deest verbum* semel, *vt sit* nec iam liberum erat semel inchoatas relinquere, *ex eadem.* VI.

z Et gratiam suam interponere] *Lege*, & gratiam suam foro interponere, *ex eadem.*

a Tam efficaciter] *Deest hic quoque verbum* quidem, *ex eadem*, tam efficaciter quidem.

b Tam festinatam audaciam] *Maior scriptorum codicum pars*, tam precoquem audaciam. *Exemplar Facundi & Primitiui*, tam festinam audaciam.

c An mors voluntaria esset in illo, an tempestiua.] *Emenda*, an mors voluntaria esset nullo, an tempestiua, *ex exemplari Facundi ac Primitiui.*

d Verum testimonium dixerunt,] *Adijce his verbis*, *ex omni vetere lectione*, perosi omnem actum annorum suorum.

e Nostra mehercule vita] Vestra *legendum esse*, *non* Nostra, *verba quae infra mox sequuntur*, *ostendunt*, *adstipulante etiam vetere lectione.*

f Ista omnia nullum non seculum deuorabunt.] *Corrige*, Ista vitia nullum non, *&c. ex eadem.*

g Quamuis natura currit, ratio dilatat, cito nos effugiat necesse est.] *Eadem*, quod quamius natura currit, ratio dilatat, cito vos effugiat necesse est.

h Vel bellatores,] *Exemplaria Franciscanum & Facundi ac Primitiui*, vel odia exercentes iniusta vel bella.

i Inhonesta labes est.] Tabes, *non* labes, *correctiores codices.*

k Quandiu colant,] *Exemplar Pincianum & Facundi ac Primitiui*, quamdiu colant, quandiu colantur.

l Quae iam ipsa officia sunt,] Officiosa, *non* officia, *codices Pinciae Facundique & Primitiui.*

m Viuere in tota vita discendum est. Quod magis mirandum est in tota vita discendum est mori.] *Scripta lectio*, viuere tota vita discendum est, & quod magis fortasse miraberis, tota vita discendum est mori. VII.

n Nihil inde incultum ociosumque vacauit:] *Exemplar Facundi ac Primitiui*, nihil inde incultum ociumque vocauit. *In exemplari Pinciano non habentur omnino haec verba.*

o Interdum mihi viuere non licet.] Inter haec mihi viuere non licet, *exemplar Facundi & Primitiui.*

p Omnia vota ad satietatem percepta sunt.] *Idem exemplar*, Omnia nota. Omnia ad satietatem percepta sunt.

q Huic potest detrahi nihil, adiici sic, sicut aliquis ventre quoque admodum saturo iam, non pleno aliquid cibi quod nec desiderat capit.] *Exemplar idem breuius & castigatius*: Huic adiici potest, detrahi nihil, & adiici sic, quemadmodum saturo iam & pleno aliquid cibi adiicitur.

r Ac viribus ventorum e diuerso furentium] Vicibus, *non* viribus, *exemplar Facundi & Primitiui.*

s Per eadem vestigia in orbem egit?] Per eadem spacia in orbem egit, *idem exemplar & pleraque alia.* VIII.

t Ipsum tempus quidem neutri quasi nihil petitur,] *Vetus lectio*, ipsum quidem neuter. Quasi nihil petitur.

u Si mortis periculum admotum est propius,] *Lege praepostero ordine*, si mortis periculum propius admotum est, *ex eadem.*

x Nihil autem tumultuabitur,] *Verbum* autem *superuacaneum est*, *ex eadem.*

y Non illa se regis imperio, non fauore populi longius proferet.] *Exemplar Facundi & Primitiui*, Non illa regitur imperio, non fauore populi longius procedet. *& mox paulo* diuertet *scribe*, *non* deuertet.

z Cui, velis nolis, vacandum est.] *Exemplar statim ante citatum*, Ibi, velis nolis, vacandum est.

a Operosius occupari sibi,] Operosius occupati sunt, *vetus lectio.*

b Velut diuino ore instinctus,] Et velut diuino ore instinctus, *eadem.* IX.

c Nec semper casuro,] *Haec verba in exemplari Facundi & Primitiui non habentur, in Franciscano & scholarum Salmant. habentur. sed laturo in eis*, *non casuro*, *legitur.*

d In tanta temporum fuga lentus,] *Deest coniunctio* &. *vt sit*, & in tanta temporum fuga lentus, *ex vetere lectione.*

e Miseris & occupatis:] *Eadem*, miseris, id est occupatis.

f Peruenisse ante sciunt] Et peruenisse ante sciunt, *eadem.*

g Contra affectus impetum non subtilitate pugnandum] Impetu *legendum*, *non* impetum, *ex eadem.*

h Hoc est enim in quo ius fortuna perdidit,] *Verbum* enim *in plerisque codicibus non habetur*, *in quibus etiam* quod *legitur*, *non* quo. X.

i Iniucunda est praeteritae rei recordatio.] *Codex Franciscanus & Academiae Salmanticensis*, *& nonnulli alij*, certe iniucunda est poenitendae rei recordatio.

k Nec audent ea retrectare,] Retentare *quidam correcti codices*, *non* retrectare.

l Etiam quae aliquo praesentis voluptatis lenocinio surrepebant,] *Vetus lectio*, etiam si aliquo praesentis

voluptatis lenocinio surripiebantur.

m Libenter se in praeteritum torquet.] *Eadem*, retorquet, *non* torquet.

n Et impotenter vincit.] *Coniunctio & tollenda, ex eadem.*

o Occupatorum animi cum velut sub iugo sunt,] *Particula* cum *desideratur in eadem.*

p Abit igitur vita eorum in profundum,] *Eadem*, Abit ergo vita eorum in profundum.

q Quod excipiat ac ferat:] *Prior editio* feruet, *non* ferat, *agnoscit. Scribendum* feruet, *ex eadem.*

XI. r Iam ergo cum aliqua imbecillitas] *In eadem*, Iam vero cum illos aliqua imbecillitas.

s Tota (vt ita dicam) in reditu est.] *Eadem* in reditum *habet*, *non* in reditu.

t Et inde quandocunque vltimus dies] Ideo, *non* inde, *legendum.*

u Immissi deinde canes eiiciunt,] *Corrige*, immissi demum canes eiiciunt: *hoc est*, *cancelli. vnde canea dicta: aut e contrario. ex eadem.*

x Speciosius elidi, aut in aliena contemptus.] *Expende, an arrideat magis haec lectio*: Spaciosius elidi, an in aliena contractius.

y Quos hasta praetoris infami lucro laborant lucus, & quae neque superatior exercet] *Sic prior editio. Corrigendum*, quos hasta praetoris infami lucro & quandoque suppuraturo exercet. *reliqua supernacanea sunt. ex vetere lectione.*

z Quotum non ociosa vita est,] *Legendum arbitror* Quorundam, *non* Quorum.

XII. a Vicorum suorum gregis metatur] *Quidam codices* vinctorum, *non* vicorum. *Alij* victorum.

b Et colorum paria deducit,] *Scribendum videtur*, & in colorum paria diducit, *suffragantibus etiam exemplaribus, Pinciano, Franciscano, & scholarum Salmanticensium.*

c Inflexu modulationis ineptissimae] Inertissimae, *non* ineptissimae, *vetus lectio.*

d Quando pernoctare,] *Maior codicum pars* noctare *agnoscit*, *non* pernoctare. *Legendum puto*, vectari. *nam post balneum gestari consueuerunt: vt ex multis locis obseruare poteris.*

e Sed imitantur:] *Prior editio*, sed multarum imitantur. *Scribe*, sed multarum mentiuntur, *ex codice Facundi & Primitiui. quam lectionem confirmant verba sequentia*: Non facile dixerim, vtrum magis miserear, si hoc ignoranit, an si se ignorare finxit.

XIII. f Quod primus nauali praelio Duillius vicit.] *Lege*, quae primus quisque ex Romanis ducibus fecisset. Primus nauali praelio Duillius vicit. *ex exemplari Facundi ac Primitiui.*

g Etiam si nunc ista ad veram gloriam non tendunt,] *Scribendum*, Etiamnum ista etsi ad veram gloriam non tendunt, *ex vetere lectione.*

h Vnde tabulae codices dicuntur:] *Lege*, vnde publicae tabulae codices dicuntur, *ex eadem.*

i Quae ex antiqua consuetudine commeatus subuehunt, caudicarae vocantur.] *Legendum*, quae ex antiqua consuetudine per Tiberim commeatus subuehunt, caudicariae vocantur, *ex eadem, M. Varrone, & alijs.*

k Cum alioqui alligati tunc darentur,] *Particula* tunc *expungenda, ex eadem.*

l Ingenti mole animalium obterantur.] *Prior editio* exterrantur *praefert*, *non* obterantur. *Legendum arbitror contra omnia exemplaria* exenterantur. *In codice Facundi & Primitiui*, conteruntur.

XIIII. m Vnde decessi, & in alia materia ostendam] *Corrigendum*, vnde recessi, & in eadem materia ostendam, *ex vetere lectione.*

n Idem enarrabat] *Scribe* narrabat, *non* enarrabat, *ex eadem.*

o Centum & viginti captiuos elephantes duxisse:] *Et hoc loco, & supra, vbi dixit*, Curius Dentatus in triumpho duxit elephantes: *in exemplari Facundi & Primitiui*, elephantos *legitur, secunda inflexione*: *non* elephantes, *tertia. & sic fere accuratiores proferunt. De numero autem horum elephantorum magna inter auctores dissensio: vt diximus in Plinianis obseruationibus.*

p Ex hesterna crapula semisomnes,] *Particula* ex *tollenda, ex vetere lectione.*

q Escitatione superbissima reddent.] Oscitatione *legendum*, *non* excitatione, *ex eadem.*

r Nullius amici capitalis sumptuosa obseruatio.] *In exemplari Facundi & Primitiui*, inimici *legitur*, *non* amici.

XV. s Quae non sunt sordide nec maligne custodienda maiora quo illa a pluribus diuiseris] *Vetus lectio*, quae non erunt sordide. nec maligne custodienda: maiora fient, quo illa pluribus diuiseris.

t Honores & monumenta,] *Eadem*, Honorum monumenta.

u Quod consecrauit. Sapientiae nocери non potest. Nulla delebit aetas praesens, & nulla diminuet sequens.] *Exemplar Facundi & Primitiui*: Quae consecrauit sapientia, perire non possunt. Nulla abolebit aetas. Nulla diminuet. Sequens, *&c. & mox paulo* conferet *scribendum*, *non* confert, *ex eodem.*

XVI. x Quod putes diu victuros,] *Vetus lectio*, quod putes diu viuentium.

y Nec quomodo disponant,] Nec quomodo id disponant, *eadem.*

z Quàm quando dies muneris gladiatorij eductus est, aut cum alicuius alterius vel spectaculi vel voluptatis expectatur constitutum.] *Exemplar Facundi & Primitiui*, quàm cum dies muneris gladiatorij edictus est, aut alicuius alterius vel spectaculi vel voluptatis expectato constituto.

a Voluptate concubitus clementer duplicasse noctem.] *Sic legit prior editio. Scribendum reor*, voluptate concubitus Alcmenae triplicasse noctem. *Nota est fabula. Illud sciendum, in omnibus scriptis exemplaribus* delinitus duplicasse *legi*, *non* clementer duplicasse: *sed perperam.*

b Quid aliud est vitia incendere, quàm auctores illis inscribere deos.] *Honestior reddetur sensus, si permutato loco illius particulae* quàm, *legatur ad hunc modum*: Quid aliud est quàm vitia nostra incendere, auctores illis inscribere deos. *Nam in omni antiqua lectione habetur verbum* nostra.

c Subitque cum maxima exultatione sollicita cogitatio:] *Corrige*, subitque cum maxime exultantes sollicita cogitatio, *ex exemplaribus Franciscano & scholarum Salmanticensium.*

d Nec numerum eius, nec mensuram comprehenderet] *Exemplar Pincianum*, nec numerum eius, sed nec mensuram comprehenderet. *Exemplar Facundi & Primitiui*, nec numerum eius, sed mensuram comprehenderet.

deret, *recte, vt arbitror, ex hiſtoria luſtrati exercitus apud Herodotum.*

e Ille qui flebat,] *Vetus lectio*, ipſe qui flebat. *& paulo ante* profudit, *non* fudit.

f Illos centeſimum annum timebat.] *Scribe*, illos quibus centeſimum annum timebat, *ex eadem.*

g Quod fortuito euenit, inſtabile eſt: quod altius ſurrexit, opportunũ eſt in occaſum]*Legendum*, quod fortuito obuenit, inſtabile eſt: quo altius ſurrexerit, vergit pronius in occaſum, *ex exemplari Facundi & Primitiui: etſi ſcripti alij codices cum impreſſa lectione conſentiant.* XVII.

h Candidati laborem deſtituimus, ſuffragationes incipimus.] *Vetus lectio* deſinimus *agnoſcit, non* deſtituimus. *& legendum reor* ſuffragatoris, *non* ſuffragationes.

i Suis opibus detinetur.] *Exemplaria Franciſcanum & ſcholaſticum*, ſuis operibus deſtinetur. *Exemplar Facundi & Primitiui*, ſuis opibus deſtituetur.

k Non tantae maturus erat Scipio] *Scribe*, nondum tantae maturus erat Scipio, *ex vetere lectione.*

l Et poſt faſtiditos a iuuene aequos honores,] *Scribendum*, & poſt faſtiditos a iuuene diis aequos honores.

m Per occupationes intercluderetur ocium: nunquam agetur, ſemper optabitur.] *Eadem*, Per occupationes vitae redderetur ocium. Nunquam agetur, ſemper optabitur. *Quid ſi legas?* Per occupationes vita eluditur. Ocium nunquam agetur, ſemper optabitur. *Aut ſic*: Per occupationes vitae eluderur ocium: Nunquam, *&c.*

n Pauline clariſſime.] *Eadem*, Pauline cariſſime. XVIII.

o Et charis turbae voluptatibus,] Carnis, *non* charis, *exemplar Facundi & Primitiui: vt forte pro illa dictione* turbae, *reponendum ſit* turpibus.

p Omnibus adhuc tractaris operibus,] *Lege*, omnibus adhuc ſtrenue tractatis operibus, *ex vetere lectione.*

q Iſtum autem animi vigorem] *Verbum* autem *tollendum*, *ex eadem. & paulo ante* adminiſtras *legendum, non* adminiſtrans.

r Quod dicebat populo Rom. ſuperſtiti] *Corrigendum puto*, quod decedebat populo Rom. ſuperſtite. *Nam omnis ſcripta lectio* ſuperſtite *legit, non* ſuperſtiti.

a Ferrum, ſaxa, ignes, gladium excepturi,] *Cum ferrum dixiſſet, quid attinebat gladium adiungere? Quapropter fideliſſimam duco lectionem exemplaris Facundi & Primitiui: in quo non* gladium *habetur, ſed* Caium. *quaſi velit dicere: Caium ipſum imperatorem excepturi, omni ferro, ſaxis, ignibus terribiliorem.*

t Summa diſſimulatione tantum inter viſcera latentis mali tegebant cum ratione]*Corrigendum reor*, ſumma diſſimulatione tamen intra viſcera latentis mali tegebant curationem.

u Quae voluptas, quae conditio, quae fortuna,] *Vetus lectio*, quae voluptas, quae conditio, quae forma. XIX.

x Sydera curſibus ſuis excitet.] *Exemplar ſcholarum* orbibus *legit, non* curſibus. *Exemplar Facundi & Primitiui*, motibus.

y Multarum bonarum artium amor virtutum atque vſus] *Corrige*, multus bonarum artium amor, virtutumque vſus, *ex vetere lectione.*

x Cum videris itaque praetextam. Arti ſaepe ſumptam.] *Eadem*, Cum videris itaque praetextam ſaepe iam ſumptam.

a Per mille indignationes erupiſſent,] *Eadem*, per mille indignitates erupiſſent. *Caeterum perpende an ſit verior lectio* erepſiſſent, *quàm* erupiſſent.

b Et imperitae coronae aſſenſiones captantem] Aſſentationes, *non* aſſenſiones, *exemplar Facundi & Primitiui.* XX.

c In accipiendis immorientem rationibus,] *Particula* in *redundat*, *ex eodem exemplari.*

d Tyrannus fuit exactae diligentiae] *Fidelior lectio*, Titianus, *aut alia huiuſmodi*, *quàm* Tyrannus. *Poſſet non abſurde legi*, Turannius. *Praefectus is fuit annonae, Tiberio Principe, peruenitque vſque ad tempora Claudij, potiſſimus inter eius amicos: autore* Cornelio Tacito, *libro primo & vndecimo.*

e Et ad rogum munera,] Et ad rogum munia, *exemplar Facundi & Primitiui.*

f Tanquam nimium vixerint, ad faces & cereos ducenda ſunt.] *Scribendum puto*, tanquam minimum vixerint, non ad faces, ſed ad cereos deducenda ſunt. *Pueros enim non ad faces efferre ſolere, ſed ad cereos ſiue candelas, auctor eſt poeta Perſius*: Hinc tuba candelae, *&c. & veteres codices* deducenda *legunt*, *non* ducenda.

FERNANDI PINCIANI CASTIGATIONES

IN LIBRVM DE CONSOLATIONE

AD POLYBIVM.

a Noſtra corpora] *Initium eſt diuerſi operis, cui in vetuſtis codicibus praefixus eſt talis titulus*: Incipit liber L. Annaei Senecae ad Polybium, de conſolatione fratris ſui mortui. *Caeterum quaedam exemplaria*, Si naturae compares, *habent, non* Noſtra compares. *Alia*, Noſtras compares. *vt forte ſcribendum ſit*, Noſtra ſi compares. CAP. XX.

b Ad conditionem naturae] Ad conditionem naturae, *exemplar Facundi & Primitiui.*

c Et ſi qua his multo mirabiliora] *Verbum* multo *non habetur in exemplari ſcholaſtico.*

d Eat modo aliquis,] Eat nunc aliquis, *exemplar Facundi & Primitiui.*

e Ruinaeque ipſi mundo imminenti] *Scribe*, ruinaeque etiam ipſi mundo imminenti, *ex vetere lectione.* XXI.

f Fortunae meae ſuperfluit,] *Eadem* ſuperfuit *agnoſcit*, *non* ſuperfluit.

g Adbuc videbaris] Legendum reor, ad hoc videbaris.

h Ecce eum dolorem] Scribe, Ecce eum dolorem illi, ex vetere lectione.

i Hanc partem tantummodo patere ictibus suis.] Hac parte, non hanc partem, codices Franciscanus & scholasticus.

k Illam a se obiecit,] Exemplar Facundi & Primitiui, illam a se abiicit.

l Vnum enim ex his hunc quos in principali domo, &c.] Scribe conuerso ordine, Vnum enim hunc ex his quos in principali domo, &c. ex vetere lectione.

m Magis tamen etiam libeat.] Videtur mihi superfluere haec particula etiam.

XXII. o Aotequam felicitatem tuam nosceret] Vetus lectio, antequam felicitatem suam nosset.

o Fateamur & cooqueramur.] In eadem conquetamot tantum legitur, reliqua desiderantur.

p Tam cito indulgentiae tuae poenituit,] Scribe, tam cito indulgentiae tuae te poenituit, ex eadem.

q Nihil sincerus & tutus literarum amor,] Corrigendum reor, nihil sincerus ex toto literarum amor. vt & non ita post, proiice omnem ex toto dolorem.

r Quicquid de reliquis possit admonitus,] Sic omnia praeferunt exemplaria, mendose vt arbitror. Ego legerim quid de reliquis possis admooitus. cum fortuna enim illi sermo est. Verbum autem metuere, non habetur vsquam:

s Nec a Caesare quidem posse defendi. Diutius accusare fata possumus.] Verbum diutius ad superiora pertinet.

XXIII. t Nihil voquam parcunt vlli, nec remittunt.] Scribe, Nihil vnquam vlli remittunt, ex exemplari Facundi & Primitiui. reliqua superfluunt.

n Facilius enim oos illis dolori adiiciet, qoàm illos nobis reducet.] Corrige, Facilius enim nos illis dolor iste adiiciet, quàm illas a nobis reducet, ex quibusdam codicibus.

x Et assidua materia] Lege, & assidua materia est, ex vetere lectione.

y Alium super vestibulum obsidens turba.] Scribendum semper, non super, ex eadem.

z Si sentit, ingratum est.] Verbum est delendum, ex exemplari Facundi & Primitiui.

a Vt cruciatu tuo noceat obi,] Vetus lectio, vt cruciatu tui ooceat tibi. malim legeres sui, quàm tui.

XXIIII. b Ostendit & praestitit,] Duo priora verba ostendit & supervacanea sunt, ex eadem.

c Quid itaque iuuat doloribus intabescere:] Sic prior editio. Corrigendum ex eadem, Quid itaque iuuat doloris vi tabescere.

d Vterque vestrum inertem dolorem dimittite.] Correctiora exemplaria, vtrique vestrum inhaerentem dolorem dimitte.

e A lacrymis iam inutilibus] Scribendum puto, a lacrymis tam inutilibus.

f Quod duces magni faciunt rebus afflictis] Fideliores codices affectis legunt, non afflictis.

g Qui hooestum putabunt] Verbum qui non habetur in scripta lectione.

h Et solatium debes esse, & consolator illorum.] Eadem praepostero ordine, Et solatium debes esse illorum & coosolator.

XXV. i Et vtrum ne tu tantum in rebus secundis indulgere scias,] Corrige, & vtrum ne tu tantum rebus secundis dexiere vti sciss, ex exemplaribus Franciscano, scholastico & Facundi ac Primitiui.

k Obseruabuntur oculi tui.] Scripta lectio, Obseruantur oculi tui.

l An in statu & in gradu steteris.] Scribe, an io gradu steteris. reliqua ociosa sunt. ex eadem.

m De studiis ac moribus recepta] Adiice dictionem tuis, ex eadem. de studiis ac moribus tuis recepta.

o Prouecti & eruditi viri professione,] Perfecti eadem, non prouecti.

XXVI. o Quae humillimis in angulo iacentibus licent. Magoa seruitus est ex magna fortuna.] Scribe, Quae humillimis & in angulo iacentibus licent. Magna seruitus est magna fortuna. ex eadem.

p Vt possit per ordioem suum principis maximi officium geri, quieti animi est.] In eadem, vt possis per ordinem suum principis maximi animo subiici, exigendus is est. vt referas ad congestus: hoc est, accurate disponendus. quod ab eo qui aliquo affectu sollicitatur, praestari nequit. In quibusdam exemplaribus exigendus legitur, non exigendus. vt forte scribendum sit: Vt possit per ordinem suum principis maximi animo subiici, exigendus tuus est.

q Non licet tibi vnquam flere,] Legendum inquam, non voquam, ex eadem.

r Si quis modo est fabulis traditus,] Quaedam exemplaria, si quis modo est fabulis traditus fauor.

s Cariorem tibi spiritu tuo Caesarem fore,] Esse vetus lectio, non fore.

t Totum hic erit omne tempus,] Scribe, tutum id erit omne tempus, ex eadem.

XXVII. n AEsopeos logos,] Legendum forte, AEsopi apologos: hoc est, fabellas: dictione iam Latii iure donata.

x Solita venustate cooneetas.] Vetus lectio, solita sibi venostate conoectas. Legendum videtur tibi, non sibi. Et subaudito an scribendum sit conoectas, non connectas: vt hortetur Polybium ad transferendos in Latinum carmen AEsopi apologos, quod praestitisse apud Graecos Socrates perhibetur.

y Si saepe te interrogaueris.] Lege, si saepe te sic ioterrogaueris, ex eadem.

z Petit me indulgentem iactatio,] Castiga, petit meae iodulgentiae iactatio, ex eadem.

a Nam si oullus defunctis sensus est,] Eadem, Nam si nullus defunctis sensus superest.

b Nihil cupit, nihil patitur.] Scribe, nihil timet, nihil cupit, nihil patitur, ex eadem.

XXVIII. c Ingentibus & gratis, & maxime circumfusis bonis caruisse,] Lege ex eadem, ingentibus, & cum maxime circumfusis bonis caruisse.

d Quàm is cui parata est.] Quid si legas? quàm is cui parta est.

e Et modo alleuans nos subiectis iocrementis,] Sobitis, non subiectis, vetus omnis lectio.

f Et ouoc libere vagatur,] Exemplaria Franciscanum & scholasticum, Et nunc illis libere vagatur.

g Omnibus illud oobis commune est iter.] Scribe, Omnibus illo oobis commune est iter, ex codice Franciscano. Exemplar Pincianum & Facundi ac Primitiui, Omnibus cum illo nobis commune est iter.

h Magna felicitas est in felicitate mori.] Supernacanea sunt haec verba ex omni scripta lectione.

i Et inuoluta veritate] Varietate legendum arbitror, non veritate. XXIX.

k Illud qnoque iustitia in omnibus rebus] Vetus lectio, illud qooque qua iustitia in omnibus rebus est. Lego es, non est.

l Habuisse & tam bonum fratrem] Scribe, habuisse te tam bonum fratrem, ex eadem.

m Cogita iucundissimum quòd babuisti:] Desideratur verbum esse ex eadem, Cogita iucundissimum esse, qoòd habuisti.

n Nō gaudere, qnòd tamen contigerit] Legendum puto ordine inuerso, quòd tamen cōtigerit non gaudere.

o Quisquis ad vitam editur,] Vetus lectio, Quisquis a vita editur. XXX.

p Alium alio tempore fata comprehendent,] Aptior lectio, deprehendeot.

q Alium in extrema seruitute fatigatom] Seoectute legendum, non seruitute, ex vetere lectione.

r Mortalitatem ignorare] Scribe, mortalitatis legem ignorate, ex eadem.

s Mnlto ingeoij labote tui] Lego, multo ingenij tui labore, ex eadem.

t Sic enim illa ex alia lingua in aliam transtulisti,] Scribendum arbitror, Sic etiam illa, &c. vt duplex fuerit Polybij labur, tum paraphrasi liberius sensa Homerica & Virgiliana exprimendi, tum vtrunque auctorem in alteram linguā vertēdi, & Homerū latinitate, Virgiliū graecitate donādi. Sic nisi legatur, aut fallor ego, aut ineptissim⁹ sensus erit.

u Assistere te necesse est communi malo.] Resistere quaedam exemplaria, non assistere. Alia obsistere. XXXI.

x Quàm successorem accipiat.] Exemplar Scholasticum, aspiciat legit, non accipiat.

y Sera, & oepotibus demum oostris] Deinde, non demum, maior exemplarium pars.

z Ex virtutibus eios promittit clemeotia.] Scripta omnis lectio, quae ex virtutibus eius primum obtinet locum promittit clementia. XXXII.

a Non tantum dedit, sed petiit.] Lege ex eadem, sed etiam petiit.

b Vel clementia eius faciat bonam.] Verbum eius redundat, ex eadem. Ego vero etiam dictionem bonam redundare existimo.

c Quae ex ipso angulo in quo ego defixus snm,] Eadem, quae cum ex ipso angulo in quo ego defisus sum. Lego defossus sum, non defisus sum: quia sequitur statim, effoderit.

d Ad omnium nauium conspectum] Exemplar scholasticum, ad omnem vanum conspectum.

e Aut me omnia fallont] Legendum puto omina, non omnia: vt sit decendi modus vulgatus, & fere prouerbij vice. XXXIII.

f Quibus ad animi aequitatem compelleris,] Corrige, quibus ad animi aequitatem compellereris, ex exemplari Pinciano.

g Tibi facuodia explicuit.] Scribo, assueta sibi facundia explicuit, ex vetere lectione.

h Et qnàm patiens iuris & aequi pietas Africani fuerit,] Legendum impatiens, non patiens, ex codice Pinciano. Cui lectioni verba sequentia fauent, etiam si per ironiam possit prior lectio tolerari.

i Vllis queratur lnctnm intulisse:] Villi, non vllis, legendum ex vetere lectione. XXXIIII.

k At nemo magis ex omnibus mortalibus] Scribe, ac nemo magis, &c. ex eadem.

l Nunc tot tantosqne luctus] Eadem, tameo tot tanrosque luctus.

m C. Caesar diui Augusti auuoculi mei nepos, circa primos iuuentutis suae annos Locium fratrum carissimum sibi,] Scribendum iuoentae, non iouentutis: & fratrem, non fratrum: ex vetere lectione. Item noscendum, Augustum non fuisse Claudij auunculum, sed magnum auunculum, hoc est, Octauiae fratrem, quae fuit auia Claudij. Nam Octauia ex Marco Antonio Antoniam minorem sustulit, ex qua & Druso natus est Claudius. Quapropter vide, sitne verior lectio quorundam scriptorum codicum, in quibus auunculi tui filius ac nepos habetur, non auunculi mei oepos: adoptione videlicet filius, natura nepos.

o Et graniore multo animi vulnere qoàm postea corporis ictus est: quod vtrumque & piissime idem & fortissime tulit.] Quaedam exemplaria, & grauiora animi vulnera quàm corporis sunt. Vtraque tamen piissime idem & fortissime tulit.

o Drusum Germanici patrem] Castigo, Drusum Germanicum patrem meum. Nam Drusus, Claudij pater, a deuictis Germanis Germanici cognomine donatus est a senatu: Tranquillo auctore, in Claudio. Adstipulatur item vetus lectio.

p Intima Germaniae recludentem,] Sunt codices in quibus recipientem legatur, non recludeotem.

q Et triumphali potestate praeditus,] Triumuitali scribendum, non triumphali, ex vetere lectione. XXXV.

r Ex quibus erat deos paritura.] Eadem petitura agnoscit, non paritura.

s Faciamus licet illi conuicia,] Eadem connitium agnoscit, non coouitia.

t Omnesqne cerimonias] Legendum reor querimonias, non cerimonias.

u Nihil inausnm sibi reliquit, nihil intactum] Scribe, Nihil inausum sibi teliquit. Nihil intactum telinquet. ex vetere lectione.

x Eas quoqoe domos ausa est iniuriae causa iotrare,] Verbum est expungendum, ex eadem. Legendaque sunt haec verba per consequentiam cum superioribus. & infra paulo inducet, non induet, agnoscit exemplar Facundi & Primitiui.

y Lapsis bominum rebns datum] Lassis, non lapsis, habetur in eodem exemplari. XXXVI.

z Sibi esse sacratum velit.] Sacrosanctum vetus lectio, non sacratum.

a Quas ne ab eis quidem per qoos viuimus, abstinet.] Iuramus, non viuimus, eadem. Notum autem, iurari per genium principis.

b Dignitatum magna discimina] Eadem, dignitatum ac nobilitatum magna discrimioa adeant. Alij codices, magna discrimina sint.

c Sed in Albano suo secessit, ac foro & aduocatis, & buiusmodi aliis ocenpationibus.] Locus cōclamatus. Veteres nonnulli codices pro aduocatis, legunt pernotatis: & pro secessit, cesserit. vt fere adducar ita legi posse: Sed in Albano suo tesseris, ac fere etiam pernoctatis, & buiusmodi aleis occupatus, &c. Nam & Iuuenalis in dignitatibus Romanis pernoctem aleam taxat:

—Si luditur, *inquit*, alea pernox,
Ante Nomantinos si dormire incipis ortu, Luciferi.—

praesertim cum statim mox sequatur, Principis Romani lugentis sororem alea solatium fuit. *Item* leuabat, *non* eleuabat, *in nonnullis leges exemplaribus*.

d Luctum suum aut intempestiuis vacare lusibus,] Vocare *vetus lectio, non* vacare. *Scribendum reor*, auocare.

e Quoniam quidem ea instituisti amare studia,] *Familiare in Seneca vitium*, quoniam quidem, *pro* quandoquidem: *cuius semel admonuisse satis erit*.

XXXVII. f Nunc itaque studiis tuis immergere acrius,] *Vetus lectio*, nunc itaque te studiis tuis immerge acrius. *Scribendum puto* altius, *non* acrius: *propter significantiam verbi* immergo.

g Nec ex vlla tibi velut tui parte inueniat introitum dolor.] *Duae illae dictiones* tibi velut, *supernacaneae sunt, ex vetere lectione*.

h Aliquo scriptorum monumento tuorum.] *Quidam codices*, aliquo scriptorum monumentorum.

i Nulla consumat aetas.] *Lege*, quod nulla consumat aetas, *ex vetere lectione. & paulo post* tumulos *lege, non* cumulos.

k Immortalis est ingeniis memoria:] Ingenij, *non* ingeniis, *eadem*.

l Omnia illa quae nobis dedit.] *Scribo*, omnia enim illa, *&c. ex eadem*.

m Et ad minima ducere.] Deducere *eadem, non* ducere.

n Hi vero videntur nunquam in huiusmodi casum incidisse.] *Scribo*, Hi non videntur mihi vnquam in huiusmodi casum incidisse, *ex eadem*.

o Alioquin extudisset illis fortuna superbam sapientiam,] Excussisset, *non* extudisset, *eadem*.

p Satis praestiterit oratio,] *Scribendum* ratio, *non* oratio, *ex eadem*.

q Nam vt quidem nullum omnino secum patiatur,] *Eadem*, vt quidem nullum omnino esse eum patiatur.

r Nec morae] *Mallim legere*, emorae.

s Sed ibidem finiantur.] *Eadem* iidem, *non* ibidem. *recte, quia praecessit statim ante*, sed eaedem desinant.

t Quid enim de illo non tuto spondeti fratre possit?] *Scribe* posset, *non* possit, *ex eadem*.

u Quem barbarorum inconditus grauisque fremitus circumsonat.] *Quaedam exemplaria*, quem Barbarorum inconditus, & Barbaris quoque humanioribus grauis fremitus circumsonat.

FERNANDI PINCIANI CASTIGATIONES

IN LIBRVM DE CONSOLATIONE

AD MARCIAM.

CAP. I. a Cui viri quoque libenter haereant & incumbunt.] *Vetus lectio* incumbant, *non* incumbunt.

b Nec spem accepissem] *Eadem*, nec spem concepissem.

c In persona patris tui gesseris:] *Scribo* personam, *non* persona, *vt in quarto de beneficijs*, Quid amplius in hominem personam possum quàm velle.

d Permittit sibi quaedam contra bonum morem magna pietas.] *Deest particula* &, *vt sit*, & contra bonum morem magna pietas, *ex vetere lectione*.

e Illam vnam patriae seruitutis fugam,] *Eadem*, illam vnam patere seruituti fugam. *alioqui* paternae *scribendum erat, non* patriae.

f Fudistique lachrymas palam, & gemitus deuorasti.] *Videntur aduersa esse inter se*, fundere lachrymas palam, & gemitus deuorare. *Quare malim* clam *legeres, quàm* palam.

g Non tamen hilari fronte texisti:] *Vetus lectio*, Quidem tamen non hilari fronte texisti. *Scribendum puto*, Quin & tantum non hilari fronte texisti.

h Vt vero aliquem spiritum mutatio temporum dedit,] *Legendum*, vt vero aliquam occasionem mutatio temporis dedit, *ex exemplari Facundi & Primitiui*.

i Quamdiu quisquam erit qui velit scire,] *Vetus lectio*, quamdiu quisquam velit scire.

k Quid sit vir Romanos, qui subactis iam ceruicibus omnium, & ad Syllanum iugum adactis, indomitus fit.] *Scribo, partim ex vetere lectione, partim ex coniectura*: quid sit vir Romanus, quid subactis iam ceruicibus omnium, & ad Seiauianum iugum adactis indomitus. *Nam quo iure supra ex* Salamanos, *emendatum est*, Seianianos: *eodem hic ex* Syllanum, *fieri debuit* Seianianum.

l Si illum ob dictas partes pulcherrimas in obliuionem correptum in eloquentiam & libertatem non eruisses.] *Vetus lectio*, Si illum ob duas res pulcherrimas in obliuionem coniectum, eloquentiam & libertatem, non eruisses.

m Scelera quoque quibus solis memoriam meruerunt, tacebunt.] *Lege* tacebuntur, *non* tacebunt, *ex antiquis codicibus. In quorum nonnullis verbum* quoque *desideratur*.

n Nec furtum facere affectibus cogitem.] *Quid si legas?* nec fucum facere affectibus cogitem. *hoc est fraudem facere. vt illud* fucum factum mulieri *apud Comicum*.

o Alij itaque molliter agunt & blandiuntur,] *Lege*, alij itaque molliter agant & blandiantur, *ex vetere lectione*.

p Si verum audire vis,] Si verum fateri vis, *eadem agnoscit*.

q Istud idem remedium naturale temporis quod maximas aerumnas componit,] *Eadem*, Illud ipsum naturale remedium temporis, quod maximas quoque aerumnas compoint.

r Quum

r Quum interim nihil ea illo impetu cocidit,] Lege ex eadem, quum interim nihil ea primo illo im. &c.

s Ita quoque tristitia & miseria, & in se saeuientia] Eadem, Itaqne quoque haec tristia & misera, & in se saeuieotia.

t In malum vlcus se verterunt,] Exemplar Facundi & Primitiui, in malum vlcus veterauerunt.

u Et in exemplum desinere.] & in exemplis desinere, vetus lectio. II.

x Mutari bunc interim ordinem] Motem, non ordinem, eadem habet.

y Et sexus & saeculi nostri exempla] Lego tui, non nostri, ex eadem.

z In quem onus imperij reclinaret,] Quaedam exemplaria reclinare legunt, non reclinaret, vt repetatur verbum coeperat.

a Ingenio impotentem,] Exemplar Facundi & Primitiui, potentem legit, non impotentem.

b Sed frugalitatis continentiaeqne] Scribendum reor, sed & frugalitatis continentiaeque.

c Non dico enim non est ausa consurgere, sed alleuari recusans:] Exemplar Facundi & Primitiui, Non dico tantum consurgere, sed alleuari recusans. caetera desiderantur.

d Nullam sibi fieri mentionem.] Vetus lectio, nullam sibi fieri de illo mentionem.

e Diua Liuia amiserat filium Drusum magnum futurum principem, iam magnum ducem. Intrauerat III. ipse penitus Germaniam, & ibi signum Romaui fixerunt, vbi vix vllos Romanos esse notum erat: in expeditiooe tet decesserat.] Sic prior editio. Tres versus, tres superuacaneae dictiones. In primo Diua, in secundo ipse, in tertio tet, ex omni vetere lectione.

f Et totius Italiae multimdo. Eside.] Ita prior editio legebat. elegans sane & ad exemplum mirus deprauationis modus, multitudo. Eside, pro desiderium. Nam omnis antiqua lectio habet, & totius Italiae desidetium.

g Non licuerat matri, vt filij oscula, gratumque extremi sermonem oris hauriret, longo itinere reliquias prosecuta.] Scribe ex eadem, Noo licuerat matri, vltima filij oscula, gratumque extremi sermonem oris haurire, longo itinere teliquias Drusi sui prosecutae. Item paulo post, irritatae legendum puto, non irritata: etsi omnes scripti codices prosecuta, & irritata habeant, non prosecutae & irritatae. In quorum nonnullis habetur, vti filij osculo, non vltima filij oscula.

h Simul & dolorem suum posuit:] Vetus lectio, simul & illum, & dolorem suum posuit.

i Vrique illum sibi priuatim publiceque] Scribe Vbique, non vriqne, ex eadem.

k Ipsumque desiderabis triste matribus agmen occurrere.] Quaedam exemplaria, ipsumque desiderans tristem matribus omnem occurrere. Alia sic: ipsumque desiderans omnem occurrere. Legendum reor: Ipsa te desiderabis. Triste matribus omen occurres. Cui correctioni videntur suffragari verba Senecae libro quarto declamationum: Hic mihi videndum, ne cui de nuptiis, ne cui de liberis cogitanti dirum omen occurram. Posset etiam non absurde ita legi: Ipseque quem desideras, tristis matri & ominosus occurret.

l Quod turpissimum effrenissimumque est animo tuo,] Vetus lectio alienissimum agnoscit, non effrenissimum.

m In meliore noto parte,] Lego contra omnia exemplaria patre, non parte: vt circa initia, non est ignotum qualem te in personam patris tui gesseris.

o Si ad hoc maximum foeminae exemplum applicueris moderatius ac mitius eris in aerumnis] Vetus lectio, Si ad hoc maxime foeminae te eaemplum applicueris moderatius ac mitius, oou eris in aerumnis.

o Quae enim maior est amētia poenas a se illicitas exigere,] Corrigo, Quae enim malum, amentia est poenas a se infelicitatis exigere, ex eadem.

p Illum ipsum iuuenem dignissime quietum, nominatum cogitamumque faciet,] Veteres omnes codices, Illum ipsum iuuenem dignissime quietum, semper nominatus cogitatusque faciet. Scribendum forte, Illum ipsum iuuenem dignissimum quiete, semper nominans cogitansque facies. quam correctionem probare videntur verba statim sequentia.

q Vt humano ferre humana iubeam modo,] Vetus lectio, vt humanae ferre inhumano iubeam modo. IIII. Scribe, vt humana ferre inhumano iubeam modo.

r Vtrum magnus esse debeat an perpetuus.] Deest verbum dolor, vtrum magnus dolor esse debeat, an perpetuus, ex eadem.

s Magnum tibi placeat exemplum.] Magis lege, non magnum, ex eadem.

t Illa te ad suum concilium vocat] Eadem consilium agnoscit, non concilium.

u Se consolandam philosopho viri sui praebuit:] Prior editio, se consulero philosopho viri sui praebuit. Vetus lectio non cōsulero habet, sed consulareo. Emendandum puto, se consilio Arei philosophi viri sui praebuit. Fuit hic Areus siue Arius, philosophus Alexandrinus, Augusto acceptissimus. Cum quo, instituto sermone, & dextera ei data, vt inter ciues suos spectabilis foret, admirarenturque eum omnes, ingressus est Alexandriam post debellatos Antonium & Cleopatram. Deinde quum in suggestum theatri ascendisset, Alexandrinis omnibus prae metu exanimatis, & in terram procidentibus, quum eos stare iussisset: Omni se, inquit, populum crimine absoluere: idque se facere, primo propter conditorem Alexandrum: secundum, propter miram pulchritudinem, magnitudinemque eius vrbis: tertio, propter Arium amicum suum. Auctor Plutarchus in Antonio. Suetonius quoque in Augusto, Deinde etiam, inquit, eruditione varia repletus super Arei philosophi, filiorumque eius Dionysij & Nicanoris cōtubernium inist. etiam si in Suetonij exemplaribus, atroci menda, spera rei legatur, pro super Arei. Huic Areo credunt nonnulli Dioscoridem inscripsisse libros suos de medicinali materia. Caeterum in exemplari Facundi & Primitiui sic habetur, se Areo philosopho viri sui praebuit.

x Et multum eam rem profuisse sibi confessa, plus quàm Romanum] Scribo ex vetere lectione, & multum eam rem profuisse sibi confessa est, plus quàm Romanum populum.

y Diligentissimum. Vsque in hunc diem Liuia,] Scribendum reor per maiorem, Diligentissime: vt sit exordium orationis, quam Areus habuit ad Liuiam.

z Cui non tantum quae in publicum emittunt vota, sed omnes qui sunt secretiores animorum nostrorum motus] Legendum ex vetustis exemplaribus, cui nō tantū quae in publicum emittūtur nota, sed omnes sunt

ſecretiores animorum veſtrorum motus.

a Multarum rerum veniam dare, & nullius petere.] *Tolle coniunctionem* &, *ex eiſdem.*

v. b Quemadmodum aliquid loquātur coram te de Druſo] *ſic prior editio. Scribendum,* quemadmodum ſe gerant. Loquantur aliquid coram te de Druſo an nihil. *ex eiſdem.*

c Qui huiuſmodi caſibus] *Lego*, qui in huiuſmodi caſibus, *ex eiſdem.*

d Et oblita meliorem fortunam tuam quae deterior eſt aſpicis.] *Aliter vetus lectio, nec fortaſſe peius*, & oblita meliorum, fortunam tuam qua deterior eſt, aſpicis.

e Non conuertiſti te ad conuictus filij tui, occurſus iucundos] *Lege*, occurſuſque iucundos, *ex eadem. & mallem legeres* conuertis *quàm* conuertiſti.

vi. f Primo dumtaxat ſtrepitu contenta.] *Scribe* conterrita, *non* contenta, *ex eadem.*

g Et mutata perſona conſolatus eſt.] *Corrige*, Muta perſonam, te conſolatus eſt, *ex exemplari Facundi & Primitiui.*

h Si fletibus fata vincuntur, conferamus.] *Sic in omnibus legitur codicibus. Quid ſi legas?* confligamus, *non* conferamus.

i Et mors tenuit quicquid abſtulit,] Tenet *legendum, non* tenuit, *ex vetere lectione.*

k Quare regamur, nec nos iſta vis tranſuerſos auferat.] *Eadem* ne *legit, non* nec. *& conſidera an commutato dictionum ordine ſcribendum ſit*, Quare regamus nos, ne iſta, *&c.* *Nam* regamus, *in eadem habetur, non* regamur.

l Fluctuantia vela] Fluitantia *eadem, non* fluctuantia. *aſſueta etiam in Plinio menda.*

vii. m Cum ſaepe ad cubilia expilatae redierint,] Expilata, *non* expilatae, *eadem.*

n Eadem in omnibus ſeruant.] Eandem, *non* eadem, *legitur in eadem.*

o Quia naturaliter,] *Deſiderantur in eadem haec duo verba: & recte. nam confeſtim ſequitur eadem ſententia:* Quare? quia vires illi a natura datae ſunt.

p Quae nihil impium conſtituit.] *Scribe*, quae nihil in perſonam conſtituunt, *ex eadem.*

q Paupertatem, lucrum, ambitionem alius aliter ſentit,] *Scribendum reor*, paupertatem, luctum, orbationem, alius aliter ſentit. *Nam & vnus lectio* luctum *praefert, non* lucrum.

r De non timendis terribilis.] *Legendum reor* terribilibus, *non* terribilis.

viii. s Dolorem dies conſumit,] *Scribo*, Dolorem dies longa conſumit, *ex vetere lectione.*

t Qualis in illo fuit,] *Vitiatiſſima verba, & quae pro tempore, donec meliora occurrant, ſic reſtituenda puto*, qualis in Liuia fuit.

ix. u Et aliud & pacatius ingreſſi iter,] *Exemplar Facundi & Primitiui*, & aliis pacatius ingreſſi iter.

x Multo ante prouiſa] *Legendum* praeuiſa, *non* prouiſa, *ex vetere lectione.*

y In tuum librata corpus quoties aut ad latus, aut penes tergum ceciderunt,] *Scribo*, in tuum vibrata caput. Quoties ad latus aut poſt tergum ceciderint. *Nam & paulo ante praeceſſit*, circa te vibraſſe. *& adſtipulatur vetus lectio.*

z Alium percuſſiſti, me petiſti.] *Eadem*, alium quidem percuſſiſti, ſed me petiſti.

a Quis non ſi admoneatur, vt de ſuis cogitet,] *Duo illa verba* de ſuis, *ſuperflua ſunt, ex eadem.*

b Egregium verſum & dignum audiui, eſt enim e populo: Cuiuis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt.] *Deprauatiſſimus locus, ſi quis in toto opere, non tãtum verbis vitiatus ſed inuerſo etiam, vt conijcio, ordine. Sunt codices qui ſic habeãt:* Egregium verſum & dignum audiui, qui nõ e populo heri & cuiuis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt. *Legendum opinor:* Egregium verſum audi, & dignum qui non eſſet Publij Syri: Et cuiuis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt. *Comprobat hanc caſtigationem Seneca ipſe in libro de Tranquillitate vitae, his verbis:* Nunquam me in bona te mali pudebit auctoris. Publius tragicis comicisque vehementior ingeniis, quoties mimicas ineptias & verba ad ſummam caueam ſpectantia reliquit, inter multa alia cothurno, non tantum ſipario fortiora, & hoc ait: Cuiuis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt. *Fuit hic Publius natione Syrus, mimographus poeta temporibus Caeſaris dictatoris, multis & pulcherrimis ſentẽtiis clarus in primis. Quas leges apud Gellium libro 17. capite 14. & apud Macrobium ſecundo Saturnalium, non procul a calce.*

c Terror decipit,] *Legendum putarim* Error, *non* terror.

x. d Ampla arua,] *Legendum* atria, *non* arua, *ex vetere lectione.*

e Nihil dono datur: collatitiis & ad dominum redituris inſtrumentis ſcena adornatur.] *Scribe ex eadem*, nihil horum dono datur, collatitiis & ad dominos redituris, *&c.*

f Metuere vt receſſura,] *Eadem*, a metu ire ceſſura. *Corrigo*; amet vt receſſura.

g Et ſine dilatione omne gaudium aduertite.] Haurite *ſcribi debet, non* aduertite, *ex eadem.*

h Deficiet iſte comitatus.] *Quidam codices* deficietur *habent. Puto legendum* deficiet te.

i In fugam viuere.] *Vetus lectio*, & fuga viuere. Vt verba illa miſeri neſcitis *parentheſi claudantur.*

k Et in hanc legem datus, hoc fatum ab vtero ſtatim proſequebatur.] *Eadem*, In hanc legem datus eſt. Hoc illum fatum ab vtero ſtatim proſecutum eſt.

l Vel in poenam admotis, vel in certa nudos maria iactabat.] *Variam & parum ſibi conſtantem veterem lectionem hoc loco reperio. ſed quae commodior ex emendatioribus codicibus elici potuit, ſic habet:* vel in poenam admotis, vel in remedium, alios vinciet. Id nunc iſti licebit, nunc tibi. Alios per incerta nudos maria iactabit.

m In alicuius ventrem immenſae beluae detrudet.] *Vetus lectio*, ſed in alicuius ventrem immenſae beluae recondet.

n Moderandus eſt itaque nobis animus ad haec maxime quae immoderate fertis, & in metus, & in dolores humanum pectus diſpenſandum.] *Breuius eadem:* Moderandum eſt itaque, vobis maxime qui immoderate fertis, & in multos dolores humanum pectus diſpenſandum.

xi. o Haec omnis iſta quae in foro litigat: *& mox paulo*, non diſpari gradu vadit.] *Lege* huc, *non* haec, & foris, *non* foro: *& negatio* non *tollenda, ex eadem.*

p Et

p Et quae diligis veneraris, & quae despicis, vnus exaequabit cinis: hic videlicet illa Pythicis oraculis ascripta noscit.] *Sic prior editio. Deploratissimus est locus. In quibusdam codicibus sic habetur:* Et quae diligis, veneraris, & quae despicis; vnus exaequat cinis, hoc videlicet illa Pythicis oraculis ascripta noscite. *quae verba minus forte vitiosa erunt, si sic legantur:* Et quem diligis, veneraris, & quem despicis, vnius exaequat vox Chilonis: haec videlicet, illa Pythicis oraculis ascripta. Nosce te. *vel sic:* Et quem diligis, veneraris, & quem despicis, vnius exaequat Chilonis vox: licet illa Pythicis oraculis ascipta, Nosce te. *Notam sententiam illam* Nosce te, *Chilonis esse Lacedaemonij, ex Plinio, Plutarcho, Ausonio, & alijs constat: etsi Iuuenalis Apollini ascribat,* E coelo descendit γνῶθι σεαυτόν. *Cicero item prima Tusculana,* Nimirum, *inquit*, hanc habet vim praeceptum Apollinis, quo monet vt se quisque noscat. *Diogenes quoque Laertius in vita Chilonis, cum sententiam illam, Sponsioni non deesse iacturam, Chiloni tribuat, hanc de se noscendo non tribuit.*

q Non tempestate vt dissiperis est opus] *Lege ex vetere lectione*, non tempestate magna, vt dissiperis, est opus.

r Alimenta metuens sua, quorum modum inopia rumpit.] *Veteres quidam codices duo verba addunt*, & semper. *sed & sic locus est ambustus, & verbis quibusdam cassus: quae omnino addere ad complementum sensus necessarium habui. Scribendum igitur censeo sic:* & semper alimenta metuens sua, quorum modo inopia laborat, modo copia rumpitur.

s Morbidum, putre, causamque fletus vita auspicatum.] *Legendum puto*, morbidum, putre, cassum, a fletu vitam auspicatum. *Plinius libro* 7. Nullumque tot animalium ad lacrymas, & has protinus vitae principio. *& paulo post*, & a suppliciis vitam auspicatum.

t Caeterum quantos tumultus] *Scribe*, Cum interim quantos tumultus, *ex vetere lectione*.

u Si modo tibi vlla ratio est,] *Corrigo*, Si modo vlla illi ratio est, *ex exemplari Facundi & Primitiui*. XII.

x Sed de eo gratias agere quod collegisti.] Cepisti *vetus lectio*, *non* collegisti.

y Peruenerunt enim satis magni fructus laborum tuorum] *Scribe* prouenerunt, *non* peruenerunt. *Vnde* prouentus *dicti. Adstipulante etiam vetere lectione.*

z Liberos nutrientibus non ipsa fructus educatione acquiritur.] *Exemplaria quaedam*, liberos nutrientibus non fructus educat ipsa educatio.

a Licet itaque tibi nihil industria eius contulerit, licet nihil diligentia sua custodierit,] *Vetus lectio*, Licet itaque nihil tibi industria eius contulerit, nihil diligentia custodierit.

b At potuit longior esse, non maior.] *Exemplar Facundi & Primitiui*, At potuit longior esse maiorque.

c Iuuenis cito prudens, cito maritus,] *Lege* iuuenis cito prudens, cito pius, cito maritus, *ex vetere lectione*.

d Omnia tanquam prospera.] *Corrigendum puto*: Omnia tam praepropera. *Cui emendationi suffragantur verba haec, non longe a fine:* Hac sanctitate morum efficit, vt puer admodum dignus sacerdotio videretur.

e Filiũ tibi dij immortales non diu dant. Statim tibi talem dederunt] *Vetus lectio*, filium tibi dij immortales non diu daturi, statim tibi talem dederunt.

f Electam te a diis, cui frui non liceret filio.] *Legendum*, abiectam te a diis, cum frui non licuerit filio, *ex exemplari Facundi & Primitiui*.

g Occurrent passim vbique qui maiora senserunt. ista magni iudices senserunt principes] *Vetus lectio*, occurrent tibi passim vbique maiora. Senserunt ista magni duces, senserunt principes.

h Quibus male nimis secundae res constant.] *Eadem*, quorum male illo nimis secundae res constant. *Conijcio legendum*, quorum malis illius nimis secundae res constabant.

i Et sollennia Pontificalis carminis verba concepit,] *Sic agnoscunt complura exemplaria. Sed in exemplari antiquissimo & correctissimo Facundi & Primitiui tantum habetur*, solennia Pontifica perfecit. *caetera vacant*. XIII.

k Quo victum ante currum egit Persae inclyti regis nomen,] *Lego*, quo victum ante currum egit Persem inclyti regis nomen, *ex vetere lectione*.

l Et qui magis poterat mouere tanta mutatio?] *Scribendum videtur*, Ecquam magis poterat, *&c. & sic fere habetur in exemplari Facundi & Primitiui*.

m Non contigit tamen tristem Paulum Persae videre.] *Idem exemplar*, non tamen contigit Persae tristem Paulum inuenire.

n Vnumquemque animo occupa:] Vnumquemlibet animo occupa, *vetus lectio*. XIIII.

o Quoniam grauia illi videbantur, & cum in commune crescerent,] *Lego*, quae grauia illi videbantur, etiam cum in conciuem crescerent. *Exemplar enim Facundi & Primitiui* conciuem *agnoscit*, *non* commune.

p Sed vide vt in orbem ista tempestas] *Scribe*, sed videlicet it in orbem ista tempestas, *ex omni vetere lectione*. XV.

q Quis enim dixerit naturam maligne cum mulieribus ingenuis egisse, & virtutem illarum in arctum retraxisse?] *Corrige*, Quis enim dixerit naturam maligne cum muliebribus ingeniis egisse, & virtutes illarum, *&c. ex eadem*. XVI.

r Par ad honesta libera facultas.] *Scribendum*, Par ad honesta (libeat) facultas, *ex eadem*.

s Laborem, dolorem ex aequo] *Lege*, laborem doloremque ex aequo, *ex eadem*.

t Quòd tibi si vis exempla refert.] *Praepostero ordine scribendum*, Quòd si tibi vis exempla referri, *ex eadem*.

u Nec amissos ciuitas sentit.] *Eadem* sensit *legit*, *non* sentit.

x Scipionumque matres ac filios egit,] *Scribe* exegit, *non* egit. *ex eadem*.

y Nullum autem frustra cadet telum,] *Quidam codices*, nullum amat frustra cadere telum.

z Mirum est, tantam turbam iam potuisse sine iniuria damnove praeteruehi.] *Quaedam exemplaria*, Mirum est, tantam turbam non potuisse sine inuidia damnove praeteruehi. *Alia*, Mirum est, tantam turbam sine inuidia, sine damno praeteruehi. *Legendum puto*, esset *potius quàm* est.

a Ad hoc iniquior fortuna fuit,] *Scribe*, At hoc iniquior fortuna fuit, *ex vetere lectione*.

b Similes patri :] *Haec verba desiderantur in eadem.*

c Mecilij] *Eadem*, Metilij.

d Haec quidem natura mortalium est,] *Scribe commutato dictionum ordine*, Est quidem haec natura mortalium, vt nihil magis, *&c. ex eadem.*

XVII. e Illud quoque Marcia mouet me.] *Scribe* moueret *ex eadem, non* mouet.

f Iam patri, iam matri praesidium ac decus amittere] *Scribe*, iam patri, iam matri residuum amittere. *Caetera ociosa sunt. ex codice Facundi & Primitiui.*

g Quam continenti quondam cessisse constat subito illud mare irrupit] *Lego ex vetere lectione*, quam continenti quondam cohaesisse constat. Subitum illo mare irrupit.

h Auidissimum maris verticem restringere] *Legendum reor* perstringere, *non* restringere.

i Siue illas primum nascentes inuenit, siue trans flumen integrum subter tot maria] *Sic prior editio. Vetus lectio*, siue illas ibi primum nascens inuenit, siue in ipsum trans flumen. *Sunt codices qui legant*, siue in ipsum tris flumen. *Scribo*, siue illas ibi primum nascens inuenit, siue immersum terris flumen integrum subter tot maria.

k Vt ne maximarum quidem tempestatum locus furori sit] *Inuertendae dictiones* furori locus sit, *ex exemplari Facundi & Primitiui.*

l Ille excisus in infinitam altitudinem saxis naulius carcer] *Legendum reor*, lautumius carcer. *de quo multa in obseruationibus Plinianis.*

m Et latius territorium] *Exemplar Facundi & Primitiui*, & laxius turritam.

n Lympidissima hyberna,] *Vetus lectio*, lepidissima. *Lego*, tepidissima : *vt patet ex verbis sequentibus, cuius rei Plinius quoque meminit secundo historiae naturalis, capite 62.*

o Dicet omnibus nobis natura :] *Scribe*, dicit, *non* dicet, *ex eadem.*

p Potes habere formosos & deformes. Sed si fortasse tibi multi nascentur, esse ex illis aliquis] *Castior eadem*, poteris habere formosos, poteris & deformes. Multi nascentur. esse aliquis ex illis. *reliqua superfluunt.*

q Non est quòd speres] *Exemplaria quaedam* desperes *habent, non* speres.

r Vt ipsis maledictum sit.] *Legendum ex antiqua lectione*, vt ipsi maledicta sint.

XVIII. s Annum, aestatem, hyememque aequaliter diuidentem.] *Eadem*, Anno, aestates hyemesque aequaliter diuidentem.

t A fraternis occursionibus] *Lege*, a fraternis occursibus, *ex eadem.*

u Et modo toto ore terris imminentem, accessionibus damnisque mirabilem,] *Scribe*, & modo occultam, modo toto ore terris imminentem, accessionibus damnisque mutabilem, *ex eadem.*

x Sacratos spectaculo superiorum] *Scribendum* supernorum, *non* superiorum, *ex eadem.*

y Quae interuentu suo maria circumdant & distinguunt.] *Duo illa verba* circumdant & *tollenda, ex eadem.*

z Et inter rapidorum torrentium cursum aurum arenis interfluens] *Corrige*, & inter rapidorum torrentium arenas aurum interfluens. *caetera superfluunt, ex exemplari Facundi & Primitiui.*

a In mari & fidem excedenti magnitudine] *Scribe* immani, *non* in mari, *ex vetere lectione.*

b Concitatis perniciora nauigiis & remigiis.] *Scribe*, concitatis perniciora remigiis. *reliqua redundant, ex eadem.*

c Erisque ei spectatrix,] *Exemplaria quaedam*, erisque eius expertrix.

d Disces. Docebisque artes illas quae vitam instruant, alias quae ornent.] *Legendum*, Disces docebisque arte. Alias quae vitam, *&c. ex vetere lectione.*

e Et lattocinia, & naufragia,] *Scribo*, & latrocinia, & venena, & naufragia, *ex eadem.*

f Et mors incerta facilis per poenam cruciatumque] *Sic prior editio. Exemplaria quaedam*, & mors incertusque finis per poenam cruciatumque. *Exemplar domesticum non respuendae fidei*, & mors, incertum facilis, an per poenam cruciatumque.

g Respondebis nolle te viuere.] *Omnia scripta exemplaria* velle *agnoscunt, non* nolle, *recte. Sequitur enim*, Viue ergo, vt conuenit.

XIX. h Videbis primum quid curandum sit,] *Exemplar Facundi & Primitiui*, videatis primum &c. *Scribendum puto*, Videamus primum, *&c.*

i Id per se desiderabile apparet.] Tolerabile, *non* desiderabile, *idem agnoscit exemplar, rectissime.*

k Absentes enim futuros dum viuerent, non flemus,] *Scribo*, absentes enim absfuturosque, dum viuerent, non flemus, *ex vetere lectione.*

l Et nosmetipsi non fallamus.] *Quidam codices sine negatione*, & nosmetipsi fallamus. *In alijs non habentur omnino haec verba.*

m Qui contemptum vindicet.] *Vetus lectio*, & qui a contemptu vindicet.

n Plus orbitas confert quàm eripit.] *Scribe*, plus gratiae orbitas confert quàm eripit, *ex eadem.*

o Illa quae nobis inferos faciunt terribiles, fabula est. Nullas imminere mortuis tenebras] *Scribe*, Illa quae nobis inferos faciunt terribiles, fabula. Nullas scimus imminere mortuis tenebras. *ex eadem.*

p Nec tribunalia, nullos in illa reos libertate tam laxa, nullos iterum tyrannos.] *Eadem*, Nec tribunalia & reos, & in illa reorum libertate tam laxa vllos iterum tyrannos.

q Et omnia ad nihil redigit,] *Castigatius eadem*, & omnia in nihilum redigit.

r Non potest fortuna tenere quod natura dimisit :] *Lege*, non potest id fortuna tenere, *&c. ex eadem.*

s Et nulla publica clades conspicitur,] *Coniunctio & eradenda. Et exemplar Facundi & Primitiui* pestis *agnoscit, non* clades.

t Vnde nihil eum pellat, vnde nihil terreat.] *Scribe*, Vnde nihil eum depellat, vbi nihil terreat, *ex eadem.*

XX. u Siue calamitatem repellit,] *Eadem*, expellit, *agnoscit, non* repellit.

x Careere educit] *Lege*, Haec e carcere educit, *ex vetere lectione.*

y Haec exulibus in patriam semper animo oculisqoe tendentibus ostendit nihil interesse intra quot quisque iaceat.] *Castigandum puto*, haec exulibus in patriam semper animum, oculos, tendentibus ostendit nihil interesse in terra qua quis iaceat. *Nam vetus lectio* quis *praefert*, *non* quisque.

z Hic vbi res fortuna male diuisit, & aequo iure genitos alium alij donauit,] Haec vbi res commuues fortuna male diuisit, & aequo iure genitos, aliod alij donauit, *vetus lectio. Puto legendum*, alium alij donauit.

a In qua uemo humilitatem sensit.] *Scribe ex eadem*, Io qua oemo humilitatem suam sensit.

b Vt non concidam aduersus minas casuum,] *Legendum forte* caesarum *potius quàm* casuum. *Exemplar Facundi & Primitiui*, aduersus ruinas casuum.

c Coram te iuta beneficio mortis habeo.] *Sic prior editio. Vetus lectio* vita *habet*, *non* iuta. *Proinde scribendum sic reor*: Coram te vitam beneficio mortis habeo. *Nam & inter alios, Plinius quoque maximum vitae bonum appellat mortem.*

d Neapolis fortuna abstulisset,] *Exemplar Facundi & Primitiui*, Neapolis valetudo abstulisset.

e Quam infelices reliquiae sunt imperatorem ipsum superfuisse] *Scribendum*, quae infelices reliquiae suot, imperatorem superfuisse, *ex eodem exemplari.*

f Et sacrosanctum victoribus corpus satietati praestitit.] *Considera an sit commodior lectio*, & sacrosanctum victoribus caput satelliti praestitit.

g Liberata republica conseruator eius:] *Postrema duo verba* conseruator eius, *in exemplari Facundi & Primitiui non habentur.*

h Tunc felix mori potuit.] *Lege*, etiam tunc felix mori potuit, *ex vetere lectione.*

i Latrocinia, bella, rapinas, tantum Catilinarum.] *Legendum puto* trium Catilinarum, *non* tantum Catilinarum. *Nam Augustum, Antonium, Lepidum, tres Catilinas vocat, vt Iuuenalis tres Syllas:*

In tabulam Syllae si dicant discipuli tres.

k Nihil ergo mali illi immatura mors attulit:] *Sic exemplar Pincianum. Legendum arbitror*, Nihil ergo mali Metilio immatura mors attulit.

l Nimis cito periit & immaturus primum puta illi superfuisse] *Vetus lectio*, nimis tamen cito periit & immaturus. *Quae sequuntur sic puto legenda*, Primum puta illum superesse.

m Quantum est ad breuissimum tempus editi cito cessuri loco. Venienti] *Exemplar Pincianum*, quantulum est ad breuissimum tempus editis, cito cessuris loco venientibus.

n Venienti in captum hoc, prospicimus hospitium.] *Castigandus forte vitiosissimus locus sic*: Venientibus in puncti hoc proximum hospitium. *Posses etiam legere* spatiom, *non* hospitium.

o Minorem portiooē. AEtas oostra quam partem poocti habet si tempori comparetur omni. Huius est enim maior mensura. *Exemplar Facundi & Primitiui*, Mioorem portiooem habet aetas oostra quàm punctum, si omni tempori comparetur, cuius maior est mensura.

p Cum ille se intra huius spatium remetiatur] *Scribo*, cum ille se iotra huius spatium toties remetiatur, *ex exemplari Facundi & Primitiui. Domesticus meus codex*, vtpote cum ille se prae huius spatium metiatur. *Legendum arbitror*, vtpote cum ille se per huius spatium toties remetiatur.

q Imo multum est quod viuimus, si satis est.] *Exemplar Facundi & Primitiui*: Imo modo multum est, *&c. Scribendum videtur*, Vno modo multum est, *&c.*

r Nihil enim iam supererat.] *Vetus lectio*, nihil illi iam vltra supererat.

s Intra XIIII. annos qoaedam defatigauit.] *Scribe* defatigantur, *non* defatigauit, *ex eadem.*

t Qui victurus] Quia victurus, *eadem.*

o Manebit vbi positus est.] *Eadem*, manebit semper vbi positus est.

x Nec vllum vlterius diligentia aut gratia promouebit.] *Haec verba in codice Pinciano non leguntur. Quae vero statim sequuntur:*

y Scit libenter illum ex consilio perdidisse.] *Ita leguntur in eodem codice, vt recitaui: sed mendose. Puto sic corrigenda*, oec illum diligentia vel consilio protulisset.

z Eunt vt sua fata.] *Expende an legendum sit*, euut vi sua fata.

a Et frustra vota ae studia suot] *Expungenda coniunctio* &, *ex vetere lectione.*

b Aoguria opus suum, fata.] *Quid si legas?* vrgent opos suum fata. XXI.

c In summa pudoris custodia, inter loxuriosae vrbis oculos conseruaturum, si potuisset ita morbos euadere,] *Exemplar Facundi ac Primitiui*, & summa pudoris custodia inter luxuriosae vrbis oculos conseruatum potuisset ita, *& reliqua.*

d Aut feda proloqui ex quo luxuria fedior inuasit] *Scribe*, & sera, eoque foediot luxuria inuasit, *ex vetere lectione.* XXII.

e Aot in popioam ventremque proiecti summa illis curarum fuit, & esset quod biberent.] *Eadem*, Aut in popinam ventremque percoqoi. Summaque illis curarum fuit qoid essent, quid biberent.

f Noo simplici dolote pudenda curantium.] *Quaedam exemplaria*, uoo per simplicem dolorem, *&c. Alia*, non simplicem dolorem, *&c.*

g Post haec exilium. Non fuit inuocentiot filius tuus quàm Rotilius, quàm Coruncanus: non fuit sapientior quàm Socrates: oon fuit sanctior quàm Cato, qoi voloorario vulnere transfixit pectus. Cum ista perspexeris,] *Falso scripta, petus dispuncta, praepostere locata verba. Lego ex vetere lectione*: Post haec, exilium: noo fuit innoeentior filius tuus. Carcerem: noo fuit sapientior quàm Socrates. Voluntario vulnere transfixum pectus: noo sanctior quàm Cato. Quum ista perspexeris.

h Clieoti suo Arrio Secundo] *Lego* Satrio, *non* Atrio, *ex Cornelio Tacito.*

i Nee imponi quidem, sed descendere.] *Sunt exemplaria quae habeant*, Nec imponi quidem, sed ascendere.

k Decernebantur illae statuaein Pompeij theatro ponendae,] Corrige, Decernebatur illi statua in Pompeij theatro ponenda, ex vetere lectione.

l Exclamauit tunc Cordus vere theatrum perire.] Scribo inuersis dictionibus, Exclamauit Cordus, Tunc vere theatrum perire, ex eadem.

m Consectari pessimum militem.] Non pessimum, sed perfidum, habet eadem: vt puto, recte. alludere enim videbatur ad militem illum qui Pompeium obtruncauit.

n Vt sibi mansuetos omnibus feros habere] Vetus lectio, vt sibi vni mansuetos, omnibus feros habere posset.

o An mortis rei perderentur.] Locus est corruptissimus, ex eorum numero qui emendatore indigent OEdipo. Fortasse sic minus corrupte legetur, an maiestatis reo perire daretur. Quam lectionem astruere videntur verba sequentia, pene non licuit.

p Fles quòd quenquam tuorum mori necesse fuit.] Vetus lectio, Fles quod cuiquam tuorum, &c.

XXIII. q Praeter hoc etiam omne futurum incertum est,] Eadem, Praeter hoc etiam quod omne futurum incertum est.

r Quae illustriora, breuiora sunt.] Lege quo, non quae, ex vetustis exemplaribus.

s Ita est iudicium imminentis exitij maturitas.] Scribendum ex eisdem, Ita est. Indicium est imminentis, & reliqua.

t Sub matris custodia.] Sub matris tutela, eadem.

XXIIII. u Cogita tot illos perire annos matribus & per sollicitudinem exigi] Eadem, totos, non tot, & solitudinem, non solicitudinem agnoscunt. Quae certe lectio praesenti magis conuenit instituto.

x Excellentis ingenij & aequatum animum,] Lege auum, non animum, ex eisdem.

y Nullius foeminae spei se praebuit.] Dictio foeminae necessaria non erat, praecedente paulo ante verbo mulierum. proinde eradenda est, suffragante etiam vetere lectione.

z Nisi pro bono candidato valuisset] Quaedam exemplaria voluisset habent, non valuisset.

a Harum contemplatione virtutum filium geri, tanquam si nec ille tibi magis vacet] Sic prior editio. Scribendum puto, Harum contemplatione virtutum sic te gere, tanquam si nunc ille, &c. vt infra: Sic itaque Marcia te gere, tanquam sub oculis patris filijque posita.

b Nunc nihil habet quo vocetur.] Scribendum arbitror auocetur, non vocetur. vt infra paulo, despoliatus oneribus alienis, & sibi relictus.

c Et effigies non simillima:] Castigandam existimo, & effigies non simul ipse. & confestim non est legendum quidem, sed qui. ex exemplari Facundi & Primitiui. Quid si legam? & effigies, non simul animus ipse qui, &c.

d Circum nobis neruos & obductam cutem] Corrige, circa nos, ossa, neruos, & obductam cutem, ex exemplari Facundi & Primitiui.

e Arcetur a diuersis e suis in falsa coniectus.] In quibusdam exemplaribus aduersis habetur. non a diuersis. In alijs, auersis. Scribo alterutro modo, aut sic, a veris & suis in falsa coniectus: aut sic, auersus a suis in falsa coniectus.

f Et confusis crassisque pura & liquida inferentem.] Sic prior editio. Lego, è confusis crassisque pura & liquida visentem, ex vetere lectione.

XXV. g Nihilque terris relinquens.] Scribo, nihilque in terris relinquens animus, ex eadem.

h Vtique contemptores vitae & mortis beneficio liberi.] Eadem, interque contemptores vitae & mortis beneficio liberos.

i Liber ducit.] Ita in eadem, libens ducitur: vt ad adolescentem referatur, non ad auum.

k Vtque ignotarum vrbium monstratus hospiti gratus est.] Monstrator, non monstratus, exemplar Franciscanum.

l Et in profunda terrarum promittere aciem iuuat. Delectat enim ex alto relicta respicere.] Vetus lectio breuior, & in profunda terrarum permittit aciem. Iuuat enim ex alto, &c. quam lectionem agnoscit quoque exemplar emendatissimum Facundi & Primitiui.

m Sic itaque Marcia tegere,] Scribe distincte te gere, ex eadem.

n Aut inuiae valles aut incerta vada syrtium. tramites plani, & ex facili mobiles & expediti & inuicem peruij sunt intermixtique syderibus] Codices nonnulli, Aut imae valles, aut incertarum vada syrtium. Omnia plana, & ex facili mobilia, & expedita, & inuicem peruia sunt intermixtaque syderibus.

XXVI. o Quid in te domus status vitae ipsa ad maiores recepit suos.] Sic prior editio. Sunt exemplaria in quibus legatur, quod se ipse ad maiores recepit suos. reliqua non habentur. Alias sic fuisset, vt opinor, scribendum. quod viua te, domo stante se ipse ad maiores recepit suos.

p Quàm nullis benignam facile se praestitit, nisi qui in vnum cum illa contraserat.] Vetus lectio, quàm nullis benignam, facilem se praestiterit, nisi qui minimum cum illa contraxerint.

q Regesne diceres felicissimos futuros, si maturius illos mors stantibus subtraxisset malis?] Eadem, Regesne tibi nominem felicissimos futuros, & reliqua. Sed legendum reor instantibus, non stantibus.

r Ostendi, quàm magno me iuuat animo scripsisse.] Corrigendum puto, quàm magno quae iuuabat animo scripsissem. Nam omnis vetus lectio scripsissem agnoscit, non scripsisse.

s Videmurque non alta nocte circumdati. Nil apud vos] Sic prior editio. Scribe, Videmusque non alta nocte circumdati, nil apud vos, ex eadem.

t Venientiumque iuuabit vnius saeculi me facta componere.] Lege ex eadem, euentumque. Iuuabat vnius saeculi fata componere.

v Nihil constat loco stabili.] Haec verba non habentur in eadem: & recte. nam sequitur confestim eadem sententia.

u Adducetque secum vetustas:] Lege abducet, non adducet, ex eadem.

x Quota enim ista fortuitae potentiae portio est.] Fortunae, non fortuitae, exemplar Facundi & Primitiui.

y Et aeterna forte,] *Scribe*, & aeterna fortitae, *ex vetere lectione.*

z Et ipsius parua ruina ingentis accessio,] *Lego*, & ipsae parua ruinae ingentis accessio, *ex eadem.*

FERNANDI PINCIANI CASTIGATIONES

IN LIBRVM DE CONSOLATIONE AD HELBIAM MATREM.

a Lucij Annaei Senecae ad Albinam matrem] *Omnis scripta lectio* Helbiam *agnoscit*, *non* Albinam

b Vt auderem, multa me interpellabant.] *Lege* impellebant, *non* interpellabant, *ex eadem.* CAP. I.

c Etiam si supprimere non potuissem, abstersissem.] *Scribendum*, etiamsi supprimere non potuissem, interim certe abstersissem, *ex eadem.*

d Rursusque retardare.] *Eadem*, rursusque retardabar.

e Ne ipsum solatia irritarent,] *Scribe*, ne ipsum ipsa solatia irritarent, *ex eadem.*

f Nam in morbis quoque nihil est magis periculosum, nec perniciosum, quàm immatura medicina. Expectabam dum ipse vires suas frangeret.] *Breuius eadem*: nam in morbis quoq; nihil est perniciosius quàm immatura medicina. Expectabam itaque dum vires suas frangeret.

g Praeterea quum clarissimorum omnia ingeniorum monumenta] *Commuta dictionum ordinem*, Praeterea cum omnia clarissimorum ingeniorum monumenta, *ex eadem.*

h Verebarque ne hoc non consolatio, sed exulceratio] *Deest verbum* esset, verebarque ne haec non consolatio esset, sed exulceratio, *ex eadem. etsi in plerisque codicibus negatio non desideratur.*

i Necesse est vt delectum verborum eripiat.] *Superfluit verbum* vt, *ex eadem.*

k Sed cogitet] *Eadem*, Sed is cogitet. II.

l Omnes itaque luctus suos] *Lege*, omnes itaque luctus illi suos, *ex eadem.*

m Quos saepe vexat,] Semper, *non* saepe, *eadem.*

n Nullam tibi vacationem dedit] *Scribo*, nullam tibi fortuna vacationem dedit, *ex eadem.*

o Et ad vitam quodammodo exposita creuisti sub noverca,] *Legendum*, & ad vitam quodammodo exposita es. Creuisti sub nouerca. *ex eadem.*

p Quanta vel in filia conspici potest,] *Scribendum arbitror contra omnia exemplaria*, quanta vix in filia conspici potest.

q Et ne saeuitiam suam fortuna leuiorem deducendo faceret,] Ducendo, *non* deducendo, *exemplar Facundi & Primitiui: recte, hoc est, procrastinando, protrahendo: vt illud,*

Tardando nostros in longum ducis amores.

r Vbi se dolor tuus inclinaret.] *Vetus lectio*, reclinaret, *non* inclinaret.

s Quos sine interuallo vitae incursantes pertulisti.] *Eadem*, quos sine interuallo in te incursitantes pertulisti.

t Intra vigesimum diem tu quae filium meum, &c.] *Scribendum*, intra vigesimum diem quàm filium meum, &c. *ex eadem.*

u Non summam cutem tenet, rupit,] *Verbum* tenet *non habetur in eadem.* III.

x Tyrones leuiter saucij non vociferantur,] *Scribe*, tyrones leuiter saucij, tamen vociferantur, *ex eadem.*

y Excoriari patiuntur:] Exsecari patiuntur, *eadem agnoscit.*

z Lamentationes & vlulatus, & alia per quae insciae mulieres tumultuantur, amoue,] *Eadem*, Lamentationes & eiulatus, & alia per quae fere muliebris dolor tumultuatur, amoue.

a Et quid? Videorne tecum timide egisse, cum nihil tibi subduxi ex malis tuis?] *Eadem*, Ecquid videorne tecum timide egisse? Nil tibi subduxi ex malis tuis.

b Constitui vincere dolore dolorem tuum,] *Verbum* dolore *desideratur in eadem.*

c At ego mihi ipse satis placebo.] Magis, *non* satis, *eadem praefert.* IIII.

d Non deseruimus.] *Scribe*, non deseruerimus, *ex eadem.* V.

e Intra se omne gaudium peteretur.] *Lege* peteret, *non* peteretur, *ex eadem.*

f Facile se ac sua tuentur.] Facile se ac suos tuentur, *eadem.*

g Illis grauis ipsa fortuna est, quibus est repentina.] *Duo illa verba*, ipsa fortuna, *non habentur in eadem.*

h Omnia illa quae in me diligentissime consetebar,] Indulgentissime *legendum*, *non* diligentissime, *ex eadem.*

i Nàm in ipsa felicitate] *Exemplar Facundi & Primitiui* infirmitate *legit*, *non* felicitate.

k Cum inania & speciosa ac decepturo fuco circumlita inueniantur, nihil habentia fronti suae simile.] *Scribe ex vetere lectione*, Quin inania & speciosa ac decepturo fuco circumlita inueni intra nihil habentia fronti simile. *Legendum puto* specioso *potius quàm* speciosa.

l Quosdam industria, latam ostendendae virtuti nacta materiam.] *Eadem* laxam *agnoscit*, *non* latam. *&* ostentandae *mallem legeres*, *quàm* ostendendae. VI.

m Quidam venalem formam suam attulere,] *Dictio* suam *non habetur in eadem.*

n Nulla est, vbi magnam partem peregrinae multitudinis non inuenias.] *Aliter eadem*, nulla non magnam partem peregrinae multitudinis habet.

o Nunc transiliens ab ipsis quarum amoena positio] *Lege*, Transi ab his quarum amoena positio, *ex eadem.*

p Gyarum & Corsicam pete.] *Eadem*, Gyarum & Corsicam percense.

q Quid ad copias respicienti ieiunius?] *Eadem*, quid ad copinsa respicienti tenuius?

r Plures tamen hic peregrini quàm ciues sunt & consistunt.] *Duo illa verba* sunt & *tollenda, ex eadem.*

s Si propriam eius originem aspexeris.] Primam *legito, non* propriam, *ex eadem.*

t Aspice sydera mundi illustria.] Aspice sydera mundum illustrantia, *eadem.*

u Quamuis cum vniuersa versatur, in contrarium nihilominus ipsi mundo refertur.] *Quaedam exemplaria*, & quamuis cum ipso vertatur, in contrarium nihilominus ipsi mundo defertur.

x Perpetua eius cogitatio,] *Legendum* agitatio, *non* cogitatio, *ex vetere lectione.*

y Semper in tumultu sunt,] *Scribe*, semper in transitu sunt, *ex eadem.*

z Orbes suos explicuerunt,] *Lege* explicuerint, *non* explicuerunt. *& paulo post* venerant, *non* venerunt, *ex eadem.*

a Vel delectet se, vel conseruet.] *Exemplar Facundi & Primitiui*, nos delectet, se vero conseruet.

b In mediis barbarorum nationibus Graecae vrbes?] *Scribendum* regionibus, *non* nationibus, *ex vetere lectione.*

c Atheniensis in Asia turba est. Miletus CCCCCLXX. vrbium populum in diuersa effudit.] *Deprauatissima verba. Scribendum reor*, Atheniensium in Asia vrbs est Miletus. ea LXXV. vrbium populum, *& reliqua. Ionas, quorum caput in ora minoris Asiae Miletus est, Athenienses fuisse, notius est quàm vt sit prodendum. Vetus item lectio eum quem signaui vrbium numerum praefert, adstipulante etiam fere Plinio libro historiae naturalis quinto, capite 29.* Miletus, *inquit*, Ioniae caput, super LXXX. vrbium per cuncta maria genitrix. *Strabo quartodecimo, maximam esse multitudinem scribit coloniarum a Mileto profectarum, suppresso eo[illegible] numero.*

d Totum Italiae latus quod inferiori mari alluitur,] *Scribo* infero, *non* inf[illegible]ri, *ex omnibus fere auctoribus & scripta lectione.*

e Alios superfluentis populi frequentia ad exonerandas vires emisit:] *Lege*, alios nimia superfluentis populi frequentia, *&c. ex eadem. Scribendum tamen puto* vrbes, *non* vires.

f Aut frequens terrarum hiatus,] Frequentes, *non* frequens, *eadem.*

g Felicis soli vitia] Infelicis *eadem*, *non* felicis.

h Omnes autem istae populorum transformationes] *Eadem* transportationes *agnoscit*, *non* transformationes.

VII. i Et Euandrum in ripa Tyberis] *Coniunctio* & *tollenda, ex eadem.*

k In Italiam deducit.] *Eadem partim* deduxit *habet*, *partim* detulit.

l Vbicunque vicit Romanus, habitabat.] *Scribe*, Vbicunque vicit Romanus, habitat, *ex eadem.*

m Colonos mutauit.] Cultores mutauit, *eadem.*

VIII. n Conuersatione Graecorum Ligurumque primo desciuit.] *Scribe*, conuersatione Graecorum Ligurumque a patrio desciuit, *ex eadem.*

o Permixta omnia & instituta sunt.] *Scribendum existimo*, permixta omnia & insititia sunt.

p Quòd licet in exilium euntibus virtutes suas ad locum ferre secum ad quem migraturi sunt.] *Lego*, quod licet in exilium euntibus virtutes suas ferre secum. *reliqua redundant, ex vetere lectione.*

IX. q Ab illo spectaculo eius insatiabiles sunt, non obducantur,] *Scribendum ex eadem*, cuius, *non* eius. *& legendum potius* abducantur, *quàm* obducantur.

r Sed intra se circumagentes suum vestigium,] *Quidam codices*, sed intra suum se certum agentes vestigium. *Alij*, sed intra suum se circumagentes vestigium.

s Non auri argentique venae eximuntur,] *Vetus lectio* eruuntur *agnoscit*, *non* eximuntur.

t Ad illa adducendus est,] Abducendus *lego*, *non* adducendus, *ex eadem.*

u Quo latius vicos correxerint,] *Legendum reor*, quo laxius vicos porrexerint, *& paulo post* laxissimum, *non* latissimum.

x Si non id fortiter pateris quae Romuli casam vnsti.] *Scribe*, si ideo id fortiter pateris quia Romuli casam nosti, *ex vetere lectione.*

y Cum prudentia, pietas,] *Eadem*, quum continentia, quum prudentia, pietas.

z Quàm quo R. Po. consulatum rexit] *Scribe*, quàm quo Reip. consulatum, *vt superfluat verbum* rexit, *ex eadem.*

a Quo die illum exulem Brutus relinquere non potuit, nec Caesar videre.] *Particulam* nec *eadem non agnoscit.*

b Non dubitas quin semper ille Marcellus tantus vir,] *Scribendum*, Num dubitas quin se ille Marcellus, *&c. ex eadem.*

c Ita te disciplinis imbuisti,] *In priore editione*, quòd patria carere non est miserum. Ita te disciplinis imbuisti. *Vetus lectio*, Quòd patria cares, non est miserum. Ita te disciplinis imbuisti. *Correctior forte lectio:* Quòd patria cares, non es miser, etenim ita te disciplinis imbuisti.

d Porro hic qui te expulit,] *Scribe*, Quid porro? hic qui te expulit. *ex eadem.*

e Ecce trahit illum Africa] *Legendum*, Ecce trahit illum ad se Africa. *& mox paulo* refouet *scribendum*, *non* resnuit, *ex eadem.*

f Vllo modo virturem habenti?] *Corrige*, Vllam modo virtutem habenti, *ex eadem.*

g Vltra Phasin capere volunt,] Capi, *non* capere, *scribe*, *ex eadem.*

h Omnia vota fastidienti gulae.] Nota *eadem praefert*, *non* vota.

i Illi paupertas etiam aliquid prodest.] *Scribe* quid, *non* aliquid, *ex eadem.*

k Dum non potest illa, nolenti similis est.] *Legendum*, dum non prosunt illa, nolenti similis est, *ex eadem.*

l Sed hic velut caeci transeunt,] *Scribe* haec, *non* hic, *ex eadem.*

X. m Quid manus & aduersus feras & homines armatis?] *Eadem sic praefert*, Quid manus aduersus feras & aduersus homines armatis?

n Maiotes nostri] *Eadem*, scilicet maiores nostri.

o Nondum geminis renitebaot.] *In eadem* nitebant *habetur*, *non* renitebant.

p Si sestertio centies si vixisser,] *Eadem*, si in sestertium centies vixisset.

q Immo putá pecuniae modum ad rem pertinere.] *Sic prior editio. Eadem*, In vno puta pecuniae modum ad rem pertinere, non animi. *Corrigo*, I ounc, & puta pecuniae modum ad tem pertinere, ooo animi.

r Etiam in malis exemplis per se docilem.] *Lego*, etiam sine malis exemplis per se docilem, *ex eadem*. XI.

s Sed si hoc quoque ad vsum] *Verbum* sed *redundat ex eadem. & infra paulo* velamentum, *non* velamen, *agnoscit eadem*.

t Quod necessarium faciebat,] *Legendum puto* sciebat, *non* faciebat.

u Sed desiderat saturatam] *Scribendum reor*, Si desiderat saturatam.

x Non fortunae vitio,] *Scribe*, noo fortunae iste vitio, *ex vetere lectione*.

y Quàm vllus sufficiet humor ad sanandum eum,] Satiandum, *non* sanandum, *eadem habet*.

x Qui continebitur itaque] *Scribendum*, Qui continebit itaque se, *ex eadem*.

a Necessariis rebus exilia sufficiunt:] *Lege*, necessariis rebus & exilia sufficiunt, *ex eadem*.

b Quum quod tantum satis est,] *Scribendum*, quum quantum satis est, *ex eadem*.

c Et nimis corporibus suis abdita] *Lege* addicta, *non* abdita, *ex eadem*.

d Ad leuanda incommoda paupertatis] Eleuanda *eadem*, *non* leuanda. XII.

e Quo animus enrum in pauciora distrahitur.] *Eadem*, quòd animus eorum in pauciora distringitur.

f Et quotienscunque festinantem necessitas itineris exigit,] *Scribe ex eadem*, & quotiens festinationem necessitas itineris exigit. *In exemplari tamen Facundi & Primitiui dictio* itineris *non habetur*.

g Paupertatis vti remediis pudet.] *Scribe* solatiis, *non* remediis, *ex eadem*.

h Miseros vixisse dicet?] Misere, *non* miseros, *eadem*.

I Mercenarium suum decessisse ab eo desertum esse rus.] *Eadem*, mercenarium suum discessisse, & ab eo desertum esse rus.

k Dotem receperunt.] Dotem acceperunt, *eadem*.

l Quid artificiose ista diducis quae singula sustineri possunt. Commentatio, *&c.*] *Verba hoc loco tria deerant, quorum defectus sensum reddebat obscuriorem. Legendum igitur sic*, Quid artificiose ista diducis, quae singula sustineri possunt, collata non possunt, *ex exemplaribus Facundi & Primitiui, ac meo domestico*. XIII.

m Si ignominia ei absit, quae sola opprimere animos solet.] *Corrige*, si ignominia absit quae vel sola opprimere, *&c. ex vetere lectione*.

n Neque enim poterant carceres videri io quibus Socrates erat.] *Legendum*, neque enim poterat carcer videri in quo Socrates erat, *ex eadem*.

o Nemo ab alio contemnitur, nisi a se contemptus est.] *Deest dictio* ante, nisi a se ante cootemptus est, *ex eadem*.

p Noo tanquam in hominem iustum,] *Inuertendae dictiones*, tanquam non in hominem iustum, *ex eadem*.

q Qui faciem eius spueret,] *Scribe*, qui in faciem eius inspueret, *ex eadem*.

r Poterat ob hoc nou moleste ferre quòd sciebat oeminem id ausurum animi purioris] *Verbum* animi *tollendum, ex eadem, & legendum distincte* puri oris.

s Noo magis putes illum cootemni, quàm cum aedium sacrarum] *Scribe*, oon magis illum contemni, quàm aedium sacrarum, *ex eadem*.

r Nam aut istud te monet,] *Lego* illud, *non* istud, *ex eadem*. XIIII.

u Aut illud quod desiderium ipsum per te pati noo potes.] *Ociosum est verbum* illud, *ex nonnullis codicibus, in quibus etiam* per se *habetur, non* per te.

x Quae potentiam liberorum muliebris impotentia exercent.] *Mallem legeres*, quae potentia liberorum muliebrem impoteotiam exercent.

y Tanquam aliis rebus vteretis,] *Scribe* alienis, *non* aliis, *ex vetere lectione*.

x Non potes itaque in erepto filio desiderare] *Deest dictio* ea. *vt sit*, ea desiderare, *ex eadem*.

a Tristem vultum relaxassem,] Tristem vultum relaxaui, *eadem*. XV.

b Adiiciam istis loca ipsa,] Adiicis *eadem*, *non* adiiciam.

c Ante XIII. diem] *Vetus lectio*, ante tredecimum diem. *Correctiora tamen exemplaria veriorem habent lectionem*, ante tertium demum diem. *Sic enim esse scribendum, patet ex verbis sequentibus*: Vltimum certe fructum biduo diutius videndi filium tulisses.

d Beoe nos fortuoa diuiserat.] *Exemplar Facundi & Primitiui* disiunxerat *agnoscit*, *non* diuiserat.

e Si multo antea fugisses,] *Scribe*, Si multo ante abfuisses, *ex eadem*.

f Nec absenti assuefcores.] *Lege* absentiae, *non* absenti, *ex eadem*.

g Ni pene concessum est immo datum in lacrymas ius] Immoderatum *eadem*, *non* immo datum.

h Et nullo nimis inhumana duritia.] *Eradendum verbum* nimis, *ex eadem*.

i Optimum inter pietatem & luctum temperamentum est,] *Lege ex eadem*, Optimum inter pietatem & rationem temperameotum est. XVI.

k Mors finit,] *Eadem*, mors finiuit.

l Non faciem lenociniis aut coloribus pollnisti.] *Eadem*, non faciem coloribus ac lenociniis polluisti.

m Quae ad nihil aliud est exigeoda, quam vt nudam componeret:] *Eadem & breuius, & longe aliter*: quae amplius nudaret quàm compooeret.

n Rutilia Cottam filium secuta est] *Verbum* Cottam *non habetur in eadem*.

o Euodem iam reductum & in republica florentem] *Eadem* reducem, *non* reductum, *agnoscit*.

p Volnmus eum interim obruere,] *Eadem*, volumus interim illum obruere.

q Nam qui delusus voluptatibus & occupationibus abductus est refugit,] *Scribe*, Nam qui aut delu-

ſus voluptatibus, aut occupationibus abductus eſt, reſurgit, *ex eadem.*

r Si quantum tibi] *Eadem*, ſed quantum tibi.

s Nimis maiorum conſuetudini deditus] *Quaedam exemplaria* minus *legunt, non* nimis.

t Sed ad luxuriam coostruunt,] *Vetus lectio alias* obſtruuntur *habet, alias* conſtruuntur. *Forte* inſtruuntur, *aut* inſtituuntur.

u Iacta diſciplinarum] *Eadem*, Iacta ſunt diſciplinarum.

x Nunc ad illas reuertamur,] Nunc ad illas reuertere, *eadem.*

y Et nulli horum patebit pectus tuum.] *Coniunctio & ſuperuacanea eſt, ex eadem.*

z Sed qoia nondum in illum portum qnem ſtudia promittunt, perueneris,] *Lege*, Sed quia dum in illum portum quem tibi ſtudia promittunt, perueneris, *ex eadem.*

a Certabunt vitae officiis:] *Scribo*, certabunt in te officiis, *ex eadem.*

b Quicquid matri dolendum fuerit, io me tranſierit. Floreat reliqua in ſuo ſtatu turba] *Eadem*, Quicquid matri dolendum fuit, in me tranſierit: quicquid a me in me. Floreat, *&c. Legendum reor non* quicquid a me in me, *ſed* quicquid aniae in me.

c Ad tuum formetur arbitrium. multum ſibi dabis,] *Lege ex eadem*, Ad tuum fingatur arbitrium. Multum illi dabis.

d Noo poteſt animum pie dolentem a ſollicitudine auertere, niſi aut ratio, aut boneſta occupatio. numerates inter magna ſolatia, *&c.*] *Eadem*, Non enim animum pie dolentem a ſollicitudine auertit, niſi aut oratio, aut boneſta occupatio. Nomerarem inter magna ſolatia.

e Tu tot quidem nepotes pronepoteſque dando] *ſcribe*, Cui tu quidem tot nepotes pronepoteſque dando, *ex eadem.*

XVII. f Illa quidem affectus tuos ſequitur. Io mea tamen perſona, non tantum pro te dolet. Illius manibus in vrbem prolatus ſum] *Eadem*, Illa quidem affectus tuos ſemper ſequitur. Io mea tamen perſona oon pro te dolet. Illius manibus in vrbem perlatus ſum.

g Aut datae ſalotationis ſuſtinuit audaciam] *Scribe* clarae, *non* datae, *ex eadem.*

h Siue ſeruare habitum illum voles] *Legendum* iſtum, *non* illum, *ex eadem.*

i Primum virum amiſerat auunculum noſtrum, cui virgo nupſerat, in ipſa quidem nauigatiooe] *Scribe ex eadem*, Cariſſimum virum amiſerat auonculom noſtrum, cui virgo nupſerat, in ipſa nauigatiooe.

k Sed ſi huic illi ſimplex annumerandis virtutibus] *Verbum* Sed *ocioſum eſt, ex eadem. in qua etiam* admirandis *habetur, non* anoumerandis. *vt forte legendum ſit*, ad memorandas virtutes.

l Quae oblita etiam imbecillitatis,] *Ocioſa quoque & hic eſt coniunctio* etiam, *ex eadem.*

m Oblita etiam firmiſſimis metuendi maris] *ſcribe inuerſis dictionibus*, Oblita metuendi etiam firmiſſimis maris, *ex eadem.*

n Nobilitatur carminibus hominum] *In eadem* omnium *habetur, non* hominum.

o Qui pari periculo minus redemit.] *Legendum* redimit, *non* redemit, *ex eadem.*

p Nihil a viro petiit,] Auro, *non* a viro, *legit exemplar Scholarum Salmanticenſium. Forte ſcribendum eſt* ab vllo.

q Et hodie ſimilem ſibi quiuis nunquam ſperet] *Corrige*, & hodie ſimilem illi, quamuis nunquam ſperet, *ex exemplari Facundi & Primitiui.*

r Quas circumſcribere potius eſt quàm partem tranſcurrere] *Caſtiga, ex exemplari Facundi & Primitiui*, quas circumſcribere eſt tam parce tranſcurrere.

s Peſtes vicerunt,] *Lege*, & peſtes vicerunt, *ex vetere lectione.*

t Noo quaereret quemadmodum inde exiret,] *Puto ſcribendum mutato verborum ordine*, quaereret, non quemadmodum inde exiret.

u Maous ſaepius ad id decurrere] *Quaedam exemplaria* recurrere *leguat, non* decurrere. *Exemplar Facundi & Primitiui caſtigatius, vt arbitror*, manum ſaepius ad id referre.

x Sui vniuerſi quae naturam] *Scribe*, ſuam vniuerſique naturam, *ex vetere lectione.*

y AEternitatis ſuae memor,] *Scribo*, aeternitatiſque ſuae memor, *ex vetere lectione.*

z Futurumque eſt vadit omnibus ſaeculis.] *Scribendum puto, mutato dictionum ordine*, futurumque eſt omnibus ſaeculis, vadit.

FERNANDI PINCIANI CASTIGATIONES

IN I. LIBRVM NATVRALIVM

QVAESTIONVM.

PRAEFATIO. a Altera multo ſupra hanc caliginem in qua volutamur, excedit.] *Vetus lectio fidelior & breuior*, Altera caliginem in qua volutamur, excedit.

b Non fuerat operaepretium naſci.] *Eadem*, Non fuerat naſci. *qua loquendi conſuetudine & ipſe alibi Seneca vtitur, & alij ſubinde auctores.*

c Cui vni omnes naſcimur?] *Verbum* vni *in eadem non habetur. & mox paulo pro* ſe erexerit, ſurrexerit *agnoſcit. quod non minus placet.*

d Qui robuſtior eſt valitudinario.] *Video ſenſum poſſe conſtare etiam ſi ſic legatur. Sed omnis ſcripta lectio habet*, Qui robuſtior eſt in valitudinario. *Appellatur valitudinarium Senecae, locus vbi aegroti curantur: vt lib. Epiſtolarum 3.* Non ſum tam improbus, vt curationes aeger obeam: ſed tanquam in eodem valitudinario iaceam de communi malo tecum loquor.

e Virtus

e Virtus enim ista quam affectamus magnifica est.] *Verbum ista superfluit, ex eadem.*

f Isthmus Samothracas includat:] *Scribendum forte*, Isthmus suus Thraces includat, *vt intelligat de Isthmo Thracicae Chersonesi. Aut certe*, Strimo suus Thraces includat. *Terminus enim Strymo fluuius inter Macedoniam & Thraciam Ptolemaeo, & reliquis.*

g Vtrinque Oceanus occurrit.] *Legendum puto*, Vndecunque Oceanus incurrit. *Nam omnis scripta lectio* incurrit *praefert*, *non* occurrit.

h Nec vt alienis. Sed interest vt suis.] *Inuertendus dictionum ordo*, nec vt alienis interest, sed vt suis.

i Sed inter se pugnauit.] *Lege*, Sed intra se pugnauit, *ex vetere lectione. & mox paulo* speculis, *non* spectaculis, *habet eadem.* CAP. I.

k Sic quanto illas minus presseris, tanto leuiora fulmina emittunt.] *Redundant haec verba ex eadem.*

l Varia & multa terrarum orbis expirat,] *Corrigendum arbitror*, Varia & multa terrae corpuscula expirant, *quoniam subijcit*: Necesse est ergo in magna copia corpusculorum quae terrae eiectant.

m Nec mirum est, si terris omnis generis & varia euaporatio est:] *Scribendum* terrae, *non* terris, *ex vetere lectione. & melius forte legeretur* omnigena, *quàm* omnis generis.

n Talem materiam inter nubes coogregatam] Intra *legendum*, *non* inter, *ex eadem.*

o In multos orbes aquam descendere,] *Correctius, vt opinor, legeretur* recedere, *quàm* descendere. *Vt paulo post*, recedere illum in circulos cogit. II.

p Et fieri primum angustissimum orbem,] *Verbum* fieri *in vetere lectione non habetur.*

q Quamuis cingere ea & coronare videatur.] Cingere & coronare *idem esse videtur. Proinde veriorem lectionem duco* tangere *quàm* cingere. *Quam comprobat tum veterum exemplarium fides, tum ipse auctor subdens paulo post*, quam visus noster solita imbecillitate deceptus circa ipsum Sydus putat positam.

r Oh aeris densi obscuritatem:] *Sunt exemplaria in quibus legitur*, oh aeris densitatem.

s Si autem à septentrione discesserit,] *Corrigendum reor*, Si enim a septentrione discesserit.

t Inter eam partem coeli has fieri coronas, inter quam venti fieri solent.] *Scribendum puto vtrobique* intrá, *non* inter, *consueta apud Senecam menda.*

u Nisi cum aër erit densus,] *Vetus lectio*, nisi cum parebit densus, *pro* apparebit. *Qua dictione & interpres Euangeliorum in euangelio Marci vsus est, & Martialis poeta, & in orationibus Cicero: si modo fidelia sunt Romanae impressionis exemplaria.*

x Et hoc in aëre euenit,] *Eadem*, illud ergo in aëre euenit.

y Cum ad vnam partem cesseriot,] *Scribendum puto*, Cum ab vna parte cesserint.

z Et interdiu raro:] *Superuacanea est coniunctio* &, *ex vetere lectione.*

a At contra arcus in nocte non fit.] E contra *in eadem habetur*, *non* At contra. III.

b Illam mirabilem arcus varietatem.] *Eadem*, illam mirabilem arcus repraesentationem. *Quam lectionem asserunt veram verba quae sequuntur*, quae sparsa contra Solem oblique positum faciem arcus repraesentat.

c Vestimenta tendiculis diducta] *In eadem non* tendiculis *habetur*, *sed* credideris. *Legendum arbitror* craticulis, *siue* clatriculis.

d In humore esse non dubitaueris.] Arcu *omnis vetus lectio*, *non* humore. *Sed non placet.*

e Quàm exiguus sit humor aut lacus.] *Inuerte verba*, quàm exiguus sit lacus aut humor, *ex vetere lectione.*

f In aliis rebus vaga inquisitio est.] Vana, *non* vaga.

g Repetemus alias probationes quae de Platone legi possunt.] *Eadem non* Platone *agnoscit*, *sed* Paulo. IIII.
lego speculo. *vt ex his quae e vestigio sequuntur, apparet. &* legi *capitur hic pro* colligi.

h Nihil autem tam cito redditur a speculo quàm imago.] *Legendum puta permutato ordine dictionum*, nihil autem tam cito redditur, quàm a speculo imago. (nube vt speculo redditur.

i Sed quomodo imago similis debet e speculo reddi.] *Scribendum opinor*, Sed quomodo imago Solis de V.

k Arcus longior ampliorque est,] *Lege*, Arcus enim longior, *&c. ex vetere lectione. & paulo post* diuersis

l Ergo arcus vno circumscriptus ductu:] *Verbum* Ergo *superfluit.* (*agnoscit*, *non* diuersus.

m Cutem suam variant humore diffuso,] *Corrige*, cutem suam variant humore suffusam, *ex eadem.*

n Modo, inquis, inter argumenta ponebas.] Inquit, *non* inquis, *eadem.*

o Talem effici indicant visum, hic respondent.] *Verbum* talem *superuacaneum est*, *ex eadem.*

p Neque enim omnia aduersus specula respondent.] *Castigandum reor*, Neque enim omnia ad verum specula respondent, *vt infra, hoc ipso libro*: si liceret mihi, ad verum ista perducerem.

q Rotabit & leniter impluet.] *Vetus lectio*, tonabit, & leuiter impluet. VI.

r Est iam apparet eius natura,] *Verbum* est *desideratur in eadem.*

a Vnum tamen hoc soluendum est,] *Vide an legendum sit*, Vnum tantum hoc soluendum est. VII.

t Nec aliquanto plane tumentes.] *Vetus lectio*, Nec aliquando plane extumentes. VIII.

n Sed imaginem eius figuramque] *Eadem*. Sed magnitudinem eius figuramque. XI.

x Aut illum tanto maiorem,] *Scribe*, Vt illum tanto maiorem, *ex eadem.* XII.

y Ob hoc omnia quae huius sunt simulachra,] *Eadem*, Ob hoc omnia quae huiusmodi sunt simulachra. XIII.

z Vt aër vim igneam in aethera elidat,] *Scribendum*, Vt aër vim igneam vsque in aethera elidat, *ex ead.* XV.

a Ab his tecta videmus icta sine fulmine,] *Postrema duo verba*, sine fulmine, *desiderantur in eadem.*

h Brachij mensuram & longitudinem & crassitudinem excederet.] *Mallem scriberes*, brachij mensuram XVI.
& longitudine & crassitudine excederet. *Quanquam verba illa*, & crassitudinem, *non habentur in vet. lect.*

c Aduersus omnes admissarij sui motus] *Scribendum reor* auersus, *non* aduersus.

d Insatiabile malum] *Vetus lectio*, insanabile malum.

e Foeda dictu sunt quae portentum illud ore suo lacerandum dixerit feceritque,] *Possit quidem defendi haec lectio. nihilominus existimo inuersa esse verba, legendumque*, quae portentum illud lacerandum ore suo dixerit feceritque: *quia videlicet sequitur*, non in os tantum, sed in oculos suos ingereret. (les, *non* hercules.

f Ab omni parte opponerentur,] *Castiga*, ab omni parte apponerentur, *ex eadem. & paulo post* mehercu-

g Nec quantum peccabat, videre contentus,] *Argutior lectia, & magis acumen Senecae referens, est lectio codicis diuae Mariae*: nec quantum videbat peccare contentus. *Cui suffragantur verba non multo post sequentia*, Obscoenitas mea plus quàm capit videat.

h Cum complexus erat, & caput merserat, genibusque alienis obhaeserat.] *Vetus lectio*, cum complexus erat, clunibusque alienis obhaeserat. *Caetera ociosa sunt. Exemplar Pincianum non* clunibus *habet, sed* diuinibus. *Vt forte legendum sit* inguinibus. *nam de obscoenitate oris serma est.*

i Obscoenitatem suum spectaculum feceras,] *Scribe* suam, *non* suum, *ex eadem.*

k Facinus indignum: hic fortasse cito, & antequam haec videret, occisus est. Ad speculum suum immolandus fuit.] *Castigandum rear*, Facinus indignum: hic foret cito, & antequam haec videret occisus. Post ad speculum suum immolandus fuit.

XVII. l Nisi in aliquo nobis humore leuior & aspici facilior occurreret] *Legendum puto*, nisi in aliquo nobis humore laeuiorve aspici facilior occurreret.

m. Nisi liberius humi solis lunaeque imagines videremus.] *Emendandum arbitror*, nisi laeuore huiusmodi solis lunaeque imagines videremus. *Nam & vetusta quaepiam exemplaria* huiusmodi *praeferũt, nõ* humi.

n Multi ex hoc consecuti primo sui notitiam.] *Scribe*, Multa ex hoc consecuta. Primo sui notitia, *ex vetere lectione.*

o Nondum in vitium beneficium detorquebat,] Nondum in vitia blanditias detorquebat.

p Saepius ea despexere, in quibus prius effigies suas viderant.] *Scribendum putamus, mutato verborum ordine*, ea despexere, in quibus prius effigies suas saepe viderant.

q Et mox proprio huic ministerio praeparatus est orbis.] Et mos fuit proprio praeparatus est orbis: *eadem. Legendum forte*, & mox vsui proprio praeparatus est orbis.

r Patientiae luxuria,] *Scribe*, potiente luxuria, *ex eadem.*

s Non illa quae publice dabatur, sed imperatorum pauperum liberis.] *Verbum* sed *non habetur in antiquis codicibus, in quibus* filiabus *legitur, non* liberis. *Ego vero etiam negationem* non *redundare existimo.*

t Quam dedit pro se Scipio.] *Emendandum forte*, quam dedit Pop. Rom. filiae Scipionis. *Cuius historiae meminit Valerius Maximus lib. 4. cap. de paupertate.*

IN LIBRVM II. NATVRALIVM QVAESTIONVM.

CAP. I. a Non ibi spectandus est: cogitetur in ea sede in qua illum natura disposuit.] *Nulla scripta lectio habet*, cogitetur, *sed* cogitur. *Itaque legendum puta*, non ibi spectandus est, quo agitur ab ea sede, in qua illum natura disposuit.

II. b Continuatio est partium inter se non intermissa coniunctio. Vnitas est sine commissura continuatio, & duorum inter se coniunctorum corporum tactus.] *Si hanc lectionem admittimus, necesse est, vt continuatio & vnitas sint idem, inter quas Seneca discrimen assignat. Ego puto ordinem verbarum inuersum esse, & restituendum ad hunc modum*: Continuatio est partium inter se non intermissa coniunctio, & duorum inter se coniunctorum corporum tactus. *Videntur confirmare hanc lectionem verba quae aliquanto post sequuntur.* Aer continuus terrae est.

c Vnita corpora:] *Vetus lectio*, vnica corpora, *non* vnita corpora.

III. d Omnia quae in notitiam nostram cadũt vel cadere possunt.] *Vltimae tres dictiones*, vel cadere possunt, *ociosae sunt.*

e Ex his quaedam eius sunt partes.] *Dictio* eius *non habetur in eadem.*

f Nerui & oculus :] Nerui & oculi, *eadem.*

g Succus recentis cibi,] *Castiga*, succus retenti cibi, *ex eadem.*

IIII. h Quicquid alicuius naturae pars est.] *Codices quidam*, quicquid alterius naturae est. *Alij*, quicquid alterius naturae est pars.

V. i Vt aeque interroges,] *Scribendum reor*, aut aeque interroges. *& aliquanta post* natura, *non* naturam, *scribendum ex eadem.*

VI. k Hic facit vim & velocitatem neruis currentibus.] *Emendandum puto per transpositionem dictionum*, Hic facit vim neruis & velocitatem currentibus.

l In momenta dissoluant:] *Legendum reor*, monumenta dissoluant. *Vt illud Iuuenalis*,

— Ad quae
Discutienda valent sterilis mala robora fici.

m Et contra quam nihil validius est?] *Scribe*, Et contra quam nil validum est, *ex vetere lectione.*

IX. n Per omnia ista prohibetur nobis esse peruius.] *Castigandum reor*, permeat ista. Prohibetur nobis esse peruius.

o Et media non circumscindit tamen & vtrinque cingit.] *Emendatior lectio*, & media non circumscindit tantum, sed vtrinque cingit.

XI. p Causas autem illius mutationis & inconstantiae.] *Duo postrema verba*, & inconstantiae, *desiderantur in vetere lectione.*

q Lunae proximum ius est.] *Scribendum forte*, Lunae proxima vis est. *Nam in eadem* vis *legitur, non* ius.

XII. r Et tonatio sine ictu:] Commotio, *non* tonatio, *eadem.*

s Conuenit illis, omnia ista in nubibus & e nubibus: etiam nunc conuenit & fulgurationes & fulminationes, aut igneas esse, aut ignei spiritus. At illa transeamus, in quibus lis est. Quidam putant ignem esse in nubibus, quidam ad tempus fieri: nec prius esse, quàm mitti.] *Eadem*, Conuenit illis, omnia ista in nubibus quidem fieri: nec prius esse, quàm mitti. *Reliqua superuacanea sunt.*

t Quidam

t Quidam autem radios solis intercurrentis recurrentisque saepius in se relatos,] *Eadem*, Quidam autem radios solis, iotercurrentesque saepius in se relatos.

u Deinde vbi latius ferit nubes proximas,] *Castigandum puto*, Deinde vt latus ferit nubis proximae.

x Et ille spiritus habens aliquid humidi secum,] *Vetus lectio*, Et illic spiritus habens aliquid humidi secum. *Corrige*, vt illic spiritus, *&c.*

y Anaximandrus ait,] *Eadem*, Anaxandrus oit. XIX.

z Quae ipse antecedit & nuociat :] *Vltima duo verba*, & nunciat, *desiderantor in codicibus antiquis.* XX.

a Horum transitu trita vita exanimata] *Verbum* trita *superfluit*, *ex eadem.* XXII.

b Aut falsum est quod deinde dixisti ?] *Scribendum puto*, Aut falsum est quod de igoe dixistis. XXIIII.

c Sicut oqnae natura defertur :] Aqua, *non* aquae, *vetus lectio.*

d In his igoibus accidit,] *Lege ex eadem*, Id his ignibus accidit.

e Vbi est aliquid quod eum ferat,] *Eadem*, Vbi est aliquid quod enm feriat.

f Nam demum prodebat ignem,] *Legendum forte*, interdum prodebat ignem. XXVI.

g Quotiens ardor inferius iacentis] *Et sensus poscit*, *& vetus lectio confirmat*, *vt* iacens *legatur*, *& noo* iacentis.

h Quas spiritus antequam verteretur,] *Scribendum puto* verterentur, *scilicet io pumicem : qoia sequitur*, & in laeuitatem pumicis versae. *Posset legi* vreretur. *nam subdit etiam*, partim exesae.

i Per qnam diruptis aquis ignis emersit] *Vetus lectio* direptis *praefert*, *noo* diruptis. *Existimo emendandum* dirempris.

k Num aliquando etiam appareotibns stellis] *Lege*, Noo aliquando etiam, *&c.*

l Vt nubes summae & humiles] *Considera an placeat legi* sudae, *non* summae.

m Parte sincera puraque coeli visatur,] *Deest praepositio* in : *vt sit*, in parte sincera, *&c. ex vetere lectione.*

n Cum spiritum inter se clausere nubes,] *Scribe*, Cum spiritum intra se clausere nubes, *ex eadem.* XXVII.

o Quidam viui stupent,] *Eadem* hum: *agnoscit*, *oon* viui.

p Item tympana & cymbala sonant :] *Legendum reor* ita, *non* item. XXIX.

q Repugnantem ex vlteriore parte aerem] *Scribendum puto* interiore, *noo* vlteriore.

r Haec ad ipsum aerem acta,] *Vetus lectio*, Haec id ipsum aera acta. *Legendum forte*, Haec etsi aerea icta.

s Licet quòd & hominum] *Verbum* licet *per minorem scribendum litteram*, *& cum superioribus legendum.* XXXI.

t Contra fulmina hastulae surgunt.] *Legendum* assulae, *non* hastulae.

u Quod ooo motu & occursu suo praedicet aliquid.] *Aliter eadem*, quod nō motum & occursum praedicat aliquid. XXXII.

x Tot milia syderum] *Lege*, tot milia illa syderum, *ex eadem.*

y Sed vtra vim attulit.] *Prior editio*, sed vtra res visa est tulit. *Corrigendum puto*, sed vtra res fidem tulit. *vt mox paulo*, fulminis ictus priora deleuit, & ad se fidem traxit. XXXIIII.

z Sed iudicandum, an in igne idem valet flamma, quod fumus.] *Verba*, *nisi fallor*, *& vitiata & transposita. Scribendum arbitror*, Sed ad indicandum ignem idem valet flamma, quod fumus.

a Sed hoc dicnnt,] *Legendum*, *vt puto*, si hoc dicuot. *Vel* sed si hoc dicunt.

b Aut certe mious paratum esse.] *Forte* pacatum, *non* paratum, *scribendum est.* XLII.

c Vt supra nos aliquid timeremus.] *Legendum* timerent, *oon* timeremus, *ex vetere lectione.*

d Posuere super caput iudicem,] *Legendum* vindicem, *non* iudicem, *ex eadem.*

e Quibus aduersus peccata hominum fulminandum est,] *Emenda*, quibns aduersus peccata comminandum, *ex eadem.* XLIIII.

f Ne hoc quidem crediderunt. Iouem esse, qualem in Capitolio & in caeteris aedibus videmus mittere manu fulmina.] *Scribe ex eadem*, Nec hoc qnidem crediderunt, Iouem quidem qualem in Capitolio, *&c.* XLV.

g Aperte stringam :] *Expende an sit commodior lectio* perstringam, *quàm* aperte stringam. XLIX.

h Hunc venire cum magno inuitantium periculo affirmat.] *Vetus lectio*, Sed si irascente domino inuitant, tunc venire cum magno inuitantium periculo affirmant.

i Ex ipso genere iniuriae intelligis,] *Scribe*, ex ipso intelligis, *reliqua superfluont*, *ex eadem.* LII.

k Interiores libros interioris arboris] *Scribendum ex eadem*, interiores libros io parte interioris arboris, *ex eadem.*

l Quare illud accidit quaerenti mihi.] Id *legendum*, *non* illud, *ex eadem.* LIII.

m A philosophia artium parente fluxerunt.] *Verbum* parente *non habetur in eadem.*

n Et quod in fulminis inspectione longe melius est,] *Suspicor praepositionem* in *reduodare : & mox ante* flexere, *hoc est desciuere*, *legendum esse*, *noo* fluxere.

o E terra terrenisque omnibus pars humida efflatur, pars sicca & fumida remanet.] *Verbum* remanet *delendum esse existimo. Alias quo pacto tolerari posset quod statim subtexitur*, Quicquid in aera sicci fumosique peruenit : *& aliquanto post*, Ergo vbi calidi fumidique natura emissa terris in nubes incidit. LIIII.

p Fit is quem desiderat ictus] Desideras *habetur in vetere lectione*, *non* desiderat. LV.

q Sic enim per noctem splendorem motu remorum videri.] *Verbum* motu *superfloit*, *ex eadem.*

r Hic qnod fit in aere, erumpit.] *Scribe*, Hic qui fit in aere, erumpit, *ex eadem.*

s Hoc antiqui fulgetra dicebāt:] *Lege* Haec, *non* hoc: *& paulo ante* resurgentē, *non* insurgentē, *ex vet. lect.* LVI.

t Etiamnom illo verbo vtebantur antiqui correpto, quo nos producta vna syllaba vtimur] *Corrigendum existimo*, Etiamnum illo verbo vtebantur antiqui correpta qua oos producta media syllaba vtimur. *Liquet ratio huius castigationis ex sequentibus.*

u Vbi in ignē extenuatis oubibus] *Rectiorē existimo lectionē*, extenuatus q̄ extenuatis: *vt referatur ad aerem*, *qui motu & collisione nubium extenuatus vertatur in ignem. Videntur hoc probare ea quae sequuntur.* LVII.

x At vbi fulgura illa plus habuere materiae,] *Dictio* illa *superfluit in vetere lectione.*

y Quidam vtique existimant fulmen reuerti, quidā subsidere,] *Eadem habet non* quidam subsidere, *sed a* LVIII.

qoodam subsidere, *vt forte legi possit*, ac qondam modn subsidere.

LIX. z Talia vera fortitudine disponuntur.] *Vetus lectio*, talia varia fortitudine disponuntur. *Corrigendam puto*, Alia varie a fortuna disponuotur.

a Quàm ex virtute corrigimur.] Corrigimt, *non* corrigimur, *eadem*.

b Si tu tunc quidem qui spiras,] *Emendandum existimo*, Si oe tunc cum expiras.

c Si pauescis ad coeli fragorem nubiumve trepidas,] *Quaedam exemplaria*, Sed pauescis ad coeli fragorem, & ad inane trepidas. *Alia*, Sed pauescis ad coeli fragnrem, & ad inaoe oubium trepidas. *Legendum fortasse*, ignem oubium, *non* inane nnbium. *Quid si coniunctio* ve, *quae tibi superfluit, paulo post necessaria est, legendumque*: Quoóesve aliqoid effulsit.

d De tanta morte perdeodum.] *Codices veteres* perditum *legunt*, *non* perdendum. *Commodior fortè lectio erit* poenitendum.

e Casus iste demet metum.] *Corrigendum reor*, Castus istum demet metum.

f Et inter caetera quoque] *Melius*, Est inter caetera quoque.

IN LIBRVM III. NATVRALIVM QVAXSTIONVM.

PRAEFATIO. a Et damna aetatis male exemptae] *Scribendum puto* exactae, *non* exemptae.

b Occupatiooes patrimooij recidantur:] *Elegantius in antiquis exemplaribus* praecidantur, *quàm* recidantur.

c Lõge a dominio iacẽtis causa soluatur, sibi totus animus vacet.] *Locus corruptissimus, & OEdipo interprete indigens. Vetus lectio*, Longe a domioin, longe iacentis causa soluat sibi totus. *Scribetur forte minus corrupte hoc pacto*: Lnnge ambitin, longe iactantia. Curis soluatur. Sibi tntus. *&c.*

d Infractis rebus etiam post Carthaginem] *Scribe*, fractisque rebus etiam post Carthaginem, *ex vetere lectione*.

e Si scisses nmnia ex decretn Dei fieri.] *Verbum* omoia *eradendum, ex eadem*.

CAP. I. f Elysius Siculis de footibus exilit amnis.] *Sic omnia praeferunt exemplaria. Sed legendum arbitror* Eleus, *non* Elysius: *vt de Alpheo Elidis fluuio accipias, emergente in Arethusa fonte Siciliae*.

II. g Quaedam haustae foecunditatem afferunt.] Auferunt *lege*, *non* afferunt, *ex eadem*.

III. h In quem mnntis circumuecti flouij deriuantur.] *Legendum* circumiecti, *non* circumuecti, *ex eadem*.

IIII. i Ac subiode sic suppleat?] *Dictio* sic *expungenda, ex eadem*.

V. k Colaturque transitu mare:] *Scribe*, colaturque in transitu mare, *ex eadem*.

VI. l Quòd paucissima flumina sunt] *Verbum* flumina *supervacaneum est, ex eadem. praecessit enim paulo ante, vt minime necessaria fuerit repetitio*.

VII. m Aut vbi coocipi,] *Commodior forsitan lectio*, haod vbi concipi.

X. n Com videris quanta sunt, & rursus ex quanto prodeant, aspice. Rursus miraris, cum labantur assidue.] *Vetus lectio*, Cum videris ex quantn prodeaot, aspice rursus quanta sint. Miraris, *&c.*

n Sed per dies ooctesque aequaliter fiat:] *Sic prior editio. Scribe* flat, *non* fiat, *ex eadem*.

XI. p Diruta vrbe:] *Sic antiqua exemplaria, sed mallem* direpta *legeres, quàm* diruta. *Plinius libro 31. cap. 4.* Proditur certe in Creta expugnato oppido, quod vocabatur Arcadia, cessasse fontes amnesque.

q Magnis acta nauigiis] *Legendum arbitror* apta, *non* acta.

XII. r Cum ad veram omoium nriginem accesseris.] Amnium *legendum*, *non* omnium.

s Et ipsa quarta pars mundi,] Ipse *legendum*, *non* ipsa, *ex vetere lectione*.

XV. t Mndo per se viribus recollectis,] *In eadem* collectis *habetur*, *non* recollectis.

o Si spissetur,] Vt spissetur, *eadem*.

x Grauioremque quàm vt manere in natura possit, gignat bumorem.] *Verba corruptissima, & sic aut restituenda, aut in meliorem statum forte redigenda*: Crassioremque quàm vt manare in maria possit, gignat bumorem.

y Et ex magnis causis.] *Legendum reor*, At ex magnis caosis. *& mox statim* excidunt *potius quàm* excedũt, *ex exemplari Pinciano*.

XVI. x Vt talpae & subterranei vermes,] *Vetus lectio*, vt talpae & subterranei mures. *& quidem, vt sentio, rectius: sunt enim & aquatiles mures. Plinius lib. 2. cap. 106. In eo vt in Arcadiae Stimphali enascuntur aquatiles musculi*.

XVII. a Expecta vt aliquis in mari versetur.] Expectn *eadem, non* expactn. *&* venetur, *vt sentio potius quàm* versetur, *legendum*.

b Hi sunt qui fabulas putant] *Aptiorem lectionem duco*, Et sunt qui fabnlas putant.

c Nec cnenae causa occisum esse super coenam, cum multum in delicius fuit.] *Legendum arbitror per transpositionem verborum sic*, oec cnenae causa occisum esse. sed post coenam multum cum in deliciis fuit.

XVIII. d Et in caeteras facies inter vitam & mortem cnloris est.] *Scribendum reor*, & incerta facies inter vitam & mnrtem cnloris est.

e Vagatio longa, somniculosae inertisque luxuriae.] *Scribe* vacatio, *non* vagatio, *ex vetere lectione, quam corroborant, quae deinceps sequuntur*.

f Qui coctum piscem, qui exanimem in ipso ferculo etiam experirentur. Mirabamur tantum in illis esse fastidium,] *Scribe per maiorem, & cum nota interrogationis, vt sint verba diuitis luxuriosi*: Quo coctum piscem? Quo exanimem? In ipso ferculo expiret. Mirabamur tantum in illis esse fastidium. *ex vetere lectione, in qua verbum* etiam *non habetur*.

g Qui non hodie eductus, bodie occisus est.] *Putamus negationem aduentitiam esse adiectam ab aliquo qui sensum non percipiebat*.

h Vbi multum diuque laudatus] *Scribe per maiorem*, Vbi moltum diuqoe laudatus eſt, *ex vetere lectione.*

i Fertilem foedo ſi tu piſcium.] *Eadem* fnednrum, *non* fnedn *agnoſcit.* XIX.

k In Caria circa Idimum] *In eadem non* Idimum *habetur, ſed* Hyduiom : *vt forte corrigendum ſit* Hydiſſum *ex Stephano : cui ita vocatur Cariae vrbs, ſic appellata ab Hydiſſo filio Bellerophontis. Aſtipulante etiam Plinio libro 5. cap. 29.*

l Magis amoibus aeternam eſſe materiam,] *Lego* magnis, *non* magis, *ex eadem.*

m Quem oon falli credebant, In qoibos balnearia ſine igne caleſiunt.] *Sic prior editio. Vetus lectio,* quem noo falli credebant ij quibus balnearia, *&c. &* credent *aptior forte lectio quàm* credebant. XXIIII.

o Et ad Peoenion eundem gregem appellant.] *Coniunctio & ſupernacanea eſt. Legendumque* Peneum, *non* Penenioo. *Plinius libro 2. cap. 103.* In Bneotia amnis Melas oues nigras, Cephiſus eodē lacu profluens albas: Rnrſus nigras peneus. *etſi in Plinio corrupte* penitus *habeatur pro* peneus. XXV.

o Et ipſius inſulae materia vectibilis] *Eadem* vectabilis *praefert, non* vectibilis. *& mox paulo* lacu, *non* lacos, *legendum.*

p Er reuerberatur fluctu, amnis reſtitit.] *Scribendum duco*, & reuerberatn fluctu amnis reſtitit. XXVI.

q Itaque qood impendere ſolebant, id incremento accidit.] *Fidelior vetus lectio,* Itaque quod impendio ſolebat, id incrementn aceedit.

r Fimn quiddam ſimile turbulentum mare profert,] *Legendum puto*, fimum quendam ſimilem purgamentis mare profert. *aut ſic*, fimn quaedam ſimilia purgamenta mare profert. *Plinius libro 2. cap. 98. ex emendata impreſſione :* Omnia plenilunio maria porgantur, quaedam & ſtato tempore. Circa Meſſanam & Mylas fimo ſimilia exſpuuntur in littus purgamenta.

s Et quaecunque in his arduis arbot commiſſura aſtricta lapidum ſtetit. Labant ac madent tecta,] *Caſtigatius legetur, quantum conjectura aſſequi poſſum, ſic.* & quaecunque in arduis arbot commiſſura aſtricta lapidum ſtetit, labaſcit. Madent tecta XXVII.

t Fruſtra titubantium fultura tentatur.] *Vetus lectio*, fruſtra titubantium fulcra tentantur.

u Ferens ſecum madefacta mnntium latera,] Labefacta *magis arridet quàm* madefacta.

x Quae fundamentis laborantibus adeſſe receſſerunt.] *Sic prior editio. Vetus lectio,* quae fundamentis laborantibus ad conteceſſeruot. *Putamus per transpoſitionem ſyllabarum locum depranatum fuiſſe, reſtituendumque ſic,* quae fundamentis labnrantibus adeſa enrruerunt. *Poſſet etiam legi* ambeſa, *non* adeſa, *vt infra notabimus: & in ſequentibus exemplaria quaedam* laci, *non* lacus *legunt,*

y Ingens aeqnor inunluunt, *Eadem* vnluunt *agnoſcit, non* inuoluunt. XXVIII.

z Nec a littnre vbi inferius eſt, ſed a medin vbi ille cumulus eſt. Defluit ergo vbi Snl & aeſtus aequinoxialis ſub ipſum Lunae Snliſque coitum omnibus aliis mainr vndaoere. Sed hic qui ad occupandas terras emittitur.] *Magis in diſpunctionem huius periodi peccatum eſt, quàm in verborum depranationem. Vtrique errori ſic medendum eſſe arbitramur,* Nec a littore vbi inferius eſt, ſed a medio vbi ille cumulus eſt, defluit. Ergn vti ſnlet aeſtus aequinnctialis ſub ipſum ſolis Lunaeque coitum nmnibus aliis mainr vndare, ſic hic qoi ad ncupandas terras emittitur. *Nam & vetus lectio*, Solis Lunaeque coitum *agnoſcit, non contrario ordine*, Lonae Snliſqne enitum.

a Ar ipſo tempore ſolutus legibus] *Scribendum ex eadem* illo, *non* ipſo.

b Sic in nos ſemper mare emittitur deſuper, vt feruor ignisque cum aliod genus exitij placuit] *Dictio* ſemper, *& particula inclinatiua* qne, *non leguntur in antiquis exemplaribus, in quibus* ſicut *habetur, non* ſic. *Vt putem in totum ſcribendum hoc pacto :* Sie aur in nns mare emittitur deſuper, ant ferunr ignis, cum illud genus exitij placuit. *Quid ſi praepoſtere locatis dictionibus legas ?* aut deſuper ferunt ignis.

c Et adeo quidem affirmat,] *Coniunctio & ſuperuacanea eſt, ex vetere lectione. Quapropter legendam puto*, Adeoque id affirmat. *Nam & in eadem per maiorem litteram ſcriptum eſt verbum* Adeo. XXIX.

d Iode aura tacita manabunt] Tacta, *non* tacita, *eadem praefert.*

e Ambracij & Cretici ſinus,] *Scribendum reor*, Ambracij & Cnrinthiaci ſinus.

f Statim vndique ex apertn & abdito ſuperne ab infimn aqnarum fiet irruptio.] *Tenebroſus locus inuerſione iuxta ac corruptione verborum. Vetus lectio* eruptio *habet, non* irruptin. *Ergo legendum in vniuerſum ſic cenſeo:* Statim vndiqoe ex aperto ſuperne, ex abditn ab imo aquarum fiet eruptin. *Et aliquanto ſuperius* exhaurit *eadem habet, non* exoluit. XXX.

g Iterum aquas terra ſorbebit, terram pelagus ſtare aut intra terminos ſuos furere coget :] *Corrigendum cenſeo*, Iterum aquas terra ſorbebit. Iterum pelagus ſtare, *&c.*

IN LIBRVM IIII. NATVRALIVM QVAESTIONVM.

a Turbam rerum hominumque deſiderant] *Scribe* deſidereot, *non* deſiderant, *ex vetere lectione.* PRAEFATIO.

b Si modo amnre oſtri, mndo taedin laboramus !] *Puto expungendam eſſe coniunctionem* ſi, *etſi a vetuſtis exemplaribus agnoſcatur,*

c Cum omnia caueris, per ornamenta fiet.] *Vetus lectio,* Cum nmnia caoeris, per munimeota fetiet. *Quid ſi legas ?* veramenta, *non* munimenta.

d Futuros multos in perſona tua Plancos cogita] *Scribe,* Futuros multos in perſonam tuam Plancos cogita, *ex eadem.*

e Adulatinni opos uon claudere nſtium] *Eadem*, adulatiooibus non clandere oſtium.

f Hominem quidem noo eſſe vllum liberaliorem, non mentiar,] *Legendum reor,* Hnminem quidem oon eſſe vllum liberaliorem mentiar.

g Solebam tibi dicere,] *Scribendum puto*, Solebas mihi dicere. *Nam sequitur aliquanto post*, Nolo tamen tibi displiceas, quasi male egeris.

h Talia vitia noo oosse, hoc eum odisse.] *Puto corrigendum*, alia vitia ooo oosse, *& c.*

i Ingenium suspicere coepisti,] *Scribendum per maiorem*, Ingenium: *vt sit initium narrationis, qua monstrat quomodo se erga adulatores Gallio gesserit.*

k Quod consectari mallet, qoàm cooteri:] Malles *libentius legerim*, *quàm* mallet: *&* conseruari, *quàm* consecrari.

l Prima statim verba praescidit. Coepisti mirari comitatem & compositam suauitatem:] *Eadem*, Prima statim verba praecidit. Coepisti mirari comitatem & incompositam suauitatē. *recte. nam sequitur:* Cum interim tanta oaturalis bonitas est, vti artem simulationemque ooo redoleat.

m Gratuitum etiam in obuios meritum.] *Probarem magis, vt scriberetur* omoes, *quàm* obuios. *quia subdit statim*, quàm hic omnibus, *& item* bonitatem publicam.

n Vis tu ista verba quae iam ab alio magistratu ad alium cum lictoribus transeant, ferre ad aliquem qui paria facturus vult quicquid dixeris audire.] *Scribo* I tu, *non* vis tu. *&* ferto, *non* ferre, *ex vetere lectione. Nam & nonnulla ex exemplaribus* ferte *habent*, *non* ferre.

o Ostendi in omne pectus eandem cadere virtutem:] *Verbum* eandem *superfluum est, ex vetere lectione.*

p Salua bona conscientia] *Et hic quoque dictio* bona *redundat, ex eadem.*

q Et ex vultu audientis pēdentia. Longe te ab ista prouincia abducam.] *Existimo corrigendum*, & ex vultu audientis pendentem looge te ab ista prouincia abducam.

r Altamque Pompeij fortunam erexit, Caesaris fatigauit, Lepidi transtulit, omniumqoe coepit, quae illi ingenti spectaculo interfuit: ex quo liquere mortalibus posset,] *Locus creber mendis. Vetus lectio*, altumque Pompeij fortuna erexit. *vt pro* altum *commodior forte scriptura sit*, animom. *Quod autem sequitur*, omniumque coepit, *libentius sic scriberem:* Omnium concussit, qui illi ingenti spectaculo interfuere: quo liquere mortalibus posset.

CAP. I. s Itaque vt totum mente abducam] *Legendum reor*, Itaque vt tutum mihi te abducam.

t Atqoe ex ea dimittitur] *Vetus lectio*, demittitur.

II. o Vrbem totam complectitur.] *Recte qui legunt*, Vrbs eam totam complectitur. *Cuius rei auctor est Aristides in oratione quae vocatur AEgyptia, his verbis:* Est autem Phile insula, in confinibus AEgypti & AEthiopiae. Cuius par est magnitudo cum magnitodioe vrbis in ea sitae. *Idem de Arado Phoeniciae insula memoriae proditum est. Nam si accipiamus, Nilum fluuium vrbem totam complecti, inutilis est repetitio: quia statim ante dixerat*, duobus in vnom coituris amnibus cingitur.

x At vbi io scopulos cautium intrauit, spumat.] *Scribetur, nisi fallor, sincerius*, At vbi in scopulos arctius intrauit, spumat. *praecessit enim*, & per angustias eluctatur: *& mox paulo*, taodem tenuissimos canales tenet, per quos angusta rupium effugit.

y Primum incrementum Nili circa iosulam quam modo retuli, Philas nascitur. Exiguo ab hoc spàcio petra diuiditur.] *Scribo* noscitur, *non* nascitur. *quia sequitur paulo post*, auctum fluminis sentiunt. *Item legendum* ab hac, *non* ab hoc: *videlicet insula.*

z Illa primo saxa auctum fluminis sentiunt.] *Vetus lectio*, Illa primum saxum actu fluminis sentiunt. *Scribo*, Illud primo saxum auctum fluminis sentit.

a Quicquid pingue secum tulit, arentibus locis illinit:] *Fidelior antiqua lectio* allinit, *non* illinit.

b Quòd cum caeteri amnes abluant terras] *Eadem non* abluant *agnoscit, sed* ambulant. *Scribo* ambedant: *vt Vergilianum illud*, Ambesas subigat malis absumere mensas. *Tum sequitur illico*, adeo nihil edit oec abradit.

c Heraclitio hostio Nili, quod est maximum,] *Eadem* Heraclutio. *Scribo* Heracleotico, *ex Plinio, Strabone, Ptolemaeo, Diodoro, reliquis: quod idem est cum Canopico.*

d Tuoc enim maximae & integrae adhuc niues, ex mollissimoqoe tabes est.] *Castigatius leges* niuis, *quàm* oiues.

e Eudimenes Massilieosis.] *Corrige*, Eothymenes Massiliensis, *tum ex scriptis exemplaribus, tum ex Graecis vulgata voce. Nam Aristophanis in comoedia Acarnanes, Euthymenes magistratus est Atheniensium: & apud Suidam mentio quoque Euthymenis.*

f Cum tesederint in pelagos, cooquiescit:] *Emenda ex eisdem*, Com resederit pelagus, cooquiescit.

g Ex eadem causa aestate frigidant] *Sic prior editio. Scribendum* frigescuot, *non* frigidant, *ex eisdem.*

h Vt vna sicca sit tellus, alia abundet.] *Scribendum arbitror*, vt vna sicca sit tellus, alia humeat.

i Vode ergo trahit?] *Lege*, Vode ergo trahitur? *ex vetere lectione.*

k Quid nisi faceret,] *Rectior lectio*, Qood nisi fieret.

III. l Illud huic quoqoe simile esse quod cauat.] *Permuta dictionum ordinem*, Illud quoqoe huic simile qood cauat, *ex vetere lectione.*

m Nix in pruioa pendeos congelatio.] *Mallem scriberes*, nix & pruioa pendens congelatio: *quia sequitur*, hoc iotet pruinam & glaciem, nec noo intet niuem & glaciem ioteresse. *Ergo iungit niuem & pruinam.*

IIII. n Aquilooe flante & suum coelum habente,] *Vetus lectio*, aqoilooe flante aut suum coelum habente.

VIII. o Vnam tem ad hoc adüciam,] Adhuc, *non* adhoc, *eadem.*

XIII. p Quoniam oon contenti vina diffundete veterana, pet sapores aetatésqoe disponere,] *Eadem*, qooniam non contenti vioa diffundere pet veterana, per sapores aetatesque dispooete.

q Nisi frigore illa vehementiore perusseris,] *Eadem* percosseris *praefert*, *non* perusseris.

r Et propere cedere finibus sois iusserunt,] *Scribendum puto*, & prope recedere e finibus suis iusserunt.

s Quemadmodum nihil illis satis frigidum, sic nihil calidum illis satis est.] *Breuior sinceriorque vetus lectio*, Quemadmodum oihil illis satis frigidum, sic oihil satis calidum est.

IN

IN LIBRVM V. NATVRALIVM QVAESTIONVM.

a Et continua ex imo euaporatio in altum agit quae merserat,] *Scribendum arbitror*, & continua ex imo euaporatio in altum agit quae mersa erant. CAP. IIII.

b Itaque niues & ponuntur & durantur.] *Considerandum, an reponuntur legi debeat, hoc est, coacernãtur, accumulantur : non* & ponuntur. X.

c Et in haec loca quae remissiora ac tepidiora sunt,] *Vetus lectio* submissiora *habet, non* remissiora.

d Ac sol mutato cursu in nostram rectior tendit :] *Vitiatissimus locus. Castigandum puto sic*, ac sol mutato cursu nostra regione cedit.

e Qui superne demittitur,] Quia superne demittitur, *vetus lectio.* XII.

f Et pluribus coeli partibus elisus spiritus] *Lege*, & ex pluribus, *&c. ex eadem.*

g Hoc loco, si tibi videtur, quaeri potest cur turbo fiat, qui euenire in fluminibus solet,] *Eadem*, Hoc loco si tibi videtur, quaeri potest, cur turbo fiat. Euenire in fluminibus solet. XIII.

h In canalem connexam tenuemque collectus,] Deuexum *lege, non* conuexam.

i Quem praestera Graeci vocant. Hic est igneus turbo.] *Mallem legeres*, quem praester Graeci vocant, hoc est igneus turbo.

k Quibus armenta rapiantur,] *Scribe* armamenta, *non* armenta, *ex vetere lectione.*

l Tunc enim incipit, cum omnes illos miscuit,] *Legendum*, tunc esse incipit, cum omnes illos miscuit, *ex eadem.*

m Non tota solida contextu terra in vnum vsque fundatur,] *Legendum*, non tota solido contextu terra in imum vsque fundatur, *ex eadem.* XIIII.

n Quod non videntur flumina. Illic scias licet nostris paria sublabi:] *Scribe*, quod non videntur. Flumina illic scias licet, *&c. ex eadem.*

o Oblitus dierum, oblitus naturae melioris,] *Scribendum forte* deorum, *non* dierum. XV.

p Adiiciendus est ad hunc meridianus circulus] Adhuc *lege, non* ad hunc, *ex eadem.* XVII.

q Nunc quod de Caesare olim maiore] *Verbum* olim *redundat, ex eadem.* XVIII.

r Cum effugerimus procellosos desuper montes, per quos praeceps in nauigantes ventus impingit.] *Si de fluctuum montibus accipimus, necesse est, vt praepositio* per *pro supernacua eradatur. Si de promontorijs, legendum erit* : Cum effugerimus procellosos desuper montes, in quos praeceps nauigantes ventus impingit.

s Cum inuoluto nubilo dies,] *Scribe*, cum inuolutos nubilo dies, *ex vetere lectione.*

t Circumferre pericula, & ruere in ignotos iratum,] *Eadem* initium *habet, non* iratum: *vt forte pro* initium *scribendum sit* inuitum : *quia sequitur mox paulo*, quem non oderis.

u In sua quemque terra stare insisset.] *Verbum* terra *superuacaneum est, ex eadem.*

x Diuersis enim irritamentis ad tentandum ire compellimur] *Sic prior editio. Legendum reor* mare, *non* ire.

y Vita parari ea, in quibus vita consumitur.] *Vetus lectio*, vitae parari, in qua vita consumimur. *Puto legendum*, vitae parari, in quae vita consumitur.

IN LIBRVM VI. NATVRALIVM QVAESTIONVM.

a Desedisse terrae motu,] *Vetus lectio*, consedisse terrae motu, *rectius.*

b Negantque se ipsos vnquam ipsam regionem accessuros.] *Corrige*, negantque ipsos vnquam in ipsam regionem accessuros, *ex eadem.* CAP. I.

c Imperitis fit magna ex desperatione securitas.] *Eadem, mutato dictionum ordine*, imperitis magna fit ex desperatione securitas. *Considera an legendum* manu *potius quàm* magna. II.

d Quid tanti molem ponderis pellat,] Corporis, *non* ponderis, *in eadem habetur castigatius : quandoquidem charta sequente*, Ita, *inquit*, in hoc vniuerso terrae corpore euenit, vt partes eius vetustate soluantur. *& alibi*: Sic hoc totum terrarum omnium corpus, & aquis quae vicem sanguinis tenent, *&c. Et infra paulo* diuisa *legendum ex eadem, non* diuisas. IIII.

e Aliquam ex istis causam dixerunt :] *Scribe*, aliquam ex istis causam esse dixerunt, *ex eadem.* V.

f Omnis tamen aetas quod agat inueniat,] *Eadem*, Omnis tamen aetas quod inueniat habet.

g Siue magnum mare,] *Verbum* magnum *tollendum, ex eadem.* VI.

h Grauissimam partem mundi non posse spiritu tam tenui fugacique gestari.] *Duo illa verba* non posse, *remouenda, ex eadem.*

i Et quam donec decrescat, verberauit.] Crescat, *non* decrescat, *in eadem habetur.* VII.

k Aut cum dubitauere,] *Eadem sic habet*, aut cum diu dubitauerunt. *Castigandum censeo*, aut cum diu nutauerunt. VIII.

l Sed intra ipsam & ex ipsa quasdam partes eius decidere,] *In eadem aliter*, sed intra ipsam, & in ipsam quasdam partes eius decidere. X.

m Opposita diffundit :] *Quid si legas?* diffindit, *non* diffundit. XI.

n Haec duo alicubi concurrunt, alibi consistunt.] *Scribe*, Haec duo alicubi concurrunt, alicubi consistunt, *ex vetere lectione.* XIIII.

o Vide ergo nunc quod intret in illam spiritus] *Corrige*, Vide ergo nunquid intret in illam spiritus, *ex vetere lectione.*

p Aliaque deiicit, alia intercidit :] *Legendum reor* interscindit, *non* intercidit.

XV. q Alicubi deduxit quicqnid superne terreni erat aqua. Alia torrentes cecidere,] *Scribendum puto*, Alicubi deduxit quicquid superne terreni erat, aqua. Alia torrentes exedere.

XVI. r Atque alimento sui educantis?] Suo, *non* sui, *vetus lectio*.

XVII. s Et moras suas arripit,] *Rectior lectio* abrumpit, *quàm* arripit.

t Qui quo valentior agiliorque est, citius eripitur,] *Sic prior editio. Scribendum reor* erumpit, *non* eripitur. *quanquam in vetere lectione desideretur omnino hoc verbum.*

XVIII. u Infususque per minima laxamentum superatus] *Castigandum puto*, infususque per minima laxamentum sibi parat. *Nam & prior editio & vetus item lectio* superat *habet, non* superatus.

XX. x Et illam qua parte maxime pendet, exagitat.] *In eadem sic habetur*, Et illam qna parte tendit, exagitat maxime.

y Nonnunqnam in coacta itinera coniectus,] *Eadem*, Nonnunquam in terrena itinera coniectus.

XXI. z Et insulas non ante visas in medio mari ponere. Therem & Theream hanc nostrae aetatis insulam spectantibus nobis in AEgaeo mari natam, quis dubitat.] *Castigandum puto hunc locum sic*: & insulas non ante visas in medio mari ponere, Theram & Therasiam. Thiam nostrae aetatis insulam spectantibus nobis in AEgaeo mari enatam, quis dubitat? *Plinius volum. 2. cap. 87.* Inter Cycladas Olympiadis 135. anno quarto Thera & Therasia. Inter easdem post annos 130. Hiera, eademque Automate, & ab ea duobus stadus post annos 110. in nostro aeuo, M. Iunio Syllano & L. Balbo consulibus, ad 8. idus Iulij, Thia.

a Nam nec succutiuntur tunc omnia,] *Legendum forte* moenia, *non* omnia: *vt non multo post*, aedificia vicina tremore collapsa sunt.

XXII. b Tunc illa praecipitata rupes, qoicquid ab illo repercussit, non passura consistere, sonitu venit.] *Depravatissimum locum, & tantum non conclamatum, restituendum hoc pacto existimo*: tunc illa rupes praecipitata qoicquid ab imo repercussit, non passura consistere, succutit.

XXIII. c Opponetur ei & callisthenes.] *Vetus lectio*, opponetur & callisthenes. *Lego*, opponetur, & callisthenem. *Idem error statim corrigendus.*

d Ideo frequentissime mari opposita vexantur,] Apposita, *non* opposita, *Vetus lectio. & paulo ante* mersit, *non* immerlit.

XXIIII. e Aut certe maxima ex parte superfusam.] Suppressam, *non* superfusam, *in eadem habetur. Sicque esse legendum, monstrat ipse autor paulo post, dicens*: Illa vasta cuncussio, quae duas suppressit vrbes, Helicem & Buran. *Quanquam &* superfusam *legi posset ex Thucyside 3. volum. sed idem erit sensus. Item* Atalantem *legendum, non* Atalantam, *ex eodem autore colligitur: cui suffragatur vetus lectio.*

f Idem Sidoniae accidisse,] Sidoni, *non* Sidoniae *legendum reor, quae vrbs est Phaeniciae, notior quàm vt sit prodenda. Et vero simile est, quassationi obnoxiam esse Sidonem: cùm Tyrus vrbs propinqua eo malo laboret, sicuti & omnia loca maritima: vt paulo ante monstrauit.*

XXV. g Totaeque vrbes in immensam altitudinem vergant.] *Mallem legeres* merganntur, *quàm* vergant. *Cui verbo locus non est in hac sede.*

h Tunc effugisse Peneon,] *Legendum reor*. tunc effluxisse Penaeum. *Is celeber est Thessaliae fluuius omnibus.*

i Cum laborauit AEgine,] *Scribo*, Cum laborauit AEgium. *Vrbs est Peloponnesi AEgium, paruo spacio submota a Patris, omnibus fere Cosmographis. AEgina autem insula in sinu Saronico, longe distat a Patris. & paulo post* AEgium, *non* AEgenm *legendum: adstipulante etiam vetere lectione.*

k In tantum spatium morum protendere,] *Vetus lectio* pertendere, *non* protendere.

XXVI. l Quia mari imposita sit, babeatque concauas rupes] *Breuius eadem*, quia mari imposita habeat concauas rupes.

XXX. m Quia pressa & quassa quatiebat:] *Scribe*, qoia quassata quatiebat, *ex vetere lectione.*

n Emissa sui parte maiore] *Verbum* sui *redundat, ex eadem.*

XXXI. o Quia vehementius locum ventis luctantibus fecit.] *Puto legendum* vehementissimus, *non* vehementius.

p Nec illis pugna opus est.] *Verbum*, opus *superuacaneum est, ex vetere lectione.*

XXXII. q Controuersiam agere,] Controuersiam facere, *eadem.*

r Perdidimus illos, nempe perituros.] Perdimus *in eadem habetur, non* perdidimus.

IN LIBRVM VII. NATVRALIVM QVAESTIONVM.

CAP. I. a Qui sydera crediderunt] *vetus lectio* tradiderunt, *non* crediderunt.

III. b Sed videri illos accendi turbine quodam] *Considera, an scribendum sit non* illos, *sed* illis: *videlicet Chaldaeis.*

IIII. c Huic videtur plurimum virium habere ad omnes sublimium motus stella Saturni.] *Quaedam exemplaria*, Huic videtur plurimum virium babere stella Saturni. *reliqua desiderantur.*

V. d Et quacunqne incumbit, solum nudat:] Quocunqoe *vetus lectio agnoscit, non* quacunque.

e In quo igne multa quidem fuerunt digna quae notarentur:] *Breuius eadem*, In quo igne multa fuerunt, quae notarentur.

VIII. f Lunam aut quinque sydera rapi vento,] *Scribendum puto* lumina, *non* lunam: *vt vocet solem & lunam lumina, quae sacrae literae luminaria appellant: & errones, sydera, antiquorum more, qui solem & lunam inter Planetas non reponebant. Eadem menda in verba quae sequuntur.*

g Non tamen supra lunam efferrent.] *Scribendum enim* lumina, *non* lunam.

IX. h Nec supra lunam vsque in stellarum locum crescere.] *Legendam reor*, nedum supra lumina in stellarum locum crescere: *vt non multo post*, nedum particula aeris intorti.

i Mira

l Mira velocitas eius & mira breuitas eius] *Lege*, Mira velocitas eius, & mira breuitas est, *ex vetere lectione. & mox*, Violentius celeriusque in terra circa eam voluitur.] *Duo illa verba* celeriusque *non habentur in eadem.*

k Nec haesitatus qui nec resistit,] *Castigandum censeo*, nec haesitat vsquam, nec resistit. x.

l Et puto talis esse debet,] *Castigandum puto*, At puto talis esse debet, *vt sit aduersatio.*

m Intra exiguum tempus, cum obscurari coeperint, liberari.] *Legendum mihi videtur*, intra exiguum tempus quàm obscurari ceperint, liberari. xii.

n Praeterea illa nobis vicina videntur,] Ista, *non* illa, *legito ex vetere lectione.*

o Altera stella vsque ad alteram stellam ignem mittere,] *Verbum illud* stellam *non habetur in eadem.*

p Sicut faces trabesque] *Eadem*, Sicut faces, sicut tubas trabesque. xxi.

q Hnc itaque descendunt inuitante materia, non itinere.] Descendit *eadem*, *non* descendunt.

r Neque appropinquat solo etiam nunc. Ignis autem it, quo natura sua ducit.] *Corrige*, neque appropinquat solo. Etiamnum ignis aut it quo natura sua ducit, *ex eadem.* xxii.

s Quae sola moueri creditis,] *Scribo* credis, *non* creditis, *ex eadem, vt infra:* Credis autem in hoc maximo & pulcherrimo corpore. xxiii.

t Quid est, quare in aliqua parte coeli peruium non sit?] *Eadem non* peruium *habet, sed* paruium. *vt forte scribi debeat* par via.

u Quia quae tardius feruntur, grauia sunt.] *Corrigendum reor*, Quare quae tardius feruntur, grauia sunt? *vt legatur per notam interrogationis.* xxix.

x Succurratque tibi idem me de cometis posse dicere,] *Particula* que *eradenda, ex vetere lectione. Et aliquanto post* coniectare *fidelius quàm* coniecturare *scribetur.*

y Multa praeterea cognata nimium numini summo.] *Scribe* suo, *non* summo, *ex eadem.* xxxi.

z Id quod vnum toto agimus animo,] *Scribe*, id quod vnum toto agimur animo, *ex eadem.*

zz Aliquid tenerius molliusque quo pereat.] *Eadem* pereatur *agnoscit*, *non* pereat.

FERNANDI PINCIANI CASTIGATIONES

IN LIBRVM DE PAVPERTATE, SEV IN EXCERPTA SENECAE.

a Non est necesse maria tempestate] *Corrige*, Non est necesse maria tentare, *ex vetere lectione. Hoc loco admonendus est Lector, si velit multa in hoc opusculo in pristinam veramque lectionem restituere, conferendum esse cum epistola decimaseptima, quae incipit*: Proiice omnia ista, si sapis.

b Nihil humanius quàm quod cum magno emolumento insidiantis eripi nihil potest.] *Castigo*, nihil habeamus quod cum magno emolumento eripi possit. *reliqua superfluunt, ex exemplari Facundi & Primitiui.*

c Etiam in obsessa pauperi via pax est.] *Legendum praepostero ordine*, Etiam in obsessa via pauperi pax est, *ex vetere lectione.*

d Vbi desinant, non erit.] *Legendum*, vbi desinant, non habent, *ex eadem.*

e Veritati aliquid extremum est. Error immensus est.] *Castigo*: Via eunti aliquid extremum est, error immensus est, *ex eadem.*

f Paupertas expedita est, cum secura est.] *Particula* cum *superfluit*, *ex eadem. & paulo ante* progressae *legit*, *non* progresso.

g Eas tamen vt tangentes habet.] Egens *siue* egentes *legendum crediderim*, *non* tangentes.

h Vt pauper sis optes, aut pauperi similis.] *Scribe*, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis, *ex vetere lectione.*

i Perpessi sunt multi inopiam hominum, reges, vixerunt Barbari radicibus.] *Scribe*, Perpessi sunt multotieus exercitus inopiam omnium rerum. Vixerunt herba, radicibus, *ex eadem.*

k Rebus in aduersis facile est contemnere vitam. Fortius ille facit, qui miser esse potest.] *Martialis poetae versus ad Chaeremonem, ab aliquo studioso in margine libri sui scripti, postea ab inscijs librarijs in contextum adiecti. Neque habentur in correctissimo exemplari Facundi & Primitiui.*

l Morbum suum secum affert] *Scribe*, morbum suum secum transfert, *ex vetere lectione.*

m Ad securitatem nō est opus fortuna licet irata. Quiuis enim necessitati satis est.] *Praepostero ordine locata verba & deprauatissime scripta. Scribendum per maiorem*, Ad securitatem non est opus fortuna. Quod enim necessitati sat est, dabit, licet irata. *ex exemplari Facundi & Primitiui.*

n Serius diuites erimus, si sciemus.] *Lege*, Securius, *non* serius, *ex eodem exemplari.*

o Aude opes contemnere, & te quoque dignum finge Deo.] *Legendum*, Aude hospes contemnere opes, & te quoque dignum Finge Deo: *tum ex ipso Seneca alibi, tum ex ipso quod dudum citaui, exemplari.*

p Illas tanquam exituras amplecti semper] *Scribe*, Si illas tanquam exituras aspexeris, *ex vetere lectione.*

q Discedat quisquis non te, sed alium diuitem sequebatur.] *Eadem*, Discedit quisquis non te, sed alium sequebatur. *Legendum reor* aliud, *non* alium.

r Quòd a quibus ameris, ostendat.] *Longe aliter eadem*, quod animum si intendit, liberum reddit.

s Visus est pane & lacte esse contentus.] Iussus est, *non* visus est, *eadem.*

t Item si quis desiderium suum clausit,] *Eadem*, Inter quae si quis desiderium suum clausit. *Lego*, intra quae si quis desiderium suum clausit.

u Non in vno graue.] Non vno modo graue, *eadem. Scribendum videtur* grauis, *non* graue.

x Alios in alium irritat, alios in potentiam,] *Eadem*, Alios aliud irritat, alios impotentia. *Corrigendum puto*, Alios alio irritat, alios impotentia.

y Si vis scire quòd nihil mali sit in paupertate, compara multum pauperes & diuites] *Castigo*, Si vis scire quàm nihil mali sit in paupertate, compara vultum pauperis & diuitis, *ex eadem*.

z Hic enim granis, & sub purpura lucet, nou palam tristitia est.] *In vetere lectione haec tantum verba habentur*: His enim sub purpura tristitia est. *caetera superuacanea sunt.*

a Quòd interdum non licet palam esse miseros] *Verbum* interdum *non habetur in eadem.*

b Necesse est latere felicem.] *Puto scribendum*, agere, *non* latere: *vt ex alio Senecae loco datur intelligi.*

c Non enim quia concupiscenda illa laudantur, sed quia laudanda sunt concupiscuntur.] *Corrige*, Non enim quia concupiscenda sunt, laudantur, sed quia concupiscuntur, laudata sunt, *ex vetere lectione.*

d Superbiam & arrogantiam pariunt,] *Eadem*, Superbiam pariunt, *caetera non agnoscit.*

e Inuidiam trahunt,] *Scribe*, inuidiam contrahunt, *ex eadem.*

f Bona omnia culpa carere decet:] *Mallem legeres* omni, *quàm omnia.*

g Pura sunt haec, non corrumpunt animos,] *Scribe*, pura sunt. Non corrumpunt animos, *ex vetere lectione.*

h Sed sine timore.] *Legendum* tumore, *non* timore, *ex eadem.*

FERNANDI PINCIANI CASTIGATIONES

IN LIBRVM DE REMEDIIS FORTVITORVM, SEV IN

excerpta Senecae.

a Quod nou praecedentes, sed posteri uarrabunt.] *Sunt exemplaria in quibus* curabunt *habeatur, non* narrabunt.

b Vnde ergo primum incipimus: si tibi videtur, a morte.] *Quidam codices* incipiemus, *non* incipimus. *Domesticum exemplar*: Vnde ergo incipiendum tibi videtur. A morte.

c Si ergo fortuna aut aliquis tibi palam mortem minetur,] *Vetus lectio*, Sic ergo te forma, vt si quis tibi palam mortem minetur.

d Multa cum deambulaueris,] *Scribendum*, Cum multum deambulaueris, *ex eadem.*

e Quis seuex exactorem moleste tulit?] Sanus, *non* senex, *eadem praefert.*

f Quid ergo? Nescio me esse animal rationale & mortale. *Eadem*, Quid? Ego nescio me esse animal rationale mortale?

g Nihil graue est, quod semel est. Alienum nihil uoui. Hoc quidem cum eo creditore contraxi de quo queri non possum.] *In eadem sic habetur*, Quid graue est quod semel? aes alienum meum noui. Hoc quidem cum eo creditore contraxi, cui detorquere non possum. *Scribendum puto*, Quid graue est quod semel? AEs alienum, non meum uoui. Hoc equidem cum eo creditore contraxi, cui decoquere non possum.

h Dij melius. Nemo hac re melius mortalibus minari potest.] *Eadē*, Dij melius, quod nemo mihi istud minari immortalis potest. *Alij codices*, mortalis *praeferunt, non* immortalis. *Quid si legas*, nisi mortalis. *& infra paulo* conuenient, *non* concurrent.

i Nulla terra est aliena mortuo.] *Quaedam exemplaria*, Nulla est aliena patri mortuo.

k Peregre moriens. Hoc est in patriam sine viatico peruenire.] *Haec verba in quibusdam codicibus non habentur.*

l Quod aeque tam ad iuuenem quàm ad senem pertinet.] *Particula* tam *redundat ex vetere lectione.*

m Ignis me an fera comedat,] Consumat *lege, non* comedat, *ex eadem.*

n Au tempus omnium sepultura?] *Deest verbum* vltima, *vt sit*, an tempus vltima omnium sepultura, *ex eadem. Neque* tempus *agnoscit exemplar Facundi & Primitiui, sed* tellus.

o At traditus lapidi,] *Scribe*, aut traditus lapidi, *ex eadem.*

p Vitae multa debemus, morti nihil.] *Eadem*, Vt vitae debeamus multa, morti nihil.

q Alios lapis ossa redditurus inclusit.] *Castigo*, alios lapis ad ossa redacturus inclusit, *ex eadem.*

r Male de te opinantur homines, sed mali.] Loquuntur, *non* opinautur, *domesticum habet exemplar.*

s Vbi qui damnandus est, male de te loquitur. Male de te loquuntur.] *Emenda*, Vbi qui damnandus est, damnat. Male de te loquuntur. *ex exemplari Facundi & Primitiui.*

t Qui faciunt non quod mereor, sed quod solent.] *Verbum* qui *non habetur in vetere lectione.*

u In illius potestate est, quid sit illa fortuna.] *In domestico exemplari, & item in Pinciano*: In ipsius inquam potestate est, quid sit illud fortuuij.

x Leuis enim est patientia.] *Expungenda coniunctio* enim, *ex vetere lectione.*

y Immo tu grauior paupertati.] *Scribendum per maiorem*, Immo tu paupertati, *ex eadem.*

z Absque dubio superbiam accepit.] *Breuius eadem*, Ergo & superbiam.

a Gaude, quia impotens non eris.] *Eadem*, Gaude. Impotens non eris. *Idem vitium paulo post.*

b Vtrum auarus aut prodigus est?] *Exemplar Facundi & Primitiui*, Vtrum auarus an prodigus sit. *Codex domesticus*, Aut auarus, aut prodigus.

c Iste quem beatum credis,] *Scribe*, Iste quem tu felicem admirantibus credis, *ex omni vetere lectione.*

d Damnum putas, & remedium est.] *Redundat coniunctio* &, *ex eadem.*

e Perdidisti pecuniam.] *Eadem*, Perdidi pecuniam.

f Oculos

f Oculos perdididisti.] *Scribe*, oculos perdidi, *ex eadem. Idem vitium mox paulo.*

g Amisit liberos. Stultus es qui defleas mortem mortalium.] *Castigo*, Amisi liberos. Stultus es qui fles casus mortalinm, *ex eadem.*

h A qua stante ipsa cadunt poma.] *Domesticus codex*, quòd stante illa caduot sua poma. *Exemplar Facundi & Primitiui rectius*, quòd stante ipsa cadant poma.

i Qnid inde est quod indigneris?] *Scribe*, Quid tamen est quo indigneris? *ex vetere lectione.*

k Verum hoc oemo tibi promiserat.] *Eadem*, Sed hoc nemo tibi promiserat.

l Verum gaude quòd euaseris.] *Supervacanea est dictio* verum, *ex eadem.*

m Inimicos graues habeo.] *Verbum* graues *in quibusdam exemplaribus non habetur.*

n Quòd amicos non habeas.] *Scribe* habes, *non* habeas, *ex vetere lectione.*

o Iam eum re habuisse certum est.] *Scribe cùm interrogatione*, Iam enim te habuisse certum est? *ex eadem.*

p Quàm multae inter probatas matronalis ordinis esse coeperunt, postea inter exempla naturarum.] *Eadem*, Quàm multae inter probra matronalis ordinis esse coeperuot, inter exempla oominatarum. *Vide an magis arrideat haec lectio*: Quàm multae antea probra matrooalis ordinis, *caetera. Exemplar Facundi & Primitiui*, numeratarum *legit*, *non* nominatarum.

q Ex diligentissimis solotissimas.] *Adijce ad haec verba*, ex liberalissimis rapacissimas: *ex eadem.*

r Si bonam vxorem amisisti.] *Scribe*, Etiam si bonam vxorem amisisti: *ex eadem: etsi sunt exemplaria in quibus* habuisti *legatur*, *non* amisisti.

s Dummodo ne imagioes proauosque respexeris,] *Lege*, Tu modo ne imagines proauosque respexeris, *ex eadem.*

t Cui iam ipsa nobilitas cessit.] *Scribendum*, cui iam ipsa oobilitas primo loco cessit, *ex eadem.*

u Quam nondum corruperunt publici corruptores.] *Verbum* corruprores *putamus redundare.*

x Amisi vxorem bonam. Multos tibi numerare possum,] *Priora illa verba*, Amisi vxorem bonam, *non habentur in quibusdam exemplaribus.*

y Non qoi aliis videtur, sed qui sibi.] *Deest verbum* esse, *vt sit*, oon qui aliis videtur esse, sed qui sibi, *ex vetrre lectione.*

z Videas autem quàm domi sit] *Eadem* vide, *non* videas, *praefert.*

zz Vicina est miseriae: habet enim aliquid, trahitque ex ea.] *Haec verba in omnibus, quae viderim, scriptis exemplaribus desunt.*

F I N I S.

BEATI RHENANI SELESTADIENSIS IN LVDVM L. ANNAEI SENECAE DE MORTE CLAVDII CAESARIS, SCHOLIA.

AGINA 475, versu 46. *Quid actum sit*] Claudius Caesar, Drusi Germanici filius, qui Caio proxime successit, talem egit principem, vt nescias stultior ne fuerit, an crudelior. Hunc Annaeus Seneca hoc libello, quem ludum de morte Claudij Caesaris inscripsit, mirè taxat, & suis (quod aiunt) coloribus graphice depingit. In causa autem nonnihil fuisse crediderim, quur sic Claudium insectaretur, quòd sub eo exulauit. Cuius rei ipse meminit in lib. de breuitate vitae ad Paulinum, his verbis de Caesare blandiuscule loquens: *Nec enim sic me deiecit, vt nollet erigere: imo ne deiecit quidem, sed impulsum a fortuna, & cadentem sustinuit, & in praeceps euntem, leniter diuinae manus vsus moderatione deposuit.* Hactenus Seneca. Caeterum cum Agrippina Claudio nupsisset, ne malis tãtum facinoribus innotesceret, veniam exilij pro Annaeo Seneca, simul praeturam impetrat, laetum in publicum rata ob claritudinem studiorum eius, vtque Domitij pueritia tali magistro adolesceret, & consilijs eiusdem ad spem dominationis vteretur: quia Seneca fidus in Agrippinam memoria beneficij, & infensus Claudio dolore iniuriae credebatur. Haec Tacitus.

Ibid. *In coelo*] Ridicule coepit, pollicens se traditurum, quae in coelo ante diem tertiũ Eidus Octobris acta sunt: quasi illic sint Kalendae. Sic Homerus subinde describit, quid interea dij fecerint in coelo. locus est ex imitatione: nam ita exordimur Annales.

Ibid. *Ante diem tertium*] Excessit enim Claudius tertium ante Eidus Octobris, Asinio Marcello, Acilio Auiola Coss. LXIIII. aetatis, imperij XIIII anno Ac veneno quidem occisum conuenit: vbi autem, & per quem dato, discrepat. Autor Tranquillus & Tacitus. *Eidus* autem per *ei* diphthongum Graecam scriptum est: qua vtebantur antiqui in his, quae *i* extensum habent. id quod in vetustis inscriptionibus etiamnum visitur.

Vers. 47. *Felicissimi,*] Ob Claudium sublatum.

50. *Ego scio me liberum factum,*] Innuit tyrannidem Claudij, vel optimis optima cum loqui tum agere prohibentis.

51. *Aut regem, aut fatuum,*] Hic stultitiam Claudij notat: neque id falso. Nam mater Antonia portentum eum hominis dictitabat, nec absolutum a natura, sed tãtum inchoatum: ac si quem socordiae argueret. stultiorem aiebat filio suo Claudio. Auia Augusta pro despectissimo semper habuit. non affari, nisi rarissime: non monere, nisi acerbo & breui scripto, aut per internuncios solita. Soror Liuilla quum audisset quandoque imperaturum, tam iniquam, tam indignam sortem populi Romani palam & clare detestata est: vt scribit Tranquillus. Hoc autem prouerbio, *Aut regem, aut fatuum nasci oportet*, antiqui regum vecordiam taxabant. Nam quemadmodum in fatuis risu, quaecunque fecerint, excipimus: sic regum quoque facta nemo non probat. Proinde verissimum est, facultatibus licentiaque & adsentationibus ali principum vitia: quod de Antonio Velleius Paterculus scriptum reliquit. Caeterum nisi stulti fuissent olim reges, non essent libri illorum fatuitatibus referti, hoc est, factis, non tam stultis saepenumero quàm sceleratis, ac impiis caedibus & bellis: quibus in hoc mundo nihil stultius. Qui huius prouerbij explicatiorem interpretationem legere cupit, Erasmi Roterodami, quem equidem vt praeceptorem & veneror & suspicio, Chiliades adeat. Illic enim praeter eruditionem, quae huic nusquam deest, etiam ad vitam rectius instituendam salubertimam inueniet cohortationem.

52. *Quis vnquam ab historico*] Salsissime taxat vanitatem historicorum, qui scribunt quicquid volunt, nullo fideiussore.

53. *Autorem producere,*] Autor est, non solum is, cuius suasu & autoritate fit aliquid, verùm is, vnde rumor est ortus. Produci autem testes dicuntur.

Ibid. *Quaerite ab eo qui Drusillam*] Caius Caesar (vt refert Suetonius) Drusillam sororem vitiasse virginem creditus est: quam mox L. Cassio Longino consulari collocatam abduxit, & in modum iustae vxoris propalam habuit. Eadem defuncta iustitium indixit, in quo risisse, lauisse, coenasse, cum parentibus, aut cõiuge, liberis ve, capitale fuit: cuius amorem quanti faceret, vel hac re docuit, quòd post mortem eius repente noctuque ab vrbe profugiens, transcursa Campania, Syracusas petiit. Rursusque inde propere rediit, barba capilloque promisso. Nec vnquam postea, quantiscunque de rebus, ne pro côcione quidẽ populi, aut apud milites, nisi per numen Drusillae deierauit. Seneca quoque noster in libro de breuitate vitae Suetonio astipulatur, affirmans Caium post mortem Drusillae, furiosa inconstantia modo barbam capillumque submittentem, modo Italiae ac Siciliae oras errabundum permetientem, nunquam satis certum fuisse, vtrum lugeri vellet, an coli sororem. Eodem enim tempore, quo templa illi constituebat & puluinaria, eos qui parum moesti fuerant, crudelissima afficiebat animaduersione. Hanc igitur Drusillam, quidam cùm esset viae Appiae curator, in qua sepeliebantur Romani, vt gratificaretur Caio, coelum adeuntem se vidisse in senatu

iureiurando

iureiurando affirmauit. quod cum illi nemo crederet, sed rideretur potius, sancte promisit, se nihil amplius, ne si hominem quidem in medio foro occisum vidisset, deinceps indicaturum.

54. *Non passibus aequis.*] Particula est carminis Virgiliani in AEneide. Respexit autem ad id, quod Tranquillus de eo refert, his verbis: *Caeterum ingredientem destituebant poplites minus firmi.*

55. *Velit, nolit,*] Εἰρωνικῶς dixit.

Ibid. *Appiae viae*] Haec sic nominata fuit ab Appio, qui eam muniuit: vt autor est Liuius in nono primae Decadis. Estque praecipua viarum, ducens Brundusium, in qua erant cõditoria sepulchraque Romanorum.

56. *Diuum Augustum,*] De quo sic inquit Suetonius: *Nec defuit vir praetorius, qui se effigiem cremati euntem in coelum vidisse iuraret.*

Ibid. *Soli narrabit:*] Notat morem eorum, qui huiusmodi portenta spargunt in vulgus. Primum vni cuipiam narrant, velut arcanum, quod sileri velint: deinde fama serpit, alio aliis per manus tradente.

P. 476, v. 1. *Concepta verba*] Conceptis verbis proprie iuramus, cum (vt Latine dicam & eleganter) alio praeeunte, ac iusiurandum dictante, aliquid expressis ad certam formulam verbis promittimus. Plautus in Bacchidibus: *Ego iusiurandum conceptis verbis dedi, daturum id me hodie mulieri ante vesperam: nunc pater ne peierem cura.*

Ibid. *Etiam si in medio foro*] Taxat obiter vrbem Romanam: in qua tanta erat impunitas malis, vt homines saepenumero in medio foro occiderentur. Id quod passim fiebat Romae sub Alexandro, frequentissimo foro in meridie.

3. *Iam Phoebus*] Chronographia est. Et tacite notat poetas quosdam, qui huiusmodi descriptionibus explent volumina. Quos taxauit & Horatius in arte poetica:

— Cum lucus & ara Dianae,
Et properantis aquae per amoenos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluuius describitur arcus.

5. *Augebat Cynthia regnum:*] Al. *lignum* legitur: tu lege *lychnum*. eleganter vocat lychnum lunae, quòd alieno lumine egeat, nempe solis.

6. *Gratos carpebat honores*] Id est, foetus. Sic Horatius, ruris honores vocat, quicquid frugum terra producit.

9. *Puto magis intelligi*] Poetas notat, nimis anxie tempus describentes, & id multis carminibus, cum interim quatuor quum maximum verbis, & quidem expressius dici posset.

10. *Facilius inter philosophos,*] Festiue dictum in horologiorum discrepantiam. Simulque philosophorum perpetuum illud dissidium latenter taxat. Nam cui non notum est, quàm inter se philosophi omnes ὁλοταῖς (quod aiunt) dissideant? Plato siquidem (vt in hanc digressiunculam expatiemur) vnum Deum vnigenitum ex seipso natum censuit: Anaximander coelestia sidera, Deos esse: Thales animam mundi, Deum putat: Aristoteles formam separatam, sphaerae quidem voluersi innitentem: Democritus mentem ignitam, mundi animam: Epicurus specie humana Deos esse: Pythagoras, monada: Stoici Deum ignem esse, necnon spiritum, qui mundum vniuersum penetret. Denique Euemerus Tegeates, & Theodorus Cyrenensis, nullos esse deos. Quid cum de principiis rerum disputant, non ne diuersissima sentire videntur? Anaximenes Milesius aërem esse rerum principium astruxit: Thales aquam: Anaxagoras Clazomenius particulas similares: Heraclitus ignem: Archelaus Atheniensis, aëris infiniti raritatem ac densitatem: Empedocles amicitiam & litem: Pythagoras numeros, & horum commentiones: Plato Deum, materiam & ideam: Zeno Deum & materiam, & quatuor elementa: Aristoteles entelechiam, materiam, & priuationem, elementa quatuor, & quintum quoddam corpus. An vero de mundo inter illos conuenire putas? Nullibi magis dissident. Nam Plato Deum ad sui exemplum ait mundum effinxisse: Aristoteles sempiternum esse vult: Epicurus plane interiturum: Xenophanes sempiternum, corruptionis expertem: Pythagoras & Stoici genitum a Deo, sed ex sua quidem natura, nequaquam interitus immunem. Plato quoque animantem esse mundum asseuerat, seque ex tabescentibus alere: Democritus, Aristoteles, & Epicurus id constanter negant. Adde, quòd Thales vnum mundum esse censuit: Democritus & Epicurus innumerabiles: ac horum discipulus Metrodorus, absurdum esse dixit in agris vnicam nasci spicam, vnumque in infinito mundum: innumeros autem esse, quòd innumerabiles eorum sint causae: Seleucus infinibilem mundum: Empedocles mundum quidem vnum, sed vniuersi tantum exiguam esse particulam. Quid de anima, non ne pugnantia statuisse videntur? Pythagoras animam definiuit, numerum seipsum cientem: Aristoteles entelechiam primam corporis: Dicearchus quatuor elementorum harmoniam: Thales naturam irrequietam, sese mouẽtem: Asclepiades medicus, sensuum coexercitationem: Plato substantiam intellectu praeditam: Stoici spiritum feruidum: Anaxagoras aëri similem: Democritus ignitum quiddam: Epicurus elementalem temperaturam. Neque vero secius de animae principatu, qua videlicet in parte sit, longe lateque dissident. Herophilus enim in ventriculo cerebri sedem animae ponit: Plato & Democritus in toto capite: Erasistratus circa membranam cerebri, quam Epicranidem vocat: Strato in superciliorum interstitio: Parmenides & Epicurus in toto pectore: Diogenes in arteriaco cordis ventriculo: Stoici in toto corde vel spiritu, quia circa cor versatur: nonnulli in ceruice cordis: quidam in praecordiis: Empedocles in sanguinis concretione. Ad haec, non ne de sole & luna inter se ridicule propemodum euariant? Anaxagoras, Democritus & Metrodorus, solem esse aiunt globum ferri candentem, vel saxum ignitum: Philolaus solem vitri modo pellucentem, ab igne coelesti splendorem accipere: Xenophanes nubem flagrantem. Lunam vero Heraclitus terram dixit nebula obuolutam: Stoici temperamentum ex igne aëreque: Pythagoras ignitum lunae corpus: Xenophanes esse nubem constipatam: Democritus conglobationem ignitam. Sic de magnitudine horum discordes sunt. Anaxagoras enim solem putat Peloponneso maiorem: Heraclitus latitudine pedali: Anaximander terrae aequalem, circulum vero quo vehitur, septies & vicies terra maiorem. Lunam similiter terra maiorem Stoici censent: Parmenides soli aequalem esse cõtendit. Sed quid haec verbosius persequimur: cum bona pars librorum vtriusq. linguae id genus opinionibus sit referta, & qui-

dam luculenti scriptores de his ex professo tractarint? Satis superque sit, e tanta copia nos vno atque item altero argumento breuiter indicasse, quàm nihil inter veteres philosophos vspiam conueniat. In quorum locum superioribus seculis, Scotus, Thomas, AEgidius Romanus, alij (si diis placet) successerunt: inter quos non minus quàm antiquos illos discrepat, vt vel hac re priscos Academicos, Stoicos, Peripateticosque maxime referre videantur. Proinde neutiquam absurdum erit, si iocum Senecae verterimus, vt dicamus, facilius inter horologia conuenire, quàm inter philosophos.

11. *Nimis rustice*] Exactam poëtarum curam etiam in minimo temporis articulo describendo ridet.

17. *Animam agere*] Agere animam, est niti ad mortem. Tacite verò ridet Claudium, qui crebro ventris crepitum solebat edere. Nam anima pro vento quoque ponitur. Agebat igitur animam: verum ea non potuit erumpere: quod aliquoties accidit conanti ventris exprimere flatum.

Ibid. *Qui semper ingenio*] Propter cognitiones causarum, quibus expilabat populum. Est enim Mercurius ἀγοραῖος.

18. *De tribus Parcis*] *Parcis* non est in veteri codice, sed lacuna vacua. fortassis Graece scriptum fuit μοίραις.

19. *Nunquam meritum,*] Locus est ex ambiguo: nam vtrumque potest intelligi, indignum longo cruciatu, & dignum praesentaneo subitoque exitio.

20. *Cum anima luctatur.*] Rursum allusit ad crepitum.

Ibid. *Patere mathematicos*] Forte *patiar*. nam sunt verba Parcae. Verba sunt Clothus. Notat Genethliacos, qui mendacissimi, mendaciorum praesidem Mercurium colunt: quem ne offendant, rarius vera dicunt. De Mathematicis non minus scite quàm vere Tacitus in decimoseptimo: Genus hominum, inquit, potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in ciuitate nostra & vetabitur semper, & retinebitur. Eodem autore de Mathematicis Italia pellendis sub Claudio factum senatusconsultum atrox & irritum.

21. *Omnibus annis.*] In quibusdam codicibus haec duo verba non leguntur.

22. *Efferimus.*] Efferimus mortuos, quod Graecis dicitur ἐκφέρειν.

Ibid. *Horam eius nemo nouit.*] Si expectas vt Mathematicus tibi quicquam praedicat, opus est vt illi genituram tuam edisseras: quod ab Augusto factum refert Tranquillus, cum in Apolloniae secessu, Theogenis Mathematici pergulam comite Agrippa conscendisset.

23. *Natum putant.*] Indicat Claudij obscuritatem, quem nemo senserit nascentem. Tullius se quosdam reges natos nescisse dixit, pro eo quod est prorsus ignorare.

24. *Dede neci.*] Carmen Virgilij ex quarto Georgicon, de apibus.

25. *Dum hos pauculos*] Multis enim iam ius ciuitatis donauerat.

26. *Ciuitate donaret.*] Donare ciuitate, est ius ciuitatis tradere, & plane facere ciuem. Hoc etiam Romanam ciuitatem dare Suetonius dixit, sic de Galba imperatore scribens: *Ciuitatem Romanam raro dedit.*

Ibid. *Constituerat enim*] Indicat indulgentiam Claudij, qua etiam exteros, minimeque merentes honoribus afficiebat. Nam, vt scribit Tacitus, A. Vitellio, L. Vipsano consulibus, cum de supplendo senatu agitaretur, primoresque Galliae, quae Comata appellatur, foedera & ciuitatem Romanam pridem assequuti, ius adipiscendorum in vrbe honorum expeterent, & id senatui non placeret: Claudius contra disseruit, maiores suos origine Sabina simul in ciuitatem Romanam, & in familias patriciorum adscitos: hortari vt paribus consiliis Rempublicam capessat, transferendo Romam, quod vsquam egregium esset. Orationem itaque principis sequuto patrum consulto, primi Edui senatorum in vrbe ius adepti sunt. Praeterea (ceu refert Tranquillus) ornamenta consularia etiam procuratoribus ducenariis indulsit. Senatoriam dignitatem recusantibus, equestrem quoque ademit. Latum clauum (quamuis initio affirmasset, non lecturum se senatorem, nisi ciuis Romani abnepotem) etiam libertini filio tradidit. Triumphalia ornamenta Syllano filiae suae sponso nondum puberi dedit. Aulum insuper Plautium, qui suam virtutem certis experimẽtis in expeditione Britannica probarat, Imperatoriae maiestatis oblitus, ouantem sequutus est, & Capitolium conscendenti laeuum latus texit.

27. *Sauromatas*] Nouem haec verba non sunt in veteri lectione: aliquis doctus, ad explendam fortassis lacunam, adiecit.

Ibid. *In semen relinquat,*] Belle dictum, a segetibus, aut leguminibus sumpta metaphora.

30. *Qui modo se tot*] Videtur alludere ad triumphum Claudij, quo ob receptam Britanniam apparatu maximo triumphauit: ad cuius spectaculum, vt testatur Suetonius, commeare in vrbem, non solum praesidibus prouinciarum permisit, verumetiam exulibus quibusdam.

32. *His interim conuictoribus.*] Augurino & Baba.

34. *Abrupit*] Mortem Claudij significat.

Ibid. *Regalia tempora*] Rursum allusit ad prouerbium: *Aut regem, aut fatuum nasci oportet.* Regis enim nomen apud Romanos, vt tyrannicum & barbarum, inuisum habebatur.

35. *At Lachesis*] Poëtice natiuitatem Neronis describit. Sed o vanum augurem. Putabas optime Seneca morte Claudij libertatem obuenisse Romanis. At quando Romae saeuior vnquam tyrannis fuit, quàm sub Nerone: de quo tu tamen adeo praeclara, sed plane falso Apolline vaticinaris? Id quod tandem ipse expertus es, dum ad necem te compulit.

41. *Descendunt secula*] Aliter *distendunt*, pro deducunt: vt Parcas intelligas.

45. *Mollia contorto distendunt*] Castigauimus *descendunt*: exemplar antiquum sequuti. Tametsi *distendunt* quoque possit legi, si quis ad Parcas referat.

46. *Vincunt Tithoni,*] Tithoni & Nestoris longaeuitas vel vulgo nota est.

49. *Iatentas cantu,*] Pro *cantus*: passim id apud poëtas obuium.

54. *Mihi similis*] Apollinem enim vt citharoedum pingunt. Talis in theatro saepe visus est Nero: qui etiam statuas suas citharoedico cultu posuit.

55. *Nec cantu,*] Neronem inprimis musicae studiosum fuisse, neque quicquam eorum omisisse, quae generis eius artifices & phonasci, vel conseruandae vocis causa, vel augendae factitabãt, testis est Tranquillus.

Apollinem

Apollinem enim aequiparare cantu, Solem aurigando videri volebat.

Ibid. *Felicia lapsis*] Reposuimus *lassis*, ex veteri scriptura. Intelligit autem lassos incommodis & calamitatibus temporum Claudianorum.

56. *Legumque silentia rumpet.*] Eleganter oppressas leges, silentia legum vocat, iuxta illud: *Silent leges inter arma.*

P. 477, v. 3. *A carcere*] Sompta est a certaminibus eqoorum metapbora: in quibus repagulum illud, vode fit initium cursus, carcer dicitur, quemadmodum meta vbi sistitur. Hinc *a carcere*, sioe *a carceribus*, pro eo quod est *ab initio*, prooerbiali figura iactatum. Carcerem in hac significantia Graeci βαλβίδα appellant.

6. *Affuso*] Quidam legunt *effuso*: sed *affuso* ooo displicet, pro circumfuso. oam ceruici capillus affunditur.

7. *Plena manu,*] Hoc est, largiter & copiose. Prouerbium est qoo vtitur Ciceso ad Atticum libro secundo: *At hercle alter familiaris tuus Horatius quàm plena manu, quàm ornate nostras laudes in astra sustulit.*

9. *Desijt viuere videri.*] Sic scriptum est in exemplari veteri: significat autem eum fuisse non hominem, sed somnium hominis. Nam sequitur paulo post, *Visus est quasi homo.*

10. *Comoedos audit,*] Qui per simulationem fuerant inducti, velut desiderantem oblectaturi. Autor Suetooius.

11. *Illa parte*] Foeditatem assidue pedentis innuit. id vel ex hoc intelligas, quòd edictum meditatus est, quo veniam daret in conuiuio flatum crepitumque ventris emitteodi.

12. *Post boletum*] Quem Agrippina medicatum, veneooque infectum, auidissimo ciborum talium obtulerat. Hioc boletos Nero, quasi deorum cibum, Graeco prouerbio collandare solebat. Quanquam haec oooem verba in codice Wissenburgensi uoo sunt.

13. *Scitis enim optime.*] Vetus, *Scitis enim certissime: nec periculum est ne excidant, quae memoriae publicum gaudium impresserunt.* Vbi legendum, aut *impressit*, aut *publica gaudia.*

14. *Nemo felicitatis suae*] Epiphooema est.

15. *Bonae staturae,*] Autoritas enim dignitasque formae nood efuit, vel stanti, vel sedenti, ac praecipue quiescenti. nam & prolixo, oec exili corpore erat: vt refert Tranquillus.

16. *Bene canum,*] Fuit enim specie canitieque pulchra.

Ibid. *Caput mouere,*] Habuit enim Claudius caput cum semper, tum in quantulocunque actu, vel maxime tremolom.

Ibid. *Pedem dextrum*] Nam ingredientem destituebant poplites minus firmi: quod supra retulimus.

23. *Tertiumdecimum laborem*] Duodecim labores Herculis a oullo poeta nō sunt celebrati. De his & Virgilij titulo carmen extat.

24. *Graeculo,*] Nam oon mediocri cura Claudius Graeca studia sequutus est. Ac saepe in senatu legatis perpetua oratione respoodit. Multum vero pro tribunali etiam heroicis locutus est versibus: vt scribit Suetonius.

Ait: Τίς, πόθεν εἰς ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις, ἠδὲ τοκῆες;] Hoc est:

Quinam es, vnde venis, tibi quae patria atque parentes?

Hoc carmen ex primo Odysseae in honc locum substituimus. Verba sunt Telemachi, Mineruam alloquētis quae illi Mentae Taphiorum regis specie tum apparuerat.

25. *Philologos*] Erant philologi, qui multiplici variaqoe scientia censebantur: qualis fuit primum Eratosthenes: qui primus hoc cognomeotum sibi vendicauit. Deiode Ateius Romae tempore Sallustij: qoemadmodom refert Tranquillus de claris Grammaticis. Hic de Graecis dicit, tanquam loquacibus, aut verborum phaleras sectantibus.

Ibid. *Historijs suis*] Scripsit enim & Graecas historias, Tyrrhenicôn x x. Carchedonicôn octo.

26. *Homerico versu*] Σκηπτοῦχος βασιλεὺς, ᾧ τε Ζεὺς κῦδος ἔδωκεν. Id est:

Sceptra ferens rex sum, rerum à Ioae tradita cura est.

Carmen hoc ex primo Iliados Homeri, cooiecturam sequuti, restituimus.

28. *Erat autem sequens*] Ἀλλ' ὅγε φέρτερός ἐστιν, ἐπεὶ πλεόνεσσιν ἀνάσσει.

Quod multis praesis, vult hoc praestantior esse.

Ex eodem Homeri lib. Carmen autem hoc a superiori tertium est. Ridet stultiam eorum, qui quòd reges siot, ac multis imperent, sese meliores putant. Nisi quis hos duos ex Odysseae secundo versiculos malit:

Σκηπτοῦχος βασιλεὺς, μηδὲ φρεσὶν αἴσιμα εἰδώς. Id est:

Sceptra regens rex sum, non mente decentia noscens.

Ἀλλ' αἰεὶ χαλεπός τ' εἴη, καὶ αἴσυλα ῥέζοι. Id est:

Immitis fuerit, semper simul impia tractet.

30. *Et imposuerat Herculi minimo discrimine fibulam.*] Imposuerat Herculi fibulam: hoc est, compescuerat Herculem de patria sciscitantem. Metaphora est duriuscula, a coostrictiooe membri virilis sumpta, qua attrectio prohibetur. Id fibula obuinciente fiebat. Erat aorem citharoedis & comoedis hoius fibulae vsus familiarissimus, vocis nimirum gratia ad cohibēdam venerem, raocedinis & offuscationis matrem. Eam tem multis epigrammatibus festiuissimus poeta Martialis docet, cuius & hoc est:

Menophili penem tam grandis fibula vestit,
Vt sit Comoedis omnibus vna satis.
Hunc ego credideram (nam saepe lauamur in vno)
Sollicitum voci parcere Flacce suae.
Dum ludit media populo spectante palaestra,
Delapsa est misero fibula, verpus erat.

Hinc sumptae suot illae Septimij Tertulliani locutiooes, *Carni fibulam imponere*, in libro de Monogamia: cuius contrariom, *Laxare fibulam delictis.* inde corona militis, decenter & verecuode exprimentis, quod autor obscoeni carminis impodentius dixit:

Neue imponite fibulam Priapo.

Ceu docuimus in Annotationibus nostris in Tertullianum, locis modo citatis. Quoniam vero volumen manuscriptum aperte *fabros* continebat, non *fibulam*: putaui legendum aliquando ἀϐρὸς propter mollitiem Claudij: vt esset, *Imposuerat Herculi*, hoc est deceperat Herculem, similior Graeco quàm Romano.

Ibid. *Febris*,] Plinius indicat, Romae Febri delubrum in palatio publico fuisse. Porro subsignificat insaniam Claudij, qua per omnem vitam laborauerat.

31. *Ceteros omnes*] Tacite notat impietatem & ἀθεότητα Caesaris, quem nemo deorum comitatus sit, praeter Febrim, & hanc infestam.

32. *Lugduni*] Claudius natus est ex Iulio Antonio, Fabio Africano Coss. Kalend. Augusti, Lugduni, eo ipso die, quo primum ara ibi Augusto dedicata est, autor Tranquillus.

Ibid. *Marci municipem*] Pro *Marci* legendum credo *Munatij*. L. enim Munatius Plancus Lugdunum coloniam deduxit, & Rauricam, quae supra Basileam vno milliario Germanico sita est, ex qua Basilea deriuata est, vrbs amoenissima, necnon optimis iuxta ciuibus ornata. Ei Munatio nuperrime huiusmodi memoria posita est hic in foro, non procul a Curia, me autore.

L. MVNATIO PLANCO, CIVI ROMANO, VIRO CONSVLARI, ET PRAETORIO, ORATORIQVE, AC M. CICERONIS DISCIPVLO, QVI POST DEVICTOS RHETOS, AEDE SATVRNI DE MANVBIIS EXTRVCTA, NON MODO LVGDVNVM, SED ET RAVRICAM, COLONIAM DEDVXIT, QVAE AVGVSTA FVIT APPELLATA, AB OCTAVIO AVGVSTO TVM RERVM POTIENTE, S. P. Q. BASILIENSIS. TAMETSI ALEMANORVM TRANSDVCTI COLONI, SVBACTIS RAVRACIS, ROMANISQVE DEPVLSIS, AMORE TAMEN VIRTVTIS, QVAE ETIAM IN HOSTE VENERATIONEM MERETVR, VETVSTISSIMO TRACTVS HVIVS ILLVSTRATORI, CVLPA TEMPORVM PRORSVS ABOLITAM MEMORIAM DE POSTLIMINIO RENOVARVNT. ANNO M. D. XXVIII.

Municipes sunt, qui in ciuitatem Romanam recepti, muneribus capessendis apti fiunt. Iocatur itaque in Claudium, perinde ac si Munatio honores consulares debeat, non parenti Druso. Si *Marci* legas, Ancum Marcium intelligas, quartum Romanorum regem. Meminit & T. Liuius Marci Cornelij, quem scribit in x. tertiae Decadis, prorogato imperio Galliam prouinciam obtinuisse.

33. *Vienna*] Vrbs est Galliae.

Ibid. *Germanus*.] Verus. Quod enim natiuum est, germanum etiam dicere solemus. Sic Plauto germana illuuies dicta. Germanum etiam appellamus quod cognatum est. Sic inuidentiam & detractionem, germana vitia dicimus. Est & Germanus, ex Germania aliquis. vnde hic amphibologia, quam iocantes affectare solent.

Ibid. *Itaque quòd Gallum*] Quomodo Galli vrbem Romanam ceperint, narrat Liuius in quinto primae Decadis.

34. *Romam cepit*.] Iocus est in amphibologia. Capit hostis, qui populatur: & capit, qui suscipit.

35. *L. Licinius*] L. Florus meminit L. Licinij Luculli.

Ibid. *Qui plura*] Ridet Herculem, per innumeras regiones diuagatum.

Ibid. *Mulio perpetuarius*,] De quartariis mulionibus meminit Fest. hic μισθωτὸν Seneca perpetuarium dixisse videtur, aut qui in solidum, aut semper sit vector: aut (quod magis arridet) qui perpetua, nec interrupta vectatione suos vectores aliquo perducat. Ad vehicula mulis vsi sunt antiqui, non equis: vnde muliones vehicularij, quique mulis quaestum faciebant.

36. *Milia*] Miliaria.

Ibid. *Xanthum*] Fluuius est Troiae, qui & Scamander dicitur. Taxat Claudium, qui cum in Gallia natus esset, Graecus videri gestiebat, vt quem patriae suae puderet.

Ibid. *Rhodanum*] Rhodanus fluuius est Galliae notissimus, qui ex alpibus nō longe quidem a Rheni Danubiique fontibus oritur, ac Lugdunum lstus, Ararim ibi suscipiens, mox Isaram Druentiamque, tribus ostiis in mare Tyrrhenum influit. Huius Strabo meminit & Caesar.

38. *Duci*] Ducuntur hi proprie, quos carnifices ad supplicia rapiunt. Suetonius in Caligula: *Stans tantummodo intra porticum mediam, a caluo ad caluum duci imperauit.*

Ibid. *Solutae manus*,] Innuit Claudium signo solutae manus, vt homines capite truncarentur, iubere solitum. Belle igitur dicit, solutam etiam manum Claudij, in hoc satis adhuc fuisse firmam, vt hominem capite priuaret.

39. *Putares omnes illius esse libertos*,] Notat hic Claudium, vt qui nimium in libertos suos indulgens esset. Vnde fiebat, vt ab his, quos non modo praemiis ingentibus, sed & quaesturis praetoriisque ornamentis ornari patiebatur, quibusque multa per fas & nefas acquirere rapereque permittebat, contemneretur, despiceretur, illuderetur.

41. *Vbi mures ferrum rodunt*.] Hoc ad excitandum risum dictum. significare autem vult magnam rerum mutationem, locique diuersitatem. Quasi diceret: Si mures hic ferrum rodunt, quales nos esse putas? Theophrastus autor est (vt refert Plinius lib. 8. cap. 57.) mures in Gyaro insula cum incolas fugassent, ferrum rosisse. Hic autem ridicule de coelo dictum, quasi & illic oporteat esse mures, sed praestantiores.

Ibid. *Citius mihi verum*,] Subaudi *dicito*, aut huiusmodi aliud: sed non scribitur, vt irati sermonem referas.

Ibid. *Alogias*] Stultitias. ἀλογίαν Graeci eam animae partem dicunt, quae rationis expers est.

42. Tragicus] Et hoc, vt alia multa, ad risum iocose dixit. Nota est Tragicorum amarulentia, tumiditasque.

43. *Exprome*] Carmen est Iambicum, quod constat in locis paribus semper ex Iambo aut tribreui: in imparibus indiscriminatim ex Iambo, Spondeo, Dactylo, Anapaesto, tribreui.

Ibid. *Exprome propere, sede qua genitum dicas*.] Exemplar vetus habet, *Exprime propere sed qua genitus duas*.

Hoc

Hoc carmen nescio quis mutauit in editione Romana, quemadmodũ & nos legere coacti sumus: sed prorsus infeliciter. Nam quid opus erat, pro elegantissimo & veteri verbo *cluas*, supponere *dicas*? Ego carmen sic restituendum arbitror: *Expromere properes, qua gente natus cluas.*

44. *Hoc stipite,*] Clauam obiectat.

47. *Mobile caput,*] Supra retulimus, Claudium fuisse capite admodum tremulo.

48. *Tergemini petens*] Notum est, quo pacto Hercules Geryoni tricipiti boues eripuerit, & secum in Graeciam duxerit. Qui fabulae originem nosse volet, Palaephatum euoluat. Arrianum quoque legat de gestis Alexandri Magni, lib. secundo, qui Hecataei Abderitae sententiam de Hercule & Geryone refert.

49. *Hesperio mari*] Hispanico.

50. *Inachiam ad vrbem*] Hoc est, Argos, Peloponnesi caput. Inachia (autore Stephano) Peloponnesum significat, non tantum Argos, ab Inacho fluuio. Vnde gentile Inachius. Verba Stephani haec sunt: Ἰναχία ἡ Πελοπόννησος, οὐ μόνον τὸ Ἄργος, ἀπὸ Ἰνάχου τοῦ ποταμοῦ· τὸ ἐθνικὸν Ἰνάχιος.

Ibid. *Nobile pecus,*] Boues Geryonis.

51. *Vidi*] Rediens ex Hispania.

Ibid. *Iugum,*] Cacumen montis.

54. *Ararque*] Ataris fluuius, qui per concisionem Arar dicitur, oritur non longe a monte Vogeso (qui Germaniam à Gallia hodie separat) in collimitio Burgundiae, Lotharingiaeque, ac decurrens per Eduorum Sequanorumque fines, Lugduni Rhodanum influit. Nunc Sonam vocant.

P. 478, v. 1. *Gallum in suo sterquilinio*] Simili prouerbio nostrates vulgo dictitant: Canem in suo sterquilinio, siue in suarum aedium vestibulo ferociorem esse. Non deest autem in Galli vocabulo latẽs morsus. Nam in Gallia, Lugduni videlicet, natus est Claudius: ceu supra quoque retulimus.

2. *Fortissime deorum*] Belle tribuit eam Herculi fortitudinem inter deos, quam inter homines habuit.

Ibid. *Mihi affuturum*] Opitulaturum.

3. *Et si quis a me notorem petisset,*] Non admodum mihi placet notoris vocabulum. Quando vero tantopere Claudius lingua Graeca delectabatur: quid si putemus hic non *a me notorem*, sed *amyntorem*, a Seneca fuisse scriptum? Significat autem ἀμύντωρ Graecis defensorem & vindicem. nisi libeat *autorem* legere pro patrono. Paulo post sequitur *contulerim*: quod fortassis esse debebat *exantlarim*.

6. *Maluisses cloacas Augiae purgare:*] Sic enim hunc locum ex codice manuscripto restituimus. Hic Augias tãtum fimi collegerat in stabulis suis, vt Αὐγείου βουστασία Graecis in prouerbium abierit, quoties hominem significare volunt, aut rem supra modum immundam. Augiae meminit Philostratus libro v t t t.

7. *Sed non miror, quòd impetum in curiam fecisti: quoniam volo.*] Hic locus sic legitur in libro vetusto: *Sed quoniam volo, non mirum, quòd in curiam impetum fecisti, nihil tibi clusi est.* quemadmodum & nos reposuimus. Caeterum aut mendosus est locus, aut (quod potius credo) Graeca hic desunt, & diuersas sententias librarius confudit. Fuit autem in hunc fortassis sensum aliquid scriptum: Sed bono animo sis, quoniam volo tibi patronus esse. Et sunt verba Herculis, Claudio respondentis. Interim irrumpit Hercules in Curiam, quam Seneca fingit in coelo: neque enim ciuilitatẽ didicerat inter homines, omnia cum impetu facere solitus. Itaque Semidei illi, qui intra Curiam erant, de Claudio recipiendo consultantes, irrumpentem illum, & clausa omnia suis viribus perfringere solitum sic alloquuntur: *Non mirum*, inquiunt, *quòd impetum in Curiam fecisti.* quasi dicant: Hoc tibi nouum non est. Nihil tibi clusi est. Modo dic nobis qualem Deum, & quae sequuntur.

8. *Ἐπικούρειος θεὸς non potest esse:*] Haec verba Ἐπικούρειος θεὸς, praesidio tenuium vestigiorum enata reposuimus: nisi mauis, Ἐπικούρου θεὸς. Restituimus & ea quae mox sequuntur: οὔτ' αὐτὸς πρᾶγμα ἔχει, οὔτ' ἄλλοις παρέχει. hoc est: *Neque ipse negocium habet, neque alijs exhibet.* Quam sententiam, velut aduersantem diuinae prouidentiae, hactenus explosit optimus quisque, sed in primis Christiani scriptores. Caeterum eleganter in Epicuri Deum iocantur Semidei isti, quando regnant, irascuntur, pugnant dij, si quid poëtis creditur. Epicurus autem hebetem & ignauum Deum inducit. Sed & in Stoicorum Deum iocatur, tãquam monstrosum: nam negant Deum Stoici membra habere, puta caput, pedes, ventrem, & quae sub ventre sunt. At dij vulgares & poetici de loco in locum migrant, comessantur, amant. Proinde Stoicus Deus, inquiunt, quomodo potest rotundus esse, sine capite & praeputio? Quasi dicat: Imperfectum quiddam est Stoicus Deus, & monstri simile. Concedunt tamen, Claudium posse Stoicum Deum fieri, quòd corde & capite careat: hoc est, prudentia & mente, propter stultitiam.

9. *Stoicus?*] Subaudi, *Deus fiat Claudius?*

Ibid. *Rotundus*] Perfectus. Horatius:

—Graijs dedit ore rotundo
Musa loqui.—

Figura enim orbicularis, quam & coelum possidet, perfectissima est.

10. *Sine capite, sine praeputio.*] Nam negant Stoici, inesse Deo humanae formae lineamenta. Iocatur itaque non tam in imperfectum Stoicorum Deum, quàm in Claudium ipsum, veluti carentem capite, eo quòd stultus esset, & carentem praeputio, vel ob morbum, vel quòd iam ob aetatem ad venerem importunus & inutilis foret.

Ibid. *Nec cor, nec caput*] Quia Stoici Deum faciunt incorporeum, & mentem duntaxat, cui nulla sint membra. Id torquet in stultitiam & amentiam Claudij. Apud Graecos obscoenus sermo, ἀκάρδιος dicitur: & cordatos vocamus prudentes.

11. *Hercules*] Iurantis est: & sunt verba alicuius diuorum. Ridiculum autem, iurare Deum per Herculem.

Ibid. *Si mehercules a Saturno petisses*] Cum hoc loco, & his quae sequuntur, diutissime luctatus sum, nec succurrebat exemplar manuscriptum. Opinor autem legendum: *Iustissime hercle a Saturno petisset hoc beneficium*, & quae sequuntur. Suntq; verba semidei cuiuspiã in illa Curia, quam in coelo Seneca fingit. Nã hoc animaduertere debet lector, semideos illos nũc nullo ordine obseruato loqui. Vnde postea Iupiter illos

obiurgat: *Ego P.C. inquit, interrogare vobis permiseram, vos mera mapalia fecistis.* Quasi diceret: In dicendis sententiis non seruatis ciuilem consuetudinem, sed rusticano more, quicquid in buccam venit, promiscue blateratis.

Ibid. *Hoc beneficium,*] *ἀποθέωσιν* videlicet, hoc est, deificationem.

Ibid. *Cuius mensem*] Saturnalia Romae celebrari mense Decembri solebant, ita vt intra quinque, aut quàm plurimum septem dies finirentur. Claudius autem, qui nunquam temere (quemadmodum testatur Tranquillus) triclinio abscessit, nisi distentus ac madens, toto anno visus fuit Saturnalia celebrare. De Saturnalibus Claudij Caesaris, ad Lucilium his verbis scribit Seneca noster, quae mire faciunt ad hunc locum: *December est mensis,* inquit, *quo maxime ciuitas desudat, ius luxuriae publice datum est, ingenti apparatu sonant omnia: tanquam quicquam inter Saturnalia non intersit, & dies rerum agendarum. Adeo nihil interest, vt non videatur mihi errasse, qui dixit, olim mensem Decembrem fuisse, nunc annum.*

12. *Eius princeps non tulisset.*] In his prodigiose corruptis locis nihil prorsus erat praesidij a codice manuscripto. Deprehendi tandem legendum, non *eius princeps*, sed *Caius princeps*. Sequitur mox, *illum deum a Ioue*. Liber vetus habet, *illum*   *Ioue*: sic vt inter *illum* & *Ioue* sit lacuna media. Porro persuasissimum mihi est, dictiones istas, *deum a Ioue*, nihil ad sensum facere. Doctus quispiam sic tumultuarie locum castigauit, *deum* & *a* praepositionem apponens, haud re diligentius perpensa. Ego legendum reor, *illum ἀποθεωθῆναι*, hoc est, in deorum numerum referri: nam dubio procul ignota vox Graeca librario occasionem dedit, vt omitteret. Sequitur, *damnauit incesti*. Lego, *damnatum incesti*. Sequitur, *Oropenque sororem suam*. In manuscripto codice est, *oro per quod sororem suam*. Coniicio scribendum, *eo quod sororem suam*. Sequitur, *quam quoniam omnes*. scribo, *quum omnes Venerem*: dispuncto relatiuo *quam*. Sequitur adhuc: *Quam, inquit, quaero tantum sororem suam stulte studere*. Sic & in exemplari scripto legitur propemodum, ita videlicet: *Quare, inquit, sororem suam stulte stude*. Locus est non solum mendosus, sed & obscurus. Diuinatione plane hic opus est. Fortassis legendum: *Quare inuidit Romae historiam suam. Auscultare Athenis dimidium licet, Alexandriae totum.* Vt huius semidei sententia taxet, quòd Graecas historias suas Claudius Alexandriae curarit recitandas singulis annis, & quidem opus vtrumque totum, per vices seorsim in duobus Musaeis, institutis stipendiis, veluti contempta Roma. Quam rem his verbis narrat Suetonius: *Denique,* inquit, *& Graecas scripsit historias, Tyrrhenicôn XX. Carchedonicôn VIII. Quarum causa veteri Alexandriae Musaeo additum ex ipsius nomine, institutumque vt quotannis in altero Tyrrhenicôn libri, in altero Carchedonicôn diebus statutis velut in auditorio recitarentur toti a singulis per vices.* Hactenus ille. Vides illos libros historiarum, autore Tranquillo, totos fuisse lectos singulis annis. Id ergo est quod dicit Seneca, *Alexandriae totum.* Fortassis alterum tantum volumen singulis annis apud Athenas recitabatur, non vtrumque: vt sit quod ait, *Athenis dimidium.* Porro validum argumentum, si diis placet, aduersus Claudium, quod Graecis plus fauere visus sit, quàm Romanis. Iam a nobis castigatae sententiae sic poterunt legi, & distingui: *Iustissime hercle a Saturno petisset hoc beneficium, cuius mensem toto anno celebrauit Saturnalia. Caius princeps non tulisset illum ἀποθεωθῆναι, qui (quantum quidem in illo fuit) damnatum incesti Syllanum generum suum occidit, eo quòd sororem suam festiuissimam omnium puellarum, quum omnes Venerem vocarent, maluit Iunonem vocare. Quare inuidit Rom. historias suas? Auscultare Athenis dimidium licet, Alexandriae totum. Quia Romae, inquit, mures molas lingunt. Hic nobis curua corrigit. Quid in cubiculo suo faciat, nescio: & iam coeli scrutatur plagas. Deus fieri vult. Parum est quòd templum in Britannia*, & quae sequuntur. Porro eius sententiae quae incipit, *Caius princeps non tulisset*, hic est sensus: Caius Caligula Caesar nunquam permisisset Claudium recipi in numerum deorum, vel ob hoc quòd generum suum L. Syllanum incesti statim damnauit, accusante Vitellio, sed Agrippina subornante, quòd illicito sororis suae Iuniae Caluinae amore teneretur: quum eidem crimini Caius Caesar longe magis fuerit obnoxius, ob omnes sorores suas adamatas, non vnam tantùm. Nam (vt Suetonius scribit) Caius Caligula cum omnibus sororibus suis stupri consuetudinem fecit, plenoque conuiuio singulas infra se vicissim collocabat, vxore supra cubante. Solent autem fures furibus, incesti incestis fauere. Blandimur enim hoc modo vitiis nostris. Porro non occidit Claudius generum suum Syllanum, sed ipso côniuente per edictum Vitellij ordine senatorio motus est, & eiurare magistratum coactus: quum forte eo anno praetor esset, & pridie senatus lectos foret, lustrumque conditum. Praeterea affinitatem Caesar diremit. Quibus rebus offensus ornatissimus iuuenis, & alias clarus insigni triumphalium & gladiatorij muneris magnificentia, quo die Claudius incestas illas nuptias cum Agrippina celebrauit, ipse sibi mortem consciuit: siue eousque spem vitae produxerat, seu delecto die ad augendam inuidiam, vt ait Tacitus. Atque hoc est quod hic Seneca vult his verbis: *Quãtum quidem in illo fuit, damnatum incesti Syllanum generum suum occidit*, nimirum ob praestitam mortis occasionem. Iam satis apertum puto, quid sibi velint illa verba, *eo quòd sororem suam festiuissimam omnium puellarum, quum omnes Venerem vocarent, maluit Iunonem vocare.* Significat enim per *Venerem*, non admodum castam foeminam Iuniam Caluinam, quam & Tacitus decoram, sed procacem appellat, a fratre Syllano, vxoris paene loco habitam: id quod per Iunonem, Ioui nexu coniugali copulatam, eleganter innuit. Porro dicterium Claudij, *Romae mures molas lingunt*, quo frequenter vti solitus videtur, perstringit Romanos, tanquam delicatos & fastidiosos, qui non quibuslibet scriptis recitandis interesse possint, precibus iam & precio corrogandi.

13. *L. Syllanum*] Hic Claudij gener a Vitellio, cum ad id instigaret Agrippina Augusta, de incestu sororis suae Iuniae Caluinae accusatus, quae ante Vitellij nurus fuerat, ordine senatorio motus est, nec longe post, mortem sibi consciuit. De hoc multa apud Cornelium Tacitum in duodecimo. Fit huius quoque paulo post mentio.

16. *Mures molas lingunt*:] Causatur mollitiem Romanorum, vt qui proni sint ad libidinem, sed non nisi pulcherrimas sollicitent. Mures enim vrbani farinam absumunt, & delicatissimis ad satietatem vsque vescuntur: cum rurestres interim fruticulos depascantur. Quin adeo molles sunt, vt nec caseum arrodant, sed lingant molitam farinam. Apparet hoc dictum fuisse familiare Claudio, de muribus ferrum arrodentibus.

Ibid. *Hic nobis curua corrigit.*] Subest, vt opinamur, sensus obscoenus: velut si diceretur: Claudius adeo

circa

circa venerem est intemperans, vt ad libidinem suo nos exemplo incitet. Etenim vt Claudianus verissime cecinit,

Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Corrigere, est emendare: est & rectum facere, atque arrigere. Si quis hoc simpliciter accipiendum putat, erit εἰρωνεία in censoriam Claudij seueritatem. Si referendum ad proxime praecedens dicterium, quid si legas? *Hic nos scurra Caesar regit*, vt sit alicuius Mimi clausula.

17. *In cubiculo*] Alludit ad hoc, quod refert Suetonius: Mortem videlicet eius celatam fuisse, donec omnia circa successorem ordinarentur. Iacuit itaque corpus mortui Claudij dies aliquot in cubiculo. Et haec verba & superiora, & quae proxime sequuntur, intellige Romae fuisse in senatu dicta, cùm deliberarent, esset ne in numerum deorum referendus Claudius: id quod etiam ex sequentibus magis patescet. Fingit autem Curiam in caelo, qualis erat Senatorum Romae.

18. *Templum in Britannia habet,*] De hoc sic Tacitus, vbi de Camulodumo loquitur: Ad haec templum diuo Claudio constitutum, quasi ara aeternae dominationis aspiciebatur.

19. *Tandem Ioui venit in mentem, priuatu*] Fortassis legendum, *primatem intra Curiam moranteis sententiam dicere, nec disputare.* Vt intelligas, voluisse Iouem senatores primae autoritatis sententiam dicere omissa ista pedariorum senatorum disputatione.

20. *Vos mera mapalia*] Promiscue sententiam ferentes, non seruato ordine alius alium turbantes. Mapalia sunt tuguria rusticorum. Estque vocabulum Punicum. Allusit autem ad prouerbium, *Rus ciuitas.* Cõfine est Epicharmicum illud, ἀγρὸν τὰν πόλιν ποιεῖς: id est, *E ciuitate rus facis.*

21. *Qualiscunque est,*] Quàm contemptim hoc de Caesare dicit Iupiter.

22. *Dimisso,*] Secedere iusso.

Ibid. *Ianus pater*:] Per Ianum hic aliquem senatorem intelligit. Sed & Acron in Satyram Horatij, cuius initium, *Sic raro scribis*, testatur Iano tres in foro fuisse statuas: ad vnam conueniebant creditores & foeneratores: ad alteram, qui foenus redderent: ad tertiam, qui locarent foenus. Indicat igitur hic, fuisse maximum quaestum Claudij.

23. *Homo quantum via sua fert,*] Ostendimus alias, quo sensu sit accipiendũ id, *quantum via sua fert.* Quia tamen praecedit *homo*, quid si legas? *quantumuis vafer, & qui semper videt* ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω. hoc est, *simul ante & post.* Quae Graeca verba restituimus ex vestigiis, quae erant in codice manuscripto. Clausula est, qua Homerus saepe vtitur: vt Iliad. α, & rursum Iliad. γ.

Οἷς δ' ὁ γέρων μετέῃσιν, ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω. Et Iliados σ.

— ὁ γὰρ οἶος ὅρα πρόσσω καὶ ὀπίσσω.

de Polydamante loquitur.

Ibid. *Semper videt*] Vel quòd bifrons, vel quòd tres haberet statuas. Et addidit ridicule, *quantum via fert*, quasi videre, sit videri.

24. *Quod in foro viuat,*] Notat ambitionem fori, quòd a patrono iam non veritas, sed eloquentia exigeretur: & iudex non tantum doceri cuperet, sed etiam delectari. Quemadmodum indicat & Quintilianus. Non dubito autem quin hic legendum sit *viuat*, non *iuuat.* Notat autem quempiam, qui consul factus erat ex numero nummulariorum, assidue in foro versantium. Nam qui inter homines versantur, plus eloquentiae plerunque habent.

Ibid. *Ne alijs verbu*] Ridicula religio in re conficta, sed festiuiter simulata.

25. *De magnitudine*] Subnotat locos communes, in quibus ostentandi ingenij causa nimium solent immorari Rhetores.

26. *Iam fama minimum fecit.*] Duo notat, passim collectos sordidos in ordinem senatorium, & pessimos etiam imperatores, in deorum numerum relatos, magis iam ex more, quàm ex merito. Exemplar manuscriptum *nimium* habet, non *minimum.* Fortassis legendum, *mimum fecit.* Vt sit sensus: Adeo vulgaris res esse coepit, etiam immeritos inter deos consecrare, vt scenicis ludis argumentum subinde praebeat. Nam quid est aliud hic Senecae ludus de apotheosi Claudij, quàm mimus quidam? Significat autem mimus modo histrionem actorem, modo carmen ipsum siue fabulam. Sic Laberius mimum quendam, vt autor est Gellius, Cophinum inscripsit: alium, Alexandriam: alium, Fullonem. Huiusmodi mimus fuit Laureolus quem Catulus Mimographus edidit, in quo iudex agebatur in crucem. Laureoli mimi Iuuenalis & Martialis meminerunt, & Tranquillus in Caio Caligula, his quidem verbis: *Et quum in Laureolo Mimo, in quo actor proripiens se ruina sanguinem vomuit, vt plures secundarum certatim experimentum artis darent, cruore scena abundauit.* Quem locum sic opinor legi debere: *in quo actor prorepens è ruina, sanguinem vomuit, plures secundarum*: & quae sequuntur. Iam arbitror liquere, quid sibi Septimius Tertullianus, omnis antiquitatis peritissimus, velit, quum in libro quo aduersum Valentinianos pugnat, sic scribit, de Enthymesi illa Valentinianorum loquens: *Ita depulsa*, inquit, *quo minus pergeret, nec habens superuolare crucem, id est Horon, quia nullum Catuli Laureolum fuerat exercitata, vt destituta, vt passioni illisa, in trica multiplici atque perplexa, omni genere eius coepit adfligi.* Vult enim dicere, Enthymesin non fuisse exercitatam in scena, in agenda fabula illa quam Catulus Mimographus Laureolum inscripsit, in qua iudex in crucem agebatur. Alioqui si illam scenicorum histrionum in repraesentanda in crucem acti praesidis fabula dexteritatem habuisset, fortassis crucem superuolasset, id est, Horon.

Ibid. *Etiam pessimum quenque illum affectare.*] Haec clausula non est in codice Wissenburgensi.

Ibid. *Illum*] Honorem.

27. *In personam, non*] Nam cum in genere dicit, in rem pronunciat, non proprie in Claudium.

28. *Ex his qui* ἀρούρης καρπὸν ἔδουσιν:] Id est, *agrorum fructu vescuntur.* Restituimus hunc locum manuscripti libri vestigiis adiuti. Est autem apud Homerum Iliados ζ.

Εἰ δέ τίς ἐσσι βροτῶν οἳ ἀρούρης καρπὸν ἔδουσιν.

Ibid. *At ex his quos alit* ζείδωρος ἄρουρα.] Hoc est, *frumentiferum rus.* Et hunc locum eruimus. Est autem haec clausula apud Homerum frequenter obuia: vt Odysseae α.

Καὶ γὰρ Κυκλώπεσσι φέρει ζείδωρος ἄρουρα.

Est vero *ζείδωρος* terrae epithetum.

29. S.C.] Senatusconsultum.

Ibid. *Dictus, pictus ve*] Est nonnihil festiuitatis in imitatione: nam his modis loquuntur iureconsulti, & qui senatusconsulta conscribunt.

Ibid. *Dedi laruis,*] Terriculamentis inferorum. Laruae sunt noxiae inferorum vmbrae. Et dedimus noxae animal quod laesit. Fecit iniuriam laruis, qui mortuus pro Deo voluerit haberi, cum nihil sit nisi vmbra.

Ibid. *Eum dedi laruis. Sed proximo munere inter nouos autoratos,*] Reposuimus ex manuscripto codice pro *dedo*, *dedi*: & pro *noxios*, *nouos*. Porro sententia adhue est imperfecta, nisi pro *sed*, legamus *& proximo*. Sic autem restitui debet: *Qui contra hoc S.C. Deus factus, dictus, pictus ve erit, eum dedi laruis, & proximo munere inter nouos autoratos, ferulis vapulare placet*. Nam ad hoc verbum *placet*, in fine, etiam superiora referri debent. Ex hoc loco veterem spectaculorum morem animaduertere licet, quo ferulis verberabátur, qui nuper se lanistis addixissent. Nam hos vocat autoratos, vbi rudes adhuc primum in harenam prodissent. Solent autem in nulla nō arte ludiero aliquo tentari rudes. Sic mos tentandi nouos scholasticos Athenis obseruatus narratur in vita Magni Basilij, de Basilio & Gregorio Nazianzeno.

30. *Diespiter*] Iouis cognomentum est: quem sic vocant, quasi diei patrem.

31. *Cos. numularteolus. Hic quaestu se sustinebat, vendere ciuitatulas solebat. Ad hoc velle accessit Hercules,*] Hunc locum ausim iurare corruptissimum esse. Nam istae dictiones, *Ad hoc velle*, plane portenta quaedam sunt mendarum. Diu hic laboraui, nec quicquam venit in mentem quod prorsus probem. Inter caetera visum est legi posse, *Cos. numulariolus. Hic quaestu se sustinebat, vendere ciatatulis solebat olei culleos. Accessit Hercules*, &c. Tum videndum, an pro numulariolo legendum sit *culleariolus*. Sed haec coniectura esto.

32. *Et auriculam ei tetigit.*] Auris memoriae dicata. Vnde qui attestantur, aut admonent, auriculam vellere dicuntur.

33. *Diuum Augustum sanguine*] Fuit enim nepos Augusti. Nam patrem Claudij Caesaris Drusum, cum Liuia Augusto grauida nupsisset, intra mensem tertium peperit. Autor Tranquillus.

34. *Quam ipse deam esse iussit,*] Auiae enim Liuiae (vt refert Suetonius) diuinos honores, & Circensi pompa currum elephantorum decernendum curauit.

Ibid. *E Repub.*] Ex vsu Reipub. Romanae.

35. *Qui cum Romulo possit feruentia reparare.*] Exemplar manuscriptum habet, *Qui e Romulo possit feruentia rapa notare*. Ego castigaui *vorare*. Caeterum videndum, an pro *Romulo* scribendum sit *rhombulo*. vt hic sit sensus: Expedire esse aliquem, qui feruentia rapa voret e rhombulo: hoc est, vase eius figurae cuius est rhombus. Fieri potest, vt huiusmodi vase peculiariter vsus sit Claudius. Boletorum, & similium ciborum, quibus & rapa annumerari possunt, auidum illum fuisse, Suetonius tradit.

38. *Eamque rem*] Innuit *ἀποθέωσιν* Claudij plane esse fabulam, ac proinde dignam, quae fictis Ouidij transformationibus infulciatur. Describit enim Ouidius *μεταμορφώσεις* fabulosas: vt AEgles puellae in populum arborem, Hecubae in canem.

Ibid. *Et videbatur Claudius sententiam vincere.*] Vetustior codex habet *sentratia*. Coniicio scriptum a Seneca fuisse, *Et videbatur Claudium vna vincere*, subaudi *sententia*. Pars Claudio fauentium vno tantum calculo vincebat partem diuersam. Atqui de, Claudium paucis fuisse probatum.

39. *Ferrum suum in igne*] Hoc est, rem suam agi. rogatus enim erat, vt Claudio patrocinaretur. Sumpta est metaphora a fabro ferrario. Suballudit autem ad hoc, quòd Hercules etiam ex homine Deus factus esset: id quod tanta nunc ambitione Claudius assequi nitebatur. Ac profecto Hercules Claudium Deum Romae effecit: hoc est, precibus & instinctu Agrippinae, hoc modo dati veneni suspicionem euitare volentis, senatus quasi vi impulsus, Claudio diuinos honores decreuit.

40. *Noli mihi inuidere,*] Expressit Seneca morem, etiamnum magis communem quàm vtilem.

41. *Manus manum lauat.*] Prouerbium est de opera mutuum praestanda. Graece sic effertur, *χεὶρ χεῖρα νίζει*.

Ibid. *Tum diuus Augustus*] Quoniam superiora ad senatum Romanum retulimus, hic sub Augusti persona Neronem Caesarem intelligere poteris. Nam Nero Claudium diuinis honoribus destituit, omnibus rerum verborumque contumelijs mortuum insectatus, ac modo stultitiae, modo saeuitiae arguens, vt refert Tranquillus.

42. *P.C.*] Patres conscripti.

Ibid. *Ex quo Deus factus sum,*] Ridet Augusti diuinitatem. Nam huic viuo quoque diuini honores contigerunt. Mortui non loquuntur.

43. *Meum negocium ago.*] Salse significat, iam priuatum nec curare, quid agatur vsquam.

44. *In hoc*] Ad hoc. Et pronunciandum cum exclamatione.

45. *Operibus*] Vt foro cum aede Martis vltoris, templo Apollinis in palatio, aede tonantis Iouis in Capitolio.

46. *Infra indignationem*] Quasi dicat: Etiam si multa nunc allegem, adhuc non videbor indignatus, sed iuste conqueri.

47. *Praecidit*] Verba sunt ex aliqua oratione Messalae. Subest autem iocus ex ambiguitate. Nam *praecido* significat *amputo*, & aliud obscoenius, quàm vt libeat exponere.

48. *Quàm canis frustum abscidit.*] Emendaui, *Quàm canis excidit*, exemplar manuscriptum secutus. Videtur autem Claudius canibus exectis delectatus fuisse. Porro quando manuscriptum exemplar mire corruptum est, suspicari libet hic scriptum fuisse, *exta edit*, pro *excidit*: vt sit ad Graecum prouerbium allusio, *κύων παρ' ἐντέροις*, id est, *Canis iuxta intestina*.

49. *De tot actibus tuis*] In cognoscēdo enim ac decernēdo mira varietate animi fuit: vt inquit Trāquillus.

Ibid. *sed*

Ibid. *Sed quid ego de tot actibus iuris dicam.*] Forcassis legendum, *de tot praestantibus viris*: aut, *de dodrantibus vsuris.*

50. *Nam τῆς ὀργῆς aegre senescit ὁ νόσος*] Hunc locum maximo labore restitui, quod Graeca Latinis litteris essent scripta, & Latina non minus deprauata forent quàm Graeca, hoc modo: *Nam & si Phormea Graece nescit, ego scio.* Sensus est, irae morbus aegre senescit. Reddit rationem Augustus, cur domestica mala potius commemorare velit, quàm publica. Alludit ad prouerbium, *Ira omnium tardissime senescit*: quod Graeci dicunt, *ὁ θυμὸς ἔσχατον γηράσκει*, id est, *ira postremum senescit.*

Ibid. *Πυργοπολυνίκης iste, quem videtis*] Et hoc verbum ex qualibuscunque vestigiis reposui. Thrasonicum nomen est, ab expugnatis arcibus & oppidis deductum: quo gloriosum militem Plautus vocauit. Notatur autem hic Claudius, qui potentiam suam in miseros, & qui resistere non possent, ostendere voluerit.

52. *Duas Iulias*] Nam Iulias, alteram Drusi, alteram Germanici filiam crimine incerto, nec defensione vlla data occidit. Hic Drusus autem & Germanicus Tiberij Caesaris fuerunt filij.

53. *Videris Iupiter, an in tua certe mala.*] Codex vetustior habet: *Videris Iup. an in causa, certe in tua.* Scriptum opinor a Seneca, *Videris Iupiter non mea mala, certe in tua, si hic inter nos futurus est.*

54. *Quos quasque*] Imitatio festiuitatem habet, simul & emphasin. Sic enim loquuntur in iudicialibus causis. Et intelligimus illum nec foeminis pepercisse.

55. *Ecce Iupiter,*] Alludit ad id quod est apud Homerum, in fine primi Iliados. Iupiter aliquando cum Iunone, quod inter coniuges non ita rarum est, rixatus, cum verbera huic infligere coepisset, Vulcanus qui forte tum aderat, accurrens Iunoni subsidium ferre volebat. At Iupiter iratus hunc pedibus arreptum e coelo rotauit: qui cum totum diem decidendo consumpsisset, tandem in Lemnon insulam (mane enim deiectus fuerat) sub vesperam lapsus, ibi statim ab indigenis subleuatus est. Quod apud Homerum his carminibus ipse testatur, dum Iunonem monet, ne marito aduersetur: sin illius in se furorem concitet, Vulcanum nequaquam suppetias laturum, vtpote qui Iouis iram olim senserit:

Ἤδη γάρ με καὶ ἄλλοτ' ἀλεξέμεναι μεμαῶτα,
Ῥῖψε ποδὸς τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο.
Πᾶν δ' ἦμαρ φερόμην, ἅμα δ' ἠελίῳ καταδύντι
Κάππεσον ἐν Λήμνῳ (ὀλίγος δ' ἔτι θυμὸς ἐνῆεν)
Ἔνθα με Σίντιες ἄνδρες ἄφαρ κομίσαντο πεσόντα.

Quos versus sic nos, vt sententiam redderemus, extempore Latinos fecimus:

Me siquidem laesae nuper tibi adesse volentem,
Arreptum pede de magno deiecit Olympo.
Atque diem totum delapsus ab aethere tandem
In Lemnon cecidi, exanimi vix pectore spirans.
Hic vbi me pia gens delapsum attollere curat.

Huius fabulae sic meminit Phornutus, simulque rationem reddit: *ῥιφῆναι δὲ ὑπὸ τοῦ Διὸς ἐξ οὐρανοῦ εἰς γῆν λέγεται, διὰ τὸ τοὺς πρώτους ἴσως ἀρχομένους χρῆσθαι πυρὶ, ἐκ κεραυνοβολίου καιομένῳ τινὶ ἐντυχεῖν, μηδέ πω ἐπίνοιαν τοῖς πυρείοις ἐναύειν δυναμένους.* id est, *Vulcanus a Ioue proiectus in terram e coelo dicitur: quòd hi forsan, apud quos primum in vsu fuit ignis, ex ictu fulminis hunc nacti fuerint, quum instrumenta, quibus ignem excuterent, nullo adhuc ingenio reperissent.*

56. *Vni Vulcano crus fregit, quem ῥῖψε ποδὸς τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο: & iratus fuit vxori,*] Sic nos hunc locum restituimus praesidio manuscripti codicis. Nam verba quae in priore editione legebantur, *Et in Lemnon coelo deturbauit, non extinxit*: doctus aliquis adiecerat, vt lacunam Graeci carminis expleret. Versus est apud Homerum Iliados α. quem sic reddere possis:

Arreptum pede de magno deiecit Olympo.

58. *Iratus fuit vxori,*] Cum Hercules olim ex iussu Iunonis nauigationem instituisset, haec vt suum odium nusquam non ostenderet, illi, exorato Borea, ventos aduersos immisit. Iupiter ob id indignatus, Iunonem ex alto suspendit, geminam incudem pedibus appendens. Sic enim Iliados ο. loquitur, hoc illi in memoriam reducens:

Ἦ οὐ μέμνῃ ὅτε τ' ἐκρέμω ὑψόθεν, ἐκ δὲ ποδοῖιν
Ἄκμονας ἧκα δύω; —

Quorum versuum hic sensus est:

Ex alto ne tenes quòd cum suspensa fuisti,
Nos pedibus geminam incudem demisimus?

Cuius fabulae, quemadmodum & superioris, causam assignat Phurnutus, *περὶ τῶν παραδεδομένων μύθων*, his verbis: *ἔοικε δ' ὁ ποιητὴς μύθου παλαιοῦ παραφέρειν τοῦτο, καθ' ὃ ὁ Ζεὺς ἐμυθεύετο κρεμάσαι τὴν Ἥραν χρυσαῖς ἁλύσεσι, τῷ χρυσοφανῆ τὰ ἄστρα· καὶ ἐκ τῶν ποδῶν αὐτῆς δύο ἄκμονας ἐξηρτηκέναι, τὴν γῆν δηλονότι, καὶ τὴν θάλατταν· ὑφ' ὧν τείνεται κάτω ὁ ἀὴρ μηδετέρωθεν ἀποσπασθῆναι δυνάμενος.* *Ex antiqua fabula videtur,* inquit, *poeta hoc afferre, qua Iouem fabulabantur, Iunonem aureis cathenis suspendisse, nempe quòd auri fulgorem stellae possideant. Ac ad pedes eius appendisse duas incudes, mare videlicet & terram: a quibus deorsum tenditur aer, sic vt ab horum neutro diuelli possit.* Huius etiam fabulae meminit enarrator τῶν Στηλιτευτικῶν Gregorij Nazianzeni.

Ibid. *Messalinam,*] Haec fuit vxor Claudij: quam mori compulit, vt est apud Tacitum. Fuit igitur immitior Ioue.

P. 479, v. 1. *Nescio, inquit.*] Alludit ad hoc quod Tacitus refert. Messalinae enim iam mortem expectanti, Claudius vbi vino incaluerat, nunciari iubet, ad dicendam causam postero die adesset. quod Narcissus accusator intelligens, ne, si euaderet, in se pernicies verteretur, denunciat centurionibus & tribuno, qui tum aderãt, exequi caedem, ita imperatorem iubere: illi eam interfecerunt. Nescire autem visus est. Nam occisa Messalina (inquit Suetonius) paulo post quàm in triclinio decubuit, cur domina non veniret, requisiuit. tantae fuit & obliuionis & inconsiderantiae.

2. *C. Caesarem*] Caium Caligulam putat. is fuit Claudij ex fratre nepos: qui incredibili saeuitia aduersus

omne genus hominum grassatus est. Quem rerum natura (velut alio loco scribit Seneca) non nisi in exitium opprobriumque humani generis edidit.

Ibid. *Occiderat ille socerum:*] Syllanum enim socerum Caius ad necem secandasque nouacula fauces compulit, causatus in eo, quòd ingressum se turbatius mare non esset secutus, ac spe occupandi vrbem, si quid sibi per tempestatem accideret, remansisset: quum Syllanus impatientiam nauseae vitasset, & nauigandi molestiam. Autor Tranquillus.

3. *Hic generum.*] L. Syllanum, de quo ante & paulo post.

Ibid. *Crassi filiam vetuit*] Cn. enim Pompeio stirpis antiquae, Magni cognomen Caius ademit: vt meminit etiam Suetonius.

Ibid. *Hic nomen*] Fecit enim generum suum: nam Antoniam filiam maiorem, illi vxorem dedit.

4. *Caput tulit.*] Ambiguum est. Potest enim intelligi *caput tulit*, hoc est, exeruit caput, & ad honores eleuauit: & *caput tulit*, hoc est, amputauit.

5. *Tam fatuam, vt etiam regnare posset.*] Alludit ad vulgi dicterium, quo regum stultitiam passim notabãt. In quam & ab Erasmo declamatum est in prouerbio, Aut regem, aut fatuum nasci oportet. quod in huius ludi exordio statim vsurpauit Seneca.

Ibid. *Cogitate P.C.*] Haec verba, & quae sequuntur, vsque ad eam sententiam, quae incipit, *Hunc nunc deum facere vultis?* non erant in codice Wissenburgensi.

Scilicet] Ironiae cum infitiatione accommodata est particula. Quemadmodum & illud apud Poetam:

Scilicet hic superis labor est.

Dryadarum] Dryudarum religionem (inquit Suetonius) apud Gallos dirae immanitatis, & tantum ciuibus sub Augusto interdictam penitus aboleuit. De Dryudibus Gallorũ sacerdotibus multa meminit Caesar in sexto.

Immanem religionem] Nam pro victimis homines mactabant: vt refert Caesar.

Vt Romae nuptiarum] Sensus est: Claudius hanc ob causam Dryudarum religionem deleuit, vt fratris sui filiam Agrippinam ducere posset: quod non licebat ante. Nam Claudius senatum ingressus decretum postulauit, quo iustae inter patruos fratrumque filias nuptiae etiam in posterum statuerentur. Exstat apud Tacitum, in hanc rem Vitellij oratio coram senatu habita.

X X X. *Senatores*] De hoc sic Suetonius: *Die ipso Claudij & Agrippinae nuptiarum, in quinque & X X X. Senatores, trecentosque amplius equites Rom. tanta facilitate animaduersum, vt de nece consularis viri renunciante centurione, factum esse quod imperasset, negaret Claudius quicquam se imperasse, nihilominus rem comprobaret, affirmantibus libertis, officio milites functos, quod ad vltionem imperatoris vltro procurrissent.*

7. *Tria verba*] Quòd balbus esset: & tamen iudicis est tria verba dicere, quae diebus nefastis non licebat. Est autem iucunda *παρονομασία* in dicat & ducat.

9. *Summa rei,*] Imperij.

10. *Ex tabella recitauit:*] Alludit ad consuetudinem antiquam, qua in senatu censentes, de scripto sententiam proferebant: & *recitare* verbum hoc significat.

11. *Appium Syllanum*] Quem cum Messalina & Narcissus conspirassent perdere, diuisis partibus, alter ante lucem similis attonito, patroni cubiculum irrupit, affirmans somniasse se vim ei ab Appio illatam: altera in admiratione firmata sibi quoque eãdem speciem aliquot iam noctibus obuersari retulit. Nec multo post ex composito irrumpere Appius nunciatus, cui pridie ad id temporis, vt adesset, praeceptum erat, quasi plane repraesentaretur somni fides, arcessi statim ac mori iussus est. Haec Suetonius.

13. *Crassum frugi*] Huius meminit quodam loco Tranquillus.

Ibid. *Tam similem sibi, quàm ouo ouum,*] Prouerbium est, quo vtimur, propinquam similitudinem indicantes. Vide Chiliades Erasmi Roterodami.

14. *Nec illi rerum iudicandarum vacationem*] Quemadmodum ipse viuens pro conditione cuiusque ciuis vacationem legis Papiae constituerat: hoc est, vt ea lege non tenerentur.

16. *Pedibus in hanc sententiam*] Non pauci sunt, qui opinantur, pedarios senatores appellatos, qui sententiam non verbis dicerent, sed in alienam sententiam pedibus irent: inquit Gellius lib. 3. Vnde dictum est, *in sententiam ire*, & *pedibus ire in sententiam.*

Ibid. *Cyllenius*] Mercurius, a Cyllene monte Arcadiae sic dictus.

18. *Vnde negant*] Versus est Catulli de passere mortuo Lesbiae: *Illuc vnde negant redire quenquam.*

19 *Viam sacram,*] Via est Romae sic dicta. In hac apparet illum fuisse sepultum.

20. *Vt sciret deum efferri,*] locus est a stultitia. Nam hoc ipsum pugnat cum ratione Dei, efferri mortuum.

21. *Omnisque generis sonatorum*] In exemplari manuscripto legitur *senatorum*, pro *sonatorum*. Ego castigaui *aeneatorum*. Sunt autem aeneatores, tubicines: quòd tubae ex aere fiant.

22. *Vt etiam Claudius*] Tam stupidus & somnolentus, denique mortuus.

Ibid. *P. R. ambulabat tanquam liber.*] Vetus codex habet *ambalat*. Malim *iubilat*, siue *iubilabat*.

23. *Pauci causidici plorabant,*] Merito lugebant causidici ob mortuum Claudium, quippe qui in se nimia facilitate vsus esset. Scribit enim Tranquillus, se a natu maioribus audisse, causidicos adeo patientia Claudij abuti solitos, vt descendentem e tribunali non solum voce reuocarent, sed & lacinia togae retẽta, interdum pede apprehenso, retinerent.

Ibid. *Sed plane ex animo.*] Obiter taxat publicum morem, quo lugebant etiam conducti. Iuuenalis:

Ploratur lacrymis amissa pecunia veris.

24. *Tanquam qui tam maxime reminiscerent.*] Hic erat in volumine Wissenburgensi lacunula quaedam. Verbum *reminiscerent* integre erat perscriptum.

26. *Dicebam vobis, non semper*] Hoc est: Praedicebam vobis, Non semper adeo fauentem Caesarem habebitis, cuius abutamini patientia. Saturnaliorum licentia nota est: in quibus serui quoque libertate gaudebant, & domini vicissim seruis ministrabant. Sub Claudio plus poterant aduocati quàm iureconsulti. Sapit prouerbium

pit prouerbium simile illi, *θύραζε Κᾶρες, οὐκ ἔτ' Ἀνθεστήρια*: id est, *Foras Cares, non amplius Anthisteria.*

27. *Ingenti enim ὁμάδῳ χορικῶς Naenia cantabatur Anapaestis.*] Haec verba nos vtcunque eruimus e vestigiis, quae erant in exemplari manuscripto. Per *ὅμαδον*, vocis contentionem intellige. Cuius contrariũ est *ἄναυδος*.

28. *Fundite*] Anapaestica sunt, familiaria tragoedijs, licet recipiant Dactylos & Spondeos. Postremo tamen loco non admittunt nisi Spondeum, aut Anapaestum.

30. *Cordatus homo,*] Volumen manuscriptum habet. *cordatus iano.* Proinde censeo scribendum, *cordatus Sino*: nam praecedentis dictionis vltimum elementum est *s*: vt ad Sinonem Virgilianum sit allusio.

32. *Rebelles Parthos,*] De Parthis sub Claudio Mithridatem regem expetentibus, ac de eorum dissensione, lege Tacitum in XII.

34. *Qui*] Id est, quo: scilicet neruo.

Ibid. *Vulnere paruo*] Sagittae.

35. *Pictaque terga*] Propter scutum pictum.

36. *Britannos*] Nam, vt inquit Suetonius, a Gessoriaco (nunc Calesium vocant) in Britanniam transmisit, ac Cn. Sentij & Auli Plautij ductu, sine vllo proelio aut sanguine, intra paucissimos dies parte insulae in deditionem recepta, sexto, quàm profectus erat, mense, Romam rediit, triumphauitque maximo apparatu.

37. *Brigantas*] Populi sunt Britanniae: de quorum discordiis meminit Cornelius Tacitus in duodecimo. nunc eam regionem Valli habitant. Ponit etiam Brigantium oppidum Ptolemaeus in descriptione Rhetiae.

38. *Et ipsum noua*] Hoc dixit propter Orcadas insulas, quas Claudius imperio Romano primus adiecit, vt testatur Eusebius.

40. *Non alius citius*] Locus est ex ambiguo. Nam cito cognoscit, qui statim intelligit, & absoluit. Et cito cognoscit, qui pronunciat, non auditis partibus, ita vt Claudius solebat.

42. *Toto anno?*] Ius enim laboriosissime dixit, etiam suis suorumque diebus sollennibus nonnunquam, festis quoque antiquitus & religiosis. Autor Tranquillus.

43. *Quis dat*] Iudex inferorum Minos, qui quondam Cretae praefuit. Hunc post mortem ob iustitiam suam poëtae apud inferos ius dicere finxerunt. At Cretenses, vt quos ciuilitate & moribus erudiit, ad Ionem tanquam praeceptorem itasse memorant, in Ida monte speluncam ostendentes: atque illi in nonum annum consuesse, nec non didicisse, quae ad Rempublicam instituendam vtilia forent. Id quod Max. Tyrius his verbis innuit: *Τί δὲ οἱ Κρῆτες; ἢ οὐχ ὁ δῆμος ὑπὸ βασιλεῖ τῷ Μίνῳ παρασχόντες καλῶς ἀγαπῶντες τὰς ἀρχάς, διδάσκαλον αὐτοῦ ἐπιφημίζουσι τὸν Δία· καὶ δεικνύουσι μὲν αὐτόθι ἐν τῇ Ἴδῃ ἄντρον Διός, φασὶ δὲ τὸν Μίνω δι' ἐνάτου ἔτους συγγινόμενον τῷ Διὶ μανθάνειν παρ' αὐτοῦ τὰ πολιτικά. ὅτι Κρητικὸς λόγος.* Meminit huius Homerus Odysseae vndecimo.

45. *O causidici, venale genus.*] De rhetoribus dictum, *ἀπεμπολοῦσι τὴν χεῖρα τοῖς χρήμασι καὶ τὴν φωνὴν πραγματεύονται*, qui muneribus linguam venditant. Sic Velleius Paterculus, vetustissimus scriptor, quem nos nuperrime in Murbacensi bibliotheca reperimus, aliquando studiosis imperrituri, Plancum proditorem, qui ab Antonio ad Caesarem transfugerat, in omnia & in omnibus venalem perquam eleganter appellat.

47. *Concusso fritillo.*] Nam (autore Suetonio) Claudius alea studiosissime lusit, de cuius arte librum emisit. Solitus etiam erat in gestatorio ludere, ita essedo alueoque adaptatis, ne lusus confunderetur.

49. *Talthybium*] Est Talthybius praeco apud Homerum in primo Iliad. quem Agamemnon ad tentoria Achillis misit.

Ἀλλ' ὅγε Ταλθύβιόν τε καὶ Εὐρυβάτην προσέειπεν. Id est:
Ast hic Talthybium affatus fuit Eurybatenque.

Est & nuncij nomen apud Euripidem, qui Hecubam iussit filiam suam Polyxenam sepelire.

52. *Narcissus*] Ab epistolis Claudij, ante omnes dilectus.

Dominus Domini] Scribit enim Cornelius Tacitus, Claudium libertos, quos rei familiari praefecerat, sibique ac legibus adaequasse. De immodicis Narcissi diuitiis, & Claudij in eum indulgentia, sic scribit Satyricus:

Nec Croesi fortuna vnquam, nec Persica regna
Sufficient animo, nec diuitiae Narcissi,
Indulsit Caesar cui Claudius omnia.—

Dominus Domini] Non est in codice Wissenburgensi.

54. *Virga*] Caduceo.

55. *Facile descenditur.*] Alludit ad poetam:

—Facilis descensus auerni.

56. *Velut ait Horatius,*] Est apud Horatium in Oda, qua arborem alloquitur, cuius casu pene perierat, vbi inquit:

Demittit atras bellua centiceps
Aures, & intorti capillis
Eumenidum recreantur angues.

P. 480, v. 1. *Nec quem velis*] Superstitiosa siquidem antiquitas nigri seu deformis occursum, infelicis ominis loco ponebat. Et tempus nocturnum alioqui per se subinfaustum habetur. Hinc illud apud Satyrographum.

Et cui per mediam nolis occurrere noctem.

Ab historicis memoriae proditum est, quo pacto quidam imperator, quòd in via Maurum histrionem habuisset obuium, mortem sibi sit ominatus.

Ibid. *Claudius Caesar venit.*] Vetus: *Et magna voce, Claudius, inquit, veniet. Cum plausu,* &c. Nam duae istae dictiones, *Ecce extemplo*, illic non habentur.

2. *Procedunt cantantes:*] Ex notulis imperfectis litterarum Graecarum, quae erant in libro veteri, nihil

potui certi colligere. Forte *Σφενδόνη naeniam χοεμῶς legendam.* Sed haec coniectura esto.

Ibid. *Hic erat cos.*] Mira hic diuersitas exemplaris, quae plerumque solet accidere in propriis nominibus. Primum erat lacunula: deinde pro *Ianio praetore, vnus praetorius*: pro *Trallianο, Trallius*: pro *Coriotecto, Cotatectus*: postremo pro *Pusidio, Pabius.*

3. *Trogus,*] Sautelli Trogi meminit Tacitus.

4. *Quos Narcissus duci iusserat.*] Hi iussu Narcissi fuerant occisi.

Ibid. *Medius erat in hac cantantium turba noster Pantomimus,*] Sic & in codice manuscripto legitur. Nos tamen pro *noster*, substituimus *Nestor.* Nam indubie locus hic de M. Nestore est intelligendus: cuius semel atque iterum in vita Caij Caligulae meminit Suetonius, adamatum ab illo tradens.

Ibid. *Pantomimus*] Mimus imitatorem significat: Pantomimus est, qui omnes personas effingit, repraesentatque.

5. *Quem Claudius decoris causa*] Nescio an sit legendum *Caius*: vt intelligas, Nestorem amasium ex obeso graciliorem factum.

6. *Consolarunt primum omnium*] Vetustus liber habet, *Consolarunt omnium liberti.* Fortassis scribendum, *Consolarunt obuiam liberti.*

Ibid. *Myron, Ampeus Ampyronas.*] Hic rursus nominum diuersitas, & alius ordo. Pro *Ampyrona, Arropas* est in codice manuscripto: & pro *Pherona, Pheronatus.* Alius habet hoc modo: *Polybius, Myron, Arperas, Ampheus, Pheronasseus, quos,* &c.

Posides] Libertorum praecipue suspexit Posidem, spadonem, quem etiam Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donauit: vt refert Suetonius.

Felix,] Hunc cohortibus & alis prouinciaeque Iudaeae praeposuit, trium reginarum maritum. Autor Tranquillus & Tacitus. Apud Felicem Paulus Apostolus a Iudaeis accusatos, se excusant: vt scribit Lucas in Actis Apostolicis, & meminit Eusebius.

Cum Pallante fratre.] Hic fuit a rationibus Claudij, quem & Narcissum, de quo paulo ante, decreto quoque senatus non modo praemiis ingentibus, sed & quaestoriis praetoriisque ornamentis ornari libenter passus est. Tantum praeterea acquirere, & rapere, vt querente eo quondam de fisci exiguitate, non absurde sit dictum, abundaturum si a duobus libertis in consortium reciperetur: vt prodit Suetonius. De his & Plinius meminit, sic scribens: *Multos postea cognouimus seruitute liberatos, opulentiores, pariterque tres Claudij principatu, Pallantem, Callistum, & Narcissum.* Cornelius Tacitus, vbi de Pallante loquitur: *Fixum est*, inquit, *aere publico senatusconsultum, quo libertinus sestertij ter millies possessor antiquae parsimoniae laudibus cumulabatur.* Hinc cecinit Iuuenalis:

Ego possidebo plus Pallante & Licinis.

De monumento Pallantis, ad Montanum Plinius iunior meminit.

6. *Harpocras,*] Huic lectica per vrbem vehendi, spectaculaque publice edendi ius tribuit.

Ibid. *Polybius,*] Hic a studiis Claudij, saepe inter duos consules ambulabat.

7. *Quos omnes Claudius*] Volumen antiquum habet: *Quos Claudius omnes necubi imperatus esset permiserat.* Quem locum doctus aliquis castigare volens, Senecae mentem non est assecutus, quem opinor sic scripsisse: *Quos Claudius omnes, velut ibi imperaturus esset, praemiserat.*

Exclamat:] E vestigiis hic Graecarum dictionum, quae libellus manuscriptus continet, nihil eruere potui: nisi si quis scriptum fuisse putet, *πάντας φίλους ὁρῶ*, id est, omnes amicos video.

13. *In ius eamus:*] In codice Wissenburgensi tantum est *eamus*: & loco duarum dictionum praecedentium, erat dimissa lacuna. Nec est *sellas*, sed *stellas.* Nomine sellarum intelligantur subsellia iudiciaria. *στήλας* Graeci vocant columnam sepulchralem, in qua ponitur inscriptio.

14. *Lege Cornelia,*] Lege Cornelia de sicariis tenetur, inquit Martianus iureconsultus, libro Pandectarũ quadragesimooctauo, qui hominem occiderit, cuiusve dolo malo incendium factum erit, quive hominis occidendi, furtive faciendi causa cum telo ambulauerit. Poena huius legis est, in insulam deportatio, & omnium bonorum ademptio. Sed solent hodie capite puniri, nisi honestiore loco positi fuerint, quàm vt legis poenam sustineant: vt habetur eodem titulo. Mire vero hic expressit morem pristinum iudiciorum.

15. *Equites Romanos*] Hunc locum sic arbitror legi debere: Equites Romanos CCXXI. Caeteros *ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε*, id est, innumeros, quorum videlicet numerum non minus difficile sit inire, quàm aut arenae aut pulueris. Est Iliados ι.

Οὐδ᾽ εἴ μοι τόσα δοίη ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε.

16. *Exterritus Claudius oculos vndecunque circumfert, vestigat aliquem patronum, qui se defenderet.*] Haec verba non sunt in codice Wissenburgensi.

18. *Claudiana lingua*] Siue quòd Gallus esset, siue quòd balbus, siue quòd semper ageret Claudij negocia. Locus est ex amphibologia.

19. *Homo iustissimus,*] Iustum enim par pari referre. Sic ille tractauerat eos. Alioqui iniustissimum est, reum non sinere loqui.

21. *Nouitate rei*] Quòd videlicet vna tantum accusationis parte audita, statim iudicasset.

22. *Quàm nouum.*] Saepe enim inauditos, reos damnauerat.

23. *Si minus dij laruam fecissent.*] Hic locus deprauatissimus multum mihi negocij exhibuit. Liber manuscriptus habet, *si vm dij lauram fecissent.* Coniicio legendum, *Semidij laruam facesseret*, id est, abiiceret, subaudi *Claudius.* Nam sic & Liuius hoc verbo *facesso* vtitur.

Ibid. *Tantalum siti*] Tantalus stagno apud inferos labroteous immersus & pomis circum os ex arbore propendẽtibus, sitι tamen & fame torquetur. nam si bibere velit, refugit aqua: si pomum arripere tentet, arbor sursum resilit. Ouidius:

Quaerit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus. —

24. *Sisyphum onere*] Sisypbi saxum illud ingens apud inferos, vbi in montem protrusum fuerit, statim delabitur, iterum inani conatu sursum ferendum. De huius & Tantali poenis lege Homerum 11. Odysseae, circa finem: vbi Vlyxes refert, quae apud inferos viderit.

Ibid. *Non vnquam Sisyphum*] Haec clausula non erat in codice Wissenborgensi.

25. *Ixionis miseri rotam sufflaminandam.*] Ixion apud inferos rotae alligatus, assidue circumfertur. Meminit huius Lucianus in dialogis deorum.

Ibid. *Aliquando Ixionis miseri rotam sufflaminandam.*] Quid si legas *sublaminandam*: a lamina deducto verbo?

Ibid. *Ex veteranis missionem.*] Vtitur metaphora militari. Militibus enim datur missio, cum citra ignominiam exauctorantur.

Ibid. *Non placuit vllis ex veteranis.*] Vetustus libellus nō habet haec duo vocabula *ex veteranis*: sed horum loco lacunam.

26. *Poenam excogitari debere, instituendum*] In manuscripto volumine legitur, *constitui debere, excogitandum illi.*

27. *Et alicuius cupiditatis, spes sine fine effectus.*] Propemodum certus sum, sic scripsisse Senecam: *Et alicuius cupiditatis specimen sine effectu.*

Ibid. *Alea ludere*] Qua viuens adeo studiose lusit.

37. *C. Caesar,*] Nam Caligula Caesar, Claudij ex fratre nepos, hunc (vt scribit Suetonius) non nisi ad ludibrium reseruauit. Quid mirum igitur, si a Caio in seruitutem poscatur?

38. *Ab illo flagris.*] De his qui iussu Caligulae vapularunt, in hunc modum scribit Seneca noster lib. 3. de Ira: *Modo C. Caesar, Sextum Papinium, cui pater erat consularis, Betilienum Bassum, quaestorem suum procuratoris sui filium, aliosque & equites Romanos & senatores, vno die flagellis caecidit.*

39. *Cognitionibus*] Cognitiones sunt causarum: vt cum dicimus, Senatus Romani cognitionem certae legi non fuisse obnoxiam. Ac proculdubio Caium hic notat, vt qui cognoscendi prouinciam saepe libertis suis committeret, quo magis a curis liber altiori otio frueretur.

HADRIANI IVNII HORNANI ANNOTATIONES

IN L. ANNAEI SENECAE LVDVM DE MORTE CLAVDII.

LVDVM de morte Claudij Caesaris, a Seneca iocnse, sed non absque felleo sale, eruditis leporibus condito, conscriptum, ostendi olim io oteis Animaduersorum libris, diuerso planeque alio fuisse titulo ab autore inulgatum, quàm nonc inscriptus legatur. Nec de sententia nunc quidqnam muto, praesertim quum disertis illod verbis proditum sit a Dione Cocceio, haudqnaquam dilutae autoritatis scriptore, qui historiarum duodesexagesimo libro scribit a Seneca exisse opusculum titulo ἀποκολοκύντωσιν, quo Claudij Caesaris ad superos excessum consignarit. Eius haec suot verba: Συνέθηκε μὲν γὰρ καὶ ὁ Σενέκας σύγγραμμα, ἀποκολοκύντωσιν αὐτὸ, ὥσπερ τινὰ ἀθανάτισιν, ὀνομάσας. Qood Latine sonat, propter Graecae linguae rudes: *Composuit & Seneca libellum, cui nomen est Apocolocyntosis, velut Apotheosis quaedam & in immortalium coetum adoptio.* Addita fuit & eodem in loco ratio nominis, eiusmodi ferme: quod, quum constet Claudium medicati boleti esu fuisse consumptum, fraude quidem vxoris, sed ingenio Locustae nobilis veneficae, hinc titulum libello dederit autor, a praecipui vsus purgante medicamine, Colocyothide: cuius prope nulla inter deiectoria medicamenta compositio est expers apud veteres medicos, vsque adeo, vt hodie quoqoe in hac tam clara litteratum & scientiarum omnium luce proh dolor promiscue qoouis in morbo, cuilibet aetati & sexui, a circumforaneis medicastris impune propinetur, non sine praescoti multorum exitio. Itaque tanti ego scriptoris autoritare fretus, seruandum duxi, & quasi postliminij iute assetendum libti titulum, haud ociose aut temere ab autore vsurpatum, quod equidem existimo: neque sane id absque certo temperamento ioter autoris delectum, & inueteratam recepti vsus necessitarem. Quòd si quis vulgatam lectionem mordicus tuendam esse existimarit, noo laboro; per me licet, is etiam vt cum ratiooe iosaniat: praeiudicatae opinioni derogarum nihil volo, modo liberum rectius opioarutis iudicium & iotegrum permittatur. Porro vbi iam codices impressos cum manuscripto exemplari (quod Ioannes Chaucus ooster, vir a Gratiis & Musis factus, & adiuuandis melioribus litteris oatus, nobis communicauit) contulissem, tot loca consputcata & peruersa offendi, vt periclitari apud me coeperit (absit iouidia dicto) Beati Rheoani autoritas viri alioqui longe doctissimi, sed in corrigendo oimium forte praepropeti & audacis: dum aut de sua cōiectura infarcit versus ἀπροσδιονύσως, oihilque ad rem facientes: aut pro suo arbittatu immutat, quae rectius legebantur antea: ne quid addam grauius. Certe, mea quidem sententia, consultius foret interdum vigiliis & valetudini, meliorumque horarum compendio consulerent nonnulli, quàm ita famam aucuparentur. Sed haec missa facientes, locorum aliquot restiturorum & interpolarorum rationem subiiciamus.

Duae illae litterae, S. A. Sancti Amandi codicem vetustum innuunt, quo vsi in castigando sumus.

Pagina 475, versu 48. *Nihil offensae vel gratiae*] S. A. *nec gratiae.*

52. *Quis vnquam ab historico iuratores exegit?*] S. A. *iurato res.*

54. *Idem Claudium vidisse*] S. A. *Item Claudium.*

57. *Nam posteaquam in Senatu iurauit*] S. A. *Nam ex quo*, &c.

P. 476, 2. *Ab hoc ego quaecunque audiui, certa claraque affero,*] S. A. *Certe clara affero.*

5. *Augebat Cynthia regnum:*] Damnat hanc lectionem Rhenanus: sed falso. ratio enim cootendit, ita esse legendum omnino, quomodo scribit & codex ooster. indicat namque ooctes, transacto dudum autumnali aequiooctio, creuisse, loogioresque factas: quibus adauctis, etiam lunae, penes quam ooctis imperium sit, suum tegoum crescere, nil mirum est. Quid vero hic attinuit, *lychnum* subslituere: quum oon de ipso lunae incremento loquatur, sed de autumoo, cuios catastasin poëtico more circumscribit, qui relicta a tergo aestate, ooctes paularim adauget: quae accessio efficit vt diutius splendeat luna, solis praesentia lunare iubar abolente. Neque vero ooctu animam agere coepit Claudius, sed mox a meridie: quod paulo post tribus versibus periphrastice dicet: & Tacitus medio die (quo tempore videlicet Claudius animam agebat) Nerooem ad cohortes exisse ait.

9. *Tertium Idus Octobres.*] Quod hactenus falso lectum fuit, *dies quintus eiusdem Octobris*, nostrum exemplar manifeste exaratum habet, *dies III. Idus Octobris.* quam scripturam confirmat & ioitialis versus huiusce libelli & suffragatur ceterorum historicorum consensus. etenim Suetonius excessisse illum tertio Idus Octobris scribit: & Dion expirasse ait τῇ τρίτῃ καὶ δεκάτῃ τοῦ Ὀκτωβρίου, id est, *decimatertia die Octobris*: hoc est, iuxta Romanae dictionis filum, tertio Idus Octobris. nam quod dubitationis periculum creare ooonullis posset,

posset, illud Senecae, *ante diem tertium Idus Octobris*, non ita accipiendũ est, vt die vno ant altero mors Claudij tertium Idus praecesserit. imo pnre puteque idem est dicere *ante diem tertium Kalend. vel Idus*, & *tertio Kal. vel Idus*: quod ex Ciceronis epistolis notissimum est. alioqui quod saepe in antiquis libris legas, A D III KL. non *ad tertium Kal.* denotat: sed, *ante diem tertium Kal.* qua de re alias per occasionem.

11. *Acquiescunt oneri poëtae,*] S. A. *acquiescunt omnes poëtae.*

19. *Torqueri pateris? nunquam meritum, vt tamdiu cruciaretur.*] Codex S. Amandi, & Wissenburgensis, quo se vsum fuisse profitetur Beatus, in lectione ista consentiunt, *Nec vnquam tamdiu cruciatus esset.* quae scriptura quum sit vtrobique constans, haud temere immutanda meo iudicio videtur. Tametsi non eam inficias, locum esse haud immunem a vitio: quem, seqnendo scripturae vestigia, ita concinnarim: *Nec vnquam tandem cruciatus cesset.*

21. *Postquam princeps factus est,*] S. A. *ex quo princeps.*

Ibid. *Omnibus annis, omnibus mensibus efferunt.*] Non inuenuste codex noster scribit, *omnibus mensis*, eleganti paronomasia: vt ludens insinuet, Claudium temulentum, & crapulae quotidianae addictissimum saepenumero fallere Genethliacorum praedictiones, non in annos modo, sed in singulas etiam pastiones mensasque exitum illius opperientium.

25. *Ego mehercule, inquit, pusillum temporis adijcere*] S. A. *Ego mehercules, inquit, pusillum temporis adicere.*

26. *Hispanos, Britannos, Sauromatas, & si qui vltra glacialem Boream incolunt Barbari, togatos videre.*] Codex S. Amandi concisius legit: *Hispanos, Britannos togatos videre.* quo pacto etiam Wissenburgense exemplar scribit. itaqne vt spuria inducenda, atque extra familiam eiicienda cetera censeo. videntur enim a sciolo quopiam assuta.

37. *Candida de niueo subtegmine*] Codex noster laudata scriptura sic legit: *Candida de niueo subtemina vellere sumit. Subtemen*, quasi *substamen*, absque g scribi debere videtur. nec enim cum tegmine quidquam illi commune: sed qnod intet tensa staminis fila subtendatur subtexaturque.

P. 477, 8. *Claudium iubent omnes χαίρειν,*] Manuscriptus codex manifestis notis praefert versum Euripidis ex Cresphonte fabula:

Χαίροντας, εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων. hoc est:
Efferre laeto prosequentes omine.

Locus autem Tragici, vnde hic versus desumptus est, citatur a Strabone & Stobaeo:

Ἐχρῆν μὲν ἡμᾶς σύλλογον ποιουμένους
Τὸν φύντα θρηνεῖν, ὡς ὅσ' ἔρχεται κακά·
Τὸν δ' αὖ θανόντα, ὡς πόνων πεπαυμένον,
Χαίροντας, εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.

Quos hunc in modum conuertit Cicero in Tusculanarum primo:

Nam nos decebat coetus celebrantes, domum
Lugere, vbi esset aliquis in lucem editus,
Humanae vitae varia reputantes mala:
At qui labores morte finisset graues,
Omnes amicos laude & laetitia exequi.

Nam in impressis codicibus vocem *Hunc* superuacuam, & de margine in contextum raptam, trimetri lex respuit.

15. *Ne excidant memoriae*] Wissenburgensi codici consentit manuscriptum exemplar in hac lectione: *ne excidant, quae memoriae publicum gaudium impresserunt.* vt intelligat occasiones & causas publici gaudij, quae rediuiuam in animis ingẽtis laetitiae materiam semper sint alliturae. nisi placet potius mutato numero scribi *impresserat.* quae lectio per se quoque clara fuerit.

17. *Respondisse illum, nescio quid*] S. A. *Respondisse nescio quid.*

24. *Diligentius autem intuenti,*] S. A. *Diligentius intuenti.*

25. *Vbi haec Claudius, gaudet*] In S. A. codice non sunt illa duo verba, *Vbi haec.*

27. *Ἰλιόθεν με φέρων*] Extat hic versus Odysseae nono, vnde apud Alcinoum Phaeacum regem narrationis suae telam orditur Vlysses: quem ita conuerti:

Appulsum ad Ciconas me ventus ab Ilio adegit.

Cur vero Claudius ab Ilio adesse se dicat, & Seneca hoc versu significare voluisse Claudium se esse Caesarem testetur, eo spectat, quòd non modo Iulius Caesar, totaque Iulia gens, sed & Claudius, & in genere Romanus populus, ad Iulum Aeneae Troiani filium, stirpis suae originem referebat. Hinc est quòd apud Suetonium Tranquillum Claudius legitur remisisse tributa in perpetuum Iliensibus, quasi Romanae gentis autoribus. Ibidem meminit veteris epistolae Graecae, Senatus populique Romani nomine ad Seleucum Syriae regem scriptae, qua illi regi societatem amicitiamque pollicebantur, si Ilienses consanguineos suos ab omni onere immunes praestitisset. Quin & apud Corn. Tacitum Annalium lib. XII. Nero Caesar suscepta Iliensium causa, Romanum Troia demissum, & Iulae stirpis autorem Aeneam fuisse disserit. T. Liuius quoque lib. 37. Cornel. Scipionem Cos. Troiana in vrbe liberaliter exceptum memorat, Iliensibus in omni rerum verborumque honore ab se oriundos Romanos proferentibus, & Romanis laetis origine sua.

29. *Ἔνθα δ' ἐγὼ πόλιν ἔπραθον,*] Hic versus praecedentem ordine sequitur apud Homerum: vnde Seneca ait, *Erat autem sequens versus verior, atque Homericus.* ita vt a latae culpae crimine eximi nequeat Rhenanus, alienos plane ab huius loci sensu versus inserens. Sonat autem Latine ita:

Hic vrbem euerti, & consumpsi corpora ferro.

Innuit autem Seneca, versum istum, qui proxime sequitur alterum, veriorem illo esse, quòd illum alio detorserit Claudius, ad insinuandam generis sui fabulosam originem: quum Vlysses inde auspicetur errorum suorum narrationem, quando post Troianae vrbis excidium, in Ciconas gentem Thraciam appulisse, eorumq; oppidum Ismaron diripuisse, caesis oppidanis, ait. Cur autem veriorẽ illo dixerit, ad eius crudelitatem

referendum est: qua constat ex Tranquillo, stato nuptiarum die trigintaquinque senatores, trecentosque equites Romanos ab eo interemptos fuisse. cuius saeuitiae mentionem non tacuit hic libellus: quasi ex confesso vastitatem & vrbis occidionem designaturus fuerit Claudius, si hunc versum priori, vt ordine illi contiguus adhaeret, subiicere studuisset.

30. *Et imposuerat Herculi minimo discrimine fabulam,*] Codex noster legit, *minime fabro*, loco trium illorum verborum, *minimo discrimine fabulam*: nostrique codicis lectioni astipulatur exemplar manuscriptum Beati Rhenani. quanquam quid isti animi fuerit, reponendam censenti vocem *Allobrox*, pro *fabro*, diuinare non possim: & est alioqui satis commoda sententia, *Et imposuerat Herculi minime fabro*: intelligēdo fabrum architectum, & dolos fabricare doctum. Multo vero minus ambigua sententia fuerit & lectio, si paululum deflectamus, & quasi recudamus vocem *fabro*, in *vafro*: hunc in modum legendo: *Et imposuerat Herculi minime vafro*, ea ratione, qua Herculeam simplicitatem dixit in libris de Ponto Ouidius. Herculis namque simplicitas, facilitasque, & ἀφέλεια quaedam in omnibus eius operibus sese prodit manifestissime. Porro vox addita in impressis libris *discrimine*, imposuit Andreae Alciato in libris Parergôn, vt *fabulam* in *fibulam* mutarit, hanc lectionem inculcando: *imposuerat Herculi minimo discrimine fibulam*. quasi senserit autor de fibula, notissimo penis astrigmento, quo ad inhibendum Veneris vsum iniecto vsa fuit antiquitas. ἀγκτῆρα Graeci vocant, de qua Corn. Celsus libro septimo. vnde refibulandi vocabulum apud Epigrammatarium: quod Iuuenalis soluere fibulam dixit. Sed aliena est ab hoc loco ista dictio.

31. *sola cum illa venerat*] Venustior lectio est nostri codicis, *sola tum illo venerat*, per aduerbium locale: vt febris comitis indiuiduae comitatum, & cum Claudio ad cathrum curiam accessum significet.

34. *Hanc ego reddo tibi*] Est & ista scriptura verior manuscripti codicis, *Hanc ego tibi recipio*: vt genitura Claudij apud Lugdunum nati fidem confirmet.

40. *Audi me, inquit, tu, & define.*] S. A. *Audi me, inquit, tu define fatuari.*

43. *Sede qua genitum dicas,*] Infeliciter hunc versum interpolare conatur Rhenanus, hoc pacto: *Expromere properes qua gente natus cluas*: non seruata trimetri lege, quae religiose in nostro codice obseruata est: *exprome propere, sede qua genitus cluas*. *Cluere* enim, antiqui vsus verbum, pro *dici* & *perhiberi* ponitur: vt in Enniano illo: *Pergraties esse cluebat omnium miserrimus*: & apud Plautum in Trinummo Stasimus seruus: *Nimiam difficile est reperiri amicum, ita vt nomen cluet.*

55. *Tacitus quietis allatit ripas vadis.*] Versus senarij ratio postulat vt legatur *vadis*: vt & manuscriptus liber habet.

57. *Mentis suae non est, & timet.*] Suspensa sententia est, & hiatum istum implet codex manuscriptus, duabus immissis vocibus, ita legens, *& timet μωροῦ πληγὴν*. vt innuat, Herculem, postquam Tragico cothurno animose quaedam fuisset prolocutus in Claudij barbariem (apud Lugdunum, ad confluētes praecipitis Rhodani & segnis Araris, nati) nihilominus extimuisse stolidi hominis manus, ne ab illo vapulando iniuriam acciperet, eo quòd stulti faciles esse soleāt colaphis infligendis verberibusque. Stoliditas autem insignis Claudij hoc libello passim traducitur: quam impune etiam illi obiectam persaepe memorat Suetonius Tranquillus. Possit & μωρὸν πληγὴν legi, vt vindicis manus iniuriam in depalmando pati Herculem exhorruisse significet.

P. 478,3. *Si quis a me notorem petisset.*] Descensurus forte fueram in opinionem Rhenani, legentis, *si quis ἐγγυητὴν petisset*: nisi consensus omnium codicum reclamaret, suaderetque diuisim potius legi hunc in modum: *& si quis a me noto rem petisset*. nam quae sequuntur verba, *qui me optime nosti*, ἐπεξηγητικῶς exponere videntur vocabulum *noto*: vt sit *noto*, hoc est, *qui me optime nosti*.

7. *Sed quoniam volo,*] Locus procul dubio mutilus, non modo deprauatus: vt verisimile sit, multa isthic desiderari, siquidem ab hoc versu nouae pagellae initium est in manuscriptis: suspicioque tenet, bonam dialogismi partem abesse. Quid si pro *quoniam volo*, legatur, *quo ἐμβολή*. certe has voces ipse litterarum ductus commonstrat his qui Graece norunt. Notatur enim passim in hoc libello Claudij philellenismus, quo Graece loqui in quotidiano etiam sermone affectabat. Videntur autem quae sequuntur, per dialogismum disceptari a diis indigetibus, mirantibus insolentem Herculis in coelestium curiam irruptionem, vt suscitentur, sed quo ἡ ἐμβολή? quasi dixerint: Quo irrumpis, impressionemque facis? isti namque lectioni fauet, quod subiicitur: *Non mirum, quod in curiam impetum fecisti: nihil tibi clusi est.*

11. *Si mihercules a Saturno*] Totus iste locus ita prodigiose est deprauatus, vt Paeonia manu sit opus sanandis eius vulneribus. videtur autem deesse tale quid: Repulsam non tulisset, si mehercules a Saturno petisset hoc beneficium: videlicet, vt in deos referretur. Subdit deinde causam mutui beneficij: *Cuius mēsem toto anno celebrauit, Saturnaliaque eius*: ita namq. lego. Cur vero dicat, Claudium Saturni mensem toto anno celebrasse, & Saturnalia, referendum est partim ad intempestiuas eius comessationes & perpotationes, partim ad studium immodicum, nimiamque indulgentiam in libertos. Constat autem, Saturni tutelae dicatum fuisse olim Decembrem mēsem, in quo per dies aliquot Saturnalia celebrabātur magna procacitate, luxusq; omnis apparatu: quo tempore serui non modo ingenuorum calceos sumebant, vt Porphyrius scribit: aut herilem habitum mutabant, quod Dion tradit: sed in heros quoque licenter multa agebant. Iam cum Saturnalibus Claudianos mores conferamus. Primum omnium scimus ex Tranquilli lectione, Claudium conuiuia agitasse & ampla & assidua, nec temere vnquam triclinio excessisse, nisi distentum ac madidum, ita vt hac ratione Saturnalitia diaeta illi perennauerit. Deinde notissimum est, quantum indulserit libertis suis, quibus non praetoria solum ornamenta, sed & lecticae ius cum imperatoribus consulibusque commune, permisit: medium quoque inter consules locum in iisdem passus, & impunitas opum immensarum voragines, vsque eo, vt scomma in illum extiterit, abundaturum si libertis consors foret. quo spectat & morsus, quo Narcissum libertum, dominum domini, huius libelli autor nominat. Quod autem Rhenanus existimat legendum esse, *Caius princeps non tulisset illum*, &c. mea quidem opinione multum fallitur: primum namque repugnat codicis vetusti fides, qui post vocem *eius* manifestum comma habet. deinde qui potuit de Caio Caligula istud vel dici vel intelligi, vt is passurus non fuerit Claudium ab Ioue Deum fieri? quum

Caius

Caius ceterorum Imperatorum more per apotheosin coelestium augere numerum nedum nõ meruerit, vt etiam mortuum nouo contumeliae ignominiaeque exemplo prosequendum senatus censuerit, nomenque oblitterari voluerit, & expungi e catalogo eorum Imperatorũ, quos & in sacramẽtis & in publicis votis suscipiendis religiose nominabant: vt testatur Dion. Forte non male sic legas: *Si mehercules a Saturno petisset hoc beneficium, cuius mensam toto anno celebrauit, Saturnalitius princeps non tulisset?* per interrogationis modum, & cum ironiae nota: vt quae sequuntur verba, deorum quispiam subiiciat cum stomacho: Illum Deum ab Ioue fieri, qui scilicet tantis flagitiis coopertus fuerit?

13. *Oropenque sororem*] S. A. *Oru per quod.*

18. *Et vt Deum orant.*] Graecas voces, quae in manuscripto exemplari hoc in loco leguntur, certo & indubitate asserere eas esse, quas hic positurus sum, non est animus: ne fraudem lectoribus faciam, quippe quum de iis parum liquida mihi constet ratio. vsque adeo confusa est ab imperito scriba Graecarum litterarum textura, vt nescias quam scripturam sis magis probaturus, *μωρὸς* ne *κηρυχῶν*, an *μωρῦ ἀποχλῶ*, vel *ἀποτυχίλω*. interdum enim vna plus littera superest, interdum vna aut altera deficit: vt diuinare necesse sit subinde, De lioque natatore opus habeat qui cuncta velit *ἐκκαθαίρειν*. Breuiore eademque certiore methodo ad artificiosas (quas Galenus nominare solet) coniecturas via nobis patuisset, si descriptor easdem vbique characterum formas ac typos religione quadam obseruasset, obseruatas retinuisset, nec ab iis latum vnguem discedendum sibi proposuisset. nunc quum typis illis temere prorsusque inscite abutatur, definire nihil hic ausim, nullius iudicio praeiudicatum volens, sed relicturus vnicuique liberum arbitrium sequendi quod sibi probabilius videatur, donec feliciorem quis nactus genium, aut meliore vsus codice, certius diuinet, aut statuat. Si itaque *μωρὸς κηρυχῶν* legamus, notari rursus atque perstringi Claudianam stultitiam intelligimus, vt significet, barbaros orare, fatuos rerum potiri. in quam sententiam bis in hoc libello scripsit, *Aut regem, aut fatuum nasci oportere*: & iterum, *tam fatuum vt etiam regnare posset*. Sin per υ, *μωρῦ ἀποχλῶ*, vel *ἀποτυχίλω* scribamus: significabit orari ab illis, necis frustrationem dilationemque. Quod vero sequitur codice excuso, *Tandem Ioui venit in mentem*: noster habet, *in tantum Ioui*, &c. quae dictio familiarior est Senecae, quàm vt propterea mutandam censuerim.

20. *Vos mera mapalia fecistis.*] In veteri manuscripto legitur, *vos me rapamalia fecistis*. Legendum puto, secutus litterarum tractum: *Vos me rapataulem fecistis*. vt suorum iussorum contemptum indicet: quasi qui nihilo pluris fecerint Iouem, quàm homuncionẽ stipulam inflantem. Est enim *ῥαπαταύλης* siue *ῥαπαύλης* is qui stipulam calamumve inspirat. Quid enim commune habet coelum cum mapalibus? & de se loquitur isthic Iupiter, suique despectum indignabundus ostendit.

23. *Quantum via sua fert,*] Sequor hic lectionem And. Alciati, longe doctissimi, in Parergôn lib. 6. cap. 5. & scribo, *quantumuis vafer*.

24. *Quod in foro iuuat,*] Legendum est omnino *viuat*: quam scripturam seruat clare manuscriptus codex.

Ibid. *Ne aliis verbis ponam, quàm quae ab illo*] Codex vetustus purius legit: *Ne aliis verbis ponam, quae ab illo dicta sunt*. hoc est, diuersis verbis.

26. *Iam fama minimum fecisti etiam.*] In manuscripto codice ita legitur: *Iam fama nimium fecisti. Itaque ne videar*, &c. Vt inducenda videantur illa verba, ceu *ὑποβολιμαῖα*, etiam pessimum quemque illum affectare: a nasutiore quopiam adiecta.

29. *Deus factus, doctus, pectus ve erit,*] Forte rectius, *factus, fictus, pictus ve erit*.

31. *Hic quaestu se sustinebat,*] Codicis manuscripti haec est lectio: *Hoc quaestu se sustinebat vendere, ciuitatulas solebat adhuc velle*. Quid si legas, *& adhuc velle apparebat*: aut simile quid: vt isthic interpungatur oratio: deinde sequatur altera periodus, *Accessit Hercules, & auriculam illi tetigit*.

48. *Quam canis excidit.*] Alciatus in parergis lib. 6. cap. 5. legit hoc modo: *quàm canis exta edit*. cui lectioni libens etiam accedo.

49. *De tot actibus viris*] Sequor manuscripti codicis fidem, qui legit, *de tot acribus viris*. quae sententia videtur etiam Rhenano placuisse: nisi quòd pro *acribus*, legit *praestantibus*: repugnante vocis ductu.

50. *Nam τῆς ὀργῆς aegre senescit ὁ νόος. Γοργομῦλινος iste*] Beatus hoc loco gloriatur, se istum locum magno labore restituisse: quum videatur eum potius peruertisse, si fas est dicere, ea obtrudens quae a manuscripti codicis fide sunt alienissima. Equidem sic interpolandum locum censeo, obseruato anxie characterum ductu: *Nam etiam si φόρμιγγας nescit, ego scio, ἀτταπάτα τὸ, Καλλίνικε Ἡρακλῆς. Iste quem videtis*, &c. verba Graeca satis euidenter cum hac distinctione legere est in manuscripto nostro codice. Est autem illud, *Καλλίνικε Ἡρακλῆς*, Archilochi poëtae carminis initium, quod ad citharam canebatur: testante etiam Pindaro in Olympiis, hoc modo: *χαῖρε Καλλίνικε τήνελλα ἄναξ Ἡρακλῆς*.

55. *Ecce Iupiter, qui tot annos regnat, vni Vulcano*] Hunc quoque locum Beatus parum recte restituit, qui vocem *regnatum*, quae in manuscripto codice legitur, diuulsit, & interiecto commate dispescuit, ex *um*, faciens *vni*. Vera enim lectio est huiusmodi: *Ecce Iupiter, quoi tot annos regnatum, Vulcano crus fregit*. Nemo ignorat, *quoi*, pro *cui*, vetustatem sapere, & in plerisque manuscriptis exemplaribus passim legi solere.

P. 479, 5. *Cogitate P. C. quale*] Consentit noster codex hic cum Wissenburgensi, quo Beatus vsum se testatur. nam neque in illo leguntur verba ista omnia, ad eum vsque locum: *Hunc nunc Deum facere vultis?*

7. *Videte corpus eius, diis iratis natum. Ad summam*] Vetus codex sic scribit: *Videte corpus eius diis iratis natum ad summa. Tria verba cito dicat. Hunc Deum quis colet?* &c. Quòd si genuina autoris sunt illa, *& seruum me ducat*, forte non errabit, qui leget, *& in neruum me ducat*. quod argute peruidit Ioannes Chaucus, incredibili memoria & iudicio vir honestissimo, restituendae antiquitatis studio mirifice accensus. Est autem neruus, compedis genus aut vinculi, quo ceruix & pedes vinciuntur.

15. *Eumque quamprimum exportari coelo,*] Codicis manuscripti integrior est lectio, quae in hunc habet modum: *eumque quamprimum exportari, & coelo intra dies triginta excedere, olympo intra diem tertium*. Nimirum innuit, praefinitum fuisse Claudio emigrandi spatium, omni quidem coelo (plures enim sunt coelestium

orbium ambitus) intra tricesimum diem, concesso illi tridui spatio commeandi per singulos orbes: at olympo, qui editior est & purior coeli locus, intra tertium diem. Quid enim attinuit hic terrae mentionem inculcare: quum in coelo drama istud agatur, non autem in terra?

21. *Omnuque generis aeneatorum,*] S. A. *sonatorum,*

23. *Agatho, & pauci causidici.*] Quid si legas? *Matho, & pauci,* &c. de quo Iuuenalis Satyra I.

Causidici noua quum veniat lectica Mathonis.

27. *Ingenti enim* ἐπιλάσι χρείας] Legendum est μεγαληγορία, ex manuscripti codicis lectione: in quo μεγάλη χρεία scriptum est perperam. ait namque ingenti magnificentia naeniam cantatam fuisse anapaestis. Porro sciendum est, metrum quo naenia ista perscripta est, esse Anapaesticum, Threnicum vocitatum a luctus argumento (sic enim scribendum est in Centimetro Marij Seruij, non *itinium*) quod constat monometro acatalectico, recipitque praeter anapaestum, & spondeum & dactylum. Itaque sic scribendum:

Fundite fletus,	*Edite planctus,*	*Resonet tristi*
Clamore forum	*Cecidit pulchre*	*Cordatus homo,* &c.

37. *Caeruleos scuta Brigantas*] Deierare Iouem lapideum ausim, ab autore scriptum fuisse, *Caeruleos cute Brigantas.* Solebant namque olim omnes Britanni (inter quos recensentur a Tacito & Stephano etiam Brigantes) glasto se inficere, quod caeruleum efficit colorem, vt horribiliore essent in pugna aspectu: vt scribit Caesar Comment. lib. 5. & subscribit Plinius lib. 22. cap. 1. Quin & Herodianus lib. tertio de Britannis loquens: τὰ σώματα, inquit, στίζονται γραφαῖς, hoc est, *corpora picturis notant.* Tacitus quoque Silurum (id nomen eius insulae populo) coloratos fuisse vultus memorat. Alioqui, ne quem remoretur illa solicitudo, lex metri aptius constat, si legas *cute*, quàm si *scuta.* neque vero scuta caerulea pinxisse, sed cutim corpusque omne tinxisse eo colore, quam statis reddit, leguntur.

51. *Et viam rectam*] Codex manuscriptus legit *tectam.* quae scriptura mihi probatur magis: quòd viae tegebantur velis olim.

Ibid. *Compendiaria via Narcissus*] S. A. *Compendiaria Narcissus.*

54. *Ille autem patrona plura,* &c.] Haec verba, ad illam vsque sententiam, *Dicto citius Narcissus euolat*, in manuscripto nostro non exstant. nec veri dissimile est, supposititia esse: & plena est sententia, etiamsi absint.

57. *Bellua centiceps,*] Magnus est & hic cōsensus & nostri & Wissenburgēsis codicum, ita legentium: *bellua centiceps, pusillum superturbatur (albam canem in delitijs habere assueuerat) vt illum vidit canem nigrum, villosum. Sane, non quem velis tibi in tenebris occurrere. Et magna voce: Claudius, inquis, veniet.* Sed noster in vno rectius scribens, *non quem velis*: vbi ille, *unquam velis.*

P. 480, 1. *Et magna inquit voce: Claudius Caesar venit.*] S. A, *Et magna voce: Claudius, inquit, veniet.*

2. *Procedunt cantantes*:] Noster codex hoc loco expressas habet voces istas, εὑρήκαμεν, συγχαίρωμεν, hoc est, *captam tenemus, pariterque exultemus laeti omnes.* Videtur autem istud initium fuisse Epinicij carminis, quod laeti inter laetos cantabant, in laudationem alicuius compositum: vt in Nerone indicat Suetonius.

Ibid. *Hic erat consul designatus Ianius Praetorius.*] Hic locus monstrose deprauatus est: quem priusquam sanare aggrediar, adscribam manuscripti codicis corruptam lectionem, sed quae medelae locum aperiat. in eo itaque sic scriptum inuenio: *Hic erat Consilius Consul designatus, vnus praetorius Sextius Trallus, M. Heluius, Trogus, Cotta, Tectus Valens, Fabius eques Romanus, quos Narcissus duci iusserat.* Hactenus ille. nunc meam coniecturam subiiciam, deinde immutationis consilium detegam. Sic itaque scribo: *Hic erat C. Silius Consul designatus, Vnus praetorius Sex. Traulus Montanus, Saufellus Trogus, Cotta, Vectius Valens, Fabius eques Rom.* &c. Nunc ad remediorum rationem. Quod pro Consilio reposuerim C. Silius, nihil temere feci, ratus vocem illam non esse ociosam: iniiausque autoritate Corn. Taciti augustae historiae scriptoris, qui ita lib. 11. scribit: *igitur incipiente C. Silio Consule designato, cuius de potentia & exitio in tempore memorabo.* Hunc enim C. Silium iuuentutis Romanae pulcherrimum, maximis opibus adauctum, adulterum suum legerat Messalina, & consulem designatum fieri obtinuerat. Idem rursus loquens de nuptiarum solennibus, inter Messalinam & C. Silium celebratis, vecordiamque huius admirans: *Nedum consulem*, inquit, *designatum cum vxore principis.* Neque de Traulo obscura ratio est, cuius ibidem mentio fit apud Tacitum: *Ne Trauli quidem Montani equitis Romani defensio recepta est.* & aliquid in manuscripto non temere adscriptam fuisse M. nntam arbitror. De Saufello & Vectio Valente, eodem in libro ita legas: *Vectium Valentem confessum, & Pompeium Vrbicum, ac Saufellum Trogum ea conscios tradi ad supplicium iubet.* Facilis vero fuit adulteratio Vectij in Tectum. De Fabio nihil ausim affirmare, in aequo ponens, siue legas *Fabium*, siue *Fufidium.* ita enim malim. quàm *Fufidium.*

4. *Nestor pantomimus,*] Legendum est indubitato *Mnester*, nam apud Tacitum sciolus quispiam, improbe in alieno libro ingeniosus, ratus initialem litteram Marci praenomen designare, compagem nominis dissecuit, e Mnestere faciens M. Nestorem. quod ipsum non dissimulauit aut reticuit ab se tactum Beatus, apud Tacitum lib. 11. vbi vetusti lib. castigatissime sic legunt, *Solus Mnester cunctationem attulit.* quom interim ille admoneat legi debere, *M. Nestor*: vt & antea illic, *Causa necis, quòd domum suam Mnesteris & Poppaeae congressibus praebuisset.* Quin vero ita legendum sit, scrupulum omnem eximit Dionis historia. apud quem lib. 58. sic lego: ἀνδριάντας ἐκ τοῦ χαλκοῦ ἡ Μεσσαλῖνα τῷ Μνηστῆρι τῷ ὀρχηστῇ ἐποίησεν. id est: *Ex aere Claudiano statuas Mnesteri saltatori fecit Messalina.* & iterum: τὰ δὲ καὶ τῷ Μνηστῆρι φειδόμενοι. ὅσον γὰρ οὕτως διὰ τὸ κάλλος, τοσοῦτον τῷ δήμῳ διὰ τὴν τέχνην ἤρεσκεν. οὕτω σφόδρα δεινὸς ὀρχεῖσθαι ἦν. id est, *Partim etiā Mnesteri parcētes. tā enim gratiosum populo Mnesterē ars faciebat, quam Messalinam forma. vsqueadeo peritus ille saltator erat.* & postea: τὸν Μνηστῆρα ἐθανάτωσαν. hoc est, *Mnesterem morte mulctauit.* Eadem legas & in Xiphilino, qui Dionis historias in epitomen contraxit. Meminit eiusdem nominis & Ioannes Zonaras, Graecus historicus, ὀρχηστὴν Μνηστῆρα nominatim recensens, *saltatorem & mimum Mnesterem.* Porro Taciti illum locum, *Solus Mnester cunctationem attulit, dilaniata veste clamitans aspiceret verberum notas, reminisceretur vocis, qua se obnoxium iussis Messalinae dedisset*: explanat Dion libro praedicto in haec verba scribens: Vehementer Mnesteris amore flagrabat Messalina. quem cum nec ingentibus promissis, nec minis ad sui commercium expugnare valeret, cum marito collocuta, effecit, vt ille vxoris imperio obsequentem esse iusserit, velut aliorsum eius opera viurae. Quibus verbis adductus Mnester, quoties

Messalina imperarat, cum illa stupri consuetudinem babebat, ceu id ipsum a principe facere iussus.

5. *Rumor percrepuit,*] Rectius in vereti codice *percrebruit.*

6. *Consolarunt primum omnium*] Totum hunc locum venustius rectiusque legit vetus liber, nisi fallor, boc modo: *Consolarunt primum omnium liberti, Polybius, Myron, Harpocras, Amphaeus, Pheronactus: quos Claudius omnes, necubi imparatus esset, praemiserat.* Quem locũ interpolare aggressus est Beatus: sed quàm dextre, uescio, quum lectionis istius menda sit cuiuis obuia. Forte doctulus quispiam congeriem illam libertorum numerosam ex Tranquillo adiecerat, cum mortuis viuos adhuc superstites confundens.

8. *Saturnius Luscus,*] Vetus codex babet *Saturninus Lusius.* Tacitus Annalium lib. 12. Luscium quendam nominat. At *Ruffus Pompeij F.* de quo hic, is est Curtius Ruffus, quem consulare imperium in Africa obtinuisse scribit Tacitus. Lupum vero, cuius etiam hic fit mentio, nõ alium esse putarim, quàm quem Iunium Lupum senatorem vocat lib. 12. Tacitus.

10. *Quos cum vidisset Claudius, exclamat,*] In vetusto codice hae voces leguntur, πάντα φίλων πλήρη. hoc est: *Cuncta amicorum plena.* Videtur autem allusum esse ad Heracliti dogma, quod istiusmodi erat, πάντα θεῶν πλήρη. id est: *Deorum omnia plena.* quod namm e tali occasione memorat Michael Ephesius, quòd cum sedenti semel in fumo nunciatum esset peregrinos adesse hospites, qui ipsum conuentum expeterent, iussit eos introire, dicens, non abesse etiam illinc deos.

13. *Ego tibi hic sellas ostendam.*] Codex manuscriptus legit *stellas.* forte scribendum *stelas.* στῆλαι sunt cippi pilaeve opere structili, quibus inscripta visebantur foedera, aut etiam proscriptorum nomina. Isocrates in Panegyr. ἐν στήλαις λιθίναις ἀναγράψαντας, ἐν τοῖς κοινοῖς τῶν ἱερῶν ἀναθεῖναι. id est: *In saxeis stelis descriptas foederis leges publicis in templis consecrare.* Latina voce vsus est & Plinius lib. 6. cap. 28. *Scriptae sunt stelae lapideae litteris incognitis.* Neque male scripseris *sitellas.* Sunt enim sitellae, quas ἀμφορεῖς & καδίσκους nominant Graeci, in quas calculi vel condemnantes mittebantur, vt Aristophanis scholiastes in Vespas docet. quae binae erant; necis vna, misericordiae nomine insignita altera. Meminit sitellarum & Cicero pro L. Cornelio Balbo.

14. *Postulat nomen eius, recipit, aedit*] Verior mihi videtur esse manuscripti codicis lectio: *postulat nomen eius recipiat, edit subscriptionem.*

20. *Condemnat, & ait:*] In manuscripto codice versus Graecus legitur in bac lacuna. cuius characterum vestigia sequenti mihi parum respondere videtur carminis lex: subiiciam tamen, vt si cui lectum sit initium, cetera reponat. vnde sit desumptus, ingenue fateor me nescire: videtur tamen alicunde e Tragoedia petitus esse. Δίκη τ' ἐστιν ὀφθ., καὶ ἀγχοῦ ... νόμος, vel νόμῳ. Videtur autem innuere Aeacus, iustitiae oculum nihil posse fallere, nihil latere. Fuit, quum reponendum hunc Menandri senarium censerem, δίκαιος αὖ τις, δικαίῳ χρώμενος νόμῳ.

23. *Si minus dij latura fecissent,*] Codex vetus scribit, *si vni dij laturam fecissent*: lectione consentiente cum illa Wissenburgensis exemplaris, quo Beatum vsum antea indicauimus. itaque in ea codicum concordia nolim praecipitantius immutare quidquam, sed molliter potius reponere luxatam particulam. Proinde legendum autumo: *si vni dilaturam fecissent.* quod erratum descriptoria vitio irrepsit: qui dictantis verba excipiens, vocem *dilaturam* in duas dispescuit. Suffragatur nostrae sententiae Andr. Alciatus Parergon lib. 6. cap. 5. nisi quod pro *vni*, legat *vllam.* Nam laruarũ praestigiis simile est, quod boc loco substitui vult Beatus.

25. *Sufflaminandam.*] Ridicule, ne dicam inepte, reponi idem voluit, *sublaminandam*: quum sufflamen rotae decurrenti proprissimum impedimentum & retinaculum addi soleat: cuiusmodi impedimentum debetur Ixionis rotae in leuando perpetui laboris taedio. Sufflamen enim omne id vocatur, quod decliui in loco currum remoratur, restricta rota, ne in praecepa deferatur. de quo Iuuenalis satyra 8.

Ipse rotam stringit multo sufflamine consul.

Vnde & sufflamen litis, idem metaphorice dixit, pro dilatione & remora litis, in longum tempus extractae. Huc facit D. Augusti dictum, quod in controuersiis reperit Seneca: *Haterius noster sufflaminandus est.* ita enim legi debet locus. quo significare voluit, coercendam fuisse & reuocandam Haterij in dicendo concitatiorem, plâneque immodicam verborum affluentiam.

Ibid. *Vlli ex veteranis*] Vetus codex habet, *illi ex veteris.* forte, *Non placuit illi ex veteri S.C.* hoc est, Senatusconsulto vel instituto: aut simile quid.

26. *Excogitari debere,*] Codici nostro consensus est cum Wissenburgensi. vterque enim legit, *Constitui debere, excogitandum illic,* &c. transpositis vocibus.

38. *Adiudicatur C. Caesari: illum Aeacus donat.*] Vetus scribit: *adiudicatur, C. Caesar illum Aeaco donat.* & meo quidem iudicio, sincerius.

39. *Vt a cogitationibus abesset.*] Male: scribendum enim e manuscripti codicis fide, *vt a cognitionibus esset.*

ANNOTATIONES IN L. ANNAEVM SENECAM.

IN LIBRVM PRIMVM DE BENEFICIIS.

CAP. II. PAGINA 2, versu 16. *Nullum perdit.*] Sensus obscurior est. potest enim accipi: Nullum beneficium perit, quia qui putat aliquod perisse, is computauerat, & iam non erat beneficium. Potest & sic intelligi: Qui perdidit, hoc ipsum computauerat, aliqua peritura. Veluti qui sementem facit, non queritur se perdere aliquot grana, quum hoc non expectarit, vt omnia prouenirent. Liber manu descriptus habebat, *Nullum perdit, qui perdit, non computauerat.* Atque huius lectionis erit arguta sententia, si tollas verbum *perdit*: *Nullum perdit qui non computauerat.* Hoc enim perdimus, quod decedit rationi nostrae. at beneficia non supputantur. Aut si tollas particulam *non*. *Nullum perdit qui perdit computauerat*, hoc est, qui hoc ipsum computauerat, quaedam peritura. Sed prior sensus mihi magis arridet. Non dubitem affirmare, quamlibet reclamantibus exemplaribus, *redit* a Seneca fuisse scriptum, non *reddet*. Nam fructus proprie redire dicitur: vnde & reditus dicti, census annui.

III. 46. *Graecis mancipatus,*] Editiones superiores habebant, *Gratiis mancipatus.* quae lectio fuerat vtcunque tolerabilis, si quemadmodum codex manu descriptus habebat, legamus *emancipatus*: quasi dicat, alienus a Gratiis. Sed arbitror germanam esse lectionem, *mancipatus Graecis*, siue *Graiis*, pro addictus Graecis: vt quicquid ab illis proditum fuerit, miretur. Siquidem haec veterum Graecorum commenta sunt, quae Seneca contemnit, sed petulantius quàm pro merito. Quid enim erat hic, quod existimaret tot salibus exagitãdum? nisi forte totam poësin putat irridendam, quae philosophiae dogmata fabularum inuolucris iuuenum animis commendauit. Hunc ineptum impetum, & carpendi libidinem, ne dicam petulantiam, eruditi notarunt in hoc scriptore.

53. *Et spissis aut phissianis prodeant.*] Sic habebant priores editiones. *Aut phissianis*, e spacio marginis suspicor in contextum fuisse relatum: quod nimium crebro factum in authoribus comperi. Codex manu descriptus habebat *spissatis*: quod mihi magis probatur. Allusit enim ad id quod paulo ante dixerat de pellucidis tunicis ac solutis. Solutis enim opponit praecinctas, & pellucidis spissatas. Quod enim spissatum est, minime pellucet. Notat opinor vestes, quae pilis extantibus hirsutae sunt: aut hoc genus, quod nunc vulgo dicunt *Viltes*, quo lanae per se coactae vestem faciunt, & si addatur acetum, ferro resistunt, imo etiam ignibus. Meminit Plinius libro octauo, capite quadragesimooctauo. Vidimus & ipsi pueri, vestes floccis, aut pannis multiplicatis spissatas in vsu fuisse. Erant qui haberent *phryxianas*.

P. 5, 3. *Late patentis patrimonij*] Superiores editiones habebant, *Late patentis matrimonij*. Verum id reclamantibus licet exemplaribus, mutare non dubitauimus. Scribam fefellit paulo ante facta matris mentio. At Seneca respexit ad Eurynomen, quae a spaciosis pascuis dicta est Graecis, quasi Latine dicas latipascuam. Vocem autem Graecam velut interpretans Seneca, *Late*, inquit, *patentis*. Olim autem diuitiae potissimum in pecoribus erant: & facultates patrimonium dicimus, matrimonium non dicimus.

5. *Et cuicunque nomen non potest reddere, imponit.*] Hic aliquis velut interpretans adiecerat haec verba, *aliud loco nominis proprij*. Ea velut adulterina expunximus, maxime quod non habebantur in codice manu descripto, & officiunt argutiae sensus. Reddit nomen, qui meminit ac pronunciat impositum, qui nouum fingit.

IIII. 22. *Patemus certe parnum ingerere sacrilegium.*] Si diuinare licet, forte scriptum erat a Seneca, *vt patemus contra patrem graue sacrilegium, si tam*, &c. Quae diuinatio mihi potissimum arridet, vtpote quae non multum recedit a scripturae prioris vestigiis, & sensum habet argutum: *certe* vertitur in *contra*, *parnum* in *patrem*, siue *parentem*, & *ingerere* in *grauem*, nisi malis *ingeri*. Etenim qui volunt Charitas esse filias Iouis, putant graue sacrilegium etiam in patrem committi, si filiabus fiat iniuria.

XV. P. 6, 26. *Veto liberalitatem tecum potiri.*] Sic habebat prior editio. E vestigiis tamen vetusti codicis restituimus *nepotari*, a nepote dicto verbo, quemadmodum ab helluone dicimus helluari, a iuuene iuuenari. sentit autem, beneficium non esse dandum ei qui nequiter profusurus sit quod dederis.

IN LIBRVM SECVNDVM.

CAP. I. P. 9, 53. *Male renuit.*] Codex manu scriptus habebat *retinuit*. *Ducentem* dixit, precibus trahentem: & *male renuit*, qui victus improbitate rogantis parum constanter negat.

P. 10, 34. In

IIII. P. 10,34. *In eo quod daturus es*, opinor legẽdum. Agit enim de his,per quos datur beneficium:qui dum eius gratiam ad se trahunt,gratiam danti debitam minuunt.

V. 43. *Potes ob id ingratus esse.*] Codex scriptus habebat, *Potest ei ob id iam gratus esse*. Fortasse *potest* recte legeris. Sentit beneficio sic dato,nullam deberi gratiam : itaque ingratus esse non potest qui accipit.

49. *Manum adfert.*] Sententia est : Vt occidit,qui remedium non adhibet in tempore:ita manus adfert, hoc est interficit,qui beneficium sero dat,quo poterat seruari cui dandum erat.

XI. P. 12,7. *Sed inuisum est*] Prior editio habebat *iniustum est*. Sed *inuisum*, quod ex codice manu scripto restituimus,argutiae plusculum habet. Ingratum est,quod non delectat : inuisum est , quod odimus.

XVI. P. 13,13. *Vt contugia tua vrbes sint.*] Pro *contugia*, reposuimus *congiaria*,quae dicuntur munera principum. Nam vox *contugia* nihil facit ad sensum.

XX. P. 14,35. *Non an seruirent seruitutem.*] Potest duabus syllabis succurri , si legas , *pugnantia, veri : non,an seruirent seruitutem*.Nam & Pompeius & Caesar pariter ambiebant dominatum : & idẽ accidit quum Octauius instrueretur aduersum Antonium.

39. *Qui vsius dandi beneficij iniuria venerat.*] Ex figuris corruptae scripturae deprehendi legendum , *in ius* : vt sit *ἀσυνδέτως* in duabus vocibus , *ius* & *iniuria*. Caesar habebat ius dandi vitam : sed hoc ius per iniuriam vsurparat.

XXVI. P. 15, 42. *Aut nimium sui suspectum,*] Superior editio. Codex manu descriptus habebat, *suspectos*. Hinc germanam lectionem restituimus , *nimius sui suspectus* : vt *suspectus* sit a *suspicio*, quod est admiror , non a *suspicor*.

XXVII. 49. *Ingenij fuit tam sterilis quàm animi.*] *Sterilis ingenij* dicit,ob tarditatem : *sterilis animi*,ob ingratitudinem.

XXIX. P. 16,25. *Ne coire quidem in id natura patiatur.*] Pro *in id* , scribendum arbitror *in idem* : & haec verba, *paret animalibus*, non erant in descripto codice, nec videntur ad sensum facere. Sentit enim hic vix natura posse coniungi, vt idem animal & velocitate praecellat,& viribus.

XXXI. 56. *Etiam si ille manum exercere noluit.*] Ad eum modum habebat vetus lectio. Codex manu scriptus habebat , *illi manum exercere non licuit*. Nec dubium , quin *exercere* sit legendum : si per fortunam non licuit virtuti manum exercere,tamen prompta voluntas gratum facit. Codex descriptus habebat *homo*, pro *homini*. Vnde suspicor, vtramque vocem fuisse positam : *Gratus potest homo etiam homini esse voluntate*.Nam nemo dubitat , quin Deo sufficiat bona voluntas.

IN LIBRVM TERTIVM.

CAP. VIII. P. 21,19. *Quisquis in eiusmodi regnum exisset*, &c.] Vnus codex manu descriptus,pro *regnum*,habebat *reum*. Vnde coniicio fuisse scriptum a Seneca , *Quisquis in eiusmodi reum egisset* : vt *eiusmodi* sit neutri generis , & ad causas referatur , non ad hominem. Qui pararet quempiam agere reum ingratitudinis , vix inueniret argumenta quibus probaret quod intenderet. Hinc coniectari potest , quanto plus difficultatis habiturus esset iudex , de vtriusque animo pronunciaturus.

29. *Non idem pendent.*] Aut *pendunt* legendum est , aut *pendent* erit a *pendere*, futuri temporis verbum.

XXVII. P. 25,10. *Iam molesta.*] Nondum erant periculosa , quum iam essent molesta.

XXVIII. 30. *Vbicunque fecit nomen illustre*, &c.] Hic locus variabat in exemplaribus. Nonnulli sic habebant , *illo Dominum fugiunt*. Alij , *illo Deum fugiunt*. Rursus alij , *Dominum fingunt*. Ex his diuinare licet , fuisse scriptum: *Vbi quenque nomen fecit illustrem, illico Deum fingunt*. Nec displicet *vbicunque*, si legas *illustrem* : nec *illustre* displicet, si subaudias *aliquis*. Nisi forte pro *fecit*, legendum est *stetit*. Notat illos,qui tument nobilitate maiorum, ac sibi dij videntur,non homines,reliquosque fastidiunt.

IN LIBRVM QVARTVM.

CAP. XVIII. P. 34,20. *Illum obnoxio quolibet validissimum*,&c.] Vnus codex manu scriptus habebat,*ceteris obnoxium*: alter non habebat, *quolibet* : hinc germanam scripturam coniectauimus , *illum ceteris obnoxium* , *validissimum facerent*. Sentit enim hominem vt inermem,ceteris omnibus expositum iniuriis,sola ratione & societate tutum esse.

XXII. P. 35,25. *Ac multa hinc commoda oriuntur, & tutior est vita melioribus , amatque, & secundum bonorum iudicium, aetasque securior.*]Sic habebat editio prior: quam nemo dubitat esse mendosam. Itaque quum non suffragarentur exemplaria,germanam,ni fallor, lectionem ita restituimus : *At multa hinc commoda oriuntur : & tutior est vita melioribus, atque secundum bonorum iudicium, etiam securior*. At,enim conuenit obiicienti ex aduerso. *Et tutior*, est respondentis idem accidere in omni genere virtutis. *securior* autem refertur ad *tutior*. Potest enim esse tuta vita,quae non sit secura. Porro boni magis spectant securum,quàm tutum : eo spectat quod addit,secundum bonorum iudicium. Securitas enim non nascitur nisi ex bona conscientia.

XXIII. 41. *Quantum ista nocte, quantum in numerum ac discrimen demum obseruas. igitur quanta* , &c.] Sic habebat superior editio. Omnes codices descripti,pro *igitur*, habebant *agitur*,& recte : *dierum*,pro *demum*,non recte. Restituimus hunc in modum:*Quantum ista nocte,quam tu in numerum ac discrimen demum obseruas,agitur? Quanta rerum* , &c. *Demum* , dixit pro *tantum*. Sensus est : Tu tantum obseruas numerum ac discrimen stellarum noctu lucentium : quid agant , non attendis.

XXXII. P. 37,44. *Deos verisimile est,*] Consentiebant exemplaria. At sermo est imperfectus,ni repetas ex superioribus , *cogitare*, aut *indigne ferre*.

P. 38,1. *Rationes disponuntur.*] Codex manu descriptus, & alter vetustissimus, habebat *dispunguntur*. Loquitur enim de soluendo quod debetur. Magis autem mihi placet, *rei priuatae meae*, quàm *reipublicae*. Iam

enim ad personam hominis rediit.

XXXV. 46. *Vt promittentis fidem teneam.*] In vetustissimis exemplaribus erat *teneas*. Dicitur autem ab eo qui promisit, ad illum cui promissio facta est. Ille tenet fidem tuam, qui te habet obligatum.

IN LIBRVM QVINTVM.

CAP.XIII. P. 45,27. *Sic paropsidem.*] Tres vetusti codices habebant *pyxidem*. πυξὶς enim Graecis a πύξος dicitur, quod ex buxo fieret. Vnde falso pyxidem argenteam aureamve diximus.

XIIII. 40. *Cui tamen & si malus est, ipse quoque, &c.*] Duo vetustissimi codices habebant, *quorum si malis copia est, ipse quoque, &c.* Mihi videtur deesse vocula, *quae apud illos bona sunt*: nisi forte reddidit Graecam figuram [illegible], quod mox explicauit, *quorum illis copia est*. quae verba dubito num ab interprete sint adiecta, & hinc variatam scripturam.

XX. P. 48,11. *Si malo viro dedisti, flere: Beneficium vero, ne corrumpas, &c.*] In vetustissimo codice, & altero pro *flere*, erat *flectere*: in Longobardico, pro *vero*, *verbo*. diuino fuisse scriptum: *Si malo viro dedisti, plectere. Beneficium vero, siue verbo, ne corrumpas.* hoc est, da poenas, qui male collocaris: nec ideo beneficio commutes nomen. Aut ita: *Beneficium malo viro dedisti, fle re*: vt *re* referatur ad *verbo*. Re sis tristis, non mutato rei nomine. Aut *fle rem*. nomen rei ne corrupetis.

XXV. P. 49,14. *Ab hoc quàm diu non esset repetendum, &c.*] Pro *quàm diu*, Longobardicus codex habebat *quid ni*. Opinor legendum, *Ab hoc quidem non esset repetendum beneficium. Optanda erat obliuio.* Nec displicet si *ni*, vertas in *ne*: *quid, ne esset repetendum beneficium, optanda erat obliuio?*

IN LIBRVM SEXTVM.

CAP. X. P. 52,56. *Sed quod beneficium non esset.*] Consentiebāt tres diuersi codices, & in his Longobardicus: quanquam mihi *non*, quae vox in prioribus editionibus non erat, videtur superesse. Sic enim ratiocinatur Seneca: Si in beneficio tantum potest voluntas, vt debeamus ei, cuius promptissimae iuuandi voluntati fortuna defuit; e contrario beneficium illi non debebimus, cui suppetiit fortuna, sed voluntas non antecessit.

XVI. P. 54,35. *Modo laudibus affecit animum.*] Longobardicus habebat, *fecit animum*: hoc est, animauit ad studia Et elegans est, facere animos.

XIX. P. 55,4. *Sed commune munus ex populo.*] Ita superiores editiones, & consentiebat Longobardicus. Nos tamen non veriti sumus reponere, *vnus e populo*: retulit enim illud Graecum, [illegible].

XXIII. 47. *In maiora ituros innant.*] Longobardicus habebat, *in maiora ituri*: vt referatur ad solem & lunam.

XXIX. P. 57,21. *Aut res si deliberare velis, diligentes, tu te sic credere*] Nos reposuimus, *aures, si deliberare velis, diligentes, tutas, secretas*. Diligentes, vt attendant: tutae, ne prodant: secretae, ne spargant in vulgus.

XXXII. P. 58,18. *intra impudicitiae maledictum,*] Longobardicus habebat *vltra*. Verum vt *intra* legamus, faciunt quae sequuntur, *in publicum emisit*. Quanquam si legas *vltra*, sensus est tolerabilis: non solum laborabat infamia, sed in propatulo res erat.

XXXIIII. 54. *Huic peruenire vsque ad distringendam,*] Prior editio sic habebat, *Hunc peruenire vsque ad distribuendam libertatem licet, cuius vulgare, & publicum verbum & promiscuum? Ignotus non nisi suo ordine imititur.* Exemplar peruetustum pro *hunc*, habebat *huic*: post *ignotus*, habebat *habe*. Iam nationibus quibusdam peculiare est, pro *b*, sonare *v* consonantem: & Germanicum est, aspirare nonnunquam & tenues. ita factum est, vt pro *aue*, scriptum sit *habe*. Ad hunc itaque modum sinceram scripturam reposuimus: *Huic peruenire vsque ad distringendam libertatem licet, cuius vulgare & publicum verbum & promiscuum ignotis, Aue, non nisi suo ordine emittitur?* Distringere libertatem dixit, pro expromere, quemadmodum distringimus gladium. Amicitiae proprium est, liberas inuicem voces emittere. Quando autem amicus ille salutator audebit libertatem hanc exercere in amicum, cui non licet verbum *Aue*, quod vulgo ignotus dicit ignoto, nisi suo ordine emittere?

XXXV. P. 59,11. *Vtrum vox ista sit voti tui. Sanius aliquid horum opta.*] Ita superior editio, nec suffragabantur exemplaria. Itaque diuinauimus fuisse scriptum, *Vtrum vox ista tua sit, an voti tui? Sanus aliquid horum opta.* Sensus est: fortasse non imprecaris talia amico; sed quid refert quum optes? Sanus aliquid tale opta tibi. Hinc coniecta, quàm immaniter optes amico.

IN LIBRVM SEPTIMVM.

CAP.XIX. P. 68,26. *Non reddo illi, quale nunc potest accipere.*] Distinctio torsit me. legendum, *Non. Reddo, &c.* vt *non* sit improbantis argumentum. quasi dicat: non est ita. Imo reddo, quale potest accipere.

XXII. P. 69,42. *A quo acciperet, ambiguus fuit.*] Longobardicus codex habebat, *ambitus fuit*: & recte. sentit enim, Socratis amicos inter se contendisse, quis daret.

43. *Non ne multum erat eum meruisse, a quo, &c.*] Sic prior editio. Longobardicus habebat, *eum fuisse*. quae lectio non est absurda. hoc est, talem esse virum, vt Socrates ab eo dignaretur accipere. Alioqui probabile est, *emeruisse*, versum in *eum meruisse*.

IN EPI-

IN EPISTOLAS.

P. 73,12. *Eripiuntur*] Eripiuntur, quae vi tolluntur: subducuntur, quae clam. Pro *eripiuntur*, quidam codices habebant *surripiuntur*. EPIST. I.

17. *Quod mortem prospicimus.*] Prospicimus ventura, & quae procul absunt. At oon iam magna ex parte a tergo est. Aliquis non intelligens argutiam, addidit, *non prospicimus*.

21. *Ex qua expellitur quicunque vult.*] Argutius est, quod habebat codex vetustus, *ex qua expellit quemcunque vult*. Natura misit in hanc possessionem, sed hac lege, vt sit exeundum quandocunqoe vult ipsa.

P. 75,28. *A qua professione nos dissimilitudo separabit.*] Noo dubium quin legendum sit, *professionis dissimilitudo*. A qoa coogregatione, dissimilitudo professionis separabit. Vult enim oos intus habere philosophiam, non profiteri. Quod hic peaecipit de philosophis, mire quadrat in monachos. V.

35. *Sed non agnoscant.*] Argutius est, quod habebat codex vetustus, *sed agnoscant*. Suspicimus etiam aliena, sed agnoscimus oostra, quae & ipsi praestare queamos.

P. 76,36. *Ordinarijs partibus*] Quidam babebant *patribus*. *paribus* legendum arbitror. Loquitur de paribus gladiatorum. Haec autem verba, *vt in expeditione*, videntur adiecta ab enarratore qoopiam. VII.

P. 77,18. *Quod habere nos putamus, haeremus.*] Pro *habere*, quidam habebant *abire*: sed mendose. Seneca allusit ad Graecas voces: ἔχομεν est *habemus*: ἐχόμεθα, *haeremus*. VIII.

P. 81,45. *Hinc & illinc apparauerint.*] Alij aliud habebant. Legeodum, *apparuerint*: vt opponatur illi *propius accesserint*. Apparent & quae procul absuot. XIII.

47. *Haec eius probatio obstrusa est.*] Io aliis aliud erat aeque deprauatum. Vetustus codex habebat, *Haec eius obrussa est*. Obrussam aliquis interpretatus est *probatio*: & haoc vocem infulserunt in cootextum. Obryzum autem aurum dicitur probatum. Forte scriptum erat *obrussatio*, pro *probatio*. Coius linguae vox sit *obryzum*, ambigitur.

P. 83,56. *Alter vincere potest*, &c.] Hic locus mire variabat in exemplaribus. vetustus codex habebat, *Alter vincat, potest melior vincere, non potest nō peior esse qui vicerit.* Alios: *Potest melior vincere, nō potest peior esse qui vicerit.* Vetus lectio mihi magis arridet: *Alter vincere potest, melior non potest.* reliqua videntur adiecta ab interprete, nempe haec: *Non potest esse peior qui victus fuerit, melior qui vicerit.* In hoc est argutia seotentiae: Non refert vter vincat, quum ambo sint aeque mali: alter vincere potest, quia duo suot: melior noo potest, quia neuter vir bonus. XIIII.

P. 84,54. *Prout vox quoque te hortabitur, in id valebit.*] Io aliis erat, *in id latus modesta*. in aliis aliud. Nihil horum placet. Coniicio fuisse scriptum, *prout vox quoque te hortabitur & latus, modesta*, siue, *moderata*: nisi mauis, *molesta* Imperitus quispiam, qui suspicatus est lateris mentionem absurde fieri, vbi de proounciando agitur, corrupit scripturam. XV.

P. 85,2. *Habe & Ixionis.*] Vide oum legendum sit, *Babys & Ixionis*: vt iotelligas Babym Marsyae fratrem, qui ipsum Apollioem ad canendi certamen enocauit: & Ixiooem, qui oubem pro Iunone coostuprauit. Scholium iodicanit, Babam & Ixionem, fuisse doos Senecae temporibus ootae fatuitatis homines: cui quantum tribuendum sit, nescio.

16. *Ceterum tolerabilem, etiam inchoata.*] Huoc locum ooo scriba qoilibet, sed eruditulus aliquis deprauarat. Sic eoim mutarat scripturam: *ceterum nec tolerabilem, sine ipsa etiam inchoari.* quum Seoeca senserit, a sapientia perfecta praestari beatam vitam: ab inchoata, hoc est imperfecta, tolerabilem. XVI.

P. 87,13. *Grabatus ferus sit.*] Pro *grabatus ferus*, quidam habebant *verus*. forte *ferus* legendum, vt commendet vigiliam. XVIII.

P. 88,10. *In aspero & probo accipere.*] Considera Lector, vtrum malis Asperum & Probum grammaticos accipere, an addere voculam, *nisi tu aspero & probo*: vt sit allosio ad mooetam. Nummus probus est, qui non peccat in materia: asper, quum noodum est detritos vsu: siquidem mooeta receos asperitatem habet. Videntur esse verba foreosia, siue Iurisconsultorum: *Nec voles quod debeo, nisi in aspero & probo accipere.* XIX.

P. 89,18. *Aliter audio quae dicit Demetrius noster, cum illum vidi nudum, quanto minus quàm in stramentis incubantem.*] Ita prior editio. Alius codex habebat, *Ego certe aliter audio quod dicit Demetrius noster, cùm illum vidi nudum. Alius, cùm in stramentis vilibus incubantem.* Neutra caret scrupulo. XX.

52. *Omnes illos magistratus & satrapas.*] Ex vetustissimo codice reposui, *Megistanas*. Quam hoc verbo vsus est Suetonius: oos magnates siue primates dicimus. XXI.

P. 96,12. *Vt Grammaticos haberet analectos.*] Quidam babebat *analetas*, alius *analectas*: quod magis arridet. vt iotelligas eos, qui minutissima quaeque colligunt ex autoribus. Nam ἀνάλεκτα dicuntur reliquiae, decidentes e conuiuio. XXVII.

P. 97,32. *Acerrime ridere, & acerrime tabere.*] Pro *tabere*, quidam habebant *rabere*, quidam *rubere*, quidam *rabire*. Pro *rubere*, puto scribendum *rudere*. Lusit enim Seneca vocum affinitate, quae est in ridere & rudere. Rident qui gaudeot, rudont irati. Vode illud Persij: XXIX.

— *Pecuaria rudere dicas.*

P. 98,8. *Et si exarmauit,*] Quidam babebat annotatum, *& si exarmauerit eum tempestas*. Alioquin videtur *exarmare* positum neutraliter. XXX.

P. 99,9. *Inueniemus alias videri.*] Consentiebant exemplaria. Videtur aliquid deesse: nisi hoc sentit, discrimen nooesse io re, sed in opinione. Quidam babebat, *alias esse, alias videre*.

P. 105,22. *Aliter leo aurata iuba innititur.*] Ita prior editio. In aliis erat, *innititur*: io aliis, *dimittitur*. Forte legeodum erat, *nitet*. Agit enim de decore natiuo. XLI.

P. 108,13. *Dulce illud, & loco lene.*] Io qoibusdam erat, *lene*. *Loco* dixit, pro *in tempore*. Ioteruenicbat lenitas, sed in loco. XLVI.

38. *Frustra excutit.*] Alius habebat, *in frasta*: alius, *frusta*: omissa praepositione. Opinor legendum, *eru-* XLVII.

dita manu frusta excutit. quod & hodie faciunt aulicorum ministri in quadris panariis.

P. 109,23. *Seruus est, hoc illi non nocebit.*] Sic erat in quodam: *Seruus est, hoc illi, alijs non nocebit.* sed non admodum placet.

33. *Non quicquid nos offendit, & laedit,&c.*] Sic legebatur in quodam: *non quòd nos offendant, quòd laedant, sed ad* &c.

XLIX. P. 110,14. *Succurre, quid quòd laqueati respondent in poenis.*] In aliis erat, *Quisquis eloquentior es in poenis: quicquid laqueati respondentium poena.* Vnus codex Anglicus habebat, *quisquis eloquentior es, pereuntium poena.* quod sequuti sumus: non quòd per omnia satisfaciat, sed quòd minimum displiceat. Si pro *respondet*, legas *despondent*, pro *desperant*, tolerabilis erit lectio.

20. *Vtinam tantum prodessent, quantum nocent.*] Rectius habebatur in quodam: *Vtinam tantum non prodessent. Nocent.* vim enim coniunctionum supplet pronunciatio: post silentium accutiore voce accinitur, *Nocet.*

L. P. 111,19. *Nunc vaco ad istas ineptias?*] Pro, *Nunc vaco*, rectius erat, *Non vaco.* Quanquam alterius lectionis idem est sensus, si legatur per interrogationem.

LI. P. 112,54. *Effoeminat animos amoenitas,&c.*] Rectius habebatur: *effoeminat animos amoenitas nimia: nec dubie aliquid,* &c.

In huius epistolae medio, deerat huius epistolae finis: tum aliae duae integrae, quarum posterioris finis erat: *Quid enim refert,* &c.

LIII. P. 114,45. *Qui vi talaria coeperit intendere,&c.*] Pro *talaria*, erat *calcaria*: pro *ferierit, fecerit.* Nam Grammaticorum filij negant, *ferio* habere praeteriti vocem. Podagra vero ioco dicitur vtrunque pedem fecisse dextrum: quòd sic aequasset, vt nihil interesset.

LVI. P. 116,42. *Si vero pilicrepus superuenerit,*] Quidam habebat, *pellicrepus*. Caelius Rhodiginus putat legendum esse, *pilicrepus*: & quod adfert, probabile est, lib. XXX. cap. XIX. Mox pro *pilos*, putat legendum *pilas.* Nam a pila dictum existimat *pilicrepus*, non a pilo.

43. *Adijce nunc fordalum,*] Scholium quoddam indicabat, fordalum dici, qui fordes efferret e balneo, aut qui fordidaret balneum. Huic commentulo quantum tribuendum sit, nescio. Omnino significat aliquem molestum lauantibus, quandoquidem mox adijcit furem deprehensum. Forte balneari verbo *scordalus* dicebatur, qui oleret allium, quasi *scorodalus*. Sic vsurpare videtur epistola 84. quanquam Graecis σκῶρ sonat stercus. Sed probabilius est, vt mutata literula legamus *scordylum*, siue *scordulum*: vt conuicium sit in hominem ingrati odoris, posteaquam incaluit: quod accidit pisci scordulo.

45. *Alipedum*] Caelius contendit legendum *alipilum*: inde ductum, quòd vellat pilos alarum. Reperies eodem loco, quem mox indicaui.

47. *Iam libeare*] Sic habebant quidam. alij, *liberi*: alij aliud. sed probabilius est quod diuinat Caelius, *libarij*, pro his qui liba vendunt: quemadmodum & botularium dixit, qui botulos, id est farciminis genus, vendebat: & crustularium, qui crustula vendebat.

P. 117,8. *Vel pausarium.*] Pausarium ipse interpretatur, qui voce temperat impetum remigantium. Notatum est ab eruditis & hoc in Seneca, quòd a vocabulis sordidioribus interdum non abstinuerit. Quo de genere videntur ex his esse quaedam.

LVII. P. 118,10. *Aut turris. non erat.*] Et hae duae voces officiunt sensui. Mox proximo, pro *efficientiam*, melius erat, *efficientia*: hoc est, ea quae adferunt exitium.

LVIII. P. 121,5. *Mortis moras*] Pro *moras*, habebat *consulta*: an recte, vide.

LIX. 12. *Si ad nostrum alueum.*] Pro *ad nostrum alueum*, Rodulphus legendum putat, *ad nostrum album*: vt intelligas ad iudicium Stoicorum. Et magnopere placet Rodulphi sententia.

LXI. P. 123,2. *Eadem velle,*] Pro *eadem velle*, erat *ne eadem velle videar.*

6. *Tanquam maxime scribentem*] Pro *maxime*, erat *cum maxime.*

LXVII. P. 132,1. *Malacia est.*] Quod nos diuinauimus de malacia, idem annotarat Rodolphus: addens, Caesarem in commentariis belli Gallici, hac voce notare segnem & immotum maris torporem.

LXXI. P. 137,14. *Scit se esse natum oneri ferendo.*] Ita vetus editio. In priscis exemplaribus non habebatur *natum.* Ita dixit *esse oneri ferendo*, quemadmodum dicimus, *est soluendo.*

LXXII. P. 138,7. *Quae possis & incise scribere.*] In aliis erat, *incedendo scribere.* forte scriptum erat, *incessim scribere*: quemadmodum dicimus *cursim.* nisi *incise* dicitur scribi, quod ex interuallo scribitur.

LXXVI. P. 144,8. *Quis sit? Pitaules.*] In aliis erat, *quod sit?* Nam subaudiendum est *quaeris.* Non enim quaeritur, quis homo sit: sed quid rei, cuius gratia factus sit cōcursus. Et quum de hominis artificio percontamur, non dicimus, *Quis est*: sed, *Quid est?* & respondetur, *musicus est.*

9. *Pitaules.*] In aliis erat *Pytholaus.* forte legendum *Physaules*, ab inflandis tibiis.

LXXVII. P. 146,53. *Tam mali exempli esset occidere dominum, quàm prohibere.*] Non dubium est, quin ordo sit inuersus. Sensus enim hunc postulat: *tam mali exempli esset prohibere dominum, quàm occidere.* Nimirum si constaret, dominum nolle viuere, iuxta illud Flacci:

Inuitum qui seruat, idem facit occidenti.

LXXIX. P. 150,4. *Nam Scyllam,&c.*] Negatio videtur redundare, *& quidem terribile nauigantibus*, vt intelligamus hoc scire Senecam, Scyllam respondere fabulis, de Charybdi dubitare. Alioqui haec vox, *& quidem*, augere solet, non excipere aut imminuere. Quidam codex habebat, *Nam Scyllam quidem saxum esse, & quidem non terribile. na.* Vnde dubito, num forte scriptum fuerit, *Scyllam quidem saxum esse, sed equiti terribile, non nauigantibus*: vt intelligas, hactenus Scyllam respondere fabulis.

14. *Nec ignem non manere eundem,*] Quidam habebant, *nec ignem manere eundem.* Quanquam vtriusque lectionis idem est sensus. Quale est illud Maronis:

—Nec tales tangere curas.

21. *Morbo enim tuo daturus eras, etiam si nemo quid mandaret tibi, donec Aetnam, &c.*] Variabat lectio, sed nihil arridebat. Si cui displicet vulgara, perpendat num ita legi possit: *Morbo enim tuo daturus, etiam si nemo:*

vt hic

vt hic per apnsinpesin subaudias *roget*. Mox: *Quid? Mandem tibi, vt dum Aetnam describis in tuo carmine, & hunc solennem*, &c. Sentit enim, illum mnre poetarum nnn nmissurum in descriptinne locum quem libenter tractent, qui facile splendescit.

P. 156,37. *Ne Pythou quidem*] Haec verba nnn congruunt sententiae. legendum videtur, *ne pilo quidem*: aut, *ne pilis quidem*: vt intelligas, post sagittas & fundas adhibita pila. LXXXII.

P. 157,3. *Hieran fecimus.*] Apparet vehementissimum ac laboriosissimum cursum fuisse dictum *ἱερὸν*, vt subaudias *δρόμον*; quemadmodum & nautae dicunt *sacram anchoram*: & medici *sacram dosin*, *ἱερὰ πικρά*. LXXXIII.

P. 158,45. *Nec sopore sumpto dormiturum,*] Ex exemplari felicinte reposuimus *opio*. Opium enim copiosius sumptum, lethalem adfert somnum.

P. 159,28. *Puta aliquando ne intelligi quidem posse, si magni viri*] Locus est depranatus, nec subueniebant exemplaria. Interim lectinnem vtcunque tibicine fulciemus, donec quod certum est, emerserit. Opinor inuersum nrdinem, atque ita legendum: *Puto aliquando ne intelligi quidem posse, si magni viri*: vt hic ex superioribus repetas argumentationem & sententias. Deinde sequatur: *Nec enim ex omnibus velut exemplaria traxit, ex quo formam suam impressit, vt in vnitatem illa competant*. Sensus hic est: Si magni viri orationem imiteris, non agnnsci cuius sit sententia, quum ille nnn collegerit ex quibuslibet, posteaquam illis impressit suam formam, vt competant in vnitatem. Verum viden tolerabilem lectionem, si pro, *ex quo*, legas, *nec enim omnibus quae ex quoque velut exemplaria traxit*, &c. Rursus si legas *traxerit*, pro *traxit*: vt sit sensus: Non nmnibus impressit fnrmam, quae ex qun traxerit: hoc est, nnn addidit notam, qua liqueat, qnid ex qun traxerit. *Et quare non impressit formam? vt illa competant in vnitatem*. In qnndam exemplari, pro *traxit*, erat *struxit*: tum Ennij nomen erat additum, *Magni viri Ennij*. LXXXIIII.

P. 160,18. *Quomodo apyrina dicuntur*, &c.] Reposuimus *apyrina*: qua voce vsus est Plinius lib. XXIII. cap. VI. LXXXV.

P. 163,19. *Argentea epitomia*] Caelius Rhodiginus legendum putat, *epistomia*. LXXXVI.

47. *Quid putas illo soluisse malitiam labore virum.*] Sic habebat prior editin. Britannicum exemplar subuenit: *Quid putas? illo soluisse militiae laborem decebat virum.*

P. 172, 38. *Arma agetis introrsus.*] Sic habebat prior editio, cnnsentientibus plerisque exemplaribus. Vnus codex manu descriptus habebat, *marinam*. vnde coniicio legendum, *maria introrsus agetis*: vt conueniat cum illn Maronis: *Iulia qua ponto longe sonat vnda refuso*. Item cum illo Facci: *Marisque Baijs obstrepentis vrges Summouere littora, Parum locuples continente ripa*. Alioqni legi poterat, *arua*. Sic enim aedificabant in littore, vt aruorum spacium tedderent angustius amplitudine aedificinrum. Nam mox sequitur apud Horatium, *Quid quod vsque proximos Reuellis agri terminos?* &c. Lib. II. Ode XVIII. LXXXIX.

P. 175,28. *Quid in secundam nominum formam animae perpetuae,*] Sic magno cnnsensu habebant exemplaria. Si pro *nominum*, legamus *hominum*, tolerabilior fuerit lectin: vt intelligas animas perpetuas in secundam hominum formam. Perit enim forma corporis, sed manet ea quae pntior est, aut alia datur priore melior. Sed vero propins est, fuisse scriptum, *numinum formam*. Numinum enim est immnrtalitas, animae secundam habent fnrmam: qnòd esse quidem coeperunt, sed non desinnnt esse. Mollinr erit sermn, si sublata praepositione legas, *secundam numinum formam perpetuae*: id est, more numinum. XC.

P. 179,12. *Quam dusinam vocant Graeci,*] Ex vestigiis nihil certi potuit deprehendi: nisi qund *χηλὴν* aut *ταινιωτὴν* scriptum arbitror. XCII.

15. *Magnu vitam facit*] Videtur deesse verbum, *magnu pusillum. Vitam* &c. Tamen erit lectin tolerabilis, si *magno* recipias pro *sapiente*, & addas interrogationis nntulam.

P. 181,3. *Quia animum habet mobilem, at praua illa agit arens malicia, & ea agitata abest. De bono*, &c.] Sic habebat prior editio. Quidam codices pro *at*, habebant *ad*: & pro *agitata*, *cogitata*. Ex diuinatione reposuimus, *huic, maliciae vis quaedam inest, quia*, siue *qua*, *animum habet mobilem ad praua. Illa agit carens malicia, & ea agitatio abest a bono. Non est adhuc*, &c.

P. 182, 28. *Tamusi.*] Quidam habebant, *Tamasij*. Catullus iocatur in quendam Vnlusium: *Annales Volusi cacata charta*. hinc illud, *& qui vocentur. Quàm non decori sint, & qui vocentur.* Quidam codex sic habebat: *Annales Tamusij scis quàm non desidero: & si sine, qui vocentur*. Tolerabilis erat lectin, si pro *vocentur*, legas *iocentur*: vt accipiamus aliquos iocos sparsisse, quòd his Seneca delectaretur. XCIII.

P. 190,22. *Veneriae spondylique,*] Quid sibi velit illa vnx *veneriae*, nondû quiui deprehendere, non suffragantibus exemplaribus, qnae fere consentiunt. Viuerras in deliciis fuisse, non legi: & hic piscium tantum fit mentin. An *murenae* legendum sit, nescin. Aristoteles inter genera piscium refert *sphyraenam*. Thendnrus vertit *malleolum*. fieri potest, vt haec vnx ignota, deprauata fuerit in *veneriam*, aut aliam huic similem. Nam varie habetur. XCV.

23. *Echinis totam distractique sine vllis ossibus nulli constrauerunt. Piget esse picta, singula coquuntur in vna saporis.*] Sic habebat edirio prior. Aliud exemplar habebat: *Echini totis distractique sine vllis ossibus multis contraxerunt pituitam*. Aliud cnnsentiebat; nisi quòd pro *multis*, babebat *multi*. In aliis alia atque alia erat lectio, sed nulla quam rotam pnbares. Itaque diuinandum est, quod in eruditis anctoribus nimium crebro accidit. Vide num sic legendum: *Spondylique & ostrea, eatenus circumcisa qua eduntur, interuenientibus distinguebantur echinis. totam distracti sine vllis ossibus mulli constrauerant. Piget esse singula, coguntur in vnum sapores*: vt *piget esse*, sit pro *piget comedere*. Vnx *picta* videtur superesse. Enarrator quispiam supra singula, adieceerat *dicta*: id alius vertit in *picta*. aut si quid ad rem facit, *elixa* legendum arbitror. Existimo me propemodum tntam lectionem diuinasse.

P. 191,53. *Et praeconari totos vetent.*] Arbitrnr legendum *perconari*, pro perficere, siue pertendere.

P. 198,28. *Quam multis vitalia emuntur.*] Sic prins. in aliis erat *emittunt*. *eruuntur*, npinor legendum. Sensit enim de cadaueribus, quibus eximuntur vitalia, vt possint condiri. XCIX.

40. *Metrodori verba subscripsi.*] In dunbus exemplaribus comperi vestigia Graecnrum elementorum

ſed adeo deprauata, vt ex his nihil potuerit conijci dignum memoratu.

C. P.159,33. *Conciſura aquarum a cuniculis interfluentium, & pauperis cella.*] Quidam habebant *a cubiculis*: quod erat tolerabile, ſi tollas *a* praepoſitionem. Sed *pauperis*, conſtat vocem eſſe ſuppoſititiam: nec adhuc queo diuinare, quid ſit reponendum.

CCI. P.201,48. *Niſi aliud praedixero,*] Reclamantibus licet exemplaribus lego *praecidero*: quemadmodum & in his quae ſequuntur. Alludit enim ad rem inuolutam: quam interdum non licet explicare, niſi quaedam prius amputaris.

56. *In noſtra tela mittuntur.*] Non ſuffragabantur exemplaria: non dubito tamen quin legendum ſit, *cui noſtra tela innitatur*. Sentit enim, aſſumendum aliquid per ſe notum, ad fulturam argumentationis: quemadmodum telae ſubſternitur ſtamen.

P.202,33. *Laus alterius.*] In aliis, *laus a litteris*. Ipſe ſermonis tenor docet legendum, *Laus alit artes*. Eſt enim clauſula carminis heroici. Id imitatus Cic. *Honos alit artes.* item Ouidius: *Laudataque virtus creſcit.*

CIIII. P.204,50. *Quicquid te delectat, aeque videt, vt videris, dum viueret.*] Alij aliud habebant, ſed in totum non placuit. Vide num ſic legendum, *Quicquid te delectat, aeque viget, vt videras, dum viueret. Vtinam* videtur adiectum. Sentit enim nobis virere quicquid delectat. At delectat etiam memoria rerum bonarum.

CXIII. P.217,18. *Ingens paruumque regnum.*] Sic editio ſuperior. In aliis erat, *par coelis regnum*. quod ab eruditulo quodam ſubmiſſum apparet. In aliis, *parque regi regnum*. In aliis aliud. *vidづ ὕβρις*. Tolerabilis erit lectio, *ingens paruumque regnum. Paruum*, quia vnius in vnum; *ingens*, quia difficile ac praeclarum.

22. *Perſuadeat ſibi me in hanc pulcherrimam virtutem vltro etiam impendere iubentur.*] In aliis erat *iubet. Si me* vertas in *vt*, ac mox *ut* in *vt*, erit commoda lectio: *Adhuc illud perſuadeat ſibi, vt in hanc pulcherrimam virtutem vltro etiam impendere tunc et, vt tota cogitatio* &c.

CXXIII. P.232,47. *A nobis optatum prohibent.*] In aliis erat, *a diebus*. legendum arbitror, *a diis*. Quanquam abeſſe videtur pronomen, *quae*: *quae a diis*. In aliis erat, *inſtructis nobis optatum prohibent & occurrunt.*

CXXIIII. P.234,29. *Sextus quoque inceptum.*] Sic prior editio, alios habebat, *sexus quoque incerti*: alius, *sexuque conceptum*. Legendum arbitror, *vixque inceptum*.

IN LIBRVM PRIMVM DE IRA.

II. P.280,37. *Venena, & eorum mutuas ſordes.*] Rodolphus recte annotarat, *& reorum mutuas ſordes*. ſentit enim mutuas accuſationes. Nam olim rei ſordidati veniebant in iudicium.

IN LIBRVM SECVNDVM DE IRA.

X. P.292,46. *Vbi iſti hiccine locus eſt?*] Alius habebat, *vbi iſti hoccine locus eſt?* Rodolphus addiuinarat, *vbi iſti hoc omne locus eſt*. Forte melius, *vbi hic irae locus eſt?* Nam ſequitur: *aut ridenda omnia, aut flenda ſunt*. Nuſquam igitur irae locus.

XI. P.293,5. *Nec hoc ſapientis dici velim, quòd ferae quoque telum timeri.*] Sic noſtra prior. Quidam habebat, *Nec hoc ſapientis malim, quòd ferae quoque ſapientis telum eſt timeri*. Rodolphus annotarat: *Nec hoc ſerpentem malim, quòd ferae ſapientis quoque telum eſt timeri.* Noſtra minori negocio reſtituetur, addita literula: *Nec hoc ſapientis dici velim, quod ferae quoque telum eſt, timeri.* Sentit enim, feras terrore tutas eſſe: quod negat conuenire ſapienti.

IN LIBRVM PRIMVM DE CLEMENTIA.

VIII. 317,52. *Quid tu non experieris iſtud nobis eſſe vbi ſeruitutem.*] Ita prior editio. Rodolphus annotarat: *Quid iſtud non experiris, iſtud non eſſe tibi ſeruitutem.*

IX. P.318,47. *Seruatum ſeruans.*] In aliis erat, *ſed natum*: vt referatur ad *factum*. erat enim in hoſtium caſtris natus, aut hoſtium filius.

XI. 319,31. *Comprehenſibilis amor.*] Rodolphus legit, *incomprehenſibilis*. Tolerabilis erat prior lectio, ſi *comprehenſibilis* accipiatur actiue.

XIIII. 320,40. *Tradi ſibi pater membra ſua abſcindat:*] Rodolphus legit, *tarde ſibi pater membra ſua abſcindat*. Sentit, principi bono omnia facienda, priuſquam veniat ad extrema ſupplicia: eo quòd omnes ſubditos pro ſuis membris ducat.

XXV. 323,29. *Clementia inuocatus, ad occidendum amicum carnifex inter homines eligitur.*] Non dubium eſt quin legendum ſit, *clementia vocatur, ſi ad occidendum*, &c. Notat enim principum crudelitatem, qui amicos obiiciunt beſtiis: iuxta illud Maronis: *Si pereo, manibus hominum periiſſe iuuabit.*

IN LIBRVM SECVNDVM DE CLEMENTIA.

Secundus hic liber non videtur eſſe pars operis ſuperioris, ſed initium alterius: nec apparet eſſe perfectum, niſi quòd in Seneca docti deſiderant ordinem & connexionem.

II. P.325,25. *A capite bona valetudo.*] Et locus hic obſcurus eſt, adiectione verborũ aliquot. Primum haec verba, *ea tranſibit*, non erant in vetuſto codice: quanquam totum hoc, *a capite bona valetudo in omnes*, ſatis apparet eſſe annotationem ſtudioſi cuiuſpiam. Quin & *formabuntur* verbum adiectitium videtur. His igitur ſublatis, pulchre conſtabit lectio hunc in modum: *& cuncta in ſimilitudinem tui, vegeta ſunt atque erecta, aut languore demiſſa, prout animus eorum viget aut marcet.* Aut ſi non placet tantum verborum abiicere, haec erit tolerabilis lectio, cuius occaſionem vnus codex dedit: *& cuncta in ſimilitudinem tui formabuntur.*

mabuntur. A capite bona valetudo. Inde omnia vegeta sunt atque erecta, &c. vt *in omnes*, quod habebat etiam vetustissimus codex, vertas in *inde omnia*.

IN LIBRVM DE VITA BEATA:

P. 328, 36. *Non est quod mihi illud dissensionum more respondeas, Haec pars maior esse videtur.*] Rodolphus re- II.
cte notarat, *discessionum*. Indicat enim consultationis genus, quo pedibus itur in sententiam. Et in hoc numerantur suffragia, non expenduntur.

P. 329, 7. *Tum pulcherrima & patiens,*] Rodolphi codex habebat *patiens anxij*. hoc quid sibi velit nescio, III.
nisi forte pro *anxij*, scriptum erat *auxilij*.

P. 332, 12. *Vix perventurus in turpia*] Quoddam exemplar habebat *vir*. Prior lectio videtur argutior. XIII.

IN LIBRVM DE TRANQVILLITATE ANIMI.

P. 346, 53. *Non enim debet seruare se, nec obruere, vt opinor.*] Rodolphi codex pro *nec*, habebat *vel*. Id ille III.
vertit in *velo*, & ex *seruare*, fecit *seruantem*. Forte sic erat legendum: *Non enim debet celare se, nec obruere.*

P. 350, 13. *Inter solum & aulam ingenuam.*] Lectio videtur tolerabilis. Significat enim aedes magnificas XI.
solo aequatas. Rodolphus tamen ita mutarat, diuinationem, vt opinor, sequutus, *inter solium & aliena genua.*

IN LIBRVM QVOD IN SAPIENTEM NON CADIT INIVRIA.

P. 358, 40. *Quoniam quibusdam propriis, plerisque communibus contumeliam refutauimus.*] Quoddam exem- X.
plar habebat, *quoniam quibusdam propriisque contumeliam refutauimus.* Vtraque lectio non vacat mendo: nisi *propriuque*, dictum est pro *propriis quoque*: & pro *quoniam*, malim *qua iam*. Nam Rodolphus legit *refutabimus*. Sentit enim se speciatim demonstraturum, quod in genere tractauit.

IN LIBRVM DE BREVITATE VITAE.

P. 365. *In se verum testimonium dixerunt, prodentes omnem actum annorum suorum.*] Alius habebat, *per* VI.
ostentionem actuum animorum ipsorum. Rodolphus recte animaduertit, hunc sermonem esse interpretis, non Senecae: eoque submonuimus, ne quis requirat.

58. *Paucos admodum & ridiculos.*] Opinor legendum, *& reijculos*, hoc est deteriores: videlicet sene- VII.
ctutis.

P. 367, 3. *Cauillationes enim contundi debere,*] Quidam habebat *contēdi*: sed mendose. Vide num legendum X.
sit, *cauillatione*. nam Rodolphus pro hoc notauit *suggillatione*: vt accipias, impetus affectuum non debere vellicari, sed cum ignominia contundi.

47. *Qui vicorum suorum greges metatur.*] Alius habebat, *Qui victorum suorum greges mercantium*. Prior ma- XII.
gis probatur: quanquam neutra in totum sincera est.

50. *Aut deficiens hinc atque hinc.*] Pro *deficiens*, malim *diffluens*.

51. *Tanquam virum tonderet.*] Forte, *tanquam viuum tonderet*. aut, *tanquam non virum tonderet*. Decet enim virum neglectius curari.

IN FRAGMENTVM DE CONSOLATIONE AD POLYBIVM.

P. 372, 51. *Nostra corpora*] Alius, *Nostra compares*.

P. 375, 1. *Vt possit per ordinem suum principis maximi officium geri, vbique animi est.*] Rodolphus diuinat, Statim in initio.
vbique astricti animi est. At non placet. Propius vero est vt legamus, *vbi quies animi est?* vt vox *vi*, habeat vim XXVI.
concedentis.

P. 378, 48. *Viginti legionum sanguinem fratri parare.*] Sic prior editio. Legendum censeo, *viginti legionum* XXXV.
sanguine fratri parentare.

IN LIBRVM DE CONSOLATIONE AD MARCIAM.

P. 384, 17. *Alios ignibus peruret, vel in poenam admotis, vel in certa nudus maria iactabit.*] Consentiebant X.
exemplaria. Legendum arbitror: *Alios ignibus peruret, vel in poenam admotis, vel incertis, siue insertis: Alios nudos mari iactabit.* Incertos ignes vocat, incendium forte ortum. Insertos ignes intelligas licet, febres ac pestilentias. Alij, *ignes admouentur*: alij, *inseruntur*.

P. 388, 28. *semper in deteriora dependens.*] Alius, *semper interiora dependendi*. Rodolphus, *semper anterio-* XIX.
ra deprendens. quanquam *dependens* bene habebat.

IN LIBRVM PRIMVM NATVRALIVM QVAESTIONVM.

P. 412, 33. *Quo nequitiam meam,*] Fortunatus putat non absurde legi *nequitia mea*. Hoc vt verum sit, a- XVI.
pud Horatium in codicibus emendatis non legitur, *Quo mihi fortuna est*: sed, *Quo mihi fortunam, si non conceditur vti?* Et habet abrupti sermonis tropus suam gratiam: Ita, *Quo* [redacted], subaudi *exerceo?*

IN LIBRVM SECVNDVM NATVRALIVM QVAESTIONVM.

VIII. P. 417,17. *Et tamen mehercules per aliud nihil intendi poterit, nisi per semetipsum fuerit intentum.*] Ita superior editio. Britannicum exemplar ad hunc modum, *tam me hercules quàm nihil intendi ab alio poterit, nisi per semet aliquid fuerit intentum.*

IX. 38. *Ipse quidem transit per ipsum quod scindit, & media non circumscindit tamen & vtrunque cingit.*] In aliis erat: *Ipse quidem transit per ipsum quo scinditur, & media non circumscindit tamen, sed vtrumque cingit.* Ita reperit Fortunatus. Britannicum exemplar habebat hunc in modum: *Per ipsum quod abscinditur, & mediã circumfundit tantum, & vtrinque cingit, sed permeat.*

XIII. P. 418,44. *Posse aliquas partes aeris ad se trahere ignem ex aethere decidentem, ex his superioribus ardere, ac sic accendi.*] Sic prior editio. Fortunatus ita legit: *Posse aliquas partes aeris ad se trahere ignem, ex locis his superioribus, ardere, an sic accendi?* Britannicum habebat: *Trahere ignem ex his locis superioribus, & ex eo ardore sic accẽdi.* Fortunatus ita diuinat esse legendum: *posse aliquas partes aeris ad se trahere ignem ex aethere decidentem, & locis his superioribus ardere, an hic accendi?* Ea lectio satis congrueret, si pro *Inquam*, scriptum esset *Verum*: pro *Sed* quod mox sequitur, *Nam, quod plurimum interest.* Tolerabilis erit lectio si *ex*, vertatur in *&*, & *ardere*, in *ardore*, & *sic* in *hic*, ad hunc modum. *Vos, inquam, dicitis, quum causas stellarum transuolantium redditis, posse aliquas partes aeris ad se trahere ignem, ex aethere decidentem, & locis superioribus, & ex eo ardore hic accendi.* Quanquam hoc *ex locis superioribus*, videtur adiectum ab interprete quopiam. Itaque non vrget quaestionem, sed ostendit illorum responsionem non esse absolutam. Idque mox explicat: *sed plurimum interest*, &c.

XVIII. P. 419,12. *Per cursum & siccum aera*] Sic prior editio. Britannicum exemplar habebat, *per crassum & siccum aera.* Fortunatus diuinat, *per aera percussum & scissum.* Forte legendum, *per sudum & siccum aera.*

XXXII. P. 421,52. *Ceterum & illa quae pereunt.*] Britannicum exemplar habebat, *& illa fiunt quae pereunt.* Perirẽ dicit, non obseruata cuiquam. Quanquam subolet locum non carere mendo. Forte legendum, *seruata & illa*: siue, *certa sunt & illa quae pereunt.*

XXXIIII. P. 422,20. *Quod si bene nec primum auspicium intellectum est, secunda non interest.*] Ita prior editio. Aliud exemplar habebat, *quod sine primo auspicia intellectum est, sine secundo, nihil intererit.* Neutra placet. Tertiam sequuti sumus.

XXXV. 25. *Aliter ius suum peragunt.*] *Aliter* vsurpatum videtur pro *aliaqui*, vt referatur ad aegrae mentis solatia. In quodam erat, *Fata irreuocabiliter ius suum peragunt.* At non probatur.

XLIX. P. 424,37. *Artencata.*] Alias, *Atterranea*: rursus, *Atercanta. Atteranea* habebat exemplar Britannicũ. vox ab atro dicta videtur, peculiaris aruspicum.

LV. P. 425,34. *Itidem tibi & fieri ignem in nube, & extingui. E spiritu nascitur.*] Ita prior editio. Fortunatus offensus absurditate sermonis legit, *qui e spiritu nascitur.* Atqui dure cohaeret verbum infinitum cum superioribus, *fieri & extingui.* Britannicum exemplar habebat: *Vt dem tibi & fieri*, &c. vt tibi concedam ignem fieri, & extingui in nube, non tamen aliunde fit, quàm e spiritu.

LIX. P. 426,36. *Nam quod maximum solet esse solatium extrema passuris, quorum causa eadem sors est.*] Sic prior editio. Tolerabilius quod alij legunt, *quòd eorum in causa eadem sors est.* Mollius erit, omissa coniunctione, *quòd*: *Eorum causa eadem sors est*: id est, suppliciorum causa, eadem sors est. etiamsi nihil horum ad plenum satisfacit.

IN LIBRVM TERTIVM NATVRALIVM QVAESTIONVM.

EX PRAEFATIONE. P. 428,50. *In primis labris animam habere.*] Vt intelligas paratam ad mortem: quanquam altera scriptura magis arridet. Ac mox:

Haec res efficit non euenire quaerenti vt sit liber, sed euenire naturae.] Fortunatus tantum motat *quaerenti*, in *Quiriti*. Britannicum exemplar probabilius habebat, *non e iure Quiritum, sed e iure naturae.* Nam omnino dubito, an Latine possis *Quiritem* dicere, singulari numero, duntaxat apud rhetores.

XV. P. 431,49. *Saepe terra si facilis est, in tabem ipsa resoluitur & humescit. Idem euenit sub terra, quod in nubibus, vt spissetur, grauiorque quàm vt manere in natura sua possit, gignat humorem.* Ita prior editio: quae tolerabilis est, si legas *grauioremque*. Fortunatus legit: *Ipse transire facilis in aliud. Ipsa terra in tabem resoluitur*, &c. Haec lectio videtur altera deprauatior. Supposuimus lectionem quam diuinauit Fortunatus, donec germana extiterit.

XX. P. 433,27. *Amnis eius.*] Sic prior editio. *Lyncestius amnis*, bene reposuit Fortunatus. Sed stomachatur sine causa, quod *Mintius* asscripserim ex codice, non ex somnio meo. Neque enim aliud tum agebam in transcursu.

IN LIBRVM QVINTVM NATVRALIVM QVAESTIONVM.

IIII. P. 449,34. *Quod semper excoquit.*] Vnum exemplar habebat, *quum quod semper concoquit, sic emittit*: sed mendose. significat autem crassiora excrementa alui, aut certe vomitum.

VIII. P. 450,10. *Alia finiuntur tepore.*] Sic prior editio. Fortunatus legit, *alia diffunduntur.* Britannicum exemplar habebat, *distrahuntur tepore.*

[redacted] ANNOTATIONVM FINIS.

COL-

COLLECTANEA ET NOTAE IN L. ANNAEVM SENECAM.

IOANNES OPSOPOEVS LECTORI.

ERITAS, *ait Seneca noster, magis elucet, quo saepius ad manum venit. Dictum est ut rebus omnibus commune, sic a librorum renouatione non alienum. Qui enim ad oculos non cuiuslibet e populo, sed eruditorum, frequentius reuocantur, puriores & nitidiores prodire solent. Exemplo est vel ipse Seneca, qui manum tactumque annis ab hinc fere centum aliquoties passus, sordium vetustate collectarum bonam partem deposuit. Laboris & industriae gloriam inde retulit nuper doctiss. Muretus: cuius editionem ex Romana fideliter expressam hic exhibemus; ampliorem tamen & ornatiorem quàm accepimus. Multum ille quidem egit, sed non peregit. Et Rhenani atque Iunij opera probata est, laudata Erasmi, celebrata Pinciani. Ideo horum annotationes & castigationes adiunximus. inprimis Pincianum integrum & incolumem dare voluimus, quòm ita mutilum & truncum, vt in hactenus excusis nescio qua huic saeculo innata castrandi libidine factitatum est. Si non aliud, in promtu saltē erit videre quid illi ex libris vetustis, quid ex coniecturis correxerint, quaeve intacta reliquerint. Multa enim adhuc restant quae opem & felicem manum desiderant. Attigimus huius generis plurima in hisce Collectaneis & Notis. Quicquid emendationum & explicationum huc pertinentium apud doctissimos aeui nostri viros, Caelium Rhodiginum, Alciatum, Turnebum, Brodaeum, Iunium, Cuiacium, Scaligerum, Lipsium, P. Fabrum, Modium, & alios sparsum erat, excerpsimus, & suo loco ordinauimus, actuarij vice functi. Raro aliquid ex nostro moneta protulimus. Cetera nituntur fide & auctoritate veterum codicum, quorum nobis copiam fecerunt viri eruditissimi, bono publico nati. Inter eos principem locum tenet* CL. PVTEANVS, *senator omni litterarum & virtutum genere praestantissimus. Suppeditauit namque eo quo flagrat rei litterariae iuuandae studio, manuscriptos codices, vnum librorum de Beneficijs; & de Clementia, duos octoginta & octo epistolarum. Totidem epistolas, aliquot capita librorum de Clementia, & libros Naturalium quaestionum, magna diligentia & labore cum vetere exemplari a se comparatos, ad nos misit libellorum supplicum in Regia magister* IO. NICOTIVS, *vir antiquae fidei & doctrinae. Accessit quartus epistolarum codex opera doctissimi & humanissimi senatoris* IAC. GILLOTI *ex Ambianensi bibliotheca impetratus, & nobiscum benigne communicatus. Quae autem in opusculis Senecae dictis notata sunt, pleraque debemus* FRANC. IVRETO, *viro eruditissimo & diligentissimo, qui varias quasdam lectiones & emendationes ad Senecam obseruatas ex collatione v. c. manuscripti in scheda consignauerat, & ad nos perferri iusserat. In Naturalibus etiam quaestionibus, praeter Aldinam editionem anno* M. D. XXII. *publicatam, & Matthaei Fortunati annotationes, magno nobis adiumento fuit saepius laudata vetus membrana clarissimi consiliarij* NIC. FABRI, *ex amplissimi viri* HENRICI MEMMII *bibliotheca depromta. His subsidijs freti pauculas istas Notas digessimus. In quibus vt non fecerimus operae pretium, sat erit operam non perdidisse. Vlterius prodire mihi quidem non licuit. Tibi vero, Nicolae Faber Senecae vindex, lampadem trado. Curre modo vt coepisti. Omnes adclamabimus, Feliciter quod agis.*

IN LIBRVM PRIMVM
DE BENEFICIIS.

PAGINA 1. versu 2. Scribendum, AEBVTIVM. sic enim lapides, & Graeci Αἰβούτιος.

21. Manuscriptus codex Cl. Puteani, *compressus*, prisco more scribendi pro *comprensus*. sic CESS. pro *Censoribus*, COSS. pro *Consulibus*. Tibullus libro II. *Oscula compressis auribus eripiet*, pro *comprensis*, vt annotat doctissimus Scaliger.

P. 2, 52. Turnebus Aduersariorum libro XXIIII. cap. XIX. Seneca scribit, *Inueniam alium poetam apud quem praecingantur, & spissis aut phryxianis prodeant.* sunt autem phryxianae vestes, quae phryxaei velleris crispos & eminentes villos imitantur. Franc. Modius in Nouantiquis lectionibus, epist. XXIX. Primo libro de Beneficiis vulgo ista leguntur: *Inueniam alium poetam, apud quem praecingantur, & spissis prodeant.* optime; si libri veteres in hanc lectionem consentirent, sed & Erasmus quoque scriptum reliquit, in omnibus quos ipse viderit, aut *spissis phissianis*, aut certe *Phryxianis*, perscriptum exstare; & ipse mihi testis sum, non aliter in m. s. membranaceo codice, quo ab abbate S. Stephani Wirzeburgi vsus sum, reperiri. considerandum igitur, an forte legi debeat: *Inueniam alium poetam apud quem praecingantur, & spissis Phrygianis* (seu, quod malim, vt diuersa sint tunicarum genera, *Phrygianis ve*) *prodeant.* acupictae sane vestes & murice auroque intertextae, quales erant Phrygianae, mire huc conueniunt. Vt autem *spissis* & *Phrygianis* absolute dixit, subintelligendo τὸ *tunicis*: sic apud Trogi abbreuiatorem *lugubribus* quoque per se positum inuenias. Idem epist. CXXXIII. Me iudice Turnebus recte *Phryxianis* illud in m. ss. libris a nobis quoque repertum amplectitur, addito quid & vnde sint *Phryxianae*.

P. 3, 3. Rescribendum est *matrimonij*, vt in veteribus editionibus habetur. Iurisconsultissimus Cuiacius in notis ad lib. II. institutionum Dn. Iustiniani: Patrimonia, bona paterna significat: matrimonium, bona materna. Seneca lib. 1. de Beneficiis, cap. III. *quia late patentis matrimonij sit*, &c. qui tamen locus ab Erasmo deprauatus. nam & apud Sueton. Tranquillum & Val. Maximum ita matrimonium accipi alij quidam adnotarunt, & D. Augustinus serm. CLXXXV. *Ibant*, inquit, *ad passiones obliuiscentes patrimonia & matrimonia sua.* Sic in glossis *fratrimonium* pro bonis fraternis. Hactenus Cuiacius.

P. 3, 8. Superiorum editionum lectio est, *si aliquid in sensum detulerunt.* Doctissimus Nicotius probat, *si aliquid insulsum detulerunt.* quod Herodianus initio librorum suorum simile quid de historicis referat his verbis, Ἐπιμελέστεροι φράσεώς τε καὶ εὐφωνίας, ... εἴ τι καὶ μυθῶδες λέγοιεν, τὸ μὲν ἡδὺ τῆς ἀκροάσεως αὐτοὶ καρπώσονται, τὸ δ' ἀκριβὲς τῆς ἐξετάσεως οὐκ ἐλεγχθήσεται. Mureti lectio, *si aliud quid in censum detulerunt*, confirmatur simili phrasi epistolae XCV. *Haec omnia aestimatorem desiderant, quanti quidque in censum deferendum sit.*

35. Modius epist. XXIX. Membranae, *quae proxemis accipiuntur*, referunt. ego putabam legendum, *quae pro xenijs accipiuntur.* moris certe fuisse, vt xenia quae prioribus temporibus precio non ita cara erant, posterioribus maxima & tenuiores plane exhaurientia mitterentur, ex historiis passim constat. Haec Modius. at Puteani codex scriptus diserte praefert, *quae a proximis accipiuntur*, vulgatis editionibus congruenter.

58. Modius epist. ead. *Itaque boni etiam farre ac fictili religiosi sunt*, &c. non ambigo, quin vera sit haec lectio, cum Cicero primo paradoxon & alij alibi ita locuti sint; sed tamen celandum non putaui in membranis diserte *fricolis* pro *fictili* exstare; vnde quod proximum est, *friuolis* faciebam, quae Festo vasa fictilia quassa sunt; & a I. c. quoq; pro tenuissima & vilissima supellectili poni videtur in leg. solutū. ff. de pig. actione, cum ait: *Non enim credibile est hoc conuenisse, vt ad vniuersam pensionē insulae, friuola mea teneantur.* quid quod Satyricus quoque his ea quae Graecis γρύτεια sunt, intellexisse videtur, ibi: *iam friuola transfert Vcalegon.* & alibi, *Et ne te teneam, Romanorum omnia regum Friuola.* Et epist. CXXXIII. Eo loco, quo editiones praeferunt, *Itaque boni etiam farre ac fictili religiosi sunt*: quòd *fricolis* pro *fictili* in membranis quibusdam reperissem, forte an scribendum conieci, *farre ac friuolis religiosi sunt.* Et mox: Pro meo quoque placeat Mureti *fitilla*, Arnobij praesertim scriptoris doctissimi locis duobus testimonio inter pultes sacras, quis res diuina fieret, olim in vsu; nisi eo inclinarem, vt, Ciceronis potissimum simili loquendi genere permotus, vulgatam lectionem retinendum censerem. Haec Modius. At vulgatam lectionem *fictili*, nullus scriptorum codicum agnoscit. lectio Mureti *fitilla* propius ab iis est. sic enim potius quàm fritilla, vt volunt Pincianus & Scaliger a Frit, ἀπὸ, deriuans, scribendum praeter Arnobium docet Plinius nat. hist. lib. XVIII. cap. VIII. *Et hodie* (ait) *sacra prisca atque natalium pulte fitilla conficiuntur.*

P. 4, 19. Puteani m. s. *& omnem iuuenum opul. munificentiam.*

29. Pro *ac maleuolus*, mauult doctissimus Lipsius Elect. 1. cap. XIX. ex suo veteri, *& mali moris.*

34. Haec verba, *Iam rapta spargere, sparsa pari auaritia recolligere certant*, e Romana editione exclusa, in nostram iterum recepimus: quia in omnibus tam impressis quàm scriptis libris, licet mendosa, leguntur. Modius epist. XXIX. ait se inuenisse in suo m. s. *Iam rapta spargere, rapta rrant, agri auaritia recolligere certant. Nihil* &c. ex quibus putat fieri posse, *Iam rapta spargere: sparsa pari auaritia recolligere: nihil pensi habere*, &c. Similis periodus est apud Sallustium. Senecae verbis turbandis fuit in primis verbum *certant*. quod ego huc manasse mihi persuadeo ex versu illo tritissimo:

Quaerere vt absumant, absumpta requirere certant;

ad marginem forte huius loci ab aliquo studioso, vt fit, adscripto. Haec ille.

P. 6, 1. P. Faber Semestrium lib. 1. cap. XXIII. vbi de naturali & artificioso vocabolorum *tam* & *quam* ordine: Seneca *Tam hostium pernicies quàm amicorum*, ait pro *Tam amicorum pernicies quàm hostium.* quippe cum apud Iulianum Imperatorem ita Iulius Caesar de ipso Alexandro loquatur: ὁ δὲ πρὸς τοὺς πολεμίους οὐδὲ τῶν φίλων ἀπέχων.

7. Lipsius Electorum lib. 1. cap. X. Quare hic de morbo? Non paulo melius & acutius legeris, *Moribus morem gessit.* atque ita spondeo Senecam scripsisse. Malim etiam scribi, *in illum etiam inimicum*, non *inimicum.* Sic ille: posterius quidem bene, non item prius. nam vulgata scriptura firmatur m. ss. consensu, &

modo

modo loquendi Senecae familiari. Epist. LXXIX. *Non est autem, quod istam curam imputes mihi: morbo enim tuo daturus eras*, &c. Lib. I. Nat. quaest. cap. XVI. *Inueniam, quemadmodum morbo meo imponam & satisfaciam.*

IN LIBRVM SECVNDVM.

P. 9, 49. Puteani m.sc. liquido praefert, *& sic dare, tamquam sibi eriperetur*, &c.

51. Idem, *Proximus est a negante, qui dubitauit, nullamque inijt gratiam.*

54. Idem, *parata, facilia, occurrentia, vbi nulla mora fuerit, nisi* &c.

56. Probe, *os concurrat*. Sic lib. III. de Ira, *Non defuerunt misero verba, non os concurrit*. Epist. XI. *lingua titubat, labra concurrunt.* Quinctilianus cap. III. lib. XI. *Est aliis concursus oris & cum verbis suis colluctatio.*

P. 10, 6. M. s. *necess. grauissima rogandi liberan.* & v. 11. *si praesto fuit.* iterum v. 50. *Qui tarde & diem de die extrahens profuit.*

P. 11, 42. M. s. *si tuo, more nihil*, &c. omisso altero *est.*

54. M. s. *vernaliter*. Nonius Marcellus cap. I. *Vernaliter pro adulatorie, a vernis, quibus haec viuendi ars est. Caecilius Venatore: Credo, nimis tandem hoc fit vernaliter.* Alibi tamen apud Senecam *vernilitas* legitur, & apud Quinctilianum cap. XI. lib. I. instit. orat. *scurrili vernilitate imbui.* vt ne *verniliter* quidem improbari debeat.

P. 12, 16. Lipsius Electorum lib. I. cap. X. Seneca lib. II. de Beneficiis cap. XII. *Non hoc est remp. calcare? Equidem dicet aliquis: Non potest ad rem pertinere, sinistro pede.* Cedo, quis Palaemon haec capiet? Sed acutam sententiam vera emendatione eruo ego, *Non hoc est remp. calcare, & quidem (licet aliquis non putet ad rem pertinere) sinistro pede?* Argutatur non insolens. Non solum, inquit, pedem osculandum praebuit, sed quod foedius, sinistrum. Ex *dicet*, feci *licet*, non abnuentibus aliquot libris, qui *litiget*, & *liciter*, referunt: & pro *potest*, scripsi *putet*.

19. Turnebus Aduersar. lib. IX. cap. XXX. Vt cothurnus, sic & soccus Romanum non videtur fuisse calceamentum, sed Graecum: vtroque autem Romani vtebantur in palliatis comoediis & tragoediis. itaque homini dabatur vitio soccum gestasse: atque vna etiam haec nota Caio principi inuritur, vt in exoticum alienumque cultum, & Romanis hominibus insolitum demigranti. vnde a Seneca scribitur II. de Benefic. cap. XII. *Qui excusant eum, negant id insolentiae causa factum: aiunt socculum auratum, imo auream margaritis distinctam ostendere eum voluisse.* Ibidem apertius, *parum enim foede furioseque insolens fuerat, qui de capite consularis viri soccatus audiebat, nisi in os senatoris ingessisset imperator pigros suos.* indignum facinus videri vult Seneca, sedisse in iudicio calceatum soccis Imperatorem, vt nõ vsitatis publice nec forẽsibus, sed alienigenis & domi, vt & synthesis solebat, sumendis: sed nec fortasse tam exterũ calceamentũ intellexit & reprehendit Seneca, quàm parũ virile muliebreq́. socci enim Romae mulierũ videntur fuisse. Suetonius in Vitellio, cap. 2. *a Messallina petijt vt sibi pedes praeberet excalceandos, detractumque socculum dextrum inter togam tunicasque gestaret assidue.* Illud animaduertendum, quos appellet pigros Seneca: & mihi videtur ioculari vocabulo pedes appellare. cum enim illi quocunque nos ferãt, in desidibus & pigris officio videntur deesse suo quadam ignauia, & pigri pigros & segnes reddere, vt in strenuis & gnauis contra videntur gnaui & strenui esse & prompti ac parati ad viam. Haec Turnebus.

P. 15, 12. Videtur legendum, *ita accipienti adhibenda cautio est.* Eo enim spectant sequentia, *Quod pudet debere, ne acceperis.*

13. M. s. *agunt gratias, & in angulo, & in aurem.* Sic Seneca pater lib. II. contr. I. *acta in aurem legere*, & Martialis *in aurem laudare*.

P. 16, 11. Turnebus Aduersar. lib. IX. cap. XXX. Venerem non tantum amoribus praefuisse existimatum fuit, sed etiam hominum commendationi & conciliationi, vt facilius aliquid impetrarent ab aliquo, & in amicitiam influerent, & gratiã emererentur. *Ille*, inquit Seneca, *non est mihi par virtutibus nec officijs, sed habuit suam venerem.* hoc valet, sed ei fauit Venus, quae gratiam quandam ei commendauit, qua placuit, & facile beneficium impetrauit. Vt & apud Flaccum lib. I. epist. VI. *ac bene nummatum decorat suadela Venusq.* sunt enim haec duarum dearum nomina, quae facile homines, quibus fauent, suis muneribus beneuolentiae & amicitiae aliorum traducit. Quispiam explicabit fortasse *suam Venerem*, suam venustatem & gratiam, neque praeterea quicquam esse quaerendum putabit. quam interpretationem, vt non condemno, ita alteram meliorem puto. dij enim nostri dicuntur esse, qui nobis fauent: vt apud Maronem XII. Aeneid.

Sin nostrum annuerit nobis victoria Martem. Et,

— nec dij texere Cupencum

Aenea veniente sui. —

qui scilicet ei propitij erant fauebantque.

22. Superiores editiones habent, *multa animalia nandi felicitate.* Lipsius lib. II. epist. X. Quae vero felicitas in nando? Vereor vt decurtata vox sit, legendumque *dranandi*. Approbat ipse Seneca, qui statim adiungit, *futuri scientia.*

23. Modius epist. XXIX. Conuenit nostro libro cum veteribus & scriptis Erasmi Pinciatique exemplaribus in eo, quod primum illa, *pares animalibus habeamus*: deinde ista, *querimoniam faciant*, ab illo absunt; qui etiam *ac desidentibus*, pro *accidentibus*, & *& vitijs*, pro *& virtus*, refert. Vnde totum locum ita constituebam: *Et cum quaedam nec coire in idem natura patiatur; vt velocitatem corporum, & vires; ex diuersis ac dissidentibus bonis hominem non esse compositum, iniuriam vocant, & negligentes nostri deos, quod non bona valetudo etiam vitijs inexpugnabilis data sit; quod non futuri scientia.* leuiter mutani *desidentibus* in *dissidentibus*, postulãte sententia; quae etiam Senecae sua non constabit, si *& virtus*, pro *& vitijs*, retineatur. nullus hic virtuti locus, vbi illud dicitur: homines libidine & vino diffluentes conuicium diis facere, quod non in summa hac intemperantia etiam bona semper valetudine fruantur.

49. Priores editiones referunt, *inopia eruat* (pro quo in ora librorum *petat*) *& dicat*. In Romana neque

eruat, neque *petat* reperitur. Reposui postremum ex scripti codicis fide.

P. 17,7. M.sc. *ad fortunam nitor.* & v. 48. *& actio, vt diximus, benefica, & ipsum q.d.p.il. actionem: vt pecunia, vt domus, vt praetexta.* Et hanc particulae *vt* geminationem in suis quoque membranis obseruauit Modius epist. xxix.

P. 18,13. M.sc. *non vt solutum te putes*: quemadmodum nonnulla Pinciani exemplaria.

IN LIBRVM TERTIVM.

P. 20,9. M.sc. *vilescit*, pro *vile est.* Postea v. 56. in vet. codice *citra iudicem* legitur, vt doctissimus Cl. Puteanus in impresso suo libro notauit.

P. 21,19. Vet. codicis ordo planior, *Eadem fiat licet*, &c.

35. *Gradus* glossema est, ideoque expungendum. de quo mouuit me summi iudicij & integritatis vir Cl. Puteanus. Et illud in veteri libro abesse aduertit Modius epist. xxix. Rē notam inouebat, nō exprimebat vulgata loquendi consuetudo. Cicero II. Philippica. *Sedisti in quattuordecim, cum esset lege Roscia decoctoribus certus locus constitutus.* Suetonius in Iulio Caesare, *sessum in quattuordecim ex scena per orchestram transijt.* & Seneca iterum epist. XLIIII. *At mehercules multis quattuordecim sunt clausi.* sic enim expresse praeferunt omnes m.ss. non *quattuordecim gradus*, vt vulgo.

48. Puteanus ex vet. cod. legit, *An inaequalem*, &c. quod & Pinciani libri agnoscunt.

P. 22,12. M.sc. *Proinde ista aut maiora aut min.*

40. Turnebus Aduersar. lib. XVI. cap. v. Pactum est ex parte stipulantium: conuentum, cum quae pepigerunt promissa sunt, de bisque est conuentum: hac de causa *pacta conuenta*, & *pacta conuentaque* legimus: antecedit enim pactum, sequitur conuentum. Seneca hoc loco.

54. V.Cl. P. Faber lib. II. Semestrium cap. XIII. legit, *illustres quidem ac nobiles*, &c. non *quaedam.*

P. 23,4. M.sc. *si numerari coeperint.* & 27. *dare aliquando beneficium domina, ign.*

P. 24,28. Hic & in Mureti notis, scribe *Adrumetum.* Ἀδρύμητον Graecis.

49. M. s. habet, *& medicamentum soporiferum illi dedit.* Sed hoc olet glossam, ex sequentibus Senecae verbis, & Plutarcho concinnatam, qui ait Domitium, ὡς ὑπνωτικὸν, ὃ ϑανάσιμον πεπωκέναι.

P. 25,23. Modius epist. LXXXV. Plane emendandum; *Post tot exempla num dubium est quin beneficium aliquando a seruo dominus accipiat?*

25. M.sc. absque copula enclitica, *eadem arigo.*

39. Lipsius Elect. I. cap. XIX. Pro *efferuat*, lego *ferunt.* Cubili (ait) vocat lecticam; Gerulos, lecticarios seruos. in collo enim, siue in humeris seruorum, lectica.

P. 28,10. Scaliger annotationibus in Cornelij Seueri Aetnam: De fratrum Catanaeorum nominibus varia apud scriptores opinio, alijs Philonomum & Calliam vocantibus: alijs Anapiam & Amphinomum; quibusdam etiam Aenantbiam & Critonem. Cuius historiae plurimi meminerunt, Strabo, Pausanias Phocicis, Val. Maximus, Solinus, Aelianus, Martialis, alij. Sed omnium maxime Claudianus: qui eos egregio carmine celebrauit. cuius initium:

Aspice sudantes venerando pondere fratres,
Diuina meritos semper honore coli:
Iusta quibus rapidae cessit reuerentia flammae:
Et mirata vagas reppulit Aetna faces:
Complexi manibus fuluos ceruice parentes
Attollunt vultus, accelerentque gradus.

Meminit & Ausonius in Catina de clar. vrbib. Locus, in quo eorum erant statuae, in quas id carmen scripsit Claudianus, vocabatur ab indigenis εὐσεβῶν χῶρος.

16. Lipsius Elect. I. cap. XV. Nihil temere hic mutem, ambigam tamen an non, *ad campos relegatus*, sicut in Suetonio, *in agros*: quia libri veteres vacillant, & quidam, *ante tempus.*

IN LIBRVM QVARTVM.

P. 29,56. Turnebus Aduersar. lib. I. cap. XXV. Liuius lib. XXXIX. ita scribit: *Vectigalia summis pretijs, vltrotributa infimis locauerunt.* vbi ambigi video, quid ista inter se differant: eadem enim si essent, iisdem pretiis locata oportuit: sed vectigalia omnibus nota confido, vltrotributorum ignoratio sententiae cognitioni officit. Ego vltrotributa esse puto, impensas & attributiones publicorum faciendorum, & sartorum tectorum praestandorum, mancipibus & redemptoribus certa mercede locatorum. ita vectigalia, quibus reditus & fructus populi Romani constabat, quantum potuerunt, censores auxerunt: vltrotributa, quibus impensae sumptusque, & erogationes pecuniae publicae ex aerario hauriebantur, quantum potuerunt, pretiis diminuerunt, & ad minimam summam perduxerunt. huic autem nostrae sententiae, si adstipulator quaeritur, praesto Plutarchus erit, in Cat. Censor. Nam de eadem censura Liuium secutus ita scribit: συνέστειλε δὲ τοῖς μισθοῖς τὰς ἐργολαβίας, τὰ δὲ τέλη ταῖς πράσεσιν ἐπὶ τὰς ἐσχάτας ἐλαύνων τιμάς. Itaque istud lib. XLIII. *Qui publica vectigalia, aut vltrotributa conduxissent*: in eandem sententiam accipiendum etiam arbitror. Quocirca eleganter a Seneca lib. IIII. cap. I. de Beneficiis scriptum est: *Cum virtutem, nec lucrum inuitet, nec damnum absterreat, adeoque neminem spe ac pollicitatione corrumpat, vt cuncta in se impendere iubeat, ac saepius in vltrotributis sit.* significat enim sumptum magnum, impensasque virtutis causa saepe esse faciendas.

58. Modius epist. LXXXV. Senecae locus est initio statim libri quarti eius operis quod de Beneficiis inscribitur: *Quid consequar, inquit, si hoc fortiter, si hoc grate fecero? Quod si feceris, nihil tibi extra promittitur: si quid*

forte

forte obuenerit commodi, inter accessiones numerabo. quem ego interpolatum a bonis fratribus si oon certo statuam, Senecae iniuriam fecero. nnnquam grauissimus & doctissimus scriptor ista ita dixisset. & suspicor ab illo seriptum, cum in membranis D. Stephani coenobij, quod Wirzeburgi est, pro istis, *quod si fecero*, reperiatur *quid fecero* ? suspicor, ioquam, totum boc ita legendum: *Quid consequar, inquit, si hoc fortiter, si hoc grate* (minus bene coniiciunt quidam mutandum hoc in *gratis*) *fecero? quid? nihil tibi extra promittitur.* Haec ille. Sed Romana lectio luce clarior est.

P. 30, 14. Modius eadem epist. Ex manuscripto codice haec ita coostituenda arbitror: *Non indignor quod post voluptatem ponitur virtus, sed quod omnino cum voluptate conferatur contemtrix eius & hostis, & longissime ab illa resiliens, labori ac dolori familiarior, virilibus incommodis quàm isti effeminato bono. Inserenda haec mi Liberalis fuerunt*, &c. fefellit interpolatores quod τὸ familiarior ad sequentia trahi ooo posse putabaot. ad proximum igitur *inferenda* confugerunt; additis de suo. vt sunt hanc partem sine more & modo liberales, vocibus *est, magis*, & *dicenda*, quas ego aliam sibi sedem quaerere iubeo.

P. 31, 21. Lipsius epist. X. lib. II. Non negabis verum esse, *ad aliquantam oblectationem.*

36. Scriptus Puteani liber, *effectumque caelestium rerum continentia.*

44. Modius epist. LXXXV. Latioe ne dicatur. officium accipere, dubito; atque vt boc oescio, ita illud indicio membranarum scio corrigendum hic: *sed idem est vtrumque; nec distat officium. Si quid a Seneca*, &c. Puteani codex eodem modo legit & distioguit, nisi quod particula *nec* ibi desit.

52. Ibidem ita legit Modius, suppletque ex veteri libro Herbipolensi: *Dicam, inquit, diligenter eligendos, quibus beneficia debeamus; quia ne agricolae quidem semina harenis committant. Quod si verum est, nostram vtilitatem* &c.

P. 32, 6. Ordo m.sc. commodior videtur, *Videbo cui dem, quando dem.*

10. Priores editiones *genus dandi* habent. Romana substituit *genus perdendi*: contra mentem Mureti, vt nota indicio est. Libri scripti Mureti, Puteani, & Modij, *genus damni* exhibent: quorum auctoritate id in hanc editionem receptum est.

19. Modius epist. LXXXV. Aliis aliud, mihi scripta lectio placebat impensius, quae referebat; *alieni abstinentem, sui non auare tenacem.* vt medium inter auarum & prodigum innuat. Non absimilis est scriptura m.sc. Puteani: *Eligam virum bonum, integrum, simplicem, memorem, gratum, alieni abstinentem, sui non auare tenacem, beneuolum.*

22. Modij membranae vno *non dabo* omisso, concipiunt: *non dabo beneficium proficiscenti in diuersas longinquasque regiones afuturo semper, non dabo*, &c.

28. Turnebus Aduersar. lib. XII. cap. IX. *Debitores*, inquit Seneca, *nobis deos derogat, precaturque vt illi pro se gratiam referant.* ego haud dubitem quin Seneca scripserit, *debitores nobis deos delegat.* delegat enim debitorem, qui alium pro se qui soluat, substituit. quod verbum familiare iurisconsultis cum sit, & eorum sermone Seneca libros suos saepe ornet, denique hoc verbum sententia non postulet tantum, verum etiam flagitet, cur non audacter secundum ipsum decernimus & causam damus?

34. Forte, *ac inertissimum vitium.*

50. Turnebus ibidem: Suspensa bona dixit Seneca, quae venalia pendent in tabula proscripta, vt Tranquillus in Claud. cap. IX. *Lege praediatoria in vacuum pependerit.* Senecae verba sunt, *& suspensis amici bonis libellum deiicio, creditoribus eius me obligaturus.* Deiicere autem libellos is solebat, qui creditoribus se obligare paratus erat vel soluere parabat, vel deniq; eum cuius bona proscribebantur, defendere volebat. Cicero pro Quiotio, *Libellos Sex. Alphenus procurator P. Quintij familiaris & propinquus Sex. Naeuij deiicit.*

54. Modius epistola LXXXV. In scripto codice legitur: *Quid reddis beneficium? D.t.m.q.r.i.q.i.q.m.a.q.p.q.t. si quidquam praeter ipsas nuu petis? in quid mundus vices suas absoluit? in quid sol*, &c. recte, quoad postrema; minus recte, quoad illa, *praeter ipsas non petis*, sed vbi pedum visa sit via. manifeste enim legendum: *quid temperantia? si quidquam praeter ipsas, ipsas non petis.* repetit quod saepe dixerat, honestum propter seipsum solum expetendum, atque hoc qui oon facerent, noo virtutes, etiamsi alioqui viderentur, sectari, sed aliquam ex eis vtilitatem.

P. 33, 55. M.sc. *Superuacuum est enim, in quod imus, impelli.*

56. Modius epist. LXXXV. Membranae mutant; *quemadmodum nascitur, trahit:* vode forte faciendum, *quem adeo dum nascitur, trahit.*

P. 34, 30. Lipsius Elect. II. cap. IX. *proiecisti ipsum extra metum.* In verbulo pauxillum mendum, grande in seotentia. Inuoluitur enim mens Epicuri, & simul reprehensioois acumen. quod vtrumque apparebit, si scribas, *extra metam.* Nempe ita sensit senex ille ab horto, (ex Lucretio & Laertio id clarum) Deum non tangi rebus humanis, non iis curare: atque vt id pronius suasu esset, posuit eum suo quodam & proprio loco, non supra solùm, sed extra mundum. Seneca impiam hanc sententiam iterum tangit libro VII. infra: *Alius diis obiicit neglegentiam nostri, alius iniquitatem, alius illos extra mundum suum proiicit.* Vbi eodem etiam proiiciendi verbo vsus, quod parum apte hic de metu. At in metae verbo adposita etiam metaphora, quasi extra limitem omnem huius stadij & finem.

P. 35, 42. Turnebus Aduers. lib. XII. cap. IX. *In numerum & discrimen dierum* equidem legere malim, quàm quomodo placet viro sane doctissimo, hic tamen mihi noo oominando. vbi reprehenditur.

P. 36, 57. Vetus lectio, *Ius & fori dicitur.* Vnde Cl. Puteanus eo quo praestat ingenij acumine & iudicio censet legendum, *Ius & furi dicitur. &* pro *etiam.*

P. 37, 23. Turnebus paulo ante citato libro & capite: Fabius Persicus, quem impurissimum & obscoenissimum omnium mortalium describit Seneca, & perpetuis inurit stigmatis, is plane est quem Iuuenalis perstrinxit Satyra VIII. cum scripsit:

Cur Allobrogicis & magna gaudeat ara,
Natus in Herculeo Fabius lare, si cupidus, si
Vanus, & Euganea quantumuis mollior agna:

Si teneram attritus Catinensi pumice lumbum
Squalentis traducit auos, emptorque veneni
Frangenda miseram funestat imagine gentem?

Statim. Lipsius epist. x. lib. II. Seneca scriptus qui apud me, *Osculum etiam impodici deuotabam*. Forte, *etiam impudici deuitabant*. Notat hominem opicum, & capitis sui prodigum. Simile est illud Suetonij de Q. Rhēmio: *quem flagrasse ait vsque ad infamiam oris dictoque non inficeto notatum cuiusdam, qui cum in turba osculum sibi ingerentem, quamquam refugiens, deuitare non posset, Vis tu, inquit, magister quotiens festinantem aliquem vides, abligurrire?* Atque eadem quae Lipsij, coniectura est Puteani clarissimi, vetere codice hanc scripturam repraesentante, *cuius osculum etiam impodici deuota boni*.

54. Sic Iuuenalis Satyra vndecima,

—Nec enim loricam poscit Achillis
Thersites, in qua se transducebat Vlysses.

P. 38, 2. Turnebus lib. XII. Aduersar. cap. IX. Vt aliquid in solutum dari dicimus, ita eleganter dicimus, dari in antecessum: quod quidem est, dari & solui antequam deberi incipiat aut peti possit, quod nos ante manum dari dicere consueuimus. Eo genere dicendi aliquoties Seneca vtitur & iurisconsulti, nos vero libri quarti loco contenti erimus. Ego, inquit, *quid cui debeam scio: aliis post longam diem repono, aliis in antecessum, aut prout occasio & res facultas tulit*. id est, aliis etiam antequam debeam soluo.

12. P. Faber comment. ad tit. de reg. iuris, ad l. cxiv. legit, *Nisi comperta veritate si nihil moueris, relicto omni actu vita consistit*. M.sc. Puteani habet, *sit relicta omni actu vita consistit*.

23. Rectius videtur ita distingui. *si facis, sciens peccas*.

25. A quo sit istud *secta*, interim. Muretus voluerat *Scientia* legi. Vulgati libri habent *Conscientia*. Si quid mutandum esset, mallem *Constitutio*. Haec enim vox frequens est Senecae. Supra cap. XXVI. huius libri: *Duos ex constitutione Stoica accipe ingratos*. Lib. v. cap. XIII. *Nec hoc ex nostra constitutione tantum*.

46. M.sc. legit *promitteres*: quod probum facit sequens *teneas*.

47. Idem auctius, *si te malum virum comperi & ingratum, quem prius bonum & gratum putabam?*

50. M.sc. *quia dignus est*, non es. & mox: *verba mea redimam*, vt superiores editiones.

52. Turnebus lib. XII. Aduersar. cap. IX. *Linguarium* hic appellat Seneca tanquam linguarum thecam & repositorium, in quo se dicit linguam conditurum, ne temere promittat. natum est hoc verbum e ioculari vulgi sermone, quo & nos plerunque iocantes vtimur. At Muretus variarum lectionum lib. XI. cap. v. longe aliter eam vocem accipit: neque dubitat, quin *linguarium* sit id quod pro lingua, quae temere locuta est, penditur. Ipsum vide.

58. M.sc. vt & impressi codices, *Demens est qui fidem praestat errori*.

P. 39, 35. Turnebus lib. XVI. Aduersar. cap. v. Foro cedere non aliud esse videtur, quàm aeria alieni causa in forum non ventitare, & creditoribus non soluere, quod genus cessionis erat. Itaque inter creditores bona diuidebantur. Seneca: *& appellare debitorem ad diem possum, & si foro cesserit, portionem feram*. id tamen de argentariis praecipue dici solebat, qui mensam in foro habebant. Et cap. IX. lib. XII. Haec verba Senecae ad eam actionem pertinent, quam Iurisconsulti tributoriam vocant, qua creditores pro portione de peculio serui capiunt, & ad eam, quae quasi Seruiana vocatur.

37. Idem ibidem: *Quingenti denarij sunt: illud, quod dici solet, in morbo consumat*: verba sunt hominum male precantium illis, quibus de suo aliquid erogauere ingratis, aut improbis soluere coacti sunt: hac, inquiunt, pecunia non sanus & valens fruatur, sed valetudinarius in morbo vtatur.

40. Idem lib. XVI. Aduersar. cap. IX. *Spondere in incertum* apud Senecam, est non in certam nummorum summam, sed quantumcunque quis debeat fide sua iubere: quae periculosissima sponsio erat.

P. 40, 4. M.sc. cum hac distinctione legit, *possum. Quando? is plus mihi*, &c. quomodo etiam Pincianus in suis fuisse testatur.

IN LIBRVM QVINTVM.

P. 42, 28. M.sc. *quo minus grati simus*. & v. sequente, *nos tamen non vincemur, animo enim res geritur, nec turpiter* &c.

50. Turnebus cap. v. Aduersar. lib. XVI. Libramentum rectum pro perpendiculo posuit Seneca sane quàm eleganter. Eius verba sunt, *modo exclusit totius aspectum, si recto libramento inter solem terrasque successit*, id est, ad perpendiculum inter vtrunque interposita fuit.

56. In scripto Puteani codice est, *vir facetus*.

P. 48, 49. In eodem, *vnde scis an nolim*.

P. 49, 6. Io. Brodaeus Miscellaneorum lib. I. cap. XI. *Nam galeam illam si videres, agnosceres. machaera enim Hispania diuisa est*: Seneca libro de Beneficiis quinto, circa finem. Ego, *machaera enim Hispanica*, restituendum arbitror. Polybius lib. VI. ἅμα δὲ τῷ θυρεῷ μάχαιραν, ταύτην δὲ φορεῖ ἐπὶ τῶν δεξιῶν μηρῶν. καλοῦσι δ᾽ αὐτὴν Ἰβηρικήν. ἔχει δὲ αὕτη κέντημα διάφορον, καὶ καταφορὰν ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μεροῖν βίαιον, διὰ τὸ τὸ ἔλασμα αὐτῆς ἰσχυρὸν καὶ μόνιμον εἶναι. Liuius: *Posteaquam gladio Hispaniensi detruncata corpora*.

24. M.sc. *paucis animus sui rector optimus monetur*.

IN LIBRVM SEXTVM.

P. 51, 5. Vet. c. Philippi Roberti Iureconsulti Diuionensis habet, *ruptis totiens compaginibus affinitatis*, vt in scheda ab humanissimo viro Iac. Gilloto ad me missa consignauit doctiss. Iuretus.

44. Cuiacius

44. Cuiacius videatur sub finem comment. ad Africanum tractat. IIII.

51. P. Faber comment. ad leg. XLVI. tit. de diuer. reg. iuris, putat abnutine legendum, *Non confunditur formula.*

P. 53, I. M.sc. omissa ex particula habet, *sed destinato profuisse.* Sic cap. XXIII. absque illa, *Adijce quod destinato iuuant.*

19. *an & sua & nostra,* m.sc. & v. 52. *nec medico quicquam te debere, nisi.*

P. 54, 23. Nunquam mihi satisfecit vox *imperatorem.* Nec credere possum aegros a Seneca medicorum imperatores nominari, quos alibi medicorum genua tangere dicit. Et si ita esset, aeque id nominis amico aegro competeret, atque cuiuis alij: & iaceret omnino auctoris sententia. Videndum igitur an non legi debeat, *qui me non tanquam amicum vidit, sed tanquam intemperantem.* Ad eos namque qui se vino vel cibo ingurgitarunt, accersitus medicus manum tangit, inediam vnius atque alterius diei imperat, nulla de re alia sollicitus, quia certus illos facile ad seredituros, cum crapulam exhalarint. Coniecturae huius fulcrum pono locum e libro Quod in sapientem non cadat iniuria, cap. XIII. vbi Seneca de sapiente cum medico comparato ait: *quos non aliter videt quàm aegros intemperantes.* Mutationis ansam forte librarius inde sumsit, quod supra lib. IV. cap. XXXVII. scripserat; *videre tantum mihi imperatorem meum contingat.*

39. M.sc. & cusi codices, *institutoribus,* pro *institoribus.*

P. 56, 25. M.sc. *cum satius sit cessare.* recte. Sic cap. XXXVII. *quia satius erat duos vnico malo affici, quàm omnes publico.*

P. 58, 53. Editiones ante Romanam, *nunquam veros.* Lipsius comment. ad VI. Annal. Taciti, legit *nunquid veros?* interrogatione sententia erecta.

56. Cuiacius Obseruat. cap. XV. lib. I. Seneca, HABE *non nisi suo ordine emittitur.* Sic enim habent veteres codices, Erasmo teste, qui tamen, vti fecit, improbare id ac reiicere non debuit: nam & hanc rationem scribendi probasse Quinctilianus videtur, lib. I. cap. X. *Multum,* inquit, *est literatus qui sine aspiratione & producta syllaba salutauit,* AVETE. *Recta est haec via: quis negat? sed alia est mollior & magis trita.*

P. 59, 2. Membranae Puteani referunt, *& in sensus recondendus.* Simili phrasi ait Seneca epist. VII. *Ista condenda in animum sunt.* & v. 5. *potes, si aduersa eius nec deserueris, nec optaueris. Multa nihilominus, vt non opes, in tant.* & 23. *patrem eriperet.*

50. Vulgo legitur, *Eloquentiae exceptat pretium litium numerus.* P. Faber, comment. ad leg. CCVI. tit. de reg. iuris, duplicem proponit coniecturam: vel, *Eloquentiam expectat pretium litium numerus*: vel, *Eloquentia expectat pret. lit. numerum.* Alia item est Pinciani, alia Mureti. Sed nulla satisfacit.

53. *Haterium* scribendum cum aspiratione, vt apud Senecam patrem.

P. 60, 39. Lege vt in veteribus editionibus, *sinum ac domum replere.*

43. P. Faber Semestrium lib. I. cap. XXIII. Seneca more suo ita scripserat in lib. VI. de Beneficiis: *Ideo non est trepidandum, quàm cito reponamus, nec properandum intempestiue, quia aeque delinquit qui ad referendam gratiam suo tempore cessat, quàm qui alieno properat.* Quam ob rem non possum non improbare, quod vir alioqui doctus, qui castigationes ad Senecam edidit, sed eius figurae immemor, quam in scribendo vsurpare Seneca consueuerat, verborum ordinem sic immutauit: vt naturalem potius quàm artificiosum sequutus, & sola coniectura nullius veteris libri auctoritate nixus, reponendum curaret id quod passim excusis in libris hodie legitur: *Aeque delinquit qui ad referendam gratiam properat tempore alieno, quam qui suo cessat.* Ergo apud Senecam auctore me restituatur vetus lectio.

IN LIBRVM SEPTIMVM.

P. 63, 21. In m.s. est, *annus aetatis signum.*

P. 65, 17. M.s. *nullum sacrilegum esse.* quod oppositionis lex requirit. prius enim omnes sacrilegos esse collegerat: modo neminem.

40. Lipsius in comment. ad XVI. Ann. Taciti: Pro *nec nos*, omnino scribo, *& nos.* ita enim concludit Seneca, *ne aut exemplum saeculo, aut conuicium deesset.*

55. M.sc. *senatorio censu.*

P. 66, 2. Aliae editiones legunt *supponuntur.* Lipsius comment. ad III. Ann. Taciti dubitat, an *suppanguntur* substituendum sit.

28. Quaedam editiones habent, *ducenta talenta donaret.*

P. 68, 58. Turnebus Aduersar. lib. XXVIII. cap. XXIII. In Seneca haud equidem dubitem emendare *aeratas*, pro *ceratas*, cum ait: *Cui triremes & ceratas non mitterem, lusorias & cubiculatas, & alia ludibria regum in mari lasciuientium.* In veteri libro *hisceratas* reperi. *aeratas* defendo, quae aereo rostro armatae sunt. Brodaeus Miscellan. lib. IIII. capite XIII. Rostratae naues, quas Graeci χαλκεμβόλους & χαλκήρεις vocitant, vnde dictae sint, nemo est vel mediocriter litteris imbutus, qui ignoret: earum autem nauium rostra quia ex aere fiebant, aeratae etiam nominabantur. Caesar: *interim L. Nasidius ab Cn. Pompeio cum classe nauium sedecim, in quibus paucae erant aeratae.* Virgilius lib. IX. licet heroicis temporibus nullae tales essent,

Quot prius aeratae steterant ad littora puppes.

Ceratae vero naues a quibusdam dicuntur, quasi cera & ebore, citroque, id est vermiculo pictae: quos lib. XXX. in eam adduxit opinionem Plinius. Non sum nescius, Troianis saeculis pictas etiam fuisse naues: siquidem eas μιλτοπαρήους vocat Homerus. Monstrat & hoc Herodotus libro tertio. Hoc in praesentia asseuero, ceratas, quasi cera piceque simul confusis oblitas a plerisque appellari: licet repugnent clari grammatici. Ouidius Metamorph. XI.

Iamque labant cunei, spoliataque tegmine cerae
Rima patet. —

Idem lib. de remed. amor. II.

Nec satu vna tenet ceratas anchora puppes.

Seneca lib. de Beneficiis VII. *Cui triremes & ceratas mitterem.* Mihi sane (ne me otiat) *aeratas* non displicuisset: nihil tamen immoto. Graeci quoque κηρὸν pro eadem cerae picisque mixtura accipiunt. Lucianus in dialogo Mercurij & Charontis: καὶ κηρὸν εἰς ἐπιπλάσμα τῶ σκαφιδίω τὰ ἀνεωγότα. Consule lib. XVI. cap. XII. Plinium. Hactenus Brodaeus. Mox iterum Turnebus cap. XXV. lib. XXIIII. Aduersar. Apud Vegetium cap. XXIII. lib. IIII. quae sunt lusoriae naues, in controuersiam venit. Ego eo nomine interpretor naues, quas in Danubio aduersus Barbaros Romani in excubiis habebant, quae huc & illuc discursare solebant. nam ludere nauis dicitur, quae huc & illuc velut lascinia quadam currit. Seneca epist. IV. *vbi naues luserunt, hauriuntur.* sic autem etiam potius vocatae sunt, quod ludicrae triremibus & aeratis comparatae viderētur, & tanquam ad lusum haberentur.

P. 69, 9. Lipsius Elect. I. cap. XXVI. *Phaecasia*, inquit Seneca, *rem magnam*. Quare rem magnam? nos scimus ita appellari Graecanicos calceos, & pretium eorum non plus tribus denariis, vt statim addit. Dico ego glossema esse imperiti alicuius Macci, ad *Phaecasia* vocem, quam ille non magis intellexit quàm Milphio Poenulum Plauti.

18. M.S. non male, *Sic tu quod debes, quaere cui reddas.* & v. 30. *extenditur*, pro *excedit*.

P. 70, 11. Pinciano consentit Puteani codex legenti, *tam firmae mentis ac solidae*.

P. 71, 8. Priores editiones referunt, *vt etiam vitiatus*. Muretus licet corruptam vocem quomodo emendet, se non habere professus sit: tamen qui editioni Romanae praefuerunt, *vt etiam vi tractus*, reposuerunt: qua auctoritate, nescio. Puteani membranae hanc exhibent scripturam, *vt etiam iniuriatus*.

IN EPISTOLAS.

Epistolarum Senecae in XXII. libros diuisionem in volgatis libris hactenus seruatam, Muretus antiquis codicibus fauentibus sustulit. Illa tamen non videtur patrocinio destituta: siquidem iam olim tempore Auli Gellij, epistolas has in certos libros tributas fuisse constat. *In libro* (scribit ille cap. II. lib. XII. Noct. Atticarum) *vigesimosecundo Epistolarum moralium quas ad Lucilium composuit, deridiculos versus Q. Ennium de Cethego antiquo viro fecisse hos dicit:* & quae sequuntur. Desunt haec hodie, vt & reliqua quae dicto capite referuntur. Sed fuerit ne Gelliana partitio eadem cum vulgata, in incerto est.

EPIST. I. P. 73, 14. Omnes quos habui scripti codices, duo Puteani, tertius Nicotij, & quartus Ambianus, consentiunt in hac scriptura sine dubio vera: *& si volueris attendere, maxima vitae pars elabitur male agentibus, magna nihil agentibus, tota vita aliud agentibus.* Huius periodi explicationem vide apud Alciatum Parergon iuris lib. IIII. cap. XIIII.

17. In optimo Puteani codice supra haec verba *mortem prospicimus*, explicationis causa scriptum erat, *quasi procul esse conycimus.* Postea v. 20. *mi* abest a tribus m.ss.

21. Alter Puteani codex optimae fidei, *ex qua non expellitur quicunque vult:* ceteri non ita bene, *ex qua expellit quemcunque vult:* vnus, *quicunque vult.*

22. Omnes m.ss. *Et tamen stulti.* non *sed.* Iidem v. 27. *dicere nihil perdere.* & mox, *sed euenit mihi.* & v. 30. *incipies.*

II. 34. Tres m.ss. *scribis, & ex his.* v. 36. *Illud autem vide*, priores editiones & omnes m.ss.

39. M.ss. *exigentibus*, pro *agentibus*. Postea v. 44. tres, *nihil tam vtile est, vt in transitu prosit.* mox omnes, *Distringit librorum multitudo.*

48. Tres *diuertis*, vnus *deuerti*. v. 51. quattuor, *quae legi.* & 54. in tribus deest particula *enim:* in Nicotiano tota periodus, *Cui enim*, vsque ad *diues est:* legitur vero in omnibus epistola IIII.

III. P. 74, 6. Modius epist. II. Vnica littera immotata, & vocali prima in locum quartae substituta, Senecae suae locutionis elegantia constabit, legendo, *hac abierit.* quod valet, hac via, hac ratione, hoc modo excusari dictum tuum potest. Huic Modij coniecturae fere accedit scriptura Nicotiani codicis, *ac habierit.* Seneca epist. X. similiter dicit: *vide quo iudicium meum abeat.* Et cap. XII. consol. ad Martiam, *istud inter res nōdum iudicatas abeat.* ita enim v.c. non *habeatur.* Ambianus & Puteani duo habent, *Hoc aberit.*

8. *Errat & ille, qui amicum in atrio quaerit, in conuiuio probat:* absunt a Romana editione. Iusserat quidem ea deleri Muretus vna cum sequenti periodo: sed operae male obtemperarunt. In hac editione denuo illa recepimos, & quae praeter rem hîc ex epistola XIX. inculcata sunt, notulis duabus inclusimus. Omnes nostri manuscripti ea agnoscunt, Nicotiano excepto, qui periodum *Nullum* &c. plane non habet.

11. In omnibus m.ss. habetur *praepostero*, vt subaudiatur quae in vno superscripta est vox *ordine*.

18. M.ss. duo, *Quid est? Quare ergo vlla verba* &c. Nicotianus, *Quid est, quare ego vlla verba* &c. vnus Puteani, isque optimus, *Quid est ergo quare vlla verba* &c.

26. Vox *tuo* abest ab omnibus codicibus scriptis.

IIII. 31. Inuerso ordine m.ss. *etiam dum emendas, etiam dum componis.* Statim v. 36. Tres non habent, *in nobis.*

38. M.ss. *Profice modo: intelliges.* & proxime, *Nullum magnum quod extremum est.*

41. Recte m.ss. *aut transeat.* item, *ad contemptionem animae.* quod postremum agnoscunt quoque Modij membranae, vt indicat epist. II.

43. Modius epistola CXXX. *Alius se praecipitauit a tecto* &c. Melius aberit praepositio, nec est in membranis Dominicanorum Herbipolensium. sic dixit Horatius:

Hic se praecipitem tecto dedit, ille flagellis
Ad mortem caesus. —

At nostri codices constanter repraesentant *e tecto.*

47. Re-

47. Rectiſſime legitur in m.ſſ. tam noſtris quàm Herbipolenſibus (in II. epiſtola Modij) *qui aqua torrente rapiuntur ſpinas* &c. ad imitationem Virgilij x. Aeneidos:

— torrentis aquae vel turbinis atri *More furens. —*

Sic *torrens vnda* dicitur apud eundem Virgilium, & noſtrum Senecam lib. de beata vita, cap. XIIII. *torrens curſus*, Nat. quaeſt. III. cap. XXVII. *torrens impetus*, epiſt. XXIII.

49. M.ſſ. *Nullum bonum adiuuat habentem.* & mox, *quae incidere poſſunt.*

52. Modius epiſt. II. Malunt ſcripti libri omnes: *De Pompeij capite puſio & ſpado tulere ſententiam.* quod quale ſit, ipſi viderint. Sic ille. at noſtri liquido praeferunt receptam lectionem.

55. Bene videtur emendaſſe Muretus, *momento mare vertitur.* Sed nec vulgata lectio *euertitur*, manuſcriptorum conſenſu firmata, male habet. Virgilius I. Aen. *Disiecitque rates, euertitque aequora ventis.*

P. 75, 1. Copula *&* non eſt in m.ſſ. Mox iidem legunt, *Aut ſi forte.*

7. M.ſſ. ſine aſpiratione *ortulis*. quod ab etymo propius eſt. & 9. *ſtatuat.*

12. M.ſſ. *& appoſitum.* in Excerptis legitur, *Parabile eſt quod natura deſiderat, & cito apponitur.*

20. M.ſſ. *euita.* & 25. *fugamus a nobis & auertimus.* V.

28. M.ſſ. vno conſenſu, *A qua profeſſione diſſimilitudo nos ſeparabit.* atque ita quoque in ſuis libris legi teſtatur Modius epiſt. CXXX. Mox iterum conſtans noſtrorum lectio, *odioſa ſint.*

33. Verbum *eſt* non habet optimus Puteani codex. Eiuſmodi particulis interpolatores ſaepius Senecã locupletarunt.

43. Turnebus cap. VIII. lib. V. Aduerſar. Cuſtodia ſaepe eſt reus, qui cuſtoditur, aut in carcere, aut a militibus ſeruatur. Seneca, *Quemadmodum eadem cathena & cuſtodiã & militem copulat.* Itaque miror Seruium in XI. Aeneid. haec ſcribere: *nam vt hi qui cuſtodiuntur, cuſtodiae dicantur vſurpatum eſt: vnde male in vſu, cuſtodiae audiuntur.* nã cuſtodias a magiſtratu audiri, elegantiſſime dici, ex eo quẽ protuli Senecae loco nõ eſt obſcurũ. Vide quae de cuſtodia doctiſſime ſcripſit Lipſius cõment. ad III. Ann. Taciti: & Modius epiſt. II. Nouãtiq.

53. Modius epiſt. II. Scribe, *Quidni multa habeam quae debeant colligi, quae extenuari, quae attolli?* ſparſa & diſſoluta colliguntur, tumida & grandia extenuantur, abiecta & demiſſa attolluntur. ſaepeque adeo ita loquitur Seneca. Modio adſtipulantur omnes noſtrae membranae. VI.

55. Tres m.ſſ. *cum ipſos aegros ſe eſſe ſenſerunt:* vnde recte Nicotianus, *cum ipſi aegros ſe eſſe ſenſerunt.*

P. 76, 13. Delenda vox *eum*, ſcriptis libris approbantibus.

16. Iamdudum monuerat Brodaeus cap. VI. lib. I. Miſcell. *Hermachum* legendum eſſe, de quo mentionẽ facit in Epicuro Laertius, & Cicero in libris de Finibus bonorum & malorum.

20. Verbum *coepi* ex gloſſemate natum eſſe comprobant m.ſſ. Mox duo Puteani codices legunt: *Multum proficis. Nunquã eris ſolus. Scito hunc amicum omnibus eſſe.* eodem modo Nicotianus & Ambianus, niſi quod *qui* adiiciunt. *profecit: qui nunquam* &c. At quae proxima ſunt verba, *Qui ſibi amicus eſt*, neque in ſcriptis, neq; in cuſis exemplaribus leguntur.

23. Scripti omnes, *exiſtimes:* &, *Nondum illi tuto committeris.* Tres, *Ego certe confitebor.* VII.

26. M.ſſ. *vſque eo adfecit, vt nuſquam ſine offenſa* &c. conſentiunt quoque mẽbranae Modij epiſt. XXXVI.

30. Copula *eſt* non agnoſcitur a m.ſſ. tribus.

32. De meridianis ſpectaculis & gladiatoribus lege Turnebi cap. XIX. lib. XXVII. Aduerſ. P. Fabri Semeſt. lib. I. cap. VI. Lipſij Saturn. ſerm. lib. II. cap. XV.

36. De ordinariis paribus & poſtulaticiis vide Caelium Rhodig. lect. antiq. cap. X. lib. XI. & Lipſiũ Sat. ſerm. lib. II. cap. XVI.

39. M.ſſ. *interfectores interfecturis iubent obici.* Lipſius cap. XV. lib. II. Saturnal. ſermonum emendat, *Interfectores interfecturis iubentur obiici.* Et ſic in antiquo exemplari haberi monuit Pincianus.

44. Omnes, *Plagis agitur in vulnera. Mutuos* &c. duo, *excipiant.*

54. Senſus ipſe vna cum libris ſcriptis & impreſſis requirit, vt legamus, *Quid tu accidere his moribus credis*, &c. in Romana editione male vna dictione locum mutilarunt.

56. Recte Nicot. codex, *Recede in te ipſe qu.* Sic epiſt. XXV. *in te ipſe ſecede.* Mox v. 58. *Ergo* abeſt a m.ſſ.

P. 77, 2. M.ſſ. omnes habent, *idoneam mercem.* & v. 4. non habent, *inquis.* VIII.

25. A ſubſidio ſubſidioſum andacter formauit Seneca epiſt. VIII. *ad omne fortuitum bonum ſubſidioſi, pauidique ſubſiſtite.* Ita inueni in libro N. Fabri, quem cum optimis codicibus ſcriptis contulit. Scaliger in Caſtigationibus Feſti.

27. M.ſſ. *Quiſquis veſtrum:* & linea ſequenti *quod* deſit in tribus. Similis locutio eſt lib. I. de ira cap. XVI. de affectibus: *Habent, & non habentur.* v. 30. Membranae omnes hanc referunt ſcripturam: *Aut ſaltem (duo, ſaltim) rectis, aut ſemel fuere.* (vnus *fruere.*) *Non vertit fortuna, ſed cernulat* &c. Male ergo in impreſſis tres hae voces, *Qui hoc faciunt*, inculcatae ſunt: vt quae ſenſui officiant. Quid vero diſiunctiua illa oratio ſibi velit, hactenus laboratur. Omnia me fallunt, niſi Seneca reſpexit ad vulgatum adagium, cuius Cicero in altera ad Quinctum fratrem epiſtola his verbis meminit: *Cetera fuerunt in eadem epiſtola grauiora, quàm vellem: ὀρθὰν τὰν ναῦν, & ἅπαξ θανεῖν.* vt itaque hic, ita & illic ellipticõs verba erũt intelligẽda. quaſi dicat Seneca, aut rectis velis curſum tenere oportet (nam quos trãſuerſos agit felicitas, ij reſiſtere nequeunt) aut ſemel ruere, hoc eſt perire. *Ruere* enim legendum eſt pro *fuere*, ſeu *fruere.* Et hoc ad praeſtationem ſcribo. Seneca ipſe epiſt. LXXI. *Ne hoc quidem* (ait) *miſerae reip. continget, ſemel ruere.* De altera vero prouerbij parte vt non auſim plane affirmare, ita non alienum iudico quod eſt epiſtola LXXXV. *Qui hoc potuit dicere, Neptune nunquam hanc nauem, niſi rectã, artis ſatisfecit.* v. 37. Antiquior Puteani codex & Ambianus legunt, *Cogita praeter animum:* reliqui duo, *Cogitate praeter animum.* v. 42. Omnes m. ſſ. *id non de meo fiet. adhuc Epicurum complectamur.*

44. Cuiacius Obſeruat. lib. V. cap. XIII. *Circumagitur*, id eſt, fit liber. de quo manumiſſionis more vide illum citato loco: & Angelum Politianum Miſcell. cap. XCVIII.

47. M.ſſ. *quae philoſophis aut dicta ſunt, aut dicenda? Non att. tragicos, nec togatas noſtras,*

50. Brodaeus Miſcell. lib. II. cap. XVIII. Cothurni tragica calceamenta ſunt, ſubleuato altius ſubere, vt mimi priſcorum heroum in ſcena perſonas induentes, grandiores apparerent. Soccus vero humile eſt

calceamentorum genus in modum crepidarum, comoedis propriũ: qui fortasse Excalceati, cum tragicis histrionibus collati, a Seneca epistol. VIII. appellantur: *Quantum disertissimorum versuum inter mimos iacet? quàm multa Publij non excalceatis, sed cothurnatis dicẽda sunt?* Idem epist. LXXVII. *Vt cothurnati simul exierunt, excalceantur, & ad staturã suã redierũt.* Lucianus in Menippo: *καὶ κατὰ βαίνει ἀπὸ τῶν ἐμβατῶν, πένης καὶ ταπεινὸς περιέρχεται.* Nec scio an rectius per excalceatos, planipedes exposuerimus, actores planis, id est nudis pedibus prosceniũ introeuntes.

P. 78, 6. M.ss. omittunt rationalem *enim*, ante *enim*. v. 10. M.ss. legunt, *Illud nobis & illis commune est.* Statim, v. 11. iidem, *aut hostis exciderit.* v. 15. M.ss. *Sed quae sibi desunt, non desiderat: non deesse mauult.* Excusa lectio est a Pinciano. Modius epist. XXXVI. legit ex ductu litterarum m.ss. librorum: *& vt quae sibi desunt, non desiderat, sed non deesse mauult, ita sapiens* &c.

31. Scribit Modius epistola CXXX. membranas suas habere, *si nihil aliud*, &c., *non hoc quod Epicurus dicebat*, omisso vtroque loco *τῷ ob*. at duo e nostris codicibus, inter quos optimus, clare hanc praepositionem priore loco exhibent: posteriore verò omnes vno consensu, *nõ ad hoc quod dicebat Epicurus*. quàuis vt illic omitti non improbem, facit similis loquendi formula, epist. XXXV. *Si nihil aliud, ob hoc profice, vt amare discas.*

34. M.ss. & priores editiones, *quem ipse circumuentum*. recte.

37. Cum Pinciani libris facit optimus Puteani in feminino legens, *Quae vtilitatis causa adsumpta est*, &c. Ambianus in neutro, *Quod vtilitatis causa assumptum est, tamd. pl. qu. vtile fuerit.* ceteri stant ab excusa lectione. Mox reiiciunt omnes dictionem *ingens*.

42. Delendum est alterum *pretium*, membranis sic iubẽtibus. quod ipsum a suis abesse notauit Modius epist. CXXX. Et statim, duo optimi, *In quid amicum paras?*

49. Vulgata lectio non satisfacit: & libri scripti hic mutili sunt, praeter Nicotianum, qui perquã belle locum ita sarcit: *Non agitur, inquis, nunc de hoc, an amicitia propter seipsam appetenda sit. Immo vero nihil magis probandum est. Nam si propter seipsam expetenda est*, &c. Atque haec totidem verbis in altero Puteani codice ad orã antiquitatis diligentissimus P. Daniel manu sua notauerat.

53. Constanter omnes scripti, vt & superiores editiones, agnoscunt vocem *bonos*: *parat ad bonos casus*. Mallem eam in *nouos* commutare, quàm in tanto librorum consensu demere.

58. Scribendum est e tribus m.ss. *nulla re egere*, & ita postulat Stoica τῶ *δεῖσθαι καὶ ἐνδεῖσθαι*, *egere & indigere*, distinctio.

P. 79, 3. Aduersatiua *sed* abest ab omnibus m.ss.

14. A vulgata lectione discedunt m.ss. Tres habent, *Quomodo solitudo in odium est, & appetitio societatis. Quomodo* &c. quartus Ambianus, *Quomodo solitudo in odium, & appetitio societatis hominem homini natura conciliat: sic inest* &c. v. 25. Nullus e m.ss. agnoscit vocem, *temperantia*.

X. 54. Optimus e m.ss. *quanti roboris. Gratulatus* &c. duo, *quanti roboris plena. Grat.*

P. 80, 1. M.ss. omnes, *Audacter Deum roga. Nihil illum de alieno rogaturus es.* & v. 5. optimus, *deo insusurrãt.*

XI. 50. Particula *enim* abest a scriptis omnibus. Mox v. 20. legẽdũ ex veteribus codicibus, *subitus affunditur.*

31. Corrige, (scribit Modius epist. XXXVI.) *Nihil horum vetari potest, non magis quàm accersi.* sequitur enim: *nec prohibetur hoc, nec adducitur.* Modio subscribunt Ambianus & Nicotianus codices. v. 41. Recte legitur in tribus m.ss. *qui non praesens tantum, sed etiam cogitatus emendat.* Idem enim hic voluit Seneca, quod postremis CII. epistolae verbis: *Scies magnorum virorum, non minus praesentiam, esse vtilem memoriam.*

45. Modius epist. CXXX. Qui potest quis animum alterius ante se ferre? plane scribo legoque: *& ipsius ante se ferens animum vultus*. turbauit bonos viros insolens illud *ipsius* antique pro *ipse* positum, vt etiam pueri, qui modo Terentium vel a limine viderint, sciunt. Haec Modius. At duo Puteani codices clare praeferunt, *& ipse animum ante se ferens vultus*. in quorum altero manifesto recentior interpolatoris manus agnoscebatur, supra postremam pronominis *ipse* vocalem, *ius*, supra *se*, *te* scribentis, post *ferens*, copulam *&* interserentis, & ex *vultus*, apice imposito *vultum* facientis.

XII. 49. M.ss. *Quocunque me verti.* & sequenti versu, *Ait villicus mihi, non* &c.

56. Recte haberet Romana editio, *Quod inter nos dictum sit*, si modo *dictum* omisisset. abest enim ab omnibus tam nostris, quàm Pinciani & Modij membranis. v. 57. De situ cadaueris ad ianuã, facie pedibusque in publicum versis, collocandi, vide Lipsium Elect. lib. I. cap. VI. vbi citato hoc Senecae loco ita scribit: Locus hercle argutus. & cuius sententia, quis neget, quàm diserte ad hunc ritum? Nam ait, illum senẽ merito ad hostium admotum. quare? quia ludere ei visum, &: in officium hominis: hostiarius enim erat. & in senium. quasi iam in extrema tegula staret semimortuus, & ideo iure ad ianuam collocandus. Ait etiã, Foras illum spectare. quid, nisi alludens ad illum corporis mortui situm, foras & in publicũ obuersi? Interfuit profecto iuuentutis explicari eum locum: at ego addam etiam correctionem. Nam vbi vulgo, *Perfecte, inquam, delirat iste vetulus*, libri manuss. quos vidi, *iste populus*. Non dubitabis scribere & interpungere, *Perfecte, inquã, delirat iste: pupulus & iam deliciolum meum factus est.* Pupulus, paruus pupus. vera lectio, & venusta prae vulgata. Hactenus Lipsius.

P. 81, 6. M.ss. *potio extrema.* & v. 10. melior eorundem lectio, *cupiditates fatigasse ac rel.* Statim omnes, *tam senex ante oculos debet esse quàm iuuenis.* cuius loquẽdi formulae exẽpla plurima collegit P. Faber Sem. I. c. XXIII.

17. M.ss. *praecingitur circulo.* Mox iis consentientibus delendum est nomen *Scotinon*, vtpote manifestũ glossema. Idem notauit Modius epist. CXXX. v. 23. Tres scripti Modij in citata epistola, & quattuor nostri, *quod nox & in vno die inuenias, lucem & noctem, & inalternas mundi vices.* At quae sequuntur, ita extant in nostris: *Plura facit ista non alias contractior, alias productior. Itaque* &c. Ambianus pro *non*, scriptum habet *nũ*. & in ora libri scholium hoc, *Non plura facit, quo ad vicissitudines alternas.*

26. Notat ibidem Modius Pincianum, quòd verba illa *se sepelisset*, non recte omitti posse censere visus sit. Sed reuera e nota sunt ad dictionẽ *parentauerit*. in quattuor m.ss. sincere scribitur, *cum vino & illis funebribus epulis sibi parentauerit*. *parentauerat* scribendum, vt habent veteres editiones.

29. In vett. codicibus scribitur *bebiote*, in vno *bebiotae*, quod Graecis characteribus *βεβίωται* facit. Quae vera huius loci scriptura est, non vulgata, *βεβίωκε*. Iis enim adclamari solebat quibus vita iucunde transacta est. Cicero epist. II. lib. XII. ad Atticum: *Verum si quaeris, homini non recta sed voluptuaria quaerenti nonne βεβίω-*

ται

multa interea dormis. Idem alibi, Quare stomachor omnia, sed mihi βεβίωται. viderint iuuenes. Versu eodem, Nicotianus liber habet, ex mala consuetudine fac. Sed vulgatam lectionem stabilit non absimilis de Diodoro locus lib. de beata vita, cap. XIX.

34. M.ss. in praesenti, secum fert. & v. 39. vnus, iurarunt.

42. Veteres codices, antequam instrueres te. quibus accedunt membranae Modij epistola CXXX. Et mox, XIII.
48. vno consensu exhibent, Ille qui sanguinem suum vidit. Ambianus solum pro fudit, habet, fusum vidit. Cap. IIII. libri Quare bonis viris mala accidant, cum sit prouidentia, scribit Seneca in eandem sententiam Audacter veteranus cruorem suum spectat, qui scit se saepe vicisse post sanguinem.

58. M.ss. Quaedam ergo nos magis torquent quàm debent.

P.82,22. Vnus, Inquiramus itaque in re diligenter: duo, in rem: bene. sic enim libri de beneficiis primi initio, diligenter in patrimonium & vasa debitoris inquirimus. & Epist. XXVIII. Inquire in te.

26. Omnes scripti, periculum vt prope admotam. vt, valet quamuis: sic explicatur in codice Ambiano.

33. M.ss. quàm iratus ille sit, & versu sequenti, si timeretur. quod si retineatur, paulo ante scribendum erit caussa vita esset, ex Ambiano.

41. Tres codices, Vanus auctor est, vanus est: aut finxit, aut credidit.

43. Modius epistola CXXX. testatur se sic in membranis reperisse, Pudet me sic tecum loqui & tam lenibus te remediis focillare. Alius dicat, fortasse non veniet: tu dic, Quid porro si veniet? videbimus vter vincat. Ita etiā nostrae, nisi quod ibi interiiciunt, Pudet me ibi sic tecum loqui. Consequenter legunt omnes, Fortasse pro me veniet; & mors ista vitam honestabit. Cicuta mag. Soc. confecit.

P.83,16. Scripti codices, qui per os emergeret: mox, & inlitam & textam, & quicquid &c. De his tormen- XIIII.
tis Io. Brodaeus Miscellan. lib. II. cap. IX.

27. Verbum timeantur abest ab omnibus m.ss. etiam Pinciani & Modij. estque ex glossa. nam ista gratiosi in eo viri, ex praecedentibus pendent.

31. Nicotianus, & in vortices cogat. iterum versu 33, vorticibus, vna cum Ambiano.

35. M.ss. constanter, eam petere: quia sic eam referetur ad securitatem. alioqui sensus non procederet. Linea sequenti, vera lectio e m.ss. restituenda est: Primum nihil idem concupiscamus. rixa est inter competitores. Deinde &c. Eandem agnoscunt Modij membranae, epist. CXXX. Vult idem v. 43. scribi debere, ne dum calcare nolumus. Sed nostra exemplaria non adstipulantur: nec sensus permittit. hoc enim dicit Seneca, Ne dum calcari nolumus, id est ne dum suspici volumus, videamur posse calcari, hoc est contemni. Ideo statim infert, nō minus contemni quàm suspici nocet. v. 47. M.ss. aduersarios. v. 51. non habent sua. v. 56. omnes, Quid tu? alter vincat. Potest melior vincere. Non potest non peior esse qui vicerit.

59. M.ss. & impressi alij, in illam rapinam resp.

P.84,2. M.ss. & portandus extra forum traheretur. & v. 7. quàm in homine temperanti.

11. Per ornamenta, id est per arma, vt explicat Lipsius Saturnal. lib. II. cap. XVII.

23. M.ss. bene est. Ego valeo. Recte nos dicimus. v. 34. Iidem, subtilitas impeditur, omissa voce animi. XV.

36. Modius epistola CXXVII. Nihil hic Pincianus (ait) aut ante Pincianum Erasmus. libri membranacei tamen, quibus ego vsus, referunt vno consensu: si in locum eius quod effluxerit, multum potionis altius in ieiunum guttur regesserunt. Sic ille. At nostri codices paulo diuersius, &, ni fallor, rectius, si in locum eius quod effluxit, multum potionis alius in ieiuno iturae regesserunt. Ex iturae, a sciolis factum est gutture. quod ex Ambiano codice deprehendo, qui illius vocis loco, gutture in ora notatum habet. In ieiuno, nempe intestino. vt Graecis νῆστις, sic Latinis ieiunum, dicitur intestinum ordine a ventriculo secundum, inter ἔκφυσιν & gracilia intestina, antequam in anfractus conuoluantur, medium. Cornelius Celsus lib. IIII. cap. I. inde dictum scribit, quia nunquam quod accipit continet: sed protinus in inferiores partes transmittit. Idem hila seu hilla veteribus appellabatur. Festus: Hira, quae deminutiue dicitur hilla, quam Graeci dicunt νῆστιν, intestinum est, quod ieiunum vocant. De hoc ergo accipiendus est Senecae locus. Si quis tamen ad ieiuno, malit subaudire corpore, vel stomacho, patrocinij loco vti poterit epistolae CXXII. verbis. Isti (ait) non videntur tibi contra naturam viuere, qui ieiuni bibunt, qui vinum recipiunt inanibus venis, & ad cibum ebrij transeunt? Atqui frequens hoc adolescentium vitium est, qui vires excolunt, in ipso paene balnei limine, inter nudos bibunt, immo potant, vt sudorem quem mouerunt potionibus crebris ac feruentibus, subinde distringant. Et confestim: Merum illud delectat, quod non innatat cibo, quod libere penetrat ad neruos. Illa ebrietas iuuat, quae in vacuum venit.

38. M.ss. lassent, pro laxent. & v. 41. partim, visum rude facile, partim, visa rude facile. ex quo quid commode elici possit, lector considera. v. 44. M.ss. Dandum est al. & sequenti, sed remittatur. quod notauerat quoque Pincianus. v. 49. M.ss. admitte istos. mox, patientiae crudelitate produxeris. v. 54. Sic scribitur totus hic locus in membranis, modo vehementius fac vicinis conuicium, modo lentius, prout vox te quoque hortabitur in id latus modesta. Cum rec. il. r. q. desc. n. decidat: mediatoris sui habeat (Ambiana, medietatem oris sui habeat) & hoc indocto & rustico more desaeuiat. Non enim id agimus, vt exerceatur &c. Et statim, Detraxit tibi non pusillum negotium mercedula, & vnum graecum (vna, graecus: alia, gratus) ad haec beneficia accedat.

P.85,1. Recte m.ss. stulta vita ingrata est, trepida, tota &c. Sequitur enim, Quam tu nunc vitam dici existimas stultam? Mox iidem scribunt Ifionis, non Ixionis.

16. Quod est in prioribus editionibus, ceterum tolerabile, agnoscunt quoque m.ss. v. 20. M.ss. Itaque ti- XVI.
bi apud me pluribus verbis, aut (vel haut) adfirmatis, nec tam longis, intelligo te multum profecisse.

26. M.ss. vt cum aliqua obl. v. 32. incerta. sed aut conf. v. 39. aut si repentina ac subita dominantur.

40. Ita ordinantur verba in m.ss. Contine illum, & constitue.

47. Delenda est copula & hic, & versu sequenti. Posteriore loco Ambianus habet nec, pro & non.

P.86,8. M.ss. cum aliqua conclamata est. In excerptis infra, quae vulgo De paupertate inscribuntur, legi- XVII.
tur, Cum aliquo conclamatum est. v. 25. Modius epist. CXXVII. dicit scribēdum videri, & dictu foedu tulerunt famem. Tres nostri adstipulantur omnino, quartus ex parte. in margine namque refert foedius. vnde extrita vltima vocali facile fit foedu.

39. Ibidem Modius: In vno m.s. codice ista, *Id est omni saeculo quod sat est*, non comparebant: in duobus hoc modo legebantur, *Id est autem omnia saecula quae sata sat est*. Vnde suspicabar glossemata haec esse, legendumque eis omissis: *Haec ad alios pertinent, in locupletibus propior es. Saeculum muta, nimis habes.* redeamus, inquit, ad Fabriciorum & Curiorum tempora, immodice diues eris. Haec ille. Libri quos inspexi, habent, *Id est autem omnia* (vnus *omnis*) *sclo*, *quod sat est*. Romana editio & haec Parisios, *Saeculum muta, nimis habes. Inest omni saeculo, quod sat est*. Hinc leui mutatione fiet, *Saeculum muta: nimis habes. Inest autem omni saeculo quod sat est*. Ex compendiosa scriptura *sclm*, consueuerunt nobis *saeculum*.

43. M.ss. *Nec hoc miror*. item, *paupertatem nobis grauem*, vt quoque in Excerptis est pag. 486, 20.

XVIII. 49. Membranae veteres, *cum maxime ciuitas sudat*.

50. Priores editiones, *non intersis*. P. Faber Semestrium lib. I. cap. XIIII. Pro *non intersit*, restituendum *modo intersit*, ea quae statim subiiciuntur, aperte probant: *Adeo*, inquit, *nihil interest, vt non videatur mihi errasse qui dixit, olim mensem Decembrem fuisse, nunc annum*: & quod Saturni mensem toto anno celebratum ab Imperatore Claudio Seneca in Apocolocyntosi scribit. Haec P. Faber. Modius epist. CXXVII. Sine sententia oratio est. tentant igitur quidam corrigere mutato τῷ *non* in *nunc*, leguntque, *tanquam quiddam inter Saturnalia nunc intersit*. at ego profiteor, cum illud *non* in tribus nostris m.ss. codicibus non reperiatur, plane scribendum ex auctoritate eorundem: *December mensis est, quo cum maxime ciuitas desudat* &c. *tanquam quiddam inter Saturnalia intersit, & dies* &c. Huic particulae *non* relegationi fauent quoque nostrae membranae.

P. 87, 3. M.ss. *nec insiguire*. v. 9. duo, *discurrit*. sed probum est *decurrit*. Milites enim cum in armis ordinem seruantes pleno passu incedebant, aut currebant, decurrere dicebantur, vt docet Turnebus cap. VIII. lib. V. Aduers.

12. Idem cap. XXXIII. libri XXXIIII. Aduers. Senecae locum emendabo & explicabo, sed deprauatam scripturam prius exhibebo. *Non est nunc quod existimes me dicere, vt te admoneas ad coenas, & pauperum cellas*. Vetus liber ita descriptum hoc habet, *non est quod nunc existimes me dicere Temoneas coenas & pauperum cellas*. Puto verum esse *Timoneas*, a Timone, qui humanum genus exosus erat, vitamque quandam inhumanam & feram sequebatur, in cibisque non modo vulgaribus, sed etiam vilissimis, & ab reliquis hominibus prope damnatis acquiescebat. Hact. Turnebus. Quattuor nostri clare habent, *me dicere temoneas coenas*. Nec dubitandum est quin genuina sit quam restituit Turnebus lectio. Strabo libro XVII. refert Antonium post Actiacam cladem ab amicis desertum sibi Timonis exemplo domicilium construxisse, quod Τιμώνιον appellaret. Copiosius vero Plutarchus in Antonio: vbi quae de Timonis & Apemanti conuiuio verba leguntur, mire hunc Senecae locum illustrant. Καί ποτε (ait) τῆς τῶν χοῶν οὔσης ἑορτῆς, εἱστιῶντο καθ' αὑτοὺς οἱ δύο. τοῦ δ' Ἀπημάντου φήσαντος, Ὡς καλόν, ὦ Τίμων, τὸ συμπόσιον ἡμῶν, εἴγε σύ, ἔφη, μὴ παρῆς. Timoneas itaque coenas possumus interpretari solitarias, omni hominum consortio excluso, more Timonis, cui ne quidem cum Apemanto sui simili conuiuium iucundum erat.

16. Scripti quos vidi (scribit Modius epist. CXXVII) consentiunt emendandum: *& intelliges ad securitatem non opus esse fortuna*. tota praecedens epistola versata in eo est, vt Lucilio, quem a philosophia abstinebat res familiaris, quam ita se prius disponere velle dicebat, vt posset sufficere nihil agenti, ac sic animo otioso, & de rebus ad vitam necessariis securo studiis daturum se promittebat, vt huic inquam Lucilio persuaderet, posse iam tum eum de paupertate securum hoc agere, atque hoc est quod iterū hic repetit. Bene Modius, & praeter tres m.ss. attestantur Excerpta pag. 486, 23. & Seneca ipse in hac epistola paulo ante, *In ipsa securitate animus ad difficilia se praeparet*. infra iterum, *Securius diuites erimus* &c.

37. M.ss. *quarum possessionem tibi non interdico*. Excerpta, *possessiones*.

XIX. 56. Bene in m.ss. *quibus integra sunt & prima consilia*. Prima consilia dicit, & integra, vbi nihil dum deliberatum est, & omnia libera sunt, ita vt possis quam partem velis amplecti: qualia eorum sunt qui nondum certum vitae genus elegerunt. lib. VI. de beneficiis, cap. XXIII. *nec vnquam primi consilij deos poenitet*. v. 38. m.ss. *Tam* (Nicotianus *Iam*, quod rectum puto) *notitia te inuasit. vt in extr. m. ac p. recondaris, tamen priora monstrabunt*.

. P. 88, 14. Scribe e m.ss. *Subduc ceruicem iugo tritam. Semel* &c. v. 24. Tres m.ss. *Vera in ipso eculeo edocuit*. Nicotianus, *Maecenatis vera in ipso eculeo elocuti*. probe. In Ambiano apponitur hoc scholium: *Ponit eculeum pro dignitate torquente possidentem*. v. 36. Tres codices habent, *ad conciliandos animos*. & linea ab hac altera, sensui aptius quod in m.ss. & prioribus editionibus est, *collocata*. nam locum, cuius in beneficiis dandis vna cum tempore & persona est habenda ratio, includit: & rectius dictioni *sparsa* opponitur, quàm *collata*.

XX. 47. M.ss. interposita copula, *iuuenum & otiosorum*.

P. 89, 3. M.ss. *non adiicias, vt rectum sit quod velis. Non potest enim cuiquam* &c. & verso 6. Ac, pro Itaque.

23. M.ss. *Magnus ille qui in diuitiis pauper est. Nescio* &c. reliqua absunt. v. 24. Quidam m.ss. *angulus*, quidam *amalus* habent. v. 19. Rectius legetur, vt est in tribus m.ss. *praeparari*.

XXI. 49. Omnino legendum (scribit Lipsius ep. V. lib. V.) *regiae tunc potentiae*. Idomeneus ille, minister regis. Pro Lipsio facit similis formula lib. II. de beneficiis, cap. V. *Quales regiae potentiae ministri sunt* &c. v. 58. In tribus scriptis codicibus legitur, *Habebo apud posteros gratiam*.

P. 90, 8. Vox *honor* habetur in omnibus m.ss. & impressis nonnullis. Ea igitur restituta legendum, *nec ipsis tantum honor habetur*. v. 23. Corruptus locus ex geminae lectionis commistione: vt m.ss. indicant, quorum duo ita habēt, *cum adieritis audieris his hortulos & inscriptū hortulis*: vnus, *cum adieritis audieritis hos ortulos & inscriptū ortulis*. Sincerior est Nicotianus codex, *Cum audieris his inscriptū hortulis, Hospes* &c. Mox v. 29. m.ss.

XXII. omnes, *vt desinant*. V. 41. E m.ss. reponendū, *Illud alterum, quando* &c. Iidē v. 54. *lege, Idomeneu quae scribitur*.

P. 91, 4. Loco horum *verum vbi*, scribitur *ibi* in vett. cod. nostris & Modij, epist. CXXVII. & v. 10. m.ss. *si occupationum pretia contempseris*. v. 14. Iterum cum vet. editionib. & Modij exemplaribus faciunt nostra in hoc, *quærā turbid est, si verum* &c. v. 18. m.ss. *Sed si deponere* &c. v. 24. tres, *ad hoc vnū excusati*. v. 35. omnes,

XXIII. *quales intrastis, exite*. V. 47. In omnibus m.ss. deest copula *etiam*. neq; Modij mēbranae eā agnoscunt.

56. Tres m.ss. optimae fidei, *hilarculo*. in quorum vno inter i & c recenti manu o adiectum erat, quasi *hilari oculo* cum vulgo legi deberet. Magis placet illud forma diminutiua, delicatorum certe orationi infra-

ctae

ctae & eneruatae conuenientius. Talis enim hominibus est oratio, qualis vita, vt exemplis monstratur a Seneca epist. CXIIII.

P.92,18. Malim, vt est in tribus scriptis, *lenior vnda*. Virgilius, *— leni fluit agmine Tybris*. Versu sequenti omnes habent, *impetus in mare eiecit*.

31. Recte in m.ss. *tibi ipse proponas*. Sic alibi frequenter. Epist. XXVII. *Clamo mihi ipse*. & v. 41. *quàm vt vratur, quàm vt pereat*. XXIIII.

56. Interrogationis nota post *gladio* ponenda est e m.ss.

P.93,11. M.ss. *aequasse*: & statim, *cum teneri nauem suam vidisset ab hostibus*.

30. M.ss. *Quid singulis art. sing. m. q. ext. aptata, & mille alia instrumenta exc. particulatim hominis explicas* nempe repetendum ἀπὸ κοινοῦ.

43. M.ss. *dolor. Ipsae vol.* Adiecta est particula *sed* ab aliquo, propter praecedens *non tantum*.

P.94,27. M.ss. *Omnia sic transeunt, vt reuertantur. Nihil noui facio, nihil noui video. Fit aliquando & huius rei nausia.* Ionibus ναυσία, ceteris ναυτία.

57. M.ss. constanter, *dum tibi tutum non sit ad te recedere*. XXV.

P.95,2. Verbum *es* non reperitur in membranis, vt neque duo illa quae in aliis editionibus sunt, *vis esse*: quemadmodum Modius monuit epist. CXXVII. Nouant. Delenda item copula *enim*, ex eisdem.

5. Addita voce lege, *certe huic corpori vocabulum conuenit*. extat ea tã in nostris quàm Modij codicibus. XXVI.

11. Locus non satis a menda liber. Referam veterum codicum scripturam, vt ingenij exercendi materiam habeant lectores. Sic igitur prae se ferunt, *quae non possem facere, quae nolim prodesse habiturus*, (vnus *abiturus*) *atqui* (vnus *ad qui*, alius *ad quid*) *si nolim, quicquid non posse me gaudeo*. Ambianus in margine hanc habebat notatam: *quae non possim facere; & quae facere nolim, prosit ne habituro vel abituro. atqui si nolim* &c.

17. Non displicet Nicotiani codicis lectio, *Non quia aliquid mali cit... & e vita repentinus excessus*.

21. M.ss. *de me iudicaturus sum*. Et 25. iidem, *studia tota vita tracta*: vnus omnino *tractata*. quod rectum dico. Iubet Seneca studia toto vitae spatio tractata remouere, hoc est, disputationes, litterata colloquia, & cetera quae ipse enarrat: quia inepta omnia sint, praeter vnicam mortem, ad experimentum de animi robore & constantia faciendum.

30. Tres m.ss. *Iuuenior es*. & sic Modius in suis quoq; reperit. ea forma (ait epistola CXXVII.) qua Calpurnius aliique *dicitur*. v. 31. m.ss. omnes, *Desinere iam volebam*.

57. Tres m.ss. quemadmodum Pinciani codices, *vigiliam*, pro *vigiles*. XXVII.

P.96,1. In hac demum editione *Caluisius* scriptum est, veteribus codicibus sic iubentibus, Tacito item lib. I. Annalium adstipulante, qui Caluisij Sabini legati meminit: & Plutarcho in Galba. Sed & quod sequitur, emendandum est. sic namque m.ss. *& Patrimonium habebat libertini & ingenium*. Consentiunt quoque Modij codices, epist. CXXVII. Tum temporis exosae erant libertinorum immensae opes. has notat Seneca in Caluisio, vt & ingenium stupidum ac seruile. Alibi exprobrat libertinis balnea, & virguncularũ specula.

5. Adice vocem e m.ss. & lege, *tam perperam tribus, quàm ille* &c. mox iidẽ habẽt, *in medio verbo excidebat*.

13. Caelius Rhodiginus lib. XIII. lect. antiq. cap. XXI. Apud Senecam si quis solicitius inquirat, quosnam arbitremur dici grammaticos analectas, eos ita nuncupari contenderim, qui lectione multa exercitati, memoria sint firmissima & indubitata, vt quicquid vnquam legerint vel audierint, fere habeant ad manum & in numerato, quoniam ἀναλέγεσθαι significet Graece ἀναμφιβόλως ἔχειν καὶ νοεῖν, id est firmiter tenere ac concipere. Vel quia memoriae subsidium & ingenij domino essent futuri. Sicuti analectides dicuntur, quibus ex xylino lino, vel quauis materia, tanquam puluillis constipant scapulas prominentes puellae, vt videri habitiores possint. Quod Ouidianum carmen liquido comprobarit, quod ita habet:

Conueniunt tenues scapulis analectides altis,
Angustum circa fascia pectus erat.

Analecta in Epigrammatario poeta sunt reliquiae sub mensa, quae quod colligi debeant, id sunt sortitae nomen: quamuis etiam pro instrumentis ad idipsum destinatis quidam interpretari maluerint. Martialis:

Colligere longa turpe nec pudet dextra
Analecta, & quicquid canes reliquerunt. Et alibi:
Otia sed scopis nunc analecta dabunt.

Erant Athenis apodectae, qui tributis, collationibus, & omnino vectigalibus praeerant, quaeque in iis ambigua forent, iudicio discernebantur: iis ab excipiendo inditum videtur nomen. Sed & apodectaeos vocabant, qui frumenta metirentur. Hoc ideo non tacui, si forte cui *apodectas* dici grammaticos, non *analectas*, arrideat magis. Haec Caelius. Alciatus vero Parerg. l. VIII. cap. XXV. Quid sint Analecta, haudquaquam explicatu difficile est: vulgo enim Grammatici sic interpretantur reliquias seu micas, aut ossa quae de mensa cadunt: vnde & Analectae, serui, qui sub mensa incuruati eas asportabant: quòd enim pretiosiora fierent pauimenta, serui collectis manu reliquiis, non scopis, sed spongiis ea extergebant. Martialis:

Otia sed scopis nunc analecta dabunt.

Est enim ἀναλέγειν, dispersa colligere, sicut auiculae faciunt, cum semina de aruis rostro excerpunt. Hinc iocus apud Senecam epistola vigesima septima de Caluisio Sabino in conuiuiis seruos litteratos ad pedes habente, vt versus quos referret illius memoriae suggererent: *Suasit*, inquit, *illi Satellius Quadratus stultorum diuitum arrosor, & quod sequitur arrisor, vt Grammaticos haberet analectas*, id est qui sub specie colligendarum reliquiarum essent illi a memoria. Sic Alciatus. Turnebus Aduers. lib. XXIIII. cap. XXXIII. Quaesitum est qui sint grammatici analectae. Quidam interpretantur doctissimos, qui omnia ad manum & in numerato habeant: alij eos qui minutissima quaeque colligunt ex auctoribus: ego neutris assentior: quid enim esset in eo sensu leporis & argutiae? ego potius existimem sanna quadam derisum Sabinum fuisse. vt enim analectae serui dicebantur, qui reliquias coenae, aut ea quae ceciderant de mensa, colligere solebant (ea autẽ analecta dicebantur) sic cum ipse Sabinus inter coenandum in versibus, quos subiectos referebat, subinde excideret, Quadratus festiue dixit, ei grammaticis analectis opus esse, qui colligerent eum cadẽtem, & verba

quoque ei excidentia inter coenā redderent. Sed & cum in scriniis libros reponere soleamus, & seruis, quos ediscere memoriter poetas aliquos iusserat, tanquam eorum poetarum scriniis vteretur, ac de immani pretio eorum quereretur, *Minoris*, idem Quadratus, *totidem, inquit, scrinia emisses*. Hactenus Turnebus.

18. Priores editiones, & vetera exemplaria, *Bona mens nec commodatur, nec emitur*.

XXVIII. 52. Deest *enim* in scriptis omnibus.

P. 97, 1. M.ss. *te ipse coargue*: vt alias Seneca saepe.

XXIX. 5. M.ss. *non vlla alia ex causa quàm quod aud.* mox, *obuios monuerant*, omissa dictione *quosque*.

27. Optimus Puteani codex vnica dictione *degradu*. Iust. Lipsius Saturn. lib. II. cap. XII. censet *de gradus* legendum.

32. Veteres codices, *quàm multò minoris videretur*. vnus *meroris*, loco *minoris*. alius, *qui multi meroris videretur*. Versu sequenti malim quod est in m.ss. *sed intermittent*.

XXX. P. 98, 2. M.ss. *Subito defecit*. statim, *iunctura deducitur*; pars diducitur.

7. M.ss. *praestat: in conspectu mortis hilarem, & in quocunque corporis habitu fortem laetumque, nec deficientem, quamuis deficiatur*. hoc postremum verbum notauit quoque Modius epist. LXX.

17. Huius iterum ac nostri codices consentiunt in lectionem orae aliquot editionum adscriptam, *& sapienter ferre desiderium sui*.

20. M.ss. cum superioribus editionibus, *quod non est passurus, quàm qui timet quod non est sensurus*.

24. M.ss. duabus voculis adiectis, *Hic vero plurimum apud me auctoritatis habuit*. & linea sequenti duabus detractis, *Puto fortiorem eum esse qui in ipsa morte est, quam qui circa mortem. Mors &c.*

31. Rescribendum est *indicaotem*, vt habent aliae editiones, & vetera exemplaria.

39. M.ss. *Prima autem pars &c.* Linea 47. iidem, *Venit aliquis ad mortem iratus morti. venientem nemo hilaris excipit*. quod & in suis libris esse Modius profitetur epist. LXX.

P. 99, 2. Scripti omnes, *Ego vero vidi*.

XXXI. 30. Verbi *strigare* significationem explicat Turnebus Aduersar. lib. XXIIII. cap. I.

31. Tres m.ss. *& inspira*. Ios. Scaliger Castig. in Propert. lib. IIII. legit, *& restriga*. Hodie (ait) male in libris *& inspira*. Strigare equi dicuntur, quum interquiescunt: a Striga loco, vbi hoc solent facere in exercitu. auctor Charisius. Glossae falso legunt *Triga*. Triga, τόπος, ἔνθα ἵπποι γυμνάζονται. Contrarium est *Restrigare*. Mox v. 42. notat Muretus in omnibus, quos viderit, libris scriptum fuisse, *Laborem si non recuses, parum est posse*. At nostri clare eam quam ipse edidit lectionem repraesentant, & ita emendandum monuerat Modius epistola LXX.

49. Idem Modius ibidem: Membranae, *non per Peninum Graium ve montem*. nempe *Poeninum* scribendum, accipiendumque de Poeninis alpibus, quemadmodum per Graium quoque montem Alpes Graias significari constat. Haec ille. In Puteani codice optimae notae, plane est *per Poeninum*.

53. M.ss. inserta particula, *Parem autem te Deo &c.* Mox, in iisdem scribitur, *Deûm ille maximus*. quae lectio Modio etiam epist. LXX. concinnior videtur.

57. M.ss. *nihil horum patitur vetustatem*. recte. ex nempe loquendi formula, qua epist. XXXVI. vinum non pati aetatem ait, quod in dolio placuit. κάλλος (ait Isocrates) ἢ χρόνος ἀνήλωσεν, ἢ νόσος ἐμάρανε.

58. M.ss. *Quaerendum est quod non fiat in dies eius, quo* (Ambianus recenti manu *cuique*) *non possit obstari*. Cetera quae sequuntur, *quo nil melius possit optari*, non extant in manuscriptis. Modius suspicatur aliquid latere vitij. Mihi videtur e geminae lectionis annotatione propagatum: vt pars legerit, *Quaerendum est quod non fiat deterius, quoi non possit obstari*: pars loco postremi inciti, *quo melius non possit optari*. Lector sequatur quod volet.

XXXII. P. 100, 9. M.ss. omissa praepositione *cum*, *non conuersari dissimilibus*.

14. *Torqueri* idem valet atque dimoueri a vita recta. in Nicotiano codice scribitur *detorqueri*.

15. M.ss. *non timeo ne mutent te*: iterum, *nocet etiam qui moratur*.

24. M.ss. duo, *Nemo sibi contingit*. & sequenti tres, *sed ego contra*. certe redundat alterum *tibi*.

XXXIII. 41. Lipsius Electorum lib. I. cap. XVI. Nouum, sed idoneum plane verbum suggerunt libri, *ista oculifera*: vel, vt Modius noster repperit, *oclisferia*. Germana lectio. Sic appellat significanter, illa quae ad speciem in fronte tabernarum cum titulis exponunt: quae incurrunt in transeuntium oculos, & emptorem alliciunt. Eiusmodi, inquit, inuitamenta in nostra secta Stoica non reperies. Hactenus Lipsius. Vide item epistolam Modij LXX. Adsentiuntur quoque duo e nostris libris, quorum vnus Puteani, *oclifera*, alter Io. Nicotij, *oclisferia* praefert.

45. M.ss. absque interrogatione, *Puta nos velle sing. fort. ex turba separare*.

52. M.ss. *& per liniamenta sua ingenij opus nectitur*. mox *mulier* desideratur in omnibus. Et v. 57. in duobus interpungitur post *fluunt*.

P. 101, 3. M.ss. *Qui plus adhuc &c.* vt referatur ad animum.

8. Quattuor nostri, *nihil existimo habere generosi*: iterumque, *Aliud autem est meminisse*.

14. Proprium magis hic (ait Modius epist. LXX.) verbum membranaceum: *quae alienis verbis commodatur*. Nec nostri codices aliter legunt.

17. Scriptorum lectio est, *Praeterea qui aliud sequitur, nihil inuenit, immo nec quaerit*.

18. M.ss. tres, *sed si priorem planioremque inuenero*. vnus *propiorem* habet pro *priorem*. quod iam olim aduertit vir clariss. P. Faber Semestrium lib. I. cap. X. ita scribens: *Priorem* reiiciendum esse Erasmus vidit, & alicubi *apertiorem* legi ait, ipse vero vel *potiorem*, vel *proniorem* mauult. Ego *propiorem* ratione ad veritatem ductus nunc primum restituo: quae ipsa patebat quidem omnibus, vt Senecae verbum vsurpem, nondum erat occupata.

XXXIIII. 29. Lege, *incitaui*, vt est in scriptis libris & excusis. Et mox, non displicet Nicotiani codicis lectio, *Quid aliud, inquis, adhuc volo? in hoc plurimum esse*. sic aptius sequentia quadrant, non satis scilicet esse bene vitam inchoasse & aliquousque produxisse, nisi perseueretur. Alioquin vulgata scriptura non adeo recte procedit,

cedit, nisi cum Nicotiano exemplari legatur, *Nam sic &c.*

32. M.ss. agnoscunt particulam *itaque*, quam tamen Pincianus ex vetere lectione abundare notat.

38. In m.ss. reperio, *Cum te tam valde rogo.* Deinde v. 51. scribendum e duobus m.ss. *animum mutare, ali-* XXXV.
ubi atque alubi apparere. Sic in fine epistolae, *suo loco mutat.*

52. Tres, *Istud sapiens perfecto contingit*; vnus, *Istud sapienti perfectoque contingit.*

P. 102,6. Tres iterum, *& significare contraria.* v. 17. quattuor, *Denique nihil illi iam liberi est.* XXXVI.

22. M.ss. *sed in eo habitu est, quomodocumque res cedunt.* & v. 30. *Nec enim opus esset in id comp.*

35. Constanter omnes, *Esse enim debet aliquis, cuius sit incommodum.* v. 44. *quicquid praeterijt.*

51. Ex Horatio substituit haec verba Muretus, *vri virgis ferroque necari*: an libris consentientibus, non XXXVII.
indicat. Certe nostri dissident, & cum cusis aliquot legunt, *vri, vinciri, ferroque necari.* Proba monstrat iura-
menti formula in Petronij Arbitri fragmentis: *In verba Eumolpi sacramentum iurauimus, vri, vinciri, verberari,
ferroque necari: & quidquid aliud Eumolpus iussisset, tanquam legitimi gladiatores domino, corpora animosque religio-
sissime addicimus.* Huc iterum alludit Seneca epist. LXXI. *Quid miraris, si vri, vulnerari, occidi, alligari iuuat?
aliquando etiam libet.*

P. 103,2. Modius epist. LXX. In m.ss. illud *vicibus* nullum est, neque quidquam eo opus. Virgilius etiam dixit: *Alternis dicetis, amant alterna Camoenae.*

Et ita nostri, praeter Ambianum, in quo scribitur *alternatim imperantes.* Seneca iterum epist. LXXI. *hic deprimitur alternis & extollitur.*

12. M.ss. *qui minutatim irrepit animo.* v. 16. *Facilius intrant, & haerent.* XXXVIII.

18. *In maximos auctus diffunditur*, habent nostra & Modij exemplaria, epist. paulo ante citata.

24. Modius ibidem: Verum est, *Commentarios quos desideras diligenter ordinatos &c.* Sequitur statim, *In-* XXXIX.
ter multos habes, quorum scripta nescio an sata ordinens. & sequenti XL. epist. *Nihil autem ordinatum est, quod prae-
cipitatur & properat.*

25. M.ss. *ratio ordinaria*, non *oratio.* Et statim ait, *illa res discenti magis necessaria est*, id est illa ordinaria ratio commentariorum componendorum.

31. M.ss. *Habet enim hoc optimum in se generosus animus.*

38. Haec lectio a Mureto est. at vulgata & scripta exemplaria, *illa enim vtilia vitaliaque sunt: at haec eo quo superfluunt, nocent.* Vox *vitalia* non videtur fuisse remouenda. Horatius Satyra VII. lib. II.

—— amicum
Mancipium domino, & frugi quod sit satis, hoc est,
Vt vitale putes.

Proinde (scribit Turnebus Aduersariorum lib. decimooctano cap. vigesimoseptimo) quasi frugalitas nimia & attentio acrior ad rem diligentiaque noceat: & quamuis qui nequam & dissoluti sunt, perditi profligatique sint, neque vita digni, quos ne salus quidem ipsa seruare posse videatur: cum contra viuere videantur & vitales esse, qui sunt frugi & attenti: tamen nimia auiditate & auaritia & nimia parsimonia exitium saepe acerbum accersitur. Simile est illud Lactantij libro sexto, *Vnum est enim sapientis & iusti & vitalis viri opus, diuitias suas in sola iustitia collocare.* Hactenus Turnebus.

P. 104,6. *Iudices* abest a manuscriptis. vnus habet, *scias aptiorem esse circulanti.* Vtrumque verbum olet XL.
glossema. Nisi fallor, genuina fuit lectio periodi istius, *Sic itaque habe, vim istam dicendi rap. at. ab. ap. esse cir-
culanti quam agenti &c.*

26. Modij libri scripti pertinaciter, *quam violenta ista & inimica vis exuit.* sed male. Nostri constanter, vt in excusis, *quam violenta ista & nimia vis exait*: & bene, Senecaeque menti congruenter. paulo ante dixerat verbis saltem commutatis, *vim dicendi rapidam atque abundantem.*

30. M.ss. *ante effectus impetus sui.* Mureti lectio non mala erit, si *affectus* scribas.

32. Ita reperio in veteribus codicibus scriptum, *Et ipse maluerit, si necesse est, vel P. Vinicium dicere, qui itaque cum quereretur, quomodo P. Vinicius diceret, &c.* v. 35. *tam insulsus interuenerit, quam qui &c.*

36. Bene emendauit Muretus *Namque Haterij*, sed plenius Lipsius in comment. ad Tacitum, *Nam Q. Haterij.* hunc ei nomen fuisse praeter Tacitum testantur Seneca pater, & B. Hieronymus.

P. 105,23. P. Faber Semestrium lib. II. cap. VII. Pro *nitet* (ait) quod Erasmi est, non Senecae, *dimittitur* XLI.
repono: quoniam hoc verbum in veteribus nonnullis, in alijs autem *mittitur* (quod ab eo parum recedit, et-
si corruptum est) legi, eiusdem Erasmi notae fidem faciunt. Sed proba & recta est antiqua lectio: quam in
integrum restituo: cum e caueis proprie dimissa & emissa dicantur animalia. Virgilius quidem de apibus,

Hinc vbi iam emissum caueis ad sidera coeli.

Hactenus Faber. Idem fere Modius epist. LXX. his verbis: Illud *nitet* ab Erasmi coniectura est. qui & ipse fatetur in omnibus libris aut *mittitur*, aut *dimittitur* reperiri. quo magis inclino vt veram, aut pro vera habeam lectionem nostrarum membranarum, quae omnes *mittitur* praeferunt, non ignotum theatris & venationibus vocabulum. Haec Modius. Accedit item nostrorum librorum consensus in voce *mittitur.*

29. M.ss. *Familiam formosam habet.* & v. 32. *si id impleuit.*

45. M.ss. *magna potentia impotenter vtuntur.* Eadem lectio est Modij membranarum citato loco. XLII.

P. 106,10. M.ss. absque negatione, *Nam magnitudo habet certum modum*, nempe per se & sine respectu XLIII.
alterius considerata. attamen magis placet cusa lectio.

38. Tolle vocabulum *gradus*, scriptis omnibus annuentibus. Simile glossema supra notatum est lib. de XLIV.
Beneficiis.

58. M.ss. omnes, *solida securitas*, non *tranquillitas.*

P. 107,2. M.ss. *& quo plus operae impenderunt, hoc se magis impediunt, & feruntur retro.*

10. M.ss. *sperarem impetraturum.* & 19. *nisi & supernacua quaesissent.* XLV.

21. M.ss. probiore lectione & interpunctione, *verbis illigamur, ac deinde dissoluimus. Tantum nobis vacat. Iam viuere, iam mori scimus.*

42. Voculae hae *in eum*, non reperiuntur in m.ss.

51. M.ss. tres, *Quod bonum est, vtique necessarium est: quod necessarium est, non vtique bonum est: quoniam quidem necessaria sunt quaedam, eadem vilissima.*

XLVI. P. 108,15. Abest *verum* m.ss. in quibus postrema epistolae clausula ita concipitur, *nisi quod iam etiam vbi causa sublata est, mentimur consuetudinis causa.*

XLVII. 24. M.ss. *superbissima consuetudo caenanti domino stantium seruorum turbam circumdedit.*

29. Vnus e nostris, & scripti duo Modij, *vlla voce interpolatum silentium.* quod epist. LVIII. Nouant. hoc Curtij testimonio probat, *vincam tamen silentium, & si nihil aliud, certe gemitu interpolabo.*

36. M.ss. *quod cum ad caenandum discubuimus.* & v. 56. *Mariana clade multos* &c. omissa *quam* particula, & absque interrogatione.

P. 109,6. Vnus, *in iter quoque & in sermonem illum ammitte.* duo, *Comitem* (vous Comiter) *quoque & in sermonem illum admitte.*

12. M.ss. tres, *non quo solo cum seruis domini vescerentur, sed quo vtique honores* &c. Et sic ex veteri suo libro, cum sententiae totius medicina, legendum monuerat Lipsius Saturn. lib. I. cap. II.

24. Eo iterum duplex lectio vnius loco obtrusa; & error in ceteris editionibus simplex, in Romana geminatus. Fidem faciunt libri scripti ita hunc locum referentes: *Seruus est. sed fortasse liber animo. Seruus est. hoc illi nocebit? Ostende quis non sit.* Qui interrogationis notam & vim non animaduerterunt, assuta negatione *non*, scripserunt, *hoc illi non nocebit.* quae scriptura in plerisque impressionibus recepta est. at Ambianus codex fraudem omnino detegit. nam super haec verba, *hoc illi nocebit*, in interlineari diastemate scriptum habet, *alias non.* Hinc *alijs non* factum: & Erasmus in quodam reperit, *hoc illi, alijs non nocebit.* Romana editio hoc postremo verbo iterato fecit, *hoc illi nocebit: alijs non nocebit.* Apage hoc. extremum scabies occupat. Haec ideo pluribus, vt origine mendi indicata veritatem lectionis m.ss. codicum, a Modio nuper epist. CXXII. publicatae, confirmarem.

33. Ego sic restituendum putarim (scribit P. Faber Semestr. II. cap. VI.) *Verberibus multi admonent. At non quidquid nos offendit* &c. hoc sensu, Tu melius quam alij, Lucili, erga seruos te geris, quod eos increpas, illi verberant ob leuem offensiunculā: etiamsi reuera laesi non fuerint: dū prae delicijs, iracundi animi rabiem compescere non possunt. Haec ille. Tres nostri, *Verberibus multa admonentur*, vnus, *amonentur.* Quid si legas, *verberibus muta admonentur?* quasi dicat, muta & bruta animantia verberibus coerceri & ad laborem impelli solent, serui non debent. homines enim sunt, non iumenta.

36. M.ss. tam nostri quam Pinciani, *sic excandescunt*: & v. 39. *placent sibi, permanent.*

XLVIII. 47. Placet Nicotiani libri scriptura, *nisi quicquid agitur a te, protinus meum est.* In eodem desit abnutiua particula *non*, versu penultimo.

P. 110,14. M.ss. *Succurre quicquid laqueati respondentium poenis*: in margine vero duorum, *Succurre. quid quod laqueati respondent in poenis.* Quid lateat, alij acutiores viderint.

30. M.ss omisso pronomine *me*, *vt parem Deo faciat.*

XLIX. 57. M.ss. *eu magis itaque indignor.*

P. 111,1. Quattuor m.ss. & vnus Modij epist. CXXII. *eodem loco dialecticos. Tristius inepti sunt.* in Ambiano ante *tristius*, interpolatum est *qui.*

20. M.ss. *Aduersus hoc me doce aliquid. Effice vt ego mortem non fugiam* &c. ita omnino emendauit hunc locum Modius dicta epistola. & Pincianus ex parte.

L. 47. M.ss. reperito verbo *sum*, *Non ego sumptuosus sum.*

P. 112,10. M.ss. *ideo depelli & exturbari possunt.*

LI. 36. Mureti coniectura longius a vulgata aliarum editionum lectione recedit. Scopum tangunt membranae nostrae & Modij epist. LVIII. vno consensu legentes, *Vna Hannibalem hiberna soluerunt.* Emphasis est in *vna.*

P. 113,8. Modius epist. CXXIII. Correctio Pinciani, nostrorum librorum auctoritate confirmata est, in quibus *in adspiceret* etiam nullum erat, legebaturque pro illo *in Vtica*, quod ab illis videtur, qui Vticae sibi Catonē manus intulisse meminerāt; aut *in vnica*, aut *Minaca*, aut certe *inimica.* ex quo vt quid faciendū sit, nō temere affirmarim, ita leui coniectura doctus reposuerim: *Habitaturū tu putas vnquā fuisse in Vaciae Catonē, vt praeternauigantes adulteras dinumeraret, & tot genera cymbarū varijs coloribus picta, & fluitantē toto lacu rosam; vt audiret canentiū nocturna conuitia, nonne* &c. *in Vaciae* villa puta. de qua qui epistolam Senecae LV. legerit, minus fortasse a me dissidebit. fuit certe haec eo situ, vt quae hoc loco cōmemorantur, ex ea videri & audiri commode possent. neque video quomodo ex vulgata scriptura sententia aliqua, tantum non contra mentem Senecae elici possit. nam quod hoc dicas; Catonem potius vallo subitario salutem suam commissurum fuisse quam Vticae moenibus & propugnaculis inclusurum contra vim Caesaris, si Vticae necesse habuisset adulteras dinumerare, & alia grauitate sua indigna videre; aliquid est; nisi de Scipione quoque antea dixisset, Liternum eum, quàm Baias exsulij locum legisse; & in comparationem adiici videretur, perinde Catonem quoque potius intra vallum vna nocte a se excitatum mansurum fuisse quàm in villa splendida quidem, sed tot illecebris obnoxia. de hac re ita censeo; etsi quo magis cogito, eusa lectio excusabilior mihi videatur. Hactenus Modius. Nostri codices *inimica* referunt. in Ambiano ex ea voce interpolata factum est *in Vtica.* Sed scholium, si qua huic fides, adiectum, *ciuitas est vltra Baias aquas*, fauet Modij coniecturae. tritum satis Vticam in Africa sitam fuisse. at Vatiae villa (vt Seneca ait) Baias trans parietem habet. Abest item a nostris verbum *aspiceret.*

10. M.ss. quidam, & sine dubio recte, *intra vallum maluisset, quod in vnam noctem manu sua ipse duxisset.*

LII. 25. Lege e m.ss. *qui se ipsi protulerunt.* & v. 28. *si in secundam recipimur.*

36. M.ss. tres, *alterum puram aream accepit, illic protinus opus creuit: alterum fundamenta lassabunt* (vel *laxabunt*) *in mollem ac fluidam humum missa.* Bene, si *duram*, & *lapsabunda*, cum vulgo scribamus.

42. M.ss. *Hunc durum & laboriosum ingenium nobis datum scias licet.*

P. 114,1. M.ss. *quod ab hominibus his laudatus es.*

13. Modius epist. LVIII. Legendum, *Tunc autem cum hoc ex impetu facient.* vt dicat impetu illis suo vti permitti in plausu; dum ex animo, non simulatione ille proficiscatur.

25. Priores editiones & m.ss. *ad Nesida*, accusatiui terminatione Graeca, qua Seneca gaudet, sic flectens LIII. *Pythoclea, Idomenea, Orphea.* Cicero *Nesidem* dixit, epist. 1. lib. XVI. ad Atticum. *Nonis (ait) Quinctil. veni in Puteolanum, iens ad Brutum in Nesidem.* sic enim emendat Lipsius Antiq. lect. lib. IIII. cap. XIX.

34. M.ss. *tacitur. Memor artificij mei, vetus frigidae cultor, mitto me in mare.* Sic etiam Modij codices praeferunt, vt indicat epist. CXXIII. Hoc spectat Plinius libro vndetrigesimo nat. hist. cap. 1. *Charmis Massiliensis frigida hibernis algoribus lauari persuasit. mersit aegros in lacus. Videbamus senes consulares vsque in ostentationem rigentes. Qua de re extat etiam Annaei Senecae astipulatio.*

39. M.ss. cum prioribus editionibus, *quem scis non cum mari nausiam effugere.*

45. Quid Muretum mouerit vt haec castraret, nescio. vellem monuisset. Ceterae editiones certe habent, *qui vt talaria coeperit intendere, & vtrosque dextros pedes fecerit, necesse* &c. nec sequius duo m.ss. nisi quod *qui vbi vt, coepit,* & *fecit* referant. Ambianus aliquanto diuersius, & (quia aliud iam non suppetit) forsan rectius, *qui vbi talaria cepit intendere, & vtrosque pedes infecit, necesse podagram fateri.* Egregie vero idem, quod hic Seneca, expressit Lucianus in Ocypode his versibus:

Ἅπας γὰρ αὐτὸν βουκολεῖ ψευδοστομῶν,
Ὡς ἐνστραφεὶς, ἢ προσκόψας τι βάσιν,
Ἄλγει φίλοισι, μὴ φράζων τὴν αἰτίαν.
Ὃ μὴ λέγει γὰρ, εἰς δοκεῖν λαθεῖν θέλει,
Χρόνος δὲ γ' ἐρωτῶν μηνύει, κἂν μὴ θέλῃ·
Καὶ τότε δαμασθεὶς, ὀνομάσας μου τοὔνομα,
Πᾶσι θρίαμβος, ἐμβλέπεσθαι φίλοις. id est,
Quilibet enim se decipit mendacio,
Luxatum alicubi, aut grauiter allisum pedem
Dum dictitat, veramque causam supprimit.
Quod enim ipse celat, & latere alios cupit,
Hoc tempus inuito arguit eo post tamen:
Ac tum domitus, vero que nomine me vocans,
Gestatur ab amicis, triumphus omnibus.

Et postea, tunc demum podagram vocitari indicans, cum vtrumque pedem morbus torserit, ita ludit:

Ἐπεὶ δὲ καὶ τὸν ἕτερον ἀμφοῖν πόδα,
Στένων δακρύεις, ἂν δέ σοι φράζω, θέλω,
Τοῦτ' ἔστ' ἐκεῖνο, κἂν θέλῃς, κἂν μὴ θέλῃς.
Vbi vero & alterum pedem inuadet dolor,
Flebis gemens. at dicere vnum tibi volo,
Hoc illud est, nolis velis, hoc illud est.

49. M.ss. *Grauis sopor etiam somnia extinguit.* & 53. *omnibus alijs rebus te nega.* v. 56. *cui aduocatus in remissione descenderes.*

P. 115,12. M.ss. *tela laxo sinu eludit.* rectius quam *excludit.*

15. *Commeatum* pro *comitatum* primus scripsit Lipsius lib. v. epist. v. Commeatum dare (ait) honeste ductum a re militari: id est, diu me morbus dimiserat, nunc repente adortus. LIIII.

20. M.ss. *hoc, animam agere.* & mox, *Facit enim aliquando* &c.

38. Iidem, *nihil cogito de die toto. illum tu lauda* &c. & v. 42. *quod coacturta est.*

51. M.ss. *Erat enim a recenti tempestate spissum.* LV.

57. Integerrimus senator Cl. Puteanus legit, *aeque enim odisse illum, quàm amasse, periculosum fuit.*

P. 116,12. Puteani codex, *cuius laxo atrio pares manu facta; Aequarum* &c. Nicotianus, *cuius laxo atrio pares manufactae, quarum* &c. At doctiss. Lipsius Electorum 1. cap. XVI. Lego (ait) *laxo atrio, pares manufactis.* Speluncas enim natiuas fuisse vult, sed tam eleganti ingenio loci, vt prouocare possent omnes manufactas.

13. M.ss. omnes *tenetur,* pro *torretur.* a sole scilicet, vt habet scholium Ambiani.

18. M.ss. *ipse noui: esse illam totius anni credo.* Hinc fecit Lipsius, *esse villam,* loco iam citato.

21. Modius epist. CXXXII. Paullo plenius membranae abbatiae S. Stephani: *animus est, qui sibi omnia commendet.* ita etiam nostrae. quamuis verbum *sibi* in emendatioribus Pinciani exemplaribus desideretur.

39. Turnebus cap. IIII. lib. VII. Aduersar. Extra controuersiam esse reor, legendum esse, *quoties retentum spiritum remiserunt*: non vt irrepsit in omnia volumina, *recentem*: sed & mox, *& hac plebeia vnctione contentum*: non vt volgo *functione* percreboit. Statim m.ss. omnes, *cum in aliquem inertem.* Loco *aliquem* suffice *aliptem*; nec vtrumque, vt in editione Romana, tolera. De alipte Iuuenalis Satyra VI. LVI.

Callidus & cristae digitos impressit aliptes,
Ac summum dominae femur exclamare coegit.

42. Lud. Caelius antiq. lect. lib. XXX. cap. XIX. Epistola est Senecae in qua tumultuosa balneorũ luxuria notatur. *si vero pelicrepus* (inquit) *superuenit, & numerare coepit pilas, actum est.* Quid sibi hic pelicrepus velit, nõ video: verum certissima ducor coniectura, vt pilicrepum arbitrer legendum: cumque intelligam, qui pilas hoc est sphaeras aut glomos pice illitos in ignem balneorum siue vaporarij coniiceret, sicubi forte restingueretur. In hanc sententiam vt pedibus eam, Papinius facit Syluarum primo, in balneo Etrusci:

Quid nunc strata solo referam tabulata, crepantis
Auditura pilas, vbi languidus ignis inerrat
Aedibus, & tenuem voluunt hypocausta vaporem?

Meminit huiusmodi pilarum, vt opinor, & architectus Vitruuius libro quinto: *suspensurae caldariorum ita*

sunt faciendae, vt primum sesquipedalibus tegulis solum sternatur inclinatum ad hypocaustum, vti pila quum immittatur, non possit intus resistere: sed rursus redeat ad praefurnium, ipsa per se ita flamma facilius peruagabitur sub suspensione. Domitius vero Papinij expositor, ita locum eum enarrat: *Quid nunc* (inquit) *ego narrem tibi tabulata, quae in sublimi parte aedium sunt, quo desinunt vaporaria, habentia in vertice pilam concauam, quo peruenit flamma ignis in imo ardentis, sed languida & tenuis: vt domus ita tepeat, non autem aestuet?* Haec sententia an congruat, iudicent volentes. Nos quod varia suggerit lectio pro captu ingenij in lucem promimus: sicut & illud quod obseruatum doctissimis est, inter eos qui corporis curã agunt, recenseri tonsores, balneatores, pilicrepos, alipilos, mediastinos, mãgones, aliptas seu paedotribas, cinifloães, arcularios, propolas, pigmẽtarios, coronarios, cosmetas, & id genus alios. Haec Rhodiginus. Turnebus Aduersar. cap. IIII. lib. VII. Quis tandem est pilicrepus, quem Seneca ait, si superuenerit & plus numerare coeperit, actum esse? sic enim in eo lego, non *pelicrepus*, nec *pilas*. eum interpretãtur in hoc labore excutiendi & enodandi voces abstrusas in auctoribus primi homines subsellij, qui pilas in vaporarium coniiciat. a quibus dissentio, atque eum interpretor qui pilas crepat, aut pila crepitante lusitat (nam pila crepitum facit) quod facere solebant paulo ante balneum, vel dum hypocausta & sudationes calescerent. Martialis lib. XIV. epigr. CLXIII.

Redde pilam, sonat aes thermarum: ludere pergis?
Virgine vis sola lotus abire domum.

quo etiam sensu illud Pap. I. I. Sil. in baln. Etrusc. accipio;

Quid nunc strata solo referam tabulata crepantes
Auditura pilas, vbi languidus ignis inerrat
Aedibus, & tenuem voluunt hypocausta vaporem?

In mittenda autem & remittenda pila, cum pilicrepus plures quàm essent manus & vices numerarat, maximus excitabatur clamor ab aduersariis. Hactenus Turnebus. Atque huic quidem quod ad *plus* attinet, fauet Nicotianus codex, *& numerare coeperit plus*, scriptum habens. at Puteani membranae vocali addita *pilus*, vt etiam Ambiana.

42. Turnebus ibidem: Subiicit Seneca, *adijce nunc fordalum & furem deprehensum.* Epistola LXXXIII. scordalum appellat. quam veriorem scripturam esse reor. *Tullius*, inquit, *Cimber & nimius erat in vino, & scordalus.* scordalum interpretor velut scorodalum, id est hominem alliatum, & illuuie squaloreque foedum & sordidum & impurum, vt de quodam seruo apud Plautum in Mostell. Sc. *exi a culina*, dicitur, *Germana illuuies oboluisti allium.* Talis enim cum balneas inibat, & in elegantes lautosque inciderat, magno clamore & vociferatione excipiebatur: nisi forte ab immunditia & foetore excrementorum alui nomen habet. hoc verbum etiam extat in V.C. Memmij Petronio, *ego autem nactus occasionem vindictae, Eumolpum excludo, redditaque scordalo vice, sine aemulo scilicet & cella vtor & nocte.* vt tamen verum fatear, scardalus in Petronio scribitur, vt existimo, perperam. Est & hodie Graecis scordalus morbus in oculis equorum, in angulo crescente caruncula. Haec Turnebus.

44. Caelius antiq. lect. lib. XXX. cap. XIX. Expuncto inutili verbo, pro *alipedum*, lege *alipilum*, id est, alarum pilos vellentem. quod auctoris sententiae mire congruit.

46. Turnebus citato loco: Lego mox, *iam libarij varias exclamationes.* sic vocatur qui liba vendit. Caelius item libro & capite dictis: Sed & mox Seneca cõfluentem ad balnea institorum & cuiusque vilissimi turbam enarrans: *iam librarij*, inquit, *varias exclamationes, & botularium, & distillarium, & omnes popinarum institores, mercem suam quadam & insignita modulatione vendentes.* Hic mendum irrepsit in verbum vnum, reliqua perobscura sunt. Nam vbi *library* scribitur modo, legerim libentius *libarij*, a vendendis libis: de quibus in Fastis Ouidius, ita vt vna modo littera pereat extrita. De botulario vero, vt nostro beneficio pernoscãt & hoc studiosi iuuenes, intelligo verbo illo venditores confectoresque botulorum. ea erãt farcimina, Festo tradente: de quibus & Apicius, quisquis is est: *Botellum sic facies. ex oui vitellis coctis, nucleis pineis concisis, cepam addes, porrum concisum, thus crudum, miscebis piper minutum, & sic intestinum farcies, adijcies liquamen, & vinum, sicque coquas.* Erat quidem botulus mensis omnibus gratus, sed in Saturnalibus celebrabatur praecipue, dum ex eo corona fieret pulti. Propterea libro quinto Valerius Martialis, forma tamen deminuta,

Et pultem niueam premens botellus.

Sed & in distichis idem poeta sic cecinit:

Qui venit botulus mediò tibi tempore brumae,
Saturni septem venerat ante dies.

Superest apud Senecam verbum non admodum vulgo notum, quod est *distillarius*. Scimus quidem a Latinis fere distillationes dici, quae a Graecis coryzae, branchi, catarrhi vocẽtur. Quamuis haec apud illos differant: quum sit coryza, dum pituita tantum nares obsidet, grauedo Latine dicta, sicut Celsus meminit: catarrhus vero qui fluxio dici valet, quum fauces palatumque: at branchos, quum & guttur & arteria corripitur: ob quod & artericum quandoque, vt Paulus scribit, vitium id appellant. Omnia tamen haec Hippocrates etiam coryxas vocat. Caeterum expositio haec ad Senecae sensum parum facit. Proinde sciendum, distillationem quandoque pro liquamine capi, quo vtimur ad intinctus, siue, vt Graece dicam, embammata. Hinc Seneca scite admodum & docte distillarium vocauit, qui id genus concinnaret distraheretque, quem insignita modulatione merces suas vendere scribit: qui mos adhuc passim seruatur in vrbibus. Haec Caelius, non incongrue cetera, modo a voce *distillarius* sibi cauisset. Sed via eunti (ait Seneca) aliquid extremum est, error immensus est. Nata est illa ex altera quam m.ss. nonnulli praeferunt, *clustularius*. Hodie recte legitur in excusis *crustularius*.

47. M.ss. *mercem suam quadam & insignita modulatione vendentes.* vnus omittit coniunctionem *&*.

48. M.ss. *cui meus inter tot clamores, iam varios &c.*

55. Meta sudans, vt dicit Eutropius, locus vbi experiebantur iuuenes velocitatem suam. Hoc scholium est Ambiani codicis. In quarta vrbis regione illam fuisse, significat P. Victor.

57. M.ss. *Etiam nunc molestior est mihi sonus.*

P. 117,20. Modius epist. LVIII. m.ss. *aut etiam abirata.* puto rectum, *abiurata.* qui mos plerisque hodieque vsque adeo, vt non tantum quidam spe sua frustrati ambitionem in posterum omnem, sed & vitam communem eiurent. Haec ille. Sed nostri loculenter cum impressis, *aut etiam abiecta*: Nicotianus tamen, *abruta.*

29. M.ss. consentiunt cum Pinciani lectione, *ad vocem & accidentia erigitur.*

41. M.ss. *vana circumstrepet.* Et statim, *migrabo. Experire & exercere* &c.

52. Rectius m.ss. *excitatus* pro *incitatus.* Iidem breuius v. 57. *Quaedam enim, mi Lucili, nulla effugere virtus potest.* LVII.

P. 118,8. M.ss. *magis aut minus.* Ex mox duo, *vigiliarium ruat, aut mons. Nihil inuenies.* omissis duabus dictionibus, *an turris.* vt suspicer glossema esse *vigiliarium* explicare volentis. de duarum enim rerum saltem ruina auctorem loqui sequentia probant. Videtur autem vigiliarium, turris seu specula editis locis inaedificata, in qua vigiles excubare solent. Sic spoliarium, vinarium, valetudinarium locorum nomina sunt.

20. Locus non constare videtur. M.ss. habent, *propter illum nullo genere posse, propter quod non perit.* Ambianus inter *genere* & *posse*, interserit *mori*: manus tamen recentior est. Si quid audendum est, legam, *perire illum nullo genere posse, propter quod hoc perit. illum* intelligo animum; *hoc*, corpus.

30. M.ss. *Est lucum Silari iuxta ilicibusque virentem Pluribus* &c. Virgiliani vero codices vulgati lib. III. Georg. *est lucos Silari circa, ilicibusque virentem Plurimus* &c. iidem mox, *oestron Graij vertere.* LVIII.

41. Ante legebatur, *sed fidelis Virgilio.* vt ita Seneca scripserit? (ait Modius epist. CXXXII.) parum etiam illum nouit, cui id persuaderi poterit. omnino emendandum: *sed fidem Virgilio*; volo, puta, te adhibere. Sic ille. Et ita m.ss. nostri. Ambianus vero, *sed fidem adhibe Virgilio.*

48. Modius ibidem e suis libris legit, *desertum & orationis* &c. Sed nostri discessionem faciunt, & eunt in correctionem Mureti.

58. M.ss. *esse aliquid genus, esse & speciem.* & sic S. Stephani membranae quoque apud Modium epist. LVIII. Ambianus codex, *esse aliquod genus & speciem.*

P. 119,4. M.ss. *Homo sp. est, vt Arist. ait, equus sp. est, canis species est.*

9. M.ss. *sed quaedam anima carent.* Statim Modius epist. eadem: Legunt membranae, *corpora omnia aut animalia esse, aut inanimalia*; postea vero versu 22. *aut animantia sunt, aut inanimantia.* quod vtrobique mihi quidem non displicet. vt enim hic fortunae Graeciae non agantur, satius tamen opinor Senecâ suis verbis loquentem audire quàm alienis. Hactenus ille. Ac priori quidẽ loco adstipulatur nostrorum vnus, alius ex parte, legens, *corp. om. aut animalia esse aut inanima.* Posteriori nullus, sed omnes faciunt cum edita lectione.

26. M.ss. tres, *Primum genus Stoicis quibusdam videtur Quid. quare videatur, subijciam.*

40. M.ss. *ex quibus omnia quaecunque videmus, fiunt.* & 58. *& in assidua diminutione* &c.

P. 120,15. M.ss. partim, *si obseruaueris, sumet, quod possis* &c. partim *sumet*: non autem, *inuenies.*

16. Modius epist. CXXXII. *Vacatio* hoc loco positum pro vitae genere, valde mihi suspectum est, olet que barbariem; censeamque cum membranis nostris scribendum, *ex omni natione* &c. quod valet ex omni secta & genere hominum. sic enim & Satyrographus:

Natio comoeda est, rides? maiore cachinno
Concutitur &c.

Sic ille. Nec aliter nostrae. Seneca lib. VII. nat. quaest. cap. XVI. *Et hoc in commune de tota natione*, historicorum scilicet. Et lib. VI. cap. XXVI. *Philosophi quoque, credula natio, dixerunt.*

23. M.ss. *in sublimi volit. v. o. formas, Deumque inter illa versantem, & hoc prouidentem.* vnus, *inter illas versantem.*

46. M.ss. *vtrum ea haec sit.* Vnde recte Pincianus collegit legendum, *vtrum ea faex sit.*

P. 121,5. Lipsius epist. V. lib. V. Legendum *mortes meras.* nam tota ante epistola de morte. Modius epistola LVIII. Legunt alij *mortes meas.* sed nugae merae ista sunt: scribendum, *quod libentius quàm mortes meras lecturus es.* Ita etiam Muretus censuit. Ne tamen in eorum sententiam eam, monet me praeter constantem m.ss. auctoritatem scopus Senecae, eo spectans vt doceat vitam prouidentia nostra & frugalitate extendi posse, nec mortem ob senectutem, morbum, vel dolorem accelerandam esse. Ab hac parte stant verba: *Illud simul cogitemus, si mundum ipsum non minus mortalem, quàm nos sumus, prouidentia periculis eximit, posse aliquatenus nostra quoque prouidentia longiorem prorogari huic corpusculo moram, si voluptates, quibus pars maior perit, potuerimus regere et coercere.* Et iterum in calce epistolae: *Est praeterea materia quae ducere diem possit.* id est mortem differre. Libentius itaque *mortis moras*, quàm *mortes meras*, legerim. Vale etiam mortuis dicebatur. Seruius ex Varronis logistoricis ad Virgilij versum, *Salue aeternum mihi maxime Palla, Aeternumque vale*, & alibi. Donatus ad act. IIII. sc. II. Terent.

28. Modius epistola CXXXII. Referunt membranae altero omisso; *vt non temerarias, ita quae periculum sui fecerint.* & profecto aut ita legendum, aut hoc modo quo iam dicam; *vt non temerarias, vt non indecoras, ita quae* &c. Haec ille. Nostrorum eadem varietas est quae codicum Pinciani. LIX.

P. 122,49. Modius epist. LVIII. Manu exaratus: *Quam diu vnius messae frumentum.* vt fortasse scripserit Seneca instrumentum: apparatumque conuiuiorum intellexerit, qui fere peregrinis delicijs instruebatur. ipse Seneca alibi, plenissimeque Petronius, omnesque certatim cum alij scriptores, tum in primis satyrographi. Et ita vnus e nostris: at ceteri *frumentum.* LX.

56. Duo m.ss. ceteris auctius, *Viuit is qui multis vsui est. Viuit is qui se vtitur. Qui vero* &c. & statim omnes cum prioribus editionibus, *quomodo in conditiuo.*

P. 123,6. Modius epist. CXXXII. Elegantior & solentior Senecae, lectio scripta, *tanquam me cum maxime scribentem* & cetera. LXI.

9. Idem epist. LVIII. M.s. *Repugnanti, inuolenti necessitas est: in volente necessitas non est.* vt inuolens dicatur, quemadmodum *imparens*, quod valet non parens, *inobediens, improlis, aut improlus, inciens*, & similia.

20. M.ss. *vbicunque sum, ibi meus sum.* sic statim, *quocunque constiti loco, ibi cogitationes meas tracto.* LXII.

24. M.ss. *aut causa ex officio nata ciuili.* quod postremum vocabulum etiam ex vetusto Monjonsij cod. manuscripto reposuit V.C. P. Faber, comment. ad l. 11. tit. de diuersis reg. iuris antiq.

LXIII. 32. M.ss. optimi, *Moleste fero.* Quod sequitur de vini amaritudine, explicatur a Biodaeo Miscellan. cap. III. lib. I.

58. *Fortunae* reponendum est loco *naturae.* illud agnoscunt omnes tam nostri quàm Pinciani codices, & iubet ita ratio. Amici enim inter fortunae bona recensentur: & illorum possessio ac fruitio, fortunae beneficium est, non naturae. Liquet hoc ex sequentibus: *si non habemus* (alios amicos sc.) *maiorem ipsi nobis iniuriam fecimus, quàm a fortuna accepimus. illa vnum abstulit: nos quemcunque* (ita m.ss.) *non fecimus. Quemcunque* e suis codd. laudat etiam Modius epist. CXXIX. vt quod magis sententiam philosophi explicet: quae est, fato nobis erepto aliquo amico, vno quidem eius culpa nos priuari, at nostrapte omnibus iis carere, quibus nos non insinuauimus.

P. 124,9. Superiores editiones & m.ss. *ne vnum quidem nimis amauit.*

22. Interiit iste Annaeus fungorum esu. Plinius nat. hist. lib. XXII. cap. XXIII. *Fungi familias nuper interemere, & tota conuiuia, Annaeum serenum praefectum Neronis vigilum, & tribunos, & centuriones.*

LXIIII. 41. M.ss. *Quantus in illo, di boni, vigor est.*

P. 125,13. Modius epist. LVIII. Non displicebat quod erat in S. Stephani libro veteri, *omnia quibus honor honori haberi solet, faciam.* vt honor loco posteriore pro magistatu accipiatur, solenti I.c. nostris more. Idem nostri transposita saltem vnica dictione, *om. q. honor haberi honori sol.* &c.

LXV. 21. Probe tres m.ss. *postmeridiano mihi cessit.* vt alicui loco cedere dicimur, ita malam valitudinem sibi postmeridiano tempore cessisse Seneca scribit.

25. M.ss. tres, *te arbitrum adduximus*, vnus *addiximus*. Lipsius Elect. I. cap. XVI. Repone (ait) phrasin fori veteris, *te arbitrum adigimus.* quae nota iam ex Cicerone & Ic^tis^.

46. M.ss. *Putas inter causas facti operis esse numerandum.*

58. M.ss. duo recte in accusandi casu, *Facientem; hic Deus est:* & deinde, *Formam; haec* &c. dependent enim a praecedentibus, *Haec omnia mundus quoque habet.*

P. 156,4. Modius epist. CXXXII. Ista *bona fecit*, inducere nos iubent membranae S. Stephani, & alterae Praedicatorum Herbipolensium; & sequitur sane immediate, *fecit itaque quam optimum potuit.* nostrae idem iubent.

31. M.ss. duo, *si malignum & praeclarum lumen habent.* Haec duo coire non poterant. conciliarunt itaque adiectione negatiuae *non*: in impressis quidem libris, *si malignum & non praeclarum lumen habent*: in scripto vno autem, *si mal. & praecl. lumen non habent.* Errorum labirynthus est vbi semel a vero discesseris. Hic ergo gradum sistamus, & veritatis viam ab Ambiano codice indicatam sequamur. Eccam, qua nihil planius: *si malignum & precarium lumen habent.*

42. Rectius duco, *in vna deformitate iacentibus faciem diuiserit*, e m.ss.

44. Cusa lectio est a Pinciano: at m.ss. *an saepe nascendum: quo* &c.

47. M.ss. *quàm vinculum aliquod libertati meae circundatum.* Idem v. 55. *Potentius autem est ac preciosius quod facit* &c.

LXVI. P. 127,27. M.ss. *ad primum bonum reuertamur.* v.29. Modius epist. CXXXII. Scribendum vt liquido liquet, & libri clamant, *toti se inserens mundo.* Consentiunt tres e nostris.

33. Idem ibidem: Consentiunt membranae omnes in *Talis animus virtus est*, &c. & profecto aut meum me iudicium decipit, aut ita plane legendum. animus, inquit, asperis blandisque pariter inuictus, supra omnia quae contingunt acciduntque, eminens, imperturbatus, intrepidus, quem nulla vis frangat, quem nec attollat fortuna, nec deprimat; hic ille talis animus est decantata illa virtus, quae oculis subiici alioqui nequit. Hactenus ille. cui suffragantur itidem omnes nostrae. Seneca epist. LXXVI. *Ratio perfecta, virtus vocatur.* Et iterum, *Ratio explicita & recta, & ad naturae voluntatem accommodata, vocatur virtus.*

45. M.ss. *honestum est enim propter illa quae retuli.* & v. 50. Lege, *quibus illae contigere*, sc. virtutes, e tribus m. ss.

53. M.ss. *Mortalia minuuntur, cadunt* &c. Recepta lectio Pinciani est.

P. 128,1. Abest a m.ss. particula *sed.* & linea ab hinc quarta omnes legunt, *in exitium ipsas suum verti.*

6. Omnes Pinciani & nostri m.ss. *simplicitas, liberalitas, constantia.* &. v. 9. *plurimum inter illa, in quibus* & cetera.

23. Basileenses editiones, *malum non putat, velut libens faciat.* m.ss. vero, *malum non putet, velit, libens faciat.* Nec sunt ista, vt in editione Romana, eradicanda. eis enim respondet quod sequitur, *iniussum, incoactumque, sincerum, nullo malo mixtum.*

38. Magis placet verbum duorum opt. m.ss. *procurret*, quàm *percurret.* Epist. LXXI. *vt ad omnes casus procurrerem.* Mox v. 40. omittitur *ergo.*

45. M.ss. *Ergo tuam quoque virtutem non magis laudabis, si corpus illaesum tibi & integrum* (vnus, *si corpus illiticum integrum*; alius, *si corpus illi tuum integrum*; alius denuo, *si corpus illibatum integrum*) *fortuna praestiterit, quàm si ex aliqua parte mutilatum multatum.* Et v. 48. M.ss. tres *serua sunt*, pro *seruilia sunt.*

51. Dele postremum *est*, & paulo post lege, *hilarem ac pacatam*, membranis ita volentibus.

P. 129,37. Optimus Puteani codex, *& vnitas vitae perfectum iura.* Nicotianus integrius, *per rectum iura.* quo pacto legit Mureti liber Siciliensis.

P. 130,50. Duo Puteani exemplaria, *vt malaxandos articulos* &c.

LXVII. P. 131,2. M.ss. *in vestimentis degitur.* Et Modius epist. XXI. En membranis Dominicanorum, & omnibus omnino libris, *vestimentis* repono pro *stramentis*, quod a coniectura Pinciani est, existimantis nullum vsum vestimentorum in lectulis, quorum statim est mentio. Sed humanum quid passus est hic eruditissimus alioqui vir. Terentius Heautontim. scena, *Ego me non tam astutam*:

Est mihi vltimis conclaue in aedibus quoddam retro;

Huc

Haec est inuolatus lectus, vestimentis stratus est.

Nisi forte alia haec res; quod mihi tamen, vt adhuc est, persuaderi non potest. Hactenus ille. Nec est quod longe abeamus: ipse Seneca sibi suam vindicat lectionem. Epist. LXXVIII. *Est*, inquit, *mihi crede, virtuti etiam in lectulo locus. Non tantum arma & acies dant argumenta alacris animi indomitique terroribus: & in vestimentis vir fortis apparet.*

25. M.ss. non agnoscunt sequentia, *nec tamen ideo solummodo ferre tormenta optabile est.* Modius item ibidem: Succinctius (ait) longe membranae: *si fortitudo optabilis est, & tormenta patienter ferre optabile est. hoc enim fortitudinis pars est.* plane concinne, vt ego arbitror. illa enim *nec tamen* &c. videntur a bono aliquo viro adscripta, qui mouere vellet, patienter ferre tormenta non ob haec tantum, quam afferret philosophus causam, esse optabile, sed ideo quoque quòd homini Christiano religionis causa quiduis fortiter perpeti, coelum aperiat, & apud Deum eum gratiosum faciat.

P. 132, 22. Necessario legendum est, *non iactare otium suum.* Negligentia potius quàm studio vocem *otium* in Romana editione omissam puto. LXVIII.

26. Delendum est posterius *tecum*, ex auctoritate m.ss. Mox iidem: *hoc est huius boni tempus.* & ita Pincianus.

P. 133, 15. M.ss. partim, *si tam breue tempus internallum discidimus*, partim *internallo discindimus*, partim *discimus.* LXIX.

52. Triginta dies in carcere & in expectatione mortis exegit, propter Delia festa. Xenophon libro IIII. de Socrate: ὁμολογεῖται γὰρ οὐδένα πω τῶν μνημονευομένων ἀνθρώπων κάλλιον θάνατον ἐνεγκεῖν. ἀνάγκη μὲν γὰρ ἐγένετο αὐτῷ μετὰ τὴν κρίσιν τριάκοντα ἡμέρας βιῶναι, διὰ τὸ Δήλια μὲν ἐκείνου τοῦ μηνὸς εἶναι, τὸν δὲ νόμον μηδένα ἐᾶν δημοσίᾳ ἀποθνήσκειν, ἕως ἂν ἡ θεωρία ἐκ Δήλου ἐπανέλθῃ. LXX.

P. 135, 20. M.ss. *sub diem nasci debet: & hoc quoque tardum est nimis: sub manu quoque, sub manu, quod aiunt, nascatur.* Cl. Puteanus hanc mihi lectionem suppeditauit, *sub die nasci debet: & hoc quod tardum est nimis, sub manu, quod aiunt, nascatur.* Caelius antiquarum lectionum cap. XXXII. lib. XX. adagio hoc, *sub manu*, summam temporis celeritatem significari docet ex Tranquillo in Augusto. cuius verba sunt: *Aerarium militare cum vectigalibus nouis constituit, & quo celerius ac sub manu annunciari cognoscique posset, quid in prouincia quaque gereretur, iuuenes primo modicis interuallis per militares vias, dehinc vehicula disposuit.* LXXI.

43. P. Faber comment. ad l. 1. de iustit. & iur. pro *litterarium*, reponit *litterariorum*, & paulo post *fias*, pro *fies*, ex manuscripto Montousij codice.

44. M.ss. *dimittunt.* a quo propius abest Pinciani *demittunt*, quàm Mureti *diminuunt.*

48. M.ss. *quisque volet tibi contumeliam faciat & iniuriam.* Si *quisquis* legas, hic ordo erit: faciat tibi contumeliam & iniuriam, quisquis volet: tu tamen nihil patieris.

P. 136, 17. M.ss. *si speraret omnia illa: sic vitam mortemque per vices ire* & cetera. & statim, *Itaque vt Cato* & cetera.

21. M.ss. *alienorum imperiorum magna sunt decora.* recte. Euripides in Andromache: Ἀνάνδρος γῆς χεῖρα θηλείας τινός.

23. M.ss. *repentini maris inundatio.* ea ratione scilicet, qua sequitur *subitam cauernam.*

44. M.ss. concisius, *non magis quàm regulam, qua rectum probari solet, flectes.* Quicquid &c.

53. Modius epistola XXI. In membranis quas vidi, non sunt ista, *quod dicam paria bona esse aduersa fortiter portantis, & prospera honeste iudicantis.* & nescio quomodo mihi hic abesse posse videntur: sic tamen, vt temere nihil fecisse aut pronunciasse videri velim, qui iudicium de hac re omne penes collegium musicum esse cupio. Hactenus ille. Vnus a nostris codicibus exhibet illa, ceteri haec tantum, *quod dicam paria bona esse honeste iudicantis.*

P. 137, 8. Idem ibidem: Quid est amabo aliud omnia rerum aduersarum onera rigida ceruice sustollere, quàm supra fortunam suam extare? omnino insane. bene abest in scripto illud *quàm*, quod inepti sycophantae alicuius elegantissimam hanc locutionem non intelligentis, stabiliendo loco, quem ruere alioqui existimaret, commentitium fulcrum est. Ita Modius, & recte, consentientibus etiam quattuor nostris. Sed vellem stilo temperasset. Pincianus Senecae obstetrix, ex vetere lectione *quàm* scribi iusserat.

11. M.ss. *vt hoc opinor.* fortean transpositis vocabulis, *hoc, vt opinor.* Iidem v. 20. *inchoatur, & ad summa procedens.*

25. Aliae editiones, *tanto melior quàm fortior.* Vnde Lipsius epist. v. lib. v. Scito *tanto* monachale glossema esse, legendumque, *audire maiuls melior quàm fortior.* Sed haec diuinatio est: at Mureti correctio libris bonis fidisque firmata, Senecam ipsum sponsorem habet. Epist. XXXI. *ad honesta nitentes, quanto magis incubuerint, minusque sibi vinci ac strigare permiserint, admirabor, & clamabo, Tanto melior surge, & inspira,* &c. Lib. de Tranquillitate animi, capite vltimo: *Laudemus toties dignum laudibus, & dicamus, Tanto fortior, tanto felicior.* Adclamandi formulae sunt cum laudatione coniunctae. Non absimiles quae sparsim apud Senecam nostrum leguntur: lib. VI. natur. quaest. *Vade fortiter, vade feliciter.* Epist. LXVII. *Feliciter quod agis.* Epist. LXVI. *Macte virtute esto, sanguinolentis & ex acie redeuntibus dicitur.* Ex aliis auctoribus collecta exempla suppeditat Lipsius Electorum lib. I. cap X.

27. Optimorum duorum m.ss. alter, *Vbi ergo calamitas*; alter, *Vbi ergo calamitas.* & hoc rectum esse indicauit Pincianus.

28. M.ss. *si ista animum detrahunt.* Pincianus reposuit *distrahunt.* Modius epist. XXI. magis illud probat: possunt enim (ait) etiam sapientis animum fortasse afficere varie hae, de quibus agit, turbationes; sed sic, vt nihil pudendum in se admittat, aut vllo modo concidat, malisve succumbat.

47. Lege cum ſcriptis & impreſſis, *& modo prodeant.*

57. Modius epiſtola eadem: Nullus hic Dacis locus: quare cum in ſcripto codice ſit *Adahas*, lego: *Non Perſas, non extrema Medorum, nec ſi quid vltra Dahas bellicoſum iacet* &c. ſunt enim Dahae cum Sacis, Maſſagetis, aliis, interioris Aſiae populi, Perſis quondam tributarij; cum quibus poſtea a Magno, vt & alij multi, ſubiugati ſunt. Strabo, Curtius, & quis non? Feliciter, Modi. Puteani membranae optimae liquido *Dahas*: reliquae vel *Adhas* tranſpoſitis litteris, vel vna interiecta, *Dachas*.

LXXII. P. 138. 7. M.ſſ. *tunc iſtud in manus ſumam.* Paulo poſt v. 16. abeſt ab eis dictio *ſua*.

34. Haec lectio diſſimilis eſt reliquis editionibus & ſcriptis libris. Illae legunt, *Cui quid abſcedere non poteſt, id imperpetuum eſt*: hi, *cui aliquid abſcedere poteſt, id imperpetuum eſt*, vel *id perpetuum non eſt.* Modius epiſtola XXI. Di deaeque te, quiſquis es, qui negatiuam hnc inferſiſti primus, quae ex oratione vera alioqui, falſa concludit. quid enim magis contra eem, quàm cui aliquid abſcedere oon poteſt, id imperpetuum, hoc eſt minime perpetuum eſſe? at tu dices te legiſſe diſiunctim: *id in perpetuum eſt*, hoc eſt aeternum. vade quo dignus es, inepte, & Senecae ſuam relinque ſententiam, qui ſcripſit: *cui quid abſcedere poteſt, id imperpetuum eſt.* qua ratione inuenitur dixiſſe Tertullianus, *imbonitas, inodor*: Arnobius, *intactus*; Lucretius, *inambitioſus, indeceptus*; Ouidius Metamorphoſi & alibi, *indeſertus, incallidus*.

40. M.ſſ. tres, *& ſemper ad ſpem venturi hiat.*

LXXIII. P. 139, 17. M. ſſ. tres, *pacis beneficium ad omnes pertinentis.* vt ſupra, *repentini maris inundatio*, epiſtola LXXI.

52. Vocula *etiam* deſideratur in omnibus m.ſſ.

LXXIIII. P. 140, 8. Hoc ordine leguntur in m.ſſ. quae ſequuntur, *vnum bonum eſſe, quod honeſtum eſt? Nam qui alia b. i. in f. v. p. al. ar. ſit. Qui o. b. h. circ. intra ſe felix eſt.*

36. M.ſſ. omnes, *cum recedente.* & mox, *circa praemium rixa eſt.* *Primum* a Pinciano inductum omnes hactenus editiones occupauit. in hac demum legitimo poſſeſſori ceſſit.

41. Variant m.ſſ. Duo, *aliquos ſpes vana deluſit*, omiſſo *inuadendique.* vnus, *inuidentesque aliquos ſpes vana deluſit*: alius, *inuidentque alij quos ſpes vana deluſit.* quod poſtremum magis placet.

P. 141, 11. M.ſſ. *ſi ab optima noſtri parte ad peſſimam tranſit.*

19. M.ſſ. *vt ſi abducentur*: & poſtea, *Ipſa enim ſe felicitas, niſi temperatur, premit.* Et v. 48. *Quare ſi amicum bonum amiſi.*

53. Omittit *quoque* Pincianus, ſed noſtri m.ſſ. conſtanter referunt, *quod illos quoque bonos* &c.

56. M.ſſ. tres, *vitam iuſtiorem*, pro *virum iuſtiorem.* vnus ſimpliciter, *iuſtiorem.* Et videntur duo illa ſupplementa *virum*, & *vitam*, aliunde eſſe. Sic abſolute confeſtim, *Non facit collectio amicorum ſapientiorem.*

P. 142, 24. Expunge poſterius *eius*, membranis volentibus.

LXXV. 58. M.ſſ. *proſequatur. Sit talis* &c. aliquanto integrius.

P. 143, 11. Et noſtrae, & Modij membranae (vt ſcribit epiſt. LVIII.) referunt, *ſtatim a ſapientia praeceps eſt? Non, vt exiſtimo.*

18. M.ſſ. *iam ibi ſunt, vnde non eſt retro lapſus.*

48. E m.ſſ. lego, *Optima vt noxia carent. Expectant nos* &c.

LXXVI. P. 144. 1. Omnes ſcripti codices, *In hoc ſeneſcamus, vt iuuenes ſequamur.*

8. Recte omittitur *hoc* in Ambiano codice.

9. Brodaeus Miſcellan. lib. II. cap. XIII. Quando chorus canebat, choricis tibiis, id eſt choraulicis, artifex concinebat, in canticis autem Pythaulicis reſponſabat. Diomedes libro III. Tu corrige *Pithaulicis.* Seneca epiſtola LXXVI. *Pithaules bonus iudicatur.* Grammatici *Phyſaules*, ab inflandis tibiis, perperam caſtigant. Vopiſcus: *Choraulas centum, etiam pithaulas centum.* Gloſſographi, Pithaulas, quaſi tibiis perſundentes tibicines, indocte explicant. Nos pithaulem nuc eundem eſſe cum aſcaule, aut parum admodum differre iudicamus, Latineque vtricularium appellari. Tranquillus in Nerone Claudio, cap. LIIII. *Et choraulem & vtricularium.* Tibiam vero qua is vtitur, Pinam vocant Itali, nos Cornemuſam appellamus. Haec Brodaeus. πίθον muſicum inſtrumentum fuiſſe apparet ex Ariſtot. vlt. problemate ſect. XIX. Inde Pithaules qui cados eiuſmodi ſpiritu ad modulationem animabat. Varro, *Prius quam in orcheſtra Pithaules inflet tibias, domi ſuae ramices rumpit.*

10. M.ſſ. aliqoanto plenius, *in quo vir bonus quaeritur, in quo vir bonus diſcitur.*

12. Modius epiſtola XXI. *ipſe contemtus* habent membranae, & plus longe dicitur. Ambianus codex, *ipſe contemtor.*

17. M.ſſ. cum prioribus editionibus, *ne leui quidem opera aut paruo labore cognoſcitur.*

26. Cl. Puteanus, bono publico natus, pro *deos ſequitur*, ſufficit *dijs aequatur.* Acute, vt ſolet omnia, & Stoicorum paradoxis congruenter. Epiſtola XCII. *si cui virtus animusque in corpore praeſens, hic Deos aequat.* Epiſtola XXXI. *Par Deo ſurges.* Libro quod in ſapientem non cadat iniuria, cap. VIII. *ſapiens vicinus proximusque dijs conſiſtit, excepta mortalitate, ſimilis Deo.* Sexcenta alia ſunt in eandem ſententiam dicta. immo, qood magis omnibus inopinatum eſt, interdum ſapientem ſuum Deo praefert Seneca.

46. Brodaeus Miſcellan. lib. I. cap. X. Tutela a Latinis nominatur Dei ſignum, prorae impoſitum, naui nomen imponens. Silius,

Tutelaeque Deûm fluitant.—

Ouidius Triſtium primo,

—Et pictos verberat vnda Deos
Nauis tutelam.—

48. M.ſſ. ve-

41. M.ſſ. *velox, & non ſentiens ventum.*

P. 145, 13. Vnus e m.ſſ. *cui tam accidere niſi bonum, non poteſt. Mutationis periculum effugit. Stultitia ſapientiam eripit.* Ceteri, niſi fallor, puri ns: *cui tam acc. ne ſit bonum, non poteſt: mut. per. effugit. Stultitia ad ſapientiam eripit.* vnus *erepit.* quod probo. Idem e ſuis notauit Modius epiſt. XXI.

34. Idem ibidem: Membranae, *quàm eſt, dum merſantur in corpore.* quod haud dubie melius eſt. animae enim corpus quaſi tenebroſus & profundus quidam carcer eſt, communi omnium ſententia. At noſtrae nihil mutant.

P. 146, 3. Idem eadem epiſtola: Scriptus codex; *magnus pumilio licet*, & cetera. vnde an forte ſcribendum: *magnus pumilio non eſt, licet in monte conſtiterit.* ductus ſane litterarum tale quid ſuadet. Haec Modius. Puteani optimus, *Non magnus pumilio*; Ambianus, *Magnus non eſt pumilio* &c.

15. M.ſſ. bene, interſerta coniunctione, *denuntiaui mihi, & hominem paraui ad humana.*

18. M.ſſ. *quae putauerunt aſpera, fortius, cum aſſueuere, patiuntur.*

26. Supparа (ſcribit Turnebus Aduerſariorum lib. XXI. cap. XIX.) non tam vela fuiſſe videntur, quàm velorum quaedam ſupplementa & ſummae partes, quae ſupra ipſa vela & antemnam expandebantur: quod, vt opinor, ſurſum parabantur. Lucanus lib. V. LXXVII.

—ſummaque pandens
Suppara velorum perituras colligit auras.

Papinius V. Sil.

— vos ſummis annectite ſuppara velis.

Haec Turnebus. Schedae Feſti e *ſupparum appellant dolonem, quod eſt velum minus in naui, vt acation, maius. Supparum autem dictum ait Sinnius Capito, velut ſeparatum quod ſit, disiunctumque a dolone interioris mali.* Scripti Senecae libri habent *ſiparum.* Iſidorus: *Siparum, genus veli vnum pedem habens, quo iuuari ſolent nauigia in nauigatione, quoties vis venti langueſcit. De quo Lucanus,*

—ſummaque tendens,
Sipara velorum perituras colligit auras.

53. M.ſſ. *Alioquin tam mali exempli eſſe occidere dominum quàm prohibere.* P. Faber Semeſtr. lib. I. cap. XXIII. vbi de naturali & artificioſo verborum *non tantum, ſed &; tam, quàm,* & ſimilium ordine agit: Ceterum (ait) non modo Iuriſconſultis, verum etiam auctori grauiſſimo Senecae, id loquendi genus perfamiliare fuiſſe reperio: quod qui non animaduerterunt, Deus bone, quàm foede turpiterque lapſi ſunt, dum in emendandis, vt ipſi exiſtimarunt, aut quemadmodum ipſe iudico, deprauandis Senecae ſcriptis laborarunt. Equidem interpretis eruditiſſimi factum nec excuſare, nec ferre poſſum, qui teſtatur ſe apud Senecam horum verborum, *Alioquin tam mali exempli eſſet occidere dominum quàm prohibere*, ita ordinem immutaſſe contra probatorum & veterum codicum fidem, vt legatur in excuſis, *prohibere dominum quàm occidere.* etſi enim Senecae ſententiam interpres omnino aſſecutus eſt, illum tamen loquendi morem non percepit, & idea perperam optimi auctoris verba loco mouit, atque ve ex animi ſui ſenſu tranſpoſita ederentur curauit. Cur perperam? quia ſcilicet alibi haud infrequenter, vti diximus, ita loquitur Seneca. veluti cum ait epiſtola CXVII. *Haec nempe ſunt alimenta, quibus hic mundus adminiſtratur: aqua, terra, ſpiritus. Omnia iſta tam cauſa viuendi ſunt quàm viae mortis.* voluit dicere, Omnia iſta tam vias eſſe mortis, quàm viuendi cauſas. Subiicit enim: *Itaque quamprimum moriar. Quamprimum iſtud quod eſſe vis? quem illi diem ponis? Citius fieri quàm optas, poteſt.* & paulo ante poſuerat: *Homo demens optas rem tuam, Ita quamprimum moriar. Fortoſſe inter has voces ſenex factus es. Alioqui quid in mora eſt? nemo te tenet, euade qua viſum eſt. Elige quamlibet rerum naturae partem, qua tibi praeberi exitum iubeas.* Non eſt abſimile genus loquendi, quod ab eodem auctore vſurpatur, vbi ait epiſtola LV. *Aeque enim offendiſſe illum quàm amaſſe periculoſum fuit.* & alibi: *Aeque dignus eſt poena qui ipſe vim adhibet, vt qui ab alio admota ad lucrum ſuum vtitur*: aeque dignum eſſe poena ſignificans eum, qui admota vi vtitur, ac eum qui adhibet &c. Plura ſi deſideras exempla, ipſum conſule dicto loco.

P. 147, 1. Modij (epiſt. CXI.) & noſtrae membranae, *& calda ſubinde ſubfuſa*: & ſequenti linea, *lenis diſſolutio, non inexperta nobis*, omiſſo τῷ *animi.*

7. Vox *ſibi* non apparet in exemplaribus veteribus.

16. Editiones aliae, *Quantus te populus mortuorum ſequetur.* m.ſſ. tres, *moriturorum.*

20. Plutarchus in Apophthegmat. Lacon. narrat Spartanum hunc puerum praecipitio ſibi mortem conſciuiſſe. Παῖς Σπαρτιάτης αἰχμαλωτισθεὶς ὑπ' Ἀντιγόνου τοῦ βασιλέως, καὶ πραθείς, τὰ μὲν ἄλλα πάντα ὑπήκουε τῷ πριαμένῳ, ὅσα ᾤετο πρέπειν ἐλευθέρῳ ποιεῖν· ὡς δὲ προσέταξεν ἀμίδα κομίζειν, οὐκ ἠνέσχετο, εἰπών, Οὐ δουλεύσω. ἐνισταμένου δὲ ἐκείνου, ἀναβὰς ἐπὶ τὸν κέραμον, καὶ εἰπών, ὄνῃ τῆς ὠνῆς, ἔβαλεν ἑαυτὸν κάτω, καὶ ἐτελεύτα.

33. M.ſſ. *ſolemque, ſi poſſes, extingueres.* Lipſius epiſt. XXIII. lib. III. Concinnanda ſententia eſt, *vt tardius coenes ſolem quoque, ſi poſſes, exſtingueres.* Clarum.

34. Vocem *rerum* non exhibent antiqui libri. Deinde v. 41. legunt, *quibus fideliter & induſtrie fungor.*

P. 148, 11. Modius epiſtola CXI. Scriptus liber, *& aut legas clarius, & ſpiritum cuius iter & receptaculum laborat, exerceas: aut nauiges* & cetera. plane bene, ſi tantum pro *& aut legas, ſed aut legas* legatur. Sed de hoc ſilent noſtri. nec disiunctiua oratio locum habet. Vocis intentionem medicus ſimul imperat, & nauigationem, quae geſtationis ſpecies eſt, neque ſtudio officit. poſſis legere, poſſis dictare, poſſis loqui &c. vt eſt in epiſtola XV. LXXVIII.

31. M.ſſ. partim, *Sed incitatior*, partim *ſi incitatior*, partim *ſed ſi incitatior eſt, in alienationem ſoporemque conuertitur.* nulli habent *eo citius.*

43. M.ſſ. *Tolerabilis eſt morbi patientia, non praeſentia.*

P. 149, 17. M. ss. *cum hoc ipsum irati*. Germana Senecae lectio. sic enim (vt docet Modius epist. c x 1.) optimus Latinae linguae auctor, vel Cicerone & Caesare testibus, Terentius Eunucho sua:

Id equidem aduenien mecum stomachabar modo.

Et Phormione,

Eho an id succenses nunc illi.

vtrobique enim *id*, valet *ob id*, vt in nostro *hoc*, *ob hoc*.

LXXIX. P. 150, 5. P. Faber Semestr. lib. I. cap. XIIII. Pro *non terribile*, omnino legendum est *modo terribile*. qua voce id significat Seneca, suis etiam temporibus Scyllam respondisse fabulis, & periculosissimum fuisse nauigantibus: inde illud credo iactatum est, *incidit in Scyllam*. Sane Plinius lib. III. natural. histor. cap. VIII. in freto Siculo esse scopulum Scyllam, item Charybdim mare vorticosum, ambo clara saeuitia testatur, & Seneca ipse ad Lucilium epist. XLIIII. *Nec me Charybdis & Scylla, & fabulosum istud fretum deterrere potuisset. Transnatassem ista, non solum traiecissem, dummodo te complecti possem.* Itaque ratio castigationis eius manifesta est. Ita quidem Faber, sed libri vetusti non respondent.

6. M. ss. tres, *dignam est autem quod obserues*. Ac v. 11. scripti & editi priores, *ex hoc colligunt quidam*.

12. Modius epist. c x 1. Quisquam ne dubitabit, tantum non ex illis qui iurati semper & vbique dubitare, quin membranarum lectio prae vulgata auro contra redimenda sit, quae habet: *sed quia ignis euanuit, & minus vehemens ac largus effertur?* si quis hercule, si quis; huic ego mentis igniculos euanuisse iampridem contendo. Haec ille. nostri m. ss. assentiuntur vulgatae lectioni.

44. M. ss. tres, *iam multum operis effecti est*. & statim, *Quis oculus glorietur, quis suspicetur diem, cui sol* & cetera.

P. 151, 9. M. ss. hic manci sunt, vnos tantum ita refert, *se & Epicurum enitaisse; sed post se & Epicurum, magnam paratumque nomen habituros qui voluissent* &c.

LXXX. 30. Ordo auribus gratior in m. ss. *ingenia quàm pauci*. Mox v. 46. desit dictio *primum* in iisdem.

54. Huius versus tumor notatur a Quinctiliano cap. IIII. lib. IX. *Itaque (ait) vbi necesse est, affectamus etiam tumorem, qui spondeis atque iambis maxime continetur,*

Hyperoargus sceptra mi liquit Pelops.

Sic quidem scribitur vulgo: sed iamdudum monuit Turnebus Aduersariorum lib. XII. cap. XI. e Seneca legendum,

En impero Argis, regna mi liquit Pelops.

At Lipsius epist. v. lib. v. versus causa scribendum censet, *Imperito Argis*.

57. M. ss. *seruus quinque modios accepit*, absque verbo *est*.

LXXXI. P. 152, 41. Modius epistola c x x. Corruptum esse locum res ipsa clamat: itaque nescio qui adiecit in editione Basileensi, ista, *& pensare ab accepto*, in quibusdam libris non addi. quare putet fortasse etiam praecedentia ista, *vtique dum prope sibi est, reddere beneficium*, mutanda in *vtique dum probae fidei est, reddere beneficium*. Ego scio ista, *reddere beneficium*, ineptuli alicuius esse additamentum. neque enim aut in membranis nostris, aut in exemplari Facundi & Primitiui, quo vsus Pincianus, reperitur, non magis quàm *& pensare* quod sequitur; & in nostris rursum solis *τὸ pro re*. quibus omnibus consideratis, ita totum hunc constituendum arbitror: *Non omnes grati sciunt debere beneficium. Potest etiam imprudens, & rudis, & vnus e turba, vtique dum prope est ab accepto: ignorat autem quantum debeat. Vni sapienti notum est, quanti res quaeque taxanda sit.* Etiam vnus e multis, inquit, potest esse gratus quidem, recenti praesertim beneficio, scire autem quantum debeat non potest, quòd hoc tantum in eum cadat, qui res singulas sua aestimatione metitur. Haec Modius: & ita quidem duo manu exarati. Sed nec sic locus persanatus est. aliquid deesse innuit quod sequitur, *Nam ille de quo loquebar modo, stultus.* cuius nulla in prioribus mentio, nisi ad imprudentem & rudem referas. quòd vt non probem, in causa est copula *etiam*. cui enim copuletur, nihil praecessit. Deinde quid dicemus imprudentem posse? referre, an debere beneficium? debere posse negat Seneca, quia rem quamque taxare nesciat. Si referre, vnde hoc verbum repetemus, siquidem id m. ss. non habent? Certe quomodo me vel ex hac scriptorum codicum, vel Mureti lectione expediam, non habeo. Expecto qui opem ferat deum aliquem, velut ex machina.

P. 153, 9. M. ss. duo, *sapiens inter se omnia comparabit*.

13. Variant scripti codices; quidam, *vtrum aliquis quod dederat, sed quod praestabat, sumpserit*: vnus, *vtrum aliquis quod dederat rata, sed quod praestabat, sumpserit*: alius *seu quod praestarat*. Nescio an hic voluerit Seneca exprimere quod copiosius libro tertio de Beneficiis, capite octano, his verbis: *Hic pecuniam pro addicto dependit: sed cum illam domo protulisset. Ille dedit eandem: sed mutuam sumpsit, aut rogauit, & se obligari ingenti merito passus est. Eodem existimas loco esse illum qui beneficium ex facili largitus est: & hunc, qui accepit, vt daret?*

47. Modius epistola paulo ante citata: Manu descriptus liber Dominicanus, *Itaque ingrati esse vitemus non aliena causa quàm nostra*. qua locutione Comicus dixit: *Tacita mulier bona est quàm loquens*, & ad hoc exemplum sexcenta alia. Haec ille. Nostri stant a vulgatis.

49. Ambianus, *&, vt ita dicam, pessimum*. quo pacto legendum ratus est Pincianus. Postea v. 55. m. ss. *ac sibi ipsa commendat*.

P. 154, 22. M. ss. tres, *sic & hoc fidem populo credamus*. vnus, *sic & hoc fidei populi credamus*.

LXXXII. P. 155, 9. Lipsius epistola vigesima tertia libri tertij: Qui conuenit vt miretur, quod irridet? Lego, *quamuis iners*.

18. M. ss. in secunda persona, *& cum dicis*.

27. M.ss. *Qui cum periturus mortis moras quaereret.*

31. Modius epist. CXX. Membranae duabus dictionibus in vnam contractis legunt, vna littera leuiter immutata: *vides ipsam mortem* &c. & ita e nostris Ambianus codex.

53. Idem ibidem: In margine erat, *His obseruantibus*. vnde non difficile erat, etsi libri nulli monerent, facere, *His obuersantibus*, quod valet, *in oculos animumque incurrentibus*. Hactenus Modius. Mox m.ss. duo *offundit* exhibent pro *infudit*.

P.156,7. In omnibus m.ss. quos contuli, & Virgilij exemplaribus quae inspexi, inuenitur hoc hemistichium, *Quàm tua te fortuna sinat*, vt mirer Muretum, qui id ne quidem apud Virgilium extare in suis notis scriptum reliquit.

24. Perperam *processerunt*: m.ss. recte *promiserunt*, vidit Modius epist. CXX. notatum est in annotationibus ad Senecam rhetorem. Comprobat Sabini venustus iocus apud Senecam patrem, Suasoria II. *Ego illi ad prandium promisissem, ad coenam renuntiassem.*

26. M.ss. & ceterae editiones vno verbo auctius, *Ire commilitones illo necesse est, vnde redire non est necesse.* & statim, *circumscriptiones vestrae*, non *nostrae*.

35. Modius epist. CXVI. totum locum ex Herbipolensi scripto codice ita legit: *serpentem illam in Africa saeuam, & Romanis legionibus bello ipso terribiliorem, frustra sagittis fundisque petierunt, ne pilo quidem vulnerabilis erat* &c. vsus sagittarum & fundarum eminus, pili cominus. quodque hic libri meliores sexum mutant in serpente, alibi quoque notaui historicos, *anguis*, *serpentis*, & similium vocibus lubentius femininum genus tribuere, contra quàm poetae facere solent, apud quos frequentius masculino reperiuntur. Haec Modius. Atque posterius certum reddunt libri & exempla Senecae epistola quadragesima secunda: *Tuto serpens pestifera tractatur*. & libro primo de Clementia, *serpentes paruulae fallunt* & cet. posterius vero incertum. nullibi enim *pilo*, sed vel *Pithio*, vel *Phithio*, vel *Phytio*.

54. M.ss. tres *Progymnasias*. quod facile transit in *Progymnasiis*, vt legendum docuit Muretus.

P.157,16. Non displiceret *perperas* ex Ambiano codice, si ceteri assentirent. *Perperos* interpretatur Nonius, indoctos, stultos, rudeis & insulsos. LXXXIII.

21. De hoc deridendi genere vide iurisconsultissimum Cuiacium libri XVII. Obseruationum capite trigesimonono.

32. Optimus m.ss. cum vulgatis, *& nos intelligere volunt*. ceteri, *nolunt*. Optime (scribit Modius epistola XCVI. Nouantiq.) impostorum enim est intelligi ita velle, vt verborum ambiguitate deceptos ex eisdem refellere queant. notum olim artificium vati Delphico, & quot erant alibi vsquam tum.

42. Pinciani, & duo Puteani exemplaria, *ebrius, ex quo semel factus est, fuit*. id est (vt explicat Lipsius comment. ad VI. Annal. Taciti) post vnam illam ebrietatem (quae tam bene cesserat, & cuius pretium praefecturam ipsam habebat, vt Plinius scribit libri XIIII. nat. hist. capite vltimo, & Suetonius Tib. cap. XLII.) semper placuit ei esse ebrium.

P.158,3. M.ss. tres, *si quando hortata est hilaritas.*

8. Iidem, *illum ebrij habitum.*

24. Scripta & impressa antehac exemplaria, *sed protrahit.*

36. Lipsius Electorum I. capite decimosexto: Haec nulli rei, quae emendo, *Intolerabile erat quod ebrius fiebat: quanto intolerabilius, quod haec ipsa in ebrietate fatebat?* Praeiuit mihi vnicus liber, in quo vestigium est pessimarum vocum quas eieci. Sententia patet. Intolerabilis, in Antonio, & in Triumuiro reip. constituendae, ebrietas: quanto intolerabilior in ebrietate crudelitas? Haec Lipsius. cuius emendationem comprobant nunc tres m.ss.

57. M.ss. *inuicem hoc & illo commeandum est.* LXXXIIII.

P.159,21. Optimus codex, *nec aliena sint. Concoquamus illa.* huic attestatur Modij scripta lectio epistola CXVI. Nouant.

29. Nihil sani est in m.ss. modo *& in vtantem illa competat*, modo *& inuitatem illa conpetat*, modo *& in veritatem illa competat*, referentibus.

31. Abest dictio *sonus* a tribus m.ss.

33. Lipsius epistola IX. libri III. quaest. epistolicarum: Pax mi Seneca, quis credet? in vno conuiuio aliquo plus cantorum, quàm olim spectatorum? impudens mendacium. Recte in manus. Seneca Io. Latomi, *in commissionibus*. & intelligit commissiones ludorum. patet ex sequentibus. Quomodo hoc Pincianum fugerit, miror. Ita Lipsius. Vnus e nostris, *commessionibus*: reliqui tres clare, *commissionibus*.

P.160,9. M.ss. *imbecillissimus*. quae supremi gradus forma vsitata est. LXXXV.

11. Lipsius Electorum I. capite decimosexto: Noli dubitare quin scripserit, *velocitatem suam Ladas*. Ladae cursoris prouerbio celebrata velocitas est: & per hanc vocem vide quàm acutior sensus.

26. M.ss. duo, *habet libidinem, non insaniam*: Ambianus, *sed non insaniam*. probe.

35. M.ss. *Falsa est itaque ista mediocritas*, non *vtique*.

P.161,20. Videtur coniunctio *&* vacare. in m.ss. legitur, *induxeris, induces & multa* &c.

32. M.ss. *finis, vt puto, edendi* & cetera. Mox meliores libri v. 38. *controuersiosam pro confessa vindicare.*

50. M.ss. *inter lymphatos metus numerat*: ille scilicet qui tela fortunae non timebit, qui omnia ista humanae vitae formidines putat. Monuerat olim Pincianus, nuper Modius epist. CXVI. Tandem ergo ita emendetur.

51. M.ss. *ad quod aliquando nobis nostra sponte veniendum est.*

P.162,6. M.ss. *Falsum est, inquit, quod proponitis*. Iterum v. 33. *ipse semper in actu est, in effectu tunc maximus.* impressi *in effectum*. Sed videtur glossema ad vocem *in actu*. ideo Muretus vt alienum relegauit.

47. Pro *exterrentia*, scriptus vnus cum excusis ante annum XXCV. habet *expauefacientia*, alius *expauentia*, duo *expauescentia*;

LXXXVI. 55. M.ss. & impressi *hus enim*, exercitus scilicet habuit Cambyses. versu vltimo, scripti omnes, *aut Roma in libertate.*

P.163,3. Meliores codices, *magnitudinem animi, qua in exilium &c.* vnus, *quòd in exilium.*

19. Lipsius Elect. I. cap. XVI. Verbum verus praeferunt aliquot mei libri, *corpora nostra exsaniata.* Exsaniare, saniem tollere. Celsus de morsu rabidi canis, *sal enim exsaniat.* Indubie Seneca ita scripsit. & reuocandum in vsum probissimum verbum. Simile mendum in hac sanie, apud eundem scriptorem, epistola XCVI. *Et antiqui medici nesciebant dare cibum saepius, & vino fulcire venas cadentes: nesciebant sanguinem emittere, & diutinam aegrotationem balneo sudoribusque laxare.* Legendum *saniem emittere*, & referendum ad hunc morem in balneis sudandi. Seneca alibi, *Quid mihi cum istis calentibus stagnis? quid cum sudatoriis, in quae siccus vapor corpora exhausturus includitur?* Sanguinis missionem qui ignaram putat medicis antiquis: dignus, cui ipsi sanguis, sed e capite, mittatur. Haec Lipsius: cui duo quoque e nostris exemplaria manum dant.

Ibid. Ludouicus Caelius lection. antiq. lib. XXX. cap. XVIII. Impressi codices *epitoma* praeferunt, aut *epitonica*. Neutrum recte, siquidem vel Latinis auctoritatum tibicinibus peruincimus, *epistomia* legendum (etenim Graeca id plane claret doctrina) nam libro Architectonicae decimo Vitruuius ita scribit: *Singulis autem canalibus singula epistomia sunt inclusa, manubriis ferreis collocata: quae manibus quom torquentur, ex arca nares patefaciunt in canales.* Et infra idem Vitruuius: *Motione vero vectium vehementiore, spiritus frequens compressus epistomiorum aperturis influit.* Ex iis auctoris huius verbis, vt de Varrone taceam, manifestum (arbitror) dici epistomia qualia nunc passim tonsores habent in vasculis pensilibus capiti abluendo. Sed & instrumenta ea, quibus e vasis subinde vina educimus, cannulas simplex nominat vulgus, epistomia recte dici posse animaduerto. Haec Caelius. At Cuiacius apud Paul. recept. sentent. lib. III. emendat *epitonia*. Et ita plane scriptum habet alter Puteani codex. Notat quoque Brissonius in lib. de verb. signific. & *epitonia* legendum ait, vt in l. XVII. D. de act. empt. in cod. Florent. legitur. P. Victorius certe in cunctis manu scriptis apud Varronem lib. III. de re rust. cap. V. *epitoniis* pro vulgato *epistomiis* se inuenisse testatur. Vitruuij vero codices antiqui *epitonia* praeferunt, non *epistoma*, vt quidam monuerunt. Dicuntur vero epitonia, verticula, tum quibus chordae fidesve musicorum instrumentorum intenduntur: tum quibus ora salientium obturantur vel laxantur; prout hoc vel illo modo torquentur: ἀπὸ τοῦ ἐπιτονοῦν sic nominata.

29. M.s. vnus *res quadratoria*, ceteri *res quadrantaria*. Caelius lib. XXX. antiq. lect. cap. XIX. Legendum *res quadrantaria*; quoniam qui balneas ingrederentur, quadrantem balneatori soluerent. Id aperte significat eo versiculo Iuuenalis:

Caedere Siluano porcum, quadrante lauari.

Nec non Horatius Sat. III.

—Dum tu quadrante lauatum
Rex ibis.—

Non deerunt forsan, qui artem quadratariam ab Seneca inibi potius significatam putent, quae Iureconsultis non alia videatur quàm marmoria. Sed illepide omnino, ne dicam insulse. Hactenus Caelius.

40. M.s. vnus *siccata aqua*: quod nihil est, vestigium tamen vetustae lectionis retinet. Recte alij duo *saccata aqua*, id est colata, defaecata, atque ab arenulis purgata. Sic vinum saccatum, seu sacco castratum: vel limpidum, vel cui vires sacculo demptae. Martialis Epigrammat. libro duodecimo:

— vt liquidum potet Alauda merum,
Turbida sollicito transfundere Caecuba sacco.

Cicero secundo de finibus, *Quibus vinum defusum e pleno sit: hir siphon, vt ait Lucilius, cui nihil dempsit, nil vires sacculus abstulit.* Serenus Sammonicus de lutio:

Quod facit ex asino saccatus corporis humor.

Saccis interdum addebantur herbae bene olentes, aromata, & peregrini sapores, qui liquorem sic colatum palato commendarent, & odorem naribus gratum spirarent. Plinius libri vigesimisecundi capite decimoseptimo. Teutones quibus frequentia sunt balnea, hodie adhuc cum lauantur, serpillum, chamaemelum, & eius generis herbas suauiter fragrantes caldae, lixiuio praesertim immiscere solent. Vt saccata aqua delicati tempore Senecae non solum liquida & clara, sed etiam odorifera in caldariis vsi fuisse credantur.

52. M.ss. duo, *Quid quod idem hoc edocere suo gloriatur?* probius alij duo, *Quid quod iidem* (deest in altero *iidem*) *hoc odore tanquam suo gloriantur?*

55. Lipsius libro primo Electorum capite decimosexto: Longe diuersam (a prioribus editionibus nempe) lectionem haurio ex libris: *Quod vidi hoc dico: illud arboretum trimum aut quadrimum fastidienti fructus autumno deponere. Te quoque prot.* i. Ita mei manuss. nisi quod *arborum*; vnde ego, *arboretum*. In sequentibus prorsus lego, *An vno tempore ista ponenda sint.* & paullo ante, *reprehendere*: valde apposite ad sententiam. Ecce enim, vt libenter antiquos, sic Virgilium hic noster tangit, tamquam agrariae rei parum peritum: quoniam scripsisset milium & fabam sub idem tempus seri. Sed mehercule calumniatur, aut ludit iste Socrates. Milium ex iis quae trina tempestate anni seruntur, aestate, hieme, vere: in Italia tamen plurimum, aestate. Quam solam sationem hic Seneca agnoscit. At tu vide Plinium libri decimioctaui capite septimo, & liberabis facile Virgilium huius culpae. Hactenus Lipsius.

55. Plinius lib. XXIIII. cap. IIII. de insignibus vinearum cultoribus: *Magna fama & Vetuleno Aegialo perinde libertino fuit in Campaniae rure Linternino, maiorque etiam fauore hominum, quoniam ipsum Africani colebat exilium.*

P.164,

P.164,9. Nunc *scapo*, prius *rapo*, vt etiam m.ss. Cuiacius Obseruat. lib. XXIV. cap. V. Stirpes feruntur sursū, radices deorsum, dependentes ex arborum capite, quod & rapum dicitur, quia rapi formam habet. Seneca epist. LXXXVI. *magnarum arborum truncos cum rapo suo transtulit amputatis radicibus*. quae verba vetus glossema quod subiungitur, ita interpretatur, *relicto capite ipso, ex quo illae pependerant*. Et ita quoque capita vusū apud Catonem accipienda sunt.

14. M.s. vnus, *parum autem valet arboris antequam obruat radix*.

20. M.ss. tres, *nihil habent in se abhorridum aut triste*.

24. Pro *grandi copiae*, reposui *grandiscapiae*, nixus antiquorum codicum auctoritate, Pinciani, & Scali-geri: cuius castigationes in Festum vide. grandiscapias arbores dicit, quae grandi capite, hoc est radice, sunt.

26. M.ss. tres non repraesentant dictionem *noster*.

33. Scripti omnes *deponere*, nullus *contemnere*.

35. Modius epist. CXVI. Membranae nostrae: *quia magnum Kalendarij liber voluitur, quia tantum suburbani possidet* &c. vtrumque recte. volui solebant, non plicari nostro more libri, & hinc voluminis vocabulū. me-liusque adeo *ni agri* subauditur. LXXXVII.

P.165,5. M.ss. partim *quem tamen et r.p. fuit nasci*, partim *quem tam Reip. fuit nasci*, partim *quem tam e re p. fuit nasci*. quod laudo.

7. Scribe *tanterio* e m.ss. Festo, Varrone.

9. Lipsius elect. II. cap. I. Opportune glossematium amolior, *ni diuitibus*: ad vocem *trossulis* a benignis illis patribus parum perite adiectum.

11. Idem Saturn. serm. lib. II. cap. III. Ludit suauiter in homines inopes sui aeris, diuites alieni: qui re cū spe consumta, ad extremum deliberant gladiatores fiant an venatores. Id enim valet, *ad cultrum*. Putaui ali-quando, *ad pulpitum*, blandiente coniectura, sed vana. Nam culter proprie venatorum. Suetonius Augusto: *Lixa quadam cultro venatorio cinctus*. Martialis ad lemma *Culter Venatorius*:

Si defecta gemit grandi venabula rostro,
Hic breuis in grandem comminus ibit aprum.

31. Meliores libri, *quod propositu. nam & in grammatice*. Postea v. 52. *Deo oportet illi diuinum aliquid, caeleste* &c.

54. Praepone *Et*, ad versus complementum, e m.ss. & Virg. Georg. I.

P.166,25. M.ss. *non ideo inquam mihi vrna aurum dat*. Et v. 42. *gladius neminem occidit, occidentis telum est.* vous, *occidentis tamen telum est.*

P.167,17. M.ss. adiecto verbo, *Aliter, inquit, quàm debes* &c.

20. *ἀπορία* e Graecarum literarum vestigiis elici non potest: quae sunt ΑΝΗΥΠΑΡΞΙΑ. Dempto η, *ἀνυπαρξίαν* effeceris. Haec non male assignatur paupertati. denotat namque facultatū seu diuitiarum absentiā, aut (vt ita loquar) carentiam, opum defectum: *ἀπορία* contra nihil aliud quàm ipsam egestatem, inopiam, siue penuriam. illa igitur proposito est multo accommodatior, vt quae cum paupertate coire possit.

37. M.ss. tres, *hoc sapientiae, sublime*, &c. nam *studium* ex prioribus subintelligitur.

54. M.ss. *bonorum genera inducentem*, omisso *tria*.

P.169,40. Ambianus codex, *Fides sanctissimum humani generis bonum est*. LXXXVIII.

47. Vnus Puteani. *non magis quàm simplicitatem, quàm modestiam ac moderationem, non magis quàm frugali-tatem ac parsimoniam*, &c. Et sic legendum aduertit P. Faber comm. ad L. I, de iust. & iure.

P.170,3. M.ss. tres, *an aliquid ante tempus sit, sine tempore: cum mundo coeperit*, &c. & ita duo Pinciani co-dices emendati.

20. M.ss. duo, *mirerer, si tam* &c. vnus, *mirarer, si tam* &c.

30. Lipsius epist. IX. lib. III. Lego (ait) *totam circulatus est Graeciam*. Tangit hominem nugatorem & Agyrtam.

46. Priores editiones *& Cretici*. Brodaeus Miscell. lib. I. cap. vlt. opinabatur scribendum, *& Sceptici*. Li-psius epist. XIX lib. II. Haeremos in philosophis Creticis. aliis *Cretici* placent. at tu certum puta, *Eretrici*. Nam & hi de non scientia idem Pyrrhoniis & Megaricis senserunt. Cicero III. de Oratore: *Fuerunt etiam alia genera philosophorum qui se omnes Socraticos esse dicebant, Eretricorum, Herilliorum, Megaricorum, Pyrrhoneorum*. Priora etiā Senecae legerim, *omnia negotia vno negotio deiecit*.

P.174,40. Doctiss. Scaliger Castigat. in Tibull. male excusum ait *extendat*. scribendum *extendant*, *scilicet tela*. quae numero plurali, sunt instrumenta textoria. Sic enim Tibullus, XC.

Firmaque conductis adnectit licia telis. Alibi:
Atque aliqua assidue textrix operata Mineruam
Cantat, & applauso tela sonant latere.

P.175,53. Doctissimo Iureto videtur aptior esse lectio v.c. *Primùm rerum naturam*.

P.176,45. Verum est, *a diis recentes*. Sic libro Quare bonis viris mala accidant, cum sit prouidentia, cap. II. *Demetrij nostri haec vox est: a qua recens sum.*

P.181,38. Turnebus aduers. lib. XV. cap. XXIII. Alte cinctum antiqui vocabant strenuum, fortem, virilē, XCII. minime mollem: credo quod genus illud cincturae hominum non esset delicatorum: nam praecinctura vt fluxior & laxior in Caesare argumentum habuit mollitudinis: & discincti quoque effeminati habebantur: demissisque esse vestibus elegantiae videbatur mollioris. Seneca hoc loco. Horat. lib. I. Sat. V.

Hoc iter ignaui diuisimus, altius ac nos,
Praecinctis vnum:

id est, quod vnum esse solet strenuioribus. Iterum lib. II. Sat. VIII.

His vbi sublatis puer alte cinctus acernam
Gausape purpureo mensam pertersit:—

id est, fortis & strenuus mensam tersit.

XCIII. P.182,28. Idem lib.eodem,cap.XXII.Quod de Volusij annalibus ioculari dicebatur obscoenitate,idem de annalibus Tanusij celebratum fuisse,epist.XCIIII.refert Seneca his verbis,*Annales Tanusij scis quàm nõ decori sint,& qui vocentur.* alij Tamusium tamen scribunt,non Tanusium. Sed Tanusium agnoscunt codices Tranquilli in Iulio,cap.IX.

XCIV. P.187,18. Lipsij(El.I.cap.XXIII.)vetus,*quàm te quem lictor* &c.idem monuerat Pincianus.

P.188,13. Ceterae editiones absque altero *&,& quae illos graues* &c.

XCV. 19. Lipsius Elect.I.cap.XXVI.Scribe,*quod in diem dixeram debere,repraesentem.*reliqua sunt a mala manu. In diem debere,& Repraesentare aduersa sunt:ea metaphora a re pecuniaria Seneca lusit.

P.190,17. Ausonius ad Paulinum,epist.VII.*Scis autem,*inquit,*me id nomen mutare quod in vsu vulgi est, nec solere,nec posse dicere,cum scientissimi veterum & graeca vocabula fastidientes,Latinum in gari appellatione non habebant,sed quocunque nomine loquar,liquet iste Sociorum vocatur.*

P.193,27. Leguntur hi versus Georg.III.Vulgati codices in tertio versu habent *Primus & ire viã.*in nono,*& tremit artus*,non *fremit.*

XCVI. P.194,13. Priores editiones,*Turturillae sunt.*Lipsius Elect.I.cap.XVI. Haerere in hac voce necessum est, qui nusquam haerent.Pincianus,vir egregius & doctrina minime ventosa,legebat, *Tutilinae sunt*, allusione ad Deam priscam,cui nomen a tutando.Non conuenit.in vitium enim haec Seneca dixit, non in laudem. Aptius fortasse ego,*Turdi illi sunt.*Turdum reperio paullo supra eam aetatem hominem mollem,& infamis cuiusdam ignauiae.Quid autem,si nomen eius abiit in dictum vulgi?qualia quaedam ex ima plebe scriptor hic alias vsurpat.VerbaSenecae patris sunt libro IX.Contr.IIII.*Oppressi sunt in templo ab omni multitudine,quae postulabat vt Romam Sabinus cum Turdo proficisceretur.Erat inter infames maxime & inuisos homines Turdus. Cum Turdus promitteret iturum se,Sabinus,silentio facto,ait, Ego ad Caesarem non sum iturus cum mattea.*Ex quibus clarũ de infami mollitie huius Turdi.fortasse & tota illa cum Sabino actio causam aut principium huic adagioni dedit.Et hercle tam magis cogito,tam magis probo.Haec Lips.

XCVII. 39. Publicatae Ciceronis epistolae ad Atticum,*introductiones* exhibent pro *perductiones.*Et paulo post: *Quid vos,inquit,praesidium a nobis postulabatis?An,ne nummi vobis eriperentur,timebatis?*

C. P.199,33. Prius,*& concisura aquarum a cuniculis interfluentium.*Lipsius Elect.I.cap.XVI. Ausim legere, *concisura laquearium cubiculis interfl.*Certe manuss.fere,*cubiculis.*

34. Non immerito frustra fuit omnis Erasmi & Mureti labor in *pauperis cella.*Saluum id namque est, nec emendatione eget.Alioqnin & locus hic male haberet epist XVIII. *Non est nũc quod existimes me dicere Timoneas coenas*(sic enim legendum esse supra indicatum fuit)*& pauperum cellas,& quicquid aliud est, per quod luxuria diuitiarum taedio ludit.* Vt enim diuites(recitante Seneca in consolatione ad Heluiam) quosdam dies sumebant,cum iam illos diuitiarum taedium coeperat,quibus humi coenarent,& remoto auro argentoque fictilibus vterentur sic volnptatis causa ex atriis & cubiculis suis in vilorum capitum & seruorum cellas se conferre solebant. Distincta vt erant habitacula,ita horum nomina quoque.Hinc apud Vitruuium cap. X. lib.VI.hostiariorum cellae ad ianuas,& familiaricae circa cubicula & triclinia:in quibus domestici, vt ad vocem & nutum dominorum praesto essent.Iulius Bassus apud Senecam rhetorem lib.VII.Contr.VI.de seruo:*Ex cella migrabit in cubiculum suae dominae,vel domina ex cubiculo suo migrabit in cellam.* Demetrio Pompeij seruo *iamdudum diuitiae esse debuerant,duo vicarij,& cella laxior:*libro de tranquillitate animi,cap.VIII.Erãt & meretricibus cellulae cum titulo in fronte suspenso. Clarum hoc e Contr.II.lib.I.M.Senecae.

35. Turnebus Aduers.lib.XXVI.cap.XII.Recta domus a Seneca dicitur,quae nimio luxu corrupta non est,neque laqnearibus & marmoribus pellucet,neque eleganti tectorio aut lacunari perpolita est, sed laudabilem quandam mediocritatem ostendit.

CI. P.200,26. Lipsius comm.ad XIII.Annal.Taciti: Male substituunt *publicanos.* per *publica* intelligitur τὰ δημόσια, τελωνία.

CII. P.201,54. Idem Elect.I.cap.XVI.Emendo,*frequentius incolis,laetius tectis solum.* Haec sane opidorũ ornamenta,multitudo ciuium,amoenitas aedificiorum.

CIII. P.203,50. Idem epist.XVII.lib.IV.scribit,*quem transire non queunt.*& statim,*necessitas inigit.* qnod valet, adigit.denique,*Hac aut fame:*non,*autem.*

CVIII. P.209,18. Brodaeus Miscell.cap.XIII.lib.V.Per semiuiros, Gallos,matris deûm sacerdotes,haud obscure innuit,qui audito Phrygio tibicine,statim in furorem aguntur.id quod aliis itidem hominibus vsu non venit.Lucianus in Nigrino:ὥσπερ γὰρ οἱ τῷ Φρυγίῳ αὐλῷ ἀκούοντες, οὐ πάντες μαίνονται, ἀλλ' ὁπόσοι αὐτῶν τῇ Ῥέᾳ λαμβάνονται, οὗτοι δὲ πρὸς τὸ μέλος ὑπομιμνήσκονται τοῦ πάθους. Philostratus: οἱ πνέοντες τῇ Ῥέᾳ μαίνονται ... ὄργανον.

CX. P.214,31. Lipsius de calonibus lecticariis cap.XIX.Electorum I.

CXIII. P.217,18. Idem lib.IV.epist.XVII.restituit,*patriumque regnum.*

CXIIII. 52. Litteratorum lumen Ios. Scaliger comm.in catalect.Virg.Non solum cultum Maecenatis mollẽ & dissolutum,sed & orationem quoque τρυφερὰν fuisse annotat Seneca: vt etiam eius μυροβρεχεῖς καὶ βοστρύχους orationis cauilletur Augustus. Sed melius ex hominis oratione noueris: vt illa, *Amne siluisque ripa comantibus vide vt aluum lintribus arent, versosque vado remigant hortos.* Voluit enim dicere quod Virgilius:

Viridesque secant placido aequore siluas.

Sane non minus ambitiose hic de aqua quàm de aere apud Aristophanem ὄρνεις

ἀλίμενον αἰθέρος αὔλακα τέμνων.

Item,*Foeminae cirrocrissatas labris columbatur:incipitque suspirans,vti ceruice laxa ferantur.* Tamen *columbatim ferere basia* dixit Cn.Martius:& περιστερᾶς εἶδος φιλήματος apud Graecos. Item de domo,quae deriperetur: *Tyranni irremediabilis factio rimantur epulis,lagoenaque tentant domos,& saepe mortem exigunt.* Nam *tyranni irremediabilis*,graecissat ambitiose,τυράννου ἀνηκέστου. pro quo optimus poeta,*implacabilis*, *implacatus.* *Rimari* autem *domos lagoena*,aut *epulis* in direptione,quum milites omnia ἄνω κάτω ferunt aguntque: vt quicquid esculenti

lenti aut poculenti inuenerint, diripiant. Illud vero, *mortem exiguns*: cum etiam interficiunt, nec, vti alij, pecuniam exiguot. Item tenuitatem familiae quum describit: *Genium festo vix suo testem, tenuisque Ceresis fila, & crepacem molam. Focum mater aut vxor inuestiunt.* Magna sane hyperbole, vt Genius a tam tenui familia absit in suo festo, sine quo festum esse non potest. & farinam in molendino per fistulam manantem vocauit fila tenuis Ceteris, quod tenuis eius ductus, vt fili. Deinde *inuestire focum*, pro fouere, & calfacere, ambitiose nimis a Vesta vocauit: & melius legeretur, *inuestiant*, quàm *inuestiunt*. Hact. Scaliger.

P.218,2. Antea, *in nummo diuites fugitiui solent*. Lipsius epist. xxiii. lib. iii. Vide & ride errorem. Scripserat Seneca, *in mimo fugitiui solent*. At ij qui *nummo* legebant, vocem *diuites* addiderunt. acute, nummi enim certe diuitibus conueniunt. Nisi tamen placet, *in mimo, diuites fugitiui*. In Comoediis autem & mimis seruuli fugitiui coniecto in humeros pallio & capite velato exprimebantur. eiusque rei exempla in Plauto. Item & delicati, quos tangit Comicus Curculione, *Tum isti Graeci palliati capite operto qui ambulant*. Id faciebant, credo, vitandi solis: cum pillei vsus iis non esset.

P.219,54. Eruditissimus Scaliger *descapulatos* legit Castig. in Tibul. lib. i. CXV.

Tunc procul absitis quisquis colit arte capillos,
Effluit effuso cui toga laxa sinu.

Horatius: *Malthinus tunicis demissis ambulat.*

Ab eo descapulatos iuuenes appellauit Seneca.

P.220,18. Turnebus Aduers. lib. xxx. cap. iii. Seneca pereleganter & insigniter *obsigillare* epist. cxv. posuit pro occludere: quod quaedam occlusa etiam obsignabantur, vt reor. *Nunc enim*, inquit, *multa obsigillant, & aciem* &c. Sic in lege Maeuia, sigillare oculos, quod obsigillare valet, & occludere: Varro apud Non. *Contra lex Maenia est in pietate, ne filij patribus luci claro sigillent oculos*. Solebant autem propinqui hoc officium suis morientibus praestare. Haec Turnebus. Hodie recte e m.ss. & Nonio legitur *obstrigillant*.

P.224,11. Turnebus Aduers. lib. & cap. eisdem: Ventilare gladiatores dicuntur, cum ante pugnam suos mouent gladios, & lusoriis ictibus aerem ferientes praeludunt certamini. Martialis lib. v. epigram. xxxii. CXVII.

— & in toto ventilat arma boue.

Vide etiam Lipsium Saturnal. ii. cap. xix.

36. Magis probatur mihi priorum editionum lectio, *Non tam benignum ac liberale tempus natura nobis dedit, vt aliquid ex illo vacet perdere*. Nam similiter dicit Seneca lib. de trãquill. animi, cap. iii. *Incipiemus male dispensare tempus, quod nobis natura consumendum dedit.*

50. Turnebus ibidem, *Dare in antecessum*, est antequam & prius quàm quis debeat, dare. Centesimas propinquas ibidem Seneca vocat, quae propinquis Calendis aut Idibus soluuntur: non tertiis, aut quartis, aut quintis Calendis. itaque illae centesimae propinquae duriorem & iniquiorem habent foenoris conditionem. *Quàm*, inquit, *durus sit foenerator Caecilius, a quo minoris centesimis propinquis, nummus moueri non possit.* CXVIII.

P.226,4. Idem lib. xxvi. cap. xiiii. Ex hoc Senecae loco apparet, vt Graeci cum quid inuentum erat, dicere solebant κοινὸς ἑρμῆς: quo dicto, inuenti partem petebant: sic & Latinos dicere solitos esse, *In commune*: hinc illa loquendi formula, *In commune quaerere*: sed &, *In medium quaerere*: quae hac erit fortasse hominibus admonitiuncula notior. Eleganter eadem epistola, *sinum laxa*, est sinum vestis extende & expande, vt eum lucro compleas. Sed audiendus coram ipse Seneca est, *Sinum laxa, merum lucrum est*. Secus in Flacco sinus laxos illius esse dicitur, qui sinum non adstringit: ideoque quae in eo gerit, effluere & excidere sinit & perdit. Flaccus lib. ii. Sat. iii. CXIX.

Ferre sinu laxo, donare & ludere vidi.

Sed oblitam quibusdam locis hanc epistolam luto, tergeamus. *Vtrum haec aqua sit ex lacu*: nitidum erit & extersum. Eodem modo, *An crystallinum, an murreum*. Murreum autem, & , vt Propertius appellat, murrinum. *Inani inquit lance numeras*. hodie *inanima* legitur, oratione quadam exanimata & frigida. Lanx autem inanis dicitur, in qua nihil est, quaeque vacua est. Lego, *Qui satis habet, consequutus est*. Lego etiam, *Nunquam quod satis non est, multum est.*

P.229,34. Idem lib. xxiiii. cap. xvii. Cera fucus est & pictura, propterea quod ceris pingere antiqui solebant. Seneca hac epistola. Varro lib. iii. de re rust. cap. xvii. *Nam vt Pausias & ceteri pictores eiusdem generis loculatas magnas habent arculas, vbi discolores sunt cerae.* CXXI.

35. Idem Turnebus lib. xxvi. cap. xx. Hodie edunt, *Mirari solemus scenae peritos* &c. vbi in antiquis pro *scenae*, *satiant* reperio: ex quo *saltationis* facio. Pantomimi enim & saltatores manus gesticulatione omnia exprimunt & significant. Et lib. xxx. cap. iii. Quid ni legam *mirari solemus saltationis peritos, quod in omnem significationem rerum & affectuum parata est illorum manus*. Nec me mouet praeiudicata quorundam auctoritas, *scenae peritos*, pro inquinamento veterum librorum, in quibus vitiose exaratum est *satians peritos*, legentium.

P.230,15. Idem lib. xxvi. cap. xx. Eleganter & insigniter fruges maturatae ad aream spectare dicuntur, quòd flauae segetes demessae ad aream terendi gratia deportari soleant.

P.231,3. Idem ibidem: Lego, *officiosior meliorque si quis illum expectat, & lucem primam exuit*. edunt, *quàm si quis*, peruersissime. dicit enim eũ esse officiosiorem, qui ante lucẽ surgit, lucemque praeuenit antelucana vigilia, eam nudat & aperit videtque. CXXII.

20. Veteres editiones, *& superbam vmbram iners sagina succrescit*. Hanc orationem (scribit Turnebus loco iam citato) nemo patientibus auribus feret, sed eam accusabit, quicunque blaterantem foeda scribiligine audiet. Ego igitur sic emendandum reor, *sub vmbra iners sagina succrescit*.

32. Ibidem: Destringere, est sudorem strigilibus siccare & detergere. vt hic, & apud Plinium libr. xxxiv. cap. viii. *se destringentem*, est ἀποξυόμενος, qui strigilibus se defricat, & sudorem sordesque deterget.

36. Lipsius comm. ad III. Annal. Taciti, corrigit *expetunt*, pro *exspectant*.

45. Idem ad XVI. Annal. *Lucet? somni tempus. Quiet est?* (pro nocte, quietem dixit: atque ita locum interpretor ac distinguo) *nunc exerceamur* &c. *Iam lux propius accedit tempus est coenae*.

54. Fuit hic Pinarius Natta, Seiani cliens, accusator Cremutij Cordi. Tacitus lib. IV. Annal.

CXXIII. P. 252, 52. Turnebus lib. XXVI. cap. XX. Vbi *coena Diali* legimus, *coena Attali* reperimus dilucide planeque scriptum. P. Faber Semestr. lib. I. cap. VI. Corrupte quidam & peruerse *Attali* legunt, cum tamen sic Dialis coena dicatur, vt apud Tacitum Dialia sacra, & Flamen dialis, vt apud Apuleium dialis via, & diale fulmen. Coena autem intelligitur ea, quae ante Iouis cellam in Capitolio fiebat: eratque publica, vt ex duobus eiusdem Senecae locis epist. XCV. & XCVIII. colligitur: exque eo quod Valerius Maximus ita scribit, *Iouis epulo ipse in lectulum, Iuno & Minerua in cellas ad coenam inuitabantur: quod genus seueritatis aetas nostra diligentius in Capitolio quàm in suis domibus seruat:* & cetera quae ibi sequuntur.

P. 233, 9. Turnebus Aduers. lib. XXVI. cap. XX. Lego, *omnium paedagogia velata facie vehuntur.* sic autem vocantur pueri qui in delicijs habentur, eorumque multitudo, quorum facies ne sole fuscaretur iter facientium, operiebatur, &, vt ait, velabatur. De paedagogiis vide plura apud Lipsium comm. ad XV. Annal. Taciti.

CXXIIII. P. 234, 51. Turnebus ibidem: Bonum precario dicit, quod non plane vereque bonum est, sed quodam tanquam beneficio & indulgentia, quodam concessu & permisso.

P. 235, 37. Lipsius epist. XXIII. lib. III. legit, *quae homines cupiunt, optant.*

IN LIBRVM QVARE BONIS VIRIS MALA ACCIDANT, CVM SIT PROVIDENTIA.

P. 270, 44. Franc. Iuretus dubitat num probari possit haec lectio v. c. *tanta medicatorum vis fontium.*

56. Cur Romani *dum* interseruerint, non video. Purior mihi est lectio aliorum, *Non quid, sed quemadmodum feras, interest.* Sic paene lib. III. de ira, cap. XI. *Non quemadmodum facta sit iniuria refert, sed quemadmodum lata.*

IN LIBRVM PRIMVM DE IRA.

P. 280, 12. Priores edit. *humana fruens cupiditate.* Muretus reposuit, *feruens.* Franc. Iuretus vir eruditiss. reperit in v. c. *furens.* Ex quo etiam quae sequuntur, deprompta sunt eiusdem Iureti labore & diligentia.

21. V. c. *labra quatiuntur*, vt infra hoc lib. I. cap. XVI.

33. Priscae edit. *si ira inuasit.* v. c. *simul ira inuasit.* & desuper adscriptum erat in eodem v. c. *si, id est postquam.*

40. V. c. *ciuitatium*, pro *ciuitatum.* & mox, *sine habitatore desertas.*

45. Priores edit. *in cruces membra diffindere.* v. c. *diffundere.*

P. 281, 21. Additur in v. c. *& verborum inefficax.* Et v. 41. v. c. *genitus est.* Mox lin. 43. repone ex v. c. *illa in periculum.*

P. 282, 11. V. c. *quid enim nocet alienis vti.* v. 24. v. c. *& excussa mens.* Pincianus *concussa* ex antiqua lectione. Illa tamen scriptura stabilitur sequentibus verbis, *a qua expellitur.* v. 51. v. c. *aut cupiditas aliquid impetrauit.*

P. 283, 19. V. c. *sed si impatiens imperij rationisque est.*

35. Iuretus in sua scheda: *ob* deest recte in v. c. uam ex superioribus ociose hic repetitur.

P. 284, 2. V. c. *si calda non bene praebeatur.* recte. Sic apud Martialem:

Frigida non deerit, non deerit calda petenti.

7. Bene v. c. *praerapidus.* scilicet affectus.

23. Bene v. c. *metus ex contrario fecit audacem.* & lin. 25. *sed segnem alioquin animum.*

36. Vet. edit. *mitem & paternum animum.* v. c. *patrium.*

50. V. c. *Cuius erit tam temperatus affectus* &c.

P. 285, 37. Iuretus reponit ex v. c. *sed vanum tumorem.* optime.

P. 286, 19. V. c. *tua labra mordere.* vt supra hoc lib. I. cap. I.

58. Vel hinc maxime elucet innatum Senecae contradicendi studium. Arguit Liuianam laudandi formulam: quam tamẽ ipse in consol. ad Marciam vsurpat. *Ti. Gracchum* (ait cap. XVI.) *& Caium, quos etiam qui bonos viros negauerit, magnos fatebitur, & occisos vidit & insepultos.*

IN LIBRVM SECVNDVM DE IRA.

P. 290, 39. Omnes edit. *quae ad conspectum inimici naufragij contrahit frontẽ.* Sic quidem passim (scribit Iuretus in excerptis suis) legitur in excusis, nec memini alios hactenus obseruasse laritare hic vitium. Et tamen quisquis oculos acutos habet, videt mentem Senecae aliud quid postulare quàm vulgata verba sonant. Emendandum igitur audacter dico ex fide vetusti codicis, *ad conspectum mimici naufragij.* vbi auctor mimicum naufragium appellat fictum & adumbratum, qualia sunt quae mimi in scenis agunt. Verba haec, *mimus*, & *mimicus*, saepe corrupta fuerunt in libris veterum. qua de re prolatis exemplis iampridem egit doctissimus Pithoeus aduersar. lib. I. cap. XVII. & nos etiam diximus ad Symmachum lib. VI. epist. LXXIX.

P. 292, 26. Brodaeus Miscell. lib. II. cap. XVIII. Cum multiplicia essent Romae fora, de tribus intelligit Seneca,

Seneca, in quibus causas orarent: quorum primum, Romanum nuncupatur: secundum, Caij Caesaris: tertium, Augusti. quòd haec duo postrema ab his imperatoribus constructa essent. Martialis:

Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

P.293,15. Iureti v.c. *quicquid deterret, & trepidat.*

P.296, v.11. Vidi exemplar manuscriptum, in quo *scrinea deprehendisset epistolarum*, legebatur. Paulo post in Rom. editione locum *tū credulitas*, inuaserat *crudelitas.*

35. Brodaeus Miscell. lib. v. cap. XIII. Corrige *Smindyridem.* Aristoteles ἡ Σμινδυρίδης ὁ Συβαρίτης ... Σαρδανάπαλλον ... Σμινδυρίδην. Is porro in eorum grege primas tenet, qui nunquam orientem, neque occidentem solem vidisse memorantur.

56. In v.c. *equi iidem postsequentes alteri.*

P.297,15. Repone ex v.c. *primum nobis persuadeamus.*

33. V.c. *quam m.o.s.f. speciem friuole induerit.* Vox *iniuriae* plane deest. Forte legendum, *speciem friuoli.* Haec Iuretus.

40. De tempestiuis conuiuiis vide quae doctissime congessit Lipsius initio comm. ad XIV. Ann. Taciti.

52. *Vtrique parti dares aduocationem, dares tempus*, idem esse videtur: siquidem aduocatio tempus significat ad veritatis inquisitionem & responsionem concessum. Iterum, sed excusatius, coniunxit lib. I. de ira, cap. 49. *Ratio vtrique parti locum dat & tempus. deinde aduocationem etiam sibi petit, vt excutiendae spatium veritati habeat.*

P.298,3. Bongarsius Notis in Iustinum: Cum in libris m.ss. sit, *vt illi etiam iniuria tius sit*, nemo non doctissimo viro, Nic. Fabro assentiatur, leg. *iniuriae ius sit.* Et v. 36. v.c *quia ad coetum geniti sunt.*

52. Iuretus in Eclogis suis: Placet valde mihi lectio v.c. qui habet, *minutorum cinium securus.* idque mens auctoris postulat. Et sane vox *canum* ociosa est. nam latratus iam caninum quidpiam sonat.

P.299,37. V.c. *vt cura leniretur admonens lacessebat.*

IN LIBRVM TERTIVM DE IRA.

P.302,16. P.Faber Semestr. II. cap. XVIII. *Sine more* dixit Seneca, pro *contra morem*, vel *praeter morem.* Sic ipsum imitatus eodemque forsitan aspiciēs Tacitus XVII. Annal. *Rapta statim arma sine more & ordine militiae*, & quae sequuntur.

P.303,14. Iureto placet magis lectio v.c. *quot in fugam seruos egit, quot in mortem.*

35. Idem reponit ex v.c. *omnia intra se premens.*

P.304,13. V.c. *nullique etiam immani bestiae &c.*

18. Iuretus probat lectionem v. c. in quo est, *dicax contumelia.* nam sic ipsemet Seneca infra hoc lib. III. cap. XXII. illos qui Antigonum deridebant, dicaces appellat. *Cum hos dicaces (ait) fames domuisset &c.*

P.307,2. Recte v.c. *Periclitatur.* potentia nimirum quae multorum malo exercetur.

40. Lipsius epist. XIII. lib. I. putat leg. *porticum Euripo separat.* nam Euripi & Nili in aedificiis diuitum istorum crebri.

42. P.Faber Semestr. l. II. cap. IX. sic distinguit interpunctionibus locum hunc: *quantulum fuit, lucem expectare denique, ne senatores pop. Rom. soleatus occideret?*

51. Bene v.c. *latrocinia.* nam statim sequitur plurali numero, *animaduersiones.*

53. V.c. addit amplius, *ad hoc vigilat, ad hoc lucubrat.*

P.308,7. Hadrianus Iunius Animad. l. v. cap. III. Locū sanatū puto, si legas, *in Syria, inde Rhinocolura loci nomen est.* nisi & *Rhinocorura* cum Stephano ethnographo legere maluis. Est autem Rhinocolura siue Rhinocorura & Rhinocera, Diodoro Aegypti vrbs, Plinio etiam Palaestinae adnumerata, cuius incolae omnes trunci & mutilati naribus fuere: ex talibus nāque deducta fuit colonia ab Aethiopū rege Artisane, aut quod Seneca maluit, Persarū rege, qui mitiore poena in sontes animaduertere putans non gentem totā succidere, sed ad iniuriam superstitem viuere voluit. Euentui attestatur nominis etymon. Graeci enim ῥῖνα nasum vocant, κόλουρον quicquid mutilum est, & parte truncatum. quod si *Rhinocorura* legas, ἀπὸ τῆς τὰς ῥῖνας κουρᾶσαι siue *Rhinocera*, ἀπὸ τοῦ τὰς ῥῖνας κείρεσθαι, vtrobique a demessis truncatisque naribus, nominis rationem elicias.

37. Supra epist. LXVIII. *Quid autem loquaris? Quod homines de aliis libentissime faciunt. De te apud te male existima.*

39. Priores editiones, *& audientem paulū interesset.* Lipsius epist. XIII. lib. I. Emendo, *& audientem aulaeū interesset, quod ille.* Antigonus in tabernaculo erat: milites in excubiis, velo discreti. Scriptum neglegenter, *aulum*: inde alius *paalum.* Polybius, nisi fallor, de hac ipsa re, apud Suidam: αὐλαίαν ... τῆς αὐλαίας ὁ βασιλεὺς, ἔγνω.

P.310,18. Basileenses editiones, *semper ira tumentis?*

44. Iuretus iubet reponi verbum priscum & elegans, quod hic perperam corruptum fuit, *inter cotidiana peruigilia fessum.*

P.312,12. Idem in schedis suis: In ora quorundam excusorum additur, forte legendum *venis*, pro *naeuis.* recte. nam & ita reperi scriptum in v.c. Mox placet lectio v.c. qui habet *rimosos*, pro quo vulgo *ruinosos.*

IN LIBRVM PRIMVM DE CLEMENTIA.

P.315,28. Membranae duae, Puteani, & Modij epist. XLIX. referunt, *clementiam in procinctu habeo.* Eandem scripturam exprimit scriptus codex clariss. viri Petri Delbenij, post superiora iam excusa ad nos allatus.

Mox Puteani membranae, *quas ex situ ac tenebris.*

34. Modius ibidem ex vet. libro *suscepisti* legit pro *venerat*, & *abrasum*, pro *ereptum.*

40. Priores editiones, *nemo qui te imitari velit, exemplar extra te quaerit. Principatus tuus ad gustum exigitur.* verbis & sententia (vt docet Lipsius Elect. II. cap. IX.) corruptis. Quid enim illud in extremo, exigi ad gustũ? quod libri quoque veteres spernunt, & ingerunt plerique *ad Augustum.* Male illi ipsi. Adeo enim Seneca principatum Neronis ad Augustaeum non exigit, vt praeponat longe (nec vane prorsus, vt haec initia erãt) negetque quemquam iam de Augusto, aut Tiberij temporibus primis loqui. Sed a libris tamen iis adiuti commode legimus, *Principatus tuus ad anni gustum exigitur.* & paullo ante, *nemo quod te imitari velit.* verissime. Haec enim Senecae mens & scriptio. Age Nero, inquit, perge in hac virtutis & gloriae via quam insistis: ardua tibi certe, quia optima & maxima omnes de te sperant. Nemo iam Augustum tibi proponit, quem imitere, nemo Tiberij laudata primordia: omnes te tibi. Principatus inquam tuus, ad gustum & exemplar vnius anni illius exigitur, quem in imperio laudatissime transegisti. Haec sensit, haec scripsit: ad rem vere, & ad tempus. De re, cõstat tirocinium illud imperij tam probum fuisse, vt Traianus identidem iterare solitus, *Omnes bonos principes procul abesse a primo quinquennio Neronis.* De tempore, ecce hic liber fine libri de Clemẽtia, scripti sub primum statim Neroniani imperij annum. Haurio ex ipsis: & lego lib. I. cap. IX. *Diuus Augustus cum esset ad aetatem quod tu nunc es, duodeuicesimum egressus annum.* Nero igitur, si compari aetate cum Augusto, tunc expleuerit decimumoctauum annum. atqui imperium decimoseptimo suscepit. bene igitur & vere quod ad tempus, emendaui, de anni gustu. Haec Lipsius. Puteani membranae plane, vt haec editio, *nec quod te imitari velis exemplar* &c. deinde vero, *principatus tuus ad angustum exigitur.* prope a Lipsij coniectura.

P. 316, 1. Puteani & Delbenij membranae, *Deinde habet haec in persona* &c. Recte deinde versu 4. *quae possint laudare puniri.*

11. Lipsius epist. XIII. lib. I. Ridicula lectio, & nusquam gentium hic Seneca de manumissione. Scripserat, cum vniuersum opus partitetur, *Prima erit manuductionis.* Manuductio, χειραγωγία, εἰσαγωγή. & sic Cicero eam vocem vsus. At boni viri *manumissionis* maluerunt: qui eiusmodi emblemata plura Senecae addiderunt.

20. Modius epist. XLIX. Virtutes nonquam non cuicui etiam infimo decori gloriaeque sunt, neque vllis aut potentiae viribus, aut paupertatis contemtui subiiciuntur. quare rectam opinor lectionem scripiam: *Ita enim magnae vires decori gloriaeque sunt, si illis salutaris potentia est.* sequitur certe *Nam pestifera vis est valere ad nocendum. Illius demum magnitudo stabilis fundataque est, quem* &c. Ita Modius. Nec aliter Puteani & P. Delbenij codices. Ambo hi v. 39. *cum in primam frontem procurrunt.*

45. Modius ibidem: Illud *in ruinas*, in libro scripto nullum erat, & videtur sane ab eo profectũ, qui vim verbi *ago* non satis intelligeret. At in nostris nihil deficit.

P. 317, 8. Puteani, Delbenij, & Modij membranae, *Quid enim est memorabilius.* sed *mirabilius* quoque e vetere lectione est, teste Pinciano.

10. Puteani codex, *interpellaturus est, immo si vehementius incanduit*, &c.

14. Certe certius est, *superne despicere*, ex antiquis libris omnibus: *superne* dixit, (vt exponit Modius) tanquam ex arce aliqua virtutum & sapientiae.

19. Puteani & Delbenij codices, *verum potenti.* quod probat Modius epist. XLIX.

55. Duo illi iterum consentiunt in hac scriptura, *nullis magis curandum est.*

P. 318. Certior m. ss. duorum lectio, *Est haec summae magnitudinis seruitus, non* &c. Iidem v. 4. *quàm tibi tutum.*

45. Lipsius epist. XVII. lib. IV. Suspicor illud, *ac meo sermone medio proclames*, glossam esse ad vocem *interpelles.* Sunt enim ista ex oratione ad Cinnam. aliter, nae me tam ineptae repetitionis, ipsius Augusti causa, paenitet.

54. M. ss. duo, *cum p. r. agitur*, id est populo Romano. vt etiam sequentis paginae versu 14. *subactis p. r. ceruicibus.*

58. Modius epist. XLIX. Vox *nobilium* abest a Dominicanorum scripto codice, videturque sane aeque commode in omnibus abesse posse. Abest item a Nicotiano codice: sed adest in ceteris.

P. 319, 8. Lipsius comm. ad I. Annal. Taciti: Cedo, quis in Seneca Duillius? Falsus. scribendumq; *Dellios* siue *Dellius.* Dellius a Seneca patre dicitur, in Suasoria: *Bellissimam tamen rem Dellius dixit, quem Messalla Coruinus desultorem bellorum ciuilium vocat: quia a Dolabella ad Cassium, a Cassio deinde transiit ad Antonium, nouissime ab Antonio transfugit ad Caesarem. Hic est Dellius cuius epistolae lasciuae ad Cleopatram feruntur.* Graecis tamẽ est Dellius, Plutarcho Dionique. Item Horatio, inscriptione odes tertiae libro II. vbi temere interpretes *Gellium* sufficiunt. Plutarchus eum historias quoque scripsisse ostendit: πολλοὺς, inquit, καὶ τῶν ἄλλων φίλων οἱ Κλεοπάτρας κόλακες ἐξέβαλον, τὰς παροινίας καὶ βωμολοχίας οὐχ ὑπομένοντας· ὧν ἦν Μάρκος τε Σιλανὸς, καὶ Δέλλιος ὁ ἱστορικός. Eadem Dio, quinquagesimo libro. Haec Lipsius.

Eadem linea, v. c. Puteani & Delbenij, *& totam cohortem primam admissionis*, omissa voce *interioris.* quam Modius quoque in scripto suo deesse deprehendit: & hinc coniectura sumpta legit, *& totam cohortem primae admissionis.* forsan non vana. quamuis retractet eam, & vulgatam lectionem approbet: hac ratione ductus, quòd plures fuerint amicorum cohortes, & quasi gradus, etiam solius interioris admissionis. De glossemate certe mihi suspicionem mouet omissa dictio *interioris.* Explicandi causa forte a quodam scriptum, *primae i. interioris.* Testes quidem locupletes sunt de primis, secundis, tertiis tum amicis, tum admissionibus, de quibus vide annot. Lipsij doctissimas ad VI. Annal. at de pluribus harum cohortibus, nullus quem sciam, si hunc de quo controuersia est locum exceperis. Iudicent alij, nihil ego affirmatum volo.

9. M. ss. *iam Damnatos.* ita & Modij epist. LXIX. qui de sequentibus haec: Quod inducta voce vocari, scripsi, *Maluit enim honorem illum quàm spolium:* in eo & membranis dicto audiens fui, & Latio consului. neque enim aliter optimus quisque scriptor loquitur, & in eis nominatim Sallustius, Tacitus, Curtius. Nam ista, *Ipsum Lepidum quamdiu passus est* ita scribenda, maleque addito verbo *mori*, & negatiua, a sciolis fuisse interpolata.

polata,tum ipsa facile probabunt,tum gemina germina ea apud Terentium Phormione locutio: *Ego te cõplureis aduorsum ingenium meum menses tuli Pollicitantem* &c.Hact.Modius.

30. M.s.Puteani longe aliter.*Haec est,inquam,in maxima tempestate, magna animi temperantia , & humani generis certa securitas.non cupiditate* &c.

37. Interpunctio probior,*salus,cum reg.c.l.q.ac nep.tr.regna.Tyrannorum* &c.Videtur tamen hiare locus. m.ss.habent:*Quid enim est cum reg.cons.l.q.ac nep.tr.regna tyrannorum* &c.

53. M.ss.duo,*Nam cum inuisus sit,quia timetur:timeri vult* &c.Delbenij codex,*Nam vt inuisus sit*,&c.Cl.Puteanus dictauit mihi legendum,*Nam inuisus fit,quia timetur:timeri vult,quia inuisus est.*

P.320,6. Vetus Puteani membrana,*vt quibus ad communem* &c.

14. Eleganter eadem,*cui tam esse malo necesse est.*Sic cap.xxxi.lib.ii.de benef.*nisi & excussis manibus esse grato licet.*

P.321,33. Scribe ex eadem,*Nulla regi gloria est.*opponuntur enim nulla gloria,& maxima.

42. Delbenij,Puteani,& Nicotij membranae approbãt Pinciani lectionem,*in venatu,quid aliud quàm serpentium,abiici iub.*

54. M.ss.duo,*insignis regi forma.*Quod sequitur de inermi apum rege,inter auctores non cõstare, tradit Plinius lib.xi.cap.xvii.his verbis:*Ecce in re parua,villisque nostris annexa,cuius assidua copia est , non constat inter auctores:rex nullumne solus habeat aculeum,maiestate tantum armatus:an dederit eum quidem natura,sed vsum eius illi tantum negauerit. illud constat,imperatorem aculeo non vti.*Columella lib.ix.negat Apũ reges sine pilo,sine speculo: Basilius affirmat homilia viii.ἔστι μὲν κέντρον τῷ βασιλεῖ, ἀλλ' οὐ χρῆται τούτῳ πρὸς ἄμυναν.

P.322,8. Sincerior veteris Put.membranae lectio,*Hanc aliquis agere vitam sustinet:cum liceat innoxium,aliis ob hoc securum,salutare potentiae ius,laetis omnibus,tractare*?modo *innoxium aliis,& ob hoc* scribas.

11. Modius epist.xxi.Videtur commodius scriptum iri ex libro membranaceo scripto Dominicanorũ Wirzeburgensium,*nec in ascensum arduo calle munire*.praecipuum enim munimentum arcium in edito exstructarum difficilis ad eas,& vndique praeceps,atque angustus aditus.eoque pertinet illud , *nec latera montium abscindere*.alioquin si vulgatam lectionem sequimur,bis quodammodo idem dicet.quid enim est aliud, instruere in altum editas arces,quàm colles emunire?

36. Dictio *tali* desideratur in scriptis libris.

41. Modij eodem loco,& Nicotij membranae,*alienam de capite regnoque sententiam* &c. mox,*viuit,plurique nominis ei confert incolumis.*

P.323,52.Membranae veteres,*securi ineunt.* & v.55. *illa rationis inexperta.*Tacitus xvi. Ann. *Qui per longas prouincias lasciuiae inexperti officiis legationum,aut priuata vtilitate aduenerant.*

P.324,4. Eaedem,*& vnum occidi iubere,aut alterum* &c.

IN LIBRVM SECVNDVM DE CLEMENTIA.

P.325,12. Veteres membranae,*& bonitatem tuam cum fortuna litigantem.*

14. Eaedem cũ prioribus edit.*exigebat a te,vt scriberes.*Ita cap.ii.postea,*aliquando scribas necesse est istud.*

30. Puteani codex eandem quam Pincianus protulit,lectionem agnoscit.

P.326,30. M.ss.duo,*quia & sine animi miseria non fit.*Modius epist.xxi.ex suis membranis , *quia id sine miseria non fit.*

P.327,4. M.ss.cum Pinciano,*& quanti vulg...are litem.*

IN LIBRVM DE VITA BEATA.

P.328,40. Lipsius Elect.i.cap.xiii.Apollo fatidice,qui isti chlamydati aut coronati? Impune dixerim, eximie emẽdauimus,*Vulgus autem tam candidatos,quàm coloratos voco.*Diserta enim Senecae allusio ad vestiũ colorem:vel ipso teste,qui subiunxit,*Non enim colorem vestium aspicio.*Coloratos vocat,Pullatos:vt alibi voluptatem pallidam,virtutem puluerulentam & coloratam,id est fuscam.Vulgatam lectionem numquã erit vt expliceut omnes Quindecimuiri fatalium librorũ.Auctor huic emendationi meae Senecae locus alter, hoc eodem libro cap.xxv.*Nihilo miserior ero,si lassa ceruix mea in foeni manipulo acquiescet,si super Circense tomẽtum per suturas veteris lintei effluens incubabo.quid ergo est? malo quid mihi animi sit ostendere praetextatus & candidatus,quàm nudis scapulis.*At vulgo etiam hic ad oram notarunt,*chlamydatus*.credo,quasi emendantes.

P.330,14. Aedilitiae potestatis erat.popinis & ganea ciuibus interdicere, ac insontes vindicare , thermarum curam habere,ne quid in his flagitij committeretur,locorum quae populum receptabant , exigere munditias,vtque pro sua quisque dignitate ludos spectaret prouidere.

P.333,27. Lipsius lib.ii.Saturn.cap.ii.rescribit,*perite struitur*.quod qui fercula puerorum manibus allata commode disponerent & collocarent,Structores veteribus nominarentur.Iuuenalis:

Structorem interea,ne qua indignatio desit,
- - *Saltantem spectas.*

Petronius: *Proprium conuenientemque materiae structor imposuerat cibum.*

Ita Lipsius.Sed rectissime *feruitur* emendauit Muretus,& ita plane reperit in v.c. Franc.Iuretus.

P.334,46. Hotomannus in lib.de re nummar.notat loco *quadragies* H-S.restituendum & legendum *quadringenties* H-S.vt sit aliquod argumentum inducendae comparationis opum.

P.336,8. Arbitror omnino legendum *in vestimentis splendentibus*.innuit lectorum magnificum apparatum,& vestes ponderibus aut tormentis splendere cogentibus pressas.Epist.lxxviii.*& in vestimentis vir fortis apparet*,id est in lecto.

10. Repone,vt in prioribus editionibus,*futuras*.Romana perperam,*luturas*,

12. Lipsius Elect.1.cap.XIII. Quod ait, *praetextatus*, vide ne scribendum *pexatus*. Simile est enim illi Persiano, *— pexusque, togaque recenti.*
& lautiores homines, in candida toga & pexa. Martialis:

Pexatus pulchre rides mea Zoile trita.

20. Ita emendauit Lipsius Elect.II.cap.IX.

IN LIBRVM DE TRANQVILLITATE ANIMI.

P.343,29. Lipsius Elect.1.cap.XXVI. Nihil ambigo quin ista, *non ante multos paratus dies, nec multorum manibus ministratus*, interpretamentum sint ad ea verba paulo breuius & concinnius dicta, *quem nec parent familiae, nec spectent.*

35. Franc. Iuretus probat lectionem v.c. *alicuius paedagogij, diligentius quàm in tralatu vestita.*

45. Lipsius Elect.1.cap.XXIII. Mēdo manifesto scriptum *aureu*. Nā aureas eiusmodi virgas fuisse, nemo dixit, scripsit, pinxit. Assentiunt libris aliquot qui legunt eiecta ea voce, *aut virgis adductum*. Poterat etiā scribi littera addita, *laurea virgu:ve* neget Seneca magistratum cupiendum aut capiendum, per ambitionem & desiderio triumphi. Nam in triumpho laurus in fascibus, ac laureae virgae in manibus militū & triumphantis.

48. Iuretus in schedis suis: Melior lectio v.c. *vbi aliquid animam insulitam arietari, percussit, vbi aliquid* &c. Verba antē illa, *Ad quam*, plane superflua sunt, & sensui repugnātia: nec ad rempublicam referenda sunt, de qua paulo ante agit. nam statim subiungit Seneca, se ad otium conuertere, & intra parietes vitam coercere.

P.345,22. Lipsius Elect.1.cap.X. Haec foede interpolata sunt: in parte sanare possum, *tecta Veliae Antiique*. Duo ea loca inter amoenos & salubres secessus habita. Reliqua sanabit is cui ego do herbam.

49. Romana editio ita emendauerat, *praeter praeeuntibus assessoribus tria verba pronuntias*. sed praeter scriptorum fidem. At haec eam expressit lectionem quam e vetustissimo libro Cuiacius Obseruat. lib. XXIII. cap.XI. publicauit.

P.348.27. V.c. quo Iuretus vsus est, bene, *non potest vnquam tanta* &c.

45. Idem in schedis suis ita scribit: Expendenda videtur lectio v.c. in quo legitur, *quid habes cur minus ignoscas homini armarium, citro atque ebore captanti*. Forte ex vestigiis reponendum, *ignoscas nomen marmore, citro atque ebore* &c.

P.349,38. Bene v.c. *Si quid habere me tui voluerit.*

P.352,9. Probabilior aliarum editionum scriptura, *& in solicitudinem deducere.*

12. Lipsius Elect.1.lib.cap.X. Non semel molestus mihi locus. quid si legas, *de se & de rep. aleam iacere?* id est, prouerbiali quodam sermone, in extremum discrimen adducere. Tamen deliberandum est: & nescio quid simile in Suetonij Nerone legi, *Septemdecim natus annos, vt de Claudio palam factum est*. In eiusdem Tiberio: *Excessum Augusti non prius palam fecit*. Vtrum ergo hoc dicit, cum in suo funere palam fecisse funus reip. vna extinctae?

IN LIBRVM QVOD IN SAPIENTEM NON CADIT INIVRIA.

P.355,50. Iuretus ex v.c. legit, *seruum esse, non itis inficias & venturum*: & mox, *praestaturum.*

P.356.10. Loco horum verborum, *huiusmodi igitur sapientem*, legitur in v.c. *hoc ergo dico, sapientem.*

20. Recte v.c. *nocere et intendent.*

P.357.14. V.c. *munimenta incussu arietis*. & mox, *repente desidere.*

17. Non displicet Iureto v.c. lectio, quae ita habet, *flammas per sanguinem fugi.*

30. Lipsius antiquae. lect. lib.V.cap.VI. Emendant alij, *Patent ista hostilis vestigio*. ego puto fuisse, *Pauent ista hostile vest.* frequenti errore, *Pabene, b* pro *u*.

35. V.c. *aetatum*. recte. nam eodem exemplo in vetustis libris legimus, *hereditatium, parentium, ciuitatium* &c.

46. Additur bene in v.c. *cum vxore sua*. & post, v.c. *reuinctum cibo.*

55. Non male v.c. *vt intentata manu deiicere* &c.

P.358,16. Recte suppletur in v.c. *nedum vt ad sing. impulsus maereat.*

55. Aliae editiones, *aut certe temeritati*. v.c. *aut caecae temeritati.*

45. In schedis Iureti, rectius e v.c. *medio me lecto.*

P.360,14. Vulgo, *& petit thronum*. Lipsius Epist.XIII.lib.1. Alias, *petiit thorum*. Scribo, *lorum*. Nam seruis puniendis lora poscebantur. Plenae comoediae. Plautus Captiueis:

— Colaphe, Cordalio, Curax,
Ite istuc, atque efferte lora. L O R. *num lignatum mittimur?*

Haec Lipsius. At *corium* Mureti stat fide manuscriptorum. Adstipulatur item v.c. Iureti, qui eo refert prouerbium, *O e alieno ludis corio*, apud Erasmum chil.II.cent.II.prou.LXXXVIII.

36. V.c. *nullus adseruatur sanitoribus*. & lin. penultima, *Nasonis Ouidij generum.*

P.361,18. Lipsius Ant.lect.lib.V.cap.VI. Est qui legat, *sub fronte antli latentium*. Rectam lectionem arbitror, *sub fronte sima latentium*. id est turpiter depressa, & vt capellarum nares, iacente.

23. Idem initio commentarij ad XI. Ann. Taciti: Forte *in cognitione*, cū videlicet adsessor ei consiliariusque Asiaticus esset. Nam de concinne, vix est vt habeat fidem.

48. Priores edit. *aliquando etiam obaeratus potentibus*. v. c. *obirati*. quod propius accedit quàm simplex *irati*.

IN

IN LIBRVM DE BREVITATE VITAE.

P.364,9. V.c.*cum alio valebas*,non *aliquo*. Postea v.58.Lipsius comm.ad I.Ann.Taciti,de Iulo Antonio Triumviri filio locum interpretatur. Apparet enim(scribit)hunc Iulum arcanũ aliquod scelus (cui proximus ab adulterio gradus est)cum Iulia in Augustum concepisse:vti olim cum Cleopatra eius pater.

P.365,1. Aliae edit.*postquam iterum*,&c.Lipsius ibidem melius dicit,*postque iterum* &c.

22. *Festinatam* obtinet natiuae dictionis locum,quam v.c. exhibet,nempe *praecocem*.

48. Iuretus e v.c. *nihil ex suo tempore delibari sineret:& ideo* &c.

P.367,41. P.Faber Semestr.II.cap.xv. *Hasta praeconis*,non *praetoris*,legendum.Infamia vero lucra nominat,quas Horatius paruas mercedes,vbi de praecone coactoreque argentario: quorum vterque auctionibus & hastae operas dabant, cum ille pecunias cogeret,hic emptores & licitatores praealta voce citaret.

47. Lipsius ex parte emendauerat hunc locum Elect.II.cap.xv.Fidi(ait)& prisci libri referunt,*& in colorum paria deducit*.quos equidem audio,& interpretor diuidi greges illos & cohortes vinctorum (incredibilis enim multitudo,vtique apud illos locupletes)secerniq; per nationes ac colores solere. Puta qui Orientales & fusci,in tali villa & agro:qui a frigidiore axe & albi,in illa habeantur,& illo, vt valetudo , vt loca suadere videbantur,vt domini libido & voluntas.Hoc in aliis quoque & quidem domesticis seruis factum, idem meus Seneca me docet epistola xcvi.*Transeo*,inquit,*exoletorum agmina,per nationes coloresque descripta*. vbi a coloribus clarum vides discrimen.

P.368,14. Idem epist.xvII.lib.IV.Vox *interrogandi* ableganda,non a Seneca,sed interprete adsuta: legque,*dixisse*,*iam sedeo?*

21. Ibidem:Leg.& dist.*hic vero semiuir cui a.i.c.s.h.i.opus est,quomodo potest alicuius d.esse?*

P.371,3. Lipsius cap.vII.lib.IV.antiq.lect.Totum locum ad historiae fidem sic emendandum censeo: *hoc grauissime ferens,q.d.p.r.s.s.a.o.c.d.cibaria superfuere. Dum ille pontes nauibus iũgit,& viribus imperij illudit*,&c. Citra controuersiam enim Seneca factum illud insanum C. Caligulae in mente habuit. qui ad exemplum Xerxis inter Puteolos & Baulos pontem nauibus inaedificauit spatio III.ↀ passuum. In quo opere dum vniuersa classis occupatur,Romae capitalis paene fames coorta. Vide Xiphilinum in Caligula.

39. De hac lege,paulo aliter a Seneca patre lib.II.Contr.vltima,allegata,vide Cuiacium ad Tit.Pandect.de excusationibus,l.II.& Lipsium comm.ad I.Ann.Taciti,pag.14.

45. Lipsius Saturn.I.cap.vIII.Munera ad rogum,gladiatores sunt : rideo , qui *munia* subiiciunt. Et comm.ad III. Ann. Tac. sequentia ita legit : *At mehercule istorum funera , tamquam minimum vixerint , ad faces* &c.

IN LIBRVM DE CONSOLATIONE
AD POLYBIVM.

P.377,13. Lipsius Elect.I.cap.x.Inuoluta sententia,quam verbi correctione euoluo,*ante illum consortem pater,quàm successorem accipiat*.Britannicus,inquit,Romanum imperium diu cum patre regat:& ante illũ collegam pater accipiat,quàm successorem.Poetica adulatio.

P.379,24. Idem Elect.lib.II.cap.IX.Leui emendatione expedio viros doctos qui obhaerent. *in Albanũ suum secessit,nec foro & aduocatis,& h.a.o.a.f.leuabat mala,(proh pudor imperij!) princeps Romani* &c. Ita enim continuanda periodus tota,& negans particula subdenda saltem in locum aientis.

IN LIBRVM DE CONSOLATIONE
AD MARCIAM.

P.380,46.Iuretus ex v.c.legit,*haerent & incubant*.& statim,*tam iniquo tempore,tam inimico iudice*. & v.57. *in visum hominum*.

P.381,40. *reclinare* mauult Lipsius pro *reclinaret*,comm.ad I.Ann.Tac.

P.385,19. Lipsius Elect.I.cap.III. Excidit vox,quam repono:*dignissimum quiete,quietum semper nominans facies,mel*.Summa votorum apud manes(loquor ad morem Rom.)vt quieti essent,& ne quis se solicitaret. Eam opinionem vulgi,ad consolandam Marciã aptans Seneca:id,inquit,futurum filio tuo est,si placata tu & quieta memoriam eius & nomen conserues.In fine etiam scribo,*hilaris*:& *occurret*.

P.383,1. Pro *conferamus* , inquit Pincianus , quid si legamus *confligamus*? Ego vero,quid si,*confleamus*? Certe huius locum subit verbum *conqueramur*,cap.XXI.de consol.ad Polybium.Si *quicquam* (ait) *tristitia profecturi sumus,non recuso,quicquid lacrymarum fortunae meae superfuit,tuae affundere. Inueniam etiam nunc per hos exhaustos iam fletibus domesticis oculos quod effluat,si modo id tibi futurum bono est. Quid cessas? conqueramur*.

24. Iuretus in suis eclogis:*Paupertatem,lucrum,ambitionem*, in nonnullis editionibus extat. Pincianus autem in hunc locum notat se putare scribendum esse,*paupertatem,luctum,orbationem*. nam & vetus lectio *luctum* praefert,*non lucrum*.Sic ille.cui & assentior existimanti reponi debere *luctum*.Sed quod idẽ Pincianus pro *ambitionem*,substituit orbationem,existimo potius esse reponendum,minore veteris scripturae dispendio, *abitionem*.Festus enim Pompeius obseruat priscos auctores dixisse *abitionem*,pro *morte*. Et saepe in antiquorum monumentis *abiet* legimus,pro *morit*;quamuis in multis editionibus affinitate verborum, pro *abire*,hodie scriptum sit *obire*.

30. *Qualis initio fuit* legendum iam dudum censuerat Lipsius epist.XIX.lib.II.

45. Apud Gryphium est,*aut penes tergum*.Placet lectio v.c. *quoties aliquid ad latus,aut pone tergũ ceciderit*.

Vox prisca *pone*, male intellecta locum mutationibus dedit. Haec ex schedis Iureti.

51. Editiones superiores, *Egregium versum & dignũ audiui, est enim e populo*, &c. Lipsius Elect. I. cap. X. Publij mimographi versus est. sed corruptum de illo Senecae elogium. Et sane nimium diuersa vett. lectio, *& dignum audiui qui non e populo heri & cuius potest accidere*. Emendo, *& dignum audiui, qui non in populo periret: cuius potest accidere*. Vera coniectura, & quam non recuso exigi ad obrussam. Dolet videlicet Senecae egregium versum & ex intima philosophia, perire in theatris inter plausus & adclamationes vulgi, dignũ scholis & aure seueriori. Vide non absimilem locum eiusdem Senecae, De Tranquill. vitae, cap. XI. At Pincianus apposuerat iis verbis hanc notam: *Deprauatissimus locus, si quis in toto opere, non tantum verbis vitiatis, sed ordine etiam inuerso*. Legit deinde, *Egregium versum audi, & dignum qui non esset Publij Syri: Et cuiuis potest*. coniectura audaciori, non prorsus tamẽ spernenda. Sic ille. Aliter Iuretus: Pincianus & Lipsius varie hunc locũ emendant ex coniecturis. Ego reperi scriptum in v. c. *egregium versum & dignum qui non e populo! Cuius* &c.

P. 384, 12. Iuretus reperit in v. c. *instaur a tergo. iam disicietur iste comitatus*. Vbi animaduertendum num vetus & obsoleta vox, *disico*, locũ habere possit, quae saepe in aliis auctoribus etiam corrupta fuit. qua de re multa Lambinus ad Tullium pro Coelio ex obseruationibus Cl. Puteani: & nos etiam dicemus in editione veterum poetarum Christianorum. Haec Iuretus.

15. Idem pro *determinata*, reponit ex v. c. *denunciata*. quod elegantius est. Mox in v. c. *decondet*, pro *detrudet*.

20. Bene v. c. *inter vitam mortemque medios detinebit*. vox *medios* male in editis deest.

31. Recte Iuretus ex v. c. reponit, *quolibet fragile iactatu*. Non &c.

P. 385, 9. Editio Parisiensis, *occurrent passim tibi maiora*. Gryphius habet: *Occurrent tibi passim vbiq; maiora*. Sed v. c. vnica detracta littera eleganter restituit: *Occurrent tibi passi vbique maiora*.

21. V. c. *sed istud inter res nondum indicatas abeat*.

33. De hoc loco ita censet Iuretus: Longe aliter extat in v. c. sic enim habet, *ad Capitolinum illum redit vultum*. Et puto id melius, vt Capitolinum vultum vocet constantem, qualem habuit Puluillus dum in Capitolio aedẽ consecraret, audiretque mortẽ filij. Et sane Liuius lib. II. decadis primae non narrat Puluillum rediisse in Capitolium. antequam enim excederet Capitolio, precationem peregerat, & templum dedicarat.

39. Efficacius verbum *permonere*, ex v. c.

P. 386, 4. De velo inter mortuum & Pontificem interiecto vide comm. Lipsij ad IIII. Ann. Taciti.

17. V. c. *escendentibus*. quod verbum Senecae satis frequens est, vt Index monstrat.

25. V. c. *Gracchana vestigia*. vt *Gracchana mala*. vbi de eodem Druso loquitur, cap. VI. de breuitate vitae.

55. Iuretus in excerptis: Veteres editiones, *fretum, illam fabulosam ch. d. q. d. ab A. v. quietam*. Longe aliter est in v. c. sic enim in illo scriptũ reperi, *stratam illam fabulosam Charybdi aquam ab Austro vacatam*. nescio an ex vestigiis huiusce veteris scripturae erui haec verior possit, *stratam illam fabulosae Charybdis aquam, diu ab Austro vacantem*. vbi recte stratam aquam puto dici, quietam & placidam.

P. 387, 27. *anno*, non *annum*, legendum esse indicauit mihi N. Faber vir eruditiss. Respondent inuicem, *quotidiano cursu, & anno*.

47. Legendum, *Videbis hic*, vt paulo post. Mox v. c. *eris que et spectator*. & v. 57. idem, *decuti doles*.

P. 388, 24. Iureti v. c. *intra quos seruatur*.

P. 389, 42. Idem refert in v. c. legi, *conseruatum potuisse, vt morbos ita euadere*. Vnde placere sibi coniecturã Philippi Roberti, qui emendat, *conseruatum iri potuisse, aut morbos ita euadere*.

58. *Escendere*, est pedetentim & per gradus Imperatorem fieri. Sic explicat Lipsius comm. ad IIII. Ann. Taciti.

P. 390, 8. Idem comm. ad eundem librum: Corrupta interpunctio ab ignaris moris prisci. Scribe *proiecti. A caena deinde quasi*. Mos vulgo obtinebat vt in balneo, aut statim post balneum aliquid sumerẽt, quod vocabant Gustare & Gustum, & deinde nihilominus venirent ad legitimam caenam.

15. Priores editiones, *an mortis res perderentur*. Lipsius ibidem: Corruptum illud vulgatum: & ad Oedipum relegat nos Pincianus. In libro manuscripto legi, *proderentur*. itaque cum adseueratione emendo, *an morte res prohiberentur*. Probat ipse Seneca, statim: *Fles quod quemquam tuorum mori necesse fuit? Paene non licuit*.

22. Iureto placet lectio v. c. in quo est *obsoleti*. Sed mox in eodem v. c. additur, *iniuique fluunt*, nescio quo sensu.

P. 391, 20. Reposuit idem ex v. c. *sed tanto elatiore*.

35. Gryphius, *iuuabat vnius seculi fata componere*. In editione altera est, *Iuuat* &c. at reperi in v. c. *Iuuabat me vnius seculi facta comp.* Quae lectio valde placet. nam confert suas illas commentationes in quibus exercebatur dum viueret, cum iis quae nunc beata mens corporis impedimento soluta concipit. Fuerat autem hic pater Marciae, scriptor historiarum liberrimus, Cremutius Cordus, de quo Tacitus lib. IV. Haec Iuretus, felicissime.

IN LIBRVM DE CONSOLATIONE AD HELVIAM.

P. 393, 15. Iuretus ex v. c. legit, *Vnum habet ass. infelicitas bonum*.

32. Alias *excoriari*. In v. c. *exanari*. latere hic vitium, ait Iuretus. Forte *exsaniari*, saniem ex vulneribus exprimi. de quo verbo Lipsius supra.

55. *fortuna* recte abest a v. c. nam ex superioribus repetitur. & mox v. c. *Facile eam sustinet*.

P. 394, 5. V. c. *eum vanos & pueriles animos*. & statim, *fronti suae simile*.

19. Idem, *Aspice agedum hanc fr. cui vix vrbis immensae tecta sufficiunt*.

31. Hadr. Iunius Animad. lib. V. cap. XIII. Haec insularũ nomina exiliis nobilitata, in meliorem faciem

ita

Ita reponenda puto: *Sciathum & Siphnon, Gyarum & Corcyram pete.* nisi pro Sciatho *Cythnon* mauis legere, aut *Cyanea.* Certe Cyanon & Sciathon inter insulas a dispersione nominatas Sporadas, enumerat Plinius, at Cythnon inter Cycladas: inter quas ponitur ab omnibus & Siphnos in Creticũ mare vergens, quae & Siphniũ astragalum in prouerbij ludicrum traxit. De Gyaro indubitata res est ex omniũ scriptorũ fide. Quod vero *Corcyram* substitui pro *Gorsita,* facie lubricus facilisq; deflexus litterarũ in vocibus & sono & tractu affinibus. nã C maiusculum leui ductus momento in G deuiat, & r in t. Scit autem nõ nemo Corcyram Ionij sinus insulam esse, antea Melaenam cognominatam, de qua Plinius, & in Dionysiũ Eustathius: nisi malit quis Cosyram insulam Africi maris substituere, infoecundam illam & sterilem, vt pleraque exiliorum loca, de qua Ouidius: — *Melite sterili vicina Cosyrae.*

P.396,10. In aliis editionibus *lexissimum.* in v. c. *lautissimum.*

27. V.c. *Num dubitas, quin se ille Marcellus tantus vir* &c. *exilium saepe adh. fit?* & statim, *quid porro? hic* &c.

52. Proba lectio v.c. qui addit, *quomodo trium prouinciarum tributum.*

P.397,10. V.c. *qui illos inuocauerant.*

13. Hanc lectionem vulgauit Lipsius comm. ad 11. Ann. Taciti. Ne haereas, (ait) simillimus de Fabriciis Panegyristae locus laudatione Theodosij, *Curij, Coruncanij, Fabricij, cum induciae bella suspenderant, inter aratra vincebant: & ne virtus quiete languesceret, depositis in gremio Capitolini Iouis laureis, triumphales viri rusticabantur.* Iuretus quoque confirmatã reperit fide v.c. & sequentibus testimoniis adprobat. Iulius Obsequens de prodig. cap. LXII. *Apparuit eum hostibus portendisse victoriam, cum ad eos laurum victricem tulerit, quam in Capitolio debuerat ponere.* Suetonius in Domitiano cap. V. *De Sarmatis lauream modo Capitolino Ioui retulit.* Silius Ital. lib. XV.

— *laurumque superbam In gremio Iouis excisis deponere Poenis.*

Plinius in Panegyr. *Hanc* (de laurea agit) *Imperator Nerua in gremio Iouis locarat.*

18. In v. c. *exhorsisset.* Legit Iuretus *exhausisset,* quòd haec vox maiorem hic vim habeat.

P.399,51. Idem v.c. *ad duos fortuna redegerat.*

P.400,8. Scribitur in v.c. *nota subruit.* & v. 52. *Hoc tibi tam solenne officium.*

IN LIBRVM PRIMVM NATVRALIVM QVAESTIONVM.

P.403,17. Scriptus clarissimi viri H. Memmij liber, quem mihi doctissimus Nic. Faber conferendũ dedit, refert, *altera multo hanc supra caliginem in qua* &c. Aldina editio similiter, duabus falsẽ dictionibus in ordinem redactis, *supra hanc.*

20. Memmianus codex, *sed consecretiora.* reliquae editiones, etiã Aldina, *sed cum secretiora.*

27. Memmianus, *corpus causarum.* Nicotianus, *corpus casuarum.* Mox ambo v.33. *qui robustior est in valetudinario.* recte.

36. Vnus, *turpiter ardens.* alter, *turpiter perdens.* bene.

39. Iidem, *qui in consortium Deo veniat.* & v.42. cum Aldina editione, *non illo tantum dico* &c. *sed & illo quod* &c. respicit τῷ *auro.*

46. Optima Memmij membrana, *etiam qua extat.* & videtur ascititium *ea parte.*

47. M.ss. & Aldus ἐμφατικώτερον, *Hoc est illud punctum.*

48. P.Pithoeus antiquitatis diligentissimus reperit in v.c. *Aemus Thracas excludat.*

P.404,7. Aldina editio, *proximum terris lumen.* M.ss. *primum terris lumen.* Virgilius Georg. IV.

— *simul os terris ostendit honestum Pleias.* —

11. M.ss. & Fortunati vetusta exemplaria, *numquam resistenti.*

26. M. ss. & Fortunati codices, *prave multa formentur.*

29. Editiones quaedam, *omnia angusta esse. Sed haec deinde.* quaedã, *omnia angusta esse versus Deum.* Mẽmiana membrana, *omnia angusta esse mensus Deum* Lectio natiua. Deum mensus (ait) sciam reliqua omnia angusta esse. Sic lib. IIII. praefatione, *nec forte me, sed animo mensus, par maximis fuit.* Vel si placet, lege *mensis* dandi casu. eodem recidet sensus.

47. Eadem membr. *frictus est.* quam lectionem Fortunatus quoque probat, quòd leuis collisio tripsin ac confricationem quandam efficiat.

54. M.ss. ambo, *si terrae omnis generis,* non *terris,*

P.405,5. Aldus *sarmenta.* verius puto *ramenta,* ex v.c. Memmij.

14. Recte idem, *ibi est, vbi venti sunt.* denotatur enim locus vbi faces fiunt. Sic infra de coronis, *Quod argumentum est, intra eam partem caeli has fieri coronas, intra quam venti quoque solent.*

20. M.ss. *arbusta. Sed si minore* &c. & statim, *ad exprimendos ignes.* deinde v.26. *qui sidera circumuenit.*

28. Relatiuum *quem* vacat, ex vett. c. Mox iidem, *Quae quemadmodum fieri dicatur.*

37. M.ss. *Non est autem quod existimemus.* Et v.51. ordine magis congruo, *Non enim resistit, nec formatur.*

55. M.ss. non habent vocem *aliquam.* Mox in iis, *At hoc quidem non faciet in flumine.*

P.406,1. Memmij v.c. *& in semet ipsae euanuerint.* Expressit verba Aristotelis Meteor. III. cap. III. ὑπ' αὐτῆς τὴν ὄψιν ἀποκαμβανέσης αὐτῆς.

12. M.ss. bene, *Atque cetera sidera,* pro *quod sidera cetera.* Et ita quoque ex Aristotele legit Fortunatus.

13. Memmij v.c. *minus cedente seruatur.* quam lectionem sequentia probant.

16. Aliae editiones, *coniectum aera.* M.ss. *circumiectum.* melius, quàm vt in Romana, *conlectum.*

41. Fortunatus legit, *Qui ita existimant arcum fieri, dicunt, in ea parte.* v. c. Memmij, *Quidam ita ex. a. fieri: in ea parte* &c. qui statim v.43. *& in praeceps euntes confundi.*

48. Nicotij & Fortunati vetusti codices non habent duo haec verba, *infertis parietibus.*

53. Memmij v.c. *quibus singulae distant*, nempe solis facies.

P.407,14. Idem, *quem terrarum orbe maiorem*, omisso *toto*. Et v.21. *in contrarium mota*, pro vulgatis *contrario motu*. Sed quocunque modo scribas, peregrina videntur, & a nasuto astrologo assuta.

38. Aldina editio, *probationes quae de Platone legi possunt*. Pincianus, *quae de speculo legi possunt*. Vanc. at vere Memmij v.c. *quae de plano legi possunt*. id est faciles & cuiuis manifestae. Lib.1. de clementia, cap.v. *melius in tribunali quàm in plano conspicitur*.

39. Ea eodem scribe *ingens*. arcus enim non est igneum corpus, sed ingens. Virgibus,

— Et bibit ingens Arcus. —

43. Vulgata scriptura est a Fortunato. M.ss. ambo, *inuersi tibi videbuntur, & priores a te quàm a speculo*. nisi quod alter *ante*, omissoque *&*.

45. Fortunatus legit, *a latere discedat, propiorque nobis sit*.

P.408,8. Veteres Fortunati membranae, *illam non contrahunt*. Mox v.c. Memmij, *Arcus autem vno*.

15. Rhodiginus antiq. lect. lib. XVII. cap. VII. Commodius legi potest *Cytheriacae*, quàm *Tiberiacae*. Sed syllabae mensus nonnihil refragatur. Variatum in ea comperias Metamorph. a v.

Armigerumque Iouis, Cythereïadasque columbas.

23. In Nicotiana membrana desunt ista, *videmus ortu solis partem quandam caeli rubere*. & merito deesse videntur. quid enim aliud sonant quàm sequentia, *videmus nubes aliquando ignei coloris*? Si diuersa sunt, & plures colores indicantur, quomodo stabunt proxima verba, *quomodo hunc colorem vnum accipiunt*? Cur ortu solis caelum rubere dixit, & non etiam occasu? Commentũ nempe, vt sorex, se prodit. Notat Fortunatus quoque in vetustis codicibus deesse.

39. M.ss. ambo, *colorem illum inustum esse*. & v.45. *partis e pila secta*. vt supra, *sectae pilae pars*.

55. Locum truncatum credit Fortunatus. Nam cum (ait) Senecae verba sequentia arcum minari tempestatem indicent abrupte & imperfecte, tamquam prius facta aliqua tempestatum mentione, adducor vt credam tale aliquid superius deficere: *Arcus etiam tempestates minatur, vt ait Virgilius noster*. vel, *Arcus tempestatũ quoque minas affert*. vel sic: *Arcus pluuiarum quoque signa mittit*. vel, *Arcus & pluuiarum indicium est*, vel id genus simile aliquid. Hoc modo singula singulis consonarent, neque Virgilij testimonium absurde aduocaretur. Deinde suppostitium hoc, *cum aduentat imber*, esse videtur, cum nec Virgilij sit, nec Senecae conueniat, quippe quod sensum turbet. Vel forsitan hic nihil deest, sed verborum ordo est immutatus, legendumque hoc modo. *Et bibit ingens arcus, vt ait Virgilius noster, cum aduentat imber*. Sed adhuc dura & inepta videbitur a superiori transitio. Haec Fortunatus.

P.409,6. Nicotij v.c. cum Aldina editione, *a quo cum fatearis*. at Memmianus liber, *A quo cum tu quoque fatearis*.

12. Aldus & m.ss. *quàm ponitur*. & hi mox, *Non est ergo propria*.

23. Fortunato ex vetustis cod. melius *videri*, quàm *reddi*, videtur.

34. Memmij v.c. *Vnum hoc tantum mihi soluendum est*.

P.410,9. M.ss. ambo & Aldina editio, addita negatiua, *quas non minus pictas variasque*.

20. Nicotij codex, *& ipsae*, sc. virgae, *signa imbrium sunt*.

50. Vet. c. Memmij, *si nubes fors aliqua disposuit, vt intra se conspiciant*.

P.411,10. Apud Virgilium est, *Flammarum longos a tergo* &c. Infra vero lib. VII. *Longos a tergo flammarum albescere tractus*. Statim scribe *Hae velut stellae*, ex m.ss.

29. M.ss. cum Aldo, *ardorne sit, vel similis stellae excursus*.

39. Fortunatus legit, *sequuntur aut proprios cursus agunt*.

P.412,1. Memmij v.c. *Hostis fuit Quadra*. C.V.P. Pithoeus in vett. membranis reperit, *Hostius Quadra fuit*.

3. De hoc more vide Cuiacium lib. III. Obseruat. cap. XXVI.

6. M.ss. *mensuram & longitudinem excederet*. Postea v.13. *conscientiam premunt*. & v.18. *poterat, cum caput merserat*.

25. Memmij v.c. *adeo in quaedam lupanar quoque verecundum est*.

33. Antiqua Fortunati lectio, *Quo nequitia mea*, in nominandi casu. Vtraque (ait) bona est. Horatius,

Quo mihi fortuna est, si non conceditur vti?

37. M.ss. *& antequam videret*. Fortunatus quia verbum *videret*, suspectũ habuit, pronomen *haec* addidit.

42. M.ss. bene, *vt ad speculum barbam velleremus, aut vt faciem viri poliremus*.

50. Fortunatus probat, *consequuntur*. Et ita v.c. Memmij, *Multa ex hoc consequuntur. Primum sui noticiam, deinde ad quaedam consilium*.

P.413,9. Fortunati & Nicotij v.c. *inclyte viuerent*, pro *incondite*.

10. M.ss. nitidius, *quisque sibi, alteri inuicem operam dabat*. & statim, *sed illum sibi ipsi sine* &c.

15. V.c. omnes *non illa* praeferunt. Fortunatus hanc lectionem, vt ceteris integriorem & elegantiorem, sensuique magis conuenientem laudat: *non illa quae publice dabatur, sed imperatorum pauperum filiabus*.

16. Memmianus codex, *auro inditum*. Eandem scripturam ex v.c. obseruauit P. Pithoeus, vir nunquam satis laudatus. Nicotianus habet, *auro inclitum*.

IN LIBRVM SECVNDVM NATVRALIVM QVAESTIONVM.

P.415,55. M.ss. & Aldina editio, *tonitribus*. vt a *Quinquatrua, Quinquatribus; cornua, cornibus*. Plinius, *Noctu magis quàm interdiu sine tonitribus fulgurat*.

58. Vetusti codices Fortunati, *inter coelestia & de terrenis dicendum*.

P.416,2. M.ss. elegantius, *& in urbem partes suas cogat*.

36. Pro istis, *ex quibus, id est tam ex illo, quam ex ista, alimenta* &c. v c. Memmij habet, *ex quibus quam ex hac alimenta.* Aldus, *ex quibus, id est ex illo & ex ista.* alij, *id est illo & illa.* Apage ista. tu scribe, *ex quibus alimenta.* cetera, puerilia glossemata sunt.

37. *Quicquid est virium*, non est e Senecae moneta. probam profert optimus codex Memmij, *Hinc viritim singulis* &c.

48. Magis placet eiusdem lectio, *si in atomos inciditur.*

55. Dele particulam *enim*, ex fide membranarum.

56. Vetus Memmij membrana recte, *tubae, & quae aquarum pressura maiorem sonitum formant* &c. Intelligit Seneca organa hydraulica, quae ex numero τῶν ἐμπνευστῶν esse docet Aristocles apud Athenaeum lib. IIII. & Vitruuius lib. x. cap. XIII. Claudianus ad Manlium:

Et qui magna leui detrudens murmura tactu
Innumeras voces segetis moderatur ahenae,
Intonat erranti digito, penitusque trabali
Vecte laborantes in carmina concitat vndas.

58. Fortunatus legit *agat*, non *agant*, vt ad spiritum referatur: *Paruula* autem initium sit sequentis coli.

P. 417, 2. Membrana Memmij, *saxa deturbent, & monimenta dissoluant. scopulos interim rupesque, rad. m. ac t. findunt.* & statim, *contra quam nihil validum est.*

19. Scribe, *Quid autem est*, ex m. ss. & Aldina editione. Paulo post *plures* deest in altero m. sc. Et videtur potius cum nomine *vrbes* copulandum, vt in Aldina.

48. M. ss. & Fortunatus, *id duplicato calore.* Seneca infra lib. IIII. cap. VIII. *Radij solis a terra resiliunt, & in se recurrunt. horum duplicatio proxima quaeque a terris calefacit.*

52. M. ss. *Hae tot partes.* Fortunatus, *etiamnum tot partes.* Et linea sequenti, v. c. Memmij, *quoniam quidem sterile frigus est.*

P. 418, 10. Idem codex, *Conuenit de illis.* postea v. 16. scribe, *destillare.*

21. Sincerior lectio e m. ss. colligitur, *origo est, cum coaceruatus est, coitu nubium vehementer a latere eliditur.*

26. Vetus Memmij membrana, *ob dissimilitudinem nubium. Quare aliae maiorem sinum habent, aliae minorem.* verissime, si ex altero m. sc. *quia* pro *quare* adsciueris. Fides sit Aristoteli, e cuius meteoris haec sunt translata. πολυειδεῖς δ' οἱ ψόφοι, διὰ τὴν ἀνωμαλίαν τε γίνονται τῶν νεφῶν, καὶ διὰ τὰ μεταξὺ κοιλίας, ᾗ τὸ συνεχὲς ἀπολείπει τῆς πυκνότητος. Et Seneca postea cap. XV. *densos compactosque nubium sinus dissipat.*

39. Eadem membrana, *Fateor. Non eunt tamen, sed feruntur.* nullus enim hic fato locus est.

44. Locus male habitus ab interpolatoribus, nec minus male habens doctos viros. in Memmiano codice ita reperi scriptum, *ad se trahere ignem ex superioribus locis ardore, & sic accendi.* Consentit vetus lectio Fortunati, nisi quod *ardere* aut *sic accendi* refert. Est deinde in Memmiano, *in ea quae subiacent, transilire. Non enim* &c. Mox suspecta sunt quae sequuntur, *quod non potest fieri.* longe abfuit auctor noster a tautologia. atqui modo dixerat, *quod natura non patitur.* Erasmo quoque hoc, *ex locis superioribus*, ab interprete adiectum videtur. cuius coniecturae accedo, & addo ad vocem *aethere* adscriptum fuisse: pro qua perperam *ardore* irrepsit. Recisis itaque interpretamentis sic legendum arbitror: *ad se trahere ignem ex aethere, & sic accendi. sed plurimum* &c. *calorem in ea quae subiacent, transilire. non enim illinc ignis cadit, sed hic nascitur.*

52. M. ss. *non fit statim in diuersum ex diuerso transitus. Paulatim ista in confinio* &c.

P. 419, 5. M. ss. *spiritum eijciunt* &c. *& tormenti modo emittunt.* Fortunatus scribit in vetustis exemplaribus suis non esse ista verba, *emittunt, & hoc ipso inflammant, & tormenti modo:* succinctiorem & elegantiorem lectionem antiquissimae fidei codicum, *Nubium inter se compressarum angustiae medium spiritum eijciunt.* vel sic: *tormenti modo eijciunt.*

9. M. ss. *luctatur per ob. & intercisa vadere.*

11. Fortunatus legit, *per aera percussum & scissum spiritus prosilit.* Memmiana membrana, *per crassum & scissum aera sp.* Nicotiana, *per quassum aera spir.*

13. Breuius m. ss. *quia spiritus infirmior, in flammam non valuit.*

16. Scriptus codex, *Anaxandros ait.* Puto scribendum *Anaxagoras.* huic enim attribuitur ista opinio cap. XIII. & a Plutarcho lib. III. cap. III. de placitis philosoph. Statim scribe *descendat.*

25. M. ss. vnus, *dum secata in terra incendet*: alter, *dum secata infra incendet.* Fortunati vetus lectio, *dum secta infra incendit.* Locus est ab omnibus depositus.

39. M. ss. diuerso ordine, *Fulguratio est paene fulmen. Vertamus istud. Fulmen est plus quiddam quàm fulguratio.*

41. *Percusso* recens glossema est. nam neque in m. ss. neque in Aldina editione apparet.

48. *Exanimata* deest in vno m. s. vt & particula *tantum.* Et sane ista sibi non constant.

55. Fortunatus loco verbi *coniectus* aliud desiderat. in m. s. est *protectus.*

P. 420, 22. Bene m. s. Memmij, *quatenus ardor infernus iacentis super vndae pondus euicerat. iacentis super*, idem est, ac si scripsisset, *superiacentis vndae*, hoc est *maris superfusi*, vt postea loquitur. In eodem mox, *antequam verrentur.* Vna littera transposita lege *vrerentur.* Reddit enim causam, cur rupes quaedam illaesae fuerint.

29. Idem, *direptis aquis.* quae scriptura pro Pinciani emendatione facit.

36. M. s. cum Aldina editione, *nubes summae. Sudae* est a coniectura Pinciani.

42. M. s. *Aliud genus acre acerbum, quod acerbum mage dixerim* &c. Fortunatus annotat: Legunt aliqui, *quod crepitum mage dixerim quàm sonum.* Sed nescio an aliquod genus tonitrui satis apte crepitus, vel sonus dici possit. Ego ex vetustis codicibus scribendum censeo, vt sensus constet: *Aliud genus est acre & acerbum. quod Acerbum magis dixerim quàm sonorum.* Ita ille.

55. M. s. & ceterae editiones, *Etiam nunc mons non scindit nubem, sed digerit.* Fortunati vetus lectio loco verbi *scindit*, habet *confundit.*

58. Eadem, *nisi magno impetu dissolutae.* forte melius.

P. 421,1. Memmij v.c. *resonant. Adijce nunc, quod nubes in montem actae* &c. Mox, *non crepat.*

9. Mauult Fortunatus *concaua* legere, vt *cymbala* referat. In v.c. scribitur, *haec & ipsa aera non nisi cauo tinniunt.*

22. Vetus membrana *conferunt*. quod aptius est quàm *conferunt.*

29. Fortunatus & Pincianus volunt *assulae* pro *hastulae* legi. Sed nomen, non rem mutant. vtraque enim vox festucas & Graecis κάρφη dicta significat. in v.c. scribitur *abstulae*. quod conuenit Isidori etymologiae. *Hastula* (ait lib. XVII. cap. VI.) *a tollendo nuncupata, quasi abstula. Fomes est hastula quae ab arboribus excutitur, recisione aut hastulae ambustae, aut ligna cauata, a fungis nomine accepto, quod ita capias ignem.*

58. *Mundo* abest a m.s. & recte. nam Vniuersum nihil aliud quàm mundus est.

P. 422,1. Fortunatus haec notat: Ita omnino & vetusti codices, & omnia, quae quidem ego viderim, exemplaria. Antiquum itaque, & inueteratum hoc vulnus esse euidens est, nec quomodo curari debeat video. Mens quidem auctoris, & sententia, quasi per nebulam talis fere videtur. Sicut aueis paucissimas in auspiciis esse obseruatas, quamuis nulla sine praesagio esset, ita in genituris pauca admodum sydera, & adeo quinque tantum errantia notata esse, cum nulla ex tot milibus stellarum mundo infixarum non aliquod ius dominiumque in horoscopis habeat. Vnde videri saepe horum siderum in artem natalium redactorum, & distributorum vanam fallacemque obseruationem, ac raros effectus esse. quia scilicet horum vis & potestas superiorum occursu impediatur. Proinde si quis hoc loco sic legat, *Vnde illud aspice, etiam distributa effectus raros*: vel sic, *Vnde aspicimus ex distributis res effectu raras*: vel, *Aliud aspice, & ex distributis res effectu raras* diuinator quidem, sed nescio an etiam castigator dici poterit. Haec Fortunatus. P. Faber lib. II. Semestr. cap. XVI. reponit, *& distributis rem officijs tracta.*

13. M.s. *augurij indicia*. Fortunati codices, *extorum auguriorumque indicia.*

56. Vetus lectio, *fulgurum*, non *fulminum*. atque non aliter in Hetruscorum obseruationibus fulmina ipsa appellantur, quamuis paulo infra & Seneca fulmina dicat, sed capite XLIX. *Nunc nomina fulgurum quae a Caecinna ponuntur, aperte stringam.* Haec Fortunatus.

P. 423,8. Idem ex vetere lectione, *Suadetur deliberantibus, vltrones monentur.* vt alibi, *Quid interest*, inquit, *ad mortem iussi eamus, an vltronei.*

29. Haec omnia ab *hoc fulmen*, vsque ad *noceat*, peregrina & aduenticia censet Fortunatus, adscripta ab Ignaro librario. Sunt enim (ait) superuacanea, inepta, abhorrentiaque ab alijs, atque sine dubio scholia illius quod sequitur, *Quae prodest quidem, sed non impune.* Praeterea hic incongrue & contra Grammaticam legem verbum *quae* poneretur, si superius *Hoc fulmen* dixisset. Nullum itaque dubium relinquitur, quin expungenda sint. Ita ille.

58. M.s. *quaedam stringi debere*, non *frangi.*

P. 424,6. M.s. *vt inoffensus exeat*: Fortunati codices, *inconfusus.*

12. Vetus Memmij membrana affirmatiue, *fulmina mitti a Ioue.*

31. Eadem, & Aldus, *Nunc nomina fulgurum, quae* &c.

31. Festus *Postularia* nominat. Mox pro *depiecanea*, in v.c. est *dentanea*. Vnde Fortunatus mauult legere *demptanea*, a demendo. haec enim fulmina videntur quidem afferre periculum, sed non afferunt, quin potius adimunt, si quid periculi aliunde immineret. legunt aliqui *Ventanea*. sed cur ita legi debeat, non video. Haec ille.

44. Fortunati v.c. *qui Hetruscam disciplinam Graeca vtiliter miscuerat.*

53. Fortunato haec verba, *tanquam, verum eodem anno idem futurum sit fulmen quod factum est*, quia multum abhorrere a ceteris, & a toto sensu aliena esse videantur, suspecta sunt.

P. 425,9. Vetus membrana, *interiores libros in parte interioris rumpit.* Interpretis videntur esse haec *in parte interioris*, vel vt in excusis, *interioris arboris*. Satis erat Senecae dixisse *interiores libros.*

23. Eadem, *id includi se non fert*, absque voce *nubibus.*

34. Fortunatus legit, *qui e spiritu nascitur.*

P. 426,4. Fortunati vetusti codices, *continuatur assiduis ignibus.*

7. M.s. recte, *modo ante dissoluitur*, quàm scilicet ad terram perueniat.

24. M.s. *talia varia fortitudine disponit*. Forte, *Alia varie fortuna disponit.*

29. Fortunatus scribendum censet, *Cogitemus nos tanquam ad mortem proditos esse.*

31. Cl. V. Puteanus legit, *quem vsque cogitas esse, cito* &c.

57. M.s. *passurus. quorum enim causa, sors eadem est.*

IN LIBRVM TERTIVM NATVRALIVM QVAESTIONVM.

P. 427,58. Memmij v.c. *saltem in ipso fugae respiciat*. Fortunati veteres, *saltem in ipso fugae impetu respiciat*, & forte melius.

P. 428,27. Fortunati & Memmij v.c. *fractisque rebus*. Et v. 18. M.ss. *ducem promittens, exercitum petens.*

28. M.s. *Inueniri non potest*, &c. Fortunatus in suis notis: Ita omnia & vetera exemplaria & vulgata. sed vacillant & fluctuant haec omnia, nullo certo sensu, aut verborum exitu. Quare arbitror aliquid erroris subesse, nec audeo quicquam mutare in tanto codicum consensu. Sensum quidem auctoris hunc esse coniecto. Innumera regna, imperiaque & prioribus saeculis fracta esse, & nunc a maximo Deo, vel, & nunc maxime (vt notet sua aetate maxime incerta ac mutabilia regna & imperia fuisse) a Deo alia prouehi, alia deprimi &c. Ad hunc sensum forsitan sic erit lectio restituenda: *Inueniri non potest numerus quàm multa & alijs temporibus fracta sint, & nunc maxime Deus alia exaltat*, &c. Vel sic, *Quàm multa alijs temporibus fracta sint, nunc enim maxime*. Vel sic potius, vt nihil addas, *Quàm multa & alias fracta sint, cum nunc maxime Deus alia exaltat.*

Vel si

Vel si priorem omnino lectionem, nihil inuertendo custodire volumus, & fidei antiquorum exemplarium rationem habere, quod magis placet, tunc illa verba quae mox sequuntur, *Magna ista, quia parui sumus, credimus*, a superiori sensu non separabimus. Quid si legeretur? *Inueniri non potest numerus quàm multa alijs atque alijs modis fracta sint.* Seneca in Epistolis, *Omnes*, inquit, *quae vsquam rerum potiuntur vrbes, quaeque alienorum imperiorum magna sunt decora, vbi fuerunt, aliquando quaeretur, & vario exitij genere tollentur. alias destruent bella, alias desidia paxque ad inertiam versa consument, & magnis opibus exitiosa res luxus.* Tam varias lectiones posse contemni, vel etiam rideri, praeclare video. Nos tamen in iuuandis auctorum locis deprauatis, vt in veteri morbo, quaelibet mutationum auxilia tentare non inutile, neque ineptum ducimus, quando verum absque ambitione quaerendum est. Haec Fortunatus.

37. Huius item ac Memmij codices, *a diuinorum conuersatione.*

43. Vetus lectio (scribit Fortunatus) melior rectiorque, *sed vtrinque intrepidus & inconfusus.* quam & mox sequentia verba confirmant: *Nec illius tumultu*, inquit, *nec huius fulgore perculsus.* Et mox, Purior (ait) est antiqua lectio, *Quod vt ad te transeat, aliquis possit amittere.* illa enim duo verba, *dare aliquis*, otiosa sunt.

50. Superiores editiones, *in primis liberum animum habere.* sed hoc est ex censura Fortunati. membranae nobiscum faciunt.

51. In vetere codice recte deest vox *seruitus*, inepte repetita.

P. 429,8. Fortunatus: *Iunior* non ad aetatem hic refertur, sed est nomen ipsius Lucilij gentilitium. vocabatur enim ita Lucilius Iunior, sicut Plinius Secundus. Hunc Seneca aliquando Lucilium, aliquando Iuniorem appellat. vt infra in praefatione Quarti, *Ita est mi Iunior, quo apertior est adulatio*, &c.

18. M.ss. duo, *Aut stant omnes aquae, aut eunt.* Et statim, *salsae amaraeque, aut med.*

28. Memmij v.c. *circumiecti quidquid fudit fluuia deriuant.* Non dubito legere, *in quem montes circumiecti quicquid fudit pluuia deriuant.* Pluuialis enim aqua hibernos torrentes facit & fouet quos defluere dicit. Quae deinde sequuntur, ita concipiuntur in v.c. *sed magnae in ipso latentesque velut venae vndae sunt.*

30. Fortunatus legit *seruat*, & refert ad Fucinum. Sed & *seruant* bene stat, si vndas subintelligas.

50. Aliae editiones, *effertur.* Fortunati codices, *transfertur.*

P. 430,10. Quis vnquam philosophorum vmbrae causam ab aeris mutatione repetiuit? & tamen hactenus conniuentibus oculis istas ineptias in Seneca tulimus. Corrigamus ergo, & legamus in posterum, *mutatio aeris imbrem facit*: & abiiciamus sequens verbum *agit*. hanc lectionem scripta membrana ratã esse iubet.

17. M.ss. *Quare ergo non e terra fiat aqua? quae* &c. optime. cetera contra Senecam sunt. nam ea aqua terram fieri paulo post pro confesso sumit.

21. M.ss. non recipiunt alterum *rursus*, quod est ante *miraris*. nec agnoscit Fortunatus: qui mox scribit, *quod praesto sit illu* &c.

36. M.ss. & priores editiones, *interscindit cursum aquis.* vetus lectio Fortunati, *interscindit viam aquis.*

39. Bene Fortunatus & m.ss. *faciant. Hoc accidisse ait Theophrastus.*

40. Nicotij codex, *Sic vt alias quoque casus interuenisse opinatur, qui aliter vocent.* corrupte: at probius Memmij membrana, *Sunt qui alias quoque causas interuenisse opinantur, quae aliter vocant aquas, aut cursu suo* &c. Vulgata lectio est ex v.c. Fortunati.

48. Nicotij v.c. *accipitur*, Memmij *concipitur.*

50. Idem hic, *fontes & riuos substitisse.* Scribo *riuos*, Ita enim, non *lacus*, legi, magis congruit cum eadem historia a Plinio cap. CIII. lib. XXXI. natur. hist. relata: *Proditur certe in Creta expugnato oppido, quod vocabatur Arcadia, cessasse fontes amnesque, qui in eo situ multi erant.* Mox idem v.c. *contrita tellus.*

57. Idem, *labentem. Quem non faciunt imbres, sed incitant.*

P. 431,1. Scribe ex m.ss. *quod quaeras.* Mox, veteres editiones & codices nonnulli scripti, *Sed si in rerum natura elementa sunt quattuor.*

25. M.ss. & aliae editiones, *quibus impletur atque aestuat.* Et v.33. Fortunati & Nicotij vett. c. *ac paulo pigrioris.*

36. Fortunatus suspicatur legendum, *Hinc est omne metallorum genus.* quòd verbum *humus*, suspectum sit.

37. Memmij v.c. *in quaedam vero terra humorque putrescunt, sic vt bitumen.*

45. M.ss. *aqua deficit.* Fortunatus in suis reperit vt vulgo legitur. Mox v. 56. Vox *suo* non comparet in m.ss.

P. 432,7. Fortunati v.c. *incanduit* pro *incaluit.* Et v.13. *pigroque*, pro *pinguique.* Et v.19. *hoc miraris me addere.*

25. Memmij v.c. *natare in garo. nec coenae causa occidisse super coenam.*

28. Idem, *animae afficiens.* at Fortunati vetus lectio sincerior, *animam efflanti.*

32. Memmij codex optime, *Quo coctum piscem, quo exanimem? in ipso ferculo exspiret.* linea proxima non habet *piscem*. Fortunatus ex v.c. hanc lectionem profert, *vt nollent, nisi eodem die captum piscem comesse.* Ita quoque Nicotij liber, nisi quod *comedere* scribit.

35. Vetus Fortunati lectio, *Is pro pudor iam piscis affertur.* vnde ipse legendum arbitratur, *Is, pro pudor, iam pro putrido piscis affertur, qui non hodie eductus, hodie occisus est.* Diuersa est scriptura Memmianae membranae, *Iam pro putrido his est piscis occisus. Hodie eductus est. Nescio* &c.

39. Fortunatus legit ex coniectura, *Quantum ad sollertiam luxuriae pretij accedit.* &c. vel, *Quanto ad sollertiam luxuriae plures accedunt, tanto subtilius* &c. diuites enim, quibus molestae erant pecuniae, cum viderent magnam turbam ad luxuriam accedere, seque in numerum & in turbam deduci, subtilius quotidie aliquid, ingeniosiusque ad luxuriam excogitabant, quo alios superarent, seque numero eximerent. Vel potius legendũ, *Quanto ad sollertiã luxuriae plures eunt, tanto subtilius* &c. Haec ille. Sed nostra scriptura nititur fide v.c.

52. Fortunati vetus lectio *occuli*, non *occultis*. hoc est occultari & abscondi.

53. *Aspici* non est in optimo Memmij codice. Irrepsit ex glossemate.

P. 433,3. M.ss. duo, *donec aliquo sinu terrae deuorentur.* & confestim, *hanc aquam magnis* &c.

9. Iidem, *Hac medicatam potentiam.* Alter iterum v.15. *Medicatum est.*

26. Memmij v.c. *aut furorem monet.* Fortunati & Nicotij, *aut in furorem monet.*

27. Veteres codices, *Hoc habet mali Lynceius amnis.* Et notauit Fortunatus, antiquos codices Ouidianos esse, in quibus *Lyncetus* legatur in hoc versu Metamorph. XV.

Huic fluit effectu dispar Lyncestius amnis.

41. Memmij v.c. *Post illum ex posterioribus celestes quas nubila excutiunt.* Fortunati, *Post illam sunt coelestes, ex posterioribus, quas nubila eijciunt.* Sed huc intrusum est illud *ex posterioribus*, seu quod impressi habent, *ex superioribus.*

P. 434,13. Omnes prisci libri legunt *ad Peneion.* Et Plinio quoque natur. hist. cap. CIII. lib. II. teste, Peneius amnis nigras facit oues. Vt aliud egisse videatur Muretus, cum contra codicum fidem ex Plinij lib. XXXI. cap. II. Ceronem fontem pro Peneio amne suffecit.

54. Memmij vetus membrana, *amnus resistit.*

P. 435,7. Fortunatus notat in Ouidianis & vetustis Senecae codicibus *orbe* legi, non *ore*: magis tamen hoc placere quàm illud. Versu sequenti praefert *tacito*, Ouidiano *secto.* Mox Ouidiani codices habent *in agris*, non *in vndis.*

10. Memmij v.c. *tandem e longe remoto loco* &c. Vetus interpres Lucani de Tigride ex libro primo Neronis Senecae discipuli hos versus retulit:

Quique pererratam subductus Persida Tigris
Deserit, & longo terrarum tractus hiatu
Reddit quaesitas iam non quaerentibus vndas.

Quos aliquando mihi communicauit clariss. P. Pithoeus.

24. Memmij v.c. *fimum quidem similem turbulentae anis mare profert.* Fortunati, *finium quidem sile turbulentum lus mare profert.* Hinc iste vulgatam lectionem concinnauit.

26. Fortunatus veterem lectionem rectiorem & explicatiorem banc laudat: *tempus eius valde, quo purgatur, obseruatum, sed incertum est.*

40. Fortunati vetus lectio & nostra, *perduret infant.*

47. Memmij v.c. *& humido spissa caligo.* veteres editiones, *& ex humido spissa cal.* vulgatae scripturae Fortunatus auctor est ex vetere lectione.

55. Fortunati & Memmij v.c. *omne enim firmamentum in lubrico* &c. intelligit enim fulcimina & tibicines, quibus labefactarum domorum ruinosa latera firmari solent.

58. Sic scribitur in v.c. Memmij, *& intermixtos diis greges.* forte *dominis*, vel, quod magis probauerim, *domibus* legendum est.

P. 436,15. Memmij v.c. *intercursu luminis.* Paulo post v. 27. Fortunatus legit, *Sic & illud.*

34. Ouidij codices *latent*, non *labant.* Vtrumq; patitur & sensus, & carminis ratio, vt annotat Fortunatus.

51. Memmij v.c. *ingens aequor euoluit, quod longe a conspectu interioru litoris frangitur.* Et hoc postremum notauit quoque P. Pithoeus ex v.c.

P. 437,11. Vetus Fortunati lectio, *Alterutrum fit.* hoc est vel eluuio, vel conflagratio v.13. Scribe *quandocunque.* Mox v.c. Memmij, *emittitur, vt feruor ignuque cum* &c.

23. Idem codex, ni prorsus fallor, recte, *siue corpus natura gubernabile, vt arbores*, &c. Statim idem, *& sequentis actus.*

33. Fortunatus legit *quandocunque*, pro *quandoque.* Postea v. 45. recte v.c. Memmij, *Oceanus extrema fortitus veniet* &c. versu vero praecedenti legit doctiss. Puteanus, *Nihil erit Hadria, nihil* &c.

P. 438,1. Vetus membrana, *mare inducatur?* & linea 7. *subterfluunt terras.*

13. Eadem, *flatim vndique ex aperto & abdito superne ab infimo aquarum fiet irruptio.* Interpretamenti loco habeo tria illa verba, *superne ab infimo.*

14. Eadem, *tam violentum, tam incontinens sui.* Linea proxima putat Fortunatus *renitentibus* scribendum. quam lectionem ex notulis v.c. deprehendit.

IN LIBRVM QVARTVM NATVRALIVM QVAESTIONVM.

P. 441,4. Fortunati vetus lectio *Villeum*, nostra *Villeium.* Lipsius ex VI. Annal. Taciti corrigit, & legit *Vitellium.* Villeus enim (scribit in comment.) ignotus: at Vitellij huius mirum in adulando ingenium, etiam Suetonius celebrat, cap. II. in Vitellio, & Dio LVIII. Plancus autem in Seneca, est is qui apud Fuluiam Antonij magnus: de cuius adulatoriis moribus Appianus lib. III. Ciuilium. Haec Lipsius. Verba vero Taciti haec sunt: *Tiberius cunctis quae apud Orientem parabantur, L. Vitellium praefecit. Eo de homine haut sum ignarus sinistram in vrbe famam, pleraque foeda memorari: ceterum regendis prouincijs prisca virtute egit. Vnde regressus, & formidine C. Caesaris, familiaritate Claudij, turpe in seruitiū mutatus; exemplar apud posteros adulatorij dedecoris habetur.*

6. Fortunatus etiam contra exemplaria legendum censet, non *in persona*, sed *in prouincia*, hoc est in Sicilia, in qua Lucilius Iunior tunc praefectus erat. vt dicat Seneca, in Sicilia multos adulatores Planci similes esse, quos omni diligentia Lucilius caueat.

9. Lipsius initio comment. ad XII. Annal. Taciti scribit omnino *distringendis* legendum.

16. Turnebus Aduersar. lib. XXI. cap. XIX. Ait Seneca libro IIII. quaest. nat. in praefat. *Te longiorem Vido Anneo turabo & Apollonio pycta, quamuis staturam habeas Tetusi threcae incompositi.* quae adulationem impudenter mentientium assentatorum indicant, gigantum proceritatem nanis & pumilionibus attribuentium: sed verba tamen illa consideranti mihi percussit animum, nūquidnam ab eo scriptum fuisset, *Quamuis staturam habeas threcis in threcem compositi.* nam in amphitheatralibus muneribus thraces, qui & threces plerunque

runque vocabantur, inter se committebantur, qui cum exiguam haberent parmam, se totos velut in eam colligebant, ne vulneri paterent, & staturam incuruando corpore minuebant. quod non fecissent, si maioribus & longioribus scutis vsi fuissent. Qui igitur paruus & breuis est, ille similis nõ illepide threci in threcẽ composito dicitur. At mediusfidius lineamenta apographorũ vetustorũ, si quid istud refert, effigiem nescio quam huius scripturae reddere videntur. Thraces autem solitos esse peltis, id est cetria vel parmis pugnare, docet ita Aristophanes in comoedia, quae Acharnes est inscripta, de Thracum auxiliis loquens, *καταπελτάσονται τὴν Βοιωτίαν ὅλην*. Sic Turnebus. Lipsius lib. II. Saturn. serm. cap. IX. vbi de threcum origine & armis: In libro (ait) Lipsij scripto, *Trecisum trece compositi*. ex iisque procliua correctio, *Threcu eum Threce compositi*. Habitum videlicet aspicit pugnantium inter se Threcum, & dum in arma se colligunt, subsidentium.

24. Turnebus citato loco: Hic *pedes abstulit*, valet, cursum orationis tuae inhibuit, eique pedes ademit, ne sic adblandiretur. nec enim sine pedibus incedere quisquam posset, vel currere. aut, obi sic indulgenter liberaliterque laudanti, & per assentatorias laudes decurrenti pedes abstulit, ne pergeres in eo incepto. Eam mihi videtur continere sententiam locutio illa, quam ne attigissem quidem, nisi mihi aliquantum negotij exhibuisset, & futurum essem suspicatus, vt aliis esset paulo indoctioribus molesta, nec satis percepta. *Fragalitatem laudare coepisti, quo sic a nummis resiliut, vt illos habere nec damnare videatur*: legendum in eo potius crediderim, quàm vt euulgatum est, *a nobis*. nam *illos habere*, antiqui codicis fide a nobis receptum est. Haec Turnebus. Vetus codex, *Fragalitatem laudare coepisti, quae sic a nobis resiliat, vt illos nec habere, nec damnare videatur. Prima* &c. Haud parum dubito (scribit Fortunatus) an tota haec lectio conuulsa & deprauata sit. ita omnia inepta, frigida & abrupta, nonnulla vero etiam dissona sunt. Primo illa verba *quae sic a nobis*, vel vt alij legunt, *a vobis resiluit*, quid referunt? frugalitatem ne? Nihil profecto ineptius putidiusque. sed procedat hoc. Verbum deinde *illos*, quo referendum? quod nullo pacto cum verbo *nobis* aut *vobis* locum habere potest. Etiamnum alia quae sequuntur, nulla ratione cohaerent. Legendum itaque arbitror hoc modo: *Quare sic a nobis resiluit? vti nos nec laudare, nec damnare videatur*. Moderationem enim animi Gallionis laudat. Sensus autem est. Quare Gallio frater meus, cum eum laudaremus, eique adularemur, a nobis sic resiluit? hoc est, non probaris vel reprobatis nostris de se laudibus, verba sua ad frugalitatem laudandam transtulit? Respondet deinde Seneca. Vti nos, inquit, nec laudare, nec damnare videatur. quod argumentum temperati animi est. Ita Fortunatus, cuius emendationem hactenus praetulerunt excusi libri: at Muretus rescidit.

44. Commodius putat Fortunatus, si *armati*, non *armatorum*, legamus.

55. Turnebus Aduersar. lib. XXI. cap. XIX. Est perleganter perque scite dictum, *nec in mare aperto ore desilui*. solent enim homines in maxima desperatione se ore hiante in profundum abijcere, vt celerius strangulati aquis spiritu moriantur. id *πρὸς κῦμα χανεῖν*, id est ad aquam hiare, Graeci dicere solent.

P. 442,46. Legendum ait Fortunatus, etiam refragantibus omnibus codicibus, *vrbs*, non *vrbem*. hoc est, totam insulam, id est Philas, vrbs eodem nomine complexa est. vt illud Plinij, vbi de insulis ante Asiam: *In Phoenicio deinde mari est ante Ioppe Paria, tota oppidum*. Sic ille. qui mox, cum excusi haberent *Ad hanc Nilus*, ex vetustis codicibus legit, *Hanc Nilus*. Sed rectius in vet. membrana puto, *Ab hac Nilus*, scilicet egressus. Paolo post scripti plerique habent *scopulos cautium*.

P. 443,17. Vocabulum *fluminis* non legitur in vetere membrana.

23. Fortunatus substituit *minimamque*: at libri prisci *nimiumque* habent.

32. Memmij v.c. *Balbillus virorum optimus perfectusque in omni* &c. Et male vulgo *Babillus* scribi monuit Lipsius comment. ad lib. XIII. Annal. Taciti. apud hunc enim legitur, *Aegyptus C. Balbillo permittitur*. Eiusdem meminit etiam Plinius lib. XIX. prooemio, sed nomine corrupto.

P. 444,1. Vet. c. *non quod magis quàm Alpes, quàm Thraciae* &c. Fortunatus legit, *nunquam tamen magis quàm Alpes* &c.

9, & 12. Idem legit *descendens*, pro *discedens*. Seneca certe paulo post, *contra illos Nilus descendit*.

19. Fortunatus, *non, vt nunc, turbidus veneret*.

35. *Hameat* a Pinciano profectum est. Veteres editiones & membranae *abundet* legunt. quod genuinum est, & natiuam suam significationem hic retinet. Sic enim statim, *iam aut siccata essent omnia, aut inundata*. Deinde 53. m. ss. duo, *quod praeterijt*.

P. 445,14. Vetus membrana, *inter niuem & grandinem interesse*.

23. Rectius est simplex, *mutatio*, ex scriptis libris. Et statim, *ipso tepore adiuuante*.

30. Optima Memmij membrana, *argumenta ad obrussam coepertimus exigere*. qua voce vsus est Seneca in epist. XIII. *sic verus ille animus, & in alienum non venturus arbitrium probatur. haec eius obrussa est*. Adulterina igitur erit vulgata dictio *lancem*: quemadmodum & olim in epistolam illam commentatores vocem *probatio* inferserant.

34. Scripti libri, *remisceri*. quo verbo aliquoties vtitur Seneca. Postea v. 37. scribendum censeo *tabefactam*. Supra lib. III. cap. XXVII. *congestae saeculis tabuerant niues*. cap. XXIX. *ire in humorem, & assidua tabe defluere*. lib. V. cap. XI. *eam maxime niues tabescunt*.

P. 446,1. Fortunati & Nicotij verus lectio, *nubeis*, non *imbreis*. Mox v. 5. e m. ss. lege *in se*, pro *intra se*.

12. In vtroque m. ss. deest *densioraque*. & reuera videtur commentum esse ad *pressiora*.

19. Memmij v.c. breuius, *receptum: editior aer quo longius* &c. Sed tamen & impressa lectio e v. c. deprompta est a Fortunato.

IN LIBRVM QVINTVM NATVRALIVM QVAESTIONVM.

P. 448,58. Particulam *vt* ex v.c. necessariam hic esse, innoit sequens membrum, *sic in hac quoque re* &c. Legendum itaque, *Ergo vt parum* &c.

P. 449,4. Scripti libri, abiectis duabus vocibus, *pariem: aut aer fluens impetu.* Et v.14. *in angustũ cõcurrit.*
19. Fortunati vetus lectio, *nec arctari possunt, nec impelli.*
20. In vno m.s. deest *tunc*, in altero *interim*. Deleatur alterutrum.
21. M.ss. duo vna cum Fortunati libris, *& inde est spissatarum* (vel *spissarum*) *nubium grauitas.* Iterum proxima linea, *arctatis congestisque corporibus.*
28. Memmij v.c. *fiunt, quoniam haec negas fieri?*
30. Scriptis, etiam Fortunati, libris consentientibus reponendũ, *in altũ egit quae emiserat, mutatio ipsa* &c.
34. Iidem omnes *concoquit*, non *excoquit*. *Concoquit* autem, hoc est digerit (vt Fortunatus explicat) & consumit omnia alimenta, quibus nutritur. Facete autem & satis iocose irridet hanc opinionem.
43. Ex v.c. scribe *inertem & inagitabilem.* & v.45. *ederet*, pro *edere posset.*
55. Proba est vetusta lectio, *nec fert vltra terrarum aspectum*, siue *conspectum.* &.v.57. in eadem deest particula *tamen.*
P. 450,11. Prisci libri omnes *fluere. flare* est ex coniectura Fortunati.
15. Fortunati vetusti codices, *Quia vere aer aquosus est, & ex pluribus aquis* &c.
43. M.ss. duo, *Dicimus ante lucem auram incitari, eandem subsidere* &c. Fortunatus probat vulgatam lectionem, cuius ipse auctor.
49. Scribe nodum *emittunt*, non *praemittunt*, ex v.c.
P. 451,5. Fortunati vetus lectio, *Ideo credibile est, vt spiritus, quamdiu singuli sunt, breues sint.*
8. Vet.c. *spiritus rumpit, nonnunquam inclusi* &c. Fortunatus, *nonnunquam* iussit deleri, & cetera coniunctim legi.
11. Fortunati, Pinciani, & nostri codices expuncto *qui*, ita legunt & distinguunt, *fiat. Euenire* &c.
17. M.ss. *ac se ipsa vertigine concitans.* recte.
19. Memmij v.c. *Haec fere.* Nicotij, *Hinc fere.* vett. editiones, *Sed fere.* Fortunatus, *Hi fere.* qui deinde ita scribit: Quid si legeremus in Seneca, non *Hi fere*, sed *Typhones fere?* Typhonem enim Plinius dicit praecipuam nauigantium pestem, non antennas modo, verum ipsa nauigia contorta frangẽtem. Quamuis Turbines, Vortices, Typhones, & vibrati Ecnephiae non magno discrimine distent. Hactenus ille.
42. Memmij v.c. *ipso astrictu*. Nicotij, *ipso affrictu.* Et v.51. ille, *sed iam inde anoquitur* &c.
P. 452,1. Scribe *reptauit*: & v.3. *ingens terrarum pondus*, ex v.c.
6. Vetusti codices tam nostri quàm Fortunati, & Aldina editio, *& aquarum nulli fluentium.* hoc est nulli vsui, nulli rei.
21. Vetera Fortunati exemplaria, *sub praefecta dant.* Memmij v.c. *sub praefectos dant.*
37. Vetera exemplaria *Leuconotus*. sed rectius in vulgatis *Libonotus*, vt annotat Fortunatus. Quamuis non nesciam (scribit) apud Aristotelem Etesias imbecilliores a Bruma spirãteis Leuconotos & Ornithias vocari. *Post Brumam*, inquit, *qui Leuconoti appellantur, non tamen ita continenter spirant.* Et paulo post: *A Bruma atque Ornithiae flant.* quos supra Leuconotos dixerat. hi enim imbecilli Etesiae sunt, cum pauciores & tardiores quàm Etesiae flent. Hi septuagesimo die post Brumam spirare incipiunt. Plinius quoque libro 11. de Etesiis scribens: *spirant autem*, inquit, *& a Bruma, cum vocantur Ornithiae, sed leniores, & paucis diebus.* Cum tamen Seneca videatur hunc ventum post Austrum siue Noton inter Meridiem, & hibernum Occidentem ponere; placet vt *Libonotus* legatur, a Libe scilicet & Noto compositus, & medius inter vtrumque spirans. Nam & Aristoteles libro de mundo Libonoton, inter Liba & Noton, hoc est inter Austrũ & Africum ponit, quamuis hunc secundo Meteorum non agnoscat. Dicit enim Mesae, qui medium tenet locum inter Aquilonem & Caeciam, nullum flatum ex aduerso respondere, hoc est a loco inter Austrum & Africum medio, vnde per dimetientem ducitur linea ad locum qui est inter Boream & Caeciam, vbi Meses oritur. Plinius libro 11. *Numerosior*, inquit, *ratio interiecerat inter Liba & Noton compositum ex vtroque, medium inter Meridiem, & hybernum Occidentem, Libonoton.* Strabo Argesten, hoc est Caurum, seu Corum, qui ab Occasu solstitiali spirat, Leuconoton, hoc est album Austrum, appellari dicit. Hic enim contra naturam Austri paucas nebulas facit. τὸν δ' ἀργέστην, inquit, καλοῦμεν ἀργέστην, τὸν τε λευκόνοτον. ... Haec Fortunatus.
P. 453,18. M.ss. *post mare quaereremus.* & versu sequenti, *& in motum componit exitiũ?* v. v. d. *bellũ petituri.*
21. Ex eorundem consensu dele *autem*: & versu ab hoc tertio scribe, *ac ventribus horridas noctes.*
37. Fortunati & nostra exemplaria, *mouemus manum.* Linea proxima *malos* abest a nostris.
46. Vera est alterutra vett codicum scriptura: vnius, *Nunc parum mihi domestica, externis* &c. alterius, *Nunc parum mihi domestica sunt, exterius quoque* &c.
P. 454.3. Vetera exemplaria, *quod non in contrarium transeat culpa.* & v.6. *ire impellimur. vtiq; alieni* &c.
9. Veteris cõdicis lectio placet, *vitae parari ea, in quae vita cõsumitur.* cõsentit plane cũ Pinciani cõiectura.

IN LIBRVM SEXTVM NATVRALIVM QVAESTIONVM.

P. 454,48. Aldina & ceterae editiones cum v.c. *stabianumque litus.* Confirmat Plinius lib. XXXII. cap. 11. *In Stabiano Campaniae ad Herculis petram, melanuri in mari panem abiectum rapiunt.* quomodo itaq; Romana *Sabianum littus* excuset, ipsa viderit. Statim ex v.c. fide scribemus, *& mare ex aperto reductum amoeno sinu cingunt, consedisse* &c. versu vero penultimo, *perstricta.*
P. 455,20. Vet. c. omisso *sed*, *gentes totas regionesque submergit.*
25. Fortunati vetus lectio, *Hoc habet inter cetera iustitiae suae munera praecipuum Deus, quòd* &c. Postea v.55. m.ss. duo, *sine remedio timor stultus est.*
P. 456,6. Iidem, *imbecillitatis sibi suae conscius.* 21. Duo ista, *vbicunque, quandoque*, absunt a Nicotiano codice. qui mox refert, *Egregie vero Agellius.*

29. Pro *quandoque* scriptum est *quoque* in duobus priscis.

39. In iisdem scribitur, *Longeque magis illa, actae* &c. Deinde v.51. in Nicotij codice, *Differt montes.*

P. 457,23. M.ss. *& ea aliquando concuteretur.* & v. proximo, *Deinde tota concuteretur.*

56. Fortunatus haec annotat: Quis nō iure miretur (nisi haec verba, *& Europā Asiamq; disterminans*, aliena & adulterina sint) Senecā in tanta notitia, contra omniū opiniones, & contra veritatē ipsam Danubiū Asiae Europaeq; terminum statuere, quas Tanaim diuidere certū est? Mari enim mediterraneo, & Tanai, Niloque vniuersum terrarum orbem in treis parteis diuidi compertissimum est. mare Europam ab Africa dispescit, Africam ab Asia Nilus, ex aduerso latere Asiam ab Europa Tanais. Lucanus libro III.

— Qua vertice lapsus
Riphaeo Tanais, diuersi nomina mundi
Imposuit ripis, Asiaeque, & terminus idem
Europae, & mediae dirimens confinia terrae.

40. Non displicet Nicotiani codicis scriptura, *quorum vires quàm repentinae, tam breues.*

50. M.ss. *in abdito*, & itidem versu sequenti. sic enim Seneca potius fari solet, quàm *in abscondito.*

P. 458,29. Vetera exemplaria, *diu dubitauere.* v.32. *diu deferuntur.* v.49. *vaporatione fluctuantiū aquarum.*

P. 459,16. M.ss. & Aldina editio, *terra concutitur.*

29. M.ss. *decurrit*, non *discurrit*: & v.33. *currunt*, non *concurrunt.*

51. Iidem, *& altius adegit.* & statim vnus, *deuerberat*; alter, *diuerberat.*

55. Nicotij codex duplicem exhibet scripturam, *finiet dissensio*, & *fiet discessio*. Memmij membrana, *& in quod fortasse fiet dissensio.* Facilis hinc emendatio, veraque, *& in quod fortasse fiet discessio.*

P. 460,7. Memmij v.c. *alimenta externa trahunt.* Scribo, *alimenta ex terra trahunt.* Idem linea 14. *spiritus interlateat, & caeca* &c.

17. Omnia tam Fortunati quàm nostra exemplaria scripta, *& agitatione gaudens.*

20. Fortunatus in annotationibus ita scribit: Vetusti codices, *quàm ille poeta.* forte legendum, *quàm illud poetae*: vel, *ille poetae pontem indignatus Araxes.* Hoc enim hemistichion Virgilij versus est in calce octaui Aeneid. Sic ille. At nostri codices plane non habent *poetae.* & mihi rectius abesse quàm adesse videtur.

23. Fortunati & nostri codices, *casu in latere pressere* &c. rectius tamen (scribit ille) legitur *illata*: quam lectionem Erasmus reposuit: vel forte vtrunque retinendum, vt sit, *illata in latere pressere.* Nam si *in latere* tantum legerimus, suspensa sententia videbitur.

25. M.ss. *cum ipsis quae obstabant fugit.* Deinde v.27. Nicotianus codex, *motus sit solius eius partis.*

34. Manuscriptorum alter, *Hic quamdiu non & in vac.* alter, *Hic quamdiu non impellitur, & in vac.* & sic etiā absque veterum librorum consensu legendum esset. Mox iterum alter, *compellitque, in arctum agit scilicet*: alter, *compellitque, & in arctum ducit scilicet.* quis hic non videt scholasticam interpretationem? quid *compellit* aliud significat nisi *in arctum agit*? Explosis superuacuis sic constabunt sua Senecae verba, *compellitque, adhuc cedit tantum* &c.

44. In scriptis libris ἰδὲν ὑγρός. Fortunati vetus lectio habet, *laxamentum superatus indomita naturae potentia liberat. Est vtique cum concitatus sibi ius suum vendicat.* Memmij v.c. *laxamentum superat, & domita naturae potentia liberat, Est vtique cum concitatus sibi ius suum vindicat.* Nicotianus, *laxamentum superat, & indomita n. p. liberat. Est vtique cum concitatur, & sibi* &c. Aldina editio, *laxamentum superat. Indomita naturae potentia libera est, vtique cum concitatus sibi ius suum vindicat.* Ego depono locum: tollat qui nouit.

P. 461,16. Vetus membrana, *per quae vel in quae cadit.* Nescio an diuersa lectio hic notata sit.

17. M.ss. *in concurrentem terram repellitur, & illam qua parte maxime pendet, exagitat.*

21. Scriptus vnus, *eam scilicet partem terrae mouet.* Ab interprete *scilicet terrae* esse, fere affirmare ausim.

22. Pinciani, Fortunati, nostra exemplaria vetera probant, *in terrena itinera coniectus.* Fortunatus coniicit legendum, *in arcta itinera.*

28. Non legitur vox *aere* in v.c. Mox v.38. m.ss. *Et potest*, pro *qui potest*: & sequente versu, cum Aldina editione, *montes subiectus extollere.*

40. Aldina editio, *Therem, & Theream, & hanc nostrae aetatis insulam.* Vbi Fortunatus haec annotat: Vetus lectio, *Therem & Themam, & hanc nostrae aetatis insulam.* Videtur legendum ex Plinio, *Theram & Therasiam*, vel *Theram & Thiam*; quia sequitur, *& hanc nostrae aetatis insulam.* Thia enim principatu Claudij, aetate Senecae enata est. Thera autem & Therasia ante Senecam plus minus ducentis annis emerserunt. Quid si quis *Theram & Hieram* hoc loco legeret? Videtur ergo suae aetatis insulam illam intelligere, quae inter Theram & Therasiam, cum flammis totum mare inuoluentibus illa aetate enata est, de qua supra capite XXVI. libri II. Strabo lib. I. ἀνὰ μέσον Θήρας καὶ Θηρασίας ἐκπίπτουσαι φλόγες ἐκ τοῦ πελάγους, ἐφ' ἡμέρας τέτταρας, ὥστε πᾶσαν ζεῖν, καὶ φλέγεσθαι τὴν θάλατταν, ἀνεφύσησαν κατ' ὀλίγον ἐξαιρομένην ὡς ἂν ὀργανικῶς, καὶ συντιθεμένην ἐκ μύδρων νῆσον, ἐπέχουσαν δώδεκα σταδίων τὴν περίμετρον. Hactenus Fortunatus. Scripti libri referunt partim, *Therrytheraam & hanc nostrae aet. ins. spectantibus nobis in Aeg.* partim, *Thereu & Theram nostrae aetatis insulas sp. nobis in Aeg. m. natas* &c. Sed nihil certi hinc hauriri potest. auxilium ergo a melioribus libris expectandum potius quàm coniecturis fidendum doco.

49. Nicotianus codex, *per vicos vehiculorum tracta.* Sed melior est vulgata lectio. nam *per vices vehiculorum plurium*, expono, *longo vehiculorum ordine*, vt loquitur Seneca epist. XC.

P. 462,1. Scripti & impressi olim libri, *sonitu venit.* Pincianus *succussu* substituit. Illud certe Virgilianum est, ex VIII. Aeneidos desumptum:

Namque improuiso vibratus ab aethere fulgor
Cum sonitu venit: & ruere omnia visa repente.

8. M.ss. *Hic est Alexandri crimen*: v.11. *maximum regnum.* & v.15. *quàm scelus. Hic Callisthenes* &c.

21. In vno codice non legitur *Graecas*, in altero scribitur *Graecorum.* vt dubitem an a Seneca sit.

22. Vetusti codices partim *fibithona*, partim *fibipthona*, partim μυρίδωνα. Vestigia satis monstrant scri-

bendum *σεισίχθονα*. quod te idem est cum nominibus *ἐνοσίγαιος* & *ἐνοσίχθων*. Gellius lib. II. Noct. Attic. cap. XXVIII. *Ita videntur existimasse antiquissimi Graecorum, qui Neptunum ἐνοσίγαιον καὶ σεισίχθονα appellauerunt.*

42. Vnus e m.ss. *magnum & vacuum terrarum locum penitus impleuit*: alter, *magna in vacuum t. l. p. oppleuit*. Puto germanam lectionem fuisse, *magna vi vacuum e. l. p. uppleuit*.

47. Iidem *fissam*, pro *scissam*: & paulo post, *ducenta milia*.

P. 463. 4. Fortunati & Memmij v.c. *multumque secum coeni trahens, & id subinde* &c.

6. M.ss. *cuius pressa erat & sedens structura.* Mox 26. v.c. *cum e longo situ emissus est*. bene, si cum vulgo *situ* scribas.

28. M.ss. *Quid quod aquae quoque inutiles* &c. Posteaque v. 46. *voluit*, non *soluit*.

50. Locus intricatus, cuius medela a sola fere interpunctione dependet. Sic igitur distinguam: *Nam quod aliquot insanis attonitisque similes discurrere, fecit metus: qui excutit mentes, vbi priuatus ac publicus est.* *Qui* (ita veteres libri, non *quid*) *vbi publice* &c.

53. Vet. c. *inter magna mala conspere.* alius *concipere*. & statim, *similisque est furentis*.

P. 464. 9. Lectio excusa est e coniectura Fortunati: cuius exemplaria vetera habebant, *Cum pars naturae concita* (vnum *concitata*) *est, deesse & aliquo mare ignem spiritu* (vnum *spiritus*) *impegit.* Et nostra vel, *cum p. n. concita est decem & aliquo mare ignem spū impegit*: vel, *cum p. n. concitata & aliquo in mare & ignem spiritu impegit.* Impressa lectio excusatior foret, si *aliquò* pro *aliquod* scriberemus. Sed forsan haec propius ad veterem scripturam accedet, *Cum pars naturae concitata est de se, & aliquo mare, ignem, spiritum impegit.* Vt dicat terram concitatam, vel ventis, vel igne, vel aquis eiectis, discidio vrbium & gentium caussam dare. Nam de pluribus sermonem esse innuunt quae sequuntur, *quorum mea, vt ex toto, vis est.*

11. Nicotianus codex, *resecta est. Aliquanto autem plus* &c. Et mox lege, *Acriora enim sunt, quibus nisus est per angusta*, ex librorum consensu.

25. M.ss. & Aldina editio *exierat*, non *exciderat*.

34. Epithetum *molles* non est in m.ss. Sequentia vero variant. in vno est, *quàm natura duri sunt*: in altero, *quàm quae natura dura sunt.*

40. *Fulminibus* habet Memmiana membrana: & v. 45 *sine cadentium fragor.*

57. Eadem, *complexa, qui volet illam eam accipiat.* Fortunati & Nicotij vetus lectio, *qui volet illam accipiat.* vt sit communiter dictum.

58. Legendum est ex priscis libris, *cum bonis ominibus*, hoc est faustis precationibus & auspiciis. Id Graecis est, *ὑπ᾽ εὐφημούντων* [illegible].

P. 465, 5. Bene m.ss. & Aldina editio, *arma contrarijs disposita vexillis*: & v. 9. *semper impendeat.*

IN LIBRVM SEPTIMVM NATVRALIVM QVAESTIONVM.

P. 467, 18. Fortunatus legit, *quamuis spargatur & longius exeat.* & ita v.c.

30. Idem mauult legere *coeant* vel *concurrant*, quanquam in omnibus exemplaribus *currant* reperisset. Quòd Anaxagoras & Democritus nihil aliud Cometen esse arbitrentur, quàm iunctam effigiem, lumenque commissum & confusum duarum vel plurium ex propinquo errantium stellarum.

P. 468, 13. Bene m.ss. *crinitis vndique & immunis.* & v. 20. *eadem fieri ratione hos Cometas existimat.*

20. Vox *turbines* deest in Nicotiano codice. iure. quia interpretis est, non Senecae. Nec ad *illi* subaudiendum *turbines*, aut quod praecessit, *ignes turbine electi*: sed *Cometae*. nam turbines ex superiori parte in terras non deprimuntur, sed circa terras concepti quicquid intra se comprehendunt, cursu suo accendunt, & in altum leuant.

21. M. ss. *hi de terra in superiora eluctantur.* quod verbum aptissimum est turbinum violentiae exprimendae.

25. Monet Fortunatus ex vetustis codicibus legendum, *His accedit illud quoque, quod ventus* &c.

31. Delendum est *Deinde*, libris scriptis & Aldina editione adprobantibus.

32. Membrana vetus, *Atqui varie cucurrerunt.* & v. 40. bene, *& qui per diem noctemque quantum transierit, abscondat.* vt *motus* subaudiatur.

41. Nicotianus codex, *vt Sallustij verbo vtar.*

P. 469, 1. Elegantius m.ss. *Necesse est ipsa concitatione* &c.

20. Nicotianus codex, *Puto talis esse debet*, omisso *At*. Postea versu 22. expunge praepositionem *in*.

34. Veteres codices, etiam Fortunati, *aut in latera demissos.*

44. Veteres membranae, *propter hunc illorum cursum*, vel *concursum*.

49. Eaedem & Fortunatus, *digressio*. male vulgo *congressio*, & contra sensum.

56. Nescio quid vitij lateat in his verbis, *quemadmodum alterne arcus solis visitur.* Ita emendauerat Fortunatus, cum ante legeretur, *quemadmodum arcum alterne sol visit.* Membranae quoque veteres dissentiunt. in vna est, *quemad. arcus alterne sol visitur.* in altera, *quemad. arcus aliter nisi sole vincitur.* Eruant alij quod possunt.

P. 470, 2. In m.ss. deest coniunctio *&*, & proxima linea praepositio *a*.

10. Scribendum *extrema eorum*, vt in prioribus editionibus est.

18. M.ss. *ex illa vtraque mundum iacente.* Natiua Senecae verba restituo, *ex illa vltra mundum iacente materia.*

53. Fortunatus refert *sicut hic*, ad superiorem clausulam, & subintelligit verbum *decipit.*

P. 471, 11. Membrana vetus, *qui omen prae se fuo. sang. ferunt.* & statim, *maioraque, quia ex loco* & cetera.

58. Lege *intra quos*, scilicet terminos signiferi, ex Nicotiano codice.

32. Ita

32. Ita constituendus est locus ex v.c. *Iam ipsa fulmina, etsi velocitas mira simul & perstringunt aciem & relinquunt, (vnus remittunt) ignes sunt aeris triti &c.*

52. M.ss. *descendit. In aere quoque non dextram laeuamque partem premit.*

P. 472.13. Iidem, *& tam pertinaciter haereat, quàm quae natura, ne vnquam excuterentur, aptauit.* Cusam lectionem protulit quidem Fortunatus ex v. c. sed illam probiorem censuit.

31. Vox *caelum* non est in vno codice, in alio vero scribitur *celi.* Et statim referunt ambo m. ss. *non posse vllam stellam, nisi signiferum attingit, (vel attingit) vadere: Cometes &c.*

45. Tria haec verba *alius incorporalem potentiam*, valde mihi suspecta sunt: & ex Thomae potius vel Scoti quàm Senecae schola esse videntur.

P. 473,4. Placet Nicotiani codicis lectio, *vt semel iussa sunt.*

6. Vetus membrana, *alia alijs incident, quae &c.*

53. Fortunato vetus lectio, *non ex improuiso*, rectior videtur.

P. 474,1. Scripti sunt contra Pincianum. *Quia* enim, non *Quare* habent, absque interrogationis nota.

11. Fortunatus scribit legendum ex vetustis, non *Dij sciunt*, sed *dissentiant quibus est sententia veri.* Supra quoque, *Contenti*, inquit, *sumus inuentis, aliquid veritati & posteri conferant.* *Dissentiant* autem hoc sensu dixit, vt palam disputent, & exquirant, quos ea cura tenet. sequitur enim, *Nobis rimari illa & coniecturare in occulto tantum licet.* illud enim dictum *Dij sciunt*, puerile & putidum est, neque huic loco conueniens. Tragici solét ad aliquem Deum confugere, vbi explicare argumenti exitum non possunt, atque vbi aliquis dignus vindice nodus inciderit. Ita quidem Fortunatus. Et hunc hactenus secutae sunt Basileenses & ex his deductae aliquot editiones. Sed Romana lectio munita est plurĩ codicũ fide, & patet ex sequentibus Senecae verbis.

12. Ex m.ss. legendum, *& coniectura ire in occulta tantum licet.* Sic ait lib. 11. nat. quaest. cap. vlt. *Cum omnes per occultas naturas.*

23. M.ss. *Neque enim omnia Deus homini fecit. Quota pars operis tanti nobis committitur?*

32. Locus non bene haeret: nec in m. ss. constat. ita enim ferunt, *seculo, quam multa negotia. Ne hoc quidem. Multa &c.*

45. Fortunati vetus lectio, *non ambulamus, sed repimus.*

47. Lipsius Saturn. serm. lib. 1. cap. XVIII. Obscaenam partem ludi in Seneca lego: nec scio an ad spoliarium, an ad ludi locum foedum vbi spongia, referam: an potius emendem, *artem ludi*, & capiam de iis qui sponte sese auctorant.

48. Placet Fortunati lectio, *in fame armatur*, quia mox de egeno. at libri nostri *in infame.* Iidem statim, *quem perdere libet.*

P. 475,1. Iidem, *prinatum vrbe tota sonat pulpitum.* Mox in antiquis editionibus fuerat, *vt detur latus:* Fortunatus ex v.c. reposuit, *vter det latus illis.* at Nicotianus codex habet, *vter det latus. Illius deinde sub persona &c.*

3. Vetera (scribit Fortunatus) recentiaque exemplaria forsitan rectius *galeam.* dixit enim, *Deinde sub persona cum diu trita frons est.* nam prius & viri & feminae impudentiores exercebantur sub persona, deinde quasi ad veram arenam se praepararent, sub galea. Iuuenalis libro 11.

Quem praestare potest mulier galeata pudorem?

Idem paulo post:

Aspice quo fremitu monstratos perferat ictus,
Et quanto galeae curuetur pondere.—

Haec feminarum impudentia eo progrediebatur insaniae, vt aliquando in veram arenam, veramque pugnam prodire auderent, & cominus apros, leones, vrsos, & alias id genus feras in arena conficere. Iuuenalis lib. 1.

—Cum Maeuia Tuscum
Figat aprum, & nuda teneat venabula mamma.

Item Martialis primo Epigrammaton:

Belliger inuictis quod Mars tibi saeuit in armis,
Non satis est Caesar, saeuit & ipsa Venus.
Prostratum Nemees & vasta in valle leonem
Nobile, & Herculeum fama canebat opus.
Prisca fides taceat, nam post tua munera Caesar
Haec iam feminea vidimus acta manu.

Papinius in Siluis:

Stat sexus rudis, insciusque ferri,
Et pugnas capit improbus viriles.
Credas ad Tanaim, ferumque Phasim
Thermodontiacas calere turmas.

Refert Suetonius Domitianum non modo virorum, verum etiam feminarũ pugnas edidisse. Haec Fortun.

IN ΑΠΟΚΟΛΟΚΥΝΤΩΣΙΝ.

P. 475,51. Turnebus lib. XXVI. Aduersar. cap. IIII. *Aut regem, aut fatuum nasci oportere:* quod in ioculari libello facete a Seneca dictum adagionis specie, hanc continet sententiam: solis libertatem suam constare solere fatuis & regibus. nam & fatuis quiduis licet impune loqui & facere, & regibus inultum est, quidquid libet. quod quidem prouerbium verum Claudius Caesar fecerat, quo imperante nemo fuerat liber, suique iuris, praeter eos quos verbum illud vetus complectitur.

53. Lipsius lib. 11. epist. XXIV. Omnis scripta lectio, *iuratores exegit.* recte. Iuratores, testes dixeruot, quia produci solent iurati. Falluntur qui aliter in Plauti Poenulo aut explicant, aut legunt, *Vos iuratores e-*

sit, quaeso operam date. Io mox sequentibus notat Liuium Geminum senatorem, de quo Dio lib. LXIX.

55. Turnebus citato iam loco: Iocatur perbelle Seneca, *Viae Appiae curator est, qua scis & diuum Augustum & Tiberium Caesarem ad deos isse.* fingit enim, per viam Appiam solitos esse in coelum imperatores ire: quia Appiae viae curator iurarat, se Drusillam in caelum adscendentem vidisse: quasi enim certus, vt ludens significat, quidam esset limes & certa via ad caelum eundi. cumque Drusilla occurrerit curatori viae Appiae, vt peierat, illac in caelum viam esse existimandum est. Idem ibi eleganter canit, *& obscuri crescebant cornua somni,* phantasia quadam & lasciuia poetica, cum fictione personae. nam ad consopiendos homines, somno cornu plenum medicato Stygij fluuij liquore tribuebant: cornu autem ei creuisse dicit, crescentibus noctibus, quòd tum etiam homines longiore sepeliuntur sopore. de somni autem cornu, ita scribit Papin. x. Thebaid.

—manus haec fusos a tempore laeuo
Sustentat crines, haec cornu oblita remisit.

sic in Seneca mox scribitur,

tamque suum victrix augebat Cynthia lychnum.

nam longioribus & hibernis noctibus lampade est Lunae opus maiore. Lepide autem & venuste ait Seneca, *nemo rustice acquiescunt oneri poetae.* quasi se onerari patiantur vt iumenta, cum ipsi vltro ambitiose consectentur intempestiuas, nec accommodatas temporis descriptiones. Legendum autem puto, vt respondit, *patere Mathematicos aliquando verum dicere:* vt Clotho ista loquatur, dicatque, Pateris Mercuri & vis vt verum tandem de eo dicant Mathematici, qui dum semper efferunt & mentiuntur. Haec Turnebus.

P. 477, 21. P. Faber Semestr. lib. II. cap. XVI. Quis *domuerit* scripsisse Senecam non videat? Lipsius epist. XXIIII. lib. II. Eleganter corrigetur, *monstra domuerit.* Similis locus illi qui sequitur: *Putauit sibi decimumtertium laborem venisse.*

32. Turnebus Aduersariorum lib. XXIIII. cap. vlt. Quid est, *Marci municipem vides?* nubecula enim quadam locus iste fuscatur, vt non satis perspiciatur. Ego existimo significari Claudium non verum germanumque Romanum esse, sed inquilinum, quales erãt municipes Ciceronis, qualisque Cicero ipse erat, quos tamen contendebat veros esse Romanos, cum municipibus diceret duas esse patrias, vnam loci, alteram iuris. Claudius autem Caesar non Romae, sed Lugduni natus fuerat. Et lib. XXVI. cap. IIII. Scite autem & docte illud, *Marci municipem vides?* vel, vt alij codices habent, *audis.* ait autem, Claudium non verum germanumque Romanum esse, sed inquilinum, quales sunt M. Ciceronis municipes, qualisque ipse Cicero erat. nam Claudius Lugduni natus erat. *Vbi L. Licinius,* inquit, *multos annos regnauit.* vir tamen obscurus & ignobilis: verum Lugduni potens & celebris. Lipsius Antiq. lect. lib. IIII. cap. XXI. In ludo Senecae fugit interpretes, quis L. Licinius sit. Puto autem Licinium illum intelligi, qui ab Augusto praefectus Gallis fuit, de cuius intolerabili in Gallos regno vide Dionem Cassium lib. LIV.

35. Alciatus Parerg. lib. I. cap. XXXVII. Mulionem perpetuarium appellare videtur, qui mulam veterinam conductam in perpetuum dum vixerit, certo pretio habet, eaque velaturam facit. Id enim hominum genus nunquam quiescit, quo lucrum faciat.

P. 478, 11. Lipsius epist. XXIII. lib. II. Liber m. sc. *Saturnus eius princeps.* Corruptus a glossemate locus fuit, sic corrigendus, *cuius mensem toto anno celebrauit princeps, non tulisset.* Clara omnia: & ludit in Claudium qui seruis & libertis, quod Saturnalibus solet, regnum permisit. Illud *Saturnalis eius,* γελοιωδῶς adiectum erat his verbis, *cuius mensem.*

12. Turnebus Aduersar. lib. XVIII. cap. XIII. Si Senecae verba, vt subscribam, legantur, sine sensu frigida & inepta non iacebunt, *Eius preces non tulissent illum Deum ab Ioue, quem quantum in illo fuit, damnauit incesti: qui Lucium Sillanum generum suum occidit, sororemque suam.* quod enim per libros percrebuit, *princeps Oropen,* nec intelligo, & folium Sibyllae explicatu facilius credo. Lipsius epist. ante citata: Pro *illum Deum a Ioue,* codex m. sc. *Deum Iane.* Lego, *illum Deum sane.* εἰρωνικῶς. Facite certe, si placet, hunc Deum, qui &c. Quae sequuntur, obscuriora folio Sibyllae Turnebus ait. quae enim ista Orope? Et ille quidem satis regie, quod soluere non potest, abscindit, legitque, *occidit: sororemque suam,* voce omissa. Iunij codex, vt & meus, *Oro per quod.* clara veritas est, *oro propter quid.* In tota parte huius sermonis interpellationes & dialogismi sunt. Cur, inquit, Silanum occidit? Leui causa: quia ille fatuus Iuniam Caluinam sororem suam Iunonem solet dicere. Id valet, pro vxore habere. Nam mariti blandientes vxorculas, Iunones appellabant. Plautus, *Eia mea Iuno haud decet te tristem esse tuo Ioui.* Scribit eandem vulgo Venerem appellatam, quia meretrix, & vt Tacitus ait, procax femina & lasciua. Haec Lipsius.

15. Turnebus loco quo paulo ante: Sic lego, *Quare, inquit, quare sororem suam? stulte stude: Athenis dimidium licet, Alexandriae totum.* hoc sensu, Alexandriae quiduis facere licet, & Ptolemaei suas sorores incestarunt: Athenis licet dimidium. legimus enim apud Athenienses fuisse sorores in matrimonio fratrum. Cimon enim sororem Elpinicen duxerat vxorem. sed huius incesti maior erat & impunitas & licentia apud Alexandrinos. Aut hoc ait, Quia Athenis vterinas ducere non licebat, cum liceret germanas eodem patre natas. Philo, ὁ μὲν γὰρ Ἀθηναῖος Σόλων ὁμοπατρίους ἐφῆκεν ἄγεσθαι, τὰς ὁμομητρίους ἐκώλυσεν. Contra Lycurgus incestas nuptias cẽsuit germanarum sororum, vterinarum permisit. sic illi dimidium concessere. Sed Aegyptij omnium sororum nuptias legitimas habuere. Philo, ὁ δὲ τῶν Αἰγυπτίων χλευάζων τὴν ἑκατέρων εὐλάβειαν ὡς ἡμίεργα δρωμένων εὐφόρησεν εἰς ἀσέλγειαν, ἀδελφὰς ... καὶ σώμασι καὶ ψυχαῖς ἀκρασίαν, καὶ ... ἄδειαν ... ἀδελφαῖς ἄγεσθαι. Haec Turnebus. Lipsius lib. II. epistol. XXIIII. Vetus lectio, *quare, inquit, quaero inquit sororem.* Eam secutus lego, *quare, inquis, quare tuit sororem suam? Stulte, stulte, Athenis d. l.* Iterum dialogismus. alter quasi excusans Claudium, Merito occidit: cur enim scelus ille sororem diuisit? & irridens alter, O stulte, inquit, quasi ignores Athenis, &c. Athenis dimidium, Alexandriae totum, quid valeat, recte Turnebus. Hactenus Lipsius.

16. Turnebus ibidem: Quia, inquit, mures Romae, quod ipsis solitum est & vsitatum, molas lingunt, idcirco

circo censoriam iste distringit seueritatem, vt curua corrigat. Atque hic significat genus hoc incesti frequêx fuisse Romae, vt fratres cum sororibus se consuetudine stupri contaminarent. Solent autem mures molas lingere, vnde & apud Homerum Λειχομύλη in batrachomyomachia nominatur. Lipsius dicta epistola suspicatur in his verbis, *hic nobis curua corrigit*, Rhenanus de sensu obscaeno. Hominem acutū' qui videt quod nusquam est. Dubitat tamen an corrig. sit, *hic nos scurra Caesar regit*. Ego quiescere illum vnico Plinij loco iubeo Ep. lib. v. *Interim tota ciuitate Nepotis edictum carpitur, laudatur, multi, inuenimus qui curua corrigeret. quid? ante hunc Praetores non fuerunt? quis autem hic est, qui emendat publicos mores?* Dictum igitur est in censorem importunum.

20. Turnebus ibidem: Senecae verba hunc sensum prae se ferunt. Permiseram vobis patres conscripti, vt quod assolet, Claudium interrogaretis. solent enim & testes & rei interdum interrogari. *Vos mera mapalia fecistis*, id est, vos disciplinam curiae neglexistis quod enim fecistis, merum rus est, & Afrorum mapalibus inconditisque casulis, & rudibus pastorum tuguriis persimile, non vrbanum, nec decorum, neque scitum, neque elegans hic igitur, qualemcunque eum existimare oportet, quid de vobis existimabit, cum sine disciplina, velut alias res agētes, sic inepte vos geratis? Et lib. Aduers. xix. cap. xxiv. Mapalia casas Punicas explicat Festus, in quibus quia nihil est secreti, solet solute viuentibus obijci hoc vocabulum. Haec Festi verba magno possunt esse ad explanandum Senecae locum de morte Claud. Caesaris adhuc hominibus obscurū. *Vos*, inquit, *mera mapalia fecistis*. quod est, vos dissoluti fuistis, & a disciplina recessistis, inconditeque & perturbate omnia egistis. magalia autem & mapalia antiqua vocabularia καλύβας interpretantur. Haec Turnebus. Scaliger in Castigationibus ad Festum: *Mera mapalia fecistis*, hoc est, susque deque habuistis, & dissolute potius egistis. vel potius: Vos, o inepti & dissoluti, id fecistis. Vide quam bene locus ille ex Menippea Senecae huius loci collatione illustretur. & tamen mirum, quantum negotij facessit viris doctissimis, qui in loco Senecae exponendo plurimum aestuarunt. Hact. Scaliger. Lipsius lib. ii. epist. xxiv. Mapalia dici de solute viuentibus Festus notat: id esse huic lectioni stabiliendae Turnebus & Scaliger censent. Peream, nisi a me ipse dissentire mauelim, quàm a talibus viris. Scripta lectio tamen mea est, *mera nuptialia*. Nuptiales sermones, impuri & minime virginales: quid autem? nonne eius notae multa in Claudium ante dicta?

22. Turnebus lib. xviii. cap. xiii. Ianus postmeridianus est consul, credo quòd cum meridie plenum sit forum (nam hoc tempus πλήθουσαν ἀγορὰν vocant) post meridiem frequentissimo iam conuentu feneratores aes locabant, quod Romae ad Ianum fiebat: vel potius, quòd cum Romani magistratus nihil seriō post meridiem inchoarent & agerent, ociosus & superuacaneus esse videatur, & non necessarius, sed imaginarius & in speciem consul. Immo vero consul potius sero factus, vt nimium senex, iocose significatur. Seneca libro iii. quaest. natur. *Nunc vero ad rem seriam, grauem, immensam, pomeridianis horis accessimus*. id est sero.

29. Turnebus ibidem: Nouos auctoratos hic dicit. qui nuper mercede conducti sunt, vt depugnent, qui pro auspicio ferulis vapulabant, cum ipsi ferro carerent & alij gladiatores per ludibrium ferulis eos caederent, vt pueros ludimagistri. nam aduersus eum qui ferrum habuisset, cuius temeritatis esset ferula batuere?

30. Turnebus ibidem: Diespiter filius Nicepotae dicitur imitatione Romana & Graeca. solebant enim eum quem nominabant, cuius filius esset adijcere. sed Nicepotes iste subodendit me, & *Iapeti* legere mallē, vel potius *Nicephori*. nam etsi forte ab Iapeto non deducitur Diouis stemma, tamen sic pro suo iure scripsisse Senecam quispiam crediderit. Hic autem (vt hoc non praetermittam) videtur Diespiter esse diei & lucis pater, quique mane regit, quo tempore nummularij res suas gerunt non perinde post meridiem. In antiquo tamen lexico reperio, Diouem esse Δία νομισμάτων. Et paulo post. At Diespiter nummulariolus vocatur, & ciuitatulas vendere solet, quòd minutus esset feenerator, & paruulas ciuitates haberet obaeratas, quarum nomina cum venderet vel delegaret, vendere ciuitatulas dicitur. Hact. Turnebus.

36. Idem ibidem: Credidisse videntur prisci non tantum nectare & ambrosia deos pasci, verum etiam vilibus quibusdam cibis, vt Romulum rapis: credo de paupertate illius seculi, quo Romulus vixerat. Proinde quasi in caelo iisdem cibis victitet, quibus in terra alebatur, Seneca scripsit, sitque e republ. esse aliquem qui cum Romulo possit feruentia rapa vorare. Martialis libro xiii.

Haec tibi brumali gaudentia frigore rapa
Quae damus, in caelo Romulus esse solet.

P. 479, 22. Lipsius epist. xxiv. lib. ii mauult *concenimus*.

56. Ibidem: Vide ne desit quidpiam: scripseritque Seneca, *vbi iacebat Cerberus, triceps, vel, vt ait Horatius, bellua c.* mihi nescio quid tale subolebat.

P. 480, 23. Alciatus Parerg. lib. vi. cap. v. legit, *si vllam dilaturam fecissent*. pro dilatione & mora.

IN EXCERPTA.

P. 485, 32. Cento hic vulgo De paupertate inscriptus, consarcinatus est ex Senecae epistolis, ii. iv. ix. xiv. xvi. xvii. xviii. xx. xxv. xxxvi. lxxx. lxxxi. lxxxvii. quarum collatio non inutilis erit.

P. 487, 9. M. ss. *aliorum per circuitum, etiā qui aliud se non timere iudicant, hoc timent. Quicquid enim aliud* &c. Mox *eludas*, non *deludas*.

23. M. ss *Dij melius, quod nemo mihi istud minari ipse immortalis potest*. Linea sequenti omittunt *vtrum*.

38. M. ss. *Quid aliud huic respondeam* &c. & v. 49. *lapis ad ossa redacturus*.

P. 488, 4. M. ss. *nemo proijci potest*. Et statim, *in quamcunque terram venero*.

5. Iidem, *sed altera patria est*. & v. 54. *iam autem te habuisse* &c.

P. 489, 5. Scriptus codex, *inter exempla numeratarum*. Puteanus legit, *inter exempla meretricum*.

APPENDIX.

NOtis superioribus iam prelo commißis, & maxima ex parte a typographo expeditis, ad me delatum est exemplar librorum Senecae de beneficiis & clementia in membranis descriptum. Auidus inspexi: loca primum dubia, deinde totum illarum librorum contextum contuli: reperi plurima probatae fidei, a nemine hactenus obseruata, nondum certe vulgata. Ex iis pauca suis locis inserere licuit. Reliqua quae magis insignia erant, hic potius subiungi, quàm celari & praetermitti, e re litteraria fore visum fuit. Sed quidquid emolumenti hinc ad collegium musicum redierit, litterarum peritia ac rerũ vsu clarißimi viri, PETRI DEL-BENII *liberalitati acceptum feratur.*

IN LIBRVM PRIMVM DE BENEFICIIS.

P.2,53. Lectio v.c. *vt spißis aut frixianis prodeant*, iãdudum a Turnebo probata est. Galli villosos quosdã pannos appellant inde deducta voce, *de la frise*.

P.3,58. Facessat omnis labor de mutanda *fistula*. ita enim plane v.c.

P.4,28. Vetus membrana, *Coniugibus alienis ne clam quidem, sed aperte ludibrio aditis, suas* &c.

31. Eadem, *nec alienae vxori anulum praestat*.

34. Tota periodus ita extat in v.c. *iam rapta spargere, sparsa erat agri auaritia recolligere certant, nihil pensi habere, paupertatem alienam contemnere, suum quod vllum aliud vereri malum, pacem iniuriis perturbare, imbecilliores vi ac metu premere*. Illud *erat*, seu vt alij *erant*, legitur in omnibus scriptis: ex duplicis lectionis annotatione residuum. Arbitror enim quosdam pro *sparsa* participio, scripsisse *quae sparserant*. Deinde ex molliuscula litterae r pronuntiatione, *agri* prouenit pro *acri*. Vitium hoc vulgare in libris: *arguit*. pro *arcuit*; *adfigere*, pro *adficere*; *per eũ diligẽtia*, pro *perenndi licentia*, & similia. Clara hinc lectio resultat, *sparsa acri auaritia recolligere certant*. Cetera perbelle habent, modo legas, *suum non vllum aliud vereri malum*: vel, *suum quàm vllum aliud vereri malum*. Librarius fere vbique in Del-benij codice *quod* pro *quam* scripsit, compendiosae notae ignarus. Idem erit ac si dixisset Seneca, *suum magis quàm vllum aliud*, vel, *nullum magis quàm suum vereri malum*.

46. Vox *corpore* recte deest in v.c. iam enim praecesserat, *cultus corporum nimius & formae cura*.

P.5,2. Tolle glossema *incommodo*, ex v.c. *sine vllo meo*, subaudi ex praecedentibus *periculo*.

54. Rectius v.c. *vbi illa defecerant*. vestigia sc. Herculis Liberique.

P.6,24. M.s. *quibus vt iam conuenit*. *vero* non adeo bene conuenit.

IN LIBRVM SECVNDVM.

P.10,20. Vetus codex, *quod experiri animum meum libuit*.

29. Bene idem, *ille, vt consummet*. hoc est, vt rem promissam tandem praestet. *Sumat* locum habere non potest. Mox lege, *Hoc itaque curae habebit*.

43. Idem, *Potest ob id gratus ei iam esse?*

P.11,4. In v.c. scribitur, *a nepote M. Aelio*. & v.21. recte, *sed succurrunt infirmitati*.

P.12,15. Exemplar manu exaratum, *qui hostes victis hostibus iacuere*. Editi libri, *qui victi hostes victoribus iacuere*. Vtrobique glossema se prodit. Seneca scripserat, *quo victi victoribus iacuere*. quo pacto dixerat, *victi victoribus leges dederunt*, referente Augustino lib. VI. de ciuit. Dei, cap. XI.

23. Scriptus liber, *quid se tantu nopere resupinet*. forte, *quid te tantopere resupinet*.

24. Idem eleganter vocula adiecta, *humana fronte, certe leni*.

53. Placet v.c. lectio, *Cum summa amicitiae sit*.

P.13,3. Proba eiusdem lectio. *quaedam accipiente maiora sunt*. confirmatur sequentibus: *est tamen aliquis minor, quàm vt in sinum eius condenda sit ciuitas*. Et statim recte, *confer, & ipsum inter illas quod donabis, examina*. Inter dantium & accipientium personas donum examinari iubet.

6. Scribitur in eodem, *se ipse mensus*. & huius loquendi formulae Senecae familiaris exempla aliquot supra sparsim notata sunt. Similiter sequentia corrigemus ex v.c. fide. lib. IV. cap. XVI. *sibi ipsum inutilem*. lib. V. cap. V. 1. *homines sibi ipsos beneficium dare* cap. IX. *sibi ipse fuisset auxilio*.

44. M.sc. *transeamus ad alteram partem*. huc vsque enim tractauit quod ex priore parte adhuc supererat.

P.14,8. Vetus codex, *Sic ne in beneficiorum quidem sacratißimum ius*. supple ex antecedenti, *indignus recipiendus est*.

24. Idem, *Nam ergo beneficium est ferae auxilium?*

35. Idem, *seruirent, seruituri viri*. forte, *seruirent, sed viri*.

IN LIBRVM TERTIVM.

P.20,19. Membrana vetus, *in adolescentiam collata*, omisso pronomine *nostram*.

P.21,40. Eadem, *quis dißimilibus beneficiis* &c.

P.22,49. Eadem, *iuuare prodesse*. vt alterum abundare videatur.

P.24,20. Iterum, *si a domino iniuriam accipere*, omisso verbo *potest*.

P.25,4. Recte v.c. *ectypa & eminente gemma*. Plinius lib. XXXVII. cap. X. *Hae sunt gemmae, quae ad ectypas scalpturas aptantur.*

49. Idem codex, *aeque & illud, meliores fuisse.* &c. conceditur.

P.26,12. Verborum hic ordo est in v.c. *cum aeque sine patru beneficio, quàm sine nutricis, non potuerim* &c. Sollennis est Senecae & a viris eruditis notatus. Sic lib. v. cap. 1. ex priscis libris scribendum, *magis non supervacuum quàm necessarium.*

P.27,10. Vetus codex, *Seruauit in praelio patrem.* & statim, *tot pericula maximos duces cum maxime praementia.*

P.28,18. Idem, *parentis inuiti.* Quid si legeremus? *parentis immitis.* imperiosum modo dixerat.

IN LIBRVM QVARTVM.

P.31,26. Optime laudatus ornatissimi viri P. Del-benij codex refert, *& vltimus ille dens surgenti iuuentae terminum ponens.* Hic, vt Celsus indicat, sero gigni solet, plerunque vero, vt Aristoteles vult, circiter XX. aetatis annum, vel vt Hippocrates certius definit, in quarto annorum septenario, hoc est ab anno XXI. vsque ad XXVIII. Celsus lib. VIII. cap. 1. *Vtrinque fere maxillares quaterni sunt, praeterquam in his in quibus tres vltimi, qui sero gigni solent, non increuerunt.* Aristoteles de hist. animal. lib. II. φύονται δ' οἱ τελευταῖοι τοῖς ἀνθρώποις γόμφιοι, οὓς καλοῦσι κραντῆρας, περὶ τὰ εἴκοσιν ἔτη καὶ ἀνδράσι καὶ γυναιξίν. Hippocrates libro περὶ ἀρχῶν· Καὶ ἐν τῇ τετάρτῃ δὲ ἑβδομάδι ὀδόντες φύονται δύο ἑκατέρωθεν τῶν ἀνθρώπων, οἳ καλέονται σωφρονιστῆρες. Dicti sunt κραντῆρες, vt Nicãdri scholiastes docet, παρὰ τὸ κραίνειν καὶ ἀποπληροῦν τὴν ἡλικίαν: quòd aetatem perfectam reddant, seu vt Seneca loquitur, surgenti iuuentae terminũ ponant. Σωφρονιστῆρες vero, quòd iis enascentibus homines iuuenilitatem exuere & prudentiores fieri soleãt. Latini genuinos dixerunt. Plinius lib. XI. nat. hist. cap. XXXVII. *Homini nouissimi, qui genuini vocantur, circiter vicesimum annum gignuntur.*

P.33,28. Scriptus codex, *sic beneficium dare, per se expetenda.* vt repetatur ex prioribus, *res est.*

P.34,50. Idem plenius, *si lucri captator est.* Tolerari tamen vulgata lectio potest, vt absolute accipiatur captator, quemadmodum infra cap. XXVI.

P.36,36. Manus exaratus liber, *male filiae suae consulit.*

47. Lege, *quisquis in censu est. Quicquid aliud est, quod* &c.

P.37,25. Scribe ex v.c. *Hoc debemus virtutibus.*

P.38,59. Vetus codex, *vt sestertio centies obiurgatus sim.*

P.39,4. M.sc. *Quod vt nunciatum est, accucurrit.*

IN LIBRVM QVINTVM.

P.41,40. Vera est antiqua lectio, *Cursor cretam prior contingit.* Probat ipse Seneca epist. CVIII. *Hanc quam nunc in circo cretam vocamus, calcem antiqui dicebant.*

P.42,3. Rectius v.c. *imparia datis recepturẽ.*

8. Eleganter v.c. *O ne ille tunc merito* &c. quam exclamandi particulam alibi quoq; in vulgatis libris peruersam, in optimo Del-benij codice integrã, & cũ cura expressam reperi. vt huius libri cap. XIX. *A te ó tibi ipsi & á capite repetitio est.* Lib. VII. cap. XXVII. *ó ne tu nimis fortunae communis oblitus es.*

34. Vetus codex, *a quo vtique victus est.*

P.43,5. Idem, *Vn scire quid vere volueris?*

P.44,51. Non mala v.c. lectio, *commissuras eorum & moras nouit.*

P.45,32. Rectum puto, quod in v.c. habetur, *qui soporem cum venenum esse crederet, miscuit.* Per soporem intelligo medicamentum ὑπνωτικόν, quale medicus Domitio bibendum dedit. supra lib. III. cap. XXIIII. Et epistola LXXXIII. prisci libri legunt, *nec sopore sumpto dormiturum*: hoc est potione soporifera. nam vocẽ *opio*, quam vulgati exhibent, a medico ostentatore suppositam, aut exempli gratia appositam fuisse credo.

P.47,45. Idem, *Sorites enim ille inexplicabilis subit.*

P.48,11. Mureti correctio non plena videtur. v.c. habet, *Si malo viro dedisti, flectere.* Scrutentur alij quid lateat. Non absimilis est locus lib. III. cap. XI. *Si deceptus es, querere, dignum adiuua.* ita enim extat in exemplaribus scriptis.

49. Scite v.c. *Vnde scis nolim an ignorem, animus an facultas desit mihi?*

P.49,11. In eodem legitur, *sed resumere, bono loco itaque positum.* belle, si *vtique* reponas.

IN LIBRVM SEXTVM.

P.51,21. Vetus codex, *Tanquam pecuniam aliquis* &c. Male illam similitudinis vocem Senecae admodũ frequentem expunxerunt. idem valet quod *velut*, seu *exempli gratia.*

32. Recte v.c. *vultum abduxit.* id est vultum auertit, vt initio libri primi.

55. Taurologia est in his verbis, *depositum habet suam actionem propriam.* In v.c. omittitur *suam.*

P.52,49. Nulli dubium quin genuina sit lectio v.c. *cuius nos lis seruauit.* nullius contra momenti vulgata, *cuius nos lis exercuit.*

P.54,34. Rectius cum praepositione ex v.c. legeris, *quae a praecipientibus in commune dicuntur.*

50. Bene deest pronomen *ubi* in vetere exemplari.

P.55,40. Vetus membrana, *sine dubio stare illi & desciscere in contrarium* &c.

IN LIBRVM SEPTIMVM.

P.63,54. Delendum est *qui.* non extat enim in scripto codice.

P.65,28. Probam dico v.c.scripturam, *quae viritim ei seruiunt.* paulo ante, *quod viritim meum est.*

31. Vox *imperatores* irrepsit ex scholio, attestante vetere membrana.

40. Expresse scriptus liber cum vulgo, *nec nos ab illo corripi posse.* & tamē locus male habet. Lipsius probat *& nos.* Abstineo ego manum a particula *nec:* admoneo verbo *corripi*, leuiter vulnerato, & defectum literae *p* in ima parte ita suppleo, vt in *g* concrescat. sic transibit *corripi*, in *corrigi*, & vlcusculum coalescet.

49. Recte v.c. *gentium oculos regumque praestringunt.*

P.66,6. Scribe *Hae* ex v.c. & refer ad vestes.

P.67,38. Lege, vt in ceteris editionibus, *fine te*, non *te*.

P.68,42. Vetus codex, *liberos iugulat.* Expositores substituerunt *filios*.

P.69,19. Idem, *Redde, & te accusa.* & v.43. *At multum erat, cum fuisse* &c. & statim per interrogationem, *Num illos castigare mollius potuit?*

FINIS.

FRAGMENTIS ADDENDA,

PAG. XXVIII.

EX eodem Augustini capite adde: *De illis sane Iudaeis cum loqueretur, ait:* Cum interim vsque eo sceleratissimae gentis consuetudo conualuit, vt per omnes iam terras recepta sit: victi victoribus leges dederunt. *Mirabatur haec dicens, & quid diuinitus ageretur, ignorans. Subiecit plane sententiam, qua significaret, quid illorum sacramentorum ratione sentiret. Ait enim:* Illi tamen causas ritus sui nouerunt, & maior pars populi facit, quod cur faciat, ignorat.

Plutarchus περὶ ἀοργησίας.

Διὸ καὶ τοῦ Νέρωνος ὀκτάγωνόν τινα σκηνὴν ὑπερφυὲς κάλλει καὶ πολυτελείᾳ θέαμα κατασκευάσαντος, Ἤλεγξας (ἔφη ὁ Σενέκας) πένητα σεαυτόν· ἐὰν γὰρ ταύτην ἀπολέσῃς, ἑτέραν οὐ κτήσῃ τοιαύτην. καὶ μέντοι καὶ συνέπεσε, τοῦ πλοίου καταδύντος, ἀπολέσθαι τὴν σκηνήν. ὁ δὲ Νέρων ἀναμνησθεὶς τοῦ Σενέκα, μετριώτερον ἤνεγκεν.

ERRATA.

*In praefatione pag.*iii.*l.*20.*dele* Carneadem. *l.*26.*scribe* & copiosum. *Pag.*vi.*l.*36.a nobis. *Pag.*ix.*l.*32.coepit. *P.*50,2.si quid. *P.*43,51.ergo. *P.*54,21.quam. *P.*89,30.iucundum, sec. *P.*104,53.quam. *P.*113,33.aeque magn. *P.*117,48.Totum. *P.*161, 29.in aequo. *P.*168,6.*post* omnia, *dele punctum.* *P.*205,45.*lege* letumque. *P.*221,55.imbecillitatis. *P.*253,32. Virgo. *P.* 271,20 opus, et. *P.*277,39.texit. *P.*531,27.contumeliose. *P.*555,41.sustentatae. *P.*561,16.ferebatur o.al n.feriendi. *P.*567, 58.*expunge ista*, quorum digiti aliquod inter se carmen metientes semper sonant. *P.*570,12.*repone* diuinitatis. *P.*381,57. dominium. *P.*386,56.quietam. *P.*416,58.per occultum. *P.*451,20.quidam. *P.*458,10.Caesar. *P.*472,55.ista. *P.*591,48.stultitiam. *P.*592,8.*dele* ex. *P.*605,3.*scribe* sacramentis.

RERVM ET VERBORVM IN L. ANNAEO SENECA MEMORABILIORVM INDEX CERTISSIMVS.

in Arcu

Crediti

Fato

Heſiodus

in Lydia

minuta

Pohorce-

Pumi-

*****

Troglo-

Petronij

In collectaneis pag. 640,45. scribe quod. pag. 649,25. arcium.

F I N I S.

M. ANNAEI
SENECAE. RHETORIS
CONTROVERSIAR. LIB. X.
SVASORIARVM. LIBER. I.

MVLTIS. LOCIS. EMENDATI
& annotationibus illustrati.

CVM. INDICE. AMPLISSIMO.

PARISIIS,
Apud Iacobum DVPVYS sub signo Samaritanae.
M. D. LXXXVII.
Cum priuilegio Regis.

AD· M· ANNAEI· SENECAE RHETORIS· LIBROS PRAEFATIO.

OCTORVM suffragio receptum est, hos Declamationum siue Controuersiarum libros esse Senecae rhetoris, Lucij Annaei Senecae philosophi patris. Argumenta quibus suam sententiam fulciunt, vir magni iudicij, rarissimaeque eruditionis & doctrinae, Iustus Lipsius Electorum primo vulgauit: a quo elegantissime scripta peti, quàm aliena huc transferre, vel inuertere malui. Nec recens ac primum nostra aetate nata opinio. Raphael enim Volaterranus sui operis decimonono, Marcus, *inquit,* Annaeus Seneca philosophi pater Cordubensis & equestris ordinis, ac eruditissimus fuit: vt cui declamationes quae filij dicuntur esse, nonnulli referant. *Tantum quae dubitanter protulit, nos constanter asseueremus. De hoc autem Senecae patre apud antiquos altum silentium. Filius apud Cornelium Tacitum se equestri, ac prouinciali loco ortum profitetur: de quo tamen non est dubium, quin sub Caio & initio imperij Claudij, cum primum Gallio, & Seneca filius innotescere cœperunt, plura dixerit, quae cum horum temporum historia interciderunt: Neque enim verisimile est exactae diligentiae scriptorem, quod in ceteris alicuius nominis executus est, clarorum hominum, prioresque partes in Republica habentium genus, patriam, parẽtes, vitae rationem progressumque omisisse. Quin & libro decimosexto Melae exitium traditurus, quibus Gallio & Seneca parentibus natum dicere satis habuit. Quintilianus in egregia illa auctorum censura vnius tantum Senecae philosophi meminit. Itemque Statius Lucani genethliaco dum claros Cordubenses recenset. Nisi fortasse quod a Martiali scriptum est,*

Duosque Senecas, vnicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba:

de patre & filio quis intelligere velit. Nam quod alibi scribit,

Atria Pisonum starent cum stemmate toto,
Et docti Senecae ter numeranda domus:

ad Gallionem, Senecam, & Melam, eodem tempore opibus & dignitate florentes, Pisonique familiares, quod iis etiam exitio fuit, quosque Martialis vna coluit, referendum iudico. Quae tamen ex Volaterrano retuli, vndecunque illa mutuatus fuerit, pro certis & compertis habeo. Praenominis fidem faciunt Marcus blandissimus ille puer Senecae philosophi, et Marcus Lucanus Melae filij in aui honorem ita vocati. Naturali enim quodam impellente affectu, vel sua, vel patrum praenomina liberis antiquos imponere solitos obseruatum est. Quo magis miror diligentissimos viros, qui fastos digesserunt, Lucium Senecam philosophum, Lucij filium ex Dione & Tacito dixisse. Ac vereor ne hac in re auctoritatibus deficiantur. Patriam vero Cordubam liberi & nepotes Cordubenses probant. Illa est enim colonia intra quam se detentum fuisse bellis ciuilibus dicit in praefatione huius operis. Quam primam in Hispaniam deductam ᾤκησαν ἐξ ἀρχῆς, inquit Strabo, Ῥωμαίων τε καὶ τῶν ἐπιχωρίων ἐπίλεκτοι ἄνδρες. Vnde etiam fortasse Patriciae nomen ei inditum. Nam ita ipsam cognominari Plinius capite primo libri tertij naturalis historiae, memoriae prodidit, & in quibusdam nummis Augusti a tergo inscriptum est COL. PATRICIA, *eiusque ciues in lapidibus antiquis Patricienses appellantur. Ordinis vero equestris fuisse praeter Tacitum ipse de se scribit praefatione secunda. Ille enim est ordo quo contentum esse Melam filium iubet: & fuit. Adderem ducta vxore Heluia ex qua tres liberos susceperit, sub Augusto Romam venisse, familiaremque ibi Portio Latroni, Cassio Seuero, Claudio Turrino, Montano, ceterisque illius foecundissimi elegantium ingeniorum saeculi luminibus vixisse, & alia id genus, quae ex his libris & consolatione filij ad Heluiam elici possunt: nisi mihi propositum esset, hos potius emendare, quàm transcribere. Quanti autem fuerit acuminis & quàm acris iudicij, satis superque hoc scriptum indicat, in quo plus centum auctorum tam Graecorum quàm Latinorum qui Augusti saeculum illustrarunt, acute in declamando inuenta & dicta congesserat, congesta inter se contulerat, & de singulis seuerissime iudicando, diuina illa ingenia velut in tabula depicta ad posteritatem transmiserat. Sed nescio quo fato non solum eorum scripta genio illo qui libris vitam & diuturnitatem parit, defecta fuerunt: de tot enim egregiis viris vix vnius Ouidij monumenta ad nos vsque perdurarunt: verum etiam noster auctor, per quem Musae tantorum ingeniorum memoriae & gloriae prouidisse videbantur, eodem paene fato functus est. Nam ex decem Controuersiarum libris quos vulgarat, quinque vix supersunt: iique adeo mutili & corrupti, vt fragmentorum potius congeriei, quàm alicuius integri corporis speciem referant. Graeca enim omnia quae notabilem operis partem efficiebant, penitus interciderunt. Latina vero manca, confusa, perturbata, & vbique tam male habita sunt, vt si ipse auctor rediret, sua esse eiuraret. Nec vnde tanta iactura facile resarciri possit video, nisi Deus aliquis, velut èx machina, alicui feliciori sidere*

nato

nato integrius exemplar obtulerit. Nobis enim tam felicibus esse hucusque non contigit, vt vllum nancisceremur. Nec temere inueniri posse credimus, praeter illud Vaticanum, ex quo primum hi libri reparatae salutis quadringentesimo & nonagesimo, deinde quingentesimo tertio post millesimũ anno Venetiis editi sunt: vnde etiam ceterae editiones quaecunque in Germania, Gallia, & alibi quibusdam ab ingenio mutatis & interpolatis multis etiam in deterius promanarunt. Nisi fortasse verum est, quod aiunt in Hispania quoddam delitescere, ex quo P. Chiaconius magnae eruditionis Hispanus aliquot locis horum librorum Graeca suffecit, quae nobis a doctiss. Vialartio Roma adlata & liberaliter communicata suis locis inseruimus. Nec tamen fraudanda est sua laude Romana editio recens, in qua multa praecipue Controuersiarum primo emendata et correcta, aliquot locis etiam Suasoriarum ex illo Vaticano codice Graeca restituta sunt, quae qui primis emißionibus horum librorum praefuerunt, rara tunc eius linguae cognitione, omiserant. Quam tamen nemini dubium est tersiorem multo & ornatiorem futuram fuisse, si numen illud inuidum magnis & egregiis conatibus intercedere solitum doctiss. & elegantiss. Mureto tantum vitae concessisset, quantum eximiae diuini eius ingenij dotes meruerant, saltem quantum perfectioni ac consummationi recensionis horum librorum susceptae satis fuisset. Quid autem nos hac editione praestiterimus, ex aliarum collatione quisque perspiciet. Tantum lectorẽ admonitum velimus, quicquid in textu horum librorum mutatum est, ex duabus illis antiquis editionibus, & epitomate huius operis, quod hactenus L. Senecae Declamationum nomine adscriptum est, diligenter ad M. sc. exemplaria, & maxime ad antiquißimum & emendatißimum Petri Pithoei, ex quo ille pridem Quinctiliani & Calpurnij declamationes vulgauit, correcto, bona fide expressum esse. Coniecturas nullas admisimus, ne pro germanis suppostitia & dubia pro veris obtrudere videremur. Quae occurrerunt (quid enim hac in re prohibet sibi indulgere quod non veritatis detrimento fiat?) in annotationes reiecimus, vt vel his frui, si modo quaedam sint tam fausto Apolline natae, vt quis inde fructus elici poßit, vel sine receptae lectionis dispendio reiici & ablegari, prout animo libitum erit, queant. Porro Controuersiarum libros inscripsimus, tum quia videtur ita eos denominasse auctor praefatione I. tum etiam suadente ratione. Nam cum duo sint declamationum genera diuersis operibus ab hoc auctore tractata: vt alteri Suasoriarum, ita etiam huic Cõtrouersiarum nomen indidisse par est. Variatum tamen in hac inscriptione prioribus saeculis fuisse certum est. Io. Salisberiensis sui Policrat. lib. VII. decem Rhetorum libros vocat: quomodo etiam optimus ille Pithoei codex epitomen inscribit, Senecae decem Rhetorum, *et quae sequuntur in eodem* ex Calpurnio excerpta decem Rhetorum minorum, *quasi quae praecedant sint maiorum: ceteri declamationum. At declamationes non sunt: sed tantum ex declamationibus selecta. Praeterea declamationis nomen Suasorias complectitur. hic*

controuersiae tantum sunt. Alter ille titulus decem Rhetorum ad Graecorum potius formam, qui decem praecipuos Rhetores celebrant, quàm ad veritatem operis fictus est. Veteres editiones modo Controuersiarum libros, modo Controuersiarum sententias, diuisiones, & colores vocant. Sunt etiam antiqua quaedam excerpta, in quibus Causarum nomine citentur: quomodo initio sui controuersias dictas constat. Praeponũt etiam antiquae editiones Suasorias Controuersiarum libris: in hoc tamen potius naturae ordinem secutae, (prius enim in iis puer exercebatur) quàm temporis quo editae sunt. Patet enim ex Controuersia quarta libri secundi Suasorias vltimo loco ab auctore compositas atque emissas fuisse, quas ideo postponere, receptumque ordinem in recentioribus editionibus sequi maluimus. Cetera quae ad horum librorum intelligentiam in vniuersum spectant, suis locis prosequemur.

M. ANNAEI

M. ANNAEI SENECAE RHETORIS CONTROVERSIARVM LIBER I.

SENECA NOVATO, SENECAE, MELAE FILIIS SALVTEM.

EXIGITIS rem magis iucundam mihi, quàm facilem. Iubetis enim, quid de his declamatoribus ſentiam, qui in aetatem meam inciderunt, indicare, & ſi qua memoriae meae nondum elapſa ſunt, ab illis dicta colligere: vt quamuis notitiae veſtrae ſubducti ſint, tamen non credatis tantum de illis, ſed etiam iudicetis. Eſt, fateor, iucundum mihi, redire in antiqua ſtudia, melioresque ad annos reſpicere, & vobis querentibus quòd tantae opinionis viros audire non potueritis, detrahere ipſam temporum iniuriam. Sed cum multa iam mihi ex me deſideranda ſenectus fecerit, oculorum aciem retuderit, aurium ſenſum hebetauerit, neruorum firmitatem fatigauerit: inter ea quae retuli, memoria eſt, res ex omnibus partibus animi, maxime delicata & fragilis: in quam primam ſenectus incurrit. Hanc aliquando in me floruiſſe, vt ooo tantum ad vſum ſufficeret, ſed in miraculum vſque procederet, oon nego.[a] Nam & duo millia oominum recitata, quo ordine erant dicta, reddebam: & ab his[b] qui ad audiendum praeceptorem ooſtrum conuênerant, ſingulos verſus a ſingulis datos, cum plures quàm duceoti efficerentur, ab vltimo incipiens vſque ad primum recitabam. Nec ad complectenda tantum, quae vellem, velox erat mihi memoria: ſed etiam ad contioenda, quae acceperat. Nuoc autem & aetate quaſſata, & longa deſidia, quae iuuenilem quoque animum diſſoluit, eo perducta eſt, vt etiam ſi poſſit aliquid praeſtare, tamen promitrere non poſſit: & diu ab illa nihil repetiui. Solebat bonae fidei eſſe. Nunc quia iubetis, quid poſſit experiar,[c] & illam cum cura ſcrutabor. Ex parte enim ſpero bene. Nam quaecunque apud illam aut puer, aut iuuenis depoſui, quaſi recentia, & modo audita ſioe cunctatione profert. At ſi qua illi intra proximos annos commiſi, ſic perdidit & amiſit, vt etiam ſi ſaepius ingerantur,[d] totiens tanquam noua audiam.[e] Itaque ex memoria, quantum vobis ſatis ſit, ſupereſt. Neque enim me de his interrogatis, quos ipſi audiſtis: ſed de his, qui ad vos vſque oon peruenerunt. Fiat quod vultis: mittatur ſenex in ſcholas. Illud oeceſſe eſt impetrem, ne me quaſi certum aliquem ordinem velitis ſequi, io contrahendis quae mihi occurreot. Neceſſe eſt enim per omoia ſtudia mea errem, & paſſim quicquid obuenerit, apprehendam. Cootrouerſiarum ſententias forte ponam pluribus locis in vna declamatione dictas. Non enim dum quaero aliquid, inuenio: ſed ſaepe[f] quod quaereoti non comparuit, aliud agenti praeſto eſt. Quaedam vero quae obuerſantia mihi, & iam ex aliqua parte ſe oſtendentia oon poſſum occupare, eadem ſecuro & compoſito aoimo ſubito emergunt. Aliquando etiam ſeriam rem agenti & occupato, ſententia diu fruſtra quaeſita[g] intempeſtiue moleſta eſt. Neceſſe eſt ergo me ad delicias componam memoriae meae,[h] quae mihi iam olim precario paret. Facitis autem iuuenes mei, rem neceſſariam & vtilem, quòd non contenti exemplis ſaeculi veſtri, prioris quoque vultis cognoſcere. Primum, quia quo plura exempla inſpecta ſunt, plus eloquentia proficitur. Non eſt vnus, quamuis praecipuus ſit, imitandus: quia nunquam par fit imitator auctori. Haec natura eſt rei. Semper citra veritatem eſt ſimilitudo. Deinde vt poſſitis aeſtimare, quantum quotidie ingenia decreſcant:[i] & neſcio qua iniquitate naturae, eloquentia ſe retro tulerit: quicquid Romana facuodia habet, quod ioſolenti Graeciae aut apponat, aut praeferat, circa Ciceronem effloruit. Omnia ingenia, quae lucem noſtris ſtudiis attulerunt, tunc nata ſunt. In deterius deinde quotidie data res eſt: ſiue luxu temporum: nihil eſt eoim tam mortiferum

ingeniis, quàm luxuria: siue cum praemium pulcherrimae rei cecidisset, translatum est omne certamen ad turpia, multo honore quaestuque vigentia: siue fato quodam, cuius maligna perpetuaque in omnibus rebus lex est, vt ad summum perducta, rursus ad infimum, velocius quidem quàm ascenderant, relabantur. Torpent ecce ingenia desidiosae iuuentutis, nec in vllius honestae rei labore vigilatur. Somnus languotque, ac somno & languore turpior, malarum rerum industria, inuasit animos. Cantandi, saltandique nunc obscoena studia effeminatos tenent: & capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum feminis, & immundissimis se excolere munditiis, nostrorum adolescentium specimen est. Quis aequalium vestrorum, quid dicam satis ingeniosus, satis studiosus, immo quis satis vir est?[k] Emolliti, eneruesque, quod nati sunt, inuiti manent: expugnatores alienae pudicitiae, negligentes suae.[l] In hos nec Dij tantum mali permittant, vt cadat eloquentia: quam non mirarer, nisi animos, in quos se conferret, eligeret. Erratis, optimi iuuenes, nisi illam vocem non M. Catonis, sed oraculi creditis. Quid enim est oraculum? Nempe voluntas diuina, hominis ore enuntiata. Et quem tandem antistitem sanctiorem inuenire sibi diuinitas potuit, quàm Catonem, per quem humano generi non praeciperet, sed conuicium faceret? Ille ergo vir quid ait? Orator est, Marce fili, vir bonus, dicendi peritus. Ite nunc, & in istis vulsis atque expolitis, & nusquam nisi in libidine, viris, quaerite oratorem. Merito talia habent exempla, qualia ingenia. Quis est, qui nunc memoriae studeat? Quis qui non dico magnis viribus, sed suis placeat? Sententias a disertissimis viris factas, facile in tanta hominum desidia pro suis dicunt:[m] & sacerrimam eloquentiam, quia praestare non possunt, violare non desinunt. Eo libentius, quod exigitis, faciam. Et quaecunque a celeberrimae facundiae viris dicta teneo, ne ad quemquam priuatim pertineant, populo dedicabo. Ipsis quoque multum ptaestaturus videor, quibus obliuio imminet, nisi aliquid tradatur posteris, quo memoria eorum producatur. Fere enim aut nulli commentarij maximorum declamatorum extant: aut, quod peius est, falsi. Itaque ne aut ignoti sint, aut aliter quàm debeant noti, summa cum fide suum cuique reddam. Omnes autem magni in eloquentia nominis videor audisse. Nec Ciceronem quidem aetas mihi eripuerat, sed bellorum ciuium furor, qui tunc totum orbem peruagabatur,[n] intra coloniam meam me continuit. Alioquin in illo atriolo, in quo duos grandes praetextatos ait secum declamare solitos, potui illud ingenium, quod solum populus Romanus par imperio suo habuit, cognoscere:[o] & quod vulgo de alio dici solet, sed de illo proprie debet, potui viuam vocem audire. Declamabat autem Cicero, non quales nunc Controuersias dicimus, nec tales quidem, quales ante Ciceronem dicebantur, quas theses vocabant. Hoc autem genus materiae, quo nos exercemur, adeo nouum est, vt nomen quoque eius nouum sit. Controuersias nos dicimus: Cicero causas vocabat. Hoc vero alterum nomen Graecum quidem est, sed in Latinum ita translatum, vt pro Latino sit. Scholastica controuersia multo recentius est, sicut ipsa declamatio.[p] apud nullum auctorem antiquum, ante ipsum Ciceronem & Caluum, inueniri potest:[q] qui declamationem distinguit. Ait enim, Declamare est, iam [r]non mediocriter dicere. Bene[s] alterum putat domesticae exercitationis esse: alterum verae actionis. Modo nomen hoc prodiit. Nam & studium ipsum nuper celebrari coepit. Ideo facile est mihi ab incunabulis nosse rem post me natam. In aliis autem an beneficium vobis daturus sim, nescio: in vno accipio. Latronis enim Porcij, carissimi mihi sodalis, memoriam saepius cogar retractare, & a prima pueritia vsque ad vltimum eius diem[t] perductam familiarem amicitiam cum voluptate maxima repetam. Nihil illo viro grauius, nihil suauius, nihil eloquentia sua dignius. Nemo plus ingenio suo imperauit. Nemo plus indulsit. In vtraque parte vehementi viro modus deerat: nec intermittere studia sciebat, nec repetere. Cum se ad scribendum concitauerat, iungebantur noctibus dies: & sine interuallo grauius sibi instabat: nec desinebat, nisi defecerat. Rursus cum se dimiserat, in omnes lusus[u] & in omnes iocos se resoluebat. Cum vero se siluis montibusque tradiderat, omnes illos agrestes in siluis ac montibus natos, laboris patientia ac venandi sollertia prouocabat: & in tantam sic viuendi peruenerat cupiditatem, vt vix posset ad priorem consuetudinem retrahi. At cum sibi manum iniecerat, & se blandiendo vnde abduxerat, reuocarat, tantis viribus incumbebat in studium, vt non tantum nihil perdidisse, sed multum acquisiuisse desidia videretur.[x] Omnibus quidem prodest subinde animum relaxare. Excitatur enim otio vigor: & omnis tristitia, quae continuatione pertinacis studij adducitur, feriarum hilaritate discutitur. Nulli tamen intermissio manifestius proderat. Quotiens ex interuallo dixerat, multo acrius violentiusque dicebat. Exultabat enim nouato & integrato robore: & tantum a se exprimebat, quantum concupierat. Nesciebat dispensare vires

suas,

ſuas, ſed immoderati aduerſum ſe imperij fuit. Ideoque ſtudiū eius prohiberi debebat, quia regi non poterat. Itaque ſolebat & ipſe, cum ſe aſſidua & nunquam intermiſſa contentione fregerat, ſentire ingenij laſſitudinem: quae non minor eſt quàm corporis, ſed occultior. Corpus illi erat & natura ſolidum & multa exercitatione duratum. Ideoque nunquam eum ardentis impetus animi deſeruit. Vox robuſta, ſed ſordida lucubrationibus, & negligentia, non natura, infuſcata: beneficio tamen laterum extollebatur: & quamuis inter initia parum attuliſſe virium videretur, ipſa actione accreſcebat. Nulla vnquam illi cura vocis exercendae fuit. Illum fortem, agreſtem, & Hiſpanae conſuetudinis morem non poterat dediſcere: vtcunque res tulerat, ita viuere: nil vocis cauſa facere: non illam per gradus paulatim ab imo vſque ad ſummum perducere, non rurſus a ſumma contentione paribus interuallis deſcendere, non ſudorem vnctione diſcutere, non latus ambulatione reparare. Saepe cum per totam lucubrauerat noctem, ab ipſo cibo ſtatim ad declamandum perueniebat. Iam vero cum rem inimiciſſimam corpori faceret, vetari nullo modo poterat. Poſt coenam fere lucubrabat, [y] nec patiebatur alimenta per ſomnum quietemque aequaliter digeri, ſed perturbata & diſſipata in caput agebat. Itaque & oculorum aciem confuderat, & colorem mutauerat. Memoria & natura quidem felix, ſed plurimum adiuta arte. Nunquam ille quae dicturus erat, ediſcendi cauſa relegebat. Edidicerat illa, cum ſcripſerat, [z] cum id in illo magis mirabile videri poſſit, quòd nec lente & anxie, ſed eodem paene, quo dicebat, impetu ſcribebat. At illi qui ſcripta ſua torquent, qui de ſingulis verbis in conſilium veniunt, neceſſe eſt, quae toties animo ſuo admouerint, nouiſſime affigant. [a] At quorumcunque ſtilus eſt velox, tardior memoria eſt. In illo non tantum naturalis memoriae felicitas erat, [b] ſed ars ſumma, & ad apprehendenda quae tenere debebat, & ad cuſtodienda, adeo vt omnes declamationes ſuas quaſcunque dixerat, teneret. Iam itaque ſuperuacuos ſibi fecerat codices. Aiebat ſe ſcribere in animo. Dicebat ita vt in nullo vnquam verbo eum memoria deceperit. Hiſtoriarum omnium ſumma notitia: iubebat aliquem nominari ducem, & ſtatim eius acta curſu reddebat. [c] Adeo quaecùnque in animum eius ſemel deſcenderant, in promptu erant. Video vos, iuuenes mei, plus iuſto ad hanc eius virtutem obſtupeſcere. Alia vos in illo mirari volo. Hoc quod tam vobis mirum videtur, non operoſa poteſt tradi arte. Intra exiguum pauciſſimorum dierum tempus, poterit quilibet facere id quod Cyneas fecit: qui miſſus a Pyrrho legatus ad Romanos, poſtero die nouus homo & ſenatum, & omnem vrbanam circumfuſam ſenatui plebem, nominibus ſuis perſalutauit. Aut quod ille fecit, qui recitatum a poeta carmen nouum, ſuum eſſe dixit, & protinus memoria recitauit: cum hoc ille cuius carmen erat, facere non poſſet. Aut quod fecit Hortenſius: qui a Siſenna prouocatus, in auctione perſedit diem totum, & omnes res & pretia, & emptores ordine ſuo, argentariis recognoſcentibus, ita vt in nullo falleretur, recenſuit. [d] Cupitis ſtatim diſcere. Suſpendam cupiditatem veſtram, & faciam alteri beneficio locum. Interim hoc vobis, in quo iam obligatus ſum, perſoluam. Plura fortaſſe videor de Latrone meo vobis, quàm audire deſideratis, expoſuiſſe. Ipſe quoque hoc praeuideram futurum, vt a memoria eius, quotiens occaſio fuiſſet, difficulter auellerer. Tamen nec his contentus ero, ſed quotiens me inuitauerit memoria, libentiſſime faciam, vt illum totum & vos cognoſcatis, & ego recognoſcam. Illud vnum non differam, falſam opinionem de illo in animis hominum conualuiſſe. Putant enim fortiter quidem, ſed parum ſubtiliter eum dixiſſe: cum in illo ſi qua alia virtus fuit, etiam ſubtilitas fuerit. Id quod nunc a nullo fieri animaduerto, ſemper fecit. Antequam dicere inciperet, ſedens, quaeſtiones eius, quam dicturus erat, controuerſiae proponebat: quod ſummae fiduciae eſt. Ipſa enim actio multas latebras habet: nec facile poteſt, ſi quo loco ſubtilitas defuerit, apparere: cum orationis curſus iudicium audientis impediat, dicentis abſcondat. At vbi nuda proponuntur membra, ſi quid aut numero, aut ordine excidit, manifeſtum eſt. Quid ergo? Vnde haec de illo fama? Nihil eſt iniquius his, qui nuſquam putant eſſe ſubtilitatem, niſi vbi nihil eſt praeter ſubtilitatem: & in illo cum omnes oratoriae virtutes eſſent, hoc fundamentum tot & tantis ſuperſtructis molibus obruebatur. Nec deerat in illo, ſed non eminebat. Et neſcio an maximum vitium ſubtilitatis ſit, nimis ſe oſtendere. Magis nocent inſidiae, quae latent. Vtiliſſima eſt diſſimulara ſubtilitas, [e] quae effectu apparet, habitu latet. Interponam itaque aliquibus locis quaeſtiones controuerſiarum, ſicut ab illo propoſitae ſunt. Nec his argumenta ſubtexam, ne & modum excedam, & propoſitum tam meum quàm veſtrum, cum vos ſententias audire velitis, & quicquid ab illis abduxerit, moleſtum futurum ſit. Hoc quoque Latro meus faciebat, vt amaret ſententias. Cum diſcipuli eſſemus apud Marillium rhetorem, hominem ſatis aridum, pauciſſima belle, ſed non vulgaro genere dicentem: cum ille exilitatem orationis ſuae imputaret con-

trouerſiae, & diceret, Neceſſe eſt me per ſpinoſum locum ambulantem, [f] ſuſpenſos pedes habere: aiebat Latro, Non mehercules tui pedes ſpinas calcant, ſed habent. Et ſtatim ipſe dicebat ſententias, [g] quae inrerponi argumentis cum maxime declamantis Marillij poſſent. Solebat antem & hoc genere exercitationis vti, vt aliquo die [h] nihil praeter epicheremata ſcriberet, aliquo die nil praeter enthymemata, aliquo die nil praeter has tranſlatitias, quas propric ſententias dicimus, quae nihil habent cum ipſa controuerſia implicitum, ſed ſatis apte & alio transferuutur: tanquam quae de fortuna, de crudelirate, [i] de ſaeculo, de deliciis dicuutur. Hoc genus ſententiarum ſupellectilem vocabat. Solebat ſchemata quoque per ſe quaecůque controuerſia reciperet, ſcribere. Et putant illum homines hac virtute caruiſſe: cum ingenium quidem eins hac dote abuudauerit, iudicium autē fuerit ſtrictius. Non placebat illi orationem inflectere, nec vnquam recta via diſcedere: niſi cum hoc aut neceſſitas coegiſſet, aut magna ſuaſiſſet vtilitas. Schemata negabat decoris cauſa inuenta, ſed ſubſidij: vt quod palam aures offenſurum eſſet, ſi palam diceretur, id oblique & furtim ſurreperet. Summam quidem eſſe dementiam, detorquere orationem, cui rectam eſſe liceret. Sed iam non ſuſtineo vos morari. [k] Scio quàm ſit odioſa Circenſibus pompa. Ab ea autem controuerſia incipiam, quam primam declamaſſe Latronem meum memini, admodum iuuenem, in Marillij ſchola, [l] cum iam coepiſſet diem ducere.

Patruus abdicans. CONTROVERSIA I.

LEX eſt. LIBERI PARENTES ALANT, AVT VINCIANTVR. Thema. *Duo fratres inter ſe diſſidebant, alteri filius erat: patruus in egeſtatem incidit. patre vetante, adoleſcens illum aluit: ob hoc abdicatus, tacuit. adoptatus a patruo eſt. patruus accepta hereditate, locuples factus eſt. egere coepit pater. vetante patruo, aluit illum. abdicatur.*

PRO ADOLESCENTE. *Porcij Latronis.* Quid mihi obiicis? Puto luxuriam. Quicquid vnquam immodeſta largitione effudimus, id omne cōſumebatur in alimentū duorum ſenum. Cum vetaret me pater, aiebat: Ipſe mihi cum egerem, alimēta non dabat. Eo iam perductus erat, vt omnem ſpem vltimorū alimentorū in ea domo poneret, in qua habebat abdicatum, & inimicum. Ecce oppreſſit increſcentem. quid acturus es? pluris tibi frater efferēdus quàm alendus eſt. Quis rogatus eſt? aut quis fratrem tam locuples frater alere non poteſt? Miſerrimus ſenex diuitias ſuas, & iam extremum blandimentum in ſtipem perdidit. Ipſe, inquit, me nou aluit. Imitationem alienae culpae innocentiam vocas? Nec eo quidem aeſtimas, quanta iſta crudelitas ſit: quòd ſi quis fratrem non alit, nec a filio quidem alendus eſt? Quid adoptionem iactas? Tunc ad te veni, cum haberem diuitem patrem. Parcius quaeſo fratres. Iudices habemus deos. Scis tuto te facere. etiam ſi abdicaueris, alam. Fatendum eſt crimen meum, tardius miſertus ſum. Iterum do poenas: egeo. Parentibus meis, cum in cetera odium ſit, tantum in meam notam cōuenit. O felix ſpectaculum, ſi vos in gratiam poſſum reducere, faciam hoc, quod vultus quoque veſtri hortantur. Surgite patres, adeſte iudices. alter mihi ex parentibus ſeruatus, alter ſeruandus eſt. porrigite mutuas manus in gratiam, me foederi medium pignus addite. Intet duos contendentes, medius elidar. Ergo fame morientem videbo, per cuius cineres iuraturus ſum? Omnis inſtabilis & incerta felicitas eſt. Quis crederet, iacentē ſupra crepidinem Marium aut fuiſſe conſulem, aut futurum? Quid porro tam longe exempla repeto? tanquam modo non ſit qui illum vidit. Quid non timendum felicibus putas? quid deſperandum infelicibus? *Iunij Gallionis.* Ego indicabo, cur me abdices: tu indica, cur adoptaueris. Quaedam accedunt noua. Et quidem noua. Illud non miror, quòd miſericordia obiicitur. Illud mirot, quòd hic obiicit. Sic enim me geſſi, vt hoc crimine duos patres obligarem. vterque me amat, vterque ali miſet deſiderat, vterque prohibet. Nec ſecum, nec mecum fortuna bene couuenit. Componite aliquando bonos quidem, ſed contumaces viros. Vter diſcordiae cauſam praebuerit, nolite a me exigere. Vterque patruus eſt, vterque pater eſt. Tranſit ad iſtum fratris ſui & fortuna & animus. Miſericors ſum. Non mutaſſem patrem, ſi naturam mutare potuiſſem. *P. Aſprenatis.* Fortunae eſt lex, praeſtare quae exegeris. Miſerere. Mutabilis eſt caſus: dederunt victis terga victores: & quos prouexerat fortuna, deſtituit. Quid referam Marium, ſexto conſulatu Carthagine mendicantem, ſeptimo imperantem? Ne circa plura inſtabilis fortunae exempla te mittam, vide quis alimenta rogetur, & quis roget. *Othonis Iunij.* Pater timeo mutationem, & ille nihil prius ex bonis quàm filium perdidit. *Arelij Fuſci.* Pater ecquid aperis mi penates tuos? Non ſum hoſpes grauis, vnum ſenem adduco. hoc tibi vitio pater placui. Venit ignotus ſenex. volo tranſire iacentem. per patrem rogat. Ergo aliquis peribit fame, qui filium ſuum optat

ſuper-

ſuperſtitem?Quid hoc eſſe dicam,quòd me tam periculoſe abdicant? quòd totiens iſti fortunam mutant,quotiens ego patrem?Redite in gratiam.Inter funeſtas acies armatae manus in foedus porriguntur. Perierat totus orbis, niſi iram finiret miſericordia. Aut ſi tam pertinacia placent odia,parcite.'Iactatus inter duos patres, vtriusque filius, ſemper tamen felicioris abdicatus : poſitus inter duo pericula,quid faciam? qui alunt, abdicant : mendicant, qui non alunt.Illud tamen pater deos teſtor, diuitem te relinquo. *Ceſtij Pij*. Tali me operi praeparaueram. volebã fratres in gratiam reducere.at niſi impetrauero vt boni fratres ſint, impetrabo ne mali patres ſint.Vterque me amauit, vterque pro me vota fecit:quantum eſt, dixero, vterque me aluit? Quae cauſa fuerit diſcordiae, neſcio. Timeo, ne iſte prior egere coeperit. Quid obiicis pater?Hoc tu obiicis?ſcio quendam in hac ciuitate propter iſtud crimen adoptatum. Frater me,inquit,alere noluit.Inueniſti quo poſſim me defendere.Poſſum liberos tollere, vt prae meis oculis narrem auum illorum fame periſſe? Non fefelli. qualis eſſem,ſciuiſti & cum adoptares.Bis abdicatus ſum.volo vtrũque cauſam meam agere,neutrum pro me volo. adſit mihi alius. ſemper cauſa mea habebit aduocatum patruum,aut patrem.Alter alterum amet : vterque me amabit. Vis illum veras poenas dare? ſentiat, quam bono fratri iniuriam fecerit. *Pompeij Silonis*. De patre bene quod eum per aetatem noſſe non poſſum : ſed habet & ille beneficium meum. duos eius filios alui. Surge infelix ſenex. quid putatis illum flere?quòd eget? imo quòd abdicauit, quòd aluit. *Argentarij*. Vides enim,liberalis in domo tua eſſe coepi, ille propter me duxit vxorem, cum fortaſſe iuuenem adoptare poſſet.Haec abdicantis fuere verba:I ad illum, quem magis amas, quàm patrem. Non omnibus imperiis parendum eſt : nihil interim noui facio : ſcis me & priori patri non paruiſſe.Venit demiſſa barba, capilloque deformi, non ſenectute, ſed fame membris trementibus, ſemeſa & tenui atque eliſa ieiunio voce,vt vix exaudiri poſſet, introrſum conditos oculos vix alleuans:Alui.quomodo,quaeritis? quomodo iſtum. *Cornelij Hiſpani*.Putato me hodie non abdicari,ſed adoptari. Volo quaedam futura praedicere patri. Hic quem vis adoptare, inimicum patris ſui inuito patre aluit : reliquit aequo animo beatam domum, vt cum mendico viueret. Noueris oportet hoc eius vitium. ad praeſtandam calamitoſis miſericordiam contumax eſt. Habeo quod de hoc vitio queri poſſim : hoc enim patrem, hoc patruum perdidi.Quàm multi patres optant ſimilem filium!Bis abdicor. Homo eſt:non vis ali hominem?ciuis eſt:non vis ali ciuem?amicus eſt:nõ vis ali amicum? propinquus eſt:non vis ali propinquum?ſic peruenitur ad patrem:homo eſt,ciuis eſt, amicus eſt,propinquus eſt. Ergo non erit vitium porrexiſſe ſtipem, niſi dixero,Pater eſt? *Vibij Calui*. Circuibo tecum, pater,aliena limina:oſtendam omnibus,& me qui alimenta dedi, & te qui negaſti. *Romani Hiſponis*. Scio, pater, melius eſſe quod tu dicis:iſtud ego ſi poſſem, nunquam abdicatus eſſem.Fateor vitium meum : hoc quoque prior in me emendare voluit pater, nec potuit.Impuliſti me in fraudem.qui me abdicabat, aiebat,Non oportet fieri : tu dicebas,Oportet:tibi credidi.Non dedit, inquit, mihi alimenta. defuerunt tibi? Quisquis alimenta a mendico rogatus eſt, nihil amplius quàm iter ei monſtrat. Vade ad fratrem, i ad filium : iam quidam nobis eandem fortunam precantur. Crede mihi, ſacra populi digna eſt. *Albutij Sili*.Tollite veſtras diuitias,quas huc atque illuc incertae fortunae fluctus appellet:redite in gratiam: innocens ſum.

PARS altera.*Valli Syriaci*. Creſcere ex mea propoſuit inuidia. ſequemur ſenes, quò vocat ambitio iuuenilis: & contionem illi praebebimus. melius ſe poteſt iactare quàm defendere.Ecquid iuſtus metus meus eſt? ne heredem ingratum ſcribam, inimicum relinquam. Inter cetera,quae mihi cum inimico patior eſſe communia, & hoc eſt:infeliciſſimam & triſtiſſimam ambo egimus vitam, excepto vno, quòd alter alterum egentem vidimus, immo fecimus.Adiice iſtis verborum contumeliis, Ad caelum manus ſuſtulit, faſſus ſe huius ſpectaculi debitorem:& tunc primum fratri vitam precatus eſt. Laetitiam patrimonij parti, vt ex tantarum calamitatum ſtupore, nullam percepi, niſi quòd iſti daturus eram omnia, illi negaturus.Liquet nobis Deos eſſe.Qui non aluit,eget:qui in domum ſuam fratrem non cepit,in publico manet.Aequauit iam potentiam meam cum illius potẽtia fortuna : niſi quòd haec prior facere non poſſum.Adoptaui te, cum abdicatus es. cum abdicas,abdico. *Vibij Furij*.Cum egerem,aiebam:Satis ſe vindicauit,quòd a diſpenſatore locupletis inimici,conſors modo omnis fortunae diurnum petam. *Marillij*. Ille autem audebit rogare, qui mori mallet,quàm verba ſua ſibi dici?Multis debeo miſericordiam : a multis tuli.quisquis eſt qui me vlla calamitate ſimilem effinget, perinde habebo, ac ſi gradu cognationis attingat. Scio quàm acerbum ſit, ſupplicare exteris : ſcio quàm graue ſit, repelli a domeſticis : ſcio quàm graue ſit, quotidie & mortem optare, & vitam rogare.Etiam ſi tu non odiſti eum qui

mihi fecit iniuriam: ego odi eum, qui fecit tibi.

DIVISIO. Diuisio controuersiarum antiqua simplex fuit: recens vtrum subtilior, an tantum operosior, ipsi aestimabitis, ego exponam quae aut veteres inuenerunt, aut sequentes astruxerunt. *Latro* alias quaestiones fecit: diuisit in ius & aequitatem, an abdicari possit, an debeat. sic quaerit, an necesse fuerit illi patrem alere, & ob id abdicari non possit, quod fecit lege cogente. Hoc in has quaestiones diuisit: An abdicatus non desinat esse filius: an is desinat, qui non tantum abdicatus, sed etiam ab auo adoptatus est, etiam si filius erat: an quisquis patrem non alit, puniatur, tanquam aeger, vinctus, captus: an aliquam filij lex excusationem accipiat: an hoc accipere potuerit: an abdicari debeat. Per hoc quaesiuit, an etiam si ille indignus fuit qui aleretur, hic tamen recte fecerit qui aluit: deinde, an indignus fuerit qui aleretur. Noui declamatores Graecis auctoribus adiecerunt primam illam quaestionem, An adoptatus abdicari possit. hac Cestius vsus est. adiecit quaestionem Gallio alteram, An abdicari possit iam adoptatus, ob id vitium, quod antequam adoptaretur, notum fuit adoptanti. hoc autem ex aequitatis parte pendet, & tractatio magis est quàm quaestio. *Gallio* quaestionem primam Latronis duplicauit sic: Licuit mihi alere, etiam te vetante: deinde non licuit non alere. In priori parte hoc vindicauit, non posse filium ob id abdicari, quòd esset suae potestatis: nulli autem interdici misericordiam. Quid si flere me vetes, cum vidi hominem calamitosum? quid si vetes propter aliquod honestum factum periclitanti fauere? affectus nostri in nostra potestate non sunt: quaedam enim iura non scripta, sed omnibus scriptis certiora sunt. Quamuis filius familiae sim, licet mihi & stipem porrigere mendico, & humum cadaueri. Iniquum est, collapsis manum non porrigere: commune hoc ius generis humani est. nemo inuidiosum ius postulat, quod alteri profuturum est. *Latro* illud vehementer pressit. Non feci ratione, affectu victus sum. cum vidissem patrem egentem, mens non constitit mihi: quid vetueris, nescio. Hoc aiebant non esse tractandum tanquam quaestionem, esse tamen potentius quàm vllam quaestionem. *Fuscus Arelius* pater hoc mouit in vltimo, tanquam quaestionem: Putaui te, quamuis vetares, nihilominus velle ali fratrem. Vultu vetabas, aut mihi ita videbaris. *Cestius* audacius: Non fuit contentus dicere, Putaui velle te: adiecit, Voluisti, & hodie quoque vis: & sua figura dixit omnia, propter quae velle deberet, quare ergo abdicas? puto, indignaris praereptum tibi officium.

COLOR. *Latro* colore simplici pro adolescente, habere, non quod excuset, sed quo glorietur. Non potui, inquit, sustinere illud durum spectaculum. Offensam mihi putas tantum excidisse? mens excidit, non animus mihi constitit, non in ministerium sustinendi corporis suffecerunt pedes; oculi subita caligine obtorpuerũt. Alioquin ego si tũc meae mentis fuissem, expectassem dum rogaret? *Fuscus* illum colorẽ introduxit, quo frequẽter vti solebat, religionis: Mouet, inquit, me natura, mouet pietas, mouet & humanorũ causa, & tam manifesto approbata exemplo veritas. Stare ante oculos fortuna videbatur, & dicere talia: Hi sunt, qui suos non alunt. *Albutius* hoc colore. Accessit, inquit, ad me pater, nec summissis verbis locutus est, non rogauit, sed, quomodo agendum erat cum filio, aliter me iussit. recitauit legem, quam ego semper scriptam etiam patruo putaui. Deinde dixit, Praestiti non quantum patri praestare debui, sed quantum vetanti surripere potui. *Blandus* colore diuerso. Venit subito deformis squalore, lacrymis. O graues fortuna vires tuae. Ille diues modo superbus rogauit alimenta, rogauit filium suum, rogauit abdicatum suum. Interrogas, quàm diu rogauerit? ne dij istud nefas patiantur, vt diu rogauerit: diutius tamen quàm tu. Quaeritis, quid fecerit? quod solebat. *Silo Pompeius* hoc colore. Mouet, inquit, me, quòd nihil suo iure, nihil pro potestate, quòd tanquam patruus accessit: ego vero non expectaui verba, non preces: complexus sum, & osculatus patrem, dedi alimenta. hoc vnum crudeliter feci, quòd dixi fratrem dedisse. Non alere, sed exprobrare visus sum. *Triarius* hoc colore. Timui, inquit, si non aluissem, ne abdicaret a patre: sciebam quomodo illi placuissem. *Argentarius* hoc colore. Accessit, inquit, ad me pater obrutus sordibus, tremens, deficientibus membris: rogauit alimenta. Interrogo vos, Iudices, quid facere oporteat? * nam istum non interrogo. Scit quid facturus sim. Nam patrem vt alteri patri faciam iniuriam, alteri inuidiam. Cum vetuisset me alimenta praestare, si qua est fides, non putaui illum ex animo vetare. lenocinatur, inquam, gloriae meae, vt videar etiam prohibitus aluisse. *Marillius* nouo colore egit. Cecidit in pedes meos senex, squalidus barba capilloque. mouit, inquam, nescio quis iste misericordiam meam. alleuaui, cum ignorarem quis esset: vultis repellam, quòd pater est? *Cestius* hoc colore. Haec mecum cogitaui. Patrem meum egentem video: frater nec miseretur, nec praestat alimenta: hoc est, inquam, noui

noui vitij, eripere filio officium. Sciebam hanc fortunam meorum, has iam meas esse parteis. Hoc peccaui, quòd non vltro ad patrem accessi. sed aiebam, Nolo quicquam amplius praestare, quàm illi praestiti. Expectaui, donec patruus ad me veniret. & nunc expectabo. Venit ad me pater, quid debui facere? perducerem illum ad patruum? non feci, merito irascitur. Potuit enim, si aluisset, leuare quidem fortunam fratris, sed causam aggrauare. *Butconis* colorem non approbat Latro: praestitisse se dixit exiguum, tantum quo spiritum posset producere. & dum descripsisset pallorem eius & maciem, adiecit, Apparet illum ab inimicis ali. Hunc colorem cum improbaret Latro, hac sententia vsus est: Non est, inquit, abdicato quidquam ex gloria sui criminis detrahendum. *Hispanus* hunc colorem venustius. nam & miserationi eius qui benignissime alit, adiecit aliquid: & pietati suae nihil detraxit. Quomodo, inquit, illum alo? Exiguos furtiue cibos mitto: & si quid de mensa mea detrahere potui, famelico seni porrigo. Non credis, quia scis quomodo te aluerim. Colorem ex altera parte quae durior est, vltro aiebat hunc sequendum, vt grauissimarum iniuriarum inexorabilia & ardentia induceremus odia. Thyesteo more aiebat, patrem non irasci tantum debere, sed furere. Ipse in declamatione vsus est summis clamoribus, illo versu tragico: Cur fugis? fratrem scit ipse. Hunc colorem secutus *Syriacus* Vallius durum sensum videbatur non dure posuisse in narratione sic. Infelicissimam ambo & tristissimam egimus vitam, excepto quòd alter alterum egentem vidimus. Aeque efficaciter videbatur odium expressisse fraternum, hac sententia: Vos Iudices audite, quàm valde eguerim: fratrem rogaui. Hanc partem memini apud Caestium declamari ab Alfio Flauo, ad quem audiendum me fama perduxerat: qui cum praetextatus esset, tantae opinionis fuit, vt P. Romano puer eloquentia notus esset. Semper de illius ingenio Cestius & praedicauit, & timuit. Aiebat tam immature magnum ingenium non esse vitale: sed tanto concursu hominum audiebatur, vt raro post illum auderet Cestius dicere. Ipse omnia mala faciebat ingenio suo: naturalis tamen illa vis eminebat: quae post multos annos tametsi desidia obruta, & carminibus eneruata, vigorem tamen suum tenuit. [b]Semper autem eloquentiam eius commendabat aliqua res extra eloquentiam. In puero lenocinium erat ingenij, aetas: in iuuene, desidia. Hic cum declamaret partem abdicantis, hanc summis dixit clamoribus sententiam. *Alfij*. Quis es tu, qui de facto fratrum sententiam feras? Ille tunc peccauit: tu nunc peccas. ad te arbitrum odia nostra non mittimus: iudices habemus deos. Et illam sententiam: Audiuimus fratrum fabulosa certamina, & incredibilia, nisi nos fuissemus: impias epulas, detestabili parricidio furuum diem. Hoc vno modo iste frater a fratre ali meruit. Quàm innocenter me contra parricidium vindico? filium illi suum reddo. *Cestius* hunc colorem tam strictum non probauit, sed dixit temperandum esse: & ipse hoc colore vsus est, quem statim a principio induxit. Miratur aliquis, quòd cum duo grauissimam accepерimus iniuriam, ego & filius, ego solus irascor? non est quòd quisquam miretur. iam filio satisfactum est. Debuisti me rogare, vt ipse praestarem: debuisti illum ad me perducere: debuisti reconciliationem tentare, non famam pietatis ex nostra captare discordia. Fortasse ego cum egerem, fratrem rogassem, si tu non fuisses. fortasse ille me rogasset, si tu non fuisses. poterat nobis conuenire, si non fuerit in medio, quem potius miseri contumaces rogent. *Hermagoras* in hac controuersia transit a prooemio in narrationem eleganter, rarissimo quidem genere, vt in eadem re transitus esset, sententia esset, schema esset: sed vt Latroni placebat, schema quod vulneret, non quod titubet. * * *

Ex altera parte transit a prooemio in narrationem *Gallio*, & ipse per sententiam sic: Quidni filium mihi nolim cum isto communem esse, cum quo vtinam communem nec patrem habuissem? *Diocles Carystius* illum sensum a Latinis iactatum dixit breuissime, rarissimo genere, quòd sententia verbis consumatur. nec enim paucioribus potest. * *

Euctemon leuis declamator, sed dulcis, dixit noue & amabiliter illum aeque ab omnibus vexatum sensum, quo reconciliatio fratrum tentatur. * *

Sacerdos prostituta. CONTROVERSIA II.

LEX. [a]SACERDOS CASTA E CASTIS, PVRA E PVRIS SIT. Thema. *Quaedam virgo a piratis capta veniit: empta a lenone, & prostituta est. Venientes ad se exorabat stipem. militem qui ad se venerat, cum exorare non posset, colluctantem & vim inferentem occidit.* [b] *accusata, & absoluta, remissa ad suos est: petit sacerdotium. Contradicitur.*

CONTRA PVELLAM. *Porcij Latronis.* [c] Sacerdos nostra adhuc in lupanari viueret, nisi hominem occidisset. Inter barbaros quid passa sit, nescio: quid pati potuerit, scio. Sacerdo-

ti ne purus quidem contigit dominus. Absint ex hoc foro lenones, absint meretrices: ne quid parum sanctum occurrat, dum sacerdos legitur. si nihil aliud, certe osculatus est te, quisquis puram putabat. O egregium pudicitiae patrocinium: militem occidi. At hercules lenonem non occidisti. Deducta es in lupanar, accepisti locum, pretium constitutum est, titulus inscriptus est: hactenus in te inquiri potest. Ceterum nescio quid cellulam & obscoenum lectulum voces. De pudicitia sacerdotis hic quaeritur. Nemo, inquit, mihi virginitatem eripuit. Sed omnes quasi erepturi venerunt: sed omnes quasi eripuissent, recesserunt. [d] Quo mihi sacerdotem, cuius precaria est castitas? cum ex illo lupanari cruenta fugeres, si * qua tibi occurrisset. Si mater tua prostitisset, tibi noceret: propter te liberis tuis sacerdotium non daretur. *Fuluij Sparsi.* Quid inclusa feceris, nec quaerere debemus, nec scire possumus. *Cornelij Hispani.* Occidisti hominem. quid respondes? vim afferebat mihi. Puto, sacerdoti pro libertate vota facienda sunt: captiuae mandabitis? Pro pudicitia vota facienda sunt: prostitutae mandabitis? Pro militibus vota facienda sunt: isti mandabitis? Id enim deerat, vt templa eas reciperent, quas aut carcer, aut lupanar eiecit. *Marillij.* Vt sciamus illam apud lenonem fuisse, blanda est: vt sciamus apud piratas, cruenta est. Nemo, inquit, me attigit. domi lenonis rationes captura conueniet. Age, si quis venit pertinax? age, si quis hoc ipsum concupiuit quòd virgo eras? age, si quis, ne negare posses, ferrum appulit? *P. Vinitij.* Eam sacerdotem facite, quae aut honeste maneat, quod semper fuit: aut poenam sentiat, si esse desierit. Cuius audaciae es puella? etiam si nobis non timeremus, tu tibi metuere deberes. Aliter deorum numini subiecta vniuscuiusque conscientia est, aliter nostrae aestimationi. Nos tantum quae feceras palam, vidimus; illi, etiam quae secreta sunt. Indignam sacerdotio dicerem, si transisses per lupanar. Procedente hac lictor submouere iubebitur? huic praetor via cedet? summum imperium consules cedent tibi? Quaecunque meretrix prostrata fuit, fugiet? Fas sacerdoti non esset, ancillam tibi similem habere: fieri te sacerdotem fas erit? Nam quod ad sortem pertinet, ne reliquae virgines contaminarentur, haec segregata est. Castam te putas, quia inuisa meretrix es. Nuda in litore stetit ad fastidiũ emptoris: omnes partes corporis & inspectae & contrectatae sunt. Vultis actionis exitũ audire? Vendit pirata, emit leno, excipitur nihil. Eo deducta es, vbi tu aliud honestius nihil facere potuisti quàm mori. Quae stipem rogasti, sacerdotium rogas? Fortuna, inquit, hoc me coegit pati: misereri debent omnes mei. Et ego misereor tui, puella. sed non facimus miserandas sacerdotes. non est apud nos maximus honor, vltimorum malorum solatium. *Mentonis.* Honorem habitum auribus maiestatique velim vestrae, quòd necesse est in hac causa nominare lupanar, lenonem, meretricios quaestus, homicidium. Quis credat? Inter haec sacerdos quaeritur. At mehercules futurae sacerdoti nihil ex his audiendum erat. Sacerdotis vestrae summa notitia est, quòd prostitit: summa virtus, quòd occidit: summa felicitas, quòd absoluta est. Non potest in ea sperari sacerdos, in qua sperari meretrix potest. Aliis oculis virginem leno aestimat, aliis pontifex. *Blandi.* Virgo sum, inquit. interroga, si dubitas, archipiratam: interroga gladiatorem, an rogatus virginitati pepercerit. Non refello, dum scias clausa esse testibus tuis templa. In auctione nemo voluit liceri, vt enotuit, seruisse piratis: non videbatur iste virginis vultus, ista constantia, & ne armatum quidem timens audacia. *Arelij Fusci patris.* Ne metuas puella, pudica es: sed sic te viro lauda, non templo. Meretrix vocata es, in communi loco stetisti, superpositus est cellae tuae titulus, venientes recepisti. Cetera, etiam si in communi loco essem, tamen potius tacerem. *Pompeij Silonis.* Excipitur meretricum osculis. Docetur blanditias, & in omnem motum corporis confringitur. Auertite aures petiturae sacerdotium, dum reliqua narro, nihil ad vos deferam dubium, nihil audietis, nisi quod vicina ciuitas vidit. Tu sacerdos? quid si tantum capta? quid si tantum prostituta? quid si tantum homicida? quid si tantum rea fuisses? *Romani Hisponis.* Nunquid hoc negas, colluctatam te tamen cum viro? quem in illa volutatione necesse est prius super te fuisse. Adiiciebat *Zeno*, merito occisum militem. Plus ausum, quàm in prostitutam licebat. Exorasti populum. Nunquid & lenonem? nunquid & piratam illum, quem non poteras occidere? *Argentarij.* Armatum, inquit, occidi. Quid inermis gloriatur homicidio eius, quem nescio an sero occiderit? *Cestij Pij narratio.* Ita domi custodita est, vt rapi posset: [e] ita curae fuit suis, vt rapta non redimeretur: ita raptae pepercere piratae, vt lenoni venderetur: sic emit leno, vt prostitueret: sic venientes deprecata est, vt ferro opus esset. Coniectum in vrnam nomen eius non exiit, sed eiectum est. tempus erat nos sortiri, vrna purgata est. Stetisti puella in lupanari: vt nemo te violauerit, locus ipse violauit. Stetisti cum meretricibus, stetisti sic ornata, vt populo placere posses, ea veste quam leno dederat. Nomen tuum pependit in fronte: pretia stupri ac-

pri accepisti, & manus, quae diis datura erat sacra, capturas tulit. cum deprecareris intrantis amplexus, vt omnia alia impetraris, osculo rogasti. Ancillae ex lupanaribus sacerdoti non emuntur: coram sacerdote obscoenis hominess abstinent. Non sine causa sacerdoti lictor apparet, occurrenti tibi meretricem submouisset. Non est credibile, temperasse a libidine piratas, omni crudelitate efferatos, quibus omne fas nefasque lusus est, simul terras & maria latrocinanteis, quibus in aliena impetus per arma est: iam ipsa fronte crudeles, & humano sanguine assuetos, praeferentes ante se vincula, & catenas, grauia captis onera. A stupris remouere potuisti, quibus inter tot tanto maiora scelera, virginem stuprare, innocentia est? Sed lupanar excipit omnes: sordida iniuriosaque turba huc influit, nec quisquam eo vt iudicet, venit. At omnes fauere fabulis tuis, at omnibus persuasum est. Nemo in tanta euntium redeuntiumque turba inuentus est, qui fortunae tuae vellet illudere? Ergo tu cum tam innocens quàm dicis, ista passa es, credis deos esse? Nihil, inquit, passa sum. hoc satis est nupturae, sacerdoti parum. Vbi adhuc fuisti? discede, ignota es: discede, nimium nota es. *P. Aspernatis.* Contradico, non inimicitiis cuiusquam impulsus. Quod enim odium, quae inimicitiae cuiusquam esse possunt, quam nemo ciuium suorum norat antequam prostitit? Mouet me respectus omnium virginum, de quibus hodie grauis fertur sententia; si in ciuitate nulla inueniri potest, neque meretrice castior, neque homicida purior. Piratae te inuiolatam seruauerunt? a sacerdote se non abstinuisset pirata, leno, mango. De sacerdotis pudicitia bis sponsoribus credendum est? Iacuisti in piratae myoparone: contrectata es alicuius osculo, alicuius amplexu. An melius pirata seruauit, quàm pater? Conuersata est diutius inter humano sanguine delibutos: inde est profecto quòd potest hominem occidere. Proclama ingenuam esse te. quid expectas? cum in lupanar veneris, iam tibi omnia templa praeclusa sunt. Conseruarum oculis inquinatur, inter ebriorum conuinatum iocos iactatur, modo in puerilem, modo in muliebrem habitum composita. Istinc ne patri quidem redimenda es. Nulla satis pudica est, de qua quaeritur. Non legerem te sacerdotem, etiam si sacerdoti seruisses. Virginem esse sacerdotem nostram, cui credimus? meretrici, lenoni, piratis? haec enim testium summa est. Castigationem ex pontificis maximi arbitrio meruerat sacerdos, si te e lupanari redemisset. Conuenit omnis libidinosorum turba, & concurrit ad meretricem nouam. Illud certe fateberis, pudicitia tua precaria est. Tot intrauerunt cellam tuam gladiatores, tot iuuenes ebrij, & omnes ante militem inermes. Ego illam dico prostitisse: illa se dicit etiam mendicasse. Pudicitiam sacerdotis meae etiam carnifici debeo. *Iunij Gallionis.* Ambitiosa lex est, ad sacerdotium notae non sanctitatis tantum, sed felicitatis admittit. Inquirit in mores, in corpus, in vitam. Vide tu, quemadmodum tam morosae legi satisfacias. Capta es a piratis: inter seruos, inter homicidas, in illis myoparonis angustiis spatiata es. Viderimus quid in te audere potuerit feritas hostium, libido barbarorum, licentia dominorum. Certum habeo, Iudices, cum hanc feritatem barbarorum audiatis, fauetis illi, vt quàm primum mutet seruitutem. Sic istam seruauerunt piratae, quemadmodum qui lenoni essent vendituri. Stare in illo ordine, ex eadem vesci mensa, in eo loco viuere, in quo etiam si non patiaris stuprum, videas. Aliquis fortasse inuentus est, quem hoc ipsum irritaret, quod rogabas. Ipse autem leno pepercit? Ignotamus istos: quibus vel hoc in eiusmodi quaestu praecipue placet, quòd illibatam virginitatem decerpunt. Seruauit te leno, quam prostituturus erat in libidinem populi? ita est. Sic leno tanquam nos castam e castis. Omnes, inquit, exoraui. Si quis dubitat, an meretrix esset, audiat quàm blanda sit. Haesisti in complexu: osculo pacta es, vt felicissima fueris: pro pudicitia impudice rogasti. Quid faciam mulieri in crimina sua desilienti? Cum dico, Vim passa es: Occidi, inquit. cum dico, Hominem occidisti: Inferebat, inquit, vim. Sacerdos nostra stuprum homicidio, homicidium stupro defendit.

DIVISIO. *Latro* in has quaestiones diuisit: An per legem sacerdos fieri non possit: & si lex illi non obstat, tamen sacerdotio indigna sit. An lege prohibeatur, in haec duo diuisit: An casta sit, an pura sit. An casta sit, in haec diuisit: Vtrum castitas tantum ad virginitatem referatur, an ad omnium turpium obscoenatumque rerum aestimationem. Puta enim virginem quidem esse te, sed contrectatam oculis omnium, etiam si citra stuprum, cum viris volutatam. Es casta talis, qualis videri potest, cui lex nocere vult matrem quoque incestam. Si ad virginitatem tantum refertur castitas: An haec virgo sit. Aiebat *Apollodorus* quidem placere, si fixa esset, haereat & tuta: sed hic non repugnare controuersiam huic suspicioni. Non enim potitur adhuc virgine: & multa sunt propter quod credibile sit non esse. illud adiiciebat: Denique etiam si non effecero, vt credant iudices non esse virginem:

consequar tamen, vt non putent dignam sacerdotio, de qua dubitari potest, an virgo sit. An pura sit, in haec diuisit. An etiam si merito occidit hominem, pura tamen non sit homicidio coinquinata: deinde, An merito occiderit hominem innocentem, vti corpore prostituto volentem. Absoluta est. ostendit non puram se esse, sed tutam. An idonea sit, in tractationes quas quisque vult diuisit: An idonea sit tam infelix vt caperetur, vt veniret lenoni potissimum, vt prostitueretur, occidere hominem cogeretur, vt causam diceret. *Cestius* etiam altius petit, & obiicit, quòd tam vilis suis fuisset, vt non redimeretur. *Silo Pompeius* dum praeceptum sequitur quo iubemur, vt quotiens possumus de omnibus legis verbis controuersiam faciamus, illam quaestionem mouit, CASTA E CASTIS: Lex, inquit, E CASTIS cum dicit, hoc non tantum ad parentes refert, sed ad omnes quibus cum versata est virgo. Non enim adiicit, E CASTIS PARENTIBVS: sed, E CASTIS, vult illos a quibus virgo venit, castos esse. Intelligo, inquit, sub hoc verbo multa. Castis cum dicit penatibus, tu ex incestis venis: intelligo castis disciplinis, tu ex obscoenissimis venis. quid enim didicisti? & quaecunque hoc loco dici poterant. Idem & in illa parte fecit, PVRA E PVRIS. *Hispo Romanus* accusatoris vsus pugnacitate, negauit puram esse, non ad eam hoc referẽs, sed ad corpus: tractauit impuram esse, quae osculum impuris dederit, quae cibum cum impuris ceperit. *Albutius* figuram diuisit in controuersiam. Dixit enim:[g] Putemus tres sacerdotium petere: vnam, quae capta est: alteram, quae prostituta: tertiam, quae hominem occidit. Omnibus nego: & sic causam contra singulas egit. *Fuscus Arelius* sic diuisit. Probabo indignam sacerdotio: primum, etiam si pudica sit: deinde, quia nescimus an pudica sit: nouissime, quòd non sit pudica.

COLOR. *Fuscus* pro puella colorem hunc introduxit. Voluerunt Dij immortales in hac puella vires suas ostendere, vt appareret, quàm nulla vis humana diuinis resisteret: magis putauerunt miraculo esse in captiua libertatem, in prostituta pudicitiam, in accusata innocentiam. *Latro* dixit: Aliqua capta felicior fuit, nulla fortior. *Marillius* cum descripsisset dignationem puellae magnam fuisse, altius quiddam superbiusque vultu ipso praeferẽtem, hanc adiecit sententiam, quam solebat mirari Latro, immo (vt ipse aiebat) exosculari: Narrate sane omnes tanquam ad prostitutam venisse, dum tanquam a sacerdote discesserint. *Albutius* dixit: Nescio quis fero & violento animo venit, ipsis credo diis illum impellentibus vt futurae sacerdotis non violaret castitatem, sed videret: praedixit illi, abstineret a sacro corpore manum. Non est quòd audeas laedere pudicitiam, quam homines seruant, dij expectant. Cruente & in perniciem cruente tuam, haec, inquit, arma, quae nescis tenere pro pudicitia: & raptum gladium in pectus piratae sui torsit. Hoc factum eius ne lateret, eisdem diis immortalibus fuit curae. Accusator eius inuentus est, qui iudici eius in foro testimonium redderet. Nemo credebat occisum virum a femina, iuuenem a puella, armatum ab inermi: maiora videbantur, quàm vt possent credi sine deorum immortalium auxilio gesta. *Cestius* timuit se in narrationem demittere, sed illam transcucurrit, hoc dixit, in sacerdote futura maxime debere aestimari pudicitiam, innocentiam, felicitatem. quàm pudica sit, miles ostendit: quàm innocens, iudex: quàm felix, reditus. Etiam habemus quandam praerogatiuam sacerdoti ab ipso numine datam, licet isti obiiciant illi fuisse captiuam, lenoni postea seruisse, causam nouissime dixisse: inter tot pericula[h] non seruassent illam dij, nisi sibi. *Argentarius* illud in narratione dixit. Accusator in hoc maxime premebat ream, aiebat occisum esse intra verba, antequam vim afferret. *Silo Pompeius* hac figura narrauit: Eam vobis sacerdotem promitto, quam incestam nulla facere possit fortuna. Potest aliquid seruitus cogere: seruiuit & barbaris & piratis: inuiolata apud illos mansit. Potest aliquam corrumpere prolapsi in vitia saeculi praua consuetudo: etiam matronarum notum in libidine magisterium. licet illam ponatis in lupanari, & per hoc illi intactam pudicitiam efferre contigit. fuit in loco turpi, probrose leno illam prostituit, populus adorauit: nemo non plus ad seruandam pudicitiam contulit, quàm ad violandam attulerat. Multum potest ad rectum quoque pudici animi propositum: hostis gladio nõ succumbet: immo, si opus fuerit, pudicitiam vindicabit. Incredibilem videor in puella rem promittere: iam praestitit. Adolescentem misericordis populi beneficium polluere tẽtantem gladio repulit. Fuit qui illam accusaret caedis. absoluta est. ne qua vobis posset esse dubitatio, quae ventura erat ad sacerdotium, an pura esset, an integra: iam iudicatum est. *Triarius* dixit: Negat se puella fecisse. Negat illum suis manibus cecidisse. Altior, inquit, humana visa est circa me species eminere, & puellares lacertos supra virile robur attollere. quicunque estis dij immortales, qui pudicitiam ex illo infami loco cum miraculo voluistis emergere, non ingratae puellae opem tulistis. Vobis[i] pudicitiam dedicat, quibus debet. ALTERIVS partis color nihil

habet

habet difficultatis. Apparet quas proposui. dicendum est in puellam vehementer, non sordide, nec obscoene. Sordide *Basilius*, qui dixit: Extra portam istam virgiuem. &, Ostende istam aerugiuosam manum. *Vibius Rufus*, qui dixit: Redoles adhuc fuliginem fornicis. Obscoene, quemadmodum *Murrhedius* rhetor, qui dixit: Vnde scimus, an conuenientibus pro virginitate, alio libidinis genere deciderit? Hoc genus sensus memini quendam praetorium dicere, cum declamaret controuersiam de illa quae egit cum viro malae tractationis, quòd virgo esset, & damuauit: postea petiit sacerdotium. Nouimus, inquit, istam maritorum abstinentiam, qui etiam si primam virginibus timidis remisere noctem, vicinis tamen locis ludunt. Audiebat illum Scaurus, non tantum disertissimus homo, sed venustissimus, qui nullius vnquam impunitam stultitiam transire passus est, statim Ouidianum illud,

Dum timet alterius vulnus inepta loci.

& ille excidit, nec vltra dixit. Hoc autem vitium aiebat Scaurus a Graecis declamatoribus tractum, qui nihil non & permiserint sibi, & penetrauerint. *Hybreas* inquit, cum diceret controuersiam de illo qui tribada deprehenderat & occiderat, describere coepit mariti affectum, in quo non deberet exigi inhonesta inquisitio. *Grandaus* Asianus aeque declamator cum diceret in eadem controuersia: Num ideo occidi adulteros non paterentur, dixit. * * * In hac controuersia de sacerdote, non minus obscoene dixit Murrhedius. Fortasse dum repellit libidinem, manibus excepit. Longe recedendum ab omni obscoenitate & verborum & sensuum. [k] quaedam satius est causae detrimento tacere, quàm verecundiae dicere. *Vibius Rufus* videbatur quotidianis verbis vsus non male dixisse. Ista sacerdos quantum mihi abstulit. * * *

Incesta de saxo. CONTROVERSIA III.

LEX. INCESTA DE SAXO DEIICIATVR. Thema. *Incesti damnata, antequam deiiceretur de saxo, inuocauit Vestam. vixit deiecta. repetitur ad poenam.*

CONTRA INCESTAM. *Latronis* Hoc expectatis, vt capite demisso verecundia, se ipsa antequam impelleretur, deiecerit? id euim deerat, vt modestior esset in saxo, quàm in sacro fuerat. cōstitit, & circumlatis in frequētiam oculis, sanctissimū uumen quasi parum violasset inter altaria, coepit in ipso quo vindicabatur violare supplicio. Hoc alterum dānatae incestū fuit. Damnata est, quia incesta erat: deiecta est, quia damnata erat: repetenda est, quia & incesta & damnata & deiecta est. Dubitari potest, quin vsque eo deiicienda sit, donec efficiatur propter quod deiecta est? [a] Patrocinium suum vocat pereundi infelicitatem. Quid tibi importuna mulier imprecer, nisi vt nec bis quidem deiecta pereas? Veniet ad coleudum Romani imperij pignus, etiamsi non stupro, at certe carnificis manu incesta. Inuocaui, inquit, deos. statuta in illo saxo deos nominasti: & miraris, si iterum te deiici volunt? si nihil aliud, in loco incestarum stetisti. *Cestij Pij narratio.* Quid agam? [b] exponam quando stuprum commiserit? cum quo? quibus consciis? Ista quia probaui, damnata est. Quid postea accessit, quod illam virginem faceret? quòd iacuit in carcere? quòd ducta est ad saxum? quòd inde proiecta? ait se innocentem, quia perire non potuit. Ita lex de sacerdotum iure in iudicio quaeri voluit, de iudicibus in supplicio? ampliatur a iudicibus in poenam. postulat, vt, cum contra poenam causa tuta non fuerit, contra causam tuta poena sit. Non putas legem cauisse vt perires: quae cauit, quemadmodum perires? Exoremus te mulier, vt iterum absoluaris. Aut tu sacerdotium violasti, aut dij sacerdotem. Male de diis existimas, si sacerdoti suae tam sero succurrunt. lata est sententia: pronunciatum est: damnata es. Interrogo te hoc loco mulier: responde mihi. Sunt dij? *Arelij Fusci patris.* Iterum experiamur: Quid times propitios deos? Erat, inquit, praeruptus locus, & immensae altitudinis. dicebam tibi, Incestam lex mori voluit. stat moles abscissa in profundum, frequentibus exasperata saxis, quae aut elidant corpus, aut de integro grauius impellant: inhorrent scopulis enascentibus latera & immensae altitudinis tristis aspectus, electus potissimum locus, ne damuati saepius deiiciantur. *Fuluij Sparsi.* A superis deiecta, ab inferis non recepta, in cuius poenam saxum extruendum est. *Iunij Bassi.* Nihil putabam amplius adiici posse audaciae istius, quàm quòd in illa cruce Vestam nominauerat. ab ipso enim supplicio in templum vsque reuoluta, quicquid secundum deos sanctissimum est, contactu suo polluit: quam a saxo nusquam reuerti fas est, nisi ad saxum. Quanto minus quàm in templum resiluit? huc potius venit, vbi damnatur, quàm illò vbi absoluitur. *Albutij Sili.* Si quis adhuc dubitabat de deiecta,

veniat, & sibiipsi credat. Haec impudentia virginis est: in vrbe tam beata cum tot supersint virgines, cum tot principum filiae sint, postulat, vt praeteritis his propemodum ab inferis eruatis sacerdotem. Quare ergo si incesta sum, viuo? nescio: hoc vnum scio, nec fieri quod non potest, nec portentum esse quod potest. Absit, nefas est, vt id saxum absoluat, quod tantum damnatos accipit. *Argentarij narratio.* Pene Iudices narrare coepi, qualis esset rea. sed quid efficiam, cum illam incestam probauero? nempe vt de saxo deiicienda videatur. iam visa est. Non imitabor istius impudentiam, vt repetendo iudicium, quod factum est improbasse videar. quod exigebatur, probaui: quod iudicastis, exsequor. *Cornelij Hispani.* Deos deasque inuoco, quos priore iudicio non frustra inuocaui, incesta quàm tardissime pereat. Inuocaui, inquit, numina. Quid inuocas mulier? Si innocens es, dij non sunt. Vide te quantum sacerdos peccauerit, quae nec absolui potuit, nec mori. Aut tu sacerdotium violasti, aut nos sacerdotem. Erras si satis ad sacerdotium putas, perire non posse. *Romani Hisponis.* Ab Tarpeia ad Vestam, cuius vittam carnifex rupit, a templo ad saxum, a saxo ad templū. hic pudicae sacerdotis inter supplicia & vota discursus est. inter superos inferosque iactata, in nouam poenam reuixisti. *Pompeij Silonis narratio.* Quod ad rerum expositionem pertinet, Iudices, non committam vt deorum immortalium vltionem morer. incesta saxo deiiciatur. lege damnata est: habetis iudicium. deiecta est: habetis exemplum. *Vibij Galli narratio*, breuis expositio rerum est. Aduersarium incesti postulaui, accusaui, damnaui, carnifici tradidi: permittis iam abeam? Accusator recede, eamus ad absolutionem tuam. ita dij damnatam absoluere maluere, quàm sacerdotem? Sero innocentiam damnata concupisti, vitam deiecta.

Altera pars. *Silli Sparsi.* Damnata deiecta est: absoluta descendit. *Arelij Fusci patris.* Putares puellam demitti, non cadere. *Cestij Pij.* Nullam habebat gratiam; in templo dixerat, itaque tantum deos inuocabat. Lex sacerdotem non vsque ad saxum differret, nisi expectaret deorum sententiam. *Cornelius Hispanus* descripsit altitudinem montis, etiam secure despicientibus horrendam, & adiecit: Carnifex quoque recedens impellit. nihil fecit tanquam rea, contumax est innocentia, turpe putabat sacerdos rogare, nisi deos. *Marilli.* Mirandum est, si oppressa est virgo sine gratia? Cuius enim genibus submisit manus? quem deprecata est, quae tarde rogauit etiam deos?

Divisio. *Latro* in has quaestiones diuisit, Vtrum lex de incesta tantum sit, quae deiiciatur nec pereat: An etiam damnata, si innocens post damnationem apparuit, deiici non debeat: An haec innocens sit: An haec deorum adiutorio seruata sit. *Cestius* & illa subiunxit huic vltimae quaestioni: An dij immortales humanarum rerum curam agant. Et si agunt, An singulorum agant. Si singulorum agunt, An huius egerint. Improbabat Albutius, quòd haec non tanquam particulas incurrentes in quaestionem tractasset, sed tanquam problemata φιλοσοφούμενα. *Fuscus Arelius* pater sic diuisit: Vtrum incestae poena sit deiici, an perire: vtrum prouidentia deorum, an casu seruata sit. Si voluntate deorum seruata sit, an in hoc vt crudelius periret.

Color. Hic color fere sententiis quas proposui, permixtus est. Quid tamen Cestius senserit, indicabo. Contra sacerdotem qui dixerunt, videri deos infestos illi, in hoc eam seruasse, vt diutius torqueretur, aiebat Cestius, malle se casu videri factum, quàm deorum voluntate. nam si semel illos interuenire huic rei fateremur, manifestius erit in poena seruatam esse sacerdotem, quàm in poenam actam: quae non probabat ille. *Triarij.* Remissam tibi poenam putas? ampliata est, & ipsa inquit ampliatio, quae apud iudices fieri solet: & verbum in sententia positum, non est damnantis, sed dubitantis. Declamauerat apud illum hanc ipsam controuersiam Varus Quintilius, tūc Germanici gener, vt praetextatus, cum descripsisset circumstantem turbam dolentem, quòd tam cito oculis poena subduceretur, dixit: Exaudierunt dij immortales populi vota. Incestam, ne cito praeceps supplicium transcurreret, reuocauerunt. Cestius multa contumeliose dixit in ipsam sententiam. Sic, inquit, quomodo quadrigas, reuocauerunt: nam & ante posuisti similitudinem, quia & haec de carcere exierat. Cum multa dixisset, nouissime adiecit rem, quam omnes improbauimus. Ista negligentia pater tuus exercitum perdidit. filium obiurgabat, patri maledixit. *Pastor Aietius* hanc controuersiam apud Cestium iam Senator dixit, & hunc colorem optimum putauit: Sic veneficiis corpus indurauit, vt saxa reuerberaret. Multum Cestius hanc corripuit, & dixit: Hoc est, quare ego auditores meos inuitem ad alios audiendos ire: hoc male mihi facit ille, qui aut athleta aut pyctes est. Dicebat autem in Albu- * tium, qui illis diebus dixerat in hac controuersia, durius saxo: & in Bassum Iulium mul- * ta, qui dixerat Virgo de sub saxo. Othonem Iunium patrem memini colorem insulsum inducere,

inducere,quod minus ferendum est,quòd libros colorum edidit. Fortasse,inquit,poenae se praeparauit: & ex quo peccare coepit,cadere coodidicit. *Sulo Pompeius* hunc colorem tentauit. Praestatur,inquit,quaedam damnatis sacerdotibus verecundia.erubuimus quicquam ex damnatae veste detrahere. *Hispanus* dixit: Ita putaueras vna te poena posse defungi, cũ in saxo deos nominasses? *Triarius* indignantium voces descripsit,& dicentium: Quia oon potes,non vis mori. *Marillius* dixit: Coostituta in saxo inoocauit deos.publica indignatio exorta est.audet ista nominare deos, audet hoc loco? Quid autem haber iam quod illos roget,nisi bonam mortem? *Diocles Carystius* dixit.†

Vir fortis sine manibus. CONTROVERSIA IIII.

LEX. ADVLTERVM CVM ADVLTERA QVI DEPREHENDERIT, DVM VTRVNQVE CORPVS INTERFICIAT, SINE FRAVDE SIT. Altera.[a] LICEAT ADVLTERIVM IN MATRE ET FILIO VINDICARE. Thema. *Vir fortis in bello manus perdidit: deprehendit adulterum cum vxore, ex qua filium adolescentem habebat: imperauit filio vt occideret. Non occidit: adulter effugit: abdicat filium.*

CONTRA FILIVM. *Porcij latronis.* Adulteros meos tantum excitaui.me miserum,quãdio iacuerunt,postquam deprehenderam? Ego te oon abdicem,quem possem occidere? O acerbam mihi virtutis meae recordatiooem. O tristem victoriae memoriam. Ille oonustus modo hostilibus spoliis vir militaris, adulteris meis tantum maledixi: solus ego ex omnibus maritis nec dimisi adulteros, oec occidi. Quid ridetis? inquam, quòd nõ habeo manus? voco filium. Tu viri fortis filius, qui stringere ferrum noo potes? ne truncus quidem capi potui,nisi domi. vtcunque tamen potui, obluctatus sum, & truncum corpus opposui. Exierũt adulteri,tantum meo sanguine cruenti. *Cornelij Hispani.* O dignum, cui aut pudica contingat vxor, aut impudica dum armatus est. Te respublica inuoco, quae maous meas possides: quis non putet[b] aut me sine filio fuisse, aut filium sine manibus? *Cestij Py.* [c] Cooceptus est iste:[d] ex quo sciemus, cum adulteros deprehendero. Nunquam putaui futurum salua republica, vt vir fortis sentiret se manus perdidisse. *Marillij.* Adulteros meos vsque ad limẽ prosecutus sum. cucurri miser ad ferrum, quasi manus haberem. *Triarij.* Deciderunt arma cum manibus: tuoc primum sensi me manus perdidisse. Dij boni, & bas manus aliquis derisit? *Asprenatis.* Arcessitus vt occideret adulteros, venit vt dimitteret. Ita ego manus etiam pro adulteris perdidi. steti deprehensus ab adulteris meis. Patris desertor, matris leno, quem puto iam creditis non esse filium viri fortis, tertius in cubiculo derisor stetit. *Fuluij Sparsi.* In bello meas, in domo etiam filij manus perdidi. Processit in bellum hic vous omnium adolescentis filij vicarius, in acie vicit, domi captus est. portat inter spolia viri fortis volutantes adulteros. Adolescens, venit tempus militiae tuae: indignare si deceptus es. Tam frustra ad filium, quàm ad gladium cucurrit. ridebaot adulteri truncas viri fortis manus, circa sua arma labeotis. *Argentarij.* Ante patriae quàm patri negauit manus. Libẽter causam eius suscepi. quis enim illum noo vindicet? quid hoc infelicius, quem adulteri tunc riserunt, cum deberent mori? Vir fortis in ciuitate truocus,[e] integros adulteros spectat. *Iulij Bassi.* Non est quod putetis puniri illum: ad suos dimittitur. inquam, ad matrem suam: oescio an & ad patrem. Meruit hereditatem illius, quem occidere parricidium putauit. Nulli vnquam plus debuistis viro forti, vsque eò pro vobis pugnauit, vt pro se non posset. Adolescens, quos dimisisti, sequere.

PARS ALTERA. *Vibij Galli.* Matrem, inquit, oon occidisti. quem minus hoc crimine perdere debui quàm patrem? Pater occidere iussit: lex vetat. non comparassem patri legẽ, nisi cum illa lex fuisset. alterum putaui parricidium, matrem coram patre occidere. *Arelij Fusci patris.* O misera pietas. Inter quae parentum vota constitisti? Non semper scelera nostri iuris sunt.[e] atroces quoque animos misericors natura debilitat.

DIVISIO. *Latro* hac vsus est diuisione: An licuerit filio: Ao vindicare oportuerit: An si licuit, & oportuit, ignoscendum sit illi, si oon potuit, indulgentia repugnante. An licuerit, in illa diuisit: An tunc liceat adulterium filio vindicare, cum maritus oon est: An tunc liceat, vbi maritus in eo loco est, quasi omnino non esset. An oportuerit, tractationis quidem est, quam vt quisque vult variat. Latto tamen sic ordinauit. Oportuit, etiam si pater non iuberet, occidere adulteram, viri fortis vxorem. Oportuit, iubente patre, etiam si ipse posset occidere. Oportuit, cum & iuberet, & ipse non posset. Noui declamatores illam quaestionem tentauerunt ex verbo legis natam, ADVLTERVM CVM ADVLTERA QVI DEPREHENDIT, DVM VTRVNQVE CORPVS INTERFICIAT, SINE FRAVDE SIT: AN

nemo possit occidere, nisi qui deprehenderit. Tentauerunt & illam, An non possit abdicari filius, ob id quod illi facere salua lege noo licuit.

COLOR. Color pro adolesceote vnus ab omnibus qui declamauerunt introductus est: Noo potui occidere: ex illa Ciceronis sententia tractus, quam in simili cootrouersia dixit, cum abdicaretur is qui adulteram matrem occidendam acceperat, & dimiserat terrore. *Latro* descripsit stuporem totius corporis, in tanto inopioati flagitij spectaculo: & dixit: Pater, tibi manus defueruot, mihi omnia. sed cum oculorum caliginem, animi defectionem, membrorum omnium tortionem descripsisset, adiecit: Antequam ad me redeo, exierunt. *Gorgias* ioepto colore, sed dulci. * * *Pammenes* ex bonis declamatoribus dixit.* * *Gorgias* egregie dixit. * * *Pammenes* dixit.* * *Fuscus Arelius* dixit: Maius erat scelus quod imperabas, quàm quòd deprehenderas. *Albutius* ooo narrauit, sed hoc colore egit ab initio vsque ad fioem. Ego me defendere debeo: si quid mihi obiectum erit, aut negabo, aut excusabo. Si quid exegeris maius viribus meis, dicam, Ignosce, noo possum. Ignoscit filio pater nauigationem recusanti, si noo ferat mare: ignoscit ooo sequenti castra, si non potest, quamuis pater ipse militaris sit. Noo possum occidere. Ageduo: ipsam legem recita: Liceat & marito, liceat & filio. Quare tam multos oominat, nisi quòd putat aliquos esse qui non possint? Et io descriptiooe dixit: Cum me vocauit pater, hoc, inquam, putauit supplicium futurum morte grauius, si adulteram filio ostenderet. Et illud dixit: Exieruot adulteri inter patrem debilem & filium stupentem. *Silo Pompeius* hoc colore narrauit. Noo putaui mihi licere. *Blandus* hoc colore. Vtrimque filij nomen audio: pater rem petit iustiorem, mater faciliorem. Et illud post descriptionem adiecit: Fatebor vobis, parricidium coram patre facere ooo potui. *Cestius* hoc colote egit. Prosiluit, inquit, protinus mater, & amplexu suo manus meas alligauit. Ago coofusioni meae gratias, quòd nihil in illo cubiculo vidi, nisi patrem & matrem. Pater rogabat, vt occiderem: mater, vt viueret. Pater, ne oocens impunita esset: mater, vt ego innocens essem. Pater recitabat legem de adulteris: mater de parricidis. Et vltimam sententiam dixit: Occidere matrem si turpe est noluisse, non potui. *Argentarius* dixit: Non est quòd me ex hoc habitu aestimetis, quòd manus habeo: tuoc noo habui. Et illud dixit: Dat poenas tibi: perdidit virum, perdidit filium, aegrotanti non assidebo, egentem non alam, omnia mihi libera sunt, iam vitam illi ooo debeo.

EX ALTERA parte multa suot pulcherrime dicta: sed nescio an Graecis nostri cessuri sint. In hac cootrooersia dixit *Amar*: Habet aliquid corrupti haec sentētia. *Latro* dixit: Quātum ego tunc questus sum cum fortuna mea, quòd nō & oculos perdidissem. *Silo Pompeius* dixit: Fili, aut oculos erue, aut manus commoda. Omoes aliquid belli dixerūt, illo loco quo deprehensi sunt adulteri dimissi. *Latro* dixit: Adulteros meos tantum excitaui. *Fuscus Arelius* dixit innuisse nuntiae. frigidius dixit contrariam illi senteotiam: Adulteros interueotu * meo ne excitaui quidem. *Vibius Rufus* dixit: Adulteri marito non assurrexerunt. *Pompeius* dixit: Adolescens, denique adulteros excita: postquam tu venisti, securius iacent. *Latro* dixit: Erratis, qui me putatis manus oon habere. filium vocaui: vt intrauit, ab adultero salutatus est. *Fuscus* dixit: Fili, tuam fidem ostende, te integro, maous me non perdidisse. cootrouersiam mihi de te facit adulter, veni, vtrius filius sis, indica. *Punitius* & pulchre dixit, & noue sumpsit ab omnibus bene dicta. Irrupi in cubiculum adulterorum: quid mentiar miser? aperto cubiculo expectabant adulteri. *Cestius* dixit: Vocaui filium. risit adulter, tāquam qui diceret: Meus est.† *Vibius Rufus* dixit: Quàm otiosi, quàm securi adulteri trāsierunt praeter oculos meos, praeter filij manus? *Latro* cum exeuotes adulteros descripsisset, adiecit: Adolescens, parentes tuos sequere. *Nicetes* illam sententiam pulcherrimā, qua oescio ao oostros antecesserit, sed illum Albutium, qui Graecis praeminet: cum pugnantem in acie se descripsisset, dixit: Me miserum, quas manus adulter effugit! & illud Albutij. Non potui, inquit, matrem occidere. quo excusatior sis, adiice, & patrem. *Albutius* sic narrauit, vt tanquam filio sciente factum esset adulterium; suspectum patri, quasi conscium matri suae fecerit. *P. Asprenas* dixit: Exiit nouissime maritus, & dedit adulteris locum. Idem dixit: Matrem occidere oon potes. adulterum certe occide. Ao & iste pater est? dixerat Nicetes. *Murrhedius* dum hanc sententiam imitari vult, stultissimam dixit: Reliqui in acie pugnaces manus.

RAPTOR

LEX. RAPTA RAPTORIS [a] AVT MORTEM, AVT INDOTATAS NVPTIAS OPTET. Thema. *Vna nocte quidam duas rapuit:* [b] *altera mortem optat, altera nuptias.*

CONTRA RAPTOREM. *Porcij Latronis.* Iam se parabat in tertiam, nisi nox defecisset. Stupri accusatus, stupro defenditur. Cum altera litigat rapta, alteram aduocat. Vindicate patres, vindicate fratres, vindicate mariti, fortior disciplinae publicae seueritas surgat, iam binae rapiuntur. *Mentonis.* Postera die erat in huius domo fletus, lamẽtatio matris spes suas deplorantis: cum interim ex alia domo alia vociferatio oritur, alius tumultus. coit populus, velut publico metu exterritus, & vix credens duos tãtum raptores fuisse, cum interim producitur publicus pudicitiae hostis, quem vna nocte vnius virginis iniuria non fatigauerat. *Cestij Pij.* Alteram iniuriae rapuit, alteram patrocinio. Quantum suspicor, ne rapta quidem es. quaeris argumentum? non irasceris. quomodo istud fit? duabus iniuriam fecit: vna queritur. Misericors sum, inquit. Gaude, habes qui te vindicet. Vide qualem habitura sis virum: non est vna contentus. *Argentarius* eundem sensum dixit, hoc adiecto: Non est vna contentus, ne vna quidem nocte. *Pompeij Silonis.* At quàm bene mimum egit, quomodo raptam se questa est, qua vociferatione, quàm perbene illi optionem cessimus. *Triarij.* Perieras raptor, ni bis perire meruisses. *Iunij Gallionis.* Sumatur de illo supplicium, constituator in cõspectu publice: caedatur diu: toto die pereat, qui tota nocte peccauit. Subito fastidiosus raptor occurrit, & ait: Iam nec nuptias volo. Stulta deciperis. dicam suus? quid dixerim tibi, idem enim dixi & huic dum te peto, in illam incidi. *Arelij Fusci patris.* Retro amnes fluant, & sol contrario cursu orbẽ reuocet: confugiat sacrilegus ad aras: raptorem rapta vindicat.

EX ALTERA PARTE. *Pompeij Silonis.* Postero die cum illi narratus esset nocturnus error, dum putat se in vnam incidisse, huic priori supplices submisit manus, hãc prius deprecatus est: exorauit. propter hoc puto ista magis raptori irascitur. Altera ex puellis raptorem mori vult, altera seruari reum: alter iudex damnat, alter absoluit: inter dispares sentẽtias mitior vincat. Dicam quod sentio: magis irasceretur, si vnam tantum rapuisset. diceret, Ergo ego sola digna visa sum, cui iniuriam faceret? *Argentarij.* Referat nũc Virginiam, referat Lucretiam: plures tamen Sabinae sunt. Ex tribunis potentior est qui intercedit: non est inuidiosa potestas, quae misericordia vincit. Quid cessas puella? pro marito roga. Haec sententia deridebatur a Cestio, quasi improba.

DIVISIO. In hac controuersia de prima quaestione nulli cum altero conuenit. *Latro* primam fecit quaestionem: Non posse raptorem, qui ab rapta mori iussus esset, seruari. Si legatus, inquit, exire debet, peribit: si militare debet, peribit: si legem dicere debet, peribit. si raptam ducere debet, aeque peribit. Si is ante te rapuisset, & nuptias optasset, interposito deinde tempore, antequam nuberet, [c] hanc vitiasset: negares illum debere mori, rapta iubente? Atqui nihil interest: nisi quòd dignior est raptor morte; cuius inter duos raptus ne vna quidem nox interest. Si rapta nupsisset, deinde post tertium diem rapuisset aliam, negares illum mori debere? Atqui quid interest? nisi quòd honestius tunc maritum defenderes, quàm nũc raptorem defendis. Alteram fecit: An rapta, quae nuptias optat, nihil amplius raptori praestare possit, quàm ne sua lege pereat: contra alienam legem nullum ius habeat. Optasti nuptias: non occidetur tanquam raptor tuus. at idem si eadem nocte qua te rapuit, stationem deseruit, fuste ferietur. si sacrilegium fecit, occidetur. Licet tu dicas, Quid? ergo ego nõ nubam? Tu raptori praestas, vt illum ipsa non occidas: non potes praestare, ne quis occidat. Quomodo sacrilegus, quamuis a te seruatus, periret, sic alterius puellae raptor a te seruatus peribit. Si rapuisset te: deinde deprehensus in adulterio adseruaretur in tormentum diutius pereundi: tu interim educta nuptias optasses (datur enim optio & in absentem) vetares illũ occidi a marito? Quid interest, qua lege pereat, nisi quòd modestius alienam legem interpellares quàm tuam? Tertiam fecit: Cum quod vtraque optat, fieri non possit, an ea eligenda sit optio, qua vltio ad vtramque perueniat. Atqui mortem optat mea optio, & te vindicat: tua me non vindicat. nec hoc tibi mea optio praestat, quod mihi, occiso raptore inuidiam. Illa respondet: Optio tua me non vindicat? Vindictam tu meam putas, non fieri quod volo, fieri quod nolo? etiam mihi contumeliosum erit, te dignam videri in cuius honorem occidatur: me indignam in cuius honorem seruetur. Isto modo & mea te vindicat. Nempe lex duas poenas scripsit vitiatori: alteram passurus est. non eris inulta. iam raptor nõ erit impunitus: habebit poenam, indotatam vxorem. Respondet eodem modo. Morietur: sed non mihi. Seruabitur, sed tibi. Quartam fecit quaestionem: Si non potest vtriusque rata esse optio, vtra dignior sit. Vltimam non quaestionem, sed tractationem. Nullum non raptorem

impunitum futurum: si haec via impunitatis monstretur, vt qui plures rapuisset, tutior esset. Neminem noo inuenturum aliquam humilem, quae se in optionem commodaret. *Fuscus Arelius* primam quaestionem hanc fecit: Qui duas rapuit, perire vtrique debet. Lex, inquit, quae dicit, RAPTA RAPTORIS AVT MORTEM OPTET, AVT NVPTIAS: de eis loquitur, qui singulas rapuerunt. non putauit quenquam futurum, qui vna nocte duas raperet. Non quaero, quid optetis. quod seuerissime optare potestis, occupo. necesse est raptorem mori. Quare? vtrique raptae debet vltio cootingere. Vtramque enim non potes ducere, vtrique mori potes. Vna pars legis ad hunc raptorem pertinet, in qua mors est. Putate enim vtramque nuptias optasse: quid futurum est? in raptoris matrimonium ambitus erit. Putate illum plures rapuisse quàm duas: quid fiet? vna nubet? Nuptiae ad vnam pertinebunt, mors ad omnes. Qui duas rapuit, vtrique debet mori. quare? dicam. Quod vult, eligat. Aut nuptias optabũt; aut altera mortem, altera nuptias. Si nuptias optauerint, nõ poterit fieri quod vtraque voluerit. Vno modo poterit fieri quod vtraque volet, si vtraque mortem optauerit. Ergo fiat id, quo vno duae vindicari possunt. Hic tractauit: Ne exemplo quidem vtile est, non vtique perire eum qui duas rapuerit, nae hunc morem perniciosissimum introduci ciuitati, vt aliquis propter hoc non pereat, quia perire saepius meruit. Reliquam partem controuersiae Fuscus in haec diuisit: Vtra optio honestior sit, vtra iustior, vtra vtilior. *Cestius* hanc partem cootrouersiae sic diuisit: Vtra puella dignior sit, quae valeat: vtra optione raptor dignior sit. Cestius & coniecturalem quaestionem tentauit, An haec cum raptore colluserit, & in hoc rapta sit, vt huic opponeretur. *Latro* aiebat, non quicquid spargi possit suspiciose, de eo etiam dicendum. Colorem hunc esse, non quaestionem: eam quaestionem esse, quae impleri argumentis possit. *Cestius* aiebat, & eam impleri posse argumentis. Hunc sensum a Latinis iactatum *Nicetes* dixit. * * *Glycon* dixit. * * *Diocles Carystius* dixit. * * hunc sensum *Vibius Rufus* subtiliter dixit: Volo tibi malam gratiam cum sponso tuo facere, habet amicam. In hac controuersia dixit *Albutius*, Ambulat in masculos. adeo nullum sine amatore vitium est, vt hoc quidam disertum putauerint. ego tamen magis miror, hoc Alburium potuisse dicere, quàm aliquos potuisse laudare. Ex latinis dixit *Triarius*: Gratulor vobis virgines, quòd citius illuxit. *Argentarius* dixit, Quaeritis quid isti finem rapiendi fecerit? dies.

Archipiratae filia. CONTROVERSIA VI.

THEMA. *Captus a piratis scripsit patri de redemptione. non redimebatur. Archipiratae filia iurare eum coegit, vt duceret se vxorem, si dimissus esset.* [a] *iurauit. Relicto patre secuta est adolescentem. Redit ad patrem. duxit illam. orba incidit. pater imperat, vt archipiratae filiam dimittat, & orbam ducat: nolentem abdicat.*

CONTRA FILIVM. *Porcij Latronis.* Prò dij boni, & haec puella hospitio patris excepta est. Prohibeo domo, terra prohibendam. Bonae spei vxor, booae spei nurus, quae amare potest captiuum, odisse vel patrem. Captus, inquit, in tenebris iacebam. [b] Narra obsecro soceri tui beneficia. Possum, Iudices, esse securus? filius meus ait se vxori parricidium debere. *Cestij Pij.* Quis interfuit nuptiis tuis? pater? denique puellae pater?

EX ALTERA PARTE. *Silij Bassi.* Hodie captiuus essem, nisi haec archipiratae filia fuisset. Vt dixi, Patrem habeo: inter bonos captiuos sepositus sum. Archipiratae filia vocatur, puto ex aliqua nata captiua: certe animum eius natura a patre abduxerat: misericors erat, deprecabatur, flebat, mouebatur periculis omnium: nihil in illa deprehendi poterat piraticum. Promisi nuptias, & quasi aliquam sacram testationem, tuum nomen inserui. Eo loco me non deseruit, in quem venire etiam patres timuerunt. Arctius nos fortuna alligauit, quã vt orba possit diuellere. Vidisses tectum pannis corpus, omnia membra vinculis pressa, maciem, retractos introrsus oculos, obtritas catenis & inutiles maous. talem quis amare [c] nisi misericors posset? Decepi te puella, alia pollicitus sum. Venies in patriam mecum, ibi tibi referam gratiam: hic catenatus, egens, squalidus quid possum? pater meus, socer tuus (hoc enim iampridem te vocabat) socer, inquam, tibi tuus gratiam referet. Quidam auitas paternasque flagitiis obruerunt imagines. quidam ignobiles nati fecere posteris genus. in illis noo seruasse quod acceperant, maximum dedecus: in his quod nemo dederat fecisse, laudabile. Si possent homines sibi sortem facere nascendi, nemo esset humilis, nemo egens, vnusquisque felicem domum inuaderet. Sed quamdiu non sumus, natura nos regit, & in quemcunque vult casum nos mittit. Hinc sumus aestimandi, cum sumus nostri. Quis fuit Marius, si illum in suis inspexerimus maioribus? humilis. In tot consulatibus nihil habet clarius,

quàm

quàm ſe auctorem. Pompeium ſi hereditariae extuliſſent imagines, nemo Magnum dixiſſet. Seruiū regem tulit Roma: in cuius virtutibus humilitate nominis nihil eſt clarius. Quid tibi videntur illi ab aratro citati, qui paupertate ſua beatam fecere rempublicam? Quemcumque volueris reuolue nobilem: ad humilitatem peruenies. Quid recenſeo ſingulos, cum hanc vrbem poſſim tibi oſtendere? Nudi ſtetere colles. Inter haec tam effuſa moenia, nihil eſt humili caſa nobilius. faſtigiatis ſupra tectis auro puro fulgens praelucet Capitolium. Potes obiurgare Romanos, quod cum humilitatem ſuam obſcurare poſſint, oſtendunt. Sed haec non putant magna, niſi apparuerit ex paruis ſurrexiſſe. Miſereri illius oportet, quia orba eſt. iſta tamen habet propinquos, habet amicos paternos, habet te imbecillitatis ſuae tutorem fortiſſimum. Omnes vxores diuites ſeruitutem exigunt. Crede mihi, volet in ſuis regnare diuitiis: & tamen aequum eſt eam poſſidere domum, quam meam agnouerit. Si coeperimus eſſe magis liberi, ſi paulo ſpecioſior animo eius effulſerit domus, ſi parum blande fecerimus, relinquit: & tunc eſt tormētum, carere diuitiis, cum illas iam ſenſeris. Vides quid inter duas vxores interſit. iſta ſi nos reliquerit, repetet ſuos: haec quod dedit, dimiſſa nō auferet. Multi duxere ſine dotibus vxores: quidam dictas non accepere dotes: quidam emptis contenti fuere mancipiis: & cum poſſent accipere diuitias, emere quibus libertatem darent maluerunt, quàm ſuam vendere. Aliquis in adoptionem iuuenis petitur? ſi volet ire, quaeret ſenex ille qui petit, quales & quos habeat maiores, quanta bona, an ſatis magno ſe poſſit addicere. Aliquis captare orbos ſenes vult, & ſuas ſpes in alienas mortes diffundere? excutiat teſtamenta, ſcrutetur cenſus. Vbi vero quaeret vxorem; videat an nuptias ſuas amet, an nihil pluris faciat marito, an miſericors ſit, an fortis ſit, an poſſit, ſi quid viro inciderit mali, vna tolerare. Si his bonis fuerit inſtructa, dotata eſt. Non poſſumus vna felices eſſe: quod ſolemus, vna infelices erimus. Fac, inquit, quod imperat. nolo propter me patrem tuum offendas. Ibo, inquit, ſola. Tu ibis? quo, infelix? Quas petitura regiones? Eſt enim tibi aliquis locus? pater tuus nobis maria praecluſit, meus terras. *Ceſtij Pij.* Solent qui coguntur a patribus vt vxores ducant, illa dicere: Non ſumus etiam nunc apti nuptiis. Ego contra, refugio vxorem quia vxorius ſum. *Arelij Fuſci patris.* Inſolens malum eſt, beata vxor. Cum immenſum pondus auri orba attulerit, cum pecunia arcas noſtras onerauerit, quid aliud quam beate ſeruiemus? Altera filium dat tibi, altera patrimonium: pater, vtra magis diues eſt? Locuples eſt, pater, quam mihi concilias. O ſi ſcires, quàm diues haec fuiſſet. Orba, inquit, eſt. & haec orba eſt. Inter duas orbas ea mihi curanda eſt magis, quam orbam ego feci.

DIVISIO. In hac controuerſia nihil litium fuiſſe fere omnes conſentiunt. *Latro* primam quaeſtionem fecit: An pater propter matrimonium, filium abdicare poſſit, cum liberū cuique huius rei arbitrium ſit. *Gallio* ſubiecit huic: Etiam ſi poteſt imperare filio, vt vxorem ducat, An ei qui iam habet? *Latro* ſecundam fecit: Si ius eſt patri, etiam propter matrimonium abdicandi, An liberum huic fuerit, non parere cum iuraſſet. Hoc in haec diuiſit: An nemo iureiurando teneatur, quo per neceſſitatem adactus eſt: An expleuerit iuſiurandum, ducendo illam vxorem: An etiam ſi non expleuit, non teneatur religione, qui coactus aliquid contra iuſiurandum fecit: hunc autem cogi a patre ſuper iuſiurandum facit: An poſſit parere patri: An debeat. Hic de meritis puellae & moribus.

COLOR. Colore hoc vſus eſt *Latro* pro patre: Puellam non miſericordia motam, ſed libidine: & ideo non eſſe beneficium. In argumentis eleganter hanc partem tractauit: Etiam ſi beneficium dediſſet, non eſſe ſic referendam gratiam. deinde beneficium eſſe quod iudicio detur, non quod furore aut morbo. *Hiſpo Romanus* alio colore dixit: Illam non amore adoleſcentis, ſed odio patris ſui ſecutam eſſe. Voluit ille & amoris commendationem detrahere. *Buteo* longe accerſito colore vſus eſt: voluit eam nubere non inuito patre, ſed ſecreto ſuadente, palam diſſimulante totum hoc geſtum. ratione illa honeſtam condicionem nuptiarum inuentam, cum alio nullo modo poſſet. neque enim aliter illos effugere potuiſſe, niſi patiente patre. Sed aiebat *Latro*, nō eſſe tanti, detrahere illi commendationem ſoluti adoleſcentis, vt detraheretur inuidia relicti patris. *Fuſcus Arelius* egregie declamauit: Non enim propter nuptias orbae dimitti illam, ſed quamuis orba non eſſet, eiici iuſſit. non aliam ſibi magis placere, ſed illam diſplicere dixit: & hoc quod *Latro* tranſcurrerat, preſſit. Timere ſe puellam temerariam, inter piratas natam, inter piratas educatam, impiam in patrem. *Gallio* illud quod omnes ſcholaſtici tranſierunt, dixit: Timere ſe, ne haec ſpeculatrix eſſet, & piratis omnes occaſiones indicaret: aut certe ne videretur. nolle ſe ſuſpectum eſſe reipub. illi iuraſſe? timuit, ne a puella videretur improbe iuſiurandum exegiſſe. Ne quid liberi ſibi eſſet, adiecit, iuraſſe per patrem. *Triarius* dum ſententiam puerilem captat, inepte dixit, Iuraſſe & ſe per orbam. Aiebat enim *Ceſtius*, valde hanc fieri orbam, etiam ſi iuraſſet. *Latro* aiebat

quoque iusiurandum ineptum esse:nihil enim minus conuenire, quàm aliquem per patrem iurare,patrem relicturae. Omnes honestam matrem puellae dederunt:omnes dixerunt eam misericordia motam, non amore. Solus *Pollio* iudicio fecisse vult eam:etiam a misericordia discessisse. dixit enim illam non potuisse cum piratis viuere. Vt primum honestam occasionem inuenerit discedendi, discessisse. *Q. Haterius* a parte patris pulcherrimam imaginem mouit. Coepit enim subito quo solebat cursu orationis feruere, quasi exaudiret aliquem tumultum,vastari omnia ac rapi, comburi incendiis villas,fugas agrestium: & cum omnia impleuisset terrore,adiecit:Quid exhorruisti adolescens?socer tuus venit.

Glyconis valde leuis & Graeca sententia est. * * * Tolerabilem dixit illam rem, cum iurisiurandi vim describeret : hoc esse quod foedera sanciret , quo astringeretur exercitus. * * *

Artemon circa eundem sensum versatus est a parte adolescentis . cum dixisset relictum patrem, adiecit. * * *

Tyrannicida a piratis dimissus. CONTROVERSIA VII.

LEX. LIBERI PARENTES ALANT, AVT VINCIANTVR. Thema. *Quidam alterum fratrem tyrannum occidit:alterum in adulterio deprehensum,deprecante patre,interfecit. A piratis captus scripsit patri de redemptione. Pater piratis epistolam scripsit, si praecidissent manus , duplam pecuniam se daturum. piratae illum dimiserunt. patrem egentem non alit.*

PRO TYRANNICIDA. *Porcij Latronis*. Da mihi epistolam esurientis istius. Manus,inquit,praecidantur. in quam partem corporis durius saeuitia incurrat ? cetera membra mea sunt, manus publicae sunt. Talem me dimittite,qualem a piratis recepistis. Nō habeo quod * de fortuna queri possim,cum qui manus meas configit.[a] Si praecideritis,inquit, manus : Si irasceris:scribe potius,Si occideritis.[b] Tyrannicida exitum tyranni rogo. Nō timeo,ne manus quas piratae soluerunt , iudices alligent. Ex omnibus quae mihi fortuna terra marique priuatim mala publiceque congessit,tyrānum, adulterum,piratas,nihil expertus sum durius quàm patrem. Tyrannus cum timeret manus meas,non praecidit. iniuria matrimonij nihil abstulit corpori.piratae,quasi beneficio meo viuerent,gratis miserti sunt. Vnum hostem in- * exorabilem habui.quòd felici re,quòd subito inimico,non ante tyrannidem nauigaui. Genui,inquit,educaui.nempe istud beneficium & tyranno praestitisti,& adultero. Has manus si per te redimere non potes,rem publicam appella. Adulter cum manibus sepultus , tyrannus cum manibus proiectus est. Magnis sceleribus iura naturae intereunt. non magis tu pater, quàm illi fratres. Audite nouā captiui vicem. Tutus sum,si pater meus nihil habet. Quicquid habes,pro redemptione filij mitte:non est quòd timeas : non deerunt tibi alimenta, cū dixeris tyrannicidae patrē. Pro adultero filio rogas ? quaerite nunc quomodo tyranni fiant. *Cestij Pij*. Cedo mihi epistolas patris.quaeris vnde habeam,cum mihi nullas miseris ? Duplā dabo pecuniam: apparet, pro vnico filio rogat. Duplam pecuniam dabo:vnam summā pro filio,alteram pro tyrannicida. Si manus praecideritis.hoc nec adultero fecimus, nec tyranno. Non habui pecuniam ; sed rogare illos potes. & audacter roga ; in misericordes piratas incidi. Quare non alo ? quia captum filium tuum, age : parum est, si dixero, non redemisti. Alere non possum:perdidi manus.non credis?epistolam lege. Duplam pecuniam dabas , auaris dabas,piratis dabas.sic excusabant piratae,ipsas mihi cum praeciderent manus : Pater iussit,aiebant.magnum facinus est,sed magno licet. Egens sum,inquit.mentitis. Cedo mihi patris mei censum. Quid ergo alis patrem?dimissus fortasse promittam;cum rogaueris, nihil paciscor.[c] Etiamnum manus meas petis ? nega tuam esse epistolam. & habes argumentum. dic,Ego rogare pro adultero soleo. Qui non aluit,inquit,patrem,alligetur. Plus de manibus meis timui. *Cornelij Hispani*. Quid me rogarit pater, nescio:publica vindicta cruentum gladium priuato tyranno impressi. Captum me piratae nihil aliud quàm alligauerunt. *Q. Pius*. Duplam pecuniam dabo. Polliceris , inquam . petitur vnde tantas patrimonij vires habeas. etiamnum, tanquam de tyranni arca loqueris. Corrupit frater vxorem meam,quam nec tyrannus violauerat. Vt pretium piratae constituerunt : Gauisus sum, inquam. locuples pater poterat dare,etiam si duplam poposcissent. Remiserunt me reip. cum manibus,patri cum epistolis. *Pompey Silonis*. Pactus sum de redemptione. scripsi patri.quicunque pro tyrannicida vestro pependistis , certum habeo,solliciti optatis, vt hae litterae ad patrem perueniant. Egeo, inquit. sic subito ? Quod ex toto emi non debet,duplo emit. *Arellij Fusci patris*. Causam meam tenui apud eos , qui nihil debebant manibus meis. Tunc primum egere queritur iste , cum manus meas vidit . Quid mirum , si non putauerunt turpe piratae , accipere mercedem

cedem quam pater dabat? Ades pietas: si sančte vixi & innocēter, effice vt iste manus meas, qui odit, desideret. Tarde mihi epistola solui videbatur. Hoc prorsus ad fabulas, repleto sceleribus nostro saeculo, deerat, vt narraretur aliquis solutus a piratis, & alligatus a patre. *Blandus.* Hic qui vnde viuat non habet, quàm care tyrannicidae vestro se mancipat! quid agis pirata filij, piratarum magister, eius crudelitatis emptor, cuius nec pirata venditor est? *Romani Hisponis.* Pater piratis salutem. Hanc eripis filio. duplam dabo. Quid necesse est? potui vilius solui. Vt praecidatis manus. Obstupuerunt piratae: & cum dimitterent, dixerunt: I, dic patri tuo, non omnia piratas vendere. *Mentonis.* Adhuc, Iudices, tanquam pro manibus meis egi. verum est confitendum, vobis remissae sunt. Exhibeo respublica piratarum depositum tibi. manus hae tuae saluae ad te perlatae sunt. Fac quod voles. illud vnum rogo, si peccauerunt, cuilibet tu vinciendas trade. si isti tradis, sic alligabit quomodo voluit. praecidet. *Allegij Flauij.* Adhuc qualem optem patrem, oescio. diuitem? debilitat. egentem? alligat. [d] neutrum manibus meis expedit. Duplam dabo, vt manus praecidatis. Filium minus crudelem habuisti. *Marillij.* Vt allata est epistola, coeperuntque eam piratae soluere, vt recitata dupla in epistola pecunia est: Hic est, inquam, pater, quem vobis laudaueram. *Triarij.* Vbi est patrimonium tuum illud, quo tyrannos instruis, quo adulteros facis? vbi est? certe in me nil impendisti.

PARS altera. *Silij Bassi.* Infelix futura est etiam victoria mea. si oon tenueto causam, fame moriar: si teouero, hoc tantum consequar, ne fame moriar. Duxi vxorem nimium foecundam: peperit mihi tria nescio quae prodigia, variis generibus inter se & me furentia: voū qui posset patriam opprimere, alium qui fratrem violare, alium qui patrem. Testor, Iudices, omoes ciues meos. vna seruiuimus, nemo tyrannidem me vno sensit magis. Argumeotū habeo maximum, quòd viuo. Noo pepercissetis mihi, si putassetis me patrem tyranni. Dum inter se pugnant, vicit respub. Reliqui duo, quia non poterant in nos, intet se tyrannidem exercuerunt. Habebat iste nescio quam vxorem, quam in arce cogoouerat. Si alligare te possem, ptoficiscentem alligassem. Non opus est tibi magna impensa ad sustioēdum patrem. tu mecum alimēta partire. nolo me tam beoe alas, quàm ego te alui: oolo ignoscas mihi quicquid passus es, quicquid timuisti patrem. posce flagella, scinde rugas, vltores subiice ignes, & mortuam hanc partem, quae tantum in contumeliam suam spirat, quia extiogui non potest, exure. si parum est, fac quod ais oe pitatas quidem fecisse, manus praecide. exhibeo tibi. hae sunt illae, quae quidlibet scribunt. Vbi est gladius tuus? stringe. tyranno licuit vulnere mori: adulter vno ictu breuiter confectus est: pater te pro beoeficio similem sortem rogo. ne tu quidem apud piratas famem timuisti. neminem tyrannus sic torsit. *Porcij Latronis.* Fili, oihil amplius quàm famem deprecor: si tamen inexorabilis es, illud pro beneficio peto, vt aut tāquam adulter moriar, aut tanquam tyrannus. Par erat vtriusque fortuna illo tempore. tu alligatus eras, ego senectute immobilis, & vincto simillimus: tu in sollicitudine, ego io omnium meorum solitudine: tu lucem non videbas, ego etiam modicā. hoc voum inter nos interest, quòd tu etiam a piratis cibum accepisti. *Blandi.* Deprecabar oon pro adultero, sed pro domo; ne fratrem occideret; tyrannicidium inquinaret; patrem respergeret. roganti mihi, & has interponenti manus paene praecidit. Haec sententia deridebarur a Latrone, tāquam puerilis. Hoc & pro isto est, vt aliquem ex suis reliquisse videatur, quem non occiderit. *Vibij Rufi.* Hae nempe scripserunt epistolam manus. praebeo. praecide, & ale. *Pompeij Silonis.* LIBERI PARENTES ALANT, AVT VINCIANTVR. ad te legem meā transfero, licet alliges, & alas.

DIVISIO. Fere hac vsi sunt diuisione: An lex causam nec patris nec filij aestimet, sed hominis: Paret an filio alendus sit. Dixit legem hanc pro malis patribus scriptam esse, bonos etiam sine lege ali. An omnes alendi siot. An hic alendus sit. Haoc quaestionem *Latro* in haec diuisit. Ao alendus sit, quòd filium a piratis non redemit. hoc loco quaerit, An potuisset redimere, An voluisset. deinde, An alendus sit, si etiam praecidi filij manus voluerit. nouissime, An praecidi voluerit. *Hispo Romanus* separatim quasi iuris quaestionem fecit, An qui non redemit filium, noo possit ab eo alimenta petere. Sed hoc vtraque quaestio continet, vt aiebat Gallio, & prior in qua quaeritur: An omnis pater alēdus sit: dicitur enim: Quid si quis filium excaecauerit? quid si quis oō redemerit? Et cum ad alterā quaestionem ventum est, in qua quaeritur, An hic pater aleodus sit: nihil aliud dici potest, quare non alatur, quàm quòd non redemit; quàm quòd duplam promisit, vt manus praeciderentur. Graecorum improbam quaestionem satis erit io eiusmodi controuersiis semel aut iterum annotasse, An in tyrannicidam vti pater hac lege possit. quasi enim sacras & publicas manus esse: in quas ne piratae quidem licere quicquam putent. Nostri hoc genus quaestionis summouerunt.

Silo Pompeius non eis tantum vsus est quibus ceteri, cum dicerent hunc patrem non debere ali, quòd non redemisset filium, & quòd praecidi manus filio voluisset: sed a priuatis causis transit ad publicam causam. dixit enim, non debere ali hominem perniciosum Reip. qui tyrannum filium habuisset, qui desiderasset amissum, quòd non vindicasset. Sed negauit vllam aliam causam illi esse persequendi tyrannicidam, nisi libertatem publicam: & descripsit mores hominis impij, cruenti: qui quia per liberos non posset, per piratas tyrannidem exercere-* ret: vt liberius diceret, latrocinium filio dedit. & illud in hac parte laudatum est a Silone declamante. Coeperat hoc tractare, non debere ali tyranni patrem, omnibus fauentibus illum fame necandum: & cum diu pressisset, illum tyranni patrem esse adiecit: Aude postulare vt illud tibi prosit, quòd tyrannicidae pater es. *Blandus* hunc sensum, cum postero die declamaret, in ironiam vertit: & cum obiecisset, quòd tyranni pater esset, adiecit: Nolite illum auersari. habet quod opponat. & adulteri pater est.

Color. Colorem pro patre alius alium introduxit. *Fuscus* iratum se illi confessus est fuisse, quòd fratrem in conspectu patris occidisset: & huic loco vehementer institit, cum nemo hoc tyrannus, nemo pirata fecisset. Iratus, inquit, ob hoc ipsum fui, quòd hoc scelere, etiam tyrannicidium inquinaueras. apparet te morbo quodam aduersus tuos furere: & seruauir hunc actionis tenorem. Iratus fui, hodieque paciscor, nec queror: nec se demisit in preces aut rogauit, sed iure patrio vsus est. Illud ad excusandam epistolae crudelitatem adiiciebat: Scripsi piratis, non eo animo vt manus tibi praeciderenrur, sed vt exprobrarem tibi cruentas in conspectu patris fraterno sanguine manus: tutò autem scribebam. sciebam enim piratas non facturos, nisi pecuniam accepissent, quam non mittebam. Quamobrem neque praeciderunt: & si sperassent, vtique praecidissent. Sed apparuit illas epistolas irascentis esse, non promittentis. In vltimo descripsit, quàm miser futurus esset, alimenta accipiens illis manibus, quas paulo ante spectauerit fratrem occidentes: & adiecit, quod aiebat praeceptore suo dicente, summa cum admiratione exceptū, illud Homeri Priamo aptum: Ἀνδρὸς ἀνδροφόνοιο ποτὶ στόμα χεῖρ' ὀρέγεσθαι. *Silo Pompeius* & ipse iram fassus est. aiebat enim non habiturum fidem, si se negasset iratum fuisse: sed irae causam non dixit. *Q. Fuscus* transeundas aiebat eas offensas, quibus ille gloriaretur. hanc causam posuit, quòd relictus esset ab vnico filio; quòd inuito se nauigasset: cum videret senem orbum iam paene egentem, iā tum illum fugisse, ne aleret: & ad preces patrem deduxit, & rogauit in epilogo filium. Et *Sparsum* hoc colore declamasse memini, hominem inter scholasticos sanum, inter sanos scholasticum. *Cestius* alio colore vsus est. dixit enim, non iram illam patris fuisse, sed calliditatem: Non habebam, inquit, vnde redimerem. Quem rogarem pecuniam in tam auara ciuitate, * in qua ne filij quidem patres alunt? vsus sum consilio. sciebam piratas non crudeles esse, sed auaros. volui efficere vt desperarent illum redimi, & propter hoc superuacuū, & cum impensa futurum, dimitterent. An prudenter cogitauerim, nescio. feliciter certe cogitaui. post epistolas illas quas accusat, dimissus est. *Latro* se totum ab istis remouit coloribus, & aduocauit vires suas tanto totius actionis impetu, vt atronitos homines tenuerit. hoc enim colore vsus est: Nescio quid scripserim: olim iam mihi excussa mens est, ex quo vidi filium vnum in arce, alterum in adulterio, tertium in parricidio: ex quo respersus sum sanguine morientis filij, ex quo relictus sum solus, senex, orbus, egens, odi meos. Hic color illius viribus approbandus est. Quanto enim opus est, vt aliquis accusando se miserabilem faciat? *Albutius* omnes colores miscuit: & vt hoc liberum esset, patronum patri dedit, nec voluit narrare. Ad propositionem coepit. Alimēta pater a filio petit. deinde cum ad defendendum venit, quòd scripsit duplam se daturum, si manus praecidissent, primum Latroniano colore vsus est. Hoc, inquit, respondeo, nescit quid fecerit, in insaniam malis actus est. hic philosophicum locum introduxit, quomodo magnis calamitatibus animi euerterentur, deinde anthypophoram sumpsit. Mentiris. Ille vero iratus fuit. Cogis, inquit, me dicere, iratum tibi merito fuisse. Executus est omnia. hoc illi inter cetera obiecit, quòd occupans fratrem suum ignorasset aut dissimulasset: ait tyrannicidio quoque eius commendationē facere. deinde ad illum colorem redit Cestianum: Sed illum puto cōsilio fecisse quae fecit. quid ergo? quid iste tandem dicit quare scripsisset? nihil dixit. flet; mori vult, sed nō fame. In hac declamatione hanc *Albutius* sententiam dixit dubiam inter admirantes & deridentes: Panē quem cani das, patri non das. *Glycon* egregie dixit. * *Gorgonius* fuit Buteonis auditor, postea scholae quoque successor, vocis obtusae, sed pugnacissimae, cui Baro scurra rem venustissimam dixit: Centum raucorum vocem habes. Hic putauit varium colorem se excogitasse pro patre: Ego, inquit, dictaui, *Duplam dabo, si manus non praecideritis*, librario vna syllaba excidit, *Non*: & scripsit, *si praecideritis*. Digna res, quae voce illa diceretur.

tur. *Artemon* dixit: * *Andreas* dixit: * *Nicetes* dixit. *

Ter fortis. CONTROVERSIA VIII.

LEX. QVI TER FORTITER FECERIT, MILITIA VACET. Thema. *Ter pater fortem in acie, quarto volentem exire retinet: nolentem abdicat.*

CONTRA TER FORTEM. *Porcij Latronis.* Miserrimus pater iam non viderem filium nisi abdicarem. fortis plus quàm aut legi aut patri sat est. Tertio mihi noo redditus, sed relatus est. quod patriae superest, patri vindico. fugit me filius, & quidem ad hostem. Quousque pauidus proeliorum nuntios expectabo? fili, mihi vacationem peto. *Cestij Pij.* Abdico filium, vt habeam. non minus vacatio mea Reip. profuit, quàm militia. duxi vxorem. Sic descendit in narrationem. Tertio. audiui velut denuntiantis deos, Faciat adolescens iam felicitatis suae finem. Ego a diis vacationem in vnam pugnam petij. Accidat, inquam, quicquid timeo, si illum amplius in aciem dimisero. Cum diis pactus sum. Non timeo, inquit. Hoc est cur timeam. Obiicitur mihi, quòd me filius oderit. *Arellij Fusci patris.* O me filio pugnante iam lassum. Magna omioa sunt. Nihil hoc putas, quod viri fortis pater timet? Miserum me. iam hosti nimis ootus sum,[a] iam pro te nescio quid etiam lex timet. Miraris, si quod legi satis est, patri nimis est? Nunquid luxuriam, inquit, obiicis? ego vero te etiam morari posco inter voluptates. Quousque in duro castrorũ iacebis cubiculo? quousque somnum classico rumpes? quousque cruentus viues? simus hilares: trium victoriarum vota soluenda sunt. Tot acies sustinuisti, tot vulnera: possum cum Repub. queri. sero dimitteris. Subinde audio te dicentem, Malo gloriam quàm vitam. Hoc ergo me exanimat, quòd mori tibi tam facile est. Denique vno quiesce bello. *Pompeij Silonis.* Causa abdicandi est, ne sine filio viuam: quem tandiu non viderem, nisi abdicarem. Abdicatio mea in potestate abdicati est. *Romani Hisponis.* Quid fatigatae felicitati molestus es? quid expectas, donec castris eiiciaris? *Mentonis.* Erubescit Resp. tam cicatricoso milite vti. Non oportet tantam virtutem sine successore concedere. ducenda vxor est. sed iam nunc te admoneo, ne vnum tollas. *Cornelij Hispani.* Non ante te retinere coepi, quàm dimisit Respub. Nullum iam tibi vulnus, nisi per cicatricem imprimi potest. adhuc diutius fuisti cum hoste quàm apud patrem. Domi tantum sanatus es. *Iulij Othonis patris.* Optimus virtutis finis est, antequam deficias, desinere.

[b]EX ALTERA parte. * * * Ter fortiter pugnantem abdicas, certe abdicatis pugnare licet. *Albutij Sili.* Quis hic subitus insonuit tumultus? nunquid imperator vocat? venio. Plurimum in prima acie laboraui. pudet me, ter victi militant. *P. Asprenatis.* Quousque, inquit, periclitaberis? Bene habet, Iudices: pater me putat dignum esse qui saluus sim. Senator post sexagesimum & quintũ annum in curiã venire non cogitur, nec vetatur. Praetorio licet praetexta toga vti festis, aut sollemnibus diebus: nunquid necesse est? Quicquid aut praemij aut honoris nomine datur, in vtramque partem sumi liceat: alioquin desinit praemium esse, cui oecessitas iungitur. Pareo tibi parer: qui gloria nos immortales fieri dicebas, qui ex acie redeuntis vulnera osculabaris. Ad haec noua & diuersa imperia subito me circumagi putas posse? oon ita est. Ille in nos dominatur affectus, qui animum primus intrauit. Luxuria, auaritia, desidia, iniustitia, timor, non dediscuntur: & quotidie haec omnia aut castigantur, aut puniuntur: in tantum etiam vitiorum renaces sumus. Crede mihi pater; non sum mei iuris, cum ille proelij clamor exortus est: inuadere hostis libet, obstantis cuneos gladiis diducere: hic impetus, hic ardor animi, domum tuam trinis hostium spoliis adornauit: huic supplicationes illas debeo. propter hoc me etiam cum abdicas, diligis. non animus, non lingua constat: io alieno opere deprehensus sum: toga ipsa humeris non cedit. Ad obsidendum hostem, ad occupandum castris locum, ad intercipiendos hostium commeatus ire iusseris. otium imperas animo non otioso. Quotiescunque tumultus aliquis exortus est, in me ciuium diriguntur oculi, meas spectant manus: & adhuc (verum dicendum) nihil patria debet mihi: ounquam pugnaui, nisi coactus. Credisne quicquid refero tibi? scimus quem vitae cursum agamus: eadem pericula nos vbique circumstant, & totidem viae ad mortem sunt. Interdum cõtinuatus labor firmiores facit: saepe quos labor roborauerat, desidia consumpsit. *Marillij.* Sine me aliquod meritum in patriam conferre: adhuc militia mea legis munus est. Pugnabo & abdicatus: nec verebor, ne vilis sit opera mea patriae. Athenienses abdicato vicerunt duce. [c]Quantum ioter illum & me interest? ille abdicationem virtute deleuit, ego merui.

DIVISIO. Prima quaestio illa ab omnibus facta est vulgaris: An filius ob id, quòd sui iu-

ris sit, abdicari possit. deinde, An debeat. Haec tota tractationis est. Graeci illam quaestionem primam solent tentare quam Romanae aures non ferunt: An vir fortis abdicari possit. Non video autem quid allaturi sint, quare non possit. nam quod & vir fortis est, & totiens fortiter egit, non plus iuris illi adfert, sed plus commendationis.

COLOR. Colorem a parte patris quidam duriorem fecerunt: voluerunt enim videri inuisum filio patrem: itaque malle illum cum hostibus viuere, quàm cum patre: paene omnes, esse adolescentem insatiabilem gloriae: sed propter ipsum patri & moderandum & continendum. Quidam ex toto ad patris indulgentiam refugerunt, & non disputauerũt hoc modo, quo Silo Pompeius disputauit, qui sic diuisit, vt diceret: Etiam si patrem non haberes, desinere debebas, quia patrem habes, desinere debes, quia pater vetat. Facit illo modo quo Gallio, qui sic diuisit hanc partem: Hoc impero Reip. causa, tua causa, mea causa. sequentia duo videtis quemadmodum potuerit implere: illud Reip. causa imperare, sic tractauit. Primum vt pluribus iuuenibus pateat ad virtutem aditus; non debere omnium occasionẽ fortiter faciendi ab vno occupari: deinde expedire Reip. non videri tantum ex vno pendere, futurum vt & animi hostium erescerent, & suorum frangerentur, si casu vir fortis occidisset. Ad vltimum, vtile esse Reip. ter fortem seruari, vt sit qui ostendatur iuuentuti. iam illũ magis posse ornamentum esse quàm praesidium. Illum sensum veterem, Iam pro viro forti nescio quid etiam lex timet, hoc loco *Gallus* posuit. hoc quoque inquit: Ter viro forti aut diffidit, aut consulit. Nec illam quidem secuti sunt tractationem, qua vsus est *Blandus*, qui dixit: Militia tibi superuacua est, inuidiosa est, periculosa est. Superuacua est: quia non cogeris, immo verecunde vetaris. Gloriae causa aliquis militat: consecutus es gloriam. vacationis causa: consecutus es praemium. Tria domi praemia sunt. Et sic transiit, vt diceret, inuidiosum esse, vnum hominem totiens optare omnes honores intercipere. Quàm periculosa res esset inuidia, quàm magnos viros oppressisset. Hic exempla. Periculosam esse militiam, eodem loco collegit. Illud vnum adiecit de lege, Non posse illum iam fortiter facere, quia omnes illum hostes peterent: & adiecit. Ideo lex ter fortem dimisit. scit illum iam obseruari ab hoste. His ergo omissis, illi qui amantem patrem induxerant, hoc genere egerunt: Non possum pati, non possum desiderium tui sustinere. Hoc loco *Aeschines* ex bonis declamatoribus, cũ
* diceret. * * Non me gloria cupidiorem tui fecit, non omnibus admiranda virtus. Confitebor, inquit, affectus patris: quos vt quisque volet, interpretetur. Videbatur hic, dum indulgentiam exprimit, non seruasse dignitatem patris. Placebat autem Latroni, potius ratione retineri patrem, quàm affectu: cum in ratione habeat aliquem locum & affectus. *Asprenas* colorem secutus est longe alium: dixit enim, se nõ negare Reip. viri fortis operas, sed ad necessarios vsus reseruare. Si magnum aliquod bellum incidat, tunc & veteranos vocari ad arma. Et illa sententia eius hoc loco valde laudata est: Nunc illi militent quibus necesse est: tu militabis, si erit necesse. Sic venisse populum Rom. ad Scipionem Aemilianum, cum maius bellum Numantinum apparuisset: quàm quod alij duces sustinere possent. Magnum interuallum inter Numantiam & Carthaginem Scipioni datum. Sic ad Pompeium, cum piratae maria clausissent. Magna praesidia non esse consumenda. Hoc loco *Asprenas* de lege dixit & ipse sententiam. Videlicet ad hos casus lex ter fortem seposuit. A parte filij colorem induxerunt quidam, vt illum cupidum gloriae & bellicosum facerent. *Nicetes* quidem hoc vsus est verbo * * * & sic egit, vt quereretur quòd cessarent manus suae, quòd inermes essent. *Latroni* non placebat hic color: malebat adolescẽtem iudicio, quàm morbo militare. Hoc est, inquit, quod pater efficaciter dicat, detrahere illum operibus suis; glomera-
* rium, sanguinarium, quem nec pater possit retinere, nec lex dimittere. Quidam pacti sunt cum patre, tanquam *Mento*: qui dixit semel tantũ se militare velle, vt aliquid videretur Reip. supra legem praestitisse. Quidam perpetuam denuntiauerunt militiam, quàm diu vires fuissent, non defuturum Reipub. virum fortem. Non probabat hunc colorem *Latro*. Negabat patri abscindendam spem filij in perpetuum. *Vibius Rufus* hoc colore egit quo Mento: sed illud adiecit peruenire ad se voces inuidorum illas: Nunquid amplius pugnauit, quàm quod necesse illi fuit? Quidam hoc compositum & simulatum inter nos putauerunt, vt ego militare vellem, tu vetares. *Latro* vehementer egit a parte patris, & adiecit: Abdicato non permittam exire, iniiciam manus, tenebo. nouissime ante limen exeuntis cadauer hoc sternam. vt ad hostem peruenias, patrem calca. Putabat Plancus, summus declamator, Latronis hunc sensum, a Latrone fortius dictum, a Lesbocle Graeco tenerius, qui dixit sic: κείσομαι ὡς τεῖχος, τὸ τάφρον ὑπέρβηθι καὶ πάτει. *Fuscus Arellius* religiose patrem induxit ominibus territum: aiebat praeceptorem suum in hac controuersia describentem pericula futuri proelij, Homeri versus ob hoc edidisse: Δαιμόνιε φθίσει σε τὸ σὸν μένος. *Glycon*

con dixit.* * * *Aeschines* non ille orator, tunc enim non declamandi studium erat, sed hic ex declamatoribus dixit oobis cum denũtiaret filio periculum, & praesagiis tangi se diceret. * * * *Diocles Carystius* dixit sententiam, quae non in declamatione tantum posset placere, sed etiam in solidiore aliquo scripti genere, cum de fortunae varietate locum diceret. * * *Dorion* dixit, rem paulo quidem elatiorem, quàm pressa & ciuilis oratio recipit, sed qua egregie attonitos patris affectus exprimeret. * *

M. ANNAEI SENECAE CONTROVERSIARVM LIBER SECVNDVS.

SENECA NOVATO, SENECAE, MELAE FILIIS SALVTEM.

VM repeterem quos vnquam bene declamantes audissem, occurrit mihi inter alios Fabianus philosophus: qui adolescens admodum, tantae opinionis in declamando, quantae postea in disputaodo fuit. Exercebatur apud Arellium Fuscum: cuius genus dicendi imitatus, plus deinde laboris impendit, vt similirudinem eius effugeret, quàm impeoderat, vt exprimeret. Erat explicatio Fusci Arellij, splendida quidem, sed operosa & implicita: cultus nimis exquisitus: compositio verborũ mollior, quàm vt illã tam sanctis fortibusque praeceptis praeparans se animus pati posset. Summa inaequalitas orationis, quae modo exilis erat, modo nimia licentia vaga & effusa principia, argumenta, narrationes aride dicebantur. Io descriptionibus extra legẽ omnibus verbis, dummodo niterent, permissa libertas. Nihil acre, oihil solidum, [a] nihil horridum. Splendida oratio, & magis lasciua quàm laeta. Ab hac cito se Fabianus separauit: & luxuriã quidem cum voluit, abiecit: obscuritatẽ oon potuit euadere. Haec illum vsque in philosophiã prosecuta est. Saepe minus qoàm audienti satis est, eloquitur: & in summa eius [b] ac simplicissima facultate dicendi, antiquorum tamen vitiorum remanent vestigia. Quaedã tam subito desinont, vt non breuia sint, sed abrupta. Dicebat autem Fabianus fere dulces sententias: & quotiens incidebat aliqua materia, quae conuicium saeculi reciperet, inspirabat magno magis quã acri animo. Deerat illi oratorium robur, [c] & ille pugnatorius mucro: splẽdor vero velut voluntarius non elaboratae orationi aderat. Vultus dicentis lenis, & pro tranquillitate morum remissus: vocis nulla contentio, nulla corporis asseueratio, cum verba velut ioiussa fluerent. Iam videlicet compositus & pacatus animus, [d] cũ veros cõpressisset affectus, & iram doloremq; procul expulisset, [e] parum bene imitari poterat, quae effugerat. Suasoriis aptior erat: locorũ habitus fluminumque decursus, & vrbium situs, moresq; populorũ, nemo descripsit abundantius. Nuoquã inopia verbi substitit, sed velocissimo cursu ac facillimo omnes res beata circumfluebat oratio. Haec eo libentius, Mela, fili carissime, refero, quia video animum tuum a ciuilibus officiis abhorrentem, & ab omni ambitu auersum, hoc vnum coocupiscentẽ nihil concupiscere, vt eloquentiae tantum studeas. facilis ab hac in omnes artes decursus est. Instruit etiã, quos nõ sibi exercet. Nec est quòd insidias potes tibi fieri, quasi id agam, vt te bene cedentis studij labor teneat. Ego vero noo sum bonae mẽtis impedimentum: perge quò inclinat animus: & paterno cootentus ordine, subduc fortunae magnã tui partem. Erat quidem tibi maius ingenium quàm fratribus tuis, omnium bonarum artium capacissimum: est & hoc ipsum meliotis ingenij pignus, non corrumpi bonitate eius, vt illo male vtaris. Sed quoniam fratribus tuis ambitiosae curae sunt, foroque se & honoribus parãt, in quibus ipsa quae sperantur timenda sunt: ego quoque aliquando eius processus auidus, & hortator, laudatorque vel periculosae, dum honestae modo, industriae, duobus filiis nauigantibus, te in portu retineo. Sed proderit tibi in illa quae tota mente agitas, declamandi exercitatio, sicut Fabiano profuit: qui vt aliquando, cum Sextium audiret, nihilominus declamitabat, & tam diligenter, vt putares illum [f] illi studio parari, non per illud alteri praeparari. Habuit etiã Blandum rhetorem praeceptorem, qui eques Romanus Romae docuit. Ante illum intra libertinos [g] praeceptores pulcherrimae disciplinae continebantur: & minime probabili more, turpe erat docere, quod honestum erat discere. [h] Nam primus omnium Latinus rhetor Romae fuit, puero Cicerone, Plotius. Apud Blandum diutius quàm apud Fuscum

Arellium studuit:sed cum iam transfugisset,eo tempore quo eloquentiae studebat,non eloquentiae causa. Scio futurum,vt auditis eius sententiis, cupiatis multas audire. Sed nec ille diu declamationibus vacabat: [i] & ego tanto minorem natu quàm ipse erat,audiebam quotiens inciderat,non quotiens volueram.In hunc ergo libellum quaecunque ab illo dicta teneo, conferam.

[a] *Adoptandus post tres abdicatos.* CONTROVERSIA I.

THEMA. *Diues tres filios abdicauit. petit a paupere vnicum filiũ in adoptionem.pauper dare vult, nolentem ire,abdicat.Contradicitur.*

PRO ADOPTANDO. *Porcij Latronis.* Hanccine meam esse fortunam? Eodem tempore & abdicor & adoptor. Ista videlicet domus adolescentem me non capit, quae te senem fecit. quietiora tempora pauperes habuimus : bella ciuilia aurato Capitolio gessimus. Diuitias putas aurum & argentum, ludibria fortunae, quae inter iocum ipsis dominis veniunt? Denuntio tibi diues,etiam si venero,dabo operam,quod in tua domo facillimum est,vt abdicer. Etiam si multa contra expectationem accidunt,nunquam tamen futurum putaui, vt aut pater meus liberos odisset,aut diues concupisceret. Non desidero patrimonium. Fragilis & caduca felicitas est, & omnis fortunae blandientis speciosus cum periculo nitor: & sine causa saepe fluit, & sine ratione destituit. Vidi ego magni exercitus ducem sine comite fugientem:vidi ambitiosa turba clientum limina deserta,sub domino rectore venalia. Nam quid ex summis opibus ad egestatem deuolutos loquar?Multa tibi succurrent exempla,etiã si in vna domo quaeras. *Rufi Vibij.* Habendos esse liberos is quoque iudicat, qui non libentissime habet. Ego illos in friuola inuitaui nostra. qui illis meam promisi domum, suam eripiam? Quid faciam?Si paruero,abdicabor.si non paruero,abdicabor.Patrem amo.haec est contumacia mea. Diues filium non habet:me dabis? si diues reduxerit suos:me recipies?ita non adoptari, sed commodari recuso. *Cestij Pij.* Accipe vitae meae testem. quid magni aestimas diuitem, cui placere difficile est? Vultis scire, quare patrem non relinquam, qui genuit me, qui educauit,qui abdicauit? diu dubitaui,ille amicum tentaret, an hic filium. Abdico,inquit.hoc pater verus.Quid ab eo qui adoptabit,sperare possum? NARRATIO *Cestij Pij.* Diues sustulit vnum filium,non fuit contentus. quid enim erat diuiti vnus?tres sustulit,poterat vnum in adoptionem dare.abdicauit vnum,alterum,tertium.Iam nihil diuiti * superesse putatis?quartum abdicat. *Arellij Fusci patris.* Quisquis es auarus pecuniae custos immensae, cũ multa quaesieris,poterisne omnibus frui?Filium quaeris.ecce turba iuuenum sine patre.Impera quiduis.nõ negabo:militabo,dũmodo vbicunque fuero, tuus sim. Ita nos pauperes sumus,qui habemus,quod diuites rogent? vnde talem patrem?nõ irasceris,nisi vt ames.quid porro ista matrimonia,in quae male sani ruitis?gaudia dominorũ,an onera sunt? * Mille cum ventũ inter vices suas exempla referebas, & inter illa ponebas & diuitis domũ. Merito abdicasti,an immerito?Si immerito abdicasti, odi patrẽ tot eiicientẽ innocentes: si merito,odi domũ tot facientem nocentes. Aliquid in domo locupletis non agendũ agam. quae apud nos frugalitas est, apud illos humilitas est. Petis iterũ potius filios quàm recipis. Colit etiamnum in Capitolio casam victor omnium gentium populus, cuius tantam feli- * citatem nemo miratur. Merito potens est: nemo ab eius origine est, quem non reliquerit. Pater egredientem te, certe domum redeuntem comitabor, nec nisi in limine deseram: ero in publico filius. [b] Amo aeque paupertatem ac patrem. vtrique adsueui. Non possum agere in domo diuitis filium. Si carum tibi seruum venderes,quaereres quis emptor esset. Nõ mehercule habeo, quo tibi irato satisfaciam. Interim pluris omni matrimonio puto hoc somnium. quod sic me amittere curas, satis amare non possum. Quid faciam adoptatus? loquar filiis eius bene de abdicatione? Ego in domum vestram intrabo, tanquam ego vos eiecerim? ego ornamenta vestra occupabo? Tum illic si quid commisero, me nec meus recipiet pater. Quid est quod aut negandum mihi,aut excusandum sit? Non insanissimum dispendiorum malum, non erubescendos amores, neque luxuriantem habitum, neque potatus obiicis filio. haec si non potes, aliqua saltem ex commentariis amici tui describe. madentem vnguentis hesternis,conuulneratum libidinibus, incedentem, vt feminis placeat, femina mollius,& cetera quae morbi, non iudicij sunt.Abdicatio loquax est.Quàm te paupertas amo, si beneficio tuo innocens sum! Accusatorem non habeo: me miserum, etiam laudatorem habeo,& eum cui non omnes placent,hoc enim malo dicere, quàm omnes nõ placent. Non tibi per multos liberos fulta domus est, neque turba lateri circumerrat, nec multus intra limen haeres est:quanquam nec sic quidem debuisti dare, cum deos cum votis

patris

patris vidisses certantes. & tutior aduersus fortunam est, cui aliquid post damnum superest, & habemus exemplum, posse aliquem tres filios perdere. Ille Croesus inter reges opulentissimus, ad tormenta post tergum vinctis manibus ductus est. Tu Crasse, post euestigata illa fugitiuorum arma vrbis Romanae ditissimus, qui nunc apud Parthos eges sepulchro quoque. Dicta praeterea illa corrumpentium non fero. quotiens enim inter diuitias suas exemplo istam posueritis domum, meliores perdentem diuitiis suis liberos? hoc scio nostros fuisse maiores: hoc illum Aelium Tuberonem, cuius paupertas virtus fuit: hoc Fabricium, Samnitium non accipientem munera: hoc ceteros patres nostros, quos apud aratra ipsa, mirantes decora sua, circumstetere lictores. Surgite, surgite iuuenes: & meum rogando patrem, vestrum rogare discite. *Blandi.* Tres genuit: quattuor abdicat. Abdico, inquit. apparet vnde venias. *Galli Vibij.* Si quis me audit, abdicari iam putat adoptatum. quare? ne auferam patri filium, filiis patrem: nec tam vicino exemplo emendaris. Qui abdicauit suos, quaerit alienos. nulla certa felicitas est. Paulo ante ego diuitis filiis inuidebam: modo illi mihi. laudat me pater, cum abdicet: laudo ego patrem, cum abdicer. haec vna inter nos disputatio est: iste me dignum putat beato patre, ego meo. *Fabiani Papirij.* Ecce instructi exercitus saepe ciuium cognatorumque conserturi manus, constiterunt, & colles equis vtrinque complentur, & subinde omnis regio trucidatorum corporibus consternitur, illatorum multitudine cadauerum, vel spoliantium. Si quaesierit aliquis, quae causa hominem aduersus hominem in facinus coegit? nam neque feris inter se bella sunt: nec si forent, eadem hominem decerent, placidum proximumque diuino genus. Quae tanta vos fert ira, cum vna stirps, idemque sanguis sitis: vel quae furiae in mutuum sanguinem egere? Quod tantum malum humano generi vel sorte vel fato inuectum? an vt conuiuia poculis extruantur, & tecta auro fulgeant, parricidium tanti fuit? Magna enim vero & laudanda sunt, propter quae mensam & lacunaria sua potius quàm lucem innocétes intueri maluerint. An, ne quid ventri negetur libidinique, orbis seruitium expetendum est? quid tandem sic pestiferae istae diuitiae expetuntur, si ne in hoc quidem vt liberis relinquantur? quid tandem est quod in vitio corruperint? Primum si inde incipere velis, aedes ipsae, quas in tantum extruxere, vt domus ad vsum & munimentum paratae, sint nunc periculo, non praesidio: tanta altitudo aedificiorum est, tantaeque viarum angustiae, vt neque aduersus ignem praesidium, neque ex ruinis vllum vllam in partem effugium sit. Ad delicias dementis luxuriae lapis omnis eruitur, caeduntur que gentium siluae: aeris ferrique vsus, iam auri quoque in extruendis & decorandis domibus. nempe vt anxij interdiu, & nocte ruinam ignemque metuant, qui tectis iniectus est fortuitus. Hinc & vicina vrbium excidia sunt: quippe non defendis vni, sed in communi periculo apprehendam: hostesque aliena & in sua damna validiora eeduntur alia, ipsaque cum maxime flagrant, spolium ex alienis ruinis ferunt. In hos ergo exitus varius ille secatur lapis, vt tenui fronte parietem tegat, quam vinctis seuere in hoc pauimentum leuatum & infusum tectis aurum. O paupertas quàm ignotum bonum es. Quin etiam montes siluaeque in domibus marcidis & vmbra fumoque viridibus. Quid faciam? Si paruero, abdicabor: patrem amo. haec est contumacia mea. vt maria amnesque mutentur, vix possum credere quemquam vidisse siluas patentesque campos, quos rapidus amnis ex praecipiti, vel cum in plana infusus est, placidus interfluit: non maria vnquam ex colle vidisse lata aut hiberna, cum ventis penitus agitata sunt. Quis enim tam paruis oblectare animum in vita possit, si vera cognouerit? Videlicet quae instantibus tangi comprehendique manibus aut sinu possunt. An magna non capit? exiguum est & hoc. litoribus quoque moles inuehuntur, congestisque in altum terris exaggerant sinus: alij fossis inducunt mare: adeo nullis gaudere veris sciunt, sed aduersus naturam alieno loco, aut terra, aut mari mutata aegris oblectamenta sunt, vt imbres fastidio rerum naturae laborantibus. Iam ne liberi quidem, nisi alieni placent. *Hispani Cornelij.* Solus omnium abdicor, quia me meus pater diligit, alienus appetit. *Vibij Rufi.* Diues filium non habet: me dabis? diues reduxerit suos: me recipies? ita non adoptari, sed commodati recuso. Quid mihi obiicitur? Meritis amoris alienum feci. Dic diues audiat: Diuitem, inquit, te esse volo. O me abdicandum, si talem patrem relinquo. Laudabat mihi pater paupertatem, narrabat diuitum incommoda: aiebat multos diuites accusatos: ego certe memini abdicatos. Abdico, non est patris mei verbum. *Triarij.* Quare abdicas? nunquid dies noctesque impendo turpibus conuiuiis? plurimum viuo in lupanari? si nescis quae crimina obiiciantur, ab amico disce. Si omnes mali sunt, quid isto patre miserius: si boni, quid cruentius? *Romani Hisponis.* In hác ego domum ibo, in qua totiens aut insanitur a patre, aut totiens peccatur in patrem? cum prodiero repente diues, dicent omnes: Quis est iste, quem magna fortuna non decet? haec est

diuitis quarta abdicatio. *Silonis Pompeij*. Quantumcumque est, mihi satis est: vnicus sum, fortiter fortunam meam feram. Hoc nūc mihi primum accidit: dictus sum diuitis filius, & iam abdicor.[d] Quid videri me velis, nescio: innocentem? sed abdicor: nocētem? sed adoptor. Vtcunque tamen abdicatio tolerabilior est; vnum abdicat, adoptio tres. Non potest mihi dici, quod ceteris abdicatis: In tua potestate fuit, si paruisses patri, non perdidisses patrem: etiamsi non abdicarer, perditurus fui.

PARS ALTERA. *Porcij Latronis*. Si nescirem quid mali esset pauperies, nunc intelligerem, cum abdicationem filius meus non timet. Fabriciorum imagines Metellis patuerunt. Aemiliorum, & Scipionum familias adoptio miscuit: etiam abolita saeculis nomina per successores nouos fulgent. Sic illa patriciorum nobilitas ab fundamentis vrbis, vsque in haec tempora constitit. Adoptio fortunae remedium est. Non ignoro ego, quorum * inopia per otium in angulis diuitiarum conuictos strepit, accusatioque consequitur, neque quiescere finit. Sed nulla materia in rebus humanis virtutes clarius ostendit censu. Senatorium gradum census ascendit: census equitem Romanum a plebe discernit: census in castris ordinem promouet. censu Iudex in foro legitur. Non persuadeo tibi? I ergo ad illos quos mauis sequi quàm reducere. *Fusci Arellij patris*. Facilius possum paupertatem laodare, quàm ferre. Quid mihi Phocionem loqueris? quid Aristidem? Tunc paupertas erat saeculi. Quid loqueris Fabricios? Quid Coruncanios? pompa ista exempla. Fictilibus * fuerunt dij faciles. tibi non noueris diuitias esse paupertatem. Quid vos liberis vestris optatis? ego meo imperium.

DIVISIO. Non puto vos quaerere, quomodo haec controuersia diuisa sit, cum habeat negotij nihil. *Fuscus* tamen sic diuisit: Dico mihi licuisse adoptare: dico mihi licuisse recusare adoptionem: dico etiam vt licuerit, recte tamen recusasse: & quod iure fit, verū est: & quod * sine iure quoque rationem habeat, recte fit. Cum de iure diceret, dixit: Sub arbitrio, inquit, * patris sum: & hoc subiicior patri, quia pius sum: in hoc sine dubio, vt pius sim: & ad manum argumentum est. nempe abdicanti respondeo. quid ita? quia respondeo, scilicet id ago ne desinam illius esse. quid ago, cum respondeo emācipanti: quid enim ad amittendum patrem interest, vtrum eiiciar, an transferar? Si non licet recusare, cur potius abdicas me quàm tradis? Cum de officio diceret, in haec diuisit: Dico non fuisse dandum sine magna causa filium in adoptionem: dico multo magis a te: dico minime illi. *Silo Pompeius* sic diuisit. coepit euer- * tere, & explosa quaestione: In omnia patri pareo, dum fit: etiam si in omnia, ibi non parendum, quo efficitur ne pater sit. Deinde quaerit, an inuitus filius dari in adoptionem possit: si non potest a nobis abdicari, quod arbitrij sui est: an possit, non cum contra voluntatem patris est, sed cum male arbitrio suo vtitur. hic subiecit, an hic bene vsus sit. De officij parte tractauit, & ita diuisit: Turpem esse adoptionem, inutilem esse, periculosam esse. Cum diceret turpem, dixit aliena bona inuadere, & trium filiorum sub se sortem esse, & liberis spem reconciliationis paternae eripere, quàm inhumanum esset. Cum inutilem diceret, dixit patri inutilem esse, adoptanti inutilem esse. Cum patri inutilem diceret, tractauit quàm graue esset, vnico carere filio,[e] quem alius cōcupisceret. & cum diceret diuitem esse, quòdque qui tot haberet solatia, filium quaereret: dixit: Tibi non erit facile adoptare. Inutilem esse diuiti cum diceret, sic tractauit: Futurum vt ad suos rediret, si non adoptasset. Hoc loco belle videbatur dixisse. Si animum patris intelligis, dat tibi notam reconciliandi tuos, negat se solitudinem pati posse. Cum inutilem sibi esse diceret, paupertatem laudauit, in diuitias inuectus est: dixit se posse diuitiis corrumpi, quibus corrumpi possit exercitus. Cum in diuitias inueheretur, dixit: Aiunt multa vitia diuites habere istos, & hoc grauissimum, quòd suos non amant. Nec esse quòd quisquam se satis putet firmum ad repellenda vitia, contactu ipso nocentia trāseunti bono. Nec peccare discam? Ecce tu quàm cito abdicare didicisti. Dixit futurum, vt diuiti displiceret propius inspectus, ipsum amorem paupertatis ab illis fastidiri: dixit futurum, vt abdicaretur, si adoptatus placuerit, ego nec meo placeo: adiecit periculosam sibi futuram adoptionem in domo, suos dominos desiderante, & tota familia expellere insitiuom heredem cupiente. *Latro* vltimam quaestionem posuit, quam fere solebat: Etiam si non recte fecit, quòd adoptati a diuite noluit: an tamen bono id aduersus patrem animo fecerit, an ignoscendum sit. deinde an bono aduersus patrem animo fecerit. In hac quaestione bona pars adolescentis est, patrem amantis, & opibus praeferentis. *Latro* tamen negabat patrem daturum manus, bono aduersus se animo factum, sed consensum filiorum aduersus patres dicturum tacitum, nescio quem. *Brocco* quidam non male re vsus, qui dixerat adolescentem videri sibi habere capitalia quaedam vitia, male de se existimare eum qui ire ad Iudicem districtum innocens nollet. *Argentarius* omnes priores transiens partes,

statim

statim ad hoc venit, Debueritne patri parere, an non debuerit: & in figuram contulit declamationem. Volo, inquit, alius filium abdicet, qui petitur a patre paupere, vt in adoptionem diuitis daretur. Quàm bonam, inquit, causam pater habebit? Dicit hic, deinde transit. Sic cum declamasset eam controuersiam, quae vsitata non erat: Si ille filius malam causam haberet, ego bonam habeo: contulit suam causam cum illo.

COLOR. De colore magis quaesitum est, an adolescens debeat aliquid in diuitem dicere. quid enim faciet? diceret in eum qui tantum aes habet, & in amicum paternum? non dicit in eum quem fugit? & illi tamen qui sibi abstinentiam cõuiciorum imperauerant, non bene praestiterũt. aliqua sententiae dulcedo surrepsit. Aridi declamatores fidelius quos proposuerunt colores, tuentur. nihil enim eos sollicitat, nullum schema, nulla dulcedo sententiae subrepit. sic quae malam faciem habent, saepius pudicae sunt: non animus illis deest, sed corruptor. *Fabianus Philosophus* hoc colore vsus est, vt diceret: Etiam si sustinerem, at tradi diuiti nollem. & in diuitias dixit, non in diuitem: illas esse quae frugalitatem, quae pietatem expugnassent, quae malos patres, malos filios facerent. [g] *Gallus Vibius* fuit tam magnae olim eloquentiae, quàm postea insaniae. Huic accidisse vni scio, vt in insaniam[h] non casu incideret, sed iudicio perueniret. nam dum insanos imitatur, dum lenocinium ingenij furorem putat, quod simulabat, ad verum redegit. Hic controuersiam postero die quàm erat a Fabiano dicta, declamauit. Solebat autem sic ad iocos peruenire, vt amorem describeret paene cantantis modo, vt diceret, Amorem describere volo: tanquam bacchari volo. Deinde describebat, & totiens coepturus repetebat: Amorem describere volo. In hac controuersia plane quod voluit, consecutus est, vt diuitias nobis in odium adduceret. Saepe enim ingessit: Diuitias describere volo: & multa minus facunde & corruptius quàm Fabianus, sed dulcius. hoc vnum occurrit, in quo pusillum inest insaniae: [i] Non me delectãt ignoti domino seruorum greges, nec sonantia laxi ruris ergastula. patrem gratis amo. *Fuscus Arellius* & hunc colorem dixit: Omnibus offendor. cum primum de adoptione ista cogitarem, occurrerunt mihi tres abdicati: & audio in ista domo tres fuisse filios. Necesse est timeam infelicem liberis domum. & alias causas dixit. licet enim plura abdicato dicere, propter quae non litiget: sed nunc refero, cui rei quisque maxime institerit. *Latro* illo colore vsus est, sodalem se tribus diuitis filiis fuisse: semper, inquit, illos colui, immo adhuc colo. cum abdicati essent, ego illis suasi vt tacerent, & patrem cedendo mitigarent. dixi, Cum primum tempestiuum putabitis, patrem vestrum rogabit meus. Ecce admonẽt me aptissimum esse tempus. Verum est. non potest pater inuenire reconciliationis aptius tempus. diues filios quaerit. *Cestius* illo colore: Quos abdicatione non potuit terrere, putat se castigaturum adoptione. Non ille tuum filium concupiscit, suos corrigit: dum illos correctos putauerit, me statim abdicabit. Non faciet? Atqui neminem adhuc habuit, in quo hoc aut facilius aut iustius faceret. *Fabianus* hoc colore, vt dixi, egit: Nolo diues esse. *Rufus Vibius* hoc: Nescio diues esse. Haec in hoc loco cum diceret, excepta sunt. Non est quòd putes, omnibus diuitias conuenire. nihil est insolentius nouitio diuite. Sed & illud dixit: Alius animose loquitur, vt ex cõtemptu diuitiarum gloriam petat. ego non dico, Diues esse nolo: sed, nescio. *Albutius* & ipse diuitias insecutus est, & dixit pulchram de Fabricio sententiam. Munera, inquit, regia respuit, cum auro dominum timet accipere. & illum locum egregie tractauit: Omnes cibos habebo suspectos, omnes potiones, trium paedagogia: ex illis occidere me volet, quisquis frugalissimus fuerit. Non venenum pauperes timẽt, non heredem: adhuc nec abdicationem timebamus. *Silo Pompeius* illo colore egit: Nemo illi placere potest. Ne in hoc quidem aliquem retinuit, vt non omnes abdicaret. Ecce nunc, inquit, inuenit nouam abdicationem, ne quid de reditu sperare possent. Et cum multa dixisset in diuitem, dixit: Non est quod mireris si te oderunt, quos abdicasti. Colorem aperte paratius aliquid cur hic desiderat? quidam dixerunt * patrem cupidum diuitiarum, quod inuidiosum est, in hoc vsum: quidam ita, Diuitias filio dare vult, vt filiis eripiat. Itaque Latro optimo colore vsus est. In hoc, inquit, te in adoptidnem volo dare, vt facilius per te abdicati reconcilientur. *Cestius*. Timeo, inquit, ne abdicet. vellem timeres. *Albutius* hoc colore vsus est: Summam sibi amicitiam cum diuite fuisse: dixisse illum sibi dubitãti, an filium tolleret. Tolle, inquit, in meum patrimonium: ego istum fratrem liberorũ iudicabo. Itaque cum & tertium abdicaret, dixit: Nisi mihi illudis, vnicum etiamnum filium habeo. venit ad me, & ait: Redde quem educasti mihi: si emendati fuerint liberi mei, habebo hunc cum illis: si perseuerauerint, habebo pro illis. Tẽtasti statim illum reducere in gratiam cum filiis. intempestiuum erat. Tentaui, quotiens subtrahendum eum respondit: non tãquam possit diuiti deesse filius. *Silo* dixit: Amicos, inquit, abdicat. vsus sum. quid ergo? mauis inimicum adoptet? si intraueris domum, videbis, an aliqui animum patris

a filiis auertant. Si reduxerit, inquit, illos, & quid fiet? capit diuitis domus quatuor liberos. Si illi te fratrem grauabuntur, libẽtissime recipiam. Sic de me diues meruit, vt illi darem filium paratissime commodato. *Blandus* hoc colore egit, vt diceret, Diuitem inexorabilem esse liberis: omnia se fecisse vt illum placaret: videre se magnas causas & graues. Itaque certam futuram adoptionem. *Otho Iunius* pater solebat difficiles controuersias belle dicere, eas in quibus inter silentium & actionem medio temperamento opus erat. Edidit quidem quatuor libros colorum, quos belle Gallio noster Antiphontis libros vocabat: tantum in illis somniorum est. & hoc vitium ab antiquis, qui artem dicendi tradebant, duxerat. Illi enim colores * probant qui non possunt coargui, non vt omnia asseuerẽt. vt non esse aliquo homine offensus. Sed ridiculum est affectanti, quod falsum probari non possit. Non multũ interest in causa sua, falsum aliquis testem deprehenderit, an seruum: alteri enim credi non debet, alteri non solet. *Otho* tamen *Iunius* bene dicebat has cõtrouersias, quae suspiciose dicendae erant. Item memini optime dicere illum pro iuuene adulterij reo, in quem *Syriacus Vallius* homo disertus ad calumniam iurauerat. Erat genus iudiciale. Speciosum iuuenem dominus suus deprehendisse cum vxore in cubiculo suo testatus est, & ob id vxorem suam dimisit. hoc nomine, seruum pro adultero postulatum, dominus non defendebat: mulierem, quam petebat praeiudicium, tuebatur. opus erat aliquo colore, cum in cubiculo visa esset cum seruo a marito. *Otho Iunius* nullam rem certam posuit, sed tantum circumuẽtam a viro mulierem egregie tractauit: cuius actio quàm vtilis fuisset, statim appatuit, *Nigro Brutidio* dicente, qui hoc colore vsus est: Accersitum a domino seruum, qui inter se medius & dominam, cum domina rem haberet, illam nõ esse passam: maritum indignatum, prosiluisse quasi in corruptorem. Vsus est colore. dixit enim, arcessitum vt dominicae libidini paparium faceret. *Syriacus* cum secunda actione hunc colorem vrgeret, diserte multa dixit: inter quae & hoc: Adulterum accusator in cubiculũ vsque perduxit, patronus in lectum, & paene causam abstulit. & illud cum Syriaco vafre & facit, & belle respondet, cum prima actione diceret, non posuit causam, sed argumentatus est: dixit probaturum se deprehensam in cubiculo cum seruo. *Niger Brutidius* cum ageret, obiecit Syriaco, quòd causam non posuisset, & institit assidue, quare non appareret, quomodo seruus solicitatus esset, quomodo perductus in cubiculũ. cum responderet Syriacus, ait: Primum non apud eundem praeceptorem studuimus. Tu Apollodorum habuisti, cui semper narrare placet: ego Theodorum, cui non semper. deinde si quaeris Niger, quare ego non narrauerim: vt tu ista narrares. Tunc & contra Maximum Stertinium quo premebatur, cũ comes eius fuisset, dixit, [k] Per annos duodecim in officio fui: Dic quid in domo tua peccauerim? Sed haec consuetudo vestra. Iniuriam vocatis finem seruitutis. Tamdiu vobis cordi sumus, quàm diu vsui. Haec a Syriaco dicta, magnis excepta clamoribus, cum occurrerent mihi, praeterire non potui. Ad Othonem redeo, a quo longius aberraui. Solebat hos colores adhibere, qui silentium & significationem desiderant. Bene itaque & hãc controuersiam hoc colore dixit, tanquam in emendationem abdicaturus, & reconciliationis causa faceret. Hoc non detegebat, sed omnibus sententiis vtebatur ad hoc tendentibus: tanquam, Non possum, inquit, pati sine patre me: an sine te putas pati posse quemquam, aut patrem putas pati sine liberis posse? & illud: Credite mihi, impium nihil de liberis duo patres cogitant. & illud: Recipiat, inquit, suos, non possum sine te pati. hoc forrasse illi placebit, quòd ad tuum patrem reuerti voles. & illud: Non amas abdicatos? domum illorum occupa. ama, serua. dixit & illud: Libenter inquit, pauper sum & ego. Dicit aliquis: Quare ergo in adoptionem diuitis filium recipi volo? Et excusationem si dixero, filij mei causa facio: honestius autem nunc facio, quàm si filium ei facerem. & illud: Hoc aut meum consilium est, aut illius, aut commune, consentiatis licet duo senes. Iungit & illud, Temerariam adolescentiam, & incautam cõtumaciam: fortasse iam superuacua esset adoptio, si non repugnasset. Et illud: Non recipio, omnia licet facias: non ero pater orbo diuite. & illud in vltimo: Scis me non inuitum esse pauperem, ego te genui, ego diuitias docui contemnere. sequere auctoritatẽ meam. nihil turpiter suadeo, nihil sordide cõcupisco, crede fidei meae. hoc fieri expedit, quod, inquit, me tibi diuiti: nihil amplius dico. Totam bene dixit controuersiam, sed hoc genere, vt putares illo dicente dicendum sic esse: deinde mirarere, quid illi suspiciosa actione opus fuisset, cum aperte liceret. Bene de hoc vitio illius Scaurus aiebat, illum acta in aurem tegere. *Glycon* * *Scyridion* ex altera parte satis dulcem dixit sententiam.*

Artemon dixit.* Hermagoras dixit.*

Iusiurandum mariti & vxoris. CONTROVERSIA II.

THEMA. *Vir & vxor iurauerunt, vt si quid alteri obtigisset, alter moreretur. Vir peregre profectus, misit nuncium ad vxorem, qui diceret decessisse se. Vxor se praecipitauit. recreata, iubetur a patre relinquere virum. non vult. abdicatur.*

Porcij Latronis. Dij immortales, qua debetis prouidentia humanum genus regitis: effecistis vt illud noo periculum esset amantis, sed experimētum. *Cestij Pij.* Antequam iuraremus, diu inter oos haec tacita lex erar. Si abdicata fuerim, oon viuam. Huic pater non credir. nec est nooum: nec vir illi credidit. Quaeris quod iusiurandum fuerit? Ita patri placeam. *Fusci Arellij patris.* Iam vxor ooo nauigabo, noo peregrinabor. fides tua me timidum fecir. Mentitus, inquit, hic est, sollemne est amantibus. ideo non nisi iurantibus credimus. Hos diuidere vult socer,[a] quos ne mors quidem diuidet. Moriar, inquit, habeo & causam, & exemplum. [b] Quaedam ardentibus se maritorum rogis miscuerūt: quaedam vicaria maritorum salutem anima redemerunt: quàm magna gloria breui sollicitudioe pensata est. O te felicem, vxori [c] inter has viua numeraris. *Marillij.* Assiduae contentiones erant, ego magis amo, immo ego: sine te vioere ooo possum, immo ego sine te. qui solet esse exitus certantium, iurauimus. Hic animus sine dubio iurantium fuit, vt viui non diduceremur, com illud quoque eaueremus, ne morte diuideremur. respexistis nos dij. nunquam vos violauimus. *Hisponis Romani.* Difficile est, Iudices, eorum secretorum causas reddere, quae amantibus etiam sine ratione iucunda suot. nec est quòd putetis de abdicatione hodie tantum illius agi: de spiritu agitur. Scitis quemadmodum suos amet. non magis sine patre viuere potest, quàm sine viro. *Iunij Gallionis.* Socer (sic enim te appellabo quamdiu vixero) quid sibi volūt altiores huius gemitus, & fortiora inter lacrymas suspiria? nescio quid videris fortius puella promittere. non sum tanti, vt bis pro me pericliteris. *Argentarij.* Nocet illi indulgentia suorum. in duo pericula mulier incidit: quorum neutrum esser experta, si aut minus amaret virum, aur minus amaret patrem. *Alfij Flaui.* Nec est quòd putetis, illi facilius istius esse desiderium; & patrem amat, tanquam iurauerit.

PARS ALTERA. *P. Asprenatis.* Nempe si quid acciderit viro, peritura est: &, si bene filiam meam noui, peritura est si quid genero meo acciderit. Filia mea moritura est, adiiciam quod sit indignum, si quid filiae meae acciderir, vir eius victurus est. Vide qua te lege constrinxeris: si parueris, viues. *Blandi.* O condicionem aequam. alteri vitam debet, alteri deuouit. * *Papirij Fabiani.* Non possum, inquit, relinquere virum. Quidquam non potest quae mori porest? paene dum falsae mortis nūtium misir, verae recipit? Vir dum nimis amat vxorem, paene causa periculi fuit: vxor dum nimis amar virū, paene causa luctus fuit: parer dum nimis amat filiam, abdicat. Seruate toram domum, amore muruo laborantem. Moriar, inquit: hoc patri minaris, viro promittis. Potes sine viro pati: peregrinationē eius tulisti. facilius potes carere eo qui spiritum debet, quàm eo qui impendit?

DIVISIO. Et haec controuersia non erat in diuinatione. oam praetet illā quaestionem, An pater abdicare posset propter matrimonium, reliqua, cum ad aequitatem pertineāt, tractationis sunt. Primam ramen coniecturalem quaestionem *Latro* fecit: proposuit illam, An etiam si non malo aduersus vxorem animo maritus fuit, fecit tamen, vt tam remerarius & inconsultus relinquendus sit. deiode, An etiam malo aduersus vxorem aoimo fecerit. *Fuscus Arellius* iuris quaestiones subiecit, Non posse illam discedere a viro: nam & hoc iureiurando illam obligauit. hunc enim animum fuisse sine dubio iurantium, vt viui non diducerentur, cum illud quoque cauerint, ne morte diuiderentur. *Latroni* contrarium videbatur, ooerari iurisiurandi inuidiam, cum extenuari deberet: & illud iusiurādum contra fortunam videtur, hoc etiam contra patrem. *Cestius* contra fecit, & toto dixit iureiurando illam libertatem: illo casu solutos ipsos vinculo religionis: & ideo non futurum periculum vxoris, si quid accidisset viro. *Silo Pompeius* contra dixir, illam teneri iureiurando. & adiecit, Er si repudio diducta fuerit, non ramen solui foederis pactionem: & ideo inquir, Honestum mortis titulum vindico: ne si quid acciderit, aut ego pro aliena vxore moriar, aut illa pro alieno viro.

COLOR. *Hispo Romanus* hoc colore vsus est, Iusiurandum iocosum fuisse, sicut multa quotidie iurarent amantes, & ipsum iurasse: idque oblitum se an iurasset, misisse ountium, vr experiretur affectus vxoris, non vt perimeret. vxorem intellexisse falsum nuntium esse, & ex eo se loco praecipitasse, ex quo praecipitata perire nō posset: Vt quomodo ego illam, inquit, falso nuntio terrueram, sic illa me falso periculo terreret. *Morillius* praeceptor noster licenter verbo vsus est, satis sensum exprimēte, cum diceret vxorem intellexisse mariti men-

dacium:& ipſa aduerſum temeratios mariti iocos teluſit. Hanc controuerſiam memini me videre *Naſonem* declamare apud rhetorem Arellium Fuſcum, cuius auditor fuit. Nam Latronis admirator etat, cum diuerſum ſequeretur dicendi genus. habebat enim ille conſtans & decens & amabile ingenium. Oratio eius iam tum nihil aliud poterat videri, quàm ſolutum carmen. Adeo autem ſtudioſe Latronem audiuit, vt multas eius ſententias in verſus ſuos tranſtulerit. In armorum iudicio dixerat Latro: Mittamus arma in hoſtes, & petamus. *Naſo* dixit:

Arma viri fortis medios mittantur in hoſtes,
Inde iubete peti. —

& alium ex ſuaſoria ſenſum, quem a Latrone mutuatus eſt, memini Latronem in praefatione quadam dicere, quod ſcholaſtici quaſi carmen didicerant, Non vides, vti immota fax torpeat, & exagitata reddat ignes? mollit viros ocium, ferrum ſitu carpitur & rubiginem ducit; deſidia dedocet. [d] *Naſo* dixit:

Vidi ego iactatas mota face creſcere flammas:
Et rurſus, nullo concutiente, mori.

Tunc autem cum ſtuderet, habebatur bonus declamator. Hanc certe controuerſiam ante Atellium Fuſcum declamauit, vt mihi videbatur, longe ingenioſius: excepto eo, quòd ſine certo ordine pet locos diſcurreret. Haec illo dicente excepta memini: Quicquid laboris eſt, in hoc eſt, vt vxori virum, & viro vxorem diligere concedas. Neceſſe eſt deinde, iurare permittas, ſi amare permiſeris. Quod habuiſſe nos iuſiurandum putas? Tu nobis religioſum nomen fuiſti. Si mentiremur, illa ſibi iratum patrem inuocauit, ego ſocerum. Parce pater, parce ſocer: non peierauimus. Ecce obiurgator noſter, quàm effraenato amore fertur. quanquam eſſe filiam ptęceris: charum quidem, quod illum ab indulgentia ſua auocet. Dij boni, quomodo hic amauit vxorem? amat filiam, & abdicat: dolet periclitatam eſſe, & ab eo abducit, ſine quo negat ſe poſſe viuere: queritut periculum eius, qua paene caruit hic qui amare caute iubet. Facilius in amore finem impetres quàm modum. tum hos ponis terminos, vt nihil faciant, niſi conſiderate; nihil promittant, niſi vt ius facturi; omnia verba ratione & fide ponderent. Senes ſic amant. Pauca noſti, pater, crimina: & litigauimus aliquando, & cecidimus: & fortaſſe, quod non putas, peierauimus. Quid ad patres pertinet, quod amantes iurent? Si vis credere, nec ad deos pertinet. Non eſt quòd tibi placeas vxor tanquam ptima peccaueris. periit aliqua cum viro, periit aliqua pro viro: illas tamen omnis aetas honorabit, omne celebrabit ingenium. Fer, ſocer, felicitatem tuam. magnum tibi quàm paruo conſtat exemplum! in reliquum diligentiores facti ſumus: errorem noſtrum confitemut: exciderat iurantibus, eſſe tertium qui magis amaret: ſic, dij, ſit ſemper. Perſeuera, ſocer, recipe filiam: ego qui peccaui, poena dignus ſum. quare vxote necata, ſocero cauſa ſim orbitatis? Diſcedam e ciuitate, fugiam, exulabo: vtcunque potero, deſiderium miſera & crudeli patientia perferam. Morerer, ſi ſolus moriturus eſſem. Declamabat autem Naſo raro controuerſias, ſed non niſi ethicas: libentius dicebat ſuaſorias. moleſta illi erat omnis argumentatio: verbis minime licentet vſus eſt, niſi in carminibus, in quibus non ignorauit vitia ſua, ſed amauit. Manifeſtum poteſt eſſe, quòd rogatus aliquando ab amicis ſuis, vt tolleret tres verſus, inuicem petiit, vt ipſe tres exciperet, in quos nihil illis liceret. aequa lex viſa eſt. ſcripſerunt illi quos tolli vellēt ſecreto, hic quos tutos eſſe vellet. in vtriſque codicillis iidē verſus erant: ex quibus primum fuiſſe narrabat Albinouanus Pedo, qui inter arbitros fuit,

Semibouemque virum, ſemiuirumque bouem.

[e] Secundum:

Et gelidum Boreau, egelidumque Notum.

Ex qua apparet, ſummi ingenij viro iudicium non defuiſſe ad compeſcēdam licentiam carminum ſuorum, ſed animum. Aiebat interim, decentiorem faciem eſſe, in qua aliquis naeuus eſſet.

Raptor patrem ſuum non exorans. CONTROVERSIA III.

LEX. RAPTOR NISI SVVM ET RAPTAE PATREM INTRA TRICESIMVM DIEM EXORAVERIT, PEREAT. Thema. *Raptor raptae patrem exorauit: ſuum non exorat. accuſat dementiae.*

CONTRA RAPTOREM. *Porcij Latronis.* Moriar, inquit, moriar hodie. ego virum non fleo. Quid contremiſcis ſenectus? quid lingua trepidas? [a] quid oculi obſtupuiſtis? nondum eſt trigeſimus dies. Vitam rogas? dedi, & perdidiſti. Mori, inquit, filium vis. ego te mori volo? immo

immo furor tuus, illa caeca & temeraria cupiditas: & inter haec pater illius, qui nimis cito exoratus est. Quare tam cito senex ille remisit iniuriam? Ne tristiore quidem vultu expugnatam filiae pudicitiam tulit. timeo ne verum sit quod audio, ne nouo inauditoque more de nuptiis puellae exoratus sit. *Cestij Py.* Quo melius de re iudicare possitis, narrabo me iuuenem. habui patrem sanae mentis: nec tam seuerum scilicet, vt crudelis esset, nec tam indulgentem, vt incautus. Duxi vxorem, quam pater iusserat: & tamen nuptiarum mearum me paenitet. Fili, nonne saepe excandui, saepe reconciliatus sum, saepe quod negaueram dedi? Ipse dispensasti triginta dies: vt haberet primos socer, medios reus, nouissimos pater. Ne omnia vitia eius a prima adolescentia repetam, virginem rapuit, patrem accusat.[b] Haec intra triginta dies.[c] Putas me accusatori promissurum, quod filio negaui? Impetraui, inquit, ab illo: alij aiunt illum a te. mediis me diebus accusas. Rapuisti virginem, cum tam libenter viueres? *Arellij Fusci patris.* Moriar, inquit, etiamnum minaris: nondum rogas. Quid, inquit, rogabo? iam lassus es, nec vllum adhuc rogasti. Non possum, inquit, exorare tam diu? Nouo more obiicit dementiae constantiam. Quid? ergo tu poteris videre morientem filium? fortasse non potero: & ideo irascor, dum licet. *Pompeij Silonis.* Haec audacia eius ex parte culpae meae est: nimium indulgenter nutritus est:[d] omnia sibi putat licere: nec ille vnquam me rogauit.[e] Ignouit, inquit. Ita alius ante me rogatus est? Non nosti cōdicionem legis tuae: in hac qui pares sentētias habent, pereunt. ipse ad alienam se misit, lex illum misit ad meam. RAPTOR NISI ET SVVM ET RAPTAE PATREM EXORAVERIT, PEREAT. Vis scire, lex vtrum maluerit? non exoratus irascitur. ex duobus patribus cum raptor accusat, qui legem sequitur. *Arellij Fusci.* Miraris me dubitare? ipsa lex inter mortem & nuptias dubia est. Quid me intempestiuae proditis lacrymae? Nondum erat tempus flendi. Non est quòd quicquam tibi promisisse lacrymas putes. fleo, quòd necesse mihi est spectare filium morientem. Quid facturus sim, adhuc nescio: vtique tu ante tricesimum diem nescies. Exorabis, inquis, patrē. Quid ergo mihi molestus es, si hoc tibi satis est? O Dij, effregit fores: & identidem leges inuocantem coegit pati stuprum, nisi tam facile puellam exorauit, quàm patrem. Mortem vita meruit, accusatione deprecatur. Consumuntur interim dies. Vter nostrum consumit? Rogo, inquit. Non est tuum me rogare. Nunc ego rogare debueram, qui periclitor. *Papirij Fabiani.* Demens sum, vides: turpiter viuo, meretricem amo, leges ignoro, dies tuos non numero: ad iudicem vocatus, non adsum. Ergo moriar, inquit. hoc si reo dicis, non curo: si iudici, videbo: si dementi, non intelligo. Demens, inquit, es. & huic aliquis ignoscere potest, qui sic rogat? Vos mei iudices estis. iste habet suum iudicem. nec potest inexorabilem queri, quem nondum expertus est. *Iunij Gallionis.* Rogo, inquit. Num sic? si volebas rogare, admouisses propinquos, amicos, maiorum imagines, lacrymas, repetitos alte gemitus. Testor Deos, sic rogaturus fui puellae patrem. Cum, inquit, multum in suppliciis habitum submiseris, cum dixeris: Paenitet quòd rapui, quòd te priorem non rogaui: cum dixeris te dementem fuisse, deliberabo cum amicis, deliberabo cum propinquis, deliberabo cum tua matre. Me miserum,[f] quàm paene promisi? anime dura. heri fortior eras: & multum habeo quod deliberem. diuersi me affectus distringūt. inter reum & patrem distrahor. Hinc iniuria est, hinc natura. Quid properas? nemo tibi praeter me rogandus est. Ergo, inquit, misereberis? nihil promitto ante tricesimum diem. Miserum me,[g] quòd tantum triginta diebus irasci possum. longiore tempore opus erat. Audi a demente exempla huic crimini. Denis vicenisque annis inter bella iuuentus consenuit: nos triginta dies ferre non possumus. Deliberabo, lex nihil vult temere fieri. Magna res est, inquit: delibera, cogita, tempus accipe. effregisti domum ciuis, vt dicis, etiam misericordis. Morere. non est hoc nocenti graue. Ego nihil peccaui: propter te mori cupio. ratio a me exigitur alienae culpae, nō meae potestatis. Quid ergo facturus es? non pronuntiabo ante supremum. Quid sic miraris, si illum citius exorasti? facilius est iniuriam donare, quàm crimen. Agedum in medium senex, cuius misericordia crudelis sum: non putasti mecum deliberandum? Vnde autem scis, quem filium habeam? ego certe adhuc nescio, qualem filiam habeas. Nullum tempus vni verbo angustum est. Iam, inquit, angustum tempus est. & tibi vacat accusare? *Viby Rufi.* Quis vnquam praeter me ignoscere iussus est? iam, inquit, tempus angustum est. ita non putas me subducere quantum supersit? Iam, inquit, tempus angustum est. Angustum erat, si duos rogare deberes. Angustum tempus est, exclamat: nescio quid rogem. Roga ergo. Me priorem rogare debuisti: non dico quia dignior sum, qui prius roger: quia pater tuus: id quod minimum est, propius habito. Huc videlicet illa pars legis pertinebat, vt suum patrem exoret. Patrem natus sic aliquis exorat, sic deprecatur? Apparet nunc te primū rogare. Demens sum: immo si vis argumentum, dabo tibi. filius meus moriturus est, nondum testamentum mutaui. *Cor-*

nelij Hispani. Multi me affectus diducunt: necesse est de aliis querar, de aliis erubescam, de aliis timeam, de omnibus etiamnum deliberem. Ne ille quidem, quamuis dicatur nimis exorabilis, ignouisset, si sic rogatus esset.

PARS ALTERA. *Arellij Fusci patris.* Me miserum, pater. irae tuae detractum est nihil, & tempori multum. infelicior sum, quàm si neutrum exorassem. Mortem timeo, postquam mihi homines gratulati sunt. Quid tibi, optime socer, pro ista misericordia tua, qua mihi & patri meo pepercisti, precer, nisi superstitem filiam? *Papirij Fabiani.* Nõ possum dissimulare, pater, quòd illum exoraui, tuum beneficium est. certe cum exoratus est, hoc dixit: Aliud quidem suadebat dolor meus: sed quid faciam? patris tui misereor. Misetere pater: scis quàm breuis sit aduocatio mea. Misereor, inquit, vis verum dicam, quid dixerit? patris tui. Vnde ego miser ab hoc patre veniens timerem patrem? *Cestij Pij.* Timeo mortem, nec iam habeo cui peream. *Marillij.* Si tibi tam pertinax aduersum me odium est, audacter quid sis facturus, pronuntia. dic exorari te non posse. quid me incerta mortis expectatione suspẽdis? solicitus inter somnos quoque velut admotam ceruicibus meis securim expauesco. si nõ impetro vt viuam, hoc certe impetrem, ne diu moriar. Non est quòd putetis legem in numeto dierum angustam fuisse. lex illius, diu mori. Responde, pater, si seruaturus es filium, iam tempus fuit: si occisurus, iam tempus est: non possum sustinere vltra haec tormenta. diebus paucis & in me mihi aliud licet. *Blandi.* Ita parum contigit tibi, quòd solus periclitante filio non rogas?

DIVISIO. *Latro* sic diuisit, An intra tricesimum diem raptor agere possit: sicut non potest qui in custodia est, qui in carcere est. Si cum alio potest, An cum patre possit, cui vitae mortisque arbitrium datum est. cum illi accusare cum liberum est, quem mortiferum est non exorasse. etiam si cum patre potest agere, An ob id possit, cuius faciendi potestatem lex patri dedit. Ista enim ratione nihil licet, si aut exorari, aut accusari ei necesse est. deinde si possit agere, An debeat. Irascendi causam tractauit, quòd alium prius rogauit, quòd me non rogauit, quòd etiam accusat. Si non exorauit filius, dementia est. tantum dementiam ferre non possum, cum adhuc an exoretur, incertum sit. Hic paterno affectu tractauit spem faciendi. non probabat Fuscum, qui paulo apertius agebat: * est controuersiam promittere. potest nihilominus & bonus agi pater, & non exoratus. *Fabianus* eam quaestionem fecit, & in ea multum moratus est: dementiae non posse agi, nisi cum eo qui morbo fureret: in hoc enim latam esse legem, vt pater a filio sanari deberet, non vt regi. *Latro* eleganter dicebat quasdam esse quaestiones, quae deberent inter res iudicatas referri: tanquam, An quicquid optauerit vir fortis, aut tyrannicida, accipere debeat: quasi iam pronuntiatum sit non debere. Nemo quaestionem hanc iam tractat, sicut ne illam quidem, An quicquid pater imperat, faciendum sit. Inter has putabat & hanc esse, An pater ob dementiam quae morbo fieret, tantum accusari a filio debeat. Aiebat enim manifestius esse de lege & officio patris quaeri, & fingi quasdam controuersias, in quibus pater furiosus probari non possit, nec absolui tamen propter nimiam impietatem, libidinem foedam. Quid ergo, aiebat, nunquam vtar hac quaestione? vtar, sed cum aliis deficiar. *Pollio Asinius* dicebat, hoc Latronem videri tanquam forensem facere, vt ineptas quaestiones circuncideret. in nulla magis illum re scholasticum deprehendi. Remittit, inquit, eam quaestionem, quae semper pro patribus valentissima est. Ego semper scio, nullum patri curatorem dari, quia iniquus pater sit, aut impius; sed quia furiosus: hoc autem in foro esse curatorem petere, quod in schola dementiae agere. *Gallio* & superiore vsus est quaestione, & illam adiecit: An agi cum patre dementiae possit, ob id quod facturus esset, non ob id quod fecerit. neminem iniuriarum accusari, quòd iniuriam facturus sit: non adulterij, quòd adulterium commissurus sit: ne dementiae quidem, quòd demens facturus sit aliquid. Tu vero, inquit, mecum agis, non quòd non exorasti, sed quòd exoraturus non es: puta enim me hodie exorari. ergo demens videor, qui vno me verbo sanare possum? Lex triginta dies dedit: quia iudicauit aliquem duriorem futurum. Etiam si demens est, qui non exoratur a filio, num qui etiam vigesimo? ergo non potes hoc nomine damnare me, quòd exoratus non sim: etiãnum enim exorari possum. Itaque si quis vestrum agere mecum hoc crimen nõ potest, vt si quem ad triginta dies exorare possum, post triginta quaeri non potest. aut crimen non habeo, aut accusatorem. *Silo Pompeius* fecit quaestionem, qua Gallio vsus est, nihil acturum adolescentem, etiam si damnauerit patrem. nihilominus enim periturum, quia lex nullam aliam salutis viam dedit raptori, quàm si exorauerit patrem. *Latro* haec omnia quasi mẽbra in aliquam quaestionem incurrentia tractabat, non vt quaestionem: quãquam hoc ipsum in aliam aiebat quaestionem incurrere, in qua quaeritur, An raptor possit accusare patrem intra tricesimum

mum

mum diem. Nam cum dico, non potes accusate eum in cuius atbitrio positum est, moriaris, an viuas: nō magis quàm magistratū in ius vocare, quàm de iudicibus tuis ferre sententiam; non magis quàm miles in imperatorē suum animaduertere, adiicio, Non potes accusare. nihil enim tibi proderit. etiam si damnaueris, morieris. Lex enim, si non exoraueris, perire te vult. non exoras autem, etiam si damnas. Quare hoc non quaestionis loco ponebat, quod imbecillum putabat. Apparet enim exigere legem ab eo, vt exoret patrem; qui non habet quem exotet. puta enim patrem alicuius esse tam palam furiosum, vt nihil intelligat: bunc exorari a filio nō vult. Atqui eodem loco est manifestus. *Clemens Iustus* parum boc putabat valens esse, tanquam quaestionem: satis valens, tanquam argumentum: & illam alteram satis valētem quaestionem, non posse cum patre agi eo nomine, quòd non peccauerit: sed tractaturus iste iniquitatem tractationis ponebat, cum diceret: Agere mecum dementiae, etsi iam potest, nunquid enim peccaui? non sum exoratus, nondum tempus transiit, etiamnum exorari possum. quàm iniquum est nondum esse me nocentem, esse iam reum!

COLOR. Omnes infamauerunt taptae patrem, quasi cum raptote colludentem. *Gallio* dixit: Ingenuus vitginem rapuit, si tamen tapuit. *Silo Pompeius* eandem suspicionem in omnia contulit. Exorauit, inquit, raptae patrem. Ita tu, cum tam exotabilem patrem haberet, rapuisti? *Hispanus* dixit: Omnia cito facta sunt: iste cito rapuit, ille cito ignouit. nisi demens sum, est aliud suspicandum. *Argentarius* dixit: Rapta est, & statim exorata: immo nescio an exotata, deinde tapta. speto te innocentiorem fuisse, quàm vis videri. Tu exorasse te dicis. Ego te exoratum puto: dic quid tibi cum socero conuenit? *Rufus Vibius* dixit: Dic mihi, quid tibi conuenerit, quando tibi nuptias promiserit. nec victum te hercules fateberis, cum dies venerit. *Asprenas* dixit: Iam, inquit, non multum reliquum est ex triginta diebus: si ex illo dies numerarem, cum primum exorasti. aiunt iam triginta dies praeterisse. *Latro* dixit id quod inter sententias scriptum est. adoriar: dic ergo verum. *Cestius* hac figura declamauit, vt rogaret patrem, tanquam exoratus esset raptae pater: deinde ad hanc sententiam transit: Nunquid peiotem causam babeo, si apud alterum iudicer? *Lucius* eadem figura declamauit, & *Hispo Romanus*: sed transit mollius. Scio quid responderi mihi possit: Facile est domestico iudici satisfacere. Videto te, cum ad raptae pattrem veneris. In hac contrtouersia *Triarius* dixetat: Non scies an exores, nisi vltimus dies venerit: & tunc, quoad lucebit, perseuerabo. Deinde cum scholasticorum summo fragote: Et tu quisquis es carnifex, cum strictam sustuleris securim, antequam ferias, patrem respice. Belle deridebat hoc *Asinius Pollio*. Filius, inquit, ceruicem porrigat, carnifex manum tollat, deinde respiciat ad patrem, & dicat: AGON? quod fieri solet victimis. Sed ioco quoque remoto, aiebat rem verissimam, non posse carnificem venire, nisi eo tempore quo iam pater exorari non posset. *Cestius* ex altera parte hoc colore vsus est: quia priorem rogasset raptae patrem. Suspensum esse volui, statim illum securum esse nolui. De me quaeritur, quòd illum potius cogitare de patrimonio filij, quàm de periculo volui. *Latro* hoc colote vsus est. Scitis periclitantes alieno arbitrio agere: illi qui circa erant sodales, qui occurretant amici paterni, aiebant: Eamus statim ad taptae patrem. in huiusmodi casu illi rogantur: nam raptoris pattes togant. *Silo* Pompeius diuersum colotem huic secutus est: Non etit, inquit, duritia patris mei: item amici suaserunt, ad raptae patrem iremus, ne nocetent apud illum quòd tarde suum exotet patrem. *Hispo Romanus* bello docismo vsus est. Vultis, inquit, amici, eamus ad raptae patrem? occurremus. ille domi est. *Fuscus Arellius* dixit: Ille[h] prior rogatus est, qui magis timebatur. *Triarius* a parte adolescentis dixit: Timeo ne mutetur etiam exoratus. Hunc sensum non imprudenter *Silo Pompeius* improbabat: aiebat enim non posse mutari semel latam sententiam. Quidam voluerunt videri, cito exoratum raptae patrem: quidam tarde. *Fuscus Arellius* dixit: Magnam partem legis consumpsi: nec de mora querot: raptae pater rogabatur. *Cestius* non probabat, & hac sententia vsus est, cum hunc colorem arguendum putaret: Vult videri togatum diu raptae patrem, effecit vt videatur eum diu non togasse, malo autem videri hoc patrem tarde exorari, quàm tarde rogari. *Hermagoras* solebat interdum diu schemata prosequi, interdum breuiter & fortius attingere: sicut in hac sententia fecit, cum suspicionem facere vellet, inter raptae patrem & raptorem collusionis, *

Artemon dixit. *

Glycon dixit. *

Hūc sensum commodius dixit *Lepidus*, Neronis praeceptor: Miser eris, nisi etiam vltimo die egomet iam tui misereot. *Diocles Carystius* a parte patris ethicos dixit. *

Nepos ex meretrice susceptus. CONTROVERSIA IIII.

THEMA. *Abdicauit quidam filium. abdicatus se contulit ad meretricem: ex ea sustulit filium. aeger ad patrem misit. cum venisset, commendauit ei filium suum, & decessit. adoptauit puerum. ab altero filio accusatur dementiae.*

PRO PATRE. *Porcij Latronis.* *Qualem vidi! ipsa fungebatur officiis, sedula circa lectum aegrotaotis in omnia discurrebat ministeria, non impulsis tantum, sed laniatis capillis. Vbi est, inquam, meretrix? Venit ad me sedulo, qui diceret: Filius antequam moritur, rogat venias. Noo expectaui, dum iste permitteret. amẽs cucurri. Cetera quemadmodum narrem nescio: steterim, an sederim, quid loquutus sim, quid audierim, nescio: hoc vnum scio, iacuisse me inter duos filios: accede huc puer, depositum, crimen meum: non habeo miser, cui te moriturus commendem. *Cestij Pij.* Recepi in sinum nepotem. Vultis, & hunc abdicem? duos filios tuli. huic numero iam assueui. Patrem accusat, fratrem infamat, infantem persequitur. Rogo vos, non satius est meretricem amare, quàm neminem? Noui geoeris demẽtia arguitur. sanus eram, si noo agnoscerem meos. Tradidit infantem, & expirauit: oõ habui cui redderem. Offerebã me propinquis, expectabam vt aliquis pro abdicato rogaret, nemo audebat propinquotum fratre cessante. illa videlicet in hac cogitatione tacebat. Nos rogabimus, cum frater noo audeat? Meretricis, inquit, filium recepisti: nempe eius quae meum receperat. Fateor me aliquando insanum fuisse. Nescio quis esset abdicatus: meliorem extuli. *Papirij Fabiani.* Quàm nihil in domo illa meretricia foedi vidi? assidebat mulier tristi vultu affecta, aegro simillima ipsa, demissis in terram oculis. Pater, inquit, nihil tecum frater locutus est? in sinu meo & filium & animam deposuit. domum pertuli. dementiam vocat, quòd infantem non abdicaui. Quid facerem? negarem aliquid filio, cum ille rogaret pro filio? Ignosco tibi, quòd tam durus es. aegrum fratrẽm non vidisti. Ille magni successor modo patrimonij natus in lectulo precario moriebatur. Non seruorum turba circunstabat, noo amicotum: inter infantem & mulierculam, deficientis adolescentis spiritus in aduẽtum meum sustinebatur. Vt iotraui, cadentes iam oculos ad nomen meum erexit, fugientemque animam retinuit. Pater, inquit, quòd adhuc nihil deprecatus sum, non contumacia feci. fratri mandaueram. Indico tibi crimina mea: expirantem coheredem tuum ad vitam volui reuocare. Vt saluus esset, rogaui deos: &, licet dementiam voces, si vixisset, recepissem. *Arellij Fusci patris.* Securior eram, quoniam putauerã illi omnia praestare fratrem; cum subito nuntiatũ est, in vltimis esse filium: nec hoc a fratre. ô me miserum, quòd solum nepotem recepi. *Albutij Sili.* Vt vidit vxorem, vidit & fratrem, circunspiciebat & patrem. *Iulij Bassi.* Tibi debeo mulier, quòd habuit filius meus in qua domo aegrotaret. Pudet dicere: vt nepotem agnoscerem, rogatus sum. Non potest voo crimine demẽtia intelligi. Nemo sine vitio est. in Catooe moderatio, in Cicerone constantia desideratur. ad summã, tres fuimus. omnes peccauimus: ego, quòd abdicaui: frater, quòd tacuit: tu, quòd pro fratre non rogasti. Non sum vno herede contentus: duos habere volui: & quo magis concupiscam, habui. Misit ad me affectus aeger, nõ ibo? mihi crede, aliter a diis de coherede. Cogitate & quis roget, & quem roget. videbitis negare non posse, nisi qui accusare possit & patrem.

ALTERA PARS. *Porcij Latronis.* Quem honestius subiecit meretrix quàm peperit. Pater istius iocertus est. bene cũ ipso ageretur, si & mater. *Fusci Arellij patris.* Errat, si quis sit qui me putet pecunia moueri: primum assueui coheredem habere, deinde olim iam cum puero isto paterná diuisi, quia mulieri ille frater donauit plus quàm pro sua parte. *Romani Hisponis.* * Iocidit in meretricem, inter omnia mala, foecundam. Verae inimicae. Noscis quibus ante in cubiculum riualis venit, quàm maritus. *Argentarij.* Cum abdicaret, aiebat: Hoc scilicet expectabo, donec hac e meretrice liberos tollas. Mulier, nescio an aduersus patrem iniuriosior sis, quòd abstulisti illi heredem, an quòd dedisti. *Albutij Sili.* Sine veniant illuc amici, sine propinqui: nunc erubescunt in domũ meretricis accedere. Mulier quae sine praefatione hooeste nominari non potes, cedo istum puerum nulli agooscendum: sed mater asserat. Seuerissimus pater abdicauit etiam, quem sciebat suum. Erat in domo puer, qui omnes vocabat patres. Adoptauit eius filium, propter quam etiam suum eiecerat. *Cestij Pij.* Nullum genus iudicum recuso. si seueri erunt, nocebit isti, quòd receperit meretricis filium: si clementes, quòd abdicauit suum. Clamauit pater: In domum ergo meam meretrix veniet, aut (quod turpius est) filius ad illam ibit? Misit in domum nostram publicum puerum. Quis illis nuptiis interfuit, nisi aut abdicatus, aut abdicandus?

DIVISIO. *Latro* sic diuisit, An pater ob illam adoptionem accusari possit, an ob hoc debeat: omnes infamauerunt adolescentem, quasi illius criminationibus factum sit, vt frater abdi-

abdicaretur. Et ideo ſententia laudatur *Fabiani*: Nihil tecum locutus ſum. Cum hoc vnum puero noceat, quòd ex meretrice natus eſt, omnes operam dederunt, vt quantum in controuerſia licebat, huic vitio mederentur, efficerentque ne quid in illa videretur meretricis fuiſſe, niſi nomen. *Marillus* decenter hoc dixit, ſimul obiiciens fratri impietatem. Nihil, inquit, in illa domo meretricium fuit: ſcires, ſi mecum fuiſſes. *Albutius* ethicos, vt multi putant, dixit: certe laudatus eſt, cum diceret, Exeuntem proſecutus eſt. non probabat hanc *Meſſalla* ſententiam: Non habebit, inquit, fiduciam, ſi mauult videri recepiſſe puerum quàm abduxiſſe: & ea ratione cum adoptaſſe, non quia debuerit, ſed quia ſecutus eſt. Fuit autem Meſſalla exactiſſimi ingenij in omnis quidem ſtudiorum partis, Latini vtique ſermonis obſeruator diligentiſſimus. Idem itaque cum audiſſet Latronem declamantem, dixit: Sua lingua diſertus eſt. ingenium illi conceſſit, ſermonem obiecit. Non tulit hanc contumeliam Latro, & pro Pythodoro Meſſallae orationem diſertiſſunam recitauit, quam ſuaſoriam Theodoto declamauit per triduum. quae dixerit, ſuo loco reddam, cum ad Suaſorias veneto.

COLOR. A parte adoleſcentis non vnus omnibus color placuit. Quidam perſonam eius qualem acceperant, introduxerunt duram & aſperam. Ex quibus fuit & *Hiſpo Romanus*. *Iunius* vnum aiebat efficiendum, vt non durus videretur, ſed ſeuerus. In hac parte dixit nobilem illam ſentẽtiam, quam Fabius Maximus circunferebat: Venit aſſidue in domum meretrix: non recedit: paulum abeſt, quin nouerca ſit. *Ceſtius* bella figura egit: Dementia, inquit, res eſt ſanitati cõtraria. Non quaeram extra exempla ſani hominis: & quod pater me rogat, ipſum ſibi comparabo. Fuit aliquando ſanus. tunc quid faciebat? Oderat luxuriam: vt caſtigaret, nunc iam ſeuerus. ſenem putabitis ſanum, ſi vobis in lupanari oſtendero? Sic declamauit, vt fratri patrem daret accuſatorem, & illum argueret ſibiipſi comparandum. *Latro* fratri pepercit; puerum preſſit, & dixit fratris filium non eſſe, & ne fratrem quidem hoc fieri voluiſſe. illa verba ab aegro impetrata. *Fabianus* ex omnibus iſtis colorem ſecutus eſt optimum, qui aiebat, dicere Meſſallam non tantum bonam partem adoleſcentis fieri, ſed etiam honeſtam. obiecit patri, quòd fratrem abdicaſſet, nõ ſchemate, ſed certo. Nihil, inquit, peccauerat. amat meretricem. ſolet fieri. adoleſcens eſt. expecta. emendabitur, ducet vxorem. quare tunc non egiſti dementiae? Expectabat poenitentiam tuam, aiebat, iam reſipiet. Hoc per tranſitum obiicere coepit, quòd non recepiſſet, quòd vidiſſet in lupanari habitantem. Abdicaſti, inquit, vt emendares, non vt vitia augeres in dies. nullum illius vitium aetatis eſt. amor eſt. recipe antequam aliquid faciat, cur mox pudore moriatur. Ad vltimum obiecit illi, quòd aegrum non ſuſtuliſſet. Poteſt, inquit, conualeſcere, ſi viderit penates ſuos, mitius certe morietur in paterno ſolo ſuo. Quare, inquit, tu apud fratrem non fuiſti? & ego queror. Ille cum ad te mitteret, putauit ſe ad duos mittere. Vtinam tecum fuiſſem, pater: rediſſes illinc cum filio, ſed tuo. De adoptione nouiſſime queſtus eſt & hac figura: Abſtuliſti mihi fratrem, cum quo natus ſum, cum quo educatus ſum, vt dares iſtum. Indignor hanc fratri meo contumeliam, vt huius vocetur pater. Sed vt aliquid iocer, *Fabianus Maximus* nobiliſſimus vir fuit, qui primus foro Romano hunc vomicum morbum, quo nunc laborat, intulit: de quo Seuerus Caſſius, antequam ab illo reus ageretur, dixerat: Quaſi diſertus es, quaſi formoſus es, quaſi diues es, vnum tantum es, non quaſi, alapam. Hanc controuerſiam cum declamaret Maximus, dixit: Quaſi tricolum tale, qualia ſunt quae baſilicam infeſtant. Dicebat autem a patre, omnes aliquid ad nos imbecilli alter alterius onera detulimus. Accuſatur pater in vltimis annis, nepos in primis abdicatur: nullus autem. *Haec ſubinde refero, quòd aeque vitandarum rerum exempla ponẽda ſunt, quàm ſequendarum. In hac controuerſia *Latro* contrariam rem controuerſiae dixit, ſed ſibi. Declamabat illam, Caeſare Auguſto audiente & Agrippà, cuius filios nepotes ſuos, Caeſar Lucium & Caium adoptaturus diebus illis videbatur. Erat Agrippa inter eos qui non nati ſunt nobiles, ſed facti. Cum diceret partem adoleſcentis Latro, & tractaret adoptionis locum, dixit: Nam iſti adoptione nobilitati fuerunt. haec & alia in hanc ſentẽtiam. *Maecenas* innuit patri. faſcina recuſare. finire iam quidam declamationem putabant. hanc malignam rem Maecenas eſſe: effeciſſe enim nobilem, non vt audiret quae dicta erant a Caeſare, ſed vt notaret. Tanta autem ſub diuo Auguſto libertas fuit, vt praepotenti tunc M. Agrippae non defuerint, qui ignobilitatem exprobrarent. Vipſanius Agrippa fuerat, Vipſanij nomen quaſi argumentum paternae humilitatis ſuſtulerat, & M. Agrippa dicebatur. cum defenderet reum, fuit accuſator qui diceret M. Agrippam, & quod medium eſt. volebat Vipſanium intelligi. Fuit qui diceret: Concurrite, Agrippa malum habebis, reſponde diis. Ea in parte vtique mihi videtur admiratione dignus diuus Auguſtus, ſub quo tantum licuit. Sed horum non

possum misereri, qui tanti putant caput potius quàm dictum perdere. Latro dignus fuit miseratione, qui ne excusare quidem errorem suum potuit. Nihil est aotem crudelius quàm sic offendere, vt magis sis offensurus si satisfeceris.

Torta a tyranno pro marito. CONTROVERSIA V.

THEMA. *Torta a tyranno vxor, nunquid de tyrannicidio sciret, perseuerauit negare. postea maritus eius tyrannum occidit. illam sterilitatis nomine dimisit, intra quinquennium non parientem. Agit illa ingrati.*

* PRO VXORE. *Portij Latronis.* Si cum liberis torta est, & incaste: Escende, inquit, occide tyrannum. nisi occideris, indicabo. Subiniecta manu satelles: Quid moraris? inquit, iam exposita tormenta sunt. Bene est, inquit mulier. ad stuprum vocor. Instabat quotidie viro vxor, exigebat tyrannicidium. Tempus est: Escende. Si nihil aliud, vt liberos habeas. nisi tyrannicidae paritura non sum. Miraris, si eo tempore matrona dicere potuit, Escende, occide tyrannum? comes sequerer, nisi me inutilem dimisisset tyrannus: Escende. ego iam feci tyrannicidium meum. Eas nuptias tyrannicidium diducit, quas non diduxit tyrannus. *Cestij Pij.* Subito infelices nuptias oppressit tyrannus. Trahebantur matronae: rapiebantur virgines: nihil tutum erat: nulli feliciores tunc videbantur, [a] quàm qui liberos non habebant. Quaedam itaque elisere conceptos: quaedam foecunditatem suam moratae sunt. Quod ad hanc pertinet, agit suae fortunae gratias, quòd illo tempore nihil peperit. Tyrannus suspicatus est, istum nescio quid de tyrannicidio cogitare: siue isti aliquid excidit, siue magna consilia non bene vultus tegit. Vtique de vxoris garrulitate queri non potes, cum scias, quemadmodum taceat. Misit itaque satellites: Attrectate, inquit, vxorem, &, adiecit, si quos filios habet. Veniunt in domum crudelissimi carnifices, in quorum vultibus erant tormenta. iactatur misera inter satellitum manus, & toto itinere non ducitur, * sed trahitur. Isti de tyrannicidio: audacter iam consilium indicemus. Iam enim puto licet. Nupsit isti propter liberos: sed infelices nuptias cito tyrannus oppressit. hoc publicum diuortium fuit. Rapitur in arcem mulier, inter satellitum manus vexatur atque distrahitur. Hanc aliquis etiam si non torqueatur, non parere miretur: imposita in eculeum, saepius absentem virum respexit, quàm praesentem tyrannum. Quàm multas matres audiui illo tempore: Quidnam volui, quae peperi? *Arellij Fusci patris.* Explicatur totus tyrannicae crudelitatis aduersus infelicem feminam apparatus, & illa instrumenta virorum quoque animos ipso visu frangentia, ad excútiendam muliebri pectori constantiam proponuntur: instar tam denuntiationibus, quàm tormentis tyrannus, & minando torquet. Tacet. Videt intentum tyranni vultum, videt oculos minaces, & tacet. plus tibi praestare non potuit, si de te liberos sustulisset. Caeduntur flagellis artus, verberibus corpus abrúpitur, exprimiturque ipsis vitalibus. Tacet. An sit tibi ista datura liberos nescio. tyrannicidium dedit. Ita est, mulier, non vis parere, delicata es, cruciatus puerperae times. Fremebat indignatione captae ciuitatis maritus, & consilio suo, & vxoris adiutorio fortior, quomodo occidam tyrannum? Quae pars accedenti maxime vacat? vbi custodiae cessant? vbi natura loci minore munimento virtutem submouet? Sic vir & vxor mentem exercebant. miraris si transit quinquennium [b] inter vxorem tortam, & virum occupatum? saeuiebat etiamnum tyrannus: torquebantur in conspectu virorum vxores: paenitebat matres foecunditatis suae. *Hispo Romanus* inquit: Desiderabas liberos, vt sint quibus relinquas patrimonium. Ingrate, ita tu hac salua heredem non habes? nullum tormenti genus omisit, omnia membra laniata, omnes partes conuulsae sunt, scissum corpus flagellis, exustum, conuulsum tormentis. [c] ignoscetis puto mulierculae, si dixero: Fessa est. *Hisponis Cornelij.* Contabatur ille: nec vllis adhortationibus in tyrannicidium poterat impelli. prorsus cum vxorem vidisses, posses timenti ignoscere. Assidue tormenta variantur: accenduntur extincti ignes: tortor vocatur, sub quo mariti vxorem prodiderant. pacisci me tecum puta. Vt taceam, donas quinquennium? Quid tyrannicidio gloriaris? tanquam non facilius sit occidere tyrannum, quàm sustinere? Duplici beneficio vxori suae obligatur: & quòd non est occisus, & quòd occidit. Fastidit sterilem, qui fecit. *Iunij Gallionis.* Instabat tyrannus. Torque. Illa pars etiam potest subiici in ignes, in illa parte iam exaruit cruor: seca, verbera, oculos lancina, faciam ne viro placeat. *Papirij Fabiani.* Describam nunc ego cruciatus, & miseram corporis patientiam inter tyrannica tormenta saeuientia: extincti sanguine refouebantur ignes: haec desinebat torqueri aliquãdo, vt saepius posset. Exquisita verbera, laminae, equuleus, quicquid antiqua saeuitia inuenerat, quicquid & noua adiecerat, quid amplius dicam? [d] tyrãnus torquebat, &

cum

eum de tyrannicidio quaereret. O nos felices, quòd nullis aucta puerperiis fuit. acuit hanc. fecit tyrannicidium silentio, certe tyrannicidam. Conuulsis laceratisque membris, nec adhuc sufficientibus, non dimissa est ex arce, sed proiecta. Quid est quòd vxorem dimiseris? [e] nunquid premit censum onerosa sumptibus, & vt saeculi mos est, in deterius luxu fluente, muliebris ambitio certamine mutuo vsque in publica damna priuatim insanię? Nunquid gemmas, & ex alieno litore petitos lapillos, & aurum vestemque nihil in mattona tecturam concupiuit? Si talis esset, facile illam corrupisset tyrannus. Expecta. potest parere. Non respondet ad propositum, nec ad certũ diem foecunditas. sui iuris rerum natura est, nec ad leges humanas componitur: modo properat, modo vota praecurrit, modo lenta est & demoratur. Expecta modo. pariet. Quid dicis? non potest fieri. quare? quia torta est. Imputat tibi quòd publicata est. imputat tibi quòd torta est. imputat tibi quòd sterilis est. *Iulij Bassi.* Aiebat tyrannus: Vre, cęde ventrem. *Argentarij.* Caede vẽtrem, ne tyrannicidas pariat. *Triarij.* Non ex formula natura respondet, neque ad praescriptum casus obsequitur. semper expectari fortuna mauult, quàm regi. Alibi offenditur improuisa segetum maturitas, alibi seram magno foenore moram redemit. Licet lex dies finiat, natura non recipit. Quid faciã? Non agam gratias, quòd non indicauit vxori meae, ne votis in gratiam. Aiebat tyrannus: Indica. nulla tua culpa est. Caeditur. tacet. [f] vtrum putas mirandum esse, tuum tyrannicidium, an huius silentium? Expectasse aliqua per longum tempus maritum dicitur. quanta laus est seruasse, cum expectasse tanta sit? Alia desiderio viri attonita, in ardentem rogum se misisse. haec non cum viro arsisset, quae pro viro arsit? alia pro incolumitate mariti vicaria morte decidit. Cedo hanc, nec in tormentis oppressam. morte amplius pro viro praestitisset, si quid amplius elegisset tyrannus. *Marcelli.* Si tamen peccasset in partu, ignosci ei posset. Nupserat enim isti occupato. Crudelior es etiam illo, quem occidisti, tyranno. ille torsit & dimisit ad virum. *Albutij Sili.* Vicerat saeuitiam patientia: deerat iam sanguis, superabat fides. aliquando proiecta est. differebatur distortis manibus, emotis articulis, nondum in sua membra artus redierant. Talem vxorẽ tortor dimisit ad partum. Ingratus vocabatur quòd in praemio nullam vxoris fecerat mentionem. Res tuas tibi habe. iniicere debuit manum, & ipsum inter res suas trahere. nihil amplius patri debes quàm vxori. mihi crede, maius fuit tyrannicidium pati, quàm facere.

PARS ALTERA. *Argentarij.* Ego torta sum. Merito obiiceres, nisi te vindicassem. *Fuluij Sparsi.* Vobiscum, Iudices, loquor. * *

DIVISIO. Controuersia haec reum facere primum, si materia patitur. Non accepi quidem, & reddidi: aut accepi quidem, sed non potui reddere, aut ista nouissima, non facere. Non quisquis non reddidit beneficium, ingrati tenetur. animus aestimandus est non reddentis. *Pollio Asinius* aiebat nunquam tentandas esse quaestiones: primam manifesto obtinere posse, qua negamus nos beneficium accepisse, perit tota causa, nisi in hoc vicit. Apparet enim ingratum esse, qui ne fatetur quidem se accepisse beneficium. *Gallio* noster putat quotiens possit, hoc auferendum aduersario: quotiens non possit, concupiscendũ: quotiens ne hoc quidem possit, transeundum, quasi donemus, & possimus quidem facere controuersiam, sed nolimus. Idẽ Attico Vipsanio Apollodori discipulo placuit. Hoc ille amplius. Quoties non potuerimus, aiebat, an beneficium acceperimus, controuersiam facere, hoc modo faciamus, non esse tam magnum, quàm ille dicat: sicut in criminibus facimus, quotiens negare non possumus, esse quidem crimen illud fatemur, sed leuiore poena dignum, quàm accusator arguat. *Latro* in hac controuersia non dubitabat facere primam quaestionem, an beneficium dederit. hoc in haec diuisit: [g] Etiam si scisti de tyrannicidio viri, nec indicasti, non est beneficium scelus non facere: deinde ne scisti quidem. Non enim tibi indicaui, nec tam magnum consilium, virilibus quoque animis graue, commisi muliebri garrulitati: quae id solum potest tacere, quod nescit. Etiam si dedit beneficium, an receperit. Occidi tyrannum, libertatem mihi, tibi vltionem reddidi plenissimam: persecutus sum nefarium hostem, illic occidi vbi torserat. Dices me Reip. causa fecisse. & tu Reip. causa tacuisti. Tutus sit, quòd lege fecerit. Deinde vltima aequitatis tractatio. An quod fecit, facere debuerit. Hoc diuisit in haec duo: An iam certam sterilitatem vxoris bonae ferre debeat: an ne sterilis quidem pro certo sit. Noui declamatores Posmos * * eum Apollodoto, qui reus veneficij fuit, & a Pollione Asinio defensus, damnatus Massiliae docuit, & hanc quaestionem fecerunt in hanc controuersiam, An inter viros & vxores data beneficia, ingrati lege teneantur. Non est beneficium, sed officium, facere quod debeas: vt si filius patri se dicat beneficium dare. Hanc quaestionem fecit & Gallio noster. *Blandus* in vltima parte controuersiae, qua de Republica disputatur, quaestionem fecit, An quinquennium numerari debeat excepta tyran-

nide, illud tempus non debere imputari quasi sterili, quo matres etiam editos partus abominatae sunt. illud tempus imputatur feminis in Rep. quando pariunt non plus tyranno. Huic subiecit, An etiam si & aliis imputari tempus tyrannidis solet, huic non debeat. *Latro* ex suo * more has non quaestiones putabat, sed membra illius vltimae partis, ex aequitatis quaestione pendentia. An sterilis quidem, altius repetit: an non quaecunque quinquennio non peperit, sterilis est. Quid enim si vir alicuius abfuerit toto paene quinquennio in peregrinatione? viro imputabitur. Quid si vir aegrotauerit? quid si maritus curiatus inutilis in concubitu vxoris suae iacuisset, imputaturus fuit? quinquennio quaeritis, quare non peperit? tyrannus erat. Nemo nō cum parentibus suis querebatur, quòd natus esset. Haec, quòd torta est; hic, quòd maritus occupatus tyrannicidio non vacauit in vxoris voluptates. *Buteo* aridus quidem declamator, sed prudens diuisor controuersiarum, contra Latronem sentiebat, *Blando* accedebat. Aliud enim esse aiebat, quae intra quinquennium non potuit, non vtique sterilis est: aliud, quae intra quinquennium non peperit, non statim dimitti potest sterilitatis nomine. Hic quaeritur de condicione iuris: illic, de spe foecunditatis. Sed Blandum quoque ar- * guebat. aiebat enim sic fuisse quaerendum, An tyrannidis tempus excipi deberet: deinde, etiam si non in aliis, an inter has gradus est. Sed ipse sic hanc in partes quaestionem diuidebat: An quaecunque quinquennio non peperit, tanquam sterilis dimitti possit. Posset enim accidere, quod Atheniensibus in bello accidit, vt liberi & coniuges in aliquo tutiore loco deponantur. Imputabitur hoc tēpus feminis, quo viros destituunt, non quo nō habent. Sic * tyrannus non vetuisset istā parere, quin intermisisset. Et cum hoc vehementer impleuisset, & probasset, non omnes posse dimitti, si quinquennio non peperissent, tunc illo transiit, An haec posset & hic etiamnum. non hoc quaerebat, an deberet dimitti, sed an posset. Et hoc contra Latronem dicebat: Quomodo istam quaestionem putas in aequitatis tractationem cadere, cum quid liceat quaeratur, non quid oporteat? haec enim, an haec possit, per illum non posset, quia tyrannidem non ceperat. Aliquod tempus impune a legibus miseriae faciunt. Non dico quia torta est, sed hoc adhuc, propter aequitatis tractationem reseruo. Sed non peperit, quia tu maxima in cogitatione occupatus, nihil de liberis cogitasti. *Passienus* vir eloquentissimus & temporis sui primus orator, hanc subtilitatem actionis non probabat in Latrone, sed assentiri dicebat, ideo quaestiones tractandas per se esse, si haec mulier iusti repudij ageret, non ingrati. Ita non quaeritur an legitime, sed an ingrate dimissa sit, itaque in aequitatis tractationem cadunt, etiam quae iuris sunt. Nam cum quaeratur, An potuerit haec dimitti, etiam si licuit: apparet, quòd vtique non oportuit, si ne licuit quidem. *Albutius* decentissime fecit. solebat enim fere in aliquas figuras declamationem describere, & prius egit iniusti repudij, deinde ingrati: in quibus putat esse, an vllum beneficium viro contulerit, a quo tanquam inique dimissa. Hic omnes quaestiones ad sterilitatem & aestimationem quinquennij pertinentes libere tractauit, deinde transit in ingrati accusationem.

COLOR. *Cestius* pro viro introduxit colorem. Quo tempore vxor torta est, nihil adhuc de tyrannicidio cogitabam: postea cogitaui,[b] & haec ipsa cogitandi causa fuit, vxoris vltio. Vtrunque secutum est, vt illa marito insolentiam imputare non posset, maritus illi tyrannicidium posset. *Latro* dixit: Si iam tum de tyrannicidio cogitassem, vxori non indicassem. *Fabianus* philosophus colorem magis bono viro conuenientem introduxit, quàm oratori callido. Dixit enim, & cogitasse tyrannicidium, & vxori indicasse: & illam tum quidem fecisse, quod probam feminam facere oportuit: nunc peccare, quòd putet beneficium esse, recte facere. Hic color illi & in illa parte profuisset: Si beneficium putas te dedisse quòd tyrannicidium non prodidisti: ego prior dedi, qui tibi tyrannicidium credidi. repudium ex tuo quo * vis liberorum cupiditatem, quo semper vti tanquam vir eius debuisset, postea magis tanquā tyrannicida. *L. Vinicius*, Vinicij frater, Fabiani colorem valde probabat, & aiebat, onerari vxorem vno modo posse, si nihil vnquam secretum ab illa maritus habuisset. Si dixerit, inquit, post tormenta se de tyrannicidio cogitasse, tum tyrānicidium vxori melius deberi meruit, si torta tyrannicidam fecit, quàm si tacuisset. Apparet & aliquid de tyrannicidio cogitatum, de quo tyrannus vsque eo suspicatus est, vt torqueret. Dixerit, cogitasse quidem se de tyrannicidio ante tormenta, sed vxori non indicasse: augebit vxoris beneficium. Liberius enim potuit, ait, tyrannicidium indicare, quod illi commissum non erat. Potuit enim vxor, etiam non indicante marito, tam magni consilij molitionem deprehendere. At si hunc colorem Fabiani sequor, mutam efficiam. Si olim de tyrannicidio cogitaui, honestior sum vetus tyrannicida: & non priuatis, sed publicis malis ad vltionem impulsus. Si cum cogitarem, non celaui vxorem: facilius persuadebo, me malum hodie maritum nō esse, cui semper tam deditus fui. Ad vltimum hoc consequar. si quod audierat, tacuit, non beneficium est, sed fides.

des. Hic est *L. Vinicius*, quo nemo ciuis Romanus in agendis causis praesentius habuit ingenium: quicquid longa cogitatio illi praestitura erat, prima intentio animi dabat: ex tempore causas agebat, sed non desiderabat hanc commendationem, vt ex tempore agere videretur. De hoc eleganter dixit diuus Augustus: Vnus Vinicius ingenium in numerato habet. *Hispo Romanus* maligne & accusatorie: Nihil, inquit, ego isti narraueram: ista, vt erat necesse, aliquid ex vultu, aliquid ex nocturnis vigiliis suspicata est. vnde emanauerit sermo, scietis. Videtis quo veniat tyrannus, non ad amicum meum, non ad seruum, sed ad istam, quae nihil negotij habuisset, si tacuisset. Tua enim causa tacuisti: sciebas te perituram, si confessa esses tyrannicidium. *Hybreas* dixit. *

Pater & filius luxuriosi. CONTROVERSIA VI.

THEMA. *Quidam luxuriante filio luxuriari coepit. accusatur a filio dementiae. Contradicitur.*

PRO PATRE. *Porcij Latronis.* Vtriusque tamen comparetur luxuria. Tu consumis patrimonium patris tui: ego accusatoris mei. nauiga, milita, peregrinare, quaere adolescens: vtere senex. Accusator meus inter se contrarios affectus habet: cupit reum damnari, crimen absolui. *Cestij Pij.* Potest nobis conuenire. similes sumus, puta te patrem: dic quid me velis facere. Si tam bona fide frugi es, & hoc imitor. Te ego imitor, an tu me? Rogo vos, ego prior coepi: tu posterior luxuriaris. Patrimonium, inquit, compuremus. Sed tu senex, inquit, hoc dicit: Luxuria tua serius coepit, citius desinet. *Arellij Fusci patris.* Sed tu, inquit, senex es: vnde scis te non futurum luxuriosum senem? Omnia a te vitia: quòd vnguento coma madet, tuum est: quòd laxior vsque in pedes tunica demittitur, tuum est. Quid est quod aliud a te senes discant? quid porrò? domus nostra luxuriosos duos non capit? indulgentius te abdicare non potui. Ecquid mihi licet seniles annos meliore vita reficere? hoc nouissimum meum meritum est: sed quod tibi proxime imputo, pro te etiam luxuriosus factus sum. *Fabianus.* Noli pecuniam concupiscere. quid tibi dicam? Haec est quae auget discordiam, vrbes & terrarum orbem in bellum agitat, humanum genus cognatum natura, in fraudes & scelera mutua instigat: haec est quae senes corrumpit. Quidam summum bonum dixerunt voluptatem, & omnia ad corpus retulerunt. nihil est mihi opus praecipientibus. exemplum habeo. proposui quicquid tu feceris, facere: nauigabo, si nauigaris: militabo, si militaris. dic hodie quid putes melius. Sed illud excipio, ne obijcias, quod elegeris. *Blandi.* Obijcit luxuriam propriam, & hoc dicit adolescens: Frugaliter vixi quamdiu frugi patrem habui: ante me desiste, ante me coeperas. *Blandi.* Senex luxuriaris. respondeo tibi, Adolescens nauigaui. Ego iam, inquit, desij, tu nondum. Non miror, si desisti prior: prior coeperas. *Mentonis.* Quod gaudium accepisti, vere luxurior. *Pompeij Silonis.* Si modo emendatus est filius meus (solet enim etiam luxuria simulari) suo quisque ordine reus sit. Vis me ducere vxorem. si nouercam haberes: iam abdicatus esses. *Vibij Galli.* Conuiuae certe tui dicunt: Bibamus, moriendum est. Si intelligo, hoc nulli magis in domo dicitur, quàm mihi. Ostendi tibi luxuriam, quam in te non videbas. Alliga me, dum te custodias. *P. Asprenatis.* Quia nihil proficiebam obiurgando, volui illi vitam suam ostendere. *Iunij Othonis.* Malam causam haberem, si alium accusatorem haberem. Malam causam haberem, si te filium non haberem.

ALTERA PARS. *Iunij Gallionis.* A laudibus patris incipiam. hic adolescens temperatissimus, & lubricum tempus sine infamia transiit: duxit vxorem, filium sustulit, ad aetatem perduxit. iam senex factus est: nisi quod sibi bonum videt, luxuria vsque eo se proiecit, vt accusetur. Senex amens, senex ebrius, circundatus sertis, delibutus vnguentis, & in praeteritos annos se retro agens, & validus in voluptatibus quasi iuuenis exultans, nonne portentum est? Luxuriosus adolescens peccat: senex luxuriosus insanit. aetates exhauriunt, vitia lasciuiunt. *Papirij Fabiani.* Nauem in portu mergis. alter solito tempore labitur, alter insolito: alter alieno, alter suo: alter annos sequitur, alter senectuti repugnat. Non est luxuria tua. patrem videre velimus. Non simulas ista, sed facis: nec amantem imaginaris, sed amas: nec potantem adumbras, sed bibis: nec te doces dissipare bona, sed dissipas. Nemo vitia quae odit, imitatur. Quis imperator ob hoc ipse de proelio fugit, vt bene pugnaret exercitus? quis vt ambitum comprimeret, ipse honores mercatus est? quis vt seditionem leniret, turbauit rempublicam? Non coercet vitia, qui prouocat.

DIVISIO. *Latro* sic diuisit. An ob hoc accusari pater possit. Hic illam vocalem quaestionem posuit, quam solebat fastidire Seleucius, minime solere patri obijci luxuriam, non magis quàm auaritiam, quàm iracundiam. Non vitia patris accusari solere, sed morbum: & si

poſſit aliquid praeter dementiam obiici patri, luxuria non poſſit: Alioquin filiis, inquit, abdicare permittis. hic de ſuo conſumit, An ſi ob hoc pater accuſari poteſt a filio, haec vltionũ exprobratio. Si ebrietatem obiicere patri ſolet ebrius: ſi petulantiam, iniuriae damnatus. etiam ſi ob hoc accuſari poteſt, etiam ſi a tali filio, An ſi ad caſtigandum filium hoc conſilio vſus eſt, damnandus ſit. Ait enim adoleſcens: Quolibet alio genere debuiſti me obiurgare. quid ſi adulterium vindicare vellet committendo? Turpe eſt ſic caſtigare vitia, vt imiteris. Deinde an conſilio luxurietur. Non enim concedit hoc filius: aut, inquit, Quare, ſi coepiſti ſic emendare filium, cum emendaueris, non deſinis? *Ceſtius pater*, patris aiebat ſimulationẽ luxuriae ſignificandam magis quàm profitendam: Ita, inquit, adparebit illum ſimulaſſe, ſi etiamnum ſimulat. ſi deſinit ſimulare, oſtendit iam ſibi nihil prodeſſe ea conſilia, quaſi filius emendatus ſit. emendatum autem eſſe non conceſſit, & aſſidue dixit, nihil magis ſequi interuallum hoc luxuria, etiam vere intermiſſa vitia vehementius ſurgere. *Latro* aperte putabat ſimulationem confitendam. Incipio, inquit, non tantum honeſtum ſenem, ſed prudentem defendere: ſi quod vitium videri poterat, efficio conſilium, quare potius ſignificet, quã dicat frugi eſſe. *Blandus* hac figura declamat filium, & pro abdicato reſpondit. *Ceſtius* aiebat, adoleſcentis partem diligentius colorandam: facere illum rem non improbam, non ita patri remittere quod a patre ipſi remiſſum ſit. Itaque ſic narrauit, vt ſuam quoque luxuriam imputaret patri. non ſeueram fuiſſe diſciplinam, nõ bene inſtitutae domus legem, quae poſſet adoleſcentis mores formare, & a vitiis aetatis abducere: Quodammodo, inquit, ad luxuriam a patre praemiſſus ſum. Vnguento cani madent, & comiſſator ſenex nulli nimis luxurioſus, ſed parum ſanus videtur. Merito in adoleſcentibus non omnem luxuriam vindicant: cito deſinunt. Cum haberem luxuriae iſtius exemplum, quaeritis, quae res mihi remedio fuerit? Aetas. Illa quae faciebam, imputabat, me non diſcere.* Hunc ſenſum ipſe *Ceſtius* ſano genere dixit. Flauium Alfium auditorem ſuum, qui eandem rem laſciuius dixerat, obiurgauit. *Flauius* hoc modo dixit, cum deſideria deſcripſiſſet, paulatim ſe ad frugalitatẽ rediſſe, & odio ſibi vitium factum: Hoc fuit, inquit, quare deſinerem. Sentiebam, inquit, me ſenem fieri. *Ceſtius* hoc aiebat dulcius quidem, ſed corrupit & vnam ſententiam. Incredibile eſt, inquit, cum iuuenis ſit, ſenſiſſe ſe ſenẽ fieri: & noluiſſe videri tam diu luxuriatum, donec ſentiret ſe ſenem fieri. *Fuſcus Arellius* dixit: Non accuſaturus patrem, ſed me defenſurus ſum, ne aliena luxuria mea laudatio. Conſilio luxuriantem filium iſtum emendo. Superuacuum in narratione hunc colorem habuit: ſubito furore collapſam patri mentem, meretricem dependentem collo ſenis, & paraſitorum circumfuſam regi turbam, ſic cum riualibus rixari, & ebrietari nocturnae addi item diem. Putaui initio & ego conſilium eſſe, non morbum, deſinet luxuriari: deſinet, inquam, ſi propter me coepit. Permanet in iuuenilibus vitiis: hoc turpius luxurioſus, quo diutius. Quid faciam? ſi ſuo more emendare patrem volo: luxuriandum eſt. *Silo Pompeius* patronũ adoleſcenti dedit: quod non putabat in accuſatoris perſona Latro faciendum, vt aliquis per patronum accuſaret patrem. *Rufus Vibius*. Feſtiuum ſenem, qui in honorem filij ſui adoleſcentis ebrius ſit. In narratione hoc vſus eſt colore, ſolutum patrem, iam mentem eius labantem laudare coepiſſe luxuriam. dicerem eſſe felicius: ſi his qui ſibi amare permitterent, neceſſarium tantum habere, quantum acceperant: obiurgarent, interim quaſi non commemorent. Ruſticum, inquit, iuuenem. praematura ſeueritas non eſt frugalitas, ſed triſtitia. Quid tu ſenex facies? non creditis haec illum dixiſſe, qui dum vitia etiam obiurgare vult, luxuriatur? *Argentarius* hoc colore declamauit: Duo luxuriantur vna in domo: alter iuuenis, alter ſenex: alter filius, alter pater: vterque licenti cultu per publicum incedit. Alter vobis ait: Hoc conceſſum aetati. Vtor, & iuuenili lege fungor, id facio, quod pater meus fecit, cum iuuenis eſſet. negabit? bona ergo aetate coepit ſimul primũ hoc tirocinium adoleſcentiae, quaſi debitum ac ſollemne perſoluere. Reuertar ad bonos mores, qui qualem cauſam habeant, videritis. Faciant etiã ſi non quod oportet fieri, at quod ſolet. Alter ait, Scio me nouum ciuitatis miraculum, incedere luxurioſum ſenem: ſed hoc caſtigandi genus commouere viſum. Vt emendaret filium, ipſe peccare coepit. at ſi auus viueret, nemo in domo luxurioſus non eſſet, tres luxurioſi fuiſſetis.

A PARTE patris. *Glycon Syricon* dixit. *

Agrotas Maſſilienſis longe liuidiorem ſentẽtiam dixit, quàm ceteri Graeci declamatores, qui in hac controuerſia tanquam riuales rogati ſunt. Dicebat autem Agrotas inculta: vt ſcires illum inter Graecos non fuiſſe ſententiis fortibus, vt ſcires illum inter Romanos fuiſſe. Sententia quae laudatur, haec fuit. *

Damas Cambrus, *

Diocles Caryſtius, * *Hermagoras* raras ſententias dicebat, ſed argutas,

tas,

tas, & quae auditorem diligentem penitus afficerent, securum & negligentem transcurrerent. In hac controuersia dixit, *

Barbarus dixit vulgarem sensum satis vulgariter.*

Elegantius hoc composuit *Hispo Romanus*. Placet vobis frugalitas mea, quòd patrimonium seruo, quòd acquisiui, vxorem mature duxi, semper dilexi, quòd ad omnem me tutum fabulam praestiti. Illud affirmo, nihil tota vita frugalius feci. Rem ab omnibus dictam celeberrime *Syriacus Vallius* dixit: Fili, quando vis, desinamus.

Peregrinus negotiator. CONTROVERSIA VII.

THEMA. *Quidam cũ haberet formosam vxorem, peregre profectus est. in viciniam mulieris, peregrinus mercator commigrauit. ter illam appellauit de stupro, adiecit preces, negauit illa: decessit mercator, testamento omnibus bonis heredem eam reliquit, & adiecit eclogion,* QVIA PVDICAM COMPERI. *adit hereditatem: * redit maritus, accusat adulterij ex suspicione.*

CONTRA VXOREM. *Porcij Latronis.* Quanquam eo prolapsi mores iam sunt, vt nemo ad suspicanda adulteria nimium credulus videri possit, tamen ego adeo longe ab eo vitio semper fui, vt etiam timeam, ne quis in me aut nimiam patiẽtiam, aut nimium stoporem arguat, quòd tam seram querelam detuli. Non accuso adulteram, nisi diuitem factam: ex ea domo ream protraho, in qua iam nihil meum est. cum ego tamdio peregrinatus sim, nullum periculum terra marique fugerim, plus ista intra vnam viciniam, quàm ego toto mari, quaesiuit. Post tantos impudicitiae quaestus, si tacere possum, confitendum habeo, hac me causa abfuisse, vt in accessione patrimonij peregrinando cum vxore certarem. Illud, Iudices, mihi tormentum est, quòd notata iudicio vestro, vt multiplicatam dotem perdat, plus tamen ex quaestu habet, plus habitura est, quàm quantum damnatae perdendum est. Tãtùm in istam diues amator effudit, vt post poenam quoque expediat fuisse adulteram. Quae praeceperim vxori proficiscens, scio: cetera, quemadmodum adolescens formosus, diues, ignotus, in viciniam formosae, & in absentia viri nimium liberae mulieris commigrauerit, quemadmodum assidua societate quotidianae per diem noctemque libidinis exhaustis viribus perierit, interrogate tumorem. Vos interrogo, Iudices, quid officij mei fuerit. Poteram ego saluo pudore meo nihil de hereditate suspicari, in qua etiamnum auctor ab vxore dictus sum? Veni nihil aliud quàm vt fortunam meam querar. nam causam melius vos nostis. Tempus est, Iudices, de vxore & marito credi, mulierem tam formosam amari potuisse. Pudica forte sic amari, ne sollicitaretur, potuit. Neque est quòd dicat: Nõ in meo istud arbitrio positum. Erratis vos Iudices, si non maritum ad sollicitandam matronam putatis irritamentum; spem corrumpendi quamuis facilem, quamuis amabilem sexum. Si tantum in formosa sperari potest, quantum placere potest, omnes formosae in se vniuersos populos coouerterent. Matrona quae se aduersus sollicitantes auiam volet, prodeat in tantum ornata, ne immunda sit: habeat comites eius aetatis, qui impudicos, si nihil aliud, verecundia annotum remoueant: ferat iacentes in terram oculos: aduersus officiosum salutatorem inhumana potius quàm inuerecunda sit, etiam in necessariam resalutandi vicem multo rubore confusa longe ante impudicitiam neget ore, quàm verbo. in hac seruandae integritatis custodia, nulla libido irrumpet. Prodite mihi fronte in omne lenocinium composita, paulo obscoenius quàm posita veste nudae, exquisito in omnes facetias sermone, tantum non vltro blãdientes, vt quisquis viderit, non metuat accedere. Deinde miramini, si cum tot argumentis pudicitiã proscripserit, cultu, incessu, sermone, facie, aliquis repertus est, qui incurreret, & reti adulterae se non subduceret. Internuntium, puto sollicitantis se, arripi & denudari iussit, flagella & verbera, & omne genus cruciatus poposcit, in plagas deterrimi mancipij vix imbecillitatem muliebris manus continuit. Nemo sic negantem iterum rogat. Quotiẽs quòd non vna peregrinareris questa es? Cum quo questa es? apud quem indignata es? Abunde id argumentum pudicitiae profuturum putas, si stuprum tantum negaueris, quod plerumque etiam impudicissima spe vberioris praemij de industria simolat. Quando de iniuria tua viro scripsisti, & ne io occasionem similis iniuriae solitudo tua pateret, maturiorem reditum rogasti? & quanto decentius contumeliam penetralium meorum vxoris epistola, quàm testamẽto sollicitatoris cognoscerem! Miserrimus omnis saeculi maritus, sic cootempta absentia mea, etiam nunc iniuriam meam nescirem: si qui fecerat, tacere voluisset. Totiens sollicitantem in istam faciem qua placere poteras, conuertisti. Non omne ornamentum, veluti causam talis iniuriae execrata es? Quod proximum est a promittente, rogata stuprum, tacet. Inspicite adulteri censum ex eo impune, si quod adulteris edidit, si est aliquid quod non erit. Quid sin- *

gillatim omnia percenseo? quicquid ego non emi in mundo tibi miset, vt maritus, cum omni cēsu meo intet munera adulteri lateo. SOLA MIHI HERES ESTO. Quid ita? habes, inquit, scripsit causas. quia cum semel appellassem, cum iterum, cum tertio, non corrupi. O vos nimium felices, & aureo, quod aiunt, saeculo natos, si etiam qui impudicas quaerunt, pudicas honorant. Omnium bonorum meorum, omnis pecuniae meae sola heres esto: quia corrumpi non potuit, quia tot sollicitationibus expugnari nō potuit, quia tam fideliter pudicitiam custodiuit. Tace paulisper nomen auctoris: nunquid non testamentum viri crede- * tut? nullam esse in vxore suspicatut infamiam intet mutuum eius amorem: aut certe ita cre- * ditum iam moriturus tabellas occupare, si vultis cum muneribus meis imponere, eclogium ex testamento adulteri petendum est. SOLA HERES ESTO: quamuis aliena, quāuis ignota: tantum, quia pudica, quia incorrupta est. Quid? isti tam censorio adultero non matet est? non soror? non propinqua? aut nulla earum pudica est? Idcirco scilicet cum tantis diuitiis peregrinas vrbes in honorem pudicitiae incognitae perambulabat. Illic vbi natus est, nulla pudica erat. at illic vbi negotiatus, quia nulla non prostituta erat, vacuo testamento pudica heres per errorem quaesita est. Ego adulteram arguo, quam in matrimonium tecepi, qui cōmuneis ex illa libetos precatus sum, qui pudicam libētissime crederem. Adeone iam ad omnem patientiam saeculi mos abiit, vt aduersus querimoniā viri vxor alieno teste defendatut? At hercules aduersus externorum quidem opiniones speciosissimum patrocinium erat: *Ego viro placeo.* At ego, si hunc morem inscribendi tecipitis, in conspectu vestro ita scribam: *Vxor mea heres esto, quòd peregrinante me adamata est, quòd heres ab adolescente alieno ac libidinoso relicta est, quòd tam infamem hereditatem adiit.* A duobus vos testamentis in consilium mitto. vtrum secuturi estis? quod ab adultero absoluitur, an quod damnatur a viro? Magnus pudicitiae fructus est, pudicam credi: & aduersus omnes illecebras atque omnia delinimēta muliebris ingenij, est veluti solum ac firmamentum in nullam incidisse fabulam: nouos fortasse, non in omnium aestimationem occurrere: & horrenda multa, deinde ac varia daturus ex- * perimenta. femina quae damnum pudicitiae qui vis est, atque curandus est esse ac videri pudicam.

Cetera desunt. Quae sequuntur, sumpta sunt ex epitome.

Muliebrium vitiorum fundamentū auaritia est. Quae potest non timere opinionem adulteri, potest non timere adulterium. Ex omni rupe cōchylium trahitur, quo vestis cruētetur. Infoelices ancillarum greges laborant, vt adultera tenui veste perspicua sit: & nihil in corpore vxoris suae plus maritus, quàm quilibet alienus peregrinusque agnouerit. [h] Frustra aestimabo esse indicia, sit tantum qui rogat, comperit pudicam. Omnes te impudicam loquūtur, pudicam tantum vnus, & peregrinus. Cui plus laudator quàm accusator nocet. Vxorem meam nusquam audiui pudicam, nisi in adulteri eclogio. Deiice in terram oculos, & autes tuas externorum vocibus claude. Sibi quisque pro te neget. Pudicam ille dixit, ego impudicam. Puto, plus creditis ciui, quàm peregrino: marito, quàm adultero. Ipsum eclogium corruptoris animo scripsit, QVIA PVDICAM, inquit, COMPERI, quod nulli praetet me contigit.

PARS ALTERA. Formosa est: hoc natura peccauit. Sine viro fuit: hoc maritus peccauit. Appellata est: hoc alius peccauit. Negauit: hoc pudice. Heres relicta est: hoc feliciter. Hereditatem adiit: hoc consulto fecit.

M. ANNAEI

M. ANNAEI SENECAE CONTROVERSIARVM LIBER TERTIVS.

SENECA NOVATO, SENECAE, MELAE FILIIS SALVTEM.

QVOSDAM diſertiſſimos agnoui viros, non reſpondentes famae ſuae cum declamarent, in foro maxima omnium admiratione dicentes, ſimul ad has domeſticas exercitationes ſeceſſerāt, deſertos ab ingenio ſuo. Quod accidere pleriſque aeque mihi mirum, quàm certum eſt. Memini itaque me a Seuero Caſſio quaerere, quid eſſet, cur in declamationibus illi ſua non reſponderet eloquentia. In nullo enim hoc fiebat notabilius. Oratio eius erat valens cultu, ingentibus plena ſententiis. Nemo minus paſſus eſt aliquid in actione ſua otioſi eſſe. Nulla pars erat, quae non ſua virture ſtaret. Nihil, in quo auditor ſine damno aliud ageret. [a] Omnia intenta aliquo, petentia. Nemo magis in ſua poteſtate habuit audientium affectus. Verum eſt quod de illo dicit Gallio noſter. Cum diceret, rerum potiebatur, adeo omnes imperata faciebant. Cum ille voluerat, iraſcebantur. Nemo non illo dicente timebat, ne deſineret. Non eſt quòd illum ex his quae edidit, aeſtimetis. [b] Sunt quidem & haec quibuſdam grata. Verum eloquentia eius longe maior erat quàm lectio. Non boc ea portione illi accidit qua omnibus fere, quibus maiori commendationi eſt, audiri quàm legi, ſed in illo longe maius diſerimen eſt. Primum tantundem erat in bomine, quantum in ingenio: corporis magnitudo conſpicua, ſuauitas valentiſſimae vocis. Quamuis haec inter ſe raro coëant, vt eadem vox & dulcis ſit & ſolida. [c] Pronunciatio quae hiſtrionem poſſet producere, tamen quae hiſtrionis poſſet videri. Nec illo quicquam magis mirareris, quàm quòd grauitas quae deerat vitae, actioni ſupererat: [d] quandiu citra iocos ſe continebat, cenſoria oratio erat. Deinde ipſa quae dicebat, meliora erant quàm quae ſciebat. Vir enim praeſentis animi, & maioris ingenij quàm ſtudij, magis placebat in his quae Inueniebat, quàm in his quae attulerat. Iam vero iratus commodius dicebat. Ideo diligentiſſime cauebant homines, ne dicentem interpellarent. Vni illi proderat excuti. melius ſemper fortuna, quàm cura, de illo merebat. Id nunquam tamen haec felicitas illi perſuaſit negligentiae. Vno die priuatas plures agebat, & ita vt alteram ante meridiem ageret, alteram poſt meridiem: publicam vero nunquam amplius quàm vnam vno die. Nec tamen ſcio, quem reum illi defendere, niſi ſe contigerit. [e] Adeo nunquam vllam materiam dicendi, niſi in periculis ſuis, habuit. Sine commentario nunquam dixit: nec hoc commētario contentus erat, in quo nudae res ponuntur. Ex maxima parte perſcribebatur actio, Illa quoque quae ſalſe dici poterant, annotabantur: ſed cum procedere nollet niſi inſtructus, libenter ab inſtrumentis recedebat. Ex tēpore coactus dicere, infinito ſe antecedebat. Nunquam non vtilius erat illi deprehendi quàm praeparati: ſed magis illum ſuſpiceres, quòd diligentiam non relinquebat, cum illi tam bene temeritas cederet. Omnia ergo habebat, quae illum vt bene declamaret, inſtruerent: phraſin nec vulgarem, nec ſordidam, ſed lectam: genus dicendi non remiſſum aut languidum, ſed ardens & cogitatum: [f] nec lentas, nec vacuas explicationes, ſed plus ſenſuum quàm verborum habentes: diligentiam, maximum etiam mediocris ingenij ſubſidium. Tamen non tantum infra ſe cum declamaret, [g] ſed etiam infra multos erat. Itaque raro declamabat, & non niſi ab amicis coactus. Sed quaerenti mihi, quare in declamationibus impar eſſet ſibi, hoc aiebat: Quod in me miraris, paene omnibus euenit. Magna quoque ingenia, a quibus multum abeſſe me ſcio, quando plus quàm in vno eminuerunt opere? Virgilium illa felicitas ingenij, in oratione ſoluta reliquit. Ciceronem eloquentia ſua in carminibus deſtituit. [h] Orationes Salluſtij in honorem hiſtoriarum leguntur. Eloquentiſſimi viri Platonis oratio, quae pro Socrate ſcripta eſt, nec patrono, nec reo digna eſt. Hoc non ingeniis tantum, ſed corporibus videmus accidere: quorum vires non ad omnia, quae viribus efficiuntur, aptae ſunt. Illi nemo luctando par eſt: [i] ille ad tollendam magni ponderis ſarcinam praeualet: ille quidquid apprehendit, nō remittit, ſed in procliue nitentibus vehiculis, moraturas manus iniicit. Ad animalia venio: alij ad aprum, alij ad ceruum canes faciunt. Equorum non omnium, quamuis celerrimi ſint, idonea curriculis velocitas eſt. Quidam melius equitem patiuntur, quidam iugum. Et vt ad morbum te meum vocem, Pylades in comoedia, Batyllus in tragoedia, multum a ſe aberāt.

Numenio cum velocitas pedum oon concedatur tantum, ſed obiiciatur, lentiores manus ſunt. Quidam cum hoplomachis,[k] quidam cum Threcibus optime pugnant. Et quidam ſic cum ſcaeua componi cupiunt, quomodo alteri eſt. In ipſa oratione quamuis vna materia ſit, tamen ille qui optime argumentatur, negligentius narrat. Ille non tam bene implet, quàm praeparat. Paſſienus noſter cum coepit dicere, ſecundum principium ſtatim fuga fit, ad epilogum omoes reuertuntur. Media tantum quibus neceſſe eſt, audiunt. Miraris eundem non aeque bene declamare, quàm cauſas agere, aut eundem non tam bene ſuaſorias, quàm iudiciales controuerſias dicere? Silo Pompeius ſedens & facundus & litteratus eſt, & haberetur diſertus [l] ſi a praelocutiooe dimitteret, declamat tam male, vt videar belle optaſſe cum dixi: Nunquam ſurgas. Magna & varia res eſt eloqueotia:[m] nec adhuc vlli ſic indulſit, vt tota cõtingeret ſatis felix eſt, qui in aliquam eius partem eſt receptus. Ego tamen & propriam cauſam videor poſſe reddere: aſſueui non auditorem ſpectare, ſed iudicem: aſſueui non mihi reſpondere, ſed aduerſario. Non minus deuito ſuperuacua dicere, quàm contraria. [n] In ſcholaſtica quid non ſuperuacuum eſt, cum ipſa ſuperuacua ſit? Indicabo tibi affectum meum. cũ in foro dico, aliquid ago: cum declamo,[o] id quod belliſſime Cẽſorinus aiebat de his qui honores in municipiis ambitioſe peterent, videor mihi in ſomnis laborare. Deinde res ipſa diuerſa eſt. Totum aliud eſt, pugnare: aliud, ventilare. Hoc ita ſemper arbitratum eſt, ſcholam quaſi ludum eſſe, forum harenam. [p] Et ideo ille in foro primum dicturus, tiro dictus eſt.[q] Agedum iſtos declamatores produc in ſenatum, in forum, cum loco mutabãtur, velut adſueta claſſi, & dilectae vmbrae corpora ſub diuo ſtare non poſſunt. [r] non imbrem ferre, non ſolem ſciunt: vix ſe inueniunt. Aſſueuerunt enim ſuo arbitrio diſerti eſſe. Non eſt quod oratorem in hac puerili exercitatione ſpectes. Quid ſi velis gubernatorem in piſcina aeſtimare? Diligentiſſime tibi me excuſarem, tanquam huic rei non eſſem natus: niſi ſcirem & Pollionẽ Aſinium, & Meſſallam Coruioum, & Paſſienum, qui nũc primo loco ſtat, minus beoe videri quàm Ceſtium, aut Latronem. Vtrum ergo putas hoc dicentium vitium eſſe, an audientium? Non illi peius dicunt, ſed hi corruptius iudicant. Pueri fere, aut iuuenes, ſcholas frequentant. Hi non tantum diſertiſſimis viris, quos paulo ante retuli, ſed etiam Ciceroni Ceſtium ſuum praeferrent, niſi lapides timerent. Quo tamen vno modo poſſunt, praeferunt. Huius enim declamationes ediſcunt. Illius orationes non legunt, niſi eas quibus Ceſtius reſcripſit. Memini me intrare ſcholas, cum recitaturus eſſet in Milonem Ceſtius: ex coosuetudine, ſua miratus dicebat: Si Thrax eſſem, Fuſius eſſem: ſi Pantomimus eſſem, Batyllus eſſem: ſi equus, Meliſſio. Noo continui bilem, exclamaui: Et ſi cloaca eſſes, magna eſſes. Riſus omnium ingẽs. ſcholaſtici intueri me, quis eſſem qui tam craſſas ceruices haberem. Ceſtius Ciceroni reſponſurus, mihi quid reſponderet, non inuenit, [s] ſed negauit ſe executurum, oiſi exirem de domo. Ego negaui me de balneo publico exiturum, niſi lotus eſſem. Deinde libuit Ciceroni de Ceſtio in foro ſatisfacere, ſubinde oactus eum, in ius ad praetorem voco: & cum, quantum volebam, iocorum conuiciorumque effudiſſem, poſtulaui vt praetor nomen eius reciperet lege inſcripti maleficij. Tanta illi perturbatio fuit, vt aduocationem peteret. [t] Deiode ad alterum praetorem eduxi, & ingrati poſtulaui. Iam apud praetorem vrbanum curatorem ei petebam, interuenientibus amicis, qui ad hoc ſpectaculum concurrerãt, & rogantibus dixi, moleſtum me amplius non futurum, ſi iuraſſet diſertiorem eſſe Ciceronem, quàm ſe. verum nec vt hoc faceret, vel ſerio effici potuit. [u] Hanc, inquit, tibi fabulam retuli, vt ſcires in declamationibus in tantum aliud genus hominum eſſe. Si comparari illis volo, non ingenio mihi maiore opus eſt, ſed ſenſu mioore. Itaque vix iam obtineri ſolet, vt declamem: illud obtineri non poteſt, vt velim, aliis quàm familiariſſimis audientibus: & ita faciebat. Eius declamationes inaequales erant: ſed ea quae eminebant, io quacunque declamatiooe poſuiſſes, inaequalem eam feciſſent. Compoſitio aſpera, & quae vitaret compoſitionem: ſententiae viuae. Iniquum tamen erit ex his eum aeſtimari, quae ſtatim ſubtexam: non enim haec ille optime dixit, ſed haec optime teneo.

Luxurioſus a ſodalibus excaecatus. CONTROVERSIA I.

LEX. CAECVS DE PVBLICO MILLE DENARIOS ACCIPIAT. Thema. *Decem adoleſcentes cum bona ſua comediſſent, ſortiti ſunt, vt cuius nomen exiſſet, ex pacto excaecaretur, & acciperet mille denarios. Exiit ſors cuiuſdam. Excaecatus eſt. petiit mille denarios: negantur.*

CONTRA EXCAECATVM. Hi ſunt oculi, quos extimuiſtis mariti.[a] O legem, ſi excaecat homines, abrogandam. Nulli dat mille denarios, niſi qui inuitus accipit. [b] Dic nunc, Miſerere. Hoc, cum excaecareris, non dixiſti. Reſpub. debilitatem conſolatur, non emit. Con-

ſumptis

ſumptis patrimoniis membra conferunt. Vtilius eſt Reip. vnum caecum repelli, quàm nouẽ fieri. Non ſolus a vobis petit alimenta, ſed primus. Alam eum, qui propter debilitatem alitur: non alam, qui propter alimenta debilitatur. Sic fit, vbi homines maiorem partem vitae in tenebris ita agunt, vt nouiſſime ſolem quaſi ſuperuacuum faſtidiant.

PARS ALTERA. Illis nouem nihil datutus eſt; nulli non fauorabilis erit, ſi eos a quibus excaecatus eſt, decipit. Circunuentus adoleſcens ab illis nouem veteranis conſumptoribus: Solus, inquit, nouem conſentientibus reſiſtere non potui. Omnia ex compoſito facta ſunt. vnus mentionẽ intulit, omnes approbauerunt. Electus eſt, qui ſortiretur. Sors huius quae exiret prima ſubiecta eſt. Cum repugnaret, excaecatus eſt. Si circunuentus eſt, inquit, iniuriã perſequatur: de vi agat, talionem petat. videbimus. primum eſt, vt habeat vnde viuat.

Parricida aequis ſententiis abſolutus. CONTROVERSIA II.

THEMA. *Quidam filium accuſauit parricidij. Aequis ſententiis abſolutum abdicat.*

CONTRA FILIVM. Minus eſt iam quod rogo. nõ peto vt me a parricida vindicetis, ſed vt ſeparetis.[a] Parricidam non accuſo, ſed fugio. Quãdo iſte accuſatori parcet, qui patri non pepercit? Igitur nihil mediũ eſt inter teſtamentum, & culeum? Non eſt abſolutus parricida, ſed dubius. Vt abſoluaris, multis tibi ſententiis opus eſt: vt damneris, vna. Non abſoluerunt reum, ſed ſaeculo pepercerunt. Miraris in hac ciuitate miſericordiam, in qua lex [b] abſolutionem dat paribus tabulis? Quaeris quàm multis non placeas? ſi vnum adiecero, parricida es. Abſolutionem legi, non innocentiae debes. Abſolutus, inquit, ſum. Non abdico te propter parricidium, ſed propter alia vitia, quae te fecerunt tam credibilem parricidam.

PARS ALTERA. Manifeſtus eſt adoleſcentis color, vt dicat ſe auctoritate patris oppreſſum.

Abdicandus quia fratrem abdicatum adoptauit. CONTROVERSIA III.

LEX. CVM FILIO TRICENARIO PATER PATRIMONIVM DIVIDAT. Thema. *Quidam habuit filium frugi, & luxurioſum. Abdicat luxurioſum. Frugi, peregre profectus eſt. Captus eſt a piratis: ſcripſit de redemptione patri. Patre ceſſante luxurioſus praeuenit, & redemit. Rediit frugi. Adoptauit fratrem ſuum. Abdicatur.*

PRO FRATREM ADOPTANTE. Non eſt quòd quiſquam me laudet. prior frater fecit inter nos pietatis exemplum. vna nauigauit, vna periclitatus eſt, vna omnes emenſus eſt terras, tantum reliquit me ad paternam domum. Non eſt quòd excuſatione aetatis vtaris. potes nauigare. Vtrique gratias agere deberet. Frater me iſti reduxit: ego iſti fratrem. Si tanquam inertem abdicaſti, nauigauit: ſi tanquam impium, ſuos redemit. Non poteſt eripi filio, quod a lege accepit. Quomodo enim pater poteſt eripere, quod non poteſt non dare?

PARS ALTERA. Per alterum[a] mihi neceſſe eſt abdicare quem nolo.[b] Hoc vno alter alteri placet, quòd vterque patri diſplicet. Vtamur medicina qua cogimur, quod in vulneribus periculoſis fieri ſolet, vt malum cum ipſo corpore exſecetur. Adoptare adoleſcenti permittitis, quem lex in diuidendo patrimonio experitur? Lex te ad miniſterium patrimonij admittit, non in dominium. Eſt aliqua aetas, a qua aliquis filius eſſe deſinat? Nec tricenario quidem filio adoptare licet. Neque enim quiſquam poteſt alium in manum ſuam recipere, [c] qui ipſe in aliena manu eſt. Quomodo fieri poteſt, vt tibi poteſtas vitae neciſque, aut in fratrem ſit, aut in filium non ſit? [d] Si bene de te meruerat, patrem pro filio rogaſſes. Nam quòd ego non redemi, paupertatis fuit. Nihil in medio comparebat. [e] Quicquid tricenarius reliquerat, abdicatus abſtulerat. Quid facerem ſolus, ſenex, inops: cuius patrimonium alter diuiſerat, alter abſumpſerat?

Seruatus a filio. CONTROVERSIA IIII.

LEX. SERVATVS CONTRA SERVATOREM NE QVAM HABEAT ACTIONEM. Thema. *Seruatus a filio eum abdicat. Ille praeſcribit.*

CONTRA FILIVM. Licuiſſet perire, ſi non licet loqui. Seruatum me putatis? Captus ſum. Redde me hoſti. Captiuis loqui licet. [a] Quo tantopere beneficia vitae iactat? Audite quis prior dederit. Si quis me hoſti reddiderit, ſeruatorem vocabo. An vos abdicationẽ putatis actionem? etiam ſi actio eſt, lex quae de ſeruato loquitur, ad perſonas tantum extraneas pertinet: ad filium, & ad patrem non magis, quàm ad ſeruum & dominum, libertum & pa-

tronum. Vt a patria potestate discedas,& ad aestimationem beneficij venias,qui dat vitam, si prior accepit,non obligat,sed reddit. Processi in aciem,exemplum filio meo:vicit me non hostis,sed aetas.seruauit,quem saepe seruaueram. Rediuiuum me senem meretrix vocat.parasitorum iocantium materia sum. omnibus istis tanquam seruatoribus tacere iubeor. Fili,si viuere mihi non licet, cur perire non licuit? Ego, inquit, te protexi. [b] Ita tu adolescens in acie non ante patrem stetisti? Audite filij mei gloriam. parricidium non fecit, cum posset seruare,seruauit.

Pars altera. Hic me genuit. Hic mihi spiritum, hic mihi has manus,quibus seruaretur, dedit.

Pater raptam continens. Controversia V.

Lex. Rapta raptoris avt mortem, [a] avt indotatas nvptias optet. Thema. *Raptor postulat,vt rapta educatur:pater non vult.*

Contra raptorem. [b] Iste raptor est,ego in ius adducor. Non est enim tam facile homini probo occidere,quàm perdito mori. Communis, inquit, lex est.dij faciant, ne cogas me experiri, [c] an tota mea ista sit. Quando ergo, inquit, optabis? Hoc tempore non possum. Curo vulnera.familiam reficio.expugnatam domum lugeo: ereptam virginitatem consolor. Minantem tibi ipsi custodio. Quando optabis? cum rapta voluerit, non eum raptor. Quando optabis?cum tu noles.Quando,inquit,optabis?paro me optioni.confirmo animum. Non est facile hominē occidere:premo interim gemitus meos, [d] & introrsus erumpentes lacrymas ago. Scio quid futurum sit. vultus te meus decipit. Stulte,quenquam morari putas nuptias filiae suae? in securim incurris, & carnificem vltro vocas.Cum rogare debeas, conuicium facis. Nemo vindicare se cogitur.

Pars altera. Nihil est miserius, quàm incertum inter vitam mortemque destitui. Iam beneficium erit,etiam si mortem optauerit. In amorem filiae istius incidi. Appellare de nuptiis debui patrem:feci. Sed videtis,quàm etiam in lege lentus sit.Raptor vitam alieni arbitrij habet,libertatem sui. Lex cōmunis est.Habet hic raptor quod timeat. Habet & quod sperare possit. In lege,inquit, non est scriptum quando: immo statim. Quotiens enim tempus non adiicitur, praesens intelligitur. [e] Tam longum tibi ius in caput ciuis non permittitur. Crudelius est quàm mori,semper timere mortem.

Domus cum tyranno incensa. Controversia VI.

Actio. Damni illati sit actio. Thema. *Quidam tyrannum ex arce fugientem cum persequeretur, in priuatam domum compulit. Incendit domum. Tyrannus cum domo conflagrauit.Praemio accepto,agit cum illo dominus damni.*

Pars prima. pro tyrannicida. Cur non exclusisti? Quare recepisti? quare nullam aliam domum tyrannus petiit? [a] Nemo non venienti domum clausit.Aditum in domum non habui,qui in arcem habui. Non gaudes te aliquid impendisse publicae libertati? Hic est in cuius domo tyrannus occisus est. Tanquam tyrannicida, monstraris. Redde, inquit,domū. Ita viuo tyranno non perdideras.Tyranni amicus,tyranni satelles: [b] certe,quod negare non potes,hospes. Diu expectaui,an eiiceretur tyrannus. Facilius potes accusare aut te,qui tam familiaris tyranno fuisti, vt illi maxime tua placeret domus, qua illum recepisti: aut tyrannum,qui tibi damnum dedit,quòd in tuam domum confugit. aut,vt culpa te liberem,facilius potes accusare fortunam,quae tyrannum potissimum ad te detulit.

Pars altera. Eius debet esse damnum,cuius est praemium.Non est iniquum,eius rei tibi iniuriam imputari cuius fructum percepisti. Non elegit domum tyrannus: nec enim hoc illi vacabat:sed in eam quam potuit,irrupit. Cum ego in ea non essem,nactus hic occasionem nocendi,intrare noluit: & tyrannicidium elegit,dubium, lentum,periculosum vrbi. accepit praemium, [c] maius sine dubio, quasi damnum sarcire deberet.

Venenum dato filio furenti. Controversia VII.

Thema. *Filio furenti, & sua membra lanianti,pater venenum dedit. Accusatur ab vxore malae tractationis.*

Contra maritvm. Non mirum est quare viuat, quae filium perdidit. Viuit, qui occidit.

Pars

Pars altera. Quem quotidie perdebam, aliquando extuli. Falleris misera mulier, in orbitatis tuae tempore: non perdidisti tunc filium, perdidisti, sed tunc extulisti.

Color. *Alfius Flauus* hanc sententiam dixit: Ipse sui & alimentum erat, & damnum. Hunc *Cestius* quasi corrupte dixisset, obiurgans: Apparet, inquit, te poetas studiose legere. Iste sensus est eius qui hoc saeculum amatoriis non artibus tantum, sed sententiis impleuit. Ouidius enim in libris Metamorphoseon dicit:

Ipse suos artus lacero diuellere morsu
Coepit, & infelix minuendo corpus alebat.

Olynthius pater reus concursus. Controversia viii.

Lex. Qui coetum et concursum fecerit, capitale sit. Thema. *Victa Olyntho, cum filio adolescente Olynthius senex Athenas venit. Athenienses omnibus ciuitatem Olynthiis decreuerunt. Inuitatus ad coenam ab adolescente luxurioso, cum filio venit. Ibi cum de stupro filij mentio esset, pater profugit, adolescens retentus est. Pater flere ante domum coepit: incensa est domus. Decem adolescentes perierunt, & filius Olynthij. Accusatur pater, quòd coetum concursumque fecerit.*

Pro reo concursus. Misero si flere non licet, magis fleudum est. Imperari dolori silentium non potest. Fuerunt ex populo qui dicerent: Hic meum filium, hic meam corrupit vxorem: suum quisque illo & ignem attulit, & dolorem. Timeo, fili, ne dum te quaero, in ossa alicuius raptoris incidam. Vbi Athenarum fides? Vbi hospitales inuicem dextrae? Capti, inquam, fili, sumus. Dum licet, fugiamus: sed tanquam a Philippo. Pariter apud Philippum certe viri fuimus. Lacrymae meae vocantur in crimen, quasi ex quo Olynthus capta est, flere desierim. Tantus scilicet sum, vt in ea ciuitate populum concitare potuerim, in qua filium seruare non potui. Non quotiens conuenerunt in aliquem locum plures, coetus & concursus est: sed quotiens conuocati, quotiens parati, quasi ad ducem suum concurrerunt. Non si vna vicinia coit, aut si transeuntium paucorum numerus affluxit, sed vbi totus, aut ex parte magna populus, vbi diuisa est in partes ciuitas. Coetus multitudinis magnae nomē est, coeuntis ex consensu quodam. At illic initio pauci fuerunt. Deinde reliqui non ad me conuenerunt, sed ad incendium: quod tamen populus maluit spectare, quàm extinguere. Lex non eum punit, propter quem coetus factus est: sed eum, a quo coetus factus est. Non mihi tanti vltio fuit, vt amittere filium: & tentaui populum rogare, nec potui.

Pars altera. Quid coetu opus est? Sunt scriptae ad vindictam iniuriarum omniū leges. Mota semel multitudo modum non seruat. Ardere illo incendio ciuitas potuit.

Crux serui venenum aegro domino negantis. Controversia ix.

Thema. *Aeger dominus petiit a seruo, vt sibi venenum daret. Non dedit. Cauit testamento vt ab heredibus crucifigeretur. Appellat seruus tribunos.*

Pro servo. Lex Cornelia te appello. Ecce heres iubet, quod tu vetas. Ne quis illum domino displicuisse putet, tunc huic parari crucem iussit, cum sibi venenum. Plura serui crimina confitemur. intempestiuas potiones, inutiles cibos, desideranti negauit. Quid enim ille non voluit, qui venenum petiit? Maluit crucem pati, quàm mereri. Si vincitur, periturus est: si non vincitur, seruiturus est ei, a quo in crucem petitur. Ex altera parte lex est, ex altera testamentum: crux vtrinque. Furiosus seruum sine causa occidere voluit. Quaeritis insaniae argumentum? & se ipse voluit occidere. Seruo, inquit, tribuni non possunt succurrere? Seruo natum regem habuimus. Seruo indice, patefacta est Bruti liberorum cum Tarquiniis coniuratio. Ergo nihil interest, venenum domino aliquis dederit, an negauerit? Etiam vbi remedium est mori, scelus est occidere. Tam cito vos de vita domini seruum desperare vultis, quàm heredem? Mortem si supplicium putas, quid rogas? si beneficium, quid minaris? Venenum quisquam obiicit, nisi datum? Vllum tu finem facies tribuniciae potestati, quam P. R. vt ipse plurimum posset, valere plus quàm se voluit? Venenum habere scelus est tam magnum, quàm dominum occidere.

Pars altera. Mori volens elegit huic ministerio nequissimum seruum, audacem, infestum sibi. Ille non saluti consuluit domini, quem videbat insanabili morbo tabescere, sed tormenta extendit. Seruus herilis imperij non censor est, sed minister. Agitur de iure testamentorum, quorum interiit omnis potestas, si neglexerint imperia mortuorum, Tribuni. Itane furcifer tu non morieris domini arbitrio, morietur dominus tuo?

M. ANNAEI SENECAE CONTROVERSIARVM LIBER QVARTVS.

SENECA NOVATO, SENECAE, MELAE FILIIS SALVTEM.

QVOD munerarij solent facere ad expectationem populi detinendam, noua paria per omnes dies dispensant, vt sit quod populum & delectet & reuocet: hoc ego facio: non semel omnes produco, aliquid noui semper habeat libellus: vt non tantum sententiarum vos, [a] sed etiam auctorum nouitate sollicitet. Acrior est cupiditas ignota cognoscendi, quàm nota repetendi. Hoc in histrionibus, in gladiatoribus, in oratoribus, de quibus modo aliquid fama promisit; in omnibus denique rebus videmus accidere. Ad noua omnes concurrunt, ad noua conueniunt. Non tamen expectationem vestrã macerabo, singulos producendo: liberaliter hodie & plena manu faciam. Pollio Asinius nunquam admissa multitudine declamauit: nec illi ambitio in studio defuit. Primus enim omnium Romanorum aduocatis hominibus scripta sua recitauit. Et inde est, quòd Labienus homo mentis quàm linguae amarioris dicit: Ille triumphalis senex ἀκροάσεις suas nunquam populo commisit. Siue quia parum in illis habuerit fiduciae, siue (quod magis crediderim) tantus orator inferius id opus ingenio suo duxerit. exerceri quidem illo volebat, gloriari fastidiebat. Audiui autem illum & viridem, & postea iam senem cum Marcello Esernino nepote suo, quasi praeciperet. Audiebat illum dicentem: & primum quidem disputabat de illa parte quam Marcellus dixerat: praetermissa ostendebat, tacita leuiter implebat, vitiosa coarguebat. Deinde dicebat partem contrariam. Floridior erat aliquanto in declamando, quàm in agendo. Illud strictum eius & asperum, & nimis ratum in dicendo iudiciũ, adeo cessabat, vt in multis illi venia opus esset, quae ab ipso vix impetrabatur. Marcellus, quamuis puer, iam tantae indolis erat, vt Pollio ad illum pertinere successionem eloquentiae suae crederet, cum filium Asinium Gallum relinqueret maguum oratorem: nisi illum (quod semper euenit) magnitudo patris non produceret, sed obrueret. Memini intra quartum diem quàm Herium filium amiserat, declamare eum nobis: sed tanto vehementius, quã vnquam: vt appareret, hominis naturam contumacem cum fortuna sua rixari. [b] Nec quidquam ex ordine vitae solito remisit. [c] Itaque cum mortuo in Lycia Caio Caesare per codicillos questus esset diuus Augustus, vt erat mos illi clementissimo viro, non ciuiliter tantum, sed etiam familiariter, quòd in tam magno & recenti luctu suo homo carissimus sibi, pleno conuiuio coenasset, rescripsit Pollio: Eo die coenaui, quo Herium filium amisi. Quis exigeret maiorem ab amico dolorem, quàm a patre? O magnos viros, qui fortunae succumbere nesciunt, & aduersas res suae virtutis experimenta faciunt. Declamauit Pollio Asinius intra quartum diem, quàm filium amiserat. Praeconium illud ingentis animi fuit, malis suis insultantis. At contra Haterium scio tam imbecillo animo [d] mortes filiorum tulisse, vt non tantum recenti dolori cederet, sed veteris quoque & obliterati memoriam sustinere non posset. Memini cum diceret controuersiam de illo, qui a sepulcris trium filiorum abstractus iniuriarum agit, mediam dictionem fletu eius interrumpi: deinde tanto maiore impetu dixit, tanto miserabilius, vt appareret, quàm magna interim pars esset ingenij, dolor. Declamabat Haterius admisso populo ex tempore: solus omnium Romanorum, quos meo tempore cognoui, in Latinam linguam transtulit Graecam facilitatem. Tanta illi erat velocitas orationis, vt vitium fieret. Itaque diuus Augustus optime dixit: [e] Haterius noster sufflaminandus est. [f] Adeo non currere, sed decurrere videbatur: nec verborum tantum illi copia, sed etiam rerum erat: quotiens velles eandem rem, & quamdiu velles, diceret. Aliis totiens figuris, aliis tractationibus. Ita vt nec regi posset, nec consumi. Regi autem ab seipso non poterat: alioquin libertum habebat, cui pareret, & sic ibat, quomodo ille aut concitauerat eum, aut refraenauerat. [g] Iubebat eum transire, cum aliquandiu locum dixerat: transibat. insistere iubebat: eodem loco permanebat. iubebat epilogum dicere: dicebat. Habebat in sua potestate ingenium, in aliena modum. Diuidere controuersiam, putabat ad rem pertinere, si illum interrogares: non putabat, si audires. Is illi erat ordo, quem impetus dederat. Ac non dirigebat se ad declamatoriam legem, nec verba custodiebat. Quaedam enim scholae iam quasi obsoleta refugiũt: nec si qua sordidiora sunt, aut ex quotidiano vsu

repetita,

repetita, possunt pati. Ille in hoc scholasticis morem gerebat, ne verbis calcatis & obsoletis vt eretur. Sed quaedam antiqua, & a Cicerone dicta, a ceteris deinde deserta dicebat, quae nec ille quidem orationis citatissimae cursus poterat abscondere. Adeo quicquid insolitum est, etiam in turba notabile est. Hoc exempto, nemo erat scholasticis nec aptio r, nec sublimior: sed dum nihil vult, nisi culte, nisi splendide dicere, saepe incidebat in ea, quae derisum effugere non possent. Memini illum (cum libertinum reum defenderet, cui obiiciebatur, quòd patroni concubinus fuisset) dixisse: Impudicitia in ingenuo crimen est, in seruo necessitas, in liberto officium. Res in iocos abiit: non facis mihi officium, [h] & multum ille & hic in officiis versatur: ex eo impudici & obscoeni, aliquamdiu officiosi vocitati sunt. Memini & illam contradictionem sic ab illo positam, magnam materiam Pollionis Asinij, & tunc Cassij Seueri iocis praebuisse. At, inquit, inter pueriles condiscipulorum sinus lasciua manu obscoena lusisti, & pleraque huius generis illi obiiciebantur. Multa erant quae reprehenderes, multa qnae suspiceres, cum torrentis modo magnus quidem, sed turbidus flueret. Redimebat tamen vitia virtutibus: &[i] plus habebat quod laudares, quàm quod ignosceres: sicuti in ea, in qua fleuit declamatione.

Pater a sepulcro a luxurioso raptus. CONTROVERSIA I.

THEMA. *Quidam amissis tribus liberis, cum assideret sepulcro, a luxurioso adolescente in vicinos hortos deductus est, & detonsus.* [a] *Coactus conuiuio interesse, mutata veste, dimissus iniuriarum agit.*

PRO PATRE. Nunquam lachrimae opprimuntur imperio, sed etiam irritantur. Nulla flendi maior est causa, quàm flere non posse.[b] Rapuit me qualem in cõuiuio puderet venire, dimisit qualem ad sepulcrum redire puderet. Credo mirari aliquem, quòd in forum amissis modo liberis, veniam. At ego iam in conuiuio fui. Quousque, inquit, flebis? Est quaedam in ipsis malis miserorum voluptas, & omnis aduersa fortuna habet in querelis leuamẽtum. Ibi me flere prohibes, vbi crudeliter ipse nõ fleres. Cum miserrimum sit flere, quàm infelix sum, cui ne hoc quidem licet. Vidi ebriorum sitim, & vomentium famem. Quis est iste, qui supra flentem patrem censuram lugendi postulat? Proiectus in omnia gulae libidinisque flagitia, omnibus denotandus censoribus, saeculo praecepta componit.[c] Scit quantum super amissos tres liberos patri flendum sit: quem, si viueret pater, fleret. Senex, orbus, infelix, hoc tantum inter miserias solatium capio, quòd miserior esse non possum. Cineres meorum in sepulchro video. Magnum solatium est, appellare saepius nomina liberorum, non responsura. [d] Hic mihi viuendum est: ne cui de nuptiis vel de liberis cogitanti dirum omen occurram: cogit flere, qui non finit. [e] In illo conuiuio morari, etiam felicis patris esset iniuria.

PARS ALTERA. Questus fui pridem de inhumanitate eorum, qui illum propinquitate contingerent.[f] Nemo amicus, nemo, inquam, propinquus est? Sed melius, vt video, illius rabiem nouerant.[g] Festo die sodales, amicique mecum: quorum vnus, Quid hunc miserum sie perire patimur? Nemo sibiipsi finem flendi fecit. Pudet illos desinere: cogi volunt. [h] Consolaret te diutius, nisi iam & accusare posses.

Metellus caecatus. CONTROVERSIA II.

LEX. SACERDOS INTEGER SIT. Thema. *Metellus pontifex cum arderet Vestae templum, dum Palladium rapit, oculos perdit. Sacerdotium illi negatur.*

PRO METELLO. Vesta mater, fortasse nullum sacerdotem haberes, nisi Metellum habuisses. Sacrorum causam ago, non Metelli. Plus eorum interest, ne Metellum sacerdotem: quàm Metelli, ne sacerdotium perdat. Non erat tantus Metellus, cum illi sacerdotium dedimus. Ciuitas sollicita pendebat. Duo periclitabantur, quibus nihil populus habebat pretiosius, sacra & Metellus. O faciendum sacerdotem, nisi esset. Lex integrum ad animum refert, non ad corpus. Lex aestimari hoc voluit, tunc cum quis peteret, non cum haberet sacerdotium. Habes Vesta duplex pontificis tui meritum: [a] seruanit sacra, nec vidit.

EXTRA controuersiam [b] Pollio: Ante hoc, si caecus factus esset, non abstulisset. Si postea caecus factus est, vidit.

PARS ALTERA. Sacerdos non integri corpotis, qnasi mali ominis tes vitãda est. Hoc in victimis notatur, quanto magis in sacerdotibus? Post sacerdotiũ magis obseruanda est debilitas. Non enim sine ira deorum debilitatur sacerdos. Apparet non esse propitios deos sacerdoti, quem ne seruati quidem seruant.

Color. Hunc colorem *Gallio* non probabat, summo cum honore Metelli, asserens contra Metellum agendum ita, vt togetur cum iudicibus officio pontificum & ipse consulere.

Patre exule filia rapta. CONTROVERSIA IIII.

LEX. IMPRVDENTIS CAEDIS DAMNATVS QVINQVENNIO EXVLET. Altera. RAPTA RAPTORIS AVT MORTEM, AVT INDOTATAS NVPTIAS OPTET. Thema. *Cum quidam haberet filiam & filium, imprudentis caedis damnatus, in exilium abiit. Filia eius rapta est. Raptor ad patrem puellae se contulit. Impetrauit ab illo, vt iuberet filiam nuptias optare: & epistolam daret ad filium. Fratre auctore, mortem optauit puella. Pater redit: abdicat filium.*

CONTRA FILIVM. Quomodo me excusabo Reip. cui duos abstuli? Neutrũ mea culpa. In altero me fortuna decepit, in altero filius. Filia etiam fratri paruit: filius nec patri. [a]Per humanos, inquit, errores. Agnoui preces meas. Potes, inquit, omnibus ostendere quàm non possis hominem occidere. Scio me ciuem debere Reipublicae. hoc intererit tamen, [b]quòd imprudentes occidimus: prudentes seruauimus. Aliquem in exilio infra fortunam meam vidi.

PARS ALTERA. Irrupit contumeliose, tanquam in exulis domum. Peruenit ad patrem, [c]non pepercit eius pudori. At ego querebar, quòd absenti fecit iniuriam. Non possum ob hoc abdicari, quod lege factum est. Non potuisti pater de iniuria iudicare, quam non noueras. Multa nobis extorquẽtur, quae nolumus scribere: [d]& tu in ea fortuna eras, in qua posses iniuriam accipere: & ille is erat, qui etiam in patria posset iniuriam facere. Quia sciebat malam causam suam, [e]egit apud illum, qui eam non nouerat. Rediit superbus, iubebat, & nos optare nuptias cogebat. Videbatur sic & illic coegisse. Aliquid tamẽ epistolis cõsecutus est. nemo vnquam tardius periit. Collegit ingentem numerũ perditorum, expugnauit domum, vexauit puellam. Hoc tibi raptor non narrauerat.

COLOR. *Latro* aiebat, semper inuisum esse, qui reum alium pro se subiiceret. Non oportere hoc deriuari factum, in sororis voluntatem. Qui defendit, inquit, crimen, auditur tanquam reus: qui transfert, tanquam accusator. Malo autem loco est, qui habet rei fortunam, accusatoris inuidiam. *Asinius Pollio* dicebat, colorem in narratione ostendendum, in argumentis exsequendum. Non prudenter eos facere, qui in narratione omnia instrumenta coloris consumerent. Nam & plus eos ponere, quàm narratio desiderasset, & minus quàm probatio.

Armis sepulcri victor. CONTROVERSIA IIII.

LEX. SEPVLCRI VIOLATI SIT ACTIO. Thema. *Bellum cum esset in quadam ciuitate, vir fortis in acie amissis armis, de sepulcro viri fortis arma sustulit. Fortiter pugnauit & reposuit. Praemio accepto accusatur sepulcri violati.* c. n.

PRO VIRO FORTI. Arma vix contigeram. secuta sunt. Haec si sumo, arma sunt: si relinquo, spolia. [a]Vidisses vere violati sepulcrum, si illo venisset hostis. Vterque quod alteri deerat, commodauimus. Ille viro arma, ego armis virum. Resp. multum cõsecuta est. vir fortis nihil perdidit. Necessitas est, quae nauigia iactu exonerat. necessitas est, quae ruinis incendia opprimit. necessitas est lex temporis. Quicquam non fit legitime pro legibus? Melius cum ipso sepulcro actum est, [b]in quo notiora sunt arma iterum victricia. Pro Republica plerunque templa nudantur, & in vsum stipendij dona conflamus.

PARS ALTERA. Reum habemus, in proelio inertem, in fuga audacem, turpem non minus patrocinio, quàm crimine. Arma sua perdidit. Hoc excusare non poterat, nisi rapuisset aliena. [c]Rapuit aliena. Hoc excusari non poterat, nisi & sua perdidisset. Arma victricia, arma consecrata diis Manibus, arma quae te quoque fecerunt virum fortem. Reposui, inquit, arma. Gloriatur, quòd non & illa perdiderit. Non teneor lege, quia reposui. Tam tenens hercle, quàm qui vulnerauit aliquem, licet vulnus sanauerit; quàm qui surripuit aliquid, licet deprehensus reddiderit. Non est hoc illi crimen propter virtutem donandum. iam gratiam virtuti retulimus, praemium consecuta est. Aequos nos esse conuenit. vnum virum fortem honorauimus, alterum vindicemus.

Priuignus medicus. CONTROVERSIA V.

THEMA. *Abdicauit quidam filium. Abdicatus medicinae studuit. Cum pater aegrotaret, & medici negarent posse sanari, sanauit.*[a] *Reductus est patri. Aegrotare nouerca coepit. Desperauerunt medici. Rogat pater filium, vt curet nouercam. Nolentem abdicat.*

PRO FILIO MEDICO. Quo pacto istud euenit,[b] vt abdicatione mea pater aegrotaret, reditu nouerca? Pietati cessere morbi. Medicinam relinquo, multum laboris, multũ vigiliarum. adiice huc, quòd qui sanantur, ingrati sunt: & medicus possum decipi, & non possum priuignus excusari. Eundem, inquit, medici morbum esse dicunt: nempe illi, qui negauerunt te posse sanari.[c] Ego vero cedo domo, si fateris illam sic posse sanari. Timeo fortunam. imputabitur mihi, si quid acciderit. Ecce tu me non posse non credis. Omnes medici negant: & nunc diligentiores fuerũt, quia in te decepti sunt. Non sum tantae scientiae, quãtae videor.[d] Magnis praeceptoribus opus est. Ego abdicatus studui. Quaeris quomodo te sanauerim? non tibi medicus, sed filius profuit. Desiderio laborabas. gratum tibi erat, quicquid meis manibus acceperas. vt primum intraui, recreatus es. quid in te curandum esset, aduerti. Haec non eodem morbo laborat. Multa sunt dissimilia, sexus, aetas, animus. Nihil magis aegris prodest, quàm ab eo curari, a quo volunt. Temerariis remediis graues morbi curantur, quibus vti non audeo in nouerca.

NON oportet adolescentem quicquam nouercae succensere. alioquin odit & gaudet. Ferendus est adolescens, si se excusat: non est, si vlciscitur.

PARS ALTERA. Lugendum est, flendum est, in hoc me conseruasti? Hostis aliquando vulnus sanauit quod fecerat, ob hoc maxime, quia alius sanare non poterat. Negãt posse sanari. Nemo suscipit: nemo vult enim filio curationem praeripere.

Pollio dicebat, inter patres & filios id solum iudex putat licere, quod oportet.

Indiscreti filius & priuignus. CONTROVERSIA VI.

THEMA. *Quidam mortua vxore quae in partu perierat, duxit aliam: puerũ rus misit. Ex illa subinde sustulit filiũ. Vtrũque puerum ruri educauit. Post longum tempus redierunt similes. Quaerenti matri vter eius esset, non indicat. Accusatur ab ea malae tractationis.*

PRO MARITO. Quid fletis pueri? securi estote. Non memini. Iam lites sunt, & nondum indicaui.[a] Qualis eris nouerca, quae sic fieri cupis? Alter tuus est: alter tui frater est: & si per te licuerit, neuter priuignus est. Dum alterius vis esse mater, vtriusq; es nouerca. Si coegeris, mentiar. non mater, sed nouerca decipieris. Hos ipsa noluit natura distingui. Indicarem, nisi tam pertinaciter quaereres. Hic tuus est. quid alterum nouercalibus oculis intueris? Ille tuus est. Vni tibi contigit, vt habeas priuignum, & non sis nouerca.

PARS ALTERA. Filius enim rus ablegatus a patre, & educatus est, sic, vt ignotus esse posset & matri. Tibi rediit vterque filius, huic vterq; priuignus. Eo crudelius filio caret, quo propius accessit. Times huius iniquitatem:[b] cum iniquius ipse magis ames eum, cui alterius vis donare matrem, quàm cui non vis reddere suam.

EXTRA. Quod ad colorem pertinet viri. *Hispo Romanus*, & *Silo Pompeius* hoc vsi sunt: Nescio, & ideo non indico tibi. Quidam miscuerunt etiam, & vtroque vsi, dixerunt: Nescio, sed etiamsi scirem, non indicarem tibi: quod *Latro* & *Cestius*. Sed *Asinius Pollio* neutrum colorem probabat. Si dicit, inquit, Nescio: nulli fidem facit. Vxor ipsa non quaereret ab illo, nisi ille scire posset.[c] Dici enim contra virum potest: Quaere a nutrice, a paedagogo. Verisimile non est, neminem domi esse qui sciat. Ille autem mixtus color vtrunque corrumpit, & ignorantis fidem, & non indicantis fiduciam. Nam cum dicit, Etiam si scirem, non indicarem: efficit vt illum iudex scire putet. cum dicit, Nescio: efficit vt videatur indicare debere, si sciat. Hoc autem ipse colore vsus est,[d] quem aiebat simplicissimum: Scio, sed non indico: quia pueris hoc vtile est, & tuo filio.[e] Magis amaturus sum eum, qui matrem videbitur non habere.

Tyrannicida, & adulter tyranni. CONTROVERSIA VII.

LEX. TYRANNICIDAE PRAEMIVM DETVR. Thema.[a] *In adulterio deprehensus a tyranno, gladium extorsit a tyranno, & occidit eum. Petit praemium. Contradicitur.*

CONTRA TYRANNICIDAM. Non fecisset tyrãnicidium, nisi illum tyrannus armasset. Cuius adulter non fuit, qui etiam tyranni fuit?[b] Imputat nobis, quòd deprehensus in ad-

ulterio mori noluit.Tyrannicida vester iure occidi potuit a tyrāno.[c] Certamen in pari condicione contractū publica fortuna distraxit.Non innocentior vicit,sed fortior.Tulit secum tyrannus gladium. sic enim occisuri veniunt.Cur solus ad praemium venis?tyrannum certe occidisti cum adultera. Nō loricam,clypeumve sumpsit,sed tenuem ac perlucidam vestem: perfusus vnguento intrauit cubiculum,in quo non esse tyrānum diligenter agnouerat.Tyrannicida noster ne tyrannum inueniret,optauit. Ducat tyrannicidam in arcem tyrannus, non vxor:odium,non amor:ascensurus ferat animum,ferat ferrum:eat illò,vbi inueniat tyrannum.Omnia honesta opera volūtas incohat, occasio perficit.Saepe honorata virtus est, etiam vbi eam fefellit exitus.Scelera quoque quamuis citra exitum subsederūt, puniuntur. Nec infelix virtus amittit gloriae titulum: nec gloriam virtutis intercipit fortuita felicitas. Nunquam maiorum nostrorum prudentia tantis muneribus tyrānicidium emeret,[d] si illud etiam libido promitteret.Nouo inauditoque more pugnabant,[e] tyrannicida pro adulterio, tyrannus pro pudicitia.Occidisti tu maritum,fortuna tyrannum.Tyrannum cadere Reipublicae volo.Occidat illum ciuis iratus,misceat maledicta vulneribus,[f] qualia in adulterum maritus attulerat.[g] Ab adulterae osculis ad praemium curris.Nolo tyrannicida imitetur,antequam occidat,tyrannum.Pop.Romanus veneno vinci hostem noluit, proditione noluit. Honorabo subitum tyrannicidium:non honorabo fortuitum,non coactum.

Pars altera.Non habebas,inquit,ferrū.Quid enim tyranno profuit quod habuit? [h] In eo qui inermis ad tyrānum venit,non minor virtus est,sed periculum maius.Non quaeras quid in arcem tulerim : tyrannicidium retuli. Non est gladius meus : sed manus mea est, sed animus meus est, sed consilium, sed periculum, sed tyrannicidium meum. Adulterium vocas,quo effectum est, ne quis timeat adulterium? Diligenter arce munita occasionem requirens,tentaui seruos,tentaui amicos:per vxorem solam fulsit occasio.Non putaui adulterium,vxorem tyranni polluere:sicut nec homicidium,tyrānum occidere. Ferrum in arcem ferre,periculosum erat : inuenire,facile.Si tyrannum,inquam, inuenero obuium,quaelibet res telum erit.certe semper solet secum tyrannus habere ferrum.Gladius inter duos, fortioris est.Quàm solicitus fui adulter,ne non deprehenderer.

Patronus operas remissas repetens. Controversia VIII.

Lex.Per vim metvmve gesta, irrita svnto. Thema. *Bello ciuili patronus victus & proscriptus,ad libertum confugit.Receptus est ab eo,& rogatus,*[a] *vt operas remitteret.Remisit.*[b] *Consignatio facta est.Restitutus indicit operas.Contradicitur.*

Pro patrono.Patronus a liberto restitutionem peto.[c] Si pacisci tunc a me voluisses operas,spopondissem.Bona bello perdidi,ad restitutionē nudus veni.Nūc libertorum operas desidero.[d] Profer tabulas illa proscriptionis tabula crudeliores. Persequebatur illa,quos vicerat : hae persecutae sunt, quos receperant. In illa vltio fuit, in his perfidia. Denique illa iam desiit,hae perseuerant.Non mea,inquit,sed aliena vis fuit. Aeque dignus est poena,qui ipse vim adhibet,vt qui ab alio admota,ad lucrum suum vtitur. In hunc primum incidi.[e] Et dum timeo ne offenderem, secutus sum hoc exigentem. Non recepit me, sed inclusit. Nihil est venali misericordia turpius.

Pars altera.Nihil tibi opus est potestas.Scisti illū parere,[f] etiā cum cogi nō potest. Quaslibet indicas operas,nunquam tamen indices ita periculosas, quàm indixisti. Habeo iudicia tua.Bene de seruo iudicasti, manumisisti. bene de liberto.[g] Proscriptus mihi potissimum te commisisti.Si noluissem patronum habere, potui. Vnus ex proscriptis fuisti, [h] qui tunc posses etiam rogari. Restitutio tibi proscriptionem remisit, non quicquid in proscriptione gessisti,rescidit.

Extra. Omnes inuecti sunt in libertum.*Varius Geminus*,& *Otho Iunius*,[i] egerunt lenios, vt patronus remissurus videretur operas, si obtinuisset. Nam Otho dixit : Sine me iudicio meo [k] videri remisisse.Faciam remittam. Quid me sic times, tanquam inuitus promiserim? Contra *Cestius* ait:[l] Tūc huiusmodi vtendum esse coloribus,vbi verendum est,ne videamur rem duram postulare.Vbi contra honestam personam, promisso iudex molliore fallendus est.Quid in hac persona veremur & causa?nisi hoc vnum,[m] quod ex hoc colore metuēdum est:ne si volumus haec remittere,etiam voluisse videamur.

M. AN-

M. ANNAEI SENECAE CONTROVERSIARVM LIBER QVINTVS.

* *Epiſtola deeſt.* *

Laqueus inciſus. CONTROVERSIA I.

CTIO.[a] INSCRIPTI MALEFICII SIT ACTIO. Thema. *Quidam naufragio facto, amiſsis tribus liberis, & vxore, incẽdio domus, ſuſpendit ſe. Praecidit illi quidam ex praetereuntibus laqueum.*[b] *A liberato reus fit maleficij.*

PRO INCIDENTE LAQVEVM. Tres, inquit, liberos perdidi. Vtinam & illos ſeruare potuiſſem. Viue. mutantur vices felicitatis humanae: proſcriptus aliquando proſcripſit. Victi fugiunt, proſcripti latent, natant naufragi. Amiſi, inquit, vxorem, liberos, patrimonium. Tu putabas ea te condicione accepiſſe, ne perderes?[c] Ludit de ſuis fortuna muneribus, & quae dedit, aufert, & quae abſtulit, reddit: nec vnquam tutius eſt illam experiri, quàm cum locum iniuriae non habet. Cn. Pompeius[d] in Pharſalia victus acie, vixit.[e] Maius tu tuum putas eſſe naufragium?[f] Craſſus vixit: & non priuatas perdiderat, ſed publicas opes. Omnia tibi fortuna abſtulit, ſed ſpem reliquit. Tolle ſpem hominibus, nemo victus retentabit arma.[g] nemo infeliciter expertus negotiationem, alios appetet quaeſtus. nemo naufragus viuet. Spes eſt vltimum aduerſarum rerum ſolatium. Vt viueres, nataſti. Miſertus ſum: nec in te amplius quàm periculum cogitaui. Non attendi incendium, non orbitatem. aut ſi attendi, memineram te poſt illa vixiſſe. Non viſus es mihi animum moriẽdi habere. Legeras locum, in quo interpellari poſſes.

PARS ALTERA. Tot ille fundorum dominus, aliena arbore ſuſpendo laqueum. De fortuna nihil queror: mori permittit. Nũc, inquit, morere. Iniuria eſt, vt qui meo arbitrio debui, tuo moriar. Amiſi vxorem, liberos, patrimonium. Fortuna mihi nihil praeter laqueum reliquit: iſte nec laqueum. Sumpſi inſtrumenta mortis, ſolitudinem & laqueum: alterum aptum morituro, alterum miſero. Quiſquis interueneris, ſi amicus es, defle: ſi inimicus, ſpecta. Cum a me iſte accuſetur, grauiorem de me quàm de reo ferte ſententiam.[h] Ego, vt moriar: iſte, vt ne prohibeat.[i] Ne haec narrarem, mori volui.[k] Praecidit remediũ meum. ſi qua fides eſt, non enataui, ſed eiectus ſum. Nihil iam timebam, niſi viuere. Domus meae fata claudo, nullo miſerior, quàm quòd vltimus morior.[l] Cui me vita reſeruas? Vt aedificem? Aſpice incendium. Vt nauigem? Aſpice naufragium. Vt educem? Aſpice ſepulchrum. In tam calamitoſa domo feliciores fuiſtis, vxor & liberi. vobis mori contigit.

Gener diuitis inimici. CONTROVERSIA II.

THEMA. *Pauper cum haberet filium, & diuitem inimicum filiam habentem, peregre profectus eſt.*[a] *Rumor fuit de morte eius. Filius cum diuite in gratiam rediit, & eius filiam duxit. Reuerſus pater cogit illum vxorem repudiare. Nolentem abdicat.*

PRO PATRE PAVPERE. Nemo quicquam facile credit, quo credito dolẽdum ſit. ego diu non credidi de nuptiis tuis. Deſertor patris, inimici cliens, vxoris mancipium, non fleuiſti patrem, nõ quaeſiuiſti, ſic inimico placuiſti. Rumor, inquit, fuerat, deceſſiſſe te. Mirabar, ſi talem vxorem[b] viuo patre habere potuiſſes.[c] Non quaeris, vbi perierim. Mors mea tibi debet eſſe ſuſpecta: inimicum habeo. Quis alius hanc famam potuit immittere, niſi qui me viuo, filiam collocare non poterat? Non times,[d] ne inter ipſas nuptias tuas patris oſſa referantur? Tot ſerui ſequuntur, tot liberi, tot clientes, vt quicquid dixerit, rumor ſit.[e] Fabricius aurum a Pyrrho accipere noluit. beatior iſte fuit animo, quàm ille regno. Plures inſidias in itinere fugi: & factum diues, quod faciendum mandauerat, credidit.

PARS ALTERA. Vanum gloriae genus, odium diuitiarum. Mortales eſſe inimicitiae debent. Scipio Gracchi inimicus, & tamẽ poſtea ſocer. Cuius vitio inimicitiae cõtractae ſint, apparet. Ille amat filium tuum, tu nec tuum.

Senianus rem ſtultiſſimam dixit: Diues me ſemper contempſit, nunquam niſi pro mor-

tuo habuit. [c]Vt aliquid & ipſe ſimile de Seniano dicam, poſt hanc ſententiam Senianum ſemper pro mortuo habui.

Fratres pancratiaſtae. CONTROVERSIA III.

ACTIO. [a]MALAE TRACTATIONIS SIT ACTIO. Thema. *Duos filios quidam pancratiaſtas inſtituit,[b] ad Olympia eduxit. Cum compoſiti eſſent, vt ſimul pugnarẽt, acceßit ad pugnantes pater, & ait abdicaturum ſe, ſi quis perdiderit. Commortui ſunt iuuenes, & decreti ſunt his honores diuini. Reus fit pater malae tractationis ab vxore.*

CONTRA PATREM. Tertius ſine ſorte pugnaſti, & vtrumque viciſti. Stetit cruentus pater. Iam perierant, & adhuc minabatur. Moriuntur, non alter ab altero, ſed vterque a patre. Miſera mater, odiſſe non poteſt, qui filium ſuum occidit. Iuuenes inuicti, niſi habuiſſent patrem. Pij iuuenes, nec parricidium patri negare potuiſtis. Vincere propter parricidium nolunt, vinci propter abdicationem. Abdico, inquit, eum qui victus erit. Demens meliorem abdicaturus es. Inuoco Iouem, cuius Olympia parricidiis abſoluta ſunt.

PARS ALTERA. Non facturus dixi: etſi facturus, pro gloria eorum dixi. Non debeo in inuidia ſolus eſſe, cum luctus communis ſit. Omnes aiebant colluſuros fratres. Minatus ſum, non vt neceſſitatem filiis imponerem, ſed vt populo ſatisfacerem.

Damnatus parricidy alligans fratrem. CONTROVERSIA IIII.

LEX. QVI FALSVM TESTIMONIVM DIXERIT, VINCIATVR APVD EVM, IN QVEM DIXIT. Thema. *E duobus filiis profectus cum vno pater, adoleſcens ſolus rediit.[a] Accuſatus eſt a fratre parricidij, & damnatus. Diebus feſtis intercedentibus poena ex lege dilata eſt. Rediit pater. Accuſauit damnatus fratrem falſi teſtimonij, & obtinuit, & vinxit. Cogit pater vt vinctum ſoluat. Nolentem abdicat.* C.D.

PRO PATRE. Falſum, inquit, in fratrem teſtimonium dixit. [b] Si vis graue illius crimen facere, te exorabilem praeſta. Crudelis in fratrem, miraris, ſi in te creditum parricidium eſt? Ergo ego duos filios habere non poſſum? Adoleſcens, iam potes & parricidiũ facere. Alligatus eſt alter filius, quia non reuertebar: alter, quia redii. Nunquam ſolues fratrem? Si talis es, nihil teſtis mentitus eſt. Parricida es. Non impio in te, ſed in patrem pio animo dixit. Suſpectum habuit, quòd reliqueras patrem. Inter catenas filij iaceo, eodem clauſus ergaſtulo. Ingrate, teſtem tuum ſimul alligaſti.

PARS ALTERA. Meo periculo ſolutus ſum, meo alligatus. Vix ſolui poterat, ſi teſtimonium falſum pro fratre dixiſſet. Parricidium de patre finxit, de fratre commiſit. Veniſſe patrem mihi carnifex nuntiauit. Parricida ſim, ſicut obiicitur, hoc leuiter iraſcor. Miraris, ſi eum fratrem alligare poſſum, qui me potuit occidere? Ingrata erat ipſa poenae meae dilatio. Expectare grauius videbatur quàm pati. Imaginabar mihi culeum, ſerpentes, profundum.

Exuſta domus cum arbore. CONTROVERSIA V.

LEX. QVI SCIENS DAMNVM DEDERIT, REDDAT QVADRVPLVM: QVI INSCIENS, SIMPLVM. Thema. *Diues pauperem vicinum rogauit,[a] vt ſibi venderet arborem, quam ſibi dicebat obſtare. Pauper negauit. Diues incendit platanum, cum qua & domus arſit. Pro arbore pollicetur quadruplum, pro domo ſimplum.*

CONTRA DIVITEM. Excitatus flammarum ſono,[b] vicinorum primo fidem implorαui. Arbor ramis diſcurrentibus totam domum texerat. Non poteſt exorari? incendatur. Eſt hoc impotentiae, ſine fine concupiſcere, ſine modo iraſci. Non poteſt expugnari precibus: expugnetur ignibus. Nihil inter me & pauperem intereſt, ſi iure agamus. Liceat & pauperem gaudere proſpectu. Vos poſſidetis agros, vrbium fines, vrbesque domibus impletis. Intra aedificia veſtra vndas & nemora cõprehenditis. [c]Nihil laetius oculis tuis occurrit, quàm ruinae meae. Domum perdidi, qui carere nec arbuſcula quidem poteram. Deliciis tuis diues ardebimus. Oculis voluptas incendio quaeritur, & proſpectus ignibus relaxatur. Proſpectui obſtabat. Quid? inambulantibus nobis non obſtant ſeruorum cateruae? in immenſam excitati altitudinem parietes lucem non impediunt? Infinitis porrectae ſpatiis ambulationes, & vrbium ſolo aedificatae domus, non nos prope a publico excludunt? Sub hac arbuſcula imaginabar diuitum ſiluas. Quantum perdidi, quem fatetur iratus inimicus plus perdidiſſe quàm voluit? Non iniquum poſtulo. eius damno deſinat incendium, cuius conſilio coepit.

pit.[d] Scilicet vt domus ad coelum omne cõuersae, brumales aestus habeant, aestiua frigora, [e] & non suis vicibus intra istorum penates agatur annus: alunt in summis culminibus mentita nemora, & nauigabilium piscinarum freta. arata quondam populis rura, singulorum nunc ergastulorum sunt: latiusque nunc villici quàm reges imperant. Maria submouentur proiectis molibus. Nesciebas quanta sit potentia ignium, quàm irreuocabilis,[f] quemadmodum totas absumat vrbes, quàm leuibus initiis oriantur incẽdia? Etiam si partem damni dare noluisti, si tamen noluisti, in totum quasi prudens dederis, tenendus es. ex toto enim noluisse debet, qui imprudentia defenditur.[g] Si fatereris scienter ianuam incendisse, si vnum tignum, puto tota domus intelligeretur ex parte. nec enim quisquam omnia incendit, sed vnam aliquam rem, ex qua surgat in omnia se sparsurus ignis. Atqui pars domus est arbor, quae in domo est.

PARS ALTERA. Pestilentem mihi domum faciebat arbor. caelum omne per quod salubris spiritus venire posset, obduxerat. rogaui pauperem, & dixi: Nihil tibi nocet arbor recisa, mihi plurimum non recisa.[h] Quid ad te illi rami pertinẽt, qui extra domum sunt? Quasdam partes domus meae rami premebant.[i] Iam etiam quosdam parietes mouerant. Scitis quanta vis sit arborum? muros discutiunt.

Raptus in veste muliebri. CONTROVERSIA VI.

LEX. IMPVDICVS CONTIONE PROHIBEATVR. Thema. *Adolescens speciosus sponsionem fecit, muliebri veste se exiturum in publicum. Processit. Raptus est ab adolescentibus decem:[a] accusauit illos de vi & damno. Contione prohibitus a magistratu, reum facit magistratum iniuriae.*

CONTRA ADOLESCENTEM. Muliebrẽ vestem sumpsit, capillos in feminae habitum composuit, oculos puellari lenocinio circumdedit, colorauit genas. Non creditis? & qui non crediderant, victi sunt sponsione. Et hoc de sponsione forsitan venerat, vt auderet impudicus contionari.[b] Date illi vestem, puella est: date noctem, rapietur. Sic illum vestis sumpta decuit, vt videretur[c] non tunc primum vestem sumpsisse. Facta totius adolescentiae remitto. Vna nocte contentus sum:[d] sic imitatus est puellam, vt raptorem inueniret.[e] Nũquid cecini? Nunquid carmen famosum composui, aut (vt proprium genus iniuriae tuae dicam) nunquid te rapui? Apud patres nostros, qui forensia stipendia auspicabantur, nefas putabatur brachium extra togam exerere. Quàm longe ab his moribus aberant, qui tam verecunde etiam virtute vtebantur?[f] Constat hunc stupratum: cum damnati sint, qui rapuerunt.

PARS ALTERA. Constat semper grauem, semper serium fuisse. Sed hoc iocis adolescentium factum est. Ceterum tam nota erat verecundia eius, vt nemo sine sponsione crediderit.

Trecenti ab imperatore non recepti. CONTROVERSIA VII.

LEX. NOCTE PORTAS APERIRE IN BELLO NON LICEAT. Altera. IMPERATOR IN BELLO SVMMAM POTESTATEM HABEAT. Thema. *Trecenti ab hoste captiui ad portas nocte venerũt. Imperator non aperuit. Ante portas occisi sunt.[a] Imperator post victoriam reus est laesae reipublicae.*

PRO IMPERATORE. Non putaui meos. Nouerant legem. Cur, inquit, trecenti perierunt? immo cur ne perirent, capti sunt?[b] Hos ego interdiu nõ recepissem, nisi victores: noctu, ne victores quidem. Procedens postridie in proelium,[c] pugnaturis ostendi trecentos, in quibus laudari nihil potest praeter fugam: nihil desiderari, praeter numerum. Fugiunt, vt leges relinquant:[d] redeunt, vt tollant. Populus Romanus Cannensi proelio in summas redactus angustias, cum seruorum desideraret auxilia, captiuorum contempsit: & credidit eos libertatem magis tueri posse, qui nunquam habuissent, quàm qui perdidissent. Nocte quomodo hostem ciuemque distinguam? Quam mihi dabis notam, vt arma cognoscam? Credo in insidiis hostes fuisse, vt exclusos occiderent, sequerentur admissos.

PARS ALTERA.[e] Infestus illis trecentis fuit. iniquo eos collocauit loco. hoc ne argui posset, nõ recepit. Capti sunt fortissimi duces, Regulus, Crassus. Haec postremo rogantium vox erat:[f] Mitte arma, certe lex non vetat.

[a] *Tyrannus post abolitionem candidatus.* CONTROVERSIA VIII.

LEX. COMPETITORI LICEAT IN COMPETITOREM DICERE. Thema. *Tyrannus sub abolitione dominationem deposuit, vt si quis obiecisset tyrãnidem, capite puniretur. Petit magistratum: competitor contradicit.*

CONTRA TYRANNVM. Candidatus [b] anno meo spondeo, nulla rapietur, nullus occidetur, nullum spoliabitur templum. [c] Cur honores tamdiu non gesserit, narret, per communem deprecor libertatem. Moriar. obiicietur tibi quòd occideris ciuem. Vult aliquo imperio, aliqua potestate distingui, homo magnae nobilitatis, magnae gratiae, ingentis pecuniae. Siciliae dicitur fuisse dominus, qui inclusos aeneis tauris homines subiectis vrebat ignibus, vt mugitum ederẽt, verba non possent. O hominem in sua crudelitate fastidiosum: qui cum vellet torquere, tamen nolebat audire.

PARS ALTERA. Quicquid egi, quicquid gessi, causa Reipublicae feci. Peto ne mihi lex pro me lata noceat, neve quid noceat, quia non obiicitur quod non noceret obiectum.

M. ANNAEI SENECAE CONTROVERSIARVM LIBER SEXTVS.

Chirographum cum abdicato. CONTROVERSIA I.

THEMA. *Abdicato fratri, frater chirographum dedit, [a] dimidiam se partem hereditatis daturum, si non respondisset irato patri. Ille tacuit. Abdicatur alter a patre.*

PRO PATRE. Tantum aeris alieni habet, [b] quantum viuo patre non posset soluere. Vis scire cuius fidei sis? [c] nec frater quidem tibi sine chirographo credidit. [d] Alterius spe morior, alterius fide. Viuo: & iam patrimonium meum diuisum est. Nisi succurritis, vincit me & ille qui tacuit. non dissimulo me hodie duos abdicare. Chirographum prode parricidarum foedus, & nefariae spei pactum. [e] Chirographum danti impium, accipienti turpe, patri periculosum.

PARS ALTERA. In omnem me fortunam, frater, tibi iungam comitem. Si militandum, vna militabimus: si peregrinandum, vna vrbes peragrabimus: si quotidianam rogauero stipem, & illam tecum diuidam. [f] Nolui recentem iram exagitari patris. Malui, vt tacendo patrem vinceres. Meae partis heres ero, tuae custos. Et quia de re maxima melius sibi quisque credit, do chirographum: tu da operam, vt istud magis a patre accipere, quàm a fratre videaris. Hoc quod honeste, & quod pie gerebamus, tam palam egimus, vt pater sciret. [g] Quid enim timebam, nisi, si rescisset pater, moleste ferret filium suum, hominem auarum non esse, fratrem pium? [h] Ita mihi contingat patrem vtique nostrum placari.

Exul pater fundo prohibitus. CONTROVERSIA II.

LEX. [a] EXVLEM TECTO ET CIBO IVVARE NON LICEAT. Altera. IMPRVDENTIS CAEDIS DAMNATVS QVINQVENNIVM EXVLET. Thema. *Quidam cum filium & filiam haberet, imprudentis caedis damnatus, in exilium profectus est. Solebat venire in possessionem vicinam finibus. Rescinit hoc filius. Caecidit villicum. Villicus exclusit patrem. coepit ire ad filiam. Accusata illa, quòd exulem recepisset, aduocato fratre absoluta est. Post quinquennium pater abdicat filium.*

PRO PATRE. [b] Accusator, ciuium me fecit exulem: filius etiam meorum. Filiam honestiorem inueni, quòd accusata est: seruũ frugaliorẽ, quòd caesus est. Male meruisti de patre, quem exclusisti: de sorore, cui praeiudicio nocuisti: de iudicibus, quos in tam bona timuisti causa. Aut tu peccasti, aut soror. Filius me docuit, quòd illum non recipio. [c] Absoluta est, inquit, me aduocato, soror. Ita tu patrẽ non recipiebas, cum tam bene istam causam agere posses? cum absoluta sit quae receperat, damnatus est qui non expulerat? Filia me patrem indicauit: seruus dominum. Vni filio exul fui. Ignosce fidelissime seruulorum, & tibi imprudens nocui. Quàm bonã eius causam putas fuisse, quae ne te quidem aduocato damnata est. Si te

herede possum mori, dignus sum, qui etiam tibi hunc seruum relinquam.[d] Alij exul est, tibi pater est. Nulla lex scelus imperat. Certe quae fecit, absoluta est. Lex cum tenet, qui iuuat exulem, non qui patiatur iuuari. Ignora, dissimula: lex te innocentem esse, non curiosum iubet. Si mea causa faciebas, me admonuisses: seruum prohibuisses, non caecidisses.

PARS ALTERA. Facere lege prohibente non potui. Accusata & absoluta est: quia muliercula non videbatur nosse leges. Non pro me timui, sed pro te. Res in notitiam hominum venerat. Captabaris: timui, ne occidereris. Vis scire notum fuisse? Soror accusata est. Malui seruum caedere frugalissimum, quàm patrem optimum amittere.

Mater nothi, lecta pro parte. CONTROVERSIA III.

LEX. MAIOR FRATER DIVIDAT PATRIMONIVM, MINOR ELIGAT. Altera. LICEAT FILIVM EX ANCILLA TOLLERE. Thema. *Quidā cum haberet legitimum filium, alium ex ancilla sustulit, & decessit. Maior frater sic diuisit, vt totum patrimonium ex vna parte poneret, ex altera nothi matrem. Minor elegit matrem, & accusat fratrem circumscriptionis.*

PRO NOTHO. Vnus omnium exheredatus sum diuidēdo. Elegisset, inquit, alteram partem. Tu solus talis potuisti esse filius, qualis frater eras. Lex te diuidere, me eligere iussit. aperte, ne minor circumscribatur, timet. Sic diuisit,[a] vt si vellem, non esse mendicus, relinquerem fratrem in egestate, matrem in seruitute. Non est diuidere, ex altera parte patrimonium ponere, ex altera onus. Talis fuit, vt illi coheredem pater ex ancilla tolleret. Elige, vt aut patrimonio careas, aut scelere.[b] Circumscriptores dici solent, qui aliquid abstulerūt. iste nihil reliquit. Tu, inquit, voluisti pauper esse. Cur igitur queror, si egestate delector?[c] Obiici, inquit, non potest, quod lege factum est: immo nihil nisi quod lege factum est. Nam si quid aliter factum est, per se irritum est. circumscriptio semper crimen sub specie legis inuoluit. Quod apparet in illa, legitimū est: quod latet, insidiosum. Semper circumscriptio per ius ad iniuriam venit. Lex iubet maiorem diuidere, minorem eligere. nec tu diuisisti, nec ille elegit. Sic a te alligatus est, vt necesse haberet, quod non expediebat, malle. Nota fuit in matrem meam pietas. Non timuit, ne eligere possem alteram partem.

PARS ALTERA.[d] Ego nihil aliud quàm diuisi. Circumscriptio non in diuisione est, sed in electione. Habes matrem, quam quidam totis redemerunt bonis: habes gloriam,[e] quam per ignes quidam, multi per arma quaesierunt. Multa de patrimonio rapuit, cum haberet ius dominae ancillae impudentia. Timebas, ne in illam saeuirem. Non expediebat mihi, cum in illa totum patrimonium habiturus essem? Nunc tantundem habes;[f] habes enim partem quam voluisti.[g] vt tantundem haberes, nec pater voluerat. ideo matrem tuam ancillam reliquit.

Potio ex parte mortifera. CONTROVERSIA IIII.

ACTIO. VENEFICII SIT ACTIO. Thema. *Proscriptum vxor secuta est. Quodam tempore secreto poculum tenentem interrogauit, quid esset. Ille dixit, venenum: & mori se velle. Rogauit illa vt partem sibi daret: & dixit, se nolle sine illo viuere. Partem bibit ipse, & partem vxori dedit. Periit illa sola.[a] Testamento inuentus est maritus heres. restitutus arguitur veneficij.*

CONTRA MARITVM. Sic egit, vt deprehenderetur: sic deprehensus est, vt exoraretur: sic bibit, vt viueret.[b] Quod est illud venenū, quod tātum heredi non nocet?[c] Nemo vnquam tam palam vxori dedit venenum. Fugit, ne occideretur, qui dixit se mori cupere. Vnus proscriptione locupletior factus est. vt viuere vellet, vxor illi persuadere non potuit. persuasit res blandior, vxoris hereditas. Sciuit quam partem potionis hauriret. Contrarias partes gladio persecutus est, suas veneno: occidendi finem prius victores fecerunt, quàm victi. Iam quid putabatis futurum, cum in exilium vxor testamentum tulisset, maritus venenum? Vbi est vxor?[d] Ecquid te pudet? Etiam proscripti redeunt. Statim consumpta potione collapsa est. Nolite mirari, si tam efficax venenum est. heres est, qui dedit. Summis fere partibus leuis & innoxius humor suspenditur.[e] grauis illa & pestifera pars suo pondere subsidit. Apparet te diu praeparatum venenum habuisse. scisti diuidere. Etiam si potest defendi qui volēti dedit, tu potes, qui fecisti, vt vellet?[f] Id genus veneni fuit, quod pondere subsideret in imam potionem. Bibit iste vsque ad venenum, vxor venenum.

PARS ALTERA. Virum in pace dilexit, in bello secuta est, in consilio vltimo non reliquit.[g] O, inquit, dignum, quem innocēs sequatur. Bello ciuili lege proscriptus sum. Exulaui. Quid his malis adiici potest, nisi vt venenū bibam, & viuam? Venenū, inquā, est. Hoc qui da-

turi sunt, dissimulant. Venenum Cato vendidit. Quaerite, an proscripto licuerit emere, quod licuit Catoni vendere.

Iphicrates reus. CONTROVERSIA V.

LEX. QVI VIM IN IVDICIO FECERIT, CAPITE PVNIATVR. Thema. *Missus Iphicrates aduersus Thracum regem,* [a] *bis acie victus, foedus cum eo percußit, & filiam eius duxit vxorem. Cum Athenas redisset, & causam diceret,* [b] *visi sunt circa iudicium quidam Thracũ cultu armati, & ipse reus gladium strinxit. Cum iudices citarentur ad iudicandum, palam absolutorias tulerunt sententias. Accusatur,* [c] *quòd vim in iudicio fecerit.*

CONTRA IPHICRATEM. Nemo iudicum tuorum non timuit sic, tanquam tu de illis iudicaturus esses. Cum toto tibi regno socer venit aduocatus. Non maioribus copiis bellum instruxit, quàm iudicium. Iphicrate, conde gladium. Iudiciũ est. Quid tibi cum gladio? Certe bis victis arma ponẽda sunt. [d] Quae est ista contra rerum naturam permutatio, in bello nuptiae, in iudicio bellum?

PARS ALTERA. Ego vim non feci. Omnia enim legitime peracta sunt. Accusator suo loco dixit: reus suo respondit. perfectum per omnes numeros suos iudicium est. [e] Cum iudices sententias suas ferrent, strinxi gladium, vt occiderem me, si damnatus essem. Iudices tulerunt palam absolutorias, vt gratiam duci suo referrent. Nuptiarum causa, vtilitas Reipublicae fuit. Miles saepius pulsus erat infelici proelio. Barbaros circa iudicium fuisse, non propter iudicium armatos, sed propter morem suum. [f] Quid potestis, inquit, queri? Quòd obsides vobis abduxi?

Adultera venefica. CONTROVERSIA VI.

ACTIO. VENEFICII SIT ACTIO. Thema. *Quidam cum haberet vxorem, & ex ea filiam nubilem, indicauit vxori, cui eam collocaturus esset. Illa dixit: Celerius morietur, quàm illi nubat. Decessit puella ante diem nuptiarum, dubiis signis cruditatis & veneni. Torsit ancillam pater. dixit illa, se nihil scire de veneno, sed de adulterio dominae, & eius cui collocaturus erat filiam. Accusat vxorem veneficij & adulterij.*

CONTRA VXOREM. [a] *Morietur.* teneo veneficam. *celerius quàm nubat.* teneo adulteram. *Morietur.* factum est. *celerius quàm nubat.* factum est. Adulterium serius deprehendi quàm factum est, veneficium antequam fieret. Duo crimina ad vos detuli, & duas indices. altera dicit, quod factum est: altera, quod futurum est. Generi adultera, filiae pellex. Quàm infelix est domus, [b] in qua adulterium argumentũ est? Dixi, Honestus est: dixi, Pulcher est: dum laudo generum, commẽdaui adulterum. O me tardissimum in malis meis. [c] Veneficium nec denuntiatum quidem credidi: adulterum veneficio demũ deprehendi. Versae sunt in exequias nuptiae, mutatusque genialis lectus in funebrem. Subiectae sunt rogo infelices faces. profertur putre corpus, & venenis tumens. Quid vltra quaeritis? Verbis signa, signis tormenta conueniunt. Ad vocem tuam facta cõueniunt. *Morietur antequam nubat:* factum est. Vidimus fluens corpus, & in cadauere illius materna verba credidimus. Generum adulterio perdidi, vxorem parricidio, filiam veneno.

PARS ALTERA. Duo grauissima crimina obiicit, adulteriũ & veneficium. adulterium, ancilla teste: veneficium, nec ancilla quidem. Cum indignaretur se non rogatam, exciderunt illi verba, [d] quae non minus quàm pater filiam luget. At quare dixisti: *Celerius morietur, quàm illi nubat?* Verba dolori parum considerata exciderunt. Et est saepe fortuita diuinatio.

Demens qui filio cessit vxorem. CONTROVERSIA VII.

ACTIO. [a] DEMENTIAE SIT ACTIO. Thema. *Quidam habebat duos filios: duxit vxorem. Alter ex adolescentibus cum aegrotaret, & in vltimis esset, medici dixerũt animi vitium esse.* [b] *Intrauit ad filium stricto gladio pater, rogauit vt indicaret causam sibi. Ait, amari a se nouercam.* [c] *Cessit illi vxorem pater. Ab altero accusatur dementiae.*

PRO PATRE. Audite rem nouam: fratrem crudelem, nouercam misericordem. Insanus sum, quia aliquis meo beneficio sanus est. Tradidi vxorem illi: sed eripueram. Testor, inquit, praesides pietatis deos, [d] amare antequam duceres. Ita tu iniuriam vocas, quòd fratrem habes, non habes nouercam? Transij praeter istius oculos cum ferro. gladium mihi nemo,

nisi

nisi aeger extorsit. Patri, qui periculum filij morientis sustinere non potuit, ignoscendum in qualicunque facto est.

PARS ALTERA. Alter lenocinio curauit, alter parricidio conualuit. Quid hoc adulterium non putas, quod marito cōciliante committitur? Nescio furiosius vxorem duxerit, an habuerit, an dimiserit, an collocauerit. Quàm demens est, [e] cui adulterium pro beneficio imputandum est? Strinxit gladium maritus, non vt adulterum vindicaret, sed vt faceret. Mori potius debuit frater quàm sanari turpiter. Quid enim si matrem, si sororem concupisceret? Quaedam remedia grauiora ipsis periculis sunt. Omnia inter nouercam & priuignum composita sunt. [f] Simulatum morbum, derisum animo turpissimo patrem.

Versus virginis Vestalis. CONTROVERSIA VIII.

THEMA. *Virgo Vestalis scripsit hunc versum:*

Felices nuptae. moriar, nisi nubere dulce est.

Rea est incesti.

CONTRA VESTALEM. *Felices nuptae.* cupientis est. *Moriar nisi.* affirmantis est. *Nubere dulce est.* [a] Aut experta iuras, aut inexperta peieras. Neutrum sacerdotis est. Tibi magistratus suos fasces submittunt. Tibi consules praetoresque via cedunt. Nunquid exigua mercede virgo es? Sacerdos raro iuret, nec vnquam nisi per suam Vestam. *Moriar.* Nunquid perpetuus ignis extinctus est? *Moriar.* Nunquid de nuptiis appellata es? Ad vltimum Vestam inuoco, vt tam infesta sit sacerdoti, quàm inuisa est. Recita carmen. dum quaero quale carmen sit, tu carmen scribas, tu verba pedibus suis emollias, & seueritatem templo debitā modulatione frāgas? Quòd si vtique laudare vis nuptias, narra Lucretiam. De illius morte scribe, antequam iures de tua. O te supplicio omni dignam, cui quicquam sacerdotio felicius est. *Dulce est.* quàm expressa vox, quàm ex imis visceribus emissa, non expertae tantum, sed delectatae! Incesta est etiam sine stupro, quae cupit stuprum.

PARS ALTERA. Vnus illi versus obiicitur, [b] nec hic quidem totus. Non oportet, inquit, scribere carmen. Multum interest, obiurges, an punias. Incesti damnari nulla potest, nisi cuius corpus violatum est. Quid tu putas poetas, quae sentiunt, scribere? Vixit modeste, castigate. Non illi cultus luxuriosior: [c] non conuersatio cum viris licentior. Vnum crimen vobis confiteor: Ingenium habet. Quid ni inuideat Corneliae? Quidni illi, quae Catonem peperit? Quidni sacerdotes parientibus?

EXTRA. *Varius Geminus* apud Caesarem dixit: Caesar qui apud te audent dicere, magnitudinem tuam ignorant: qui non audent, humanitatem.

M. ANNAEI SENECAE
CONTROVERSIARVM
LIBER SEPTIMVS.

NSTATIS mihi quotidie de Albutio: non vltra vos differam, quamuis non audierim frequenter, cum per totum annum quinquies sexiesve populo diceret, ad secretas exercitationes non multi irrumperent, quos tamen gratiae suae paenitebat. Alius erat cum turbae se committebat: alius, cum paucitate contentus erat. Incipiebat enim sedens, & si quando illum produxerat calor, exsurgere audebat. Illa tempestiua in declamationibus eius philosophia sine modo tunc, & sine fine euagabatur: raro totam controuersiam implebat. Non posses dicere diuisionem esse, non posses declamationem: tanquam declamationi multum deerat, tanquam diuisioni multum supererat. Cum populo diceret, omnes vires suas aduocabat, & ideo non desinebat. Saepe declamante illo ter buccinauit, dum cupit io omni controuersia dicere, nec quicquid debet dici, sed quicquid potest. Argumentabatur moleste magis quàm subtiliter. [a] Argumenta enim argumentis colligebat: & quasi nihil esset satis firmum, [b] omnes probationes probationibus aliis confirmabat. Erat & illud in argumentatione vitium, quòd quaestionem non tanquam partem controuersiae, sed tanquam controuersiam implebat. [c] Omnis

quaestio suam probationem habebat, suam excusationem, suos excessus, suas indignationes, epilogum quoque suum. Ita vnam cõtrouersiam proponebat, plures dicebat. Quid igitur? omnis quaestio per numeros suos implenda non est? Est quidem: sed tanquam accessio, non tanquam summa. Nullum habile membrum est, si corpori par est. Splendor orationis, quantus nescio an in vllo alio fuerit. Non lexis magna, sed phrasis. Dicebat enim citato & effuso cursu, sed praeparato. Extemporalis illi facultas, vt affirmabant qui propius norant, non deerat, sed putabatur ipse sibi deesse. Sententiae, quas optime Pollio Asinius albas vocabat, simplices, apertae, nihil occultum, nihil insperatum afferentes, sed vocales & splendidae. Affectus efficaciter mouit, figurabat egregie, praeparabat suspiciose. [d] Nihil est autem tam mimicũ, quàm manifesta praeparatio. Apparet enim subesse nescio quid mali. Ideoque moderatio est adhibenda, vt illa sit praeparatio, non cõfessio. [e] Locum beate implebat. Non posses de inopia sermonis Latini queri, cum illum audires: tantum orationis cultae fluebat. Nunquam se torsit quomodo diceret. Sufficiebat enim illi in quantum voluerat, explicandi vis. Itaque ipse dicere solebat, cum vellet ostendere, non haesitare se in electione verborum: Cum rem animus occupauit, verba ambiunt. Inaequalitatem in illo mirari libebat. Splendidissimus erat. idem res dicebat omnium sordidissimas, acetum, & puleium, & laternas, philerotem, spongias: nihil putabat esse, quod dici in declamatione non posset. Erat autẽ illa causa: timebat, ne scholasticus videretur. Dum alterum vitium deuitabat, incidebat in alterum: nec videbat, nimium orationis splendorem his admixtis sordibus, [f] non defendi, sed inquinari: & hoc aeque omniũ est, [g] vt vitia sua excusare malint, quàm effugere. Albutius enim nõ quomodo non esset scholasticus quaerebat, sed quomodo non videretur. Nihil detrahebat ex superuacuo strepitu. Haec sordida verba ad patrocinium aliorum afferebat. Hoc illi accidit inconstantia iudicij. [h] Quem proxime dicẽtem commode audierat, imitari volebat. Memini omnibus illum rebus omissis apud Fabianum philosophum tanto iuniorem quàm ipse erat, cum codicibus sedere. Memini [i] admiratione Hermagorae stupentem, ad imitationem eius ardescere. nulla fiducia ingenij sui, & ideo assidua mutatio. Itaque dum genera dicendi transfert, & modo exilis esse vult, nudisq; rebus haerere, modo horridus, & valens potius quàm cultus, modo breuis & concinnus, modo nimis se attollit, modo nimis deprimit, ingenio suo illusit, & lõge deterius senex dixit. Nihil enim ad profectũ aetas ei proderat, cum semper studium eius esset nouum. [k] Idiotismus est inter oratorias virtutes, res quae raro procedit. Magno enim temperamento opus est, & occasione quadam. Hac virtute varie vsus est. Saepe illi bene cessit, saepe decidit. nec tamen mirum est, si difficulter apprehenditur vitio tam vicina virtus. Hoc nemo praestitit vnquam Gallione nostro decentius. Iam adolescentulus cum declamaret apte, & conuenienter, & decenter, hoc genere vtebatur. Quod eo magis mirabar, quia tenera aetas refugit omne, non tantum quod sordidum, sed & quod sordido simile est. Raro Albutio respondebat fortuna, semper opinio: [l] quamuis paenituisset, adire libebat. Tristis, sollicitus declamator, & qui de dictione sua timeret, etiam cum dixisset. Vsque eo nullũ tempus securum erat. haec illum sollicitudo fugauit e foro, & tantum vnius figurae crudelis euentus. Nam in quodam iudicio centumuirali, cum diceretur iurisiurandi condicio aliquando facta ab aduersario, [m] induxit eiusmodi figuram, qua illi omnia crimina retegeret. Placet, inquit, tibi rem iureiurando transigi? iura, sed ego iusiurandum dabo. Iura per patris cineres, qui incõditi sunt. Iura per patris memoriam, & executus est locum, quo perfecto [n] surrexit. L. Aruntius ex diuerso ait: Accipimus condicionem: iurabit. Clamabat Albutius: [o] Non detuli condicionem, schema dixi. Aruntius instabat. Centumuiri [p] rebus iam vltimis se parabant. Albutius clamabat: Ista ratione schemata de rerum natura tolluntur. Aruntius aiebat: Tollantur. poterimus sine illis viuere. Summa rei haec fuit. Centumuiri dixerunt, dare ipsos secundum aduersarium Albutij, si iuraret ille. Iurauit. Albutius non tulit hanc contumeliam, sed iratus calumniam sibi imposuit: nunquam enim amplius in foro dixit, homo summae probitatis, qui nec facere iniuriam, nec pati sciret. Et solebat dicere: Quid habeo quare in foro dicam, quum plures me domi audiant, quàm quenquam in foro? [q] Cum volo, dico: quamdiu volo, assum vtri volo & quamuis non fateretur, hoc delectabat illum in declamationibus, quòd schemata sine periculo dicebantur. Nec tamen in scholis effugere contumelias poterat Cestij, mordacissimi hominis. Cum in quadam controuersia dixisset Albutius: Quare calix si cecidit, frangitur: spongia si cecidit, non frangitur? aiebat Cestius: Ite ad illum cras: declamabit vobis, quare turdi volent, cucurbitae non volent. Cum dixisset Albutius in illo, qui fratrem parricidij damnatum exarmata naue dimisit, Imposuit fratrem in culeum ligneum: Cestius eandem dicturus, sic exposuit cõtrouersiam: Quidam fratrem domi a patre damnatum, nouerca accusante, cum acce-

accepisset ad supplicium, imposuit in culeum ligneum, 'vt perueniret nescio quo terrarum. ingens risus omnium secutus est. Sed nec ipsi bene cessit declamatio.' paucas enim res bene dixit, sed cum a scholasticis non laudaretur: Nemo, inquit, imponit hos in culeum ligneum, vt perueniant nescio quo terrarum, vbi calices franguntur si ciderint, spongiae non franguntur. Video quid velitis, sententias potius audire, quàm iocos. fiat. Audite sententias in hac ipsa controuersia dictas.

Ab archipirata filio dimissus. CONTROVERSIA I.

THEMA. *Mortua quidam vxore, ex qua duos filios habebat, duxit aliam. Alterum ex adolescentibus domi parricidij damnatum tradidit fratri puniendum: ille exarmato nauigio imposuit. Delatus adolescens ad piratas, archipirata factus est. Postea pater peregre profectus, captus est ab eo: & remissus in patriam, abdicat illum.*

CONTRA PATREM. *Albutij Silij.* De fratre nec iudicare audeo, nec loqui. Vno nomine gratias ago, & gratulor, quòd patrem seruare potuit mori iussus. Tanta tempestate cõfusus, neque aestimare quicquam, neque dispicere potui. Plura timui crimina pater, fortuna torquente, quàm quae videris ipse nosse indicabo. solutum mihi fratrem tradideris, an alligatum, nescio. quantum ad meum stuporem attinet, etiam fugere potuit. nec satis memineram, tale ministerium mihi pater an nouerca mandasset. ministerium an poenam esse voluisset, vindictam parricidij, an parricidium. Insui fratrem culeo iubes? non possum pater. Non ignoscis, an non credis? ego contendo nec te quidem posse. Si quis tibi dixisset tyrannus: Veni, tuis manibus filium insue: in hoc opere potes oculis tuis, potes manibus vti? potes audire inclusi filij gemitum? Si potes: timeo ne innocentem damnaueris. Si non potes: quid frater in fratrem non possit, patrem testem dedi. Quid accusas, quòd impunitatem fratri dederim? in quo facto consilium meum victum est? a me frater vt viueret, non impetrauit: vt fugeret, non impetrauit. Nihil aliud impetrauit, quàm vt aliter, quàm in culeo moreretur. Causam malam habeo, vt inter fratres. Vbi spes? in gubernaculo nulla est. in remigio? ne hoc quidem. in comite? nemo repertus est naufragij comes. in velo? in arte? omnia paene instrumenta circuncisa sunt. Adminiculũ in spe nullum est. patri sum excusandus, an fratri? de filio tuo hoc respondeo, quamdiu in patrio solo morari licet, ciuis est. proiectus in mare, quicquid post exilium & naufragiũ vel facit vel patitur, ab omni foedere vitae cõmunis abstractus, poenarũ eius pars non est, nequitiae opus est. sed aliis quaerentibus, teipsum testem dabo, nõ esse piratam. Ego illi terrae, ego lucis conspectum, ego etiam mortis humanae facultatẽ abstuli. Fortuna ipsa, quae miserta eius est: nihil tamen illi praeter mare reliquit. Moriendum est mihi. pater iussit: neque ego te deprecor, ne moriar, nec tibi licet non facere quod iussus es. Inter patrem iratum & fratrem moriturum, arbitrium pietati tuae necessarium suscipe. Sanguinem meum patri refer, culeum mihi remitte: volo mori, sed pura manu tua: hoc tuae pietatis munus ad inferos perferam, [a] licuisse mihi per fratrem aliter quàm parricidae mori. *Asinij Pollionis.* Aequas mihi praebete aures, dabo vobis etiam damnatum absoluendum. Viuit, inquit, frater. non credo. seruauit, inquit, me. fecisti vt crederem. Haec est summa rerum gestarum. In ea domo, in qua tam facile parricidium creditum est, [b] ego fratrem occidere non potui, frater patrem. Quid mihi cum ista tabula? semel mori volo. *Q. Haterij.* Emicabant densis vndique nubibus fulmina, & terribili fragore [c] horridae tempestates absconderant diem, imbres vndique, & omnia procellis saeuientia. Expectat, inquit, parricidam mare. intumuerat subitis tempestatibus mare, iustis quoque nauigiis horrendum. Fateor, fateor, dixi: fratrem tibi, si innocens est, fortuna commodo, fragmentum infelix & iam nauigaturis omen: quòd si quis gubernator vidisset, iter suum distulisset. Naufragus e littore emittitur. *Marcelli Esernini.* Habes, inquam, frater, si innocens es, nauigium: si nocens, culeum. [d] non potui facere parricidium, & quàm facile erramus homines, factum putaui. deliberabam, an parerem patri. Frater, inquit, tu primus in domo parricidium facies inuenire, etiam locum a naufragiis nauigium. *Argentarij.* Quod iusseras, factum est: periit frater. Viuit, inquit, & me dimisit. bono argumento probatur viuere. Vtrasque ad caelum manus sustulit. Si nihil vnquam impie cogitaui, si patrem meum etiam damnatus diligo, Dij immortales rerum iudices adeste. si aliter sentiret, infelicia sibi imprecatus est maria. sic nauem suam rexit. *Blandi.* Iacebat in littore nauigium: quod etiam integrũ infeliciter vexerat. Credam parricidam, si tibi proficiscenti nauigium suum reddidit. Subito mihi ferrum non sentienti cum animo pariter excidit; torpent manus[e], & nescio qua perturbatione tenebrae stupentibus offunduntur oculis. intellexi quàm difficile esset, parrici-

dinm facere, etiam quod imperasset pater. Ita mihi, quae sola miseros in domo nostra respicis, fortuna succurras, ita mihi contingat aut honeste viuere, aut mori: ita ex domo nostra ego sim vltimus reus, vt ille iurabat, meliorem se nouercā habuisse, quàm fratrem. *Cornelij Hispani.* Fateor, volui occidere: sed tunc intellexi, quàm difficile esset parricidium. Ego, inquit, occidere patrem nolui: ne nunc quidem possum. Pater noster nauigauit sereno die, tranquillo mari, auspicato itinere, integra naui. Quid hoc est? nauigauit damnatus felicius, quàm qui damnauerat. Vade, inquit. patrem te habere mihi non licuit: habebo patronum. reuertere. Magnum pietatis argumentum, filio carus pater, etiam post supplicium. ' Vtrum vobis videtur innocētiam āpud piratas didicisse, an ne apud piratas quidem perdidisse? *Arellij Fusci patris.* Potuit patrem occidere: & quem testem timebat abdicatus a patre? Quo me conferam? in mare? non possum: iratos habeo piratas. Cum traditus est mihi frater, imperatumque vt sumerem supplicium, si qua est fides, tentari me putaui, an possem parricidium facere. *Porcij Latronis.* Perieras, pater, nisi in patricidam incidisses. *Triarij.* In naufragio na-
* uigabat: parum est quòd non occidit patrem, immo etiam integra naui dimisit patrem. * resolutis compagibus, infelix omen nauigationis. Insue me culeo: certe sentiam maria, non ea videbo. Scissa quoque vela fecerant sinus, & armatas classes naufraga praecesserat ratis: scires nauigare qui seruaturus esset patrem. Et iam pirata dicitur: iterum falso crimine male audit. *Cestij Pij.* Erat nauigium, immo fuerat: sed adhuc crudelis & pertinax nouerca, post omnia deuicta ' nihilominus saeuit, maria iam quiescunt, praedones iam miserētur, irati iam parcunt. Ibamus praeter sepulcrum matris, ille mortem timens, ego scelus: expecta, vide an fortuna nobis obiiciat scelus. Iacebat nauigium peruetus, & attritum salo, vix vnius capax animae. Veni ad vos, victoriam pulchram periturus, vt probem me parricidam. Nō occidisti, inquit, fratrem nouerca, audiui iucundissimam vocem: fateor me parricidam, occidi fratrem: tutus sum, pater, si hoc probetur? imposui in exarmatam nauem: non est occidere? Nouercae quidem nunquam satis priuignus occiditur. Multas rerum natura mortis vias aperuit, & multis itineribus fata decurrunt: & haec est condicio miserrima humani generis, quòd nascimur vno modo, multis morimur: laqueus, gladius, praeceps locus, venenum, naufragium, mille aliae mortes insidiâtur huic miserrimae animae: & hoc occidere vocatur, sed diutius. Si quis nunc stat in turba, & hoc dicit: Huic quisquam parcat, qui fratrem suum occidit, & occidisse se probat? Componis in domo par, vt alter scelere sit parricida, alter ministerio. Impositus est in nauem frater: qualem nauem? scitis, nihil esse periculosius, quàm etiā instructa nauigia: parua materia seiungit fato. Quid si vero non rudentibus committitur illa anima, non velis, non gubernaculo defenditur? Exarmata nauis, & vtroque patens latere. imponitur miser in naufragium: nauigio per se pessum ituro, pondus insuitur. Ecce nauem diuinitas armat. subito visa sunt vela, subito nauis coepit & regere se, & attollere. Magnum est praesidium in periculis innocentia. Saeuum mare inuoluitur, procellae spumante impetu latera nauigij vrgent, pulsatur vndique nauis periculis: innocentia tamen tuta est. O maria iustiora iudiciis. O mitiores procellae patre, quam eiecistis animam! Nec hoc tantum diuinitus gestum est, quòd peruenit tutus in portum: excipitur classe praedonum. Habeat pater mentem nauigandi. capietur iudex, vt illum paeniteat sententiae suae. Damnare me nouerca parricidij potuit: parricidam facere nec damnando quidem potuit. Cognosce innocentiam meam in mari, quam domi noluisti. Complexu, osculis prosecutus est: sic patrem parricida dimisit. *Iunij Gallionis.* Multa non agnosco: frater domi damnatus est, ego in publico: illi obiectum est quòd parricidium fecerit, mihi quòd non fecerim: ille negabat: mihi nouo patrocinio vtendum est, Fratrem occidi: in ea domo in qua parricida damnatur, haec innocentia est. Video vos inuitos audire hoc genus defensionis: malo itaque me vobis innocentem probari quàm patri. Fratrem non occidi, non potui fratrem occidere. Idem timuimus, idem doluimus, idem fleuimus: eundem patrem habuimus, eandem matrem, eandem nouercam: mitioris natura pectoris sum, mollioris animi. Non idem omnibus mortalibus natura tribuit ingenium: animus meus durior est, illius clementior: apud piratas quoque inuenitur, qui non possit occidere: putas me dicturum, ne alius occideret? Si mater nostra viueret, puto illi tradidisset. Quod proximum fuit, mihi tradidit. Vtrum vobis videtur per manus patris punire filium voluisse, an ablegare priuignū? pudet me patrocinij mei. Timeo, ne, cum coepero narrare quid fecerim, dicatis: Certe negabis te posse hominem occidere. *Musae.* Traditus est frater puniendus mihi potissimum. quo istud proposito pater feceris, apud plerosque disputationem habet. Ego, si quid mitius illo tempore voluit fieri, non intellexi. Imposui multum recusantem, & insui culeo postulantem. Obiicis mihi molliorem animum. alius mitior est plusquam debet, alius seuerior est quàm necesse est: mediis alius affectibus

fectibus inter vtrumque positus, totus in sua potestate est. Quidam & accusare & damnare possunt, & occidere: quidam tam mites sunt, vt non possint in caput ne testimonium quidem dicere. Non possum hominem occidere: hoc vitium & apud piratas inuenitur. Alij viuere sine reipublicae administratione non possunt: aliis in priuato latere, & extra omnem inuidiam secessisse praecipua tranquillitas est: aliis non potest persuaderi, vt matrimonio obligentur: aliis, vt careant: sunt qui castra timeant, sunt qui cicatricibus suis gaudeant. In tanta morum varietate, videre quantulum sit quod excusem. non ambitioni, non inertiae veniam peto: misericors sum, non possum occidere hominem. Gratulare pater naturae meae. nunquam eiusmodi filius parricidium faciet. Hoc vitium a te traxisse videor. [g] Non putatis misericordem, qui quem damnauit, fratri puniendum dedit? Centurio Luculli Mithridatem non potuit occidere: dextera simul ac mente languit: prò bone Iupiter, Mithridatem quàm non dubium parricidam. *Pompej Silonis.* Gaude pater, neuter ex filiis tuis parricidiū fecit: dimisi in portum naufragum. Vis pater scire, accusator nocentior sit, an reus? Conijce in alteram nauem nouercam: illa faciat votum, precetur, si neminem innocentem accusauit, si priuignum immerentem non oppressit: in eos piratas incidat, qui nesciant captos dimittere.

PARS ALTERA. *Musae.* Parricida meus in mari regnat. *Sepullij Bassi.* Nega tu parricidam fuisse, quem scis esse piratam. *Gauij Sabini.* Facinus indignum, parricida damnatus post poenam potuit dicere patri suo, Morere.

DIVISIO. *Latro* in has quaestiones diuisit: An licuerit illi quod iubebat pater, facere. Non licet, inquit, fratrem necare. Ille damnatus erat, non enim iudicio publico ceciderat. ignosce, si diligentior sum, cum videam hominem tam facile damnari. Timeo ne quis me parricidij postulet. facile est si dicenda sit domi causa. etiam nocens absolutionem sperare poterō. in foro quid respondebo? Occidi fratrem. Parricidam me quoque vocant, quòd nō affui reo. Si licuit, an debuerit. [h] Nocens est iste, sed mihi frater est. naturae iura sacra sunt etiam apud piratas. Quid de me iudicaturus es, si fecero? puto difficulter postea in me parricidium credes. Etiam si debuit parere patri, an ignoscendum sit illi, si non potuit. Farebor, inquit, quod forte offensurum est aures, patri parere volui, fratrem occidere non potui. Obortae sunt subito tenebrae, diriguit animus, sublapsum est intercepto spiritu corpus. non possum fratrem occidere. Pone hoc loco piratam. non poterit. Quidam occidere hominē tantum non possunt. Quorundam aduersus hostes deficit manus. Fratris quoque beneficium non est tam magnum, pater, quàm putas. Non ille te noluit occidere, sed non potuit. Nouissimas illas partes fecit. Quamuis non occiderit, si tamen potuit damnatum, an abdicari debeat. Dicit enim pater. Si non poteras, negasses, & misisses ad me, non posse te. Hoc loco Latro dixit rem valde laudatam. [i] Dixisses, inquit, te non posse. Ita tu nesciebas? putasti me posse occidere? Quid ergo sic loquebaris, tanquam vnum parricidij condemnasses? Deinde an puniuerit fratrem. Haec descriptio supplicij, quod dixit grauius etiā culeo fuisse: & adiecit, hoc die illum poenas dare inter barbaros inclusum, per quos necesse est illi patrē populari capere. Sed ne per illos quidem necesse est parricidium facere. Hac diuisione vsi sunt, quibus placuit & illius causam defendere: inter quos & *Geminus Varius* fuit, qui aiebat adolescentem optimam causam habere, si non occidit fratrem etiam nocentem: meliorem tamen, si non occidit, innocentem. Partitam autem materiam fecit erga has quaestiones Geminus, & quibus idem placuit: An abdicari non debeat, etiam si nocentem fratrem non occidit. hic dicit, Non licuit, non debui, non potui. An innocentem non occiderit. Bellam rem Geminus hoc loco dixit, cum coepisset per omneis numeros fratrem tanquam reum defendere. Dicet, inquit, aliquis: Tam sero defendis? Non potui citius. Hodie primum res in forum delata est. Nouissime, an etiam nocentem satis punierit.

COLOR. De colore inter maximos & oratores & declamatores disputatum est, vtrumne aliquid deberet dici in nouercam, an nihil. *P. Asprenas & Albutius*, & praeter oratorēs magna bonorum rhetorum manus in hanc partem transierunt, vt in nouercam inueherentur. Fuerunt & illi qui non quidem palam dicerent, sed per suspiciones & figuras: quam rem non probabat *Passienus*, & aiebat, minus verecundum esse, aut tolerabile, infamare nouercam quàm accusare. Quidam principia tantum habuerūt in sua potestate, deinde ablati sunt impetu. Excusatius est autem, in malum colorem incidere, quàm transire. *Latro* illum introduxit colorem rectum in narratione, quo per totam actionem vsus est: Non potui occidere. Et cum descripsisset ingenti spiritu titubantem, & in terrogatione fratris occidendi concidentem, dixit: Nouerca aliud quaere in priuignum tuum crimen. hic parricidium nō potest facere. *Cestius* colore alio vsus est. Transibamus, inquit, secundum matris sepulcrum,

inuocare coepit manes eius. motus ſum. Et puerili ſenſu colorem trăſcurrit: Quid facerem? inquit: occidere pater iubebar, mater vetabat. & cum colorem dixit: Haec mecum cogitaui, Non eſt imperatum vt manu occiderem, non vt laqueo, non vt mari: eligere ſupplicij genus liberum eſt. *Fuſcus Arellius* hoc colore vſus eſt: Tentari me a patre putaui: Vno, inquit, ſupplicio alterum filium puniri, alterum experiri vult. *Albutius* in argumentis plura poſuit, & omnes fere colores contrectauit. In narratione hoc colore vſus eſt, & dixit: Hoc vnum mihi praeſta beneficium: ſine me tanquam parricidam mori. *Argentarius.* Non tanquam fratet eſſem: ſed huius conſilij inuentor, dixit: Cogitaui quid facerem. Tandem inueni, quomodo parricidium vindicarem ſine parricidio. *Paſsienus* hoc colore vſus eſt: Non putaui patrem vtique velle occidi filium. Videbatur mihi omnia miſericordiae adiumenta praeparaſſe, quòd domi cognouerat, quòd inter ſuos. Fratri, inquam, tradidit. age ſi parcere voluiſſet, cui tradidiſſet? *Pollio Aſinius* dixit in nouercam. itaque illo colore vſus eſt: Cogitaui mecum quid liceret, quid oporteret. ſi tantum, inquam, nefas commiſſum eſt, nullae meae partes ſunt ad expiandum ſcelus. Triumuiris opus eſt, comitio, carnifice. Tanti ſceleris, nō magis priuatum poteſt eſſe ſupplicium, quàm iudicium. *Marcellus* dixit ita: Si iſte parricidium fecit, ideo & ego faciam? & illam quam ſupra ſententiam tetuli: Habes, inquam, fratet. *Varius Geminus* & ipſe dixit: Nolui occidere. Egregie, inquam, nouerca inter priuignos diuiſit odium, aliter alium aggreſſa eſt: alteri parricidium obiicit, alteri mandat. & hac illum figura defendit in narratione. Interrogaui fratrem. Apud quem praetorem cauſam dixiſti? apud nullum, inquit. Quis accuſator fuit? nemo. Quis teſtis? immo qui teſtes? Vni enim etiam de minore ſcelere non creditur. Nemo, inquit. Quis de re pronuntiauit? nemo. Quid porro inquit? Ego ſi reus fuiſſem, ad te non miſiſſem?. *Sepullius Baſſus* hoc colore vſus eſt: Non habui parricidae inſtrumenta; non culeum, non ſerpentes: parricidam tamē in maria proieci. *Hiſpanus* duro colore vſus eſt: Hoc, inquit, ſupplicium tanquam grauius elegi. Quid iſte, inquam, inſuetur, & ſtatim omnem ſenſum ſupplicij effugiet? immo ſollicitus pendeat, & quod ne inſuti quidem parricidae patiuntur, ipſe poenam ſuam ſpectet: nihil ſperet, timeat omnia, peius debet quàm ceteri parricidae mori. a patre damnatus eſt. Et hoc colore per totam declamationem vſus eſt, vt diceret, hoc ſe tanquam grauius elegiſſe. Diſplicebat color hic prudentibus. Quam enim ſpem habeat abſolutionis, ſi nec paruit, nec pepercit? *Haterius* hoc colore vſus eſt: Diu mecum diſputaui. parricida eſt, quem non teſtis probauit, non iudex coarguit? quid ergo? innocens, quem condemnat pater? Inueni aeque poenam ſimillimam reo, merſam, non tamen ex toto perditam ratem, quae vel punire fratrem poſſet, vel abſoluere. *Triarius* & ipſe quaſi ſententiam de fratre ferre voluiſſet, egit, & dixit. Tandē ad caelum manibus leuatis: Quicquid eſt, inquam, quod terris imperat, quod regnat profundo, quicquid eſt quod ex ſublimi res ſpectat humanas, inuoco. damnatus alto committitur. Dij iudicate poſt patrem. Haec ſententia dicebatur ex Graeco trăſlata, ſed Graeca corruptior eſt. A parte patris, quòd ab archipirata dimiſſus eſt ſic. *Ceſtius*: Poenam, inquit, putauit mihi hanc eſſe morte grauiorem. & ſic poſuit in narratione: Rogabam vt occideret, nō impetraui. *Varius Geminus* ait: In hoc me dimiſit, non quia volebat ſaluum eſſe, ſed ad patrocinium ſuum: vt quia non nunc occiderat, videretur nec ante voluiſſe. *Latro* dixit: Quis porro vno me miſerior eſt, qui vitam parricidae debeo? *Diocles Caryſtius* elegantem ſenſum in prooemio poſuit pro adoleſcente, cum diceret cauſas ſe abdicationis non inuenire, luxuriae ſe occaſionem non habuiſſe, parricidium ſibi non obiici, & contra reos ſe minime laborare: Fortaſſe, inquit, queritur, quòd captum non redemerit. adiecit. *

Et cum tractaret in vltima parte, debere patrem noſſe vitia liberorum, & ferre vtique in vnico, adiecit. *

Artemon in deſcriptione tempeſtatis laudatus eſt, & belle acceſſit ad eam.

Et cum de ipſo nauigio diceret, pulchre coepit. *

Et vltimum deſcriptionis ſuae ſententiam propoſuit. *

Et ad partem narrationis eleganter tranſit. *

Glycon dixit. *

Soleo dicere vobis, Ceſtium Latinorum verborum inopia hominem Graecum laboraſſe, ſenſibus abundaſſe. Itaque quotiens laetius aliquid deſcribere auſus eſt, totiens ſubſtitit: vtique cum ſe ad imitationem magni alicuius ingenij direxerat, ſicut in hac controuerſia fecit. Nam in narratione, cum fratrem traditum ſibi deſcriberet, placuit ſibi in hac explicatione vna & infelici: Nox erat concubia, & omnia, Iudices, canentia ſideribus muta erant. *Montanus Iulius*, qui comis fuit, quique egregius poeta, aiebat illum imitari voluiſſe Virgilij deſcriptionem:

Nox

Nox erat, & terras animalia fessa per omnes,
Alituum, pecudumque genus sopor altus habebat.

At Virgilij imitationem bene cessisse, qui illos optimos versus Varronis expressisset in melius:

Desierant latrare canes, vrbesque silebant.
Omnia noctis erant placida composta quiete.

Solebat Ouidius de his versibus dicere, potuisse fieri longe meliores, si secundi versus vltima pars abscinderetur, & sic desineret:

Omnia noctis erant.

Varro quem voluit sensum, optime explicuit. Ouidius in illius versu suum sensum inuenit: aliud enim intercisus versus significaturus est, aliud totus significat.

Popilius Ciceronis interfector. CONTROVERSIA II.

LEX. DE MORIBVS SIT ACTIO. Thema. *Popilium parricidij reum Cicero defendit: absolutus est. proscriptum Ciceronem ab Antonio missus occidit Popilius, & caput eius ad Antonium retulit. accusatur de moribus.*

CONTRA POPILIVM. *Bassi Sepullij.* Si accusasset Cicero Popilium, viueret. Occidit Ciceronem Popilius. Puto iam creditis occisum ab isto patrem. vt vno ictu pereat: tantum dabo. pro Cicerone sic liceat pacisci. *Gabij Sabini.* Quod vnum potuimus, effecimus, vt veniret tempus, quo Popilius Ciceronem desideraret. Popili potes, inquit, Ciceronem occidere? Pro te vel patrem. *Porcij Latronis.* Prorsus occisurus Ciceronem, debebat incipere a patre. Antonius, inquit, iussit. Non pudet te Popili? Imperator te tuus credidit posse parricidium facere. Abscidit caput, amputauit manum: effecit vt minimũ in illo esset crimen, quòd Ciceronem occidit. Facinus indignum. felicissime licet cedat actio, id solum efficiemus, vt qui occidit Ciceronem, tantum erubescat. Prò dij boni, occisum Ciceronem, malos mores voco. *Albutij Sili.* Caede ceruices tanti viri, & humerotenus recisum amputa caput. I nunc, & nega te parricidam. Hoc vnum tamen feliciter fecisti, quòd ante occidis patrem quàm Ciceronem. Facilius Cicero pro parricidio iudices mouit, quàm pro se clientem. Ad vos hoc patroni exemplum pertinet. nullos magis odit Popilius, quàm quibus plurimum debet. Vbicunque estis, Iudices, qui in istum reum sederatis, ecquid poenitet absoluisse? *Argentarius.* Impius est, ingratus est: audeo dicere, parricida. Sensit qui defenderat. Respice forum: hic sub Cicerone sedisti. respice rostra: hic supra Ciceronem stetisti. Quantum eloquentia tua Cicero potuit? Popilius de moribus reus est. abscidit ceruices loquentis: haec est absoluti clientis post longum tempus salutatio. Parce iam quaeso, Popili. Nihil tibi nisi occidendum Ciceronem mandauit Antonius. Duo fecit parricidia: quorum alterum audistis, alterum vidistis. *Cestij Pij.* Si dixero, Adolescentia turpis est, infamis pueritia est: respõdebit, Iam ista Cicero defendit. Non pudet Popili? accusator tuus viuit. quid tam cõmune, quàm spiritus viuis, terra mortuis, mare fluctuãtibus, litus eiectis? Parricida sic etiam tu perisses. *Fuluij Sparsi.* Non credidisset facturum Popilium Antonius, nisi in mentem illi venisset, illum & parricidium fecisse. Facinus indignum: a me defenditur Cicero, cum Popilium Cicero defenderit. *Mentonis.* Non magis quisquam alius occidere Ciceronem potuit praeter Popilium, quàm nemo Popilium praeter Ciceronem defendere. parricidam quem viuus negarit Cicero, occisus ostendit. Fortunam Ciceronis. Antonius illum proscripsit, qui accusatus est: Popilius occidit, qui defensus est. Si damnatus esses, carnifex te culeo totum insuisset. Video quid respondeat. Non credet Antonius occisum Ciceronem a Popilio, nisi ei signũ attulerit. *Triarij.* Praesta Ciceroni quod propinqui Catilinae, quod amici Verri praestiterunt. Proscriptum transi. Ne a mortuo quidem manus abstinet, lacerat occisum. Popili, hoc parricidium tertium tuum est. *Pompeij Silonis.* Nunquid magis exonerare te possum? praesta Ciceroni quod Antonius. *Cornelij Hispani.* Dic Antonio: Ego istud scelus facere possum. & patrem occidi. Securi erant amici Ciceronis, postquam ad illum Popilius missus est. *Arellij Fusci patris.* Potuisti Ciceronem occidere? at quàm bene persuaserat nobis Cicero, parricidium te facere non posse. Occidisti tu Ciceronem loquentem? Nunquid, inquit, & aliquis ex tuis venerat index, an nemo Ciceroni timendus est, qui cum Popilio venit? *Q. Haterij.* Qui modo Italiae humeris relatus est, nunc sic a Popilio refertur? proposito in rostris capite Ciceronis, cum vnius metu omnia tenerentur, gemitus tamen populi liber fuit. *Iulij Bassi.* Proscriptus, inquit, erat Cicero. pater certe tuus proscriptus non fuit. *Blandi.* Dij manes, Popilij senis, occisi & inultae patris vmbrae Cicero te persequuntur, vt quem nega-

ſti, parricidam ſentias. *Capitonis*. Deduxi ad vos reum omnium, quos terra ſuſtinet, nocentiſſimum, ingratum, impium, percuſſorem, bis parricidam: nec tamen timeo. Patroni viderint. nemo a Popilio quidem, niſi poſt beneficium occiditur. Nec damnationem tamẽ iſtius deſpero. non enim a Cicerone nunc defenditur. Timeo ne cauſae non ſatisfaciam. maior cauſa eſt, occiſum a Popilio Ciceronem queri, quàm fuit aliquando probare non occiſum patrem. Ciceronem quiſquam potuit occidere, qui audiuit? Minturnenſis palus exulem Marium non hauſit. Cimber etiam in carcere vidit imperantem. praetor iter a conſpectu exulis flexit. Qui in crepidine viderat Marium, in ſella figurauit. Non poſſumus de Popilio queri: eodem loco patronum habuit, quo patrem. Pompeius terrarum mariſque domitor, Hortenſij ſe clientem libenter confeſſus eſt. Hortenſius bona Pompeij, non Pompeium defenderat. Romulus, horum moenium conditor, & ſacratus caelo parens, non tantam vrbem fecit, quantam Cicero ſeruauit. Metellus in Veſtae aede extinxit incendium: Cicero Romae. Glorietur Hannibale Scipio, Pyrrho Fabricius, Antiocho alter Scipio, Perſe Paulus, Spartaco Craſſus, Sertorio & Mithridate Pompeius. nemo hoſtis Catilina propius acceſſit. Fert appenſum conto caput, & defluente ſanguine hunc ipſum inquinat locum, in quo pro Popilio dixerat. *Buteonis*. Quantae fuit eloquentiae? probauit ab eo non occiſum patrem, a quo occidi poterat etiam Cicero. *Marillij*. Si inimicus eſſem patronis, optarem vt reus abſolueretur. Turpe iudicium, in ea ciuitate Ciceronem non defendi, in qua defendi potuit etiam Popilius.

Divisio. Popillum pauci ex hiſtoricis tradiderunt interfectorem Ciceronis: ſed hi quoque non parricidij reum a Cicerone defenſum, ſed in priuato iudicio. Declamatoribus placuit, parricidam reum fuiſſe. Sic autem eum accuſant, tanquam defendi non poſſet: cum adeo poſſit abſolui, vt ne accuſari quidem potuerit. *Latroni* non placebat illum ſic accuſari, quomodo quidam accuſauerunt: Obiicio tibi quòd occidiſti hominem, quòd ciuem, quòd ſenatorem, quòd conſularem, quòd Ciceronem, quòd patronum tuum. Hac enim ratione non aggrauari indignationem, ſed fatigari. ſtatim illo veniendum eſt, ad quod properat auditor. Nam in reliquis adeo bonam cauſam habet Popilius, vt detracto eo quòd patronum occidit, nihil negotij habiturus ſit. Patrocinium eius eſt ciuilis belli neceſſitas. Itaque nolo per illos reum gradus ducere, quos poteſt tutius euadere. Licuit enim in bello & ciuem & ſenatorem & conſularem occidere: nec in hoc crimen eſt, quòd Ciceronem, ſed quòd patronum. *Latro* accuſauit illum de moribus: primum quòd ſic vixiſſet, vt cauſam parricidij diceret: deinde, quòd patronum ſuum occidiſſet. Et fecit has quaeſtiones, An poſſet eo nomine accuſari, quo abſolutus eſt. Si quis, inquit, hodie volet me parricidij poſtulare, non poterit. Quomodo crimen quod obiici non poteſt, puniri poteſt? An in bello ciuili acta obiici non poſſint. Honeſte dixit, cum hunc locum tractaret *Varius Geminus*. Si illa, inquit, tempora in crimen vocas, dicis non de hominis, ſed de Reip. moribus. Si poteſt, quod ciuili bello actum eſt, obiici, an haec obiici debeant. Hanc quaeſtionem in illa diuiſit: An etiam ſi neceſſe ei fuit facere, non ſit tamen ignoſcendum. ad quaedam enim nulla debet neceſſitas compellere. Hoc loco *Latro* dixit ſummis clamoribus: Ita tu Popili, ſi Antonius iuſſiſſet, patrem tuum occideres? Deinde, an nõ fuerit ei neceſſe: Potuiſti excuſare te, potuiſti praemittere aliquem ad Ciceronem, vt ſciret & fugeret. Neceſſe certe non fuit, manum caputque praecidere mortuo.

Color. Colorem pro Popilio *Latro* ſimplicem habuit, neceſſitate coactum feciſſe. & hoc loco illam ſententiam dixit: Miraris, ſi eo tempore neceſſe fuit Popilio occidere, quo Ciceroni mori? *Albutius* dixit, in poenam Ciceronis electum amiciſſimum Ciceronis, quaſi exprobraturus per hoc illi ſuam fortunam eſſet. Moleſtius, inquit, feret, ſe a Popilio occidi, quàm occidi. *Marcellus Eſerninus* eundem colorem aliter induxit: Cogitabat, inquit, Antonius ſecum: Quod Ciceroni excogitabo ſupplicium? Occidi iuſſero? olim iam aduerſus hunc metum emuniuit animum. Scit mortem nec immaturam eſſe conſulari, nec miſeram ſapienti: fiat aliquid noui quod non expectat, quod non timet: non indignabitur ceruicem hoſti porrigere, indignabitur clienti. Popilium aliquis vocet, vt ſciat quantum illi defenſi rei profuerint. *Silo Pompeius* hoc colore vſus eſt. Offendebatur, inquit, proſcriptione, & quaedam liberius loquebatur. non miror. Ciceronis cliens eſt: tanto magis occide Ciceronem tuum. Et dixit, non ſuae infirmitatis ſententiam: Vterque, inquit, ſed diuerſo genere punitus eſt. Ciceronis proſcriptio fuit, occidi: mea, occidere. *Marillius* praeceptor noſter ſic narrauit: Iuſſit, inquit, imperator, iuſſit victor, iuſſit qui proſcribebat: ego illi negare quicquã poſſem, cui nihil negare poterat Reſpublica? *Blandus*. Hoc, inquit, loco, volui me excuſare, dixi, Cicero me defendit. reſpondit, Scio, me accuſauit. I ergo, vt ſciat plus ſibi Antonij accuſationem

cusationem nocuisse, quàm Popilij defensionem profuisse. *Buteo* hoc colore: Vocetur, inquit, ille Ciceronianus, ille cliens, amicus. Excogitaui quomodo Cicero sua periret manu. *Cestius* hoc colore: Durissima, inquit, mihi militia in Antonij castris fuit, ob hoc ipsum, quòd Ciceronis eram cliens. difficillimae mihi expeditiones dabantur. Tūc quoque vocatus sum quasi ad poenam. I, inquit, occide Ciceronem: Nec credam, inquit, nisi attuleris caput. magisque admiratus est potentiam suam, quòd Ciceronem Popilio non licebat non occidere. *Fuscus Arellius* hoc colore vsus est: Antonij se partes secutū, vt si quid posset, Ciceroni prodesset: facta proscriptione ad genua se Antonij procidisse, deprecatum pro Cicerone: offensum Antonium, eo magis dixisse: Occide, quem mori non vis. Hic color displicebat Passieno, quia ad testem ducit. nam si hoc fecit Popilius, non tantum quod defendat habet, sed habet quod glorietur. *Hispo Romanus* vehemēti colore vsus est, & duro. Patronum enim Popilio dedit, & dixit aliter se causam acturum Popilij, aliter Antonij: pro Popilio dicturum, Occidere nolui, coactus sum: pro Antonio dicturum, Occidi Ciceronem oportuit. & dixit locum, aliter non potuisse pacari Remp. quàm si ille turbator otij e Rep. sublatus esset. Solus ex declamatoribus in Ciceronem inuectus est: Quid ille, inquit, cum Antonium hostem iudicaret, & omnes Antonij milites, non intelligebat se & Popilium proscripsisse? Hic color prima facie asperior est, sed ab illo egregie tractatus est. *Varius* quidem minus dixit: Cū imperasset mihi Antonius, passus sum, ne aliquis P. Clodij mitteretur, qui cōtumeliis afficeret, antequam occideret, & viuum laniaret. *Argentarius* dixit: Vocatus veni, post proscriptionem Antonius terribilior erat factus etiam suis. Iussus sum Ciceronem occidere: quid facerem? Nō parere vno modo poteram, si me occidissem. sed hoc nec Cicero poterat. A parte accusatoris illo loco, quo Popilius venit, nemo non aliquid noui voluit dicere. *Latro* ait: Praecluserat fores, nemo ad proscriptum recipiebatur. Popilius vt venit, admissus est. *Cestius* dixit: Vt renuntiatum est Ciceroni, ait: Popilio semper vaco. *Hispanus Cornelius* fecit etiā querentem Ciceronem: Popili, tam sero? *Albutius* dixit: Quid est, Popili? ecquid tuto lateo? nūquid mutandus est locus? Inepte *Auidienus Paulus*, qui induxit Ciceronem, tum maxime orationem pro Popilio legentem. *Et Murrhedius* non est passus hanc controuersiam transire, sine aliqua stuporis sui nota. Descripsit enim ferentem manum & caput Ciceronis Popilium, dixit Popilio: Quanto aliter reus Ciceronis tenebas manum eius?

Ter abdicatus venenum terens. CONTROVERSIA III.

THEMA. *Ter abdicatus, ter absolutus deprehensus est a patre in secreta domus parte medicamentum terens. interrogatus, quid esset? dixit, venenum: & velle se mori. & effudit. accusatur parricidij.*

PRO FILIO. *Cestij Pij.* Dic quid commiserim. * certe nec secreta te fallunt. dimittam te: intelligetis cui parauerim. dic quid ante commiserim: nisi forte contentus es reo obiicere parricidium, parricidae nihil. *Argentarij.* Volo mori, quia reus sui. quid ergo, reus viuet, quia sordidatus assidebit pater? Reuertar ad venenum, quando iniqua fortuna nullo me periculo defungi semel passa est. *Albutij Sili.* Quare ergo non moreris? Non iuuat me mori, si quem alium iuuet. Vt interuenit pater, in bas cogitationes abii: Ergo quisquam tam infelix fuit? ergo quisquam me magis odit, quàm ego? miserei me coepit. *Varij Gemini.* Ter, inquit, abdicatus es. Videris mihi pater obiicere, quòd tamdiu viuam, quòd venio, quòd pro me loquor. Nolite mirari: tam iucundum est innocentibus mori, quàm miseris defendi. *Cornelij Hispani.* Scio quosdam periclitanteis illa iactare, Nunc primum causam dico. hoc ego dicere non possem. Iterum reus sui: nec dubito, quin vobis in odium venerim, cum ipse me oderim. *Porcij Latronis.* Ter causam dixi: [b] accessit ad haec supplicia mea venenum: hoc si tibi satis non est, viuam.

ALTERA PARS. *Albutij Sili.* Testor deos immortales, hoc me tribus iam cauisse abdicationibus, ne in domo mea venenū deprehēderem. Parricidij reus viuit, qui abdicatus mori voluit. In quàm angusto domus meae fortuna posita est, aut patri pereundum est, aut filio. Quid babes, quare me mori velis? Viuunt orbi, viuūt naufragi, viuunt etiam quibus contigerūt liberi. Ter abdicatus cū se mori velle dicat, vitā rogat. Teneo parricidam, quod apparet, etiā in suam mortem paratissimū. *Cornelij Hispani.* Nolite mirari, si debitas vires dolori meo non exhibuero: tribus iudiciis experti estis, patres accusare non posse. *Vibij Rufi.* Cum tantum est quod fateris, quantum est quod negas? Tu venenum quaesisti, tu venenum emisti, tu venenum intulisti in eam domū, in qua habebas inimicum patrē. recte vitam odisses, si iam tibi parricidium obiecissem. Vis scire quid peccaueris? indica quis tibi vendiderit. dicetur

illi: Tu venenum vendebas cuiquam? tu ter abdicato vendebas, sine dubio sciebas cui daturus esset. ita hoc ego indicio filij mortem moror. Si me cum isto includitis, moriar: vt vobis hanc faciam inuidiam, quam iste mihi facere voluit. *Varij Gemini*. Quaeritis, filius meus venenum cui parauerit? non bibit. *Pompeij Silonis*. Mihi, inquit, paraui. & hoc est patri parare. Absolutus mori vult: reus viuit. *Musae*. Habuit malum medicamentum Mithridates. Quis enim alius debebat habere, quàm parricida? habuit, inquit, Demosthenes venenum, & vixit. Id est, ego tibi pater, quod Demostheni Philippus. *Portij Latronis*. Cum abdicarem, si quid obiéceram, aiebat, Nunquid deprehendisti? non tamen habebitis quod multum de eo dubitetis: quod negat, parricidium est; quod confitetur, venenum. Mori, inquit, volo viuo patre: & hoc parricidium est. Miser aeque timui ne biberet venenum, quàm ne daret. *Arellij Fusci patris*. Mihi, inquit, paraui venenum, ne quis dubitet an alium possit occidere. *Iunij Othonis patris*. Reus est parricidij, qui mauult mori, quàm patrem videre. quomodo vultis magis probem vobis illum noluisse? non vult mori. Mori, inquit, volui. quare? quia ter viciste. Si mihi creditis, parricidium facere voluit: si isti, a me parricidiũ fieri voluit. Qualis est reus, cuius hoc vnum patrocinium est, indignum se vita fuisse? Dico tam inuisum tibi patrem fuisse, vt occidere volueris: tam inuisum ipse confiteris, vt mori volueris.

DIVISIO. Non puto vos exigere diuisionem, cum coniecturalis sit controuersia. habet tamen dissimilem ceteris coniecturam, & duplicem: non quomodo solet aut inter duos reos, cum alterum coarguimus: aut inter duo crimina, cum alterum probamus, vt id alterius fiat probatio: tanquam cum dicimus adulteram fuisse, vt credatur etiam propter hoc venefica. In vno homine coniectura duplex est. quaerimus enim, vtrum venenum in suam mortem, an in patris parauerit.

COLOR. Si hic color displicet pro adolescente, quo dixit Latro, vt nihil mutaret, sed diceret: Mori volui taedio abdicationis, & infelicitatis assiduae, cum in hoc tantum sordes ponerem, vt cum maiore tormento positas resumerem, & absolutio mihi vni, non finis esset periculi, sed initium: incipit praeter coniecturam, & illa prima vulgaris in eiusmodi controuersijs & pertrita quaestio incurrere, an venenum habere in mortem suam liceat. *Albutius* illo colore pro adolescente dixit, non fuisse venenum. Cum putarem, inquit, odio esse patri meo, volui experiri affectum eius, quomodo mentionem mortis meae ferret, itaque palam, & ita vt interueniret pater, tenui. *Fuscus Arellius* eodem colore vsus est, sed aliter: Non dixit, Experiri patrem volui, sed, Vt miserabilem me patri facerem. *Murrhedius* pro cetero stupore suo dixit, medicamentum se parasse ad somnum: quia assiduae sollicitudines, vigiliarum sibi facerent consuetudinem. Vsus colore est, & Publianam sententiam dixit: Abdicationes, inquit, suas veneno diluit. Et iterum: Mortem, inquit, meam effudi. Memini nos, cum loqueretur de hoc genere sententiarum, quo iam infecta erant adolescentulorum omnium ingenia, queri de Publio, quasi iam ille hanc insaniam introduxisset. *Cassius Seuerus*, summus Publij amator, aiebat, non illius hoc vitium esse, sed illorum, qui illum ex parte, qua transire deberent, imitarentur, quae apud eum melius essent dicta, quàm apud quenquam comicum, tragicumque, aut Romanum, aut Graecum: vt illum versum, quo aiebat vnum versum inueniri non posse meliorem:

Tam deest auaro quod habet, quàm quod non habet.

& illud de eadem re dictum:

Desunt luxuriae multa, auaritiae omnia.

& illos versus, qui huic quoque ter abdicato possent conuenire:

O vita misero longa, felici breuis.

Et plurimos deinceps versus referebat Publij disertissimos. Deinde auctorem huius vitij, quod ex captione vnius verbi plura significantis nascitur, aiebat Pomponium Attellanarum scriptorem fuisse: a quo primum ad Laberium transisse hoc studium imitandi; deinde ad Ciceronem, qui illud ad virtutum studia transtulisset. Nam vt transeam innumerabilia, quae Cicero in orationibus, aut in sermone dixit, & nota vt non referam a Laberio dicta, cũ * Mimi eius, quicquid modo tolerabile habent, tale habeant: id quod Cicero in Laberium. Diuus Iulius ludis suis Mimum produxit, deinde equestri illum ordini redditum iussit ire sessum in equestria: omnes ita se coarctauerunt, vt venientem non reciperent, multosque tunc in senatum legerat Caesar, & vt repleret exhaustum bello ciuili ordinem, & vt his qui bene de patribus meruerant, gratiam referret. Cicero in vtramque rem iocatus, misit ad Laberium transeuntem: Recepissem te, nisi anguste sederem. Laberius ad Ciceronem remisit: Atqui soles duabus sellis sedere. Quia Cicero male audiebat tãquam nec Pompeio certus amicus, nec Caesari, sed vtriusque adulator. Vterque elegãtissime: sed neuter in hoc genere

nere seruat modum. Ab his huius studij diffusa est in plures imitatio. Sed vt ad controuersiam redeam, *Cassius Seuerus* aiebat, placere sibi illum colorem: Mori volui. Et quasdam dixit inter disputaodum senteotias: Tertio, inquit, cum abdicarer, aiebam: Nihil ranti est. infelicẽ hanc animam, quam totiens exagitat pater & infestat, semel recipiat. Sed illud rursus dicebat: Mihi serua istum animum. facies quod voles absolutus. Quare ergo ounc non moreris? dicet aliquis: Primum, non semper idem miseris libet, nonnunquam iuuat cum fortuna sua concurrere, illam fatigare. Deinde verum vis, quare non moriar interim? quia puto te velle. *Otho Iunius* ineptam sententiam videbatur dixisse: Non multum interest mea. aut enim me, aut filium meum voluit occidere.

Mater caeca filium retinens. CONTROVERSIA IIII.

LEX. LIBERI PARENTES ALANT, AVT VINCIANTVR. Thema. *Quidam cum haberet vxorem, & ex ea filium, peregre profectus, & a piratis captus, scripsit de redemptione epistolas vxori & filio. Vxor flendo oculos perdidit. filium euntem ad redemptionem patris alimenta poscit. Non remanentem alligari vult.*

PRO MATRE. *Cestij Pij.* Non est quòd mulieris affectum lege aestimetis, quia minatur: omnia fecit, ne filius alligetur. Nauigaturus reliquit vxori filium: nec adhuc caeca erat. *Albutij Sili.* Deducite filium. itaque tene, complectere. audeo dicere, hoc par ne piratae quidẽ diuiderent. si vellet filium alligare, pateretur ire quò properat. Ergo tu adolescens, matri tuae nec decem mensium quidem alimenta reddes? si pascere non vis matrem, expecta saltem vt efferas. *Triarij.* Legem attulit, qua catenas mioetur, causam qua timet. *Marcelli Aeserni-ni.* Si perseueras, me quoque ad piratas trahe: impetrabo ab illis alimenta, & virum meum. *Fuluij Sparsi.* Mater si noo pascitur, moritura est. Pater etiam si oon redimitur, pascitur tamẽ. *Iulij Bassi.* Patri tuo supersunt & oculi & alimenta.

ALTERA PARS. *Cestij Pij.* Matrem meam imitari volo. amare me docuit. [a] Vnis vinculis duos alligat. Si matris exẽplo pius esse voluero, etiam oculos patri debeo. *Arellij Fusci patris.* desertorem tuum apud patrem inuenies. *Varij Gemini.* Qualis fortuna est, cui [b] victo mater catenas denunciat, victori eundum est ad piratas? Omnia licet patri praestem, meliorem tamen habuit vxorem. Quàm multi me putant, quia nolim ad patrem redimendum ire, cum matre colludere. *Fuluij Sparsi.* Matri nihil timeo, si eam apud vos relinquo? patri quid timeo, si eum apud piratas relinquo? *Buteonis.* Oculos certe eruam mihi, ne plus marito praestiterit vxor.

DIVISIO. Latro hanc controuersiam, quasi esset tota officij, declamauit. nullas quaestiones iuris inseruit, sed comparauit ioter se incommoda patris & matris: & tanquam quaereret, dixit: Vtrum ad redimendum potius captum patrem filius ire deberet, an ad alendam caecam matrem subsistere. Et sic eam diuisit, vt diceret: Hoc quod pater desiderat, vtile est patri. Nouissime tractauit, ne patri quidem vtile. vtique si sciat matrem in hac esse fortuna, non passurum. In epilogis vehemens fuit. *Apollonius Graecus & Buteo* fatuam quaestionem mouerunt primam. An lex quae de alendis parentibus lata est, ad patris tantum nomen pertineat. Illi suot omnia priuilegia data: & ipsam poenam non alentium, esse signum non muliebris porestatis. Res est ineptior quàm vt coarguenda sit: itaque transeo. Illud vnum quod dicebat *Pollio Asinius*, referam: Nunquam tentari debere in causa verecunda improbam quaestionẽ. *Hispo Romanus* illam mouit quaestionem, An lex de alendis parentibus nõ pertineret ad matres. Vt viuis parentibus, filius, inquit, familiae oulli poterit seruire nisi patri; omni alia seruitute liber est. Puta enim te alimenta petere ab eo, quem pater mittat peregre, quem nauigare iubeat: primae partes sunt patris, secundae matris. *Albutius* noo iuris fecit illã quaestionem, sed aequitatis: ita tamen, vt iuri adiungeret, & matris prius esse, quã patris officiũ. *Silo Pompeius* illã fecit quaestionẽ: An quotiens duobus communis esset potestas, eius tota fieret, qui praesens esset. Puta, inquit, te seruum esse communem, huic domino seruies, qui praesens est. puta fundum esse communem; is fructus percipiet, qui praesens est. Illam quaestionem huic duram subiecit: An nunc pater nullum ius in filium habeat. Quomodo, inquit, ciuis iura habeat, qui liberi hominis non habet? pater habet nullam in te potestatem: mater in totius legis possessiooe est. Est iam oon commune illi ius in te, sed propriũ. *Varius Geminus* sic diuisit: An non semper filius cogi possit, vt matrem alat. Deinde, An nunc cogendus non sit. Non semper, inquit, filius cogitur. Transeo illos qui non possunt, aegrotos & inutiles. Aliquis ad propellẽdum hostem proficiscitur, in cuius vnius militia posita est salus publica, hunc retinebit mater? puta legatum, de summa Rep. puta foederis, huic mater

vincula iniiciet? Per partes comparando vtrumque officium: Ille, inquit, petegre est, tu domi: ille captus, tu libeta: ille iotet piratas, ru inter ciues: ille alligatus, tu soluta es. at tu caeca es. ille hoc infelicior quòd videt. Quid enim videt? catenas suas, & caedes, & vulnera, & eruces eorum qui non redimuntut. At periculosum est. Quàm multi nihil pro patribus periculosum putauerunt, nisi domi manere & flere? *Latro* dixit, pro matre submisse & leniter agēdum. non enim vindictam, inquit, sed misericordiam quaerit: & cum eo adolescente consistit, in quo ita exigit pietatem, vt impediat. Aiebat itaque verbis horridioribus abstinēdum, quotiens talis materia incidisset. ipsam orationem ad habitum eius, quem mouere volumus ad affectus, molliendam. in epilogis nos quoque vocem de industria infringere, & vultum deiicere, & dare operam, ne dissimilis sit orationi orator: compositionem quoque illis minorem conuenire. *Caluus*, qui diu cum Cicerone iniquissimam litem de principatu eloquētiae habuit, vsque eo violētus actor & concitatus fuit, vt in media actione eius surgeret Vatinius reus, & exclamaret: Rogo vos Iudices, num si iste disertus est, ideo me damnari oportet? Idem postea com videret, a clientibus Catonis rei sui Pollionem Asinium circumuentum in forecae, imponi se supra cippum iussit: (Erat enim paruulus statura, proptet quod etiam Catullus in hēdecasyllabis vocat illum Salaputium disertum) & iurauit si quam iniuriam Cato Pollioni Asinio accusatori suo fecisset, se in eum iuraturum calumniam: nec vnquam postea Pollio a Catone aduocatisq̄ue eius aut re, aut verbo violatus est. Solebat praeterea excedere subsellia sua, & impetu elatus vsque io aduersariorum partes transcurrere. Et carmina quoque eius, quamuis ioca sint, plena suot ingentis animi. Dicit de Pompeio:

Fasciola qui crura ligat, digito caput vno
Scalpit, quid credas hunc sibi velle virum.

Compositio quoque eius io actionibus ad exemplum Demosthenis riget: nihil in illa placidum, nihil lene est, omnia excitata & fluctuantia. Hic tamen in epilogo quem pro Messio tunc tertio causam dicente habuit, non tantum leniter componit, sed cum dicit: Credite mihi, non est turpe misereri: & omnia in illo epilogo fere non tantum emollitae compositionis sunt, sed infractae. In hac controuersia Publianam sententiam dedit. *Vetus* quidam rhetot, staturae pusillae, in quem Euctemon homo venustissimi ingenij Graece dixit: Aotequam te viderem, nescio rhetor an soratos esses. Fuit autem *Cestij* sententia: Captus est, inquit, pater, si te capti mouent, & haec capta est. & quasi non intellexissemus, ait: Nescitis dici captos luminibus? & illud dixit: Mittes tamē epistolam infructuosam. odisse illam debes. haec est quae matrem tuam excaecauit. & illam falsissimam, in quam multi incidunt: Propter hoc ipsum, inquit, magis flebilis est, quòd non potest flere. Et iterum inquit: Lacrymae matri desunt, causae supersunt: tanquam caeci flere oon soleant. Memini *Crispum* quendam antiquum rhetorem, in illa cootrouersia viri fortis, qui tertium filium retinet, cum alter filius in tyrannicidio perdidisset oculos, alter in acie manus: Exsurgite nunc viua cadauera, rogate pro fratre. Sed quid cgo meos derideo? alter quos roget, non videt: alter quos roget, oon habet. Multis compositio belle sonantis sententiae imposuit. Itaque memini *Latronem Porcium*, vt exprobraret hanc audiendi scholasticis negligentiam, maxime quia Triarius compositione verbotum belle cadentium multos scholasticos delectabat, omnes decipiebat, in quadam controuersia, cum magna quasi fluereot & concitata, sic locum conclusisse: Inter sepulcra mooumenta sunt. Et cum scholastici magno clamore laudarent, inuectus est in eos vt debuit: & hoc effecit, vt in reliquum etiam quae bene dicta erant, tardius laudarent, dum insidias vererentur. *Glycon* dixit: *

Hybreas in hac controuersia dixit: *

Nec quibusdam corruptum videbatur: *Romanus* tamen *

Quinquennis testis in procuratorem. CONTROVERSIA V.

THEMA.[a] *Mortua quidam vxore, ex qua filium habebat, duxit aliam: sustulit ex ea filium. Habebat procuratorem in domo speciosum. Cum frequenter essent iurgia nouercae & priuigni,*[b] *iussit eum semigrare. Ille trans parietem habitationem conduxit.*[c] *Rumor erat de adulterio procuratoris & matris familiae. Quodā tempore pater familiae*[d] *in cubiculo occisus inuentus est, vxor vulnerata, cōmunis paries perfossus: puer iubetur percussorē cognoscere. ille procuratorē digito denotauit. accusat filius procuratorem caedis, ille filium parricidij.* *Arellij Fusci patris.* Vt audiui clamorem, si qua est fides, deprehensos a patre adulteros putani. Quis ferret te voluntariā testem in forum venientem, etiam si venires dictura pro filio? miserrime puer, quamuis periclitor, plus tamen pro te timeo. nimium fraternis insistis vestigiis: itaque iam tibi cum matre non conuenit. Quamdiu

mater

matet vixit, patet me fuit procuratore contentus. Non facile fit parricidium. Vis scire quãtum natura possit?etiã infans pro patre loquitur. *Triarij.* Viuo patre adultera,moriente cõscia, mortuo testis. Aliquis vno teste contentus est? [e] dabo puerum. aliquis vno teste non contentus est? dabo populum. Obiicit priuigno parricidium,filio mendacium. Intrat procurator qua solebat.Die puer,quis patrem tuum occiderit.dic audaciter.eundem nominas, quem populus. Nox placet sceleri: prorsus adulteri tempus. Habui patrem tam bonum, vt cum vxorem habere veller, tamen me nouercam habere noluerit.Quo mihi lumen?tantum admissuro nefas optanda nox est. Quid, inquit, ante peccaui? dissimile est. memento enim de homicida queri. potest tirocinium esse homicidium,parricidium non potest. Lumen attulisti vt discerneres. erat illic quam leuiter vulnerare deberes. Videmus adactum in praecordia gladium. sic ego nouercam vulnerassem. Frater, quaero an videris procuratorẽ proxima nocte,nihil de prioribus quaero. *Vibij Galli.* Ego taceam de adulterio,quod persequitur etiam populus? ego taceam de parricidio, quod persequitut etiam puer? Testor vos Iudices. saluum patrem reliqui. O magnam in contrarium saeculi nostri peruersitatem:inuentus est qui patrem posset occidere, & nouercam non posset. Etiam si quis occidere patrem non potest,nouercam potest. *Sepullij Bassi.* Dũ perfodio parierem, aliquis sentier. Cuius vis leuissimum somnum:pueri,an senis, an mediae aetatis? Pueri?frater sentiet. senis?pater.mediae aetatis?nouerca.Quaererem quàm sordida domo narus esset, si vllam habuisset:nũc inquisitionem nostram humilitate effugit.Nõ mirot si nescis,quàm difficile sit patrem occidere,cũ incertum habeas patrem. *Albutij Sili.* Quaero a te mulier, an filio tuo credendũ putes. Liceat mihi nutrire puerum:ne cum matre illi, ne cum tutore queat conuenire. Tres in cubiculo sunt.pattem occidis; puerũ contemnis; adulteram nõ times. Singuli se serui liberique offerebant:puer stabat ante omnes: percussor latebat post adulteram. Quid ante peccaui?cuius vxorem corrupi? quod si fecissem, hominem occidere possem:patrem non possem. Bonos habeo testes.timet hunc in aliena potestate. Aspice corpus patris, quàm grauis plaga, quàm alte adactus est gladius, sic ego nouercam percussissem. *Cestij Pij.* Adulterum te esse,non vnum testem dabo,non corruptum:dabo multos:dabo etiã pueros.Patrem tam grauiter percussi,quàm debui nouercã:nouercam ne sic quidẽ,quemadmodum patrẽ. *Iulij Bassi.* Tibi fuit necessariũ lumen,ne eam occideres,propter quã occidebas:mihi superuacuũ erat,ne instrumẽto parricidij detegerem parricidium.Si rerum natura pateretur,obliuiscendum mihi erat patris,dum occiderem.Maiore licẽtia, quae non videmus,agimus: & quamuis non minor sit atrocitas facinoris,formido minor est.Si patrem occidi, totus mihi lectus purgandus est, cui parcam non babeo.Non possum gloriari vltione patris:frater illam meus occupauit. *Blandi.* Quàm difficile est filio, patrem vulnerare; quàm facile priuigno, nouercam occidere. *Varij Gemini.* Patrem,inquit,occidisti. Testor vos Iudices, nihil leuiter hae manus faciunt:vtrum non habui potestatem? atqui vulnerata es. hui? nolui te occidere?atqui vulnerata es:leuiter vulnerata es. quàm diligenter seruara es.Tu testimonium dic,&[a] ostende non vulnus,sed argumentum. percussor ille quàm timuit, ne occideret. *Porcij Latronis.* Quare lumen affero? fortius parricidium faciam si non videro pattem.Occidere aliquis patrem,antequam nouercam,potest:nouercam ne post patrem quidem potest? *Triarij.* Aliquis parricidio puras manus seruat, & inde incipit quò peruenire difficile est?

DIVISIO. Has controuersias,quae & accusationem habent,non eodem ordine omnes declamauerunt. quidam fuerunt, qui ante defenderent quàm accusarent: ex quibus *Latro* fuit. *Fuscus Arellius*, Debet,inquit,reus in epilogo desinere. optime autem epilogum contexit defensioni:& homines magis defendenti quàm accusanti fauent. Vltima sit pars,quae iudicem fauentem possit admittere.Quidam permiscuerunt accusationem ac defensionem, vt per comparationem duorum reorum irent,& crimen simul repulissent,statim transferrẽt: ex quibus fuit *Cestius.* Hoc non semper expedit. vtique qui imbecilliorem partem habent: non est vtile,cominus congredi:facilius latent, quae non comparantur. In hac cõtrouersia duo vel tres rei. nouerca enim procuratori coniungitur. Itaque a filij parte vtique aiebat prius accusandum: quia vnum debebat crimen defendere, duo obiicere, & adulterij & caedis. si qua sunt ex vtraque parte difficilia, non colorem, sed argumentationem desiderant. Itaque ne modum excedam, praeteribo. Circa vulnus nouercae quidam bellas res dixerunt, quidam ineptas: immo multi ineptas. Prius illa quae belle dicta sunt, referam. *Fuscus.* Vt districta leui vulnere est cutis. non credas factum manu priuigni, credas amatoris. *Passienus* ait: Tam leuiter te vulnerauit [b] dextera illa, cui nec paries obstitit, nec pater? *Varius Geminus* dixit: Da ferrum testi meo;fortius feriet. *Cestius* dixit, cum descripsisset quàm leue vulnus esset:Nocueras,inquit,mihi,si amicae tuae nocere potuisses. *Niger*

Bratidius quotidiano verbo satis significanter vsus est: Riualem, inquit, occidit; amicam sauciauit. *Hispo Romanus* eiusdem generis rem dixit: Ostende nouerca, ostende id quod amator tuus vellicauit. *Bassus Sepullius* dixit: Maritum occidit, adulteram strinxit. Ex illis qui res ineptas dixerant, primus ibi ante omnes *Musa* vester: qui cum vulnus nouercae descripsisset, adiecit: At hercules pater meus tanquam paries perfossus est. *Murrhedius* patrociniũ putat esse, quod causae suae sanguinem misit. *Nepos Licinius* ait: Non est istud vulnus, sed ludentis adulteri morsus. *Senianus* ex illa stultorum nota sententiam protulit. Non vulnerauit, inquit, nouercam, sed viri sui sanguine aspersit. cum illic vulnerata ponatur. *Vinitius*, exactissimi vir ingenij, qui nec dicere res ineptas, nec ferre poterat, solebat banc sententiam Seniani deridere, & similem illi referre in oratione dictam Montani Votieni. *Senianus* in hac eadem cõtrouersia dixerat: Nihil puero est teste certius, vtique quinquenni. Nam & ad eos peruenit annos, vt intelligat: & nondum ad eos, quibus fingat. Et bacc definitio, inquit, ridicula est, nihil esse puero teste certius, vtique quinquenni: puta, nec si quadrimus puer, testis est, nec si sex annorum. Illud venustissime adiiciebat: Putes, inquit, aliquid agi. omnia in hac sententia circumspecti bominis sunt, finitio, exceptio. Nihil est autem inamabilius, quã diligens stultitia. *Montani Votieni* sententiam huic aiebat esse similem, & deridebat. Acre omnino & experrectum est animal, canis vtique cathenarius paratus. Erat autem non aequus ipsi Montano. accusauerat illum apud Caesarem a colonia Narbonensi rogatus. at Montanús adeo toto animo scholasticus erat, vt eodem die quo accusatus a Vinitio decertauerit. in Vinitij actionẽ sententias suas referebat. Eleganter illud dixit *Sardinus*: Rogo, nunquid putas illum alteram partem declamasse? Grauis scholasticos morbus inuasit. exempla cum dixerunt, volũt & illa ad aliquod controuersiae thema redigere. Hoc vt aliquando faciendũ est, cum res patitur, ita ineptissimum est luctari cum materia, & longe arcessere, sic quomodo fecit in hac controuersia Musa, qui cum diceret pro filio locum de indulgentia liberorũ in parentes, venit ad filium Croesi, & ait: Mutus in periculo patris naturalia vocis impedimenta rupit, qui plus quàm quinquennio tacuerat. quia quinquennis puer ponitur, putauit vbicunque nominatum esset quinquẽnium, sententiam fieri. quia Latroni bene cesserat, qui cũ diluisset vulnus exiguum, dixit: Aspicite istam vix adparentem cicatricem: rogo vos, nõ putetis puerulum fecisse, & ne puerulum quidem quinquennem? *Gallus Vibius* improbam dixit sententiam, cum caedem describeret. Occidit, inquit, maritum, nouercam laesit, puero pepercit. etiam bunc putabat suum. Valde enim puero Cestius aiebat parcendum. Itaque dixit, cum laudaret eius testimonium: Procurator * natus es. *Hermagoras* hunc sensum decentius posuit. * *Blandi* sententia laudabatur, cum descripsisset a puero demonstratum procuratorem. O digitum multa significantem. *Euctemon* dixit: *

Murrhedius mimico genere fatuam sententiam dixit, cùm dixisset nouercam disputare contra filij sui testimonium: Facit, inquit, quod solet. pro amatore sanguini suo non parcit. *Nicocrates Lacon* aridus & exsuccus declamator dixit: *

Hermagoras cum miserabilem dixisset pueri condicionem esse, qui infestus nouercae & procuratori redderetur, dixit iam procuratorem clamare. *

Dementiae accusatur, qui seruo filiam iunxit. CONTROVERSIA VI.

THEMA. *Tyrannus permisit seruis, dominas suas rapere. Profugerunt principes ciuitatis. Inter eos, qui filium & filiam habebat, profectus est peregre. cum omnes serui dominas suas vitiassent, seruus eius virginem seruauit. occiso tyranno reuersi sunt principes, in crucem seruos sustulerunt. Ille manumisso filiam iunxit, accusatur dementiae.*

CONTRA PATREM. *Argentarij*. Haberemus solatium, si has nuptias fecisset tyrannus, non pater. habe nunc illi bonorem: fac dotalem: sine dominam custodiat. Sanum putatis esse, qui mauult tyrannum imitari quàm seruum? pater noster honestis parentibus natus. qui enim aliter condicionem matris nostrae habere potuisset, si tantum ingenuus fuisset? *Cestij Pij*. Soror, opto tibi perpetuam sterilitatẽ. Cum dicerem, Manumittamus seruum: aiebat: Expectemus sororias nuptias. Ergo tibi soror, vt honestos habeas liberos, adulterandũ est? Fecit se similem tyranno, filiam raptis, libertum cruciariis. Plus seruo dominus permisit, quàm tyrannus. Qui facit has nuptias, insanus est, aut tyrannus. Quis hoc potest credere, optandum filiae fuisse, ne finiretur tyrannis, ne rediret pater? Si interrogauero patrem, quod grauissimum in tyrannide fuerit scelus: si sanus est, respondebit, Quòd dominae seruis collocatae sunt. *Fuluij Sparsi*. Eligitur maritus, quem sanus pater dotalẽ dedisset. gener tuus ipsis nuptiis crucem meruit. Egregium generum cui nihil est gloriosius, quàm quòd inter

cruciarios non est. Grauissima quoque ipsi seruo facta est iniuria. dominam suam non licuit illi seruare virginem. *Blandi*. Fecit etiam seruo iniuriam, cum detraxit abstinentiae gloriam: nuptiis suis manumissus est. O matrimonium omni adulterio turpius. *Iuly Bassi*. Liberata Rep. quòd me tristem vidistis, nolite mirari. nobis etiamnum viuit tyrannus. Virginitatem quam sub tyranno seruauerat, perdidit sub patre. Dic furcifer, cui sororem meam virginem seruasti? dic, si placet, Mihi. Non vitiauit, inquit, cum liceret illi. Itane dignus est nuptiis, quia indignus est cruce? ex cella migrabit in cubiculum suae dominae, vel domina ex cubiculo suo migrabit in cellam. *Cornelij Hispani*. Melioris condicionis sunt vitiatae quàm virgo:[a] illis mutare nuptias contigit. Quare tyrannicida praemium accepisti? etiamnum aliqua ex edicto tyranni nupta est. qui edictum tyranni fugerat, redit cum edicto. Dementia hoc patris factum est, ne tyrannum accusare posset. Quòd ille, inquit, filiam meam virginem alteri seruauit. Nūc maritus est qui sub tyranno quoque nihil aliud potuit quàm raptur esse. Is qui dotalis destinatus erat, custos relictus est. propositū est edictum, quod ne ferremus, fugimus, nihil per totum publicae seruitutis spatium indignius visum est, nihil diis hominibusq; minus ferendum. itaque tyrannus post hoc occisus est. Desponsa est puella: omnia ex edicto tyranni facta sunt. *Albutij Sili*. Egregius gener, cuius haec vna gloria est, quòd comparatus cruciariis frugalior est. Melius seruus custodiuit dominam, quàm pater filiam. Propitius pater ita filiam suam collocauit,[b] quemadmodum iratus tyrannus alienas. Inimici tibi nepotes precantur. Cum sanus pater fuit, ne has videret nuptias, fugit. Parum putatis magnum argumentum dementiae, quod egit tyrannum in mortem, patres in exilium, seruos in crucem? quomodo qui sic fugis, sic collocas? Honestius exul es, quàm socer. Si voles inuenire generi tui propinquos, ad crucem eundum est. *Arellij Fusci patris*. Ex seruo gener, & ex domina vxor, ex domino socer est factus. quis has nuptias non tyranni putet? Patrem tyranni criminibus accuso, tyrānum patris. Quid de tyranno loquor? patris similis est. Quid de patre non querar? tyranno similis est. Miserrima soror, sub tyranno patrem desiderabas, sub patre tyrannum desideras. In filia tua coëgisti, quod tyrannus tantum permiserat. Nunc nobis, pater, si sanus es, exulandum est. Quid enim miserius accidere potest, quàm is status in libertate, quem ceteri vix ferunt in seruitute? fugimus, ne seruiremus. Felicitatem nostram in calamitatem conuertit. Aliquanto enim fuit satius, cum ceteris contumeliam ferre, quàm liberatis omnibus, solos in tyrannidem reiici. Seruo libertatem dedit, filiae seruitutem. Seruo filiam dedit, innocentiam abstulit. Nescio quid sibi velit, quòd serui meritum laudat: tyrannum enim laudare debebat. Seruus non stultus tergum & caput suum deliciis praesentibus praetulit. Si dicit se timuisse tantum, laudabo, & hanc illi etiam nunc optabo mentem. Ceterae honestos inuenerunt seruos: haec talem habet, quales illae in tyrannide habuerunt. Soror mea ancillulae pellex est, sed vt domina nuberet, conseruula de cellula exacta est. Nullum in tyranno maius scelus fuit, quàm quod tibi libuit imitari. O te soror miseram, quòd ista non sub tyranno passa es: iam enim pati desisses. Hoc tu putas praemium esse. Quia dominam non violauit, violet quantum volet. Iste vero, vt dicis, iniuriam tibi fecit: qui affinitatem tuam moratus est. Si non cessasset, iam fortasse ex illo nepotes haberemus. Habeamus generū, si possumus, parem: sin minus, nō erubescendum: cui cognatus sit aliquis, cui sacra aliqua & penetralia, in quae deducatur vxor: quem adiungamus ad domum, non quem ex censu deleamus. *Porcij Latronis*. Qui omnia tuleramus, hoc fugimus. Vocat seruum: & quia crucem non metuerat, mereri iubet. Itane furcifer tu potuisti dominam complecti? putasti autem te per tyrannum victutum, aut semper futurum patrem? Felicissimi videbuntur, quibus contigerit raptus tyrannus. Ita sine dubio beneficium dedit, qui custodiuit dominam a stupro, se a cruce. Cum infelici face ad dotalem suū noua nupta deduceretur, si qua fides est, exhorrui, quasi repositum esset edictum. Cogitabam, quem sorori virum eligerem. simpliciter fatebor, fastidiebam iam eas condiciones, quae ante profectionem fuerant. aiebam, Illo tempore & aliae virgines erant. Non vitiauit, inquit, sub tyrannide. O nos felices, si ne nunc quidem. *Triarius*. Age, hoc non est praemium, vnum spectare omnium cruces? Certum habeo, si habuisset tyrannus filiam, non scripsisset edictum. Indicit festum diem, aperiri iubet maiorum imagines, cum maxime tegendae sunt. *Varij Gemini*. Eadem hora & libertum fecit, & generum. hoc fecit quod tyrannus non cogit, nisi cum irascitur: seruus ne tunc quidem facit cum cogitur. Generum habes, qualem? vt illi laudationem suam reddam, nempe frugi seruum. Seruis tuis paritura fratres. Quantum ad expositionem rerum pertinet, sunt quidem acerba tyrannidis mala, tamen tristiora exponam, quae post tyrannidem gesta sunt. non dubitabam quin esset tyrannicidae nuptura. si sub tyranno vitiata esset, haberemus. Hoc non tibi vni accidit. Nondum tyrannum occisum pu-

to,etiam nunc tyrannicas nuptias video. *Marillij*. Nunc ſciam,an merito libertatem acceperis,ſi liber non metueris crucem. hoc quod obijcio, qui in pluribus fecit, occiſus eſt. *L. Vinitij*. Nunc in domo noſtra matrimonium eſt: cuius me puderet, etiam ſi raptus eſſet. Quàm miſeros putatis iudices eſſe eos, quibus quidem duo quae miſerrima fuerunt,optanda ſunt; tyrannus,& raptor. Vna generi tui commendatio eſt, quòd ſe aliquando iſta puella putauit indignum. *Vallij Syriaci*.In eadem condicione Iudices ſumus,vt conſolari debeamus ſororem, quòd aut rapta non ſit, aut nupſerit.& tamen quid ille meruit, quandiu per dominum licuit,innocẽtiſſimus ſeruus. *Sepullij Baſſi*.Nuptias clauſa domo fecimus.in contubernium deducta ſerui domina eſt: ita iſte dexteram ſororis meae, niſi dum manumittitur,non cõtigit. *Pollionis Aſinij*.Inter nuptiales feſcẽninos in crucem generi noſtri iocabantur.Miſerrimum egiſſe me diem memini, quo ſeruire coepit reſp. Miſerrimum diem egiſſe memini, quo in exilium fugimus. inter hos dies ſororis nuptias numero. Miſerrima ſoror, fortaſſe vernularum tuorum nouerca es.Pater, volo ducere vxorem: dic quam mihi ex ancillis deſpondeas.

CONTRA. *Albutij Sili*.Seruauit dominam. ſi quis tyranno indicaſſet, ſolus in cruce pependiſſet.

DIVISIO. *Latro* in has quaeſtiones diuiſit: An etiam ſi non debuit filiam ſic collocare, damnari tamen ob hoc non poſſit demẽtiae. Licet,inquit,mihi filiam meam cui velim collocare.iſto modo & repudiũ remiſero genero. Accuſor.Male collocaſti filiam: & multi alij. Quid tibi videntur hi,qui abdicant filias ſuas?auari.Sed mala cauſa eſt:nec ob hoc damnabor. Tu patrem debes dementem accuſare, non ſanum regere. Ego iſtud an ſine ratione fecerim,videbimus:ſatis eſt,ſi ſana mente feci. Deinde, An ſic filiam collocare debuerit. Hoc in haec diuiſit,An etiam ſi meruit ſeruus, non tamen ſic illi referenda fuerit gratia. Deinde, An bene meruerit.De facto ſerui primum diſputauit:dein de animo. Factum quale? Nõ dominam conſtuprauit.Auge beneficia:nec dominum occidit, nec domino venenum dedit. Non eſt beneficium,ſcelere abſtinere.Et tyrãnus permiſit dominam rapere, non coegit.De hoc beneficio non eſt quòd laudes ſeruum:alioquin iniuriam fecit, ſi non ſubducta eſt iniuriae,ſed reſeruata:tunc tamen ſolatiũ fuiſſet,cum multis pati. Denique quod aliae in tyrannide paſſae ſunt,haec in libertate:ceterae abſentibus ſuis,haec praeſentibus.In aliis ſtuprum vocabatur,in hac matrimonium:in aliis finis expectabatur iniuriae, in hac nullus.deniq; illarum ſtupratores ſuffixi ſunt,huius manumiſſus. Deinde de animo ſerui.

COLOR. *Latro* colorem a parte filij, quare non vitiaſſet ſeruus,hunc fecit:timuiſſe illum ſupplicium, ſciſſe futurum, vt liberata Rep. omnes, poenas, qui contaminaſſent dominas ſuas,darent:& aduentare iam tempus vltimum tyrannidis videbatur,cum ad ſummam eſſet perducta rabiem:quae nunquam niſi ex deſperatione fit. Itaque cum videret, inquit, ſuffigi cruci ſeruos, clamabat: Hoc ego futurum ſciebam. In vltima oratione *Latro* dixit: Serui quoque nomine tecum queri poſſum: quem qui frugi fuerat,nequam feciſti. *Albutius* hoc colore vſus eſt:Immatura etiamnum puella,nec adhuc iniuriae idonea,& ideo illam nõ abduximus,quia aetatis beneficio tyrannidem ſentire non poterat. *Ceſtius* dixit: Ego plane non ſum detracturus ſeruo ſuam laudem:habuit bonam mẽtem,ſperauit poſſe fieri,vt ſi virginem ſeruaſſet,nuptiis dominae manumitteretur. *Varius Geminus* ait:Fortaſſis amicam habebat.hac delectatus abſtinuit.nam quidam virginum concubitum refugiunt.fortaſſe ſciuit illam non eſſe paſſuram,& illud quod nequam quoque ſeruos interdum frugi facit, malam fortunam timuit.& hanc ſententiã quae valde circumlata eſt,adiecit:An etiam furcifer auderet cum domina concumbere,niſi illi pater permiſiſſet. & illud dixit:Ad hoc pater ab exilio redibas?In exilium ergo quid fugimus? *Buteo* voluit videri reuera mẽte lapſum patrem, & in narratione hoc dixit:Quàm maeſtus venit domum ab edicto tyranni.quantum in ſinu filiae fleuit.puto illo tempore mentem eſſe concuſſam. *Varius Geminus* dixit de abſtinentia: Sic cõtaminare dominam ſuam,& trãhere in cellam non eſt auſus.niſi forte hoc modo mauis narrem. Iam tunc ſperare ſororis nuptias coeperat. A parte patris magis defenſione opus eſſe dicebat Latro, quàm colore. *Varius Geminus* factum ipſum defendit, magnos viros feciſſe, vt libertinas vxores ducerent. M. Cato, inquit,coloni ſui filiam duxit vxorem. Sed ingenuam. Reſpondeam:Sed Cato.plus intereſt inter te & Catonem,quàm inter libertum & colonum.Quàm multa bona haberet ſubiectus,& obſequẽs maritus.Non petulantiam timebit, non verborum contumeliam, non pellicem, non repudium. Filiam meam * ſemper domi habeo: quam eo magis deſidero,quòd habeo,diua illa fide.Inde factum liberti laudauit. *Albutius* & Phaneus eſt.dixit,neminem natum liberum eſſe,neminem ſeruum: haec poſtea nomina ſingulis impoſuiſſe fortunam. Denique,inquit,ſcis & nos nuper ſeruos fuiſſe.

fuisse. Retulit Seruium regem. *Silo Pompeius* hoc colore vsus dixit. Exhaustum tyrannidis iniuriis patrimonium: non habuisse se dotem quam daret. *Argentarius* voluit videri puella volente se fecisse. Visa est, inquit, indulgere illi: certe debuit. *Gauius Sabinus* hoc colore vsus est, vt inquantum posset dignitatem suam destrueret, & humilitatem confiteretur: Et ideo, inquit, facilius potuit. Non vitiaui, quia nemo in domum nostram oculos dirigebat: & fueram, inquit, facete cui collocarem: quaerendus mihi erat gener aliquis libertinus. quid ergo? * alieno potius liberto? hũc iam noui. scio cuius affectus in nos sit. si moriar, scio me meam filiam apud hunc tutorem relicturum. Et hanc sententiam adiecit, quae valde excepta est: Eum non contempsi generum, qui tyrannum contempserat. *Actius Postumus* hoc colore vsus est: Nihil est, inquit, inuidia periculosius. hanc sapientes viri veluti pestiferam vitandam esse praecipiunt. hanc ita vincens inuidiam eram. Hic nunc nobis obiicit fortunam liberorum nostrorũ. oderant filiam meam feminae, me patres quasi publici mali segregem exprobratorem: quo vno modo honeste potui, feci filiam meam ceteris similẽ. fortuna mea publicae partis detracta omnis inuidia est: filiam non habeo honestiorem quàm vos, seruum frugaliorem habui quàm vos. *Hispo Romanus* dixerat: Maritum autem ego istum vocem, raptorem serotinum. verbum hoc quasi amputanti, quod non erat vsurpatum, quibusdam displicebat, eiusdem verbi explicatione, vt extra reprehensionem esset, vsus est, cum diceret, * nondum esse consummatam aduersus seruos publicam vindictam: Etiamnum in domo nostra residuus raptor est. *Saturninus Furius*, qui volens vel condemnauit, maius nomen in foro quàm in declamationibus habuit: solebat tamen tam honeste declamare, vt scires illum huic materiae non minus idoneum esse, sed minus familiarem. Is in hac controuersia cum L. Lamiae filio declamaret, dixit sententiam. *

Ex tabellis emptionis multi sententiam trahere tentauerunt. *Albutius* dixit: Profer mihi tabellas. quid hoc est? generum socer mancipio accepit. *Triarius* dixit: Fugitiuum, erronem non esse: Ita, si malum auctorem habemus, gener noster non fugitiuus est. *Blandus* dixit: Relegamus auctoritatis tabellas, furtis noxaque solutus: haec generi nostri laudatio est? *Gallio* dixit: Furtis noxaque solutus est. *Sparsus* dixit: Ostende tabellas. quid nobis cum isto genero? prior dominus promisit, fugitiuum non esse. Gratulor vobis posteri. patrem fugitiuum non habebitis. *Varius Geminus* dixit: Erronem non esse: adiicio, fugitiuum non esse: adiicio, furtis noxaque solutum. nunquid de generi tui nobilitate detraxi? *Pollio* aiebat ridere se, quòd declamatores decreuissent hunc vtique emptitium esse: Mirari vos puto, quòd in hac controuersia omnes declamatores mẽtis suae fuerint. *Nepos Mamilius* cùm hortaretur libertum ad repudium sororis, dixit: Refer nobis gratiam, & tu sororem meam manumitte. *Nepos Licinius* illi non cessit. dixit enim: Sub illa subsellia transite serui, [a] transite liberti, empta cognatio. & cum illum sensum elegantem, & ab omnibus iactatũ, subripuisset: Soror, opto tibi sterilitatem: adiecit: Nec est quòd mireris me timere partum tuum: audio sic nasci tyrannos.

Cauete proditorem. CONTROVERSIA VII.

LEX. PRODITIONIS SIT ACTIO. Thema. *Pater & filius imperium petierunt. Praelatus est patri filius. Bellum cõmisit cum hoste: captus est. missi sunt decem legati ad redimendum imperatorem. euntibus illis occurrit pater cum auro: dixit* [a] *ferre se aurũ ad redemptionem tulisse. filium suum crucifixum esse. illi peruenerunt ad crucifixum imperatorem. quibus ille dixit:* [b] CAVETE PRODITOREM. *Accusatur pater proditionis.*

CONTRA PATREM. *Albutij Sili.* Quid desideratis vltra? imperator suppliciũ tulit, proditor pretium. Tristiorem istum vidimus, cum filius imperator renũtiatus est, quàm cum captus. Redde rationem, quemadmodum redieris tutus senex, solus, cum auro: cum etiam imperatores capiantur. Imperator adolescens renuntiatus est omnibus laetis, praeter patrem. *Cestij Pij.* Plus accepit auri, quàm quod posset abscondi. nolite mirari. & imperatorem, & filium vendiderat. CAVETE PRODITOREM. Iam comitiis cauimus. Abstulissent tibi aurum hostes, nisi dedissent. Cum de redemptione ageretur, omnes in curia fuerunt, praeter competitorem. Indicium fuit, morientis breue, filij verecundum. *Blandi.* Quomodo te dimiserunt? si nihil aliud, & ducẽ genuisti, & dux esse voluisti. Si non decreueramus, consilium nostrum expectari debuit: si decreueramus, officium. *Arellij Fusci patris.* Vnde tam graues paterni sinus? nunquid ossa filij reportant? Expectat videlicet iudicia vestra reus: tanquam nesciat, quid de illo sentiatis. Non tu semel apud hostẽ fuisti, sed nos semel legatos misimus.

Imperator non audet nominare te,tanquam patrem. *Iunij Gallionis*. Fuit adolescens optimus,verecundissimus: qui patri suo cessisset,si salua pietate potuisset. Iterum vobis inter patrem & filium iudicandum est.Candidatus processit contra patrem, si silentium eius intelligere scissetis,& tũc vobis verecũde indicauerat.Habebas apud hostes auctoritatem: apparebat te Reip.irasci.Legati nostri aurũ ferebant:pater afferebat.Dixeras illos sero venturos: nonne peruenerunt?sero imperatorem nostrum cooucoeruot.Imperator istum accusat,nos subscribimus. hoc fuit imperatoris nostri testamentum. Obiice,inquit,aliqua anteactae vitae crimina.non possum.Verecundum competitorem habuisti. multum tacebat.quod possum tibi maius crimen obiicere? filius tibi tuus credi Rempublicam noluit. Non est quod dicas, Quem misi ad hostes: tanquam ipse ire non posses: cur tam cito reuerteris? Diutius nos contra filium rogasti,quàm pro filio hostem. Num immobilis diriguisti? num illi quasi & ipse affixus haesisti?[c] quid tam cito recedis? etiamnum viuit, etiamnum loquitur. recessurus interroga,si quid velit mandare. Voce proditionem coarguit,silentio proditorem.Intelligo quaoto periculo istum offendam. quemadmodum enim iste accusationem vindicauit?cruce. Omnibus argumenris premitur. dabo qui viderint,dabo qui audierint, dabo aurum,dabo testem,& ne quid de dignitate dubitari possit, imperatorem. De hoc vtrum volet,dicat:inimicus est,hunc indicauit. Aurum tantũ habuerat,vt appareret etiam non quaerentibus:tantum suspectus erat, vt quemuis potius quàm vos admoneret. PRODITOREM CAVETE. Optimus adolescens, optimus imperator,qui Reip.curam agere ne in cruce quidem desiit. Tibi non dixit, digoum te non putauit filius, cui diceret: CAVE PRODITOREM. *Varij Gemini*. Nolite omnia expectare ab accusatore, & occupato & verecundo.rem intelligite.crimina audistis: quaeritis anteactae vitae crimina? oon habet: nihil vnquam tibi filius obiicere voluit. Tam cito lassatae preces tuae sunt. quid faciet miser? Nec imperator potest tacere proditionem, nec filius loqui proditorem. *Porcij Latronis*.Quid abitis?itaque iam peruenit vsque ad crucem. Vereor ne tam sero caueamus, quàm imperator noster: qui non ante intellexit proditiooem, quàm proditus est: nec vnquam praesentius periculum fuit. Respublica sine imperatore est, proditor sine custode. Quid est quare tibi hostes pepercerint?Et imperatoris nostri pater es, & aurum habes, & legatus non es.Si tibi dicam, Expecta dum legati mittuntur:filius tibi publice remittetur:[d] dices: Paternos affectus non sustinet moram: rapit me desiderium filij: etiam si redimere viuum non potero, mortuum redimam. Nuoquam tam durus hostis fuit, vt paternis lacrymis non flecteretur. Vt ignoscam tibi,quòd tam cito isti:obiiciam, quòd tam cito redisti. dic quid dixerit tibi? an nihil cum patre loqui voluit? CAVETE PRODITOREM.hoc dixit: Videte ne quis nocte insciis custodibus exeat, ne quis Rep. ignorante ad hostem perueniat: ne quis ex hostium castris grauis auro reuertatur.Nihil deest indicio.Si quid de proditione quaeritis,imperator vobis dicet:si quid de proditore,legati.

PARS ALTERA. *Arellij Fusci patris*. Quantum est pretium, quo vendo,vt filium pater spectem in cruce,filius patrem de cruce? tãti & imperatorem & parricidium vendidi.Gratulabantur omnes repulso magis quàm designato nimis ambitiose.Nunc paenitet.& filium & patriam vendidit:tam exiguum auri accepit,vt vnus senex portare posset.

DIVISIO. In hac controuersia, etiam si coniecturalis est, habetque quasi certum tritumque iter: fuit tamen aliqua inter declamantes dissensio. *Latro* semper contrahebat, & quicquid poterat tuto relinquere,praeteribat. Itaque & quaestionum numerum minuebat, & locos nunquam attrahebat: illos quoque quos occupauerat, non diu dicebat,sed valenter. Hoc erat itaque praeceptum eius, quaedam declamatorem tanquam praetorem facere debere, minuendae litis causa. quod in hac controuersia fecit: non enim curauit dicere, nullam esse factam proditionem, sed se proditorem non esse. Et suspectus, inquit, iudici est, qui plus quàm se defendit: & nolo cum filij voce pugoare, vt imperatorem & filium mentitum dicam: praesertim cum odium aduersus filium obiiciatur patri. *Albutius* io duas parteis declamationem diuisit.primum negauit illam esse proditiooem: deinde vt esset, ad se non pertinere.

COLOR. Colorem contra patrem *Silo Pompeius* hunc introduxit, odio illum Reipub. a qua repulsus erat,fecisse,& odio ipsius filij quem oderat:& quia competiuerit,& quia vicerit. *Varius Geminus* dixit statim petiisse patrem hoc proposito imperium, vt proderet: hominem auarum & lucro inhiantem: & quia ooti mores eius erant, victum ab eo competitore,a quo vinci fas oon erat,nisi hominem turpissimum. Ante comitia, inquit,paratus erat & pecuniam accipere,& filium prodere:post comitia paratus erat pecuniam dare, vt filium proderet. Vt captus est dux:aiebamus,inquit,Noo potest hoc sine proditione fieri. excusa-

uimus

uimus nos imperatori. diximus perseuerasse ad redemptionem, quamuis deterruisset pater. Hoc loco ille respondit: CAVETE PRODITOREM. *Blandus* dixit, aegre ferentem pudorem repulsae, voluisse occidi filium, vt in eius locum substitueretur ipse. *Hispo Romanus*. Vltionem, inquit, suam hosti vendidit. tam facile, inquit, exiit: nocte peruenit ad hostes, rediit: vt scires illum non tunc primum fecisse. *Argentarius* dixit: Perfer ad senatum mandata filij tui. necesse est tibi multa dixerit, legatis quoque aliqua mādauit. fortasse proditoris nomen patri dixit. Indica nobis. Nihil, inquit, dixit mihi. Sublata omnis quaestio est: Quaeritis, quē dixerit? videte, cui nihil dixerit. Pro patre de comitiis hic color *Latronis* fuit. Ne quis filium meum vinceret, timui: itaque professus sum, vt auctoritate mea deterrerem futuros competitores: deinde ipse filio meo cessi. *Albutius* hoc colore vsus est: Aiebat, inquit, talem imperatorem fieri debere, qualis Scipio fuisset: talem senem, qualis Maximus fuit: senem nihil temere facturum, vtriusque populo copiam feci. *Cestius* hoc colore vsus est: Noueram vitia filij mei: sciebam esse acrem adolescentem, fortem, sed inconsideratum, temerarium. Itaque petij imperium Reip. causa filij mei, quem idoneum ad tantum sustinendum onus non putabam. *Fuscus Arellius* dixit, in hoc se competisse, vt hostium animi frangerentur, cum audissent posse Rempublicam vel in vna domo duos eligere. *Hispo Romanus* simpliciter putauit agendum. Inepti, inquit, hi colores sunt. componantur competitores. hoc itaque egit colore vt quereretur de exitu comitiorum: adolescentulos omnes conspirasse, quasi de aetatis comparatione ageretur: facile itaque victum senem non ambientem. De me, inquit, queri non potestis: clamaui, Non est vobis vtilis huius aetatis imperator. Mansit itaque illi & post comitia eadem contumacia: nihil referebat ad patrem, nihil communicabat: itaque captus est. & cum descripsisset quàm imperite disposuisset aciem, quemadmodum inexploratis locorum insidiis oppressa eius temeritas esset, adiecit: Hoc erat quod vobis clamabam, Ducem senem eligito. *Otho Iunius pater*: Praesagiis quibusdam, & insomnijs hanc fortunam praenuntiantibus agnita re, comperisse dixit. erat autem ex somniatoribus totus. vbicunque illum defecerat color, somnium narrabat. De eo quòd inscio senatu egressus est, *Latro* sic colorauit: decretum non expectasse, amentem & attonitum protinus praecurrisse. *Albutius* hoc colore vsus est: Semper de duce cito constitui. longum erat expectare: ad summam festinaui, nec occurri. *Varius Geminus* dixit: Maluisse solum ire. hostes enim auctoritate legatorum non moueri, ad lacrymas patrum saepe flecti. *Silo Pompeius* ait: Putaui vtilius esse, priuata illum pecunia redimi. minoris enim posse aestimari, quàm si tanquam imperator redimeretur. *Argentarius* ait: Nihil tam iniquum erat, quàm legatos ad redemptionem mitti. nunquam enim reddidissent, quem sic desiderari publice iudicassent. Itaque praecucurri rogaturus, & hoc dicturus: Exercitus contemnit illum, Resp. relinquit. *Blandus* ait: Cogitanti mihi quid facerem, contentusne essem paternis lacrymis, an comitatu publico preces meas adiuuarem: tandem venit in mentem, Troianum regem ad redemptionem filij sine legatis isse, & cum auro. *Sepullius Bassus* ait, non expectasse se curiam, quia putauerit futuros qui redimendum negarent, quod factum apud Romanos saepius erat: itaque ante se voluisse redimere, quàm posset aliquid de non redimendo constitui. *Cestius* dixit: Non quaesiui secretos tramitos, & occultū iter: proditor scilicet eadem via veni, qua legati. De voce filij, colorem *Albutius* hunc fecit: Pudebat illum, inquit, quòd captus erat, quaerebat aliquod fortunae suae patrociniū: voluit videri non culpa sua, sed proditione hoc sibi accidisse: itaque nomen adiicere non potuit. *Fuscus Arellius* dixit, alienatum iam suppliciis animum, & errantem has voces effudisse sine argumentis, sine reo. *Varius Geminus* omnia complexus est: Potest, inquit, propter hoc, potest propter illud: ego vobis idem suadeo, CAVETE PRODITOREM. hoc si cauere vultis, imperatores senes facite. Illud & in hac controuersia & in omni vita tuendum aiebat *Cestius*, quotiens aliqua vox poneretur, ne ad illam quasi ad sententiam decurramus. sicut in hac apud Cestiū quidā auditor hoc modo coepit: *Vt verbis ducis vestri scilicet, Iudices, incipiam*, CAVETE PRODITOREM. sic finiuit declamationem, vt diceret, *In quibus vitam finit imperator*, CAVETE PRODITOREM. Hoc sententiae genus *Cestius* ἠχὼ vocabat, & dicenti discipulo statim exclamabat: [illegible] ἠχώ. . . . . vt in illa suasoria, in qua deliberat Alexander, an Oceanum nauiget: cum exaudita vox esset, *Quousque inuicte?* ab ipsa voce quidam coepit declamare, & in hanc desiit. Ait illi Cestius desinenti: ἐν σοὶ μὲν λήξω, σέο δ' ἄρξομαι. Et alter, cùm descriptis Alexandri victoriis, gentibus perdomitis, nouissime poneret: *Quousque inuicte?* exclamauit Cestius: *Et tu quousque?* *Otho* pater hoc colore vsus est pro patre. dixit enim molestum fuisse imperatori, quòd illum suffixum legati intuebantur. itaque vt ab hoc illos spectaculo arceret, & exoneraret verecundiam suam, id dixisse, quo audito festinarent. Itaque dixisse illum, non, CAVEANT PRODITOREM: sed,

CAVETE: quasi ipsis legatis esset periculum, ne proderentur.

Mutanda optio raptore conuicto. CONTROVERSIA VIII.

LEX. RAPTA RAPTORIS AVT MORTEM, AVT INDOTATAS NVPTIAS OPTET. Thema. *Rapta producta, nuptias optauit. Qui dicebatur rapuisse, raptorem se negauit. Conuictus est. Illa optionem petit. Contradicitur.*

CONTRA RAPTAM. *Albutij Sili.* Praeterquam quòd in omni discrimine periculosa libertas est, meruit puella vt taceremus: misericors in nos etiam antequam rogaremus, fuit. inhumana libertas est, si vincimus aduersus iudices. Non oportet tibi amplius quàm semel licere optare. omnis nimia potentia saluberrime breuitate constringitur. qui potest condemnare, possit semel: qui potest occidere, possit semel: aut si qua iteratio recipi potest, in paenitentiam mortis recipienda est. [a] Proponite vobis iam supplicij faciem, carnificē, securim. alicui hoc semel licere, nimium est. exorata sum. cōde gladium: irata sum, repeto optionem. & non semel mori satius est? occide iam non vitiatorem, sed virum. *Porcij Latronis.* Periculosius est negare raptum, quàm commisisse. in hanc perturbationem adolescens perductus erat, vt ignoraret, quid fecisset: non refugiebat tamen puellae nuptias. fauebat tantum sibi, vt innocens duceret. itaque nihil aliud petit quàm libertatem, vt honestius duceret. Ita apud vos Iudices, tutius est peccare quàm erubescere? Dignior poena erat, si id peccasset, quod meminisse posset. Exsurge adolescēs, & sine vllo respectu pudoris ad pedes te puellae demitte: accedite & vos amici propinquique, & tu mater & pater: quid tu puella? ecquid te horum lacrymae mouent? Non eo, inquit, ad illum magistratum. non dissimulo. metuo te puella, si nusquam rogari vis, nisi vbi occidere potes. Grauius punior nunc, cum me peccasse pudet, quàm cum peccaui. Quae post iniuriam ignoscit, perdit misericordiam. *Cestij Pij.* Venit ad vos, vestro beneficio retenturus puellae beneficium. optauit nuptias: neque adhuc sciebat, quàm verecundum maritū esset habitura. Raptorem dimisisti: virum occides? aiebat iudex: Quid habes, quod tā pertinaciter neges? nuptias optat. [b] minus est ergo quòd vitiauit, quàm quòd negauit? *Q. Haterij.* Non sum, inquit, optatura mortem, sed volo mihi licere & mortem optare. quam potestas ista delectat, crudelis est. *Blandi.* Ergo nos iniuriam periculosius negauimus, quàm fecimus. *Iunij Gallionis.* Quadam nocte, quid dicam? Non negare iam non audeo. Nox, vinum, error. quid irasceris puella? iam non negat. Non diligenter causa mea acta est. dum nihil timetis, facilius me puellae credidistis. Confitendum est vitium nostrum. nos nuptiis fecimus moram. Siue adhuc esset vitiata, siue non esset, visa est indigna matrimonio, quae hominem posset occidere. Tibi consulebam, ne diceretis vitiatori nupta. si per te licuisset, honestiorem maritum habuisses. Tu negasti? O hominem impudētem: ita tu non ante magistratus tribunal, in conspectu populi, in medio foro clamitasti: Ego virginem rapui? Neminem habere tam obsequētem maritum potes: hic iam nihil negauit. *Varij Gemini.* Exponam vobis rerum ordinem, sic tanquam ab eo didicerim, qui quid fecerit, nescit. *Vibij Galli.* Vbi estis qui dicebatis: Nihil interest tua, Confitere, cōfitere: quia honestius putasti raptori nubere. Sit, inquit, mihi heres, si quis intra decem menses natus fuerit. nunquid negat? * Surge adolescens: dic, Rapui, vitiaui: incipe scire quod nescis: miraris si tibi non credit? multum est de quo timet.

PARS ALTERA. *P. Asprenatis.* Nescio vtro iudicio aduersarius fuerit improbior: priore id egit, ne quam omnino poenam stupri penderet: [c] hoc id agit, vt ipse optet, ex duobus a lege constitutis suppliciis, vtrum velit pendere. Fatetur enim impune se habere maluisse, quàm ducere vxorem: vxorem ducere malle, quàm mori. antea legem vitiationis euertere conatus est, nunc transferre vult: aduocatos rogat, iudices rogat, omnes potius quàm vitiatam. Vtinam non hoc illum liberaret metu, quòd iudicis sui nouit clementiam. nobis clamabat se innocentem: si quid peccasset, mori non recusare. Aderat raptori populus: nec quicquam magis suspectam faciebat vitiatae causam, quàm lenitas optionis. Si tibi iam de stupro tuo liquet, est quaedam proxima innocentiae verecundia, praebere se legibus: tu vero meruisti quidem mortem illa infitiatione. ignorasti an peccasses, innocens esse voluisti, causam haberes: reuertere ad partes puella, quandoquidem totiens iam rogas, quae rogari ipsa debueras.

DIVISIO. *Latro* tres fecit quaestiones, an illa optio iusta fuerit. Non fuit, inquit, iusta: non enim constabat te raptorē esse. Nihil refert, inquit, an negauerit: erat enim raptor, etiam ita si negabat, & iusta fuit optio. An si iniusta optio fuit, reuocari possit. Optio, inquit, semel puellae datur: immutabilis est, semel emissa. Iudex quam tulit de reo tabellam, reuocare

non po-

non poteſt.quaeſitor non mutabit pronuntiationem ſuam. Nihil tam ciuile, tam vtile eſt, quàm breuem poteſtatem eſſe,quae magna eſt:ſi volet & alteram ſuam optionem reuocare, & deinde tertiam, nunquam conſtabit quid futurum ſit:cum illa quod optauerit, poſſit ſequenti ſemper optione reſcindere. Tertiam fecit quaeſtiooem, An ſi poſſit aliquando reuocari optio,nũc debeat. Haec defenſio adoleſcentis,qui negauit ſe vitiaſſe. *Fuſcus* & ordinem mutauit quaeſtionum,& numerũ auxit.fecit enim primam quaeſtionem,An rapta non poſſit amplius optare quàm ſemel. Poteſt, inquit.lex enim oon adiecit,quotiens optet, ſed ex quibus.Aut hoc,inquit,aut illud.[d]Non adiicit,Neque amplius,quàm ſemel. Cõtra ait: Lex iubet te alterutrum optare. Tu hodie ſi mortem optaris, facies quod nunquam factum eſt: vtrumque optaueris.Etiam ſi noo licet,inquit, amplius quàm ſemel, & mortem optabis & ouptias.Ego oondum optaui:optio eſt enim, quae legitime fit:illa non eſt facta legitime. ſi praetor defuiſſet,nunquid optiooem vocares?Si rapta defuiſſet?raptor nõ fuit. Non eſt illa optio: ſermo eſt. An proximo iudicio confirmata ſit optio. Rapta ait: Agebatur apud iudices,vtrum deberet raptae eſſe optio:non iudicatum eſt raptam eſſe debere:rapta ſit. Noo, inquit puella:quaeſitum eſt enim, an ego in raptorem ius haberem:iudicatũ eſt habere me: vti debeo. Non poſſum ante legem habere,quàm raptorem. Nouiſſimain quaeſtionem fecit aequitatis,An raptae debeat eſſe optio. *Paßienus* hanc vltimam partem ſic diuidebat:An ſi adoleſcens malo aduerſus puellam animo infitiatus eſt raptum, vt nuptias effugeret, dignus ſit qui iterum fortunam ſubeat optionis recuſatae.deinde,an malo animo fecerit. *Varius Geminus:* Vltimae quaeſtioni vel parti,inquit,quid debeat fieri,quaeritur. Duo haec adiiciebat,quae per ſe quaeri putabat:An ſi puella pro certo adoleſcẽtis mortem optatura eſt, nõ debeat illi permitti optio,tam crudeliter vſurae ſua poteſtate.deinde,An mortem optatura ſit.Quid eſt,inquit,quare velis optare,niſi quòd nuptias ooo vis? Hoc non tantum patimur,ſed rogamus.

COLOR. Color pro adoleſcente introductus eſt a Latrone talis, vt diceret, ſe ebrium fuiſſe,& ignorare quid fecerit:hoc die magis credere de facto ſuo, quàm ſcire:recuſaſſe autem,noo ne duceret vxorem,ſed vt ſua volũtate duceret:& iudices non audiſſe ſolicitos:faciles fuiſſe quaſi de nuptiis ageretur. *Varius Geminus* raptam confeſſus eſt,& dixit,nihil tam contrarium eſſe adoleſcenti,quàm etiamnum negare:ne non tantum raptam, ſed etiam iudicem offendat. *Ceſtius* nec Latronẽ ſecutus eſt dicentem, neſciſſe ſe,hodieque neſcire:nec Varium Geminum coofitentem ſe ooo rapuiſſe, apertius negauit. Virum, inquit, inuenire noo poterat,Iudices. Tertiam ſententiam ſecutus eſt. Si rapuit, indignum eſt puellam inuitam raptam eſſe:ſi non rapuit,nonne indignum eſt fieri illum maritum? *Silo Pompeius* dixit, adoleſcentem verecundum natura, & ruſtici pudoris, non ſuſtinuiſſe confeſſionem. Non placebat Latroni color.Minus,inquit,ignoſcetur illi,ſi ſcit ſe rapuiſſe,& ſciens mentitus eſt. Contradicebat Silo, poſſe vlli fidem fieri, aliquem neſcire an rapuerit. *Hiſpanus Cornelius*: Non ſubducere illi,inquit,maritum volui,ſed hooeſtiorem dare. Digna eſt,inquit, tam miſericors puella,quae non videatur nupſiſſe raptori. *Hiſpo Romanus* ait,illos ſodales qui ipſum impulerant,circumſtetiſſe & dixiſſe:Non eſt haec quam rapuiſti.timuit,ne illi,quam rapuerat,faceret iniuriam. *Argentorius* dixit: Vellem mortem optaſſes. non eſſet hic raptor iudicatus.Noo cauſa tua illum premit,ſed optio.Dum vnusquiſq; iudex dicit,quid habet quod tantopere recuſet,putat de capite agi:& ipſe ait,ſe non velle ducere vxorem,ſed titulum recuſare. Nempe victus ducet vxorem.Noo eſt ſolicite de eo iudicandum, cui damnato gratulandum. *Silo* hoc colore vſus eſt: Confuſum adoleſcentem ſubito, & tanto tumultu parum ſibi conſtitiſſe:& oegaſſe,quia perturbatus erat:perſeueraſſe,quia negauerat.

M. ANNAEI SENECAE CONTROVERSIARVM LIBER OCTAVVS.

Orba post laqueum sacrilega. CONTROVERSIA I.

EX. MAGISTRATVS DE CONFESSO SVMAT SVPPLICIVM. Thema. *Amisso quaedam viro cum duobus liberis, laqueo se suspendit. Incidit ei laqueum tertius filius. Illa, cum sacrilegio facto, quaereretur sacrilegus, dixit magistratus se fecisse sacrilegium. Vult magistratus tanquam de confessa sumere supplicium. Filius contradicit.*

CONTRA MAGISTRATVM.[a] Facio, Iudices, in foro quod domi feci, matrem mori prohibeo. Quomodo, inquam, fecisti? quo loco quae sustuleras, cōdidisti? Haerebat, nec quicquam sacrilegij nisi poenam nouerat. Amissis duobus filiis, sacrilega sibi videbatur, quòd viuebat.[b] Non affuturus veni, sed seruaturus. Alij pro reis rogāt: ego rogabo ream. Nullum habet accusator nisi in subselliis meis testem. Nō est confessio, nisi quam accusator eruit, negat rea, tortor expressit. Fertur quaedam[d] viso cōtra spem filio expirasse. si ad mortem agit matres magnum gaudium; quid magnus dolor? Mater, habes nō mediocre solatium. vides aliquid & deos perdere. Magis deos miseri, quàm beati colunt. Non fecit sacrilegium mulier,[e] non fecit orba, nō fecit quae custoditur, non fecit quae confitetur.[f] Irata, inquis, diis sacrilegium potuit committere. Frangitur calamitosis animus, & ipsa se infelicitas damnat: & hoc condicio humana vel pessimū habet, quòd fortuna quos miseros fecit, & superstitiosos facit. Diligentius dij colūtur irati. Quis ergo fecit? Vnde scire possum, qui matrem custodio? Ago causam legum, ne carnificem, quem sacrilegis minātur, calamitosis adhibeant. Deos ita coluit, vt quae tam pro multis timeret. Confessio conscientiae vox est. Confessio coacti, & quae fecit agnoscentis, est verbum.

PARS ALTERA. Omnium vox erat, sacrilegium latere non poterit. Quisquis est, non ipse bonum exitum faciet, non quisquam suorum. Et si nemo fuerit accusator, ipse narrabit. Concitata processit, velut diis ipsis persequentibus. Feci, inquit. Supplicium de ea vel nunc exigamus homines, de qua olim dij exigere coeperūt. Violatorum numinū maiestate compulsa est, vt mori & vellet & deberet, & non posset. Incisus est ei laqueus. Ita putabas te sacrilega, secreto mori posse? Omnia fecit, vt taceret: quae ne confiteretur, etiam mori voluit. Si crimen quaeritis? sacrilegium factum est. si facti causam quaeritis? si priusquam amitteret liberos, auara: si postquam amisit, irata.

Phidias amissis manibus. CONTROVERSIA II.

LEX. SACRILEGO PRAECIDANTVR MANVS. Thema. *Ely ab Atheniensibus Phidian acceperunt, vt is Iouem Olympium faceret: pacto interposito, vt aut Phidian, aut centum talenta redderent. Ioue perfecto, Ely Phidian aurum rapuisse dixerunt, & manus tanquam sacrilego praeciderunt: truncatum Atheniensibus reddunt. Petunt Athenienses centum talenta. Contradicitur.*

CONTRA ELIOS. Iam Phidian commodare non possumus. Tunc demum illa maiestas exprimi potest, cum animus opera prospexit. Manus duxit ante sibi, quàm operi. Iouem fecit. Sacrilegi vos estis, qui praecidistis consecratas manus. Primum sanguinem sui artificis vidit Deus. Testor Iouem, iam propriū Phidiae deum. Ars alios in miseria sustinet, te fecit miserum. Paciscendum Phidian manus fecerant. Sine eo Phidian nos recepturos speratis, sine quo vos accepturi non fuistis? Commodauimus qui posset facere deos, recepimus qui ne adorare quidem possit. Non pudet vos Iouem debere sacrilego? Superest homo, sed artifex periit. Poenam nobis Phidiae, non Phidian redditis. Manus quae deos solebant facere, nūc nec homines quidem rogare possunt. Talem fecit Iouem, vt hoc eius opus Elij vltimum esse vellent. Manus commodauimus: manus reposcimus. Elius testis est, Elius accusator, Elius iudex: Atheniensis tantum reus. Inuoco deos, & illos quos fecit Phidias, & illos quos facere potuit. Recepimus Phidian. confiteor, si possumus commodare.

PARS ALTERA. Habuimus aurum olim sacrum: habuimus ebur. sacrae materiae artificem

cem quaesiuimus.[a] disposueramus quidem, vt aliis quoque templis simulacra Phidias faceret. sed non tam necesse erat ornare deos, quàm vindicare.

Infamis in nurum. CONTROVERSIA III.

THEMA. *Duorum iuuenum pater vni vxorem dedit: quo peregre profecto, infamari coepit socer in nurum.[a] Maritus reuersus abduxit ancillam vxoris, & torsit. Illa in tormentis periit. Maritus incerto quid quaesierit, se suspendit. Imperat alteri filio pater, vt eandem ducat. Nolentem abdicat.*

CONTRA PATREM. Duc, inquit, fratris vxorem. Sic hoc fieri potest? Adulterum frater inuenit. Haec est mihi causa abdicationis, quae fratri mortis fuit. Duc, inquit, fratris vxorem. Tentari me, si qua est fides, credidi. Mulier, si nubere lugenti potes, facis vt omnia de te credantur. Cogor eam ducere, quae mihi causa abdicationis est, populo rumoris, viro mortis. Legi iam vxorem: quae, si peregrinatio inciderit, mecum peregrinari velit: quae, si viro aliquid acciderit, nubere alij nolit. Qui audiunt me abdicari, putant fratrem aliquid suspicatum de me.

PARS ALTERA. Obiecisti mihi vltimum nefas, & quod qui tantum est suspicatus, noluit viuere. Impulsu tuo frater torsit ancillam: & quia nihil reperit, falsas suspiciones morte piauit.

Homicida sui. CONTROVERSIA IIII.

LEX.[a] HOMICIDA INSEPVLTVS ABIICIATVR. Thema. *Quidam se occidit. Petitur vt insepultus abiiciatur. Contradicitur.*

PRO HOMICIDA SEPELIENDO. Afferre sibi coactus est manus assiduis malis. Summam infelicitatum suarum in hoc remouit, quòd existimabat licere misero mori. Infelicissime adolescẽs, cum te & sepultura prohiberi video, desino mirari quòd periisti. Tales inimicos habes, vt etiam mortuum persequantur. Facilius miserum, quàm sceleratũ fortuna vincit. Sumpsisti hoc ferrũ Cato,[b] & quàm inuidiosum, quòd Catonem occideris? Curti,[c] perdideras sepulturam, nisi in morte reperisses. Quid est miserius in vita, quàm velle mori? Quid in morte, quàm sepeliri non posse? Quis miretur eum mori voluisse, quem fugiẽtem quoque fortuna persequitur? Omnibus natura sepulturam dedit. naufragos idem fluctus qui expulit, sepelit. suffixorum corpora crucibus in sepulturam suam defluunt. eos qui viui vruntur, poena funerat. Irascere interfectori, sed miserere interfecti. Homicida, inquit, est, quia se occidit. Huic irasceris? Pro quo irasceris? Nõ aliud Scaeuolae Mucio cognomen dedit, & capto, cõtra Porsennam regem libertatem reliquit, quàm vilitas sui.[d] Non aliud Codrum illud ceteris imperatoribus dedit exemplum, quàm quòd positis imperatoriis insignibus, ad mortem cucurrit. Nec vllo maior fuit dux, quàm quòd se ducem non esse mentitus est.[e] Non postulo, vt gloriosum, sed vt tutum sit mori. Non magis crudeles sunt, qui volẽtes viuere occidũt, quàm qui mori volentes non sinunt. Curtius deiiciendo se in praecipitem lacum, fatum sepulturae miscuit. Celebretur Cato, quia se occidit. huic miserrimo, quòd aliquid non ignaue de spiritu suo statuit, tantum impune sit. Etiam vulnera infelicis scrutãtur in crimen. Aestimate an viuere licuerit, cui ne mori quidem licuit.

PARS ALTERA. Facinus indignum, si inueniantur manus quae sepeliant eum, quem occidere suae. Sumpsit gladium. Video ardentes oculos.[f] In quem, nescio: quod solum scio, scelus cogitat. Nescio cuius criminis sibi conscius confugit ad mortem. Cuius inter scelera etiam hoc est, quòd damnari non potest. Contra hos inuentum est, vt aliquid post mortem timerent, qui nec mortem timent. Nihil non ausurus fuit, qui se potuit occidere.

Fortis nolens ad patrem fortem redire. CONTROVERSIA V.

THEMA. *Abdicauit quidam filium. Ille tacuit. Fortiter fecit. Petit pro praemio ad patrem reditum. Pater contradicit. Pater postea fortiter fecit. Petit ad se filij reditum. Filius contradicit.*

CONTRA FILIVM. Ego fortior sum. post tuam pugnam pugnauimus: post meam vicimus. Reuertere. dignam domum te feci. Isti oculi mei sunt. istae manus meae sunt. ista cõtumacia mea est. Si mereor praemiũ, mihi date: si non mereor, isti suum reddite. Ego, inquit, eadem lege praemium non accepi. Hoc est vnde abdicatus es. Putas nihil inter te & patrem interesse? post tam similia opera, si tantum commilito esses, me patrem adoptare debueras,

Admoneo te iuuenis. hoc praemium qui recusanerat, petit. Timeo, inquit, ne me iterum abdices. Commissurum me putas, vt iterum rogem? Bello grauiorè pugnaui, quo necesse fuit etiam senibus militare, quo fortes esse non potuerũt, etiam qui priore bello fuerant. Ille annos suos exercuit. ego vici meos. [a] Tu fregisti bellum. ego sustuli. Quanta exhortatio iuuenum fui senex fortis. Vtique nostrum praemium reddite. Militaui senex: militaui exanguis: militaui qui iam vicarium dederam. Vterque nostrum cum rogatur, fastidit: cum relinquitur, rogat. Quid nos suspicari cogis, [b] quòd non vis in paternam domum venire? Turpe erat virum fortem, nisi a patre coacto, non recipi.

PARS ALTERA. Quid me captiuum ex libero cupis? Quid ignominiae subiicis virum fortem? Quid efficis, [c] vt possim abdicari? Meus, inquit, es filius. Quid opus est praemio, si tuus sum?

Pater naufragus diuitis socer. CONTROVERSIA VI.

LEX. RAPTA RAPTORIS AVT MORTEM, AVT INDOTATAS NVPTIAS OPTET. Thema. *Diues pauperem de nuptiis filiae interpellauit tertio. Ter pauper negauit. Profectus cum filia, naufragio expulsus est in diuitis fundum. Appellauit illum diues de nuptiis filiae. Pauper tacuit, & fleuit. Diues nuptias fecit. Redierunt in vrbem. Vult pauper educere puellam ad magistratus. Diues contradicit.*

CONTRA DIVITEM. Educatur ad magistratus puella. quid times? Certe vxor tua est. Queri nec de morte poteris, si hanc puella maluerit. Nemo vnquam raptor serius periit. Vt litus agnoui, naufragus in altum nataui. Quid times, si exorasti? Accessit ad me primum. Filiam tuam ducere volo, inquit. Non fleui. tunc enim licuit negare. Nuptias filiae, tanquam naufragium meum fleui. Naufragus plus de litore queror. Inter naufragium quidem & nuptias, ne vna quidem nox interfuit. Differat nuptias, [a] dum flere socer desinat. [b] Putat me iam filiam commisisse sibi, cum hic necdum se committat vxori? Lacrymis inter verba manantibus venio: talis & in nuptiis filiae fui. Si rapta est, cur optionem recusas? Si vxor est, cur times? Loquor vbi primum licet. Procul a conspectu reliqueram patriam, nõdum tamen possessionem diuitis praeterieram. Subito fluctibus inhorruit mare, ac discordes in perniciem nostram flauere venti. demissa est nox coelo, & tantum fulminibus dies redditur: [c] inter coelum terramque dubij pependimus. Adhuc tamen bene, Iudices, nauigauimus. naufragium maius restat in litore. [d] Erat in summis montium iugis ardua diuitis specula. illic iste naufragiorum reliquias computabat; illic vectigal infelix, & quantum sibi iratum redderet mare. Interrogor de nuptiis filiae, cum adhuc pulsaret aures meas fluctus. feci quod debui, & captus & naufragus. inimico stuprum lacrymis negaui. Delicatus diues, qui etiam inter naufragia amare potest. Matrimonij celebritatẽ remoti angulo ruris abscõdit. ibi fecit nuptias, quo nemo nisi naufragus venit. Lacryma est indicium inoptatae rei. lacrymae pignora sunt nolentium, & repuguãtis animi vultus index. Nemo vnquam quod cupit, deflet. Lacrymae coacti doloris intra praecordia, & intolerabilis silentij eruptio. Sic ille qui super cinerem deflet patrimoninm, odit incendium: sic qui naufragium deflet, maria detestatur. Fletus humanarum necessitatum verecũda execratio est. Tuae nunc sunt partes puella. discedo: &, quod prius feci, taceo. Si nupta es, habes quod optes: si vitiata, quod imperes.

PARS ALTERA. [e] Naufragum duo sacratissima inter homines exceperũt, hospitium & affinitas. alterum praestiti: alterum etiam rogaui. Oblatas conciliante fortuna nuptias, quod erat amantis, saepius rogaui: quod festinantis, non distuli. Quid hic raptoris est, nisi quod indotatam duxi? Errat socer, qui putat mihi, cariorem futuram puellam, si me potuerit occidere. [f] Quid enim mihi superest? preces meae quas totiens adhibui, an istius lacrymae quas moui? Nihil mihi inimicus obiicere potest praeter matrimonium. Magnus est amor, qui ex misericordia venit. Fundebamus lacrymas ex paenitentia discidij prioris. nec plura aut me proloqui, aut istum respondere passae sunt mentes gaudiis occupatae. Nulla integritas tantum [g] sibi, etiam explorata, confidit, vt causam velit dicere. Si interrogaueris filiam, [h] partem legis amputaturus es: si non interrogaueris, legem. Si genero vitam daturus esset, etiam innocentiam reliquisset. [i] Quaeritis, quid dum fleret, fecerit? Non negauit, & solebat negare. Si nollet mortem, optaturus est? Non enim potest eas partes legis desiderare, [k] quas habet.

M. ANNAEI SENECAE CONTROVERSIARVM

LIBER NONVS.

IAM videbar promissum meum implesse. Circumspiciebam tamen, nunquid me praeteriret. Vltro Votieni Montani mentionem intulistis: & velim vos subinde aliqua oomina mihi offerre, quibus aduocetur memoria: quae quando senilis pet se marcet, admonita, & aliquando lacessita, facile se colliget. *Montanus Votienus* adeo nunquam ostentationis declamauit causa, vt ne exercitatus quidem declamauerit. Rationem quaerenti mihi ait: Vtram vis? honestam, an vetam? Si honestam, ne male assuescam. Qui declamationem parat, scribit non vt vincat, sed vt placeat. Omnia itaque lenocinia ita conquirit: argumentationes quia molestae sunt, & minimum habent floris, relinquit: sententiis explicationibusque audienteis delinite contentus est. Cupit enim se approbare, non causam. Sequitur autem hoc vsque io forum declamatores vitium, vt necessaria deserant, dum speciosa sectantur. Accedit etiam illud, quòd aduersarios quamuis fatuos fingunt, respondent illis & quae volunt, & cum volunt. Praeterea nihil est quòd errorem aliquo damno castiget: stultitia eorum gratuita est. Vix itaque in foro futurus periculosus stupor discuti potest: qui creuit, dum tutus est. Quid, quòd laudationibus crebris sustinentur, & memoria illorum assueuit certis interuallis quiescere? Cum ventum est in forum, & desiit illos ad omnem gestum plausus excipere, aut deficiunt, aut labant. Adiice nuoc, quòd ab aliis nullius interuentu excutitur. Nemo ridet, nemo ex industria obloquitur: familiares sunt omnium vultus. In foro, vt nihil aliud, ipsum illos forum turbat: hoc quod vulgo narratur an verum sit, tu melius potes scire. Declamatoriae virtutis *Latronem Porcium* vnicum exemplum, cum pro reo in Hispania Rustico Porcio propinquo suo diceret, vsque eò esse confusum, vt a soloecismo inciperet: nec aote potuisse confirmari, tectum ac parietes desiderantem, quàm impetrauit vt iudicium ex foro in basilicam transferretur. Vsque eò ingenia in scholasticis exercitationibus delicate nutriuntur, vt clamorem, silentium, risum, caelum denique pati nesciant. Non est autem vtilis exercitatio, nisi quae operi simillima est illi ad quod exercet: itaque durior solet esse vero certamine. Gladiatores grauioribus armis discunt quàm pugnant: diutius illos magister armatos quàm aduersarius sustinet. Luctantes binos simul ac ternos fatigant, vt facilius singulis resistant. Cursores quod intra exiguum spatium de velocitate eorum iudicetur, id saepe in exercitatione decurrunt, quod semel decursuri sunt in certamine. Multiplicatur ex industria labor quo coodiscimus, vt leuetur quo decernimus. In scholasticis declamationibus contra euenit: omnia molliora & solutiora sunt. in foro partem accipiuot, in schola eligunt: illic iodici blandiuotur, hic inseruiuot: illic inter fremitum circumsonantis turbae intendendus animus est, vox ad aures iudicis perferenda est: hic ex vultu dicentis pendent omnium vultus. Itaque velut ex vmbroso & obscuro prodeuntes loco, clarae lucis fulgor obcaecat: sic istos a scholis in forum transeuotes, omnia tanquam noua & inusitata perturbant: oec ante in oratorem corroborantur, quàm multis perdomiti contumeliis, puerilem animum scholasticis deliciis languidum vero labore durarunt. *Lepidus*, vir egregius, & qui declamatorio non studio.

Cimon ingratus Calliae. CONTROVERSIA I.

LEX. ADVLTERVM CVM ADVLTERA QVI DEPREHENDERIT, DVM VTRVMQVE INTERFICIAT, SINE FRAVDE SIT. INGRATI SIT ACTIO. Thema. *Miltiades peculatus damnatus, in carcere alligatus decessit. Cimon filius eius vt eum sepeliret, vicarium se pro corpore patris dedit. Callias sordide dites natus, redemit eum a Republic. & pecuniam soluit. eique filiam suam collocauit, quam ille deprehensam in adulterio, deprecante patre occidit. Ingrati reus est.*

PRO CIMONE. *Albutij Sili.* Non me mouet periculum meum. semper nos in malis nostris non fortunam, sed causam spectauimus. Non dubito, quin Callias redempturus Miltiadem, si iam habuisset filiam nubilem. *Musae.* Aliud alius pati non potest. mihi adulterium carcer est. *Arellij Fusci patris.* Nihil, inquit, filiae plus possum dare quàm Cimonem

virum.quando mihi contingent ex eo nepotes?Ferrum a lege mihi traditum, ad vindictam pudicitiae,proiiciam?Perdidiſti pecuniam Callias , ſi tales ſoluiſti manus. Damnatus peculatus,nihil aliud heredi ſuo relinquit,quàm ſe patrem. *Ceſtij Pij.*Non poteſt generoſus animus contumeliam pati.Merito tu ex Cimone nepotes habere cõcupiſti. Quid magis in me probaſti,quàm carcerem?non ſum innocentior quàm pater:ne felicior quidem.Hoc vnum intereſt inter parentis & filij fortunam,[b]quòd illius calamitatum exitus fuit carcer,mearum initium.Exponam vobis,quàm in neminem meorum ingratus ſim.[c] Vnus Miltiadis cenſus inuentus eſt Cimon filius : nec hic quidem quicquam habuit , quod dare pro patre praeter ſeipſum poſſet.In Cynegyri domo ſperare nuptias poteram, in Callimachi.nec verebar, ne * Cynegyrus pluris ſuas aeſtimaret manus. Redemptus Cimon redemptoris felicitas eſt. *Votieni Montani.*Faciam dicat,nõ accepi beneficium.alter reddidit.Certe beneficium reddam, cum tam honeſtum deſideraris quàm dediſti.Ego adulteros dimittam? quid aliud facerem, ſi adhuc alligatas haberem manus ? egit me attonitum dolor. Non mehercule ſic exoraſſet Miltiades pater.Nihil Calliae debeo , niſi liber ſum. Eſt vir egregius Callias, eſt miſericors. ſed vtinã tantum aduerſus bonos. Maior iniuria eſt,ſi nũc manus Cimonis alligantur,quàm fuit beneficium quo tunc ſolutae ſunt.Non iſte iniquiore animo filiam amiſit, quàm ego vxorem:ſed aequiore animo impudicam pati voluit.Vis diuitias tuas abſcondere,cum in eos inciderint qui mendicitate cẽſentur?Nihil babet domus noſtra melius quod oſtẽdat,quàm paupertatem.Da pecuniam Miltiadi,qua damnationem luat,nocens erit : da Cimoni , qua patrem redimat,pius non erit. *Vibij Galli.* Nullo mihi felicior videor , quàm quòd Miltiadis pretium fui.Alligatus iacebat Perſicae potentiae vindex, libertatis publicae aſſertor. alligatus iacebat crimẽ ingratae ciuitatis.Adulteram dimittam patri?adulteram,cui non tam glorior,quòd filius ſim Miltiadis, quàm quòd vicarius. Quid?tu poenã putas pro Miltiade alligari ? Si adulterum ſolum occidero,exulandũ eſt. quid faciam?non occidam,plus quàm praeſtitiſti exigis:pro carcere exilium.Neutrũ occidam,plus quàm praeſtitiſti exigis. vnum beneficium dediſti:duo petis. Magnum vterque beneficium, dum datis, recepiſtis.Cimon, quòd Miltiadem redemit: [d] tu, quòd Cimonem. Videbatur mihi omnis maiorum meorum circa me turba fremere dicentium : Vbi ſunt illae manus quae ſoluere Miltiadem ? Non mihi occurrit indulgentia vxoris:non Callias ſocer:non vllius aut rei , aut beneficij memoria: feci quod ſoleo,nihil aliud aſpexi quàm patrem. *Montanis.* Cogita adulteros eſſe pro quibus rogas,cogita qualiũ miſereri ſoleas.Turpe eſt, ab eodem dimitti & adulteros & Cimonem. Ego ſum,qui referre gratiam ne mortuis quidem deſino.Ita mihi veros habere liberos contingat, quod quantum ſit, Miltiades expertus eſt. *Porcij Latronis.* Ego adulteros dimittam? ardet cupiditate vindictae animus.Has manus cõtinere non poſſet Miltiades, quas alligare potuit.Si in hoc ſolutus ſum,redde me carceri. Ille Graeciae ſeruator , & Perſarum vindex, Orientiſque domitor,cui modo tam inſignem triumphum fortuna de hoſte detulerat , damnatus eſt peculatus,ob hoc videlicet ipſum,vt innocẽtia eius,quae alioquin latere potuerat,ipſa damnatione oſtenderetur. damnatus eſt innocens. Quis in ciuitate miſericors eſt? nunc occaſio miſericordiae venit.Miltiades redimẽdus eſt.Redemi corpus tuum, Miltiade, ne funeri quidem interfuturus , in quod meipſum impenderem. Miſereor accuſatoris mei, non quia perdidit filiam,ſed quia habuit. Dignus erat Callias habere tales , quales redemit. Quòd ſi me in hanc ſtuprorum patientiam redemiſti, matrimonio carcerem praefero. Honeſtius patri alligor,quàm adultero ſoluor.Vt audiui eſſe qui pecuniam numeraret, miratus ſum fuiſſe in ciuitate noſtra quẽquam,qui Cimonem redimere quàm Miltiadem maluiſſet. Ego ne patrem quidem meum,niſi innocẽs fuiſſet,redemiſſem. *Blandi.*Obiiciat licet vincula:nũquam tamen efficiet,vt non magis carcere glorier quàm matrimonio.Diuerſi ſunt hominum affectus.tu fortaſſe Callia vincula ferre non potes:ego adulteram vxorem.Effugiẽt ergo adulteri,tãquam alligatas Cimonis manus? *Argentarij.*Redemptũ me protinus appellare coepit de filiae nuptiis.Statim,inquam,Callias experitur an gratus ſim:habe filiam ſine Cimone.pro vna rogat,duos eripit. *Fuluij Sparſi.*Dic nũc, Ego te carcere exemi:dũ ego reſpondeam,Ego me carceri tradidi.Nunquã effici poterit,vt melius actũ putẽ quòd a Callia redemptus ſum,quàm quòd pro Miltiade alligatus. Filia tua abſtulit tibi generũ Cimonem. Ductus eſt pater meus in carcerem, etiamnum captiuis ſuis plenum. *Iunij Gallionis.* Beneficium,inquit,tibi dedi,quòd filiam tibi collocaui. Nũc vero Miltiade grauiorem fortunam carcere ſuſtines.Callias tecum cõmunicare dignatus eſt.Ego me redemptũ putabam ; filiae iſtius emptus ſum.Steterunt ante oculos meos maiorum imagines, emiſſuſque ſede ſua Miltiades,maieſtate imperatoria refulſit,& iterum meas inuocauit manus. *Iunij Baſſi.*Calliae filiam vxorem duxi.hanc tibi pater iniuriam feci , dum ingratus eſſe nolo. Placeas tibi licet,

& istas iactes diuitias: tantidem tamen redemi patrem, quanti a te redemptus sum.

DIVISIO. *Latro* in has quaestiones diuisit: An quisquis gratiam noo retulit, cum possit, ingrati teoeatur. Multa, ioquit, interueniunt, propter quae noo debeam facere, etiam si possum. Si non tenetur, quisquis non retulit gratiam, cum posset, an hic teneatur. Hoc in haec diuisit, An possit ob id damoari, quòd lege fecit: deinde, an facere debuerit. Nouissime, ao si affectu & indignatione ablatus, oon fuit in sua potestate, ignoscendum illi sit. Hoc hon tanquam quaestionem, sed, vt illi mos erat, pro tractatione aut loco. *Montanus Votienus* quaestionem hãc adiecit: An gratiam retulerit Cimoo Calliae. Tuli, inquit, filiam tuam vxorem: filia tua Miltiadis nurus facta est. non putas beneficium, habere cõmuoes cum Miltiade nepotes? *Gallio* illam quaestionem duram mouit, sed diligeoter exsecutus est, quae solet esse in ingrati cootrouersiis prima, an beneficium acceperit. Non erat, inquit, mihi poena in carcere esse. mea voluntate illo perueneram. ita me putas libentius io cubiculo iacuisse? Nullus tum erat locus Athenis honestior, quàm qui Miltiadem habuerat. Deinde & illam subiuoxit quaestiooem, An teneatur is qui beneficium acceperit, quod noo petiuit. Nõ rogaui, inquit, te. dedisti istud iactationi tuae. putasti ad gloriam tuam pertinere. ita tu oon accepisses beneficium, si tibi soluere Miltiadem cootigisset? *Sylo Pompeius* a parte Calliae duo beneficia dixit se dedisse, quòd redemisset, & quòd egenti filiam collocasset. hoc quod secundum posuit, nemo alius pro beneficio imputauit, in quo adeo noo est dubium an beneficium non dederit, vt dubium sit an acceperit. *Niger Brutedius* illas praeterea quaestiones fecit, An si sua causa fecit hoc Callias, vt redimeret Cimooem, an sit beneficium. [e] Beneficium enim est, inquit, quod totum eius causa praestatur, in quem confertur. [f] Vbi aliqois ex eo aut sperat quid, aut praeparat, non est beneficium, sed consilium. & diu exsecutus est, & argumentis & exemplis. Deinde, an sua causa fecerit Callias. Voluisti, inquit, opinionem sordium illustri facto effugere. petisti ex hoc aeternam memoriam. Non magis poterat ignotum esse, a quo Cimon solutus esset, quàm pro quo alligatus. Voluisti habere generum nobilem, pium. *Hispo Romanus* duram quaestionem fecit: An retulerit gratiam hoc ipso quòd occidit. Liberaui, inquit, te dedecore summo. inuito tibi beneficium dedi. ooo est quòd mireris. Nam & metu non rogantem redemisti. [g] Hoc loco commemorauit illos patres, qui filias vitiatas occiderunt, qui incluserunt.

COLOR. Color & *Gallioni* & *Latroni* & *Montano* placuit, vt nihil in Calliam diceretur contumeliose, & redemptorem, & socerum, & infelicem. *Cestius* multa in auarũ & in foeneratorem, & mensularium, & lenonem dixit, dum vult illud probare, reddidisse se beneficium, quòd talem soecrum habere sustiouisset. *Latro* dixit: Filiam tuam dimittam. quid adultero faciam? pro vna rogas, duos eripis. Hanc *Hybreas* aliter dixit sententiam. *

Haec tota diuersa sententia est a priore, etiamsi ex eadem est petita materia. Illa noo est similis, sed eadem, quam dixit prior *Adaeus* rhetor, ex Asianis noo proiecti oominis: deinde *Arellius Fuscus* *

Hanc sic tractauit *Arellius Fuscus*: Non dices me Callia ingratum: vnde redemeris, cogita. Memini deinde Fuscum cum haec a discipulis sententia ei obiiceretur, non infitiari, transtulisse se eam in Latinum, & aiebat oon commendationis se id, aut furti; sed exercitatioois caosa facere. Do, inquit, operam, vt cum optimis sententiis certem: nec illas corrumpere cooor, sed vincere. Tum deinde retulit quãdam [l] Thucydidis sententiam: δεινὰ γὰρ αἱ εὐπραξίαι συγκρύψαι, καὶ συσκιάσαι τὰ ἑκάστων ἁμαρτήματα: deinde Sallustianam, Res secundae mire suot vitiis obtentui. [m] cum sit praecipua in Thucydide virtus breuitatis: hac eum Sallustius vicit, [n] & in suis illum castris caecidit. [o] Nã in sententia Graeca tam breui habes, quae saluo sensu detrahas. deme vel συγκρύψαι, vel συσκιάσαι. deme ἑκάστων. [p] constabit sensus, etiam si ooo aeque comptus, aeque tamen integer. At ex Sallustij sententia nihil demi sine detrimeoto sensus potest. [q] T. autem Liuios tam iniquus Sallustio fuit, [r] vt hanc ipsam sententiam & tanquam trãslatam, & tanqoam corruptam dum transfertur, obiiceret Sallustio. Nec hoc amore Thucydidis facit, vt illum praeferat: laudat, quem non timet: & facilius putat posse a se Sallustiom vinci, si ante a Thucydide vincatur. *Cestius* colorem hunc pro Callia habuit, obiecit vltro Cimoni, quòd passus esset vxorem suã adulteratam fieri, quòd non custodisset, quòd expectasset dum superueniret pater, vt spectator calamitatis suae fieret. Iam, inquit, etiam si dimiseris, ingratus es. [h] ego nõ expectaueram dum rogaret. *Hispo Romanus* hunc colorem secutus est, & dixit adolescentem tumidum, & nobilitatis suae cogitatione insolentem, inuisa habuisse beneficia sua, moleste ferentem socerum suum dici Calliam. Item omnem operam dedisse, vt mores puellae in vitia non tantũ labi pateretur, sed ipse impelleret, vt haberet iustam dimittendi causam. Nactum eam occa-

sionem intermisisse, sed expectasse etiam dum superueniret pater: hoc se cogitasse, Expectat me: vult mecum pares rationes facere. fecisset, si noo ostendisset patri adulteram filiam. *Gorgonius* in hac controuersia foedo genere cacozeliae vsus, dixit: Istud publicum adulterium est, sub Miltiadis trophaeis concumbere. *Doron* cum descripsisset gloriae sibi fuisse carcerem, ounquam non se illam fortuoam ostentasse, dixit: ὅτ' εἰσῆλθω Κλοίας, τὰς πόδας ἀπεχέλυψα. Hybreas dixit. *

Flaminius inter coenam reum puniens. CONTROVERSIA II.

THEMA. [a] *Flaminius praetor inter coenam a meretrice rogatus, quae aiebat se nunquam decollari hominem vidisse, vnum ex damnatis occidit. Accusatur maiestatis.*

CONTRA FLAMINIVM. *Mentonis.* Iam etiam perituri dormiebant. peragitur totus ordo supplicij, ne quid se meretrix negaret vidisse. O miserum, si quis meretricem offendit. O miseram matrem familiae, si cuius formae meretrix inuidet: nihil petenti praetor negaturus est. *Musae.* Hic est Flaminius qui exiturus in prouinciam, vxorem a porta dimisit. *Argentarij.* Non obiicio luxuriam, non obiicio histrionum iocos. apod vos refrixerunt. in conuiuio [b] nihil aliud quàm occiditis. Qui in carcere vixerunt, in coouiuio perierunt. *Blandi.* Feriatur in foro. oomes videant, meretrix audiat. Reliquiae praetoris vnco trahebãtur. Maiestatem laesam dixissem, si exeunti tibi lictor a conspectu meretricem nõ summòuisset. *Vibij Rufi.* Paratus erat accusator cum commentariis, aiebat, Quid si meretrix desiderarit? In hoc te cum vxore oon misimus? Vt salua prouincia sit, optemus meretrici bonam mentem. Dedimus tibi legatum, dedimus quaestorem, vt tu cum meretrice coenares? meretrix vxoris loco accubuit, immo praetoris. *P. Asprenatis.* Voi fortasse osculo donauit homicidium. Etiam carnifices coenaturi maous abluunt. *Porcij Latronis.* Ne a sobrio quidem lictore percussus est. [c] Non inquiro in totum anoum, voa nocte cootentus sum. Bibe lictor, vt fortius ferias. Ecquid intelligitis, quomodo damnatus sit, qui sic occisus est? quid scio, an in cuius gratiam occisus est, in eiusdem etiam damnatus sit? Qoantum tibi perdiderat, tãtum tu meretrici dedisti. Si negaret, quos testes haberem? quis enim in illo conuiuio fuit, cui tecum sit credendum? Facilius est, vt qui meretrici multa dederit, homicidiũ neget; quàm vt qui boe quoque dedit, quicquam denegarit. Nunquam istud mulierum oculis ostendi solet, aut ista iam saepe vidisset. *Iulij Bassi.* Inter temulẽtas reliquias sumptuosissimae coenae, & fastidiosos sub ebrietate cibos, modo excisum caput humanum fertur. Inter purgamenta & iactus coenantium, & sparsam in coouiuio scobem, humanus sanguis euerritur. Gratulor forti tuae prouincia, quòd desiderante tale spectaculum meretrice, plenum carcerem damoatis haboisti. Seruum si verberare voluisses, extra conuiuium abduxisses. *Romani Hisponis.* Quis ferret te, si in triclinio tuo iudicium coegisses? Scelus est, in conuioio damnari hominem: quid occidere? ad arbitrium meretricis de reo proounciasti: nisi forte facilius in honorem eius decollas, quàm iudicas. *Fului Sparsi.* Contactam sanguine humano mensam loquor, strictas in triclinio secures. Quis credat ista aut concupisse meretricem, aut fecisse praetorem? Cadauer, secures, sanguinem loquor. Quis inter haec de conuiuio cogitat? Hominem, inquit, occidi, nunquam vidi: alio quàm Flaminio praetore omnia alia vidisti? *Silonis Pompeij.* Virum nobilissimum, & tantis honoribus functum turpiter meretrix clementem fecisset, crudelem fecit. Nuoquam vidi. adiice si vis. nec alio praetore videre pôtes. *Albutij Sili.* Si quis autem est, Iudices, qui desideret, vt praetoris referam crudelitatem, quot praeter hunc iugulauerit, quot innoxios damnauerit, qoot carcere incluserit: huic ego me satisfacturum polliceor. vno conuiuio, cum sua praetura reum euoluam. Instituuntur ab isto in prouincia epulae, & magnifico apparatu extruitur coouiuium, distinguuntur argẽteis poculis aurea: quid multa? * e carcere in conuiuium praetoris, cui stupenti misero meretrix arridet. Interim virgae promuntur, † & victima crudelitatis ante mensam ac deos trucidatur. Me miserum, imperij Romani terrore lusisti. O qui crudelitate superasti omnes tyrannos, soli tibi inter epulas voluptati fuit morientium gemitus. hic vltimus apparatus coenae fuit. In eodem triclinio video praetorem, amatorẽ, scorta, caedes: meretrix praetori, praetor prouinciae imperat. In conuiuio constituitur catenatus: qui cum languenteis praetoris istius aspexit oculos, existimans ipsum praetoris beneficium dimitti, gratias isti agere, & vtrisque manibus mensam tenens: Dij, inquit, immortales tibi parem gratiam referant. Quicunque in eodem triclinio accubabat, alius vbertim demisso capite flebat: alius auertebat ab illa crudelitate oculos: alius ridebat, quò gratior esset meretrici: hic iste inter varios conuiuarum vultus submoueri iubet: miserum stare ad praebendas ceruices immotum. Interim distinguitur mora

poculis. nec sobrij quidem carnificis manu, ciuis Romanus occisus est. Noo peto, quo minus securi percutiatur:illud rogo,[c] legi potius quàm scorto cadat. Memento terrorem imperio quaeri, non oblectamenta mulierculis. Quid ego nunc referam, Iudices, ludorum genera, saltationes, & illud dedecoris certamen, praetor ne se mollius moueret, an meretrix? *Capitonis*. Exsurgite ounc Bruti, Horatij, Decij, & cetera decora imperij. Vestri fasces, vestrae secures, in quantum, prò booe Iupiter, dedecus reciderunt. Istis obscoenae puellae iocantur. Quid si per Deos immortales nullo sullemni die, populo inspectante, in foro conuiuium habuisses? non minuisses maiestatem imperij nostri? atqui, quid interest conuiuium io forũ, an forum in conuiuium attrahas? Deinde descripsit, qualiter in foro decolletur. Ascendit praetor tribunal, inspectante prouincia: noxiae post terga ligantur manus, statim inteoto ac tristi omnium vultu, fit a praecone silentium: adhibentur deinde legitima verba: canitur ex altera parte classicum. nunquid vobis videor describere coouiuiales iocos? Heu quàm dissimilis exitus initiis adest. Accusauit te: quis? Iudicaruot te: qui? Te praetor damnatum pronuntiauit: occidit meretrix. *Buteonis*. Vt iste cum amica coenaret iucundius, homo occisus est. Nunquid Iudices, vnquam pro rostris vidistis praetorem cum meretrice coenantem? *Votieni Montani*. Qui sic conuiuatur, quomodo irascitur? Damnaturi iurant nihil se gratiae, nihil precibus dare. postulo, vt in hanc legem iures. Maiestas populi Romani per omnes natiooes, per omnes diffusa prouincias, in sinu meretricio iacet. Ea imperat praetori nostro, quae prostitit: cuius osculo nemo se abstinuit, nisi qui pepercit suo. Conuiuas tuos ipsa narra: fuere credo tribuni, fuere praefecti, fuere equites Romani: cum iis ergo praetor. *Cassij Seueri*. Ne de seruo quidem aut captiuo, omni loco aut omni genere, aut per quos libebit, aut cum quibus libebit, supplicium sumi fas est, adhibeturque ad ea magistratus ob custodiam, non laetitiam. *Triarij*. Quo crimine damnatus est? caedis. noo tamen in conuiuio occiderat. Animaduerte diligenter, meretrix; ne iterum homicidium roges.

DIVISIO. *Montanus Votienus* has putabat quaestiones esse: An quod qois in magistratu peccauit, proles vindicari possit maiestatis laesae. Reus enim quòd tueri se facto non potest, ad ius confugit, & dicit se hac lege non teneri. Num quicquid peccauit in magistratu aliquis, maiestatem laedit? Puta aliquem, dum magistratus est, patrem suom occidere, veneno vxorem suam necare. Puto, non hac lege causam dicet, sed illis parricidij & veneficij. Vis scire, non a quo fiat, ad rem pertinere, sed quid fiat? priuatus potest accusari maiestatis laesae, si quid fecit quo populi Romani maiestatem laederet. Puta amicam habet Proconsul: ideo maiestatis damnabitur? quod amplius dico, puta matronam corrupit, dum Proconsul est: adulterij causam dicet, non maiestatis. Singula, inqnit, aestima quae obiicis. si tantum amicam habuisset, nunquid accusares? quòd animaduertisset in aliqnem nollo rogante, nunquid accusari posset? Si non omne non recte factum hac lege vindicari potest, an id quod sub auctoritate publica geritur. Nam cum adulterium committit, tanquam ciuis peccat, itẽ cum veneficium. cum animaduertit, auctoritate publica vtitur. in eo aotem quod sub praetextu publicae maiestatis agitur, quicquid peccatur, maiestatis actione viodicãdum est. Dic enim mihi, si cum animaduertere debeat, nec legitimo cultu ac more sollemni vsus, interdiu tribunal conscenderit coouiuiali veste: si oum classicum canete debeat, symphoniam canere iusserit, oon laedet maiestatem? atqui quod fecit, foedius est. & comparauit. Deinde si potest vindicari maiestatis lege id quod proconsul, maiestatis publicae & iuri & apparatus est, peccauit, an hoc possit. Non potest, inquit: nihil enim detractum est populi Romani magnitudini. Is laedit populi Romani maiestatem, qui aliquid publico oomine facit: tanquam si legatus falsa mandata affert, sic audiuntur tanquam populus Romanus illa dederit. Imperator foedus percussit, videtur populus Romanus percussisse, & continetur inito foedere. [r]nonc nec viribus quicquam populi Romani detractum est, nec opinioni. ei imputatur, si quid fecit, non populo Romano. At ex te ceteros aestimant. Nonne[s] & ante hunc alij fuerunt, ex quibus aestimari possit? & post hunc erunt. At singulorum vitia nemo vrbibus ascribit. Attamẽ factum ipsum turpe est. Et multa alia: nec ideo illis populi Romani maiestas laeditur. Nemo paene sine vitio est: ille iracundus est, ille libidinosus est: noo tamen si quid in aliquo est mali, eo statim maiestas laeditur. Deinde ad facti ipsius aestimationẽ venit, & dixit haec obiici, quòd meretricem habuit, quòd aliquem occidit, quòd noctu, quòd in conuiuio, quòd rogante meretrice. *Silo Pompeius* has adiecit quaestiones: An si quod ei facere licuit, fecit, non possit maiestatis lege accusari. Potest, inquit. haec enim lex, quid oporteat, quaerit: aliae, quid liceat. Licet ire in lupanar. Si praecedentibus fascibus praetor deduceretur in lupanar, maiestatem laedet: atqui quod licet fecerit. Licet qua quis velit veste vti. Si praetor ius in veste seruili vel muliebri dixerit, violauerit maiestatem. Deinde illã fecit quae-

ſtionem, An ei hoc facere licuerit. Non licuit, inquit, illo loco, aut illo tempore, aut ex illa cauſa occidere. Quaedam quae licent, tempore & loco mutato non licent.

COLOR. De colore, inquit, quaeritur, quo vti debeat is, qui pro Flaminio dicit. Quaedam controuerſiae ſunt, in quibus factum defendi non poteſt, excuſari poteſt: ex quibus eſt & haec. Non poſſumus efficere vt propter hoc non ſit reprehendendus: nõ ſperamus vt Flaminium iudex probet, ſed vt dimittat. ſic agere debemus, tanquam pro facto non emendato, non ſcelerato tamen. Itaque negabat ſe pro Flaminio narraturum *Montanus*, ſed his quae obiiciuntur reſponſurum. Aiebat autem illam ſententiam Rufi Vibij, colorem actionis eſſe bonum. *Senecio* dixit, bonum ſe habere animum pro reo, in quo libido omnis intra meretricem eſſet, crudelitas intra carcerem. Ipſe Montanus illum locum pulcerrime tractauit, quàm multa populus Romanus in ſuis imperatoribus tulerit: In Gurgite luxuriam, in Manlio impotentiam, cui nõ nocuit & filium & victorem occidere: in Sylla crudelitatem, in Lucullo auaritiam. In praetore, inquit, cum illi conſtiterit abſtinentia, diligentiam excutiatis, quomodo vna nocte coenauerit. Vtrum tamen, inquit, iniqui eſt quod obiiciunt, quòd da-
* mnatus perierit meretrice poſtulante, praetorem perire damnato. Colorem *Fuſcus Arellius* hunc introduxit: ebrium fuiſſe, neſciſſe quid fecerit. *Silo Pompeius* hoc colore vſus eſt: Nõ putauit ad rem pertinere, vbi aut quando periret qui perire deberet. *Triarius* ineptum introduxit colorem: Sermo erat, inquit, in conuiuio, contemni nimiam praetoris lenitatem: alios fuiſſe praetores, qui quotidie animaduerterent: huius anno nullum eſſe occiſum. Dixit aliquis ex conuiuis: Tu ergo nunquam iratus? dixit & mulier. Ergo iratus, quòd clementia ſua contemptui eſſet: Curabo, inquit, ſciant non deeſſe mihi ſceleratum, quem videre lucem vltra non oportet. Occiſus eſt: qui? damnatus. vbi? in praetorio. quo tempore? Eſt enim vllũ tempus, quo nocens perire non debeat? *Gallus Vibius* dixit: Meretrix orauit. timebam mehercules, ne exoraſſet, vt aut occideretur indemnatus, aut damnatus viueret. Ex altera parte multa bene dicta ſunt, multa corrupte: in deſcriptione ſupplicij vtique illi qui voluerũt omnia legitima ſupplicij verba in ſententias trahere, in vitia inciderunt: tanquam dixit *Triarius*, Summoue, audis, lictor? ſummoue a praetore meretricem. hoc loco non male adiecit, Verbera: ſed vide ne virgae tuae pocula noſtra diſturbent. Deſpolia, meretrix agnoſcis hoc verbum? certe prouincia agnoſcit. *Silo Pompeius*, homo qui iudicio cenſebatur, & ipſe ad hanc deſcriptionem acceſſit, minimum tamen mali fecit: ait, Animaduerte meretrix. Age lege. quicquam enim lege hic agitur? *Hiſpanus* dixit: Age lege: tibi dicitur, Flamini: viue ſine meretrice, coena ſine carnifice. *Argentarius* in quae ſolebat ſchemata, attrectationẽ violentiſſimam fregit. Age lege: ſcis, inquit, quid dicat? interdiu age, in foro age. ſtupet lictor. idem dicit, quod meretrix tua: hoc nunquam ſe vidiſſe. *Montanus Votienus* dixit: [h] Percuſſurus lictor ad praetorem reſpexit, praetor ad meretricem. *Vibius Gallus* dixit: Lictori, quia bene percuſſerat, propinatum eſt. Illud quod tanquam Latronis circunfertur, non eſſe Latronis, pro teſtimonio dico, & Latronem a ſententia inepte tumultuoſa vindico. ipſe enim audiui Florum quendam auditorem Latronis dicentem, non apud Latronem: neque enim illi mos erat quemcunque audire declamantem. declamabat ipſe tantum: & aiebat ſe non eſſe magiſtrum, ſed exemplum. Nec vlli alij contigiſſe ſuo, quàm apud Graecos Nicetae, apud Romanos Latroni, vt diſcipuli non audiri deſiderarent: ſed contenti eſſent audire. Initio contumeliae cauſa a deridentibus, diſcipuli Latronis auditores vocabantur: deinde in vſu verbum eſſe coepit: & promiſcue poni pro diſcipulo auditor. hoc erat non patientiam ſuam, ſed eloquentiam vendere. Vt ad Florum reuertar, ille dixit in Flaminio: Refulſit inter priuata pocula publicae ſecuris acies: inter temulẽtas ebriorum reliquias humanum euerritur caput. Nunquam Latro ſic compoſuiſſet, vt quia publicam ſecurim dicturus erat, diceret, priuata pocula: neque in tam mollem compoſitionem eius ſententia euanuiſſet, neque tam incredibiles vnquam figuras compingebat, vt in ipſo triclinio inter lectos & iocos & menſas percuſſum deſcriberet. Ille cum in hac controuerſia deſcripſiſſet atrocitatem ſupplicij, adiecit: Quid exhorruiſtis, Iudices? meretricios luſus loquor. Et ille dixit minus notam ſententiam, ſed non minus bonam: In ſocium noſtrum praetor populi Romani animaduertit, cum priuata voce, tumultuario tribunali, ebrius fortaſſe, nec calciatus quidem, niſi ſi vt omnia ſpectaret meretrix, diligenter exegit. *Rufus Vibius* erat, qui antiquo genere diceret. belle ceſſit illi ſententia ſordidioris notae. Praetor ad occidendum hominem ſoleas popoſcit. Alteram eiuſdem generis, ſed non eiuſdem ſucceſſus ſententiam. cum deploraſſet condicionem violatam maieſtatis, conſuetudinem maiorum deſcripſiſſet, qua ſemper voluiſſent ad ſupplicium aduocari, ſententiam dixit: At nũc a praetore lege actum eſt ad lucernam. *Pollio* tamen *Aſinius* aiebat hanc ſe ſententiam recipere. [1] *T. Liuius* de oratoribus, qui

verba

verba aotiqua & ſordida conſectantur, & orationis obſcuritatem ſeueritatem putant, aiebat Miltiadem rhetorem eleganter dixiſſe. * tamen in iis etiam ſi minus eſt inſaniae, minus ſpei eſt. Illi qui tument, & abundantia laborant: plus habent ſuroris, ſed p̄lus etiam corporis. Semper autem ad ſanitatem procliuius eſt, quod poteſt detractiooe curari. illi ſuccurri noo poteſt, qui ſimul & inſanit & deficit. Sed ne hoc genus protegere videar, in Flaminio tumidiſſime dixit * *Murrhedius*: Praetorem noſtrum in illa ſerali coena ſaginatum meretricis ſinu excitabitis occiſuri. Et illud tetracolon: Seruiebat ſorum cubiculo, praetot meretrici, carcer conuiuio, dies nocti. Nouiſſima pars ſine ſenſu dicta eſt, [1] vt impleretur circuitus: quem enim ſenſum habet, Seruiebat dies nocti? Hanc ideo ſententiam retuli, quia & in tricolis, & in omnibus huius geoeris ſententiis curamus vt numerus cooſtet, nō curamus vt ſenſus. Omnia autem geoera corruptarum quoque ſententiarū de induſtria pono: quia facilius quid imitandum, & quid vitandum ſit, docemur exemplo: & cette illud genus cacozeliae eſt, quod amaritudine verborum quaſi aggrauatur. Iam res petit, vt in hac controuerſia referamus id quod *Licinius Nepos* dixit: Reus damnatus eſt legi, periit ſornici. & illud quod *Senianus* dixit, habèt ſui generis inſaniam, cum diceret, nocte oon debere ſumi ſupplicium, poſt longam deſcriptionem, cum nunc demum ne victimae quidem occiduntur. Et ad hanc cootrouerſiam Graeci appoſuerunt manum. dixit in hac *Nicetes*. *

Euctemon dixit: * *Glaucippus Cappadox* cum coenam luxurioſam deſcripſiſſet, indignam maieſtate praetoris, adiecit, διηγήσομαι ὑμῖν χαιροκῶμον * * Hoc idem elegantius dixit *Addeus*, cum deſcripſiſſet coenam nocturnam: ὡς ἐρωτικὸς ὁ κῶμος. *Nicetes* dixit: οὐδέποτε πεδίαμαι ἀναιρούμενοι. *Artemon* eodem loco aliam dixit ſententiam: οὐδέποτε πεδίαμαι ἀναιρούμενοι γυμνοί.
Glycon dixit. *

Expoſitum repetens e duobus. CONTROVERSIA III.

LEX. PER VIM METVMQVE GESTA, NE SINT RATA. Alia. [a] PACTA CONVENTA LEGIBVS FACTA, RATA SINT. Alia. [b] EXPOSITVM QVI AGNOVERIT, SOLVTIS ALIMENTIS RECIPIAT. Thema. *Quidam duos expoſitos ſuſtulit, educauit. quaerenti patri naturali pollicitus eſt ſe indicaturum vbi eſſent, ſi ſibi alterum ex illis dediſſet. pactum interpoſitum eſt. reddit illi duos. repetit vnum.*

PRO PATRE. *Arellij Fuſci patris.* Aequum eſt, vt [c] cum alienis diuidamus liberos, quos non diuidimus cum matribus? ſi alterum ooo abſtuleris, vtrumque habebis, quid faciam? vtrumque genui, vtrumque deſideraui, pro vtroque pactus ſum. *Albutij Sili.* [d] Vna nati ſunt, vna expoſiti, vna educati, redditi potiſſimum diſtrahuntur. diſtraxit illos ſortuna aliquando a parentibus, nunquam ab ipſis. Miſeremini, Iudices, grauis inuidia eſt. *Iunij Gallionis.* Duos expoſui: quia alterum eligere noo poteram. periclitor oe qui cum duobus liberis io iudicium veni, ſine vllo reuertar. Nam quem perdam, eligere non poſſum. cauſa pacti mei fuit, vt haberem filios: conſummatio, vt perderem. pro filiis tibi debeo, non filios. Pete quantum vis pro diſciplinis, imputa quantum vis pro alimētis: licer plus peras, dum oe minus reddas. Maiores noſtri viderunt, quàm effuſa eſſet indulgeotia pro ſuis timentium, quàm parata quicquid poſceretur dare. Itaque pro patre lex, noo cum educatore pacta eſt. Non potui obligari de eis, qui in mea poteſtate non erant. ſi vis, ex aequo diuidamus: at habeatur vtriuſque ratio: habeam ego tamdiu duos, quamdiu tu habuiſti. Nolite timere pueri. nō diducam vos. aut vtrumque habebo, aut oeutrum. in auctiooe fratres quamuis hoſtilis haſta noo diuidit. Plus quiddam eſt geminos eſſe, quàm fratres. perdit vterque gratiam ſuam, niſi cum altero eſt. *Fuluij Sparſi.* Ignoſcere mihi aduerſarius debet, meos retineoti; cum ipſe alienos concupiſcat. repetit quod adhuc habuit, retineo quod modo agnoui. Agnitio diuidet, quos iuoxit etiam expoſitio? *Cornelij Hiſpani.* Dic vter obſequentior ſit, vter iodulgentior. vterque, inquis. Miraris, ſi iam meos diuidere nō poſſum? omnia pro filio paciſcor, praeter filium. *Votieni Montani.* Ego vero oe patrocinium quidem habeo. ſi ram facile filios remitto, libenter expoſui. Reddere iſtud eſt liberos, an eripere? Vtroque modo perdendi erant, vel paciſcenti, vel neganti. [e] pactus ſum flens tremensque tanquam cum exponerem. *Ceſtij Pij.* Ne diuidetem filios, vna expoſui. Iſte quoque duos ſuſtulit, qui tantum vno contentus eſt. Iterum cogor exponere.

ALTERA PARS. *Iunij Gallionis* contra. Expeditae partes veſtrae ſuot, [f] vtrumque ex hoc iudicio poteſtis patrem dimittere. *Mentonis.* Iſte aſſueuir carere liberis: ego etiam ſi vnum accipiam, neceſſe eſt torquear. duobus aſſueui. Quid vnquam commiſi? & habes domi quos

de me interroges. nihil vnquam fine illis feci,nisi indicium. Vim vocas,quae te patrem fecit? fine herede manere me,qui paulo ante habui filios duos tales, vt ex illis vnus quilibet satis sit. *Pompey Silonis.* Videte quàm modeste agam,ego sustuli,ego educaui, ego reddidi:iste eligat. *Viby Rufi.* Salui sunt,inquam, liberi tui. post hãc vim meam iste me osculatus est. *Passieni.* Cedo mihi tabulas testamenti, plures in testamento habeo quàm in pacto : hoc testamentum delere non cogito . si meos filios heredes facere non possum, tuos faciam : preces meas ad filios transferam. hoc enim nomen licebit,puto,mihi vsurpare,dum litigo. *Arellij Fusci patris.* Fertis hoc optimi iuuenes? ego vos expositos sustuli , ego educaui, ego aegrotantibus assedi:senem me fecistis,& relinquitis? *Argentarius.* In ista vi duos filios perdidi.

Divisio. *Latro* sic diuisit: In re vis aut necessitas sit. Nulla, inquit, vis est:arma,lex & vincula,& vltimum periculum complectitur:quorum nihil fuit in tua persona. Illic, ait, vis est & necessitas, vbi velim nolim succumbendum est. mihi erat necesse:non enim poteram habere alterum filium,nisi alterum promisissem. Respondetur. Primum non est vis, vbi aliquid expediendae rei causa patiendum est, sed ratio. tanquam, Quia non possum domum habere, nisi hanc emero. nulla alia venalis est. hanc occasionem videt venditor, & premit. non tamen hãc emptionem rescindes:alioquin in infinitum calumnia excedet. Dicet alius: Necesse mihi erat. tibi necesse? quare? primum etiamnum carere poteras. deinde & alia via poteras inuenire, sperare alium indicem. An aliter inuenire non poteras? ergo hoc tibi plus praestiti. An si est in re vis & necessitas,ita tamen rescindantur quae per vim & necessitatem gesta sunt,si vis & necessitas a pacifcente adhibita est. Nihil,inquit,mea,an tu cogaris,si non a me cogeris. meam culpam oportet esse,vt mea poena sit. Non,inquit.neque enim lex adhibenti vim irascitur,sed passo succurrit: & iniquum illi videtur,id ratum esse, quod aliquis non quia voluit, pactus est,sed quia coactus est. nihil autem refert per quem illi necesse fuit. iniquum enim quod rescinditur facit fortuna eius, qui passus est, non persona facientis. Deinde an ab hoc vis admota sit. Tu, inquit,mihi vim admouisti, qui non aliter indicabas,quã si pactus essem. Non est,inquit,admouere vim aliquid cum certa condicione promittere . si * qua vis est, a te tibi adhibita est, quod & sponte & ad exonerandum se venisset,vt tantum patri redderet,quantum educatori superfuisset.

Color. Pro educatore *Gallio* hunc colorem secutus est,se misericordia motum. Cum * viderem,inquit,orbum sine herede esse,dixit modo ipse qui auidus est:Possumus duo patres esse. & dixit illam amabilem sententiam : Da itaque nunc poenas misericors. *Montanus Votienus* sic coepit:Si quis me vidit,Iudices,modo duorum liberorum patrem,nunc solitudine periclitantem,certum habeo,dicit crudelem indicem. Et summisse cum aduersario egit:rogauit,vt altero contentus esset. Et illam sumpsit contradictionem:Nescio,inquit, vtrum. & dixit:Mihi crede,qui illos optime noui:vtrum vis elige. ideo sic pactus sum,quia nihil intererat. *Hispo Romanus* erat natura,qui asperiorem dicendi viam sequeretur. Itaque hoc colore egit, vt inueheretur tanquam in malum patrem, & diceret, crudeliter exponentem : perfide recuperantem. In hoc,inquit,repetit,non quia habere vult,sed quia eripere. irascitur mihi quòd duos educaui, quòd indicaui . Et cum descripsisset saeuitiam exponentis , adiecit: Etiamnum mihi videtur eiusdem animi, eiusdem duritiae : quia nihil putat se debere ei, qui liberos suos educauit. Durus est pater,crudelis est.nolite credere ex illa feritate tam subitam mutationem . Sinite me in vno filio experiri. Dixerat in hac controuersia illam quaestionem, qua dicebat se nequaquam vim adhibuisse : Quid ergo? quis adhibuit vim? tu tibi. Non est quod dicas, Quis sibiipsi vim adhibet? solet fieri . ecce ego ipse mihi nocui. & illud dixit: Placet mihi in irritum reuocari quae gesta sunt . dono quòd indicauerim. *Argentarius* dixit ex altera parte, miseriorem se nunc esse, quàm cum ignoraret suos . & cum tormenta patrij animi descripsisset, ait : Etiam nunc pacisci volo. quid do , vt liberos meos recipiam? quid do,ne agnouerim? Indignabatur *Cestius*, detorqueri ab illo totiens, & mutari sententias suas:Quid putatis,aiebat, Argentarium esse? Cestij simius est.Solebat & Graece dicere, πίθηκος μὲν. Fuerat enim Argentarius Cestij auditor,& erat imitator. Aiebat inuicem:Quid putatis esse Cestium,nisi Cestij cinerem?& sic solebat iurare : Per manes praeceptoris mei Cestij:cum Cestius viueret. Omnibus autem insistebat vestigiis Cestij : aeque ex tempore dicebat,aeque contumeliose,multa interponebat:illud tamen optima fide praestitit,cum vterque Graecus esset,vt nũquam Graece declamaret:illos semper admiraretur,qui non fuerunt contenti vnius linguae eloquentia . cum Latine declamauerant, toga posita, sumpto pallio,quasi persona mutata,redibant, & Graece declamabant:ex quibus fuit *Sabinus Clodius*,in quem vno die & Graece & Latine declamãtem multa vrbane dicta sunt. Dixit Haterius quibusdam querentibus, pusillas mercedes eum accepisse, cum duas res doceret,

ret, nunquam magnas mercedes accepisse eos, qui Hermeneumata docerent.[h] *Maecenas* dixit: Τυδείδην δ' οὐκ ἂν γνοίης ποτέροισι μετείη. *Cassius Seuerus* venustissimam rem ex omnibus. qui ab auditione eius cum rediret, interrogatus quomodo dixisset, respondit: Male καὶ κακῶς. *Glycon* dixit: ἂν ἀμφοτέρους μοι μὴ ἀποδῷς, ἀπολέσεις αὐτῶν τὸ δίδυμον. *Gallio* autem elegantissime dixit a parte patris, cum in vltima parte testamenti figuram tractaret: Quando ego mortuus ero, tunc mihi heres sit: vis interrogem, vter? *Triarius* dixit a parte educatoris: Ergo ego tollere potui, educare potui, tacere non potui?

A filio in arce pulsatus. CONTROVERSIA IIII.

LEX. QVI PATREM PVLSAVERIT, MANVS EI PRAECIDANTVR. Thema. *Tyrannus patrem in arcem cum duobus filiis accersiit. imperauit adolescentibus, vt patrem caederent. Alter ex his praecipitauit se, alter caecidit. Postea in amicitiam tyranni acceptus, occiso tyranno, praemium accepit. Reus fit caesi patris.*[a] *Petuntur manus eius. defendit pater.*

PRO FILIO. *Cestij Pij*. Felicior essem, si plures reos defenderem. *Triarij*. Haec vulnera quae in ore videtis meo, postea feci quàm dimissus sum. *Iunij Gallionis*. Gratias ago filio, quòd me non reliquit solum tyranno. quòd manu illius vsus sum, ego iussi. itaque crimini meo assum. Amicus, inquit, tyranni fuit. age, hoc tantum filius meus in arce simulauit? Procumbo ad genua vestra, Iudices, ille contumax, qui cum vapularem, non rogaui. *Musae*. Occisus est tyrannus. a quo putatis, nisi ab eo qui patrem pulsare non poterat? praecidetis tyrãnicidae manus. quid hoc est? integer tyrannus iacet. praeciduntur tyrannicidae manus, patri praecidite, ne vindicẽ filium, propter quem ne a tyranno quidem impune vapulaui. Postquam occupauit arcem, secuti sunt illum homicidae, secuti venefici, secuti quisquis pulsare patrem poterat. necesse fuit patrem caedere, tam hercules quàm necesse fuit spoliare templa, virgines rapere. Aiebam: Fili, fortius feri. tyrannus spectat. Si talis erat filius meus, qualẽ describitis, nescio cui magis expedierit tyrannum viuere. O quãtum istis debemus manibus, per quas iam nihil necesse est. Occidit tyrannum. sic huius iratae manus feriunt. Cum occideret tyrannum, sic aiebat: Pater interficit, pater te ferit. sic feriunt qui volunt. Tecum fili inconsideratae pietatis queror. Validius patrem caecidisti quàm iussit tyrannus iratus. iacẽti ipsas cadaueris manus in me ingessi. *Fuluij Sparsi*. Tales fuerunt, ex quibus posset alter cõtemnere tyrannum, alter occidere. *Iulij Bassi*. Compressas filij manus in os meum impegi, caedentem consolatus sum. *Porcij Latronis*. Caede, inquit, patrem. dum ego negligens sum: praecipitauit se ex arce filius. hoc non est patri parcere, sed sibi. Dura fili ad tyrannum tibi per patrem eundum est. Tenent ecce cruentum tyranni caput. nunc illas praecidite. *Blandi*. Vt vidi tyrannicidam ex arce descendentem, nihil prius quàm manus osculatus sum. *Pompeij Silonis*. Vtrum ex filiis meis probatis? alter se occidit, alter tyrannum. nemo ius habet in istas manus, meae sunt istae. Etiam cum tyranno seruirent, mihi paruerunt. ita mihi superstite filio mori liceat, vt ego illum qui mori maluit, parricidam vocaui. *Arellij Fusci patris*. Rogo vos per securitatem publicam, per modo restitutae libertatis laetitiam, per coniuges liberosque vestros. nemo tam suppliciter audiuit me rogantem, cum vapularem. Quàm languidae caedentis erant manus. non putares illas tyrannicidium posse facere: istae mihi salutares porrexerunt cibos, istae potiones: nunquam tamen indulgentiores sensi manus, quàm cum me caederent. *Votieni Montani*. Pereant, inquit, potius. qui sunt, qui tam fortiter loquantur? Vix inuentus est, qui tyrannum occideret. Fili fortius, inquam, feri, ne nos colludere tyrannus intelligat. suspensas leuiter admouebat manus. filius simulabat ictus, pater gemitus. Si qua est fides, iratus filium extuli, quòd me non caeciderat. Necessitas magnum humanae infelicitatis patrocinium est.[b] Haec excusat Saguntinos, quamuis non caeciderint patres, sed occiderint: haec excusat Romanos, quos ad seruilem dilectum Cannensis ruina compulit, quae quicquid coegit, defendit. Ille quoque mihi pepercisset, si vnicus fuisset. Ille me fratri relinquebat, hic tyrãno. Etiamnũ, inquit, in facie tua vulnera apparent. Fili, nocet tibi, quòd tam cito occidisti tyrannum. *Mentonis*. Quaeritis, quis haec fecit vulnera? ille cuius caecidit me in funere manus. Ita mihi libero & viuere contingat & mori, ita oculos meos filij manus operiant, vt ego inter liberos meos fortior steti.

EX ALTERA PARTE. *Arellij Fusci patris*. Tandiu caecidit patrem, donec placeret tyranno satelles. quid? Tu tyrannicidium facere nõ potes, nisi in parricidio exercuetis manus? Pater, inquit, adest. malo. non enim tantũ patrem, etiam patronũ caecidisti. *Iulij Bassi*. Quoniam eo scelerum peruentum est, vt parricidae pater adsit, nõ istius aduocationi adsum. defendit quamuis nocentem. Ecquid agnoscitis indulgentiam illius? Frater qui maluit perire

quàm patrem caedere, infelix causam suam cũ fratre iungebat. exclamat iste: Nihil illi mandaui. ego tibi & pro illo satisfaciam. Vt validius, inquit, caederet: Pro Rep. inquit, feci. Vis tu pudorem habere, nec imputare Reip. idem quod tyranno? Pater, inquit, mihi adest. At mehercules frater non adesset. Habuisti, quod tyranno iactares. frater maluit mori. quisquis caedendus erat, isti tradebatur. Tyrannum, inquit, occidi. at patrem quantulominus quàm occidisti? *Pompeij Silonis.* Gaudeo in subselliis istius esse patrẽ. quomodo enim aliter efficere potuissem, vt vulnera eius videretis? Non multum refert mea, vbi sit. ab hac parte crimen obiicitur, ab illa ostenditur. Grauior testis esse solet, qui a reo surgit. Talis prorsus pater, quẽ nemo alius posset caedere, nisi amicus esse posset tyranni. Frater periit, ne parricidium aut faceret, aut videret. In illa praecipitia non minus, inquam, fratrem fugit quàm tyrannum. *Cornelij Hispani.* Descendebat cruentus pater, vexato laceratoque corpore vix agnoscẽdus. putares duos fuisse qui caecidissent. fecit quod debebat. qui patrem caeciderat, amicum occidit. *Cestij Pij.* Ego, inquit, caesus sum. poenam remitto. Mirarer, nisi pro tam bono patre fuisset, qui mori vellet. Dignus est quem inuitum vindicetis. Itane apud vos tantum crudeles patres vindicantur? Pater, inquit, iussit. ergo frater tuus impius fuit, qui patri non paruit. Si quando lente parebant satellites, aiebat tyrannus: Non spectatis quemadmodum patrem caeciderit. QVI PATREM CAECIDERIT, MANVS EIVS PRAECIDANTVR. hanc legem moriens laudauit tyrannus. Nouissime inter filium & patrem tyrannus intercessit.* An * non quisquis patrem caeciderit, puniatur. In lege, inquit, nihil excipitur: sed multa quamuis nõ excipiantur, intelliguntur. Et scriptum legis angustum est, interpretatio diffusa est: quaedam vero tam manifesta sunt, vt nullam cautionem desiderent. [d] Quid legis interest, excipere, ne fraudi sit ei qui per insaniam patrem pulsauit: cum illi non supplicio, sed remedio opus sit? Quid opus est caueri lege, ne puniatur infans, si pulsauerit patrem? quid opus est caueri, ne puniatur, si quis aut patrem sopitum, aut subita corporis grauitate collapsum excitauit: cum illa non iniuria, sed medicina fuerit? Nondum de propria, sed de communi causa loquor. Si officiose quis caecidit patrem, non pulsauit, puniri debet?

DIVISIO. Hanc quaestionem in partes plureis diuisit, An tutus sit qui tyranno iubente fecit. Cogitate quàm multa tyrannus exegerit. Pro publica innocentia est, non licere hoc quoq; tyrannis, vt nos faciant nocentes. Tyranno iubente fecit. miserior fuit ipso vapulante. Non est impudica quae arcessita fuit a tyranno. non dicitur sacrilegus, qui deorũ immortalium dona manibus suis tulit ad tyrannum, aut qui funestas tyranni imagines inter effigies deorum immortalium consecrauit. An tutus sit, qui patre iubente fecit. Non caecidit, sed paruit. & illud dixit in narrationibus: Stabat contumaci frater vultu. intellexit nõ posse cogi a tyranno. An tutus sit, qui pro patria facit. An hic pro patria fecerit. Item, An illo iam tempore cogitationem tyrannicidij habuerit, & hoc animo caeciderit, vt aditum faceret sibi ad amicitiam tyranni. *Montanus* & illam quaestionem vltimam fecit: An etiam si quid peccatum est, tanto merito redemptum sit. *Gallio* illam quaestionem primam fecit: An vltio caesi patris, nullius sit nisi patris. Inuitum, inquit, me nemo vindicaret, si a quolibet alieno caesus essem, & nollem agere iniuriarum: [e] nemo nomine meo ageret. atqui nihil interest: poena maior est eius qui caecidit, ius idem eius qui caesus est. Cõtra ait omnibus actionem dari. non enim priuatam esse iniuriam, sed publicam: itaque nec taxatione defungi damnatum, aut iniuriarum poena, sed manus pendere: ad omnes patres pertinere hoc exemplum, ad omnes filios, & ad ipsam Remp. tales esse qui fiant tyranni, certe qui tyrannorum amici. Et vltimas has fecit quaestiones: An si pio animo fecit, non teneatur: An bono animo fecerit. Et in illa quaestione Latronis, An tutus est qui patre volente fecerit. Nunc, inquit, fingis in filij patrocinium, sed tunc noluisti. Et adiecit: Ne dixeris idem voluisse patrem quod tyrannum. Quaeritis, vtri paruerit? Tyrannus illũ amauit, tanquam sibi paruisset. Pater, inquit, voluit. ita tu non tyranno tãtum, sed patri dignus parricidio visus es? Cum descripsisset impium in patrem, adiecit: Tyrannum quoque tunc cum amare deberes, occidisti.

COLOR. *Montanus* partem accusatoris declamauit, & hoc colore vsus est: Indulgentissimum fuisse in filios patrem: nimiam pietatem eius fuisse notam tyranno. Itaque illum qui quaereret pudicis dolorẽ ex impudicitia, contumacibus ex seruitute, piissimo patri tormentum quaesisse ex filiorum impietate: & induxit illum animose loquentem, qui iussus est prior patrem caedere. Quid si non caecidero, inquit, quid facturus es? torquebis? occides? plus est quod imperas, quàm quod minaris. Certamen erat in vno homine, vtrum plus posset natura, an tyrannus. Caede, inquit: non caedo. verbera: non ferio. Haec fratre audiente. Et illud dixit, cum promitteret amicitiam tyrannus: Magis praemium extimui tyranni, quàm imperium. Et cum descripsisset cicatrices patris: Et forma est adhuc faciei, dixit, ab vtroque caesum

sum

ſum putes. *Montanus* tamen aiebat, nihil poſſe melius dici. Ex hac parte tyrannus iubet, ex altera lex vetat. morieris, ſi cecideris: morere, ne caedas. *Ceſtius* dixit: Tyrannus imperat vt patrem caedas. non eſt nouum: noluiſti facere. Laudaturum me putas? ego vero non laudo. alterius iſta gloria eſt. tu fratrem imitatus es. *Argentarius* dixit: Tu patrem cecidiſti, cum & legem noſſes, & fratrem. *Montanus* dixit: Parricida eſſe voluiſti: violaſti patris corpus, fratris beneficium. Ab altera, hoc colore omnes declamauerunt tanquam patre iubente feciſſet. *Triarius* dixit: In filij mei manus incurri. *Baſſus Iulius*: Ego me filij mei manibus cecidi. *Haterius* dixit: Ago gratias tyranno, quòd alterum filium meum cuſtodiri iuſſit, ne mori poſſet. *Ceſtius* ait in narratione: Tyrannus iubet caedere, expoſita tormenta ſunt: quid faciat? moriatur, inquis. hoc dicis: ne caedat pattem, occidat. *Fuſcus Arellius* dixit: Complecti volo iſtas manus, optime de me etiam ante tyrannicidiũ meritas. *Gallio* dixit: Viderit quantum tibi ſe putet debere Reſpub. ego plus me quàm illam debere tibi iudico. difficilius eſt quod me iubente feciſti. *Montanus Votienus* dixit in narratione: Si perſeueras fili, fratrem ſequar. Videris vtrum patrem caedere malis, an occidere. Hanc controuerſiam & ab *Iulio Sabino* bene declamari memini, cum deſcriberet tyrannum occiſum, & cum ingenti gloria ex arce deductum. O te parricidam: niſi poſt tyrannicidium quoque intelligis, quanto melius frater tuus perierit, quàm tu occideris. Illud non probaui, quòd multa in re ſeuera tentauit ſalſe dicere. Erat autem vrbaniſſimus homo, vt vobis ſaepe narraui, vt quicquid illi in eloquentia deerat, vrbanitate penſaret. Meminimus cum illum Syriacus Vallius, homo diſertus, accuſaret, & videret Latinum Calumniam teſtem circa coronam iudicij obſeruari, & totiens occurrere eunti Syriaco, & quaerere, quid haberet ſpei: deinde poſt iudicium, cum Syriacus gratias illi ageret, quòd tantam curam ſui egiſſet: At mehercules, inquit, timebam, ne vno rhetore plus haberemus. & teſtis productus cum interrogatus eſſet, an accepiſſet a patre ſeſtertia? dixit quot accepiſſet: an haberet? negauit. Deinde interrogatus, an Calumniam haberet? Ipſe, inquit, negligentiã meam noſti; an habeam, neſcio: accepiſſe me ſcio. & in Domitium nobiliſſimum virum in conſulatu cum thermas proſpicientes viam ſacram aedificaſſet, coepiſſet deinde rhetores circumire, & declamare: Ego, inquit, ſciebam hoc te facturum, & matri tuae querenti de tua deſidia dixeram: πρῶτον κολυμβᾶν, δεύτερον δὲ γράμματα. Duas eius vrbanas res praeterire non poſſum. [f] Secutus erat in prouinciam Cretam Opium Flamam Proconſulem. Graeci coeperunt in theatro poſtulare, vt Sabinus maximum magiſtratum gereret. Mos autem eſt, barbam capillumque magiſtratui Cretenſium ſummittere. Surrexit Sabinus, & ſilentium fecit, deinde ait: Hunc magiſtratum ego Romae bis geſſi. bis cauſam dixerat. Graeci non bene intellexerunt, [g] ſed bene precati Caeſari petebant, vt honorem Sabinus & tertio gereret. Poſtea deinde offendit illos tota comitum cohors: oppreſſi ſunt in templo ab omni multitudine, quae poſtulabat, vt Romam Sabinus cum Turdo proficiſceretur. Erat inter infames maxime & inuiſos homines Turdus. Cum Turdus promitteret iturum ſe, vt inde poſſet exire, Sabinus ſilentio facto, ait: Ego ad Caeſarem nõ ſum iturus cum mattea. Poſtea hoc Sabino cum cauſam diceret, obiectum eſt. Multa illum diſerte dixiſſe memini. Cum introductus eſſet ex carcere in ſenatum, poſtulatutus vt diaria acciperet, tunc dixit de fame queſtus: Nihil oneroſum a vobis peto, ſed vt me aut mori velitis, aut viuere. atque illud dixit: Nolite, inquit, ſuperbe audire hominem calamitoſum.

Saepe qui miſereri potuit, miſericordiam rogat.

Et cum dixiſſet Senianus locupletes in carcere eſſe: Homo, inquit, adhuc indemnatus, vt poſſim viuere, parricidas panem rogo. Cum mouiſſet homines & flebili oratione & diſerta, rediit tamen ad ſales: [h] rogauit vt in Lautumias transferretur: Non eſt, inquit, quenquam veſtrum decipiat nomen ipſum Lautumiae, illa animo meo lauta res eſt. Hoc retuli, vt & ipſum hominem ex aliqua parte noſſetis: & illud ſciretis, quàm difficile ſit, naturam ſuam effugere. Quomodo poſſet ab illo obtineri, ne in declamationibus iocaretur, qui iocabatur in miſeriis ac periculis ſuis: in quibus iocari eum non debuiſſe, quis neſcit? potuiſſe, quis credit? *Murrhedius* non degenerauit in hac controuerſia. nam colorem ſtultiſſimum induxit. Voluit, inquit, & hic fratris ſequi exemplum. dum retineo, dum luctor, viſus eſt patrem cecidiſſe. Vnum ex his quos audiui declamantes, ſcio *Mentonem* vſum non patrono patre, ſed aduocato. ipſum tyrannicidam induxit dicentem, & colore vſus eſt: Nõ iuſſum ſe a patre, quia aiebat incredibile omnibus videri, patrem coram tyranno caedi ſe iuſſiſſe: ſed initum eſſe tyrannicidae conſilium, vt per hoc ad amicitiam perueniret, per amicitiam ad tyrannicidium. Haec eius ſententia laudata eſt, cum deſcriberet ſe patri manus afferentem: Nihil in toto tyrannicidio difficilius feci. Illud dixit: Iam tum factum eſſet tyrannicidium, ſi me frater non reliquiſſet. Et illud dixit: Vos ego tunc reſpexi templa, leges, Reſp. nam ſi me tantum

ſpectaſſem, facile tyrannum effugiſſem, illa, qua frater effugerat.

Priuignus ab auo raptus nouercae. CONTROVERSIA V.

LEX. DE VI SIT ACTIO. Thema. *Quidam duos filios ſub nouerca amiſit, dubiis cruditatis & veneni ſignis. Tertium filium maternus auus rapuit, qui ad viſendos nepotes aegros non fuerat admiſſus, quaerenti patri per praeconem, dixit apud ſe eſſe. accuſatur de vi.*

Iunij Gallionis. Violentus & impotens ſenex hominem liberum ſiou meo rapui. quod ſeruare tibi difficile eſt, auo dona. Quotiens miſerum me puer audies? a nouerca quis es fugitiue reductus es. Habui filiam, quamuis iſte vnus filius ſuperſit, foecuodam. Quàm indulgeoter puerperia diuiſit. natus eſt filius: dixit, Filius hic meus eſt. natus eſt alter: dixit, Hic matris eſt. natus eſt tertius: dixit, Hic aui eſt. Cum quaereret filium, erant qui ſuaderent & dicerent: Tace, meruit excludi. *Ceſtij Pij.* Quam cauſam rapiendi habebat impotens ſenex? nunquid fratres eius occideram? Ignoſcite mihi, ſi tantum filiae meae mandata narro. hanc ſolã ex meis morientem vidi. habui filiam: de omnibus meis, HABVI, dicendum. Habitu vagabatur lugubri, ſordidaque praetexta: omnes illius miſerebantur, quoſdam etiam dicenteis audiui: Quid? iſte puer matrem noo habet? patrem ooo habet? auum nõ habet? *Arellij Fuſci patris.* Tres filios filiae meae debes, vnum mihi: ſine apud me nutriatur. Quid times? ne non admittare, cum veneris? expoſuiſſe hactenus iuuet. Iam ounc fortuoa, aut oouerca narranda eſt. vt vidit me, haeſit complexibus meis, puerum oſculabar miſer, interrogabam de fratribus: dum interrogo, dum fleo, perueneram domum. Rogo ne hoc cauſam meam peiorem fecerit, quòd ille quem rapui, vnicus erat. *Votiens Montani.* Mittis praeconem. adiice illi omnia inſignia. HIC PVER MATREM PERDIDIT, FRATRES AMISIT, NOVERCAM HABET. Affirmo tibi, noo indicabit quiſquis fuerit. Erras, & vehemeoter erras, filios quos perdidiſti, non quaeris: quem quaeris, non perdidiſti. Vtra tandem iuſtior querela eſt? pater ab auo vnum repetit: auus duos a patre. *Vibij Ruſi.* Raptor ille & impotens, dum moriuntur nepotes mei, ad ianuam ſteti: plus habeo, quod auo, quàm quod reo timendum ſit. *Fuluij Sparſi.* Vnus perit, alter perit: totiens fortunam accuſas, nunquam oouercam. Facinus indignum: puer ad ſupplicium in domo aui a patre quaeritur. Ad aegrotantes nepotes veoi, non ſum admiſſus: haec vis vera fuit. *Argentarij.* Pater quos conſcios habuit, neſcio: domi oon fui: amiſſa filia volui aliquem adoptare ex nepotibus: ſed aiebam, Quid neceſſe eſt? quotieos videre volam, in domum veniam: quotiens volam, in domum abducam: agamus tanquam affines. Tres habes filios. diuidamus: & vide quàm nõ improbam diuiſionem deſiderem, ex tribus vnum poſco. Vtinam omnes, quos perdidit, quaereret. *Blandi.* Cum tradere vellem puerum, oeſcio quis exclamauit: Puer, nunc periſti. nihil vobis ſubtraham. quidni? praeconi quoque omnia indicaui. *Mentonis.* Rapui nepotem, habeo. redderem, ſi pater quaereret.

DIVISIO. *Montanus Votienus* in has quaeſtiooes diuiſit, An in re vis ſit. [a] Nulla, inquit, vis eſt, quae arma, quae pugnam, quae vulnera non habet. Volo mihi [b] deſcribi comitatum iſtius tumultus. Quae turba eſt? vous puer, & vous ſenex. Rapuiſti, inquit, filium meum. immo nepotem meum [c] ſuſtuli, immo venientem non potui excludere. An ſi pro illo fuit, fieri vim, quae facta dicitur, noo teneatur qui fecit. Vis iniurioſa damnatur: ſolet enim eſſe & ſalutaris. [d] Cum latrones aliquid obſiderent, ſi perfodiſſem villam armata manu, coniugem, liberos eius rapuiſſem, accuſari poſſem? Quòd viuit puer, beneficium meum eſt. Et medici alligant, & corporibus ooſtris, vt medeantur, vim afferuot. Ao pro illo fuerit rapi. Hoc loco accuſatio nouercae, & inſectatio patris tam patiẽter ſuos perdentis. *Gallio* & illam quaeſtionem fecit, & prius ſumendam quaeſtionem putauit ex perſona, quàm ex re: An cum auo nepotis nomine agi poſſit. Non magis, inquit, quàm cum patre filij oomine, ooo magis quàm cum matre. Habet ſua iura natura: & hoc inter auum patremque intereſt, quòd auo ſuos ſeruare licet, patri etiam occidere. Non potes, inquit, ſic mecum agere tanquam cum
* alieno, vt dicas: Quid tibi cum illo, qui eſt inteſtati filius? tuus heres futurus ſit, quem dementem alligaturus eſt? quaedam iura non lege, ſed oatura oobis attributa. Si oepotem ſuum auus peccantem aliquid, & inter laſciuos iocos petulantius laſciuientem feriret, num iniuriarum quiſquam cum illo ageret? Et vltimam illam *Gallio* fecit, cum tractaſſet illa: Licet mihi vt proſim facere. deinde, huic profuit. An auo ignoſcendum ſit cum pro nepote, affectu latus, fecerit. Hoc loco tractauit, quàm indigoum eſſet damnari illum ab hoc. *Latro* duas vltimas quaeſtiones aliter poſuit, & plus complexus eſt. Etiam ſi vim fecit, an tamẽ damnari oon poſſit, ſi bono animo fecerit. ait enim, & de animo fieri cootrouerſiam auo, & dicere patrem: Non vt nepotem ſeruaret, fecit, [f] ſed vt infamaret vxorem meam, tanquam

veneficam,

veneficam, me tanquam veneficae mancipatum, cui male liberi sui committerentur.

COLOR. Colore ergo hoc *Latro* eodem vsus est pro patre, vt diceret, ne viua quidem vxore bene sibi cum socero conuenisse: mortua vero professas inimicitias illum gessisse secum. languente vero puero, illum venisse, cum conuicio, cum vociferatione nefaria, & dicentem & [s] auspicantem quicquid accidit: auctores habere amicos se, ne admitteret hominem, non ad officium nepotum, sed inuidiam & contumeliam generi venientem, qui ad sanos nepotes nunquam dignatus esset accedere: medicos vero suasisse ne veniret, ne puerum confunderet: & impleret suspicionibus. *Silonis Pompeij* color fuit, vt Latroni videbatur, qui controuersiae repugnaret. dixit enim, venisse auum ad imbecillum puerum, ad aegros non semper proximos admitti: vtique ad eos qui grauiter aegrotant, saepe & patrem non admissum. Sic auo quoque intempestiue venienti dictum, Nunc non potes: statim cum conuicio abisse. in altero idem fecisse. *Latro* aiebat hunc colorem optimum esse, si recitasset, se recipi non posse: quia ponatur, Non est admissus: sub hoc themate intelligere nos, non hoc illi dictum, Nunc non potes: sed ex toto, Non potes. *Gallio* vtrumque miscuit, & hoc colore qui videri non potest alioquin thema euertere, parcius vsus est. Dictum est, inquit, illi: Quiescit puer, paulum commorare. medici vetuerunt quenquam admitti. scitis solere dicere illos: Nec si pater venerit. Protinus iste clamare coepit, Testor me non admitti: & tantum non tabellis signatis denuntiare. Auum distuleram, accusatorem exclusi. Iterum, inquit, venit cum conuicio. Iam vnum occidistis, alterum occiditis. Nihil est miserius, quàm vbi alicui ex miseria sua inuidia quaeritur. Non est admissus, cum diceret, se nepotem suum non videre velle, sed inspicere. Sic egit: Veni, non vt istum accusarem, sed vt me defenderem. *Gallio* hoc colore vsus est: Non admisi auum, quia dictum erat mihi, hoc illum animo venire, vt raperet. Ex altera parte colorem hunc *Cestius* introduxit: Timuisse se de puero. Frustra, inquit, duos occiderat nouerca. & ait: Vellem ad vos nocentior venirem reus, vellem tres raperem. *Argentarius* hoc colore vsus est. rogatum a puero auum. Negabat, inquit, posse se viuere, si in illa relinqueretur domo. *Hispanus* hoc colore vsus est, affectu esse ablatum. Sustuli, inquit, nepotem meum. Non potui, inquit, satiari osculis, non potui ab illo tam cito distrahi. Nolite mirari: post longum tempus illum videram. *Albutius* hoc colore vsus est, vt diceret: Noluisse illum in tam infausta domo educari, ex qua duo iam fratres elati essent: ei qui postea decessit, inter causas moriendi casum fratris fuisse. Et seruauit hunc colorem, ne quid in nouercam, ne quid in patrem diceret: aiebat, iustissimum futurum auum, si tantum se defendere voluisset. Quid ergo? quare rapuisti? amabam. huic maxime ab initio animum meũ addixeram. In domo vestra nihil praeter ipsam domum timui. Si apud me duo decessissent, ex domo mea illum transtulissem. *Marcellum Marcium* aiebat sic narrasse: Puer me secutus est. nõ criminor vobis illum. quicquid est, potius quàm illius periculo fiat; ego rapui. Vbi est? inquit. Viuit, saluus est: veni, cum voles aspicere. Redde, inquit, patri suo. ego asper, Age, monstrabo si vis, quis ante me tibi filios abstulerit. *Varius Geminus* eundem sensum dixit: Quae est ista tam sera pietas, tam praepostera? quaerere tuos a tertio incipis. *Montanus Votienus*, homo rarissimi, etiam si non emendatissimi ingenij, vitium suum quod in orationibus nõ euitabat, in scholasticis quoque euitare non potuit: sed in orationibus, quia laxior est materia, minus earundem rerum annotatur iteratio. In scholasticis si eadem sunt quae dicuntur: quia pauca sunt, notantur. Memini illum pro Galla Numisia apud centumuiros tirocinium ponere. Ex vncia heres erat patris sui Galla. obüciebatur illi veneficium. dixit rem disertissimam, & omnibus saeculis duraturam, qua nescio an quicquam melius in eo genere causarum dictum. Vnciam nec filiae deberi, nec veneficae. Non fuit contentus, adiecit: In paternis tabulis filiae locus, aut suus debetur, aut nullus. etiamnum adiecit: Relinquis nocenti nimium, innocenti parum. Ne sic quidem satiare se potuit, adiecit: Non potest filia tam anguste paternis tabulis adhaerere, quas aut totas possidere debet, aut totas perdere: & plura multa, quae memoria non repeto. Ex eis quaedam in orationem contulit, & alia plura quàm dixerat, adiecit. nihil non ex eis bellum est, si solum sit: nihil non rursus ex eis alteri obstat. Idem in hac declamatione fecisse eum memini. Erras pater, inquit, & vehementer erras. quos perdidisti, non quaeris: quem quaeris, non perdidisti. Deinde: Puer iste inuentus perit. Deinde: [*] Quisquis puero fauet, ne inueniatur optet. Deinde: Puer nisi auum sequitur, fratres secuturus est. Desine quaerere: quem si inueneris, sic perdes, vt inuenire nõ possis. & deinde: Rapuit istũ auus, ne raperet nouerca. Et deinde: Vnum tãtum pater ex liberis suis quaerit, qui saluus est. *Glycon* hunc sensum semel dixit, sed genere corrupto: τῦτο τὸ παιδίον ὅτις εὑρίσῃ, τότε ἀπολέσῃ. Habet hoc *Montanus* vitium. sententias suas repetendo corrumpit. dum non est contẽtus vnã rem semel bene dicere, efficit, ne bene dixerit. & propter hoc & alia, quibus orator

potest poëtae similis videri, solebat Scaurus Montanum inter oratores Ouidium vocare. Nã & Ouidius nescit, qnod bene cessit, relinquere. Non multa referam, quae Montaniana Scaurus vocabat. Vno hoc contentus ero. Cum Polyxena esset abducta, vt ad tumulum Achillis immolaretur, Hecuba dixit:

—cinis ipse sepulti
In genus hoc pugnat.

poterat hoc contentus esse, adiecit:

—tumulo quoque sensimus hostem.

Nec hoc contentus, adiecit:

Aeacidae foecunda fui.

aiebat autem Scaurus rem veram: Non minus magnam virtutem esse, scire desinere, quàm scire dicere.

Filia conscia in veneno priuigni. CONTROVERSIA VI.

LEX. VENEFICA TORQVEATVR, DONEC CONSCIOS INDICET. Thema. *Quidam mortua vxore, ex qua filium habebat, duxit aliam: & ex ea filiam sustulit. decessit adolescens. accusauit maritus nouercam veneficij. damnata cum torqueretur,* [a] *dixit consciam filiam. petitur ad supplicium puella. pater defendit.*

PRO FILIA. *Cestij Pij.* Non est quòd putetis has lacrymas aut filiae esse, aut me patrẽ. Nõ prodesset tibi puella ne hoc quidem, [b] quòd te frater amauit, nisi mater odisset. Hoc me * odisti nouerca, quòd scisti cõsciam me, eligi poenae. Dixit, Ante actam eius vitam excutiamus. *Fuluij Sparsi.* Nefaria mulier, filiae quoque nouerca, ne mori quidem potuit, nisi & occideret. Inter gladiatores victoris quoque condicio pessima est, cum moriente pugnantis. Nullum magis aduersarium timeas, quàm qui viuere non potest, occidere potest. *Vibij Galli.* Cõcitatissima in mortem rabies est: desperatione vltima in furorẽ animus impellitur. Quaedam ferae tela omnia commordent, & ad mortis auctorem per vulnera sua ruunt. Abscissa missione gladiator, [c] quem armatus fugerat, nudus insequitur. Praecipitati non quod impulit tantum trahunt, sed quod occurrit: & naturali quodam deploratae mentis affectu morietibus gratissimum est commori. *Votieni Montani.* Dum filium vindico, vbi grauissime mihi nocere possit, ostendit. o mendacium simile veneficio! Sic credibile esse in sorore parricidiũ creditis? non timeo ne quis hoc in sorore credat, quod ego vix probaui in nouerca. Natam mihi filiam quasi futurae pacis obsidem sustuli: aiebam, Dum matris meminit, obliuiscetur nouercae. at illa dum nouercae meminit, matris oblita est. Filia, inquit, mihi conscia est. post hanc vocem remissa putares tormenta: similis facta torquenti est. Soror fratri venenum dedit? quamdiu luctati sumus, vt crederetur nouerca priuigno dedisse? Nouerca quod volueras consecuta es, damnasse iam paeniter. *Argentarij.* Facio rem, Iudices, non nouam; liberos meos a nouerca vindico. Peto, ne quia filium vindicaui, filiam perdam. Nisi succurritis, nouerca vicit, ego victus sum. Duxi, nescio peiorem vxorem, an nouercam. Hoc mihi carior est, quòd tam inuisa matri fuit. *Cornelij Hispani.* Si conscia esset, neminem expectarem: scitis quemadmodum veneficam oderim. Instabam tormentis: aiebam, Morere peius quàm odisti. Non satis mihi ardere ignes videbantur, non satis insidere verbera. dixi: Si quid adiicere tormentis tuis possum, puto iubebo filiam afferri. Vocet huc aliquis matrem. quid expauisti puella? quid ad sinus meos refugisti? quid extimuisti tanquam nouercam? *Marillij.* Ne inter supplicia qnidem desinit occidere. & hanc quisquam putet non potuisse venenum sine conscia dare? Puella, quae occidisse fratrem dicitur, quid ante peccauit? nouerca quoque ante occidit priuignum quàm filiam. &, Bonae spei est, quaeritis argumentum? matri suae non placet. *Arellij Fusci.* Etiam cineribus tuis infesta est nouerca. quod vnum potest, persequitur sororem tuam. Quid adhuc potest nosse, nisi fratrem? Prosit illi apud vos, quòd illam pater laudat, prosit quòd talis mater accusat. *Mentonis.* Non misere- * ris huius? miserior est quàm frater. Ille habuit sine dubio nouercam torquere. Consecuta es mulier quod voluisti. solus omnium magis sensi nouercam, cum perdidi. *Porcij Latronis.* Habui filium tam bonum, vt illum amare posset etiam nouerca: nisi in eam incidisset quae posset etiam filiam odisse. Huc mea scelera reciderũt, vt parricidium puellare sit. aetas, si magnitudinem rei non intelligit, non est idonea parricidio. Sed veneficae, inquit, filia est. Si parentes inspiciuntur, cur nõ potius patri videatur similis, cui placet, quàm matri cui displicet? Denique non recuso, quo minus in illa vel matris exigatur imitatio. illa cum huius aetatis erat, nec nouerca erat, nec venefica. *Albutij Sili.* Duxi vxorem, nullis adhuc inquinatam

inquinatam fabulis.nec miror,innocentem tunc fuisse:adhuc puella erat. *Blandi.* Vt scelerata sit,nempe matri suae similis est:ante veneficium oportet faciat,quàm parricidium.Filia, inquit,conscia est. Dij te perdant : etiam cum torqueris, occidisti. Seruus tortus Catonem conscium furti dixit. Quid agitis ? vtrum plus creditis tormentis, an Catoni ? *Buteonis.* Si conscius a te puella quaeretur,nominato patrem. Quod nouerca tam sero, puella tam cito? Filia,inquit,conscia est. Male pereas ! at ego te putabam vnius nouercam. *Triarij.* Filia, inquit,tua conscia est. Videbatur sibi post hanc vocem vicisse. Amissum fratrem fleuit in funere,totius populi habitum lacrymis suis expressit : itaque illam nouerca peius perire voluit quàm priuignum.Filia,inquit, conscia est.Hoc vltimum fuit nouercae veneficium. *Q. Haterij.*Succurrite quaeso,ne cum torta sit quae filium meum occiderat,filiam etiam dum torquetur,occiderit.Liberos semper effero vnius mulieris aut mendacio,aut veneno.Non flet quantum reae satis est. quemadmodum illi extorquebo lacrymas ? afferte mihi imaginem fratris. video subito desiderio fletus concitatos,nunquid talem vultum,cum mater torqueretur,habuit?

PARS ALTERA. *Triarij.* Si odissemus te, pateremur cum eiusmodi filia viuere. Quarumdam ferarum catuli cum rabie nascuntur : venena statim a radicibus pestifera sunt. Quantum illi ad scelera aetatis adiecit, quòd illam nouerca peperit ? Quid illa, quae fratrem in moram patri sequenti sparsit? Habemus exemplum, quod & sorori conueniat, & virgini.

DIVISIO. *Cestius* in duas partes coniecturam diuisit, & primum quaesiuit,An conscia illi opus fuerit:deinde,Si opus fuit, an hanc habuerit.Non seruauit autem modum.Nam & illum locum diu tractauit, non posse sororem in mortem fratris impelli.Et iterum tam puellam voluit videri,vt nulli esset idonea ministerio. Itaque elegantissime deridebat *Montanus Votienus* in hac controuersia ineptias rhetorum,quòd sic declamarent, tanquam haec quae nominata est,infans esset:nec intelligerēt si talis esset, ne futuram quidem ream.Itaque hoc debemus,inquit,proponere nobis puellā eius aetatis,in qua torta,credibile scelus illud quidem,sed intolerabile esse aiebat. Induxerat Cestius matrem dicentem filiae:Da fratri venenum. *Triarius* multo rem magis ineptam,quia non inuenit illam,sed cōcupiuit:nam excessus sententiam traxit. Induxerat nouercam dicētem:Da fratri venenum.fecit illam respondentem:Mater & mihi da.quid enim est tam absurdū,quàm matrem sic locutam cum puella,Da fratri venenum?Non ferebant nec illam Triarij sentētiam,qua aliter *Haterius* vsus est, cum ad epilogum peruenisset. Hoc loco debebat reus flere:non flet puella.inueniat quemadmodum fleat aliquis, hoc est imaginem fratris.Illa enim si tam puella est,vt dicat, Mater, quid est venenum?nō potest tantae pietatis esse, vt eam imago fratris in lacrymas concitet. Tantus autem error est in omnibus studiis,maxime in eloquētia, cuius regula incerta est,vt vitia quidam sua & intelligāt, & ament. *Cestius* pueriliter se dixisse intelligebat:Mater, quid est venenum?Deridebat enim *Murrhedium*,qui hanc sentētiam imitatus est in epilogo, cum alloqui coepisset puellam,& diceret:Compone te in periclitantium habitum, profunde lacrymas, manus ad genua demitte,rea es.fecerat respondentem puellam:Pater,quid est rea? Et aiebat Cestius:Quod si ad deridendum me dixit, homo venustus fuit. Et ego nunc scio, me ineptam sententiam dicere.Multa autem dico,non quia mihi placent,sed quia audientibus placitura sunt.Et illud *Rufi Vibij* tolerabilius aiebat esse, sed & ipsum aliqua obiurgatione dignum.dixerat in epilogo: Nutrix ream tolle.Illud in *Haterio*,qui & promisit oratorem, & praestitit,negabat se posse ferre quod dixerat : Haec rea non mittenda in exilium, sed ferenda est.Cum sciret,inquit,in exiliū exportandos locari solere.quid enim intelligi vult hac sententia,nisi ex toto puellam ambulare non posse?Vsque in exilium: verum est, sed nec mater eius potuisset. *Silo* a parte patris comparationem fecit inter se matris & filiae.totam hac figura declamauit.Nō sum,inquit,vobis dicturus,qualis debeat esse venefica:operā perdam, si coepero describere,debere esse aetate prouectam,vsu exercitatā, inuisam viro,quae possit etiam filiam occidere.Superuacuum est vti pluribus verbis : in hac ipsa causa habemus veneficae exemplar.Comparemus inter se duas reas.nec est quòd quaeratis aliquem, qui cognitionem vestram per omnes comparationis parteis ducat.ego vobis dicam,quomodo illam accusauerim.Ego illi obieci anteactam vitam:vos illi potestis obiicere?Et sic omnia circumiit,& comparando defendit.Illam quaestiunculam, quae in prima parte tractata erat a quibusdam,Non illi vtique fuisse opus & conscia,sic transcurrit:Aiebat,inquit,tota actione rea haec,Quam consciam habueram.ego negabam illi opus fuisse.aiebam,In eadem domo eras,venenum notum erat,nouercae occasio facilis conuiuenti,non eras suspecta, nemo te timebat propter sororem. Ex altera parte hoc vsus est colore:Nouercam video venenum

dedisse, vt filia sua sola heres esset: eandem illi & consciam fuisse veneficij, & causam. Omnes declamatores aiebat voluisse aliquid noui dicere, eo loco quo oominabat oouerca filiam consciam. dixit, inquit, *Hybreas*: Τί οὖν ἐψεύσατο κατὰ τῆς ἰδίας θυγατρός; οὐχ, ἀλλὰ κατὰ τῆς ἐμῆς. Hanc senrentiam *Fuscus Arellius* cum esset ex Asia, oon casu dixit, sed transtulit ad verbum quidem: Quid ergo, inquit, meotita est de filia sua? immo de mea. Modestius hanc sentẽtiam vertit *Haterius*: Quid ergo? mentita est, quae nihil lamentabatur de accusatoris sui filia? *Cestius* dixit: Nominauit priuigni sui sororem. *Albutius* dixit: Quid habuit quod dubitaret, an parceret filiae eius a quo occidebatur, sorori eius quem occiderat? *Triarius* dixit: Quid ergo mater mẽtita est? tolle matris nomen, post damnatiooem nouerca est. *Blandus* dixir: Nominabo istam quae patri affuit, istam quae mortuo fratre ac matre oon fleuit. *Silo Pompeius* dixit: Filia, ioquit, mihi conscia est. post hoc, eundem vultum eius ootaui, quem videram moricote priuigno. *Montanus Votienus* Marcellum Marcium amicum suum, cuius frequenter mentiooem in scriptis suis facir, tanquam hominis diserti, aiebat hanc dixisse sententiam: Inuenit quomodo damnata accusaret, moriens occideret, torta torqueret. noo est hoc indicium, sed alterum nouercae veneficium. *Latro* dixerat, cum descripsisset tormenta: Instabam super caput oon accusatot, sed tortor: ipse ignes subiiciebam, ipse ad intendendum eculeum manus admouebam. ego oon bibam sanguinem istius, ooo eruam oculos? filium mihi eripuit: nisi citius illã oppressissem, & filiam abstulisset. *Triarius* dixit: Cum accusarem, ohieci veneficium. In vltima parte inter preces meas excitaui puellam ad vltiooem fratris sui. Haec res maxime, Iudices, mouit, haec maxime nouercam offeodit. *Albutius* dixit: Postquam nomioauit filiam, ad me respexit: videlicet vt sciret, an satis torsisset. *Nicetes* egregie dixit in hoc eodem loco. *

Montanus cum diceret illum locum, quamuis sceleratos pareotes, velle tamen ionocentes liberos suos esse, dixit: Potest ista filiam veneficam fingere, si potest facere. difficilius est filios inquinare, quàm perdere. & illud: Fauete saeculo, Iudices, cum ingentia scelera ferat, oe etiam immatura tulerit. fauete, nullum scelus commissum sit, nisi quod solet. fauete, vt potius ooo desierit nouerca parricidium facere, quàm soror coeperit. Damnare illam potui, effugere noo potui. Sero fecisti oouerca. si hoc ante dixisses, potuisti praeuaricatiooem pacisci. recte cum damnareris, animosa eras. recte nihil pores facere. si qua fides accusator insidias reae timui, ousquam a sinu meo dimisi puellam, ipse omnes praegustaui cibos. O incauta futuri mortalitas. postquam ad tortorem perduxi nouercam, timere de filia desij.

Color. Omnes illo colore vsi sunt, nominatam a nouerca filiam in dolorem patris. *Gallio* plura dixit: Fortasse, in quit, hanc oominauit, vr veros conscios celaret: fortasse, vt quia acerrime instabat accusator, hoc meru territus finem tormeotis impooeret: fortasse in dolore rormentorũ stupefacta nesciuit quid loqueretur. Nouissime dixit, fortasse in hoc, vt quae pocoas veneficij dabat, accusationis exigeret. Illum sensum adiecit: Ex meis hoc affectibus aestimo. cum tum ira, tum odio furerem, circumspiciebam omnes vltionis vias, oblitus innoocentiae, si proprios habuisset liberos nouerca, occidissem. Io hanc ipsam quotiens impetum facere volui? sed propter hoc a me tuta erat, quòd a matre noo erat.

M. ANNAEI SENECAE CONTROVERSIARVM

LIBER DECIMVS.

SENECA NOVATO, SENECAE, MELAE FILIIS SALVTEM.

VOD vltra mihi molesti sitis, ooo est. Interrogate, si qua vultis, & sinite me ab istis iuuenilibus studiis ad senecturem meam reuerti. Fatebor vobis, iam res taedio est. Primo libenter assilui, velut optimam vitae meae partem mihi reducturus: ' deinde iam pudet, quamdiu oon seriam rem agam. Scholastica studia leuiter tractara delectãt: cõtrectata & propius admota, fastidio sunt. Sinire ergo me semel exhaurire memoriã meã, ' & admittite vel adactũ iureiurando, quod adfirmem dixisse me quae sciui, quaeque audiui, quaeque ad hanc rem pertinere credidi. Pertinere autem ad rem non puto, quomodo

L. Magius

L.Magius gener T.Liuij declamauerit, quamuis aliquo tempore ſuum populũ habuit,cum illum homines non in ipſius honorem laudarent,ſed in ſoceri ferrent:quomodo L. Aſprenas,aut Quinctilianus declamauerit:tranſeo iſtos, quorum fama cum ipſis extincta eſt. De Scauro ſi me interrogatis,cum illum mecum audieritis, iniqui eſtis. Non noui quenquam, cuius ingenio P. R. pertinacius ignouerit. Dicebat negligenter ſaepe cauſam in ipſis ſubſelliis: ſaepe dum amicitur, dicebat: [c] deinde litiganti ſimilior quàm agenti, cupiebat euocare aliquam vocem aduerſariorum, [d] & in altercatione vires ſuas nouerat. Nihil erat illo venuſtius, nihil paratius: genus dicendi antiquum, verborum quoque non vulgarium grauitas, ipſe cultus habituſque corporis, mire ad auctoritatem oratoriam aptatus. Sed ex iis omnibus ſcire poſſes,non quantum oratorem praeſtaret Scaurus, ſed quãtum deſereret. Pleraeque actiones malae,in omnibus tamen aliquod magni neglectique ingenij veſtigium extabat.raro aliqua actio bona,ſed quam fortunae imputares. Sed illum lõga, immo perpetua deſidia eo perduxerat,vt nihil curare vellet,nihil poſſet. Orationes ſeptem edidit, quae deinde ſenatuſcõſulto combuſtae ſunt. Bene cum illis ignis egerat. Sed extant libelli,qui cum fama eius lugent,multoque diſſolutiores ipſis actionibus. [e] Illas enim cum deſtituerit cura, calor adiuuabat: ij caloris minus habent, negligentiae non minus. Declamantem audiuimus, [f] nouiſſime quidem cum M.Lepido ita,vt quod difficillimum erat,ſibi diſpliceret. De Labieno interrogatis? Declamauit non quidem populo, ſed egregie. Non admittebat populum:& quia nondum haec conſuetudo erat inducta,& quia putabat turpe ao friuolae iactationis. [g] faciebat enim cenſorium ſupercilium,cum alius animo eſſet. Magnus orator,qui per multa impedimenta eluctatus,ad famam ingenij, confitentibus magis hominibus peruenerat,quàm volentibus. Summa egeſtas erat, ſumma infamia, ſummum odium. Magna autem debet eſſe eloquentia, quae inuitis placeat. cum ingenia fauor hominum oſtendat, fauor alat, quantam vim eſſe oportet,quae inter obſtantia erumpat? [h] Nemo erat,quin cum homini omnia obiecerat, ingenio multum tribueret. Color orationis antiquae, vigor nouae. Cultus inter noſtrum ac prius ſaeculum medius,vt illum poſſet vtraque pars ſibi vindicare. Libertas tanta, vt libertatis nomen excederet. vt quia paſſim ordines hominesque laniabat,Rabienus vocaretur. animus per vitia ingens,& ad ſimilitudinem ingenij ſui violentus,& qui Pompeianos ſpiritus nondum in tanta pace poſuiſſet. In hunc primum excogitata eſt noua poena. effectum eſt enim per inimicos, vt omnes eius libri incenderentur. Res noua & inſueta, [i] ſupplicia de ſtudiis ſumi. Bono hercule publico, iſta in poenas ingenioſa crudelitas poſt Ciceronem inuenta eſt. Quid enim futurum fuit, ſi ingenium Ciceronis triumuiris libuiſſet proſcribere? Sunt dij immortales lenti quidem, ſed certi vindices generis humani, & magna exempla in caput inuenientium regerunt: vt iuſtiſſima patiendi vice, quod quiſque alieno excogitauit ſupplicio, ſaepe excipiat ſuo. Quae vos dementiſſimi homines tanta vecordia agitat? parum videlicet in poenas notae crudelitatis eſt. [k] conquirite in voſmetipſos noua,quibus pereatis: & ſi quid ab omni patiẽtia rerum natura ſubduxit,ſicut ingeniũ memoriamque nominis, [l] inuenite quemadmodum perducatis ad eandem rem corporis mala. Facem ſtudiis ſubdere, & in monumẽta diſciplinarum animaduertere,quanta & quàm non contenta certa materia ſaeuitia eſt! Dij melius quòd eo ſaeculo iſta ingeniorum ſupplicia coeperunt,quo & ingenia deſierunt. Eius qui hanc in ſcripta Labieni ſententiam dixerat,poſtea viuentis adhuc ſcripta combuſta ſunt:iam non malo exemplo, quia ſuo. Non tulit hanc Labienus contumeliam,nec ſuperſtes eſſe ingenio ſuo voluit,ſed in monumenta ſe maiorum ſuorum ferri iuſſit, [m] atque ita includi:veritus ſcilicet, ne ignis qui nomini ſuo ſubiectus erat,corpori negaretur:non finiuit tantum ſeipſe,ſed etiam ſepeliuit. Memini aliquando cum recitaret hiſtoriam, [n] magnã partem conuoluiſſe, & dixiſſe: Haec quae tranſeo,poſt mortem meam legentur. Quanta in illis libertas fuit,quam etiam Labienus extimuit? Caſſij Seueri,hominis Labieno iũctiſſimi,belle dicta res ferebatur. Illo tempore quo libri Labieni ex S.C. vrebantur: Nunc me,inquit,viuum vri oportet,qui illos edidici. Monſtrabo vobis bellum libellum, [o] quem a Gallione veſtro petatis. [p] Recitauit reſcriptum Labieni pro Batyllo Maecenatis,in quo ſuſpicietis adoleſcentis animum, illos dentes ad mordendum prouocãtis. Puto iam nihil,quod interrogetis,reſtat. Muſa rhetor,quem interdum ſoletis audire,licet Mela meus contrahat frontem,multum habuit ingenij, nihil cordis. Omnia vſque ad vltimũ tumorem perducta,vt non extra ſanitatem, ſed extra naturam eſſent. Quis enim ferret hominem de ſiphonibus dicẽtem, [q] Caelo repluunt:de ſparſionibus, Odoratos imbres:& in cultum viridium, Caelatas ſiluas:& in pictura, Nemora ſurgentia? Aut illud quod de ſubitis mortibus memini eum dicentem, [r] cum vos me illo perduxiſſetis: Quicquid auium volitat,quicquid piſcium natat,quicquid ferarũ diſcurrit,noſtris ſepelitur ven-

tribus. Quaete nunc, cur subito moriamur: mortibus viuimus. Non ergo & si iam manumissus erat, debuit de corio eius nobis satisfieri. Non sum ex iudicibus seuerissimis, qui omnia ad exactam regulam redigam. Multa donanda ingeniis puto: sed donanda vitia, non portenta sunt. Si qua tamen tolerabiliter dicta sunt, non subtraham, ne plura videantur, vel subiicietis vos. Oscus oõ incommode dixit, sed sibi oocuit: dum nihil sine schemate dicere cupit. oratio eius non figurata erat, sed praua. Itaque non inurbane Pacatus rhetor; cum illi Massiliae mane occurrisset, schemate illum salutauit.[s] Poteram, ioquit, dicere: Aue Osce. Ipse ab eloquentia multum aberat, natus ad cõtumelias omnium ingeniis inurendas. Nulli non impressit aliquid, quod effugere nõ posset. Ille Passieno, prima eius syllaba in Graecum mutata, obscoenum oomen imposuit,[t] declamatori subtili, sed arido. ille Sparso dixit, scholam communem cum rhetore quodam habenti: Tu potes controuersiam intelligere, qui non intelligis te laterem lauare? Sparsus autem dicebat valẽter, sed dure. Ad imitationem Latronis se direxerat: oon tamẽ vnquam similis illi erat, nisi cum eadem diceret. Vtebatur suis verbis, Latronis sententiis. Cum Basso certamen illi fuit, quem vos quoque audistis, homine diserto: cui demptam velim quam consectabatur amaritudioem & simulationem actionis oratoriae. Nihil indecentius, quàm vbi scholasticus quod non nouit, imitatur. Amabam itaque Capitonem, cuius declamatio est de Popilio haec quae meo Latroni subiicitur. Bona fide Scholasticus erat, in his declamationibus quae illi bene cesserunt,[u] nulli non post primum Tetracolon praefereodus. Primum Tetracolon quotum faciam, quaeritis?[x] Latronis, Fusci, Albuꝫ, Gallionis. Hi quoticos cõflixissent, penes Latronem gloria fuisset, penes Gallionem palma: reliquos, vt vobis videtur, componite. Ego vobis omniũ feci potestatem. hos minus nobiles finite in partem abire, Paternum, Moderatum, Fabium, & si quis est nec clari nominis, nec ignoti.[y] Dum in his ad satietatem vestram me praestiterim,[z] permittite me mihi & aliquos, quos non nostis, ex sinu proferre: quibus quo minus ad famam peruenerint, noo ingenium defuit, sed locus. Bene declamauit Gauius Silo: cui Caesar Augystus, cum frequenter[a] causas agentem in Terracinensi colonia vidisset, plenum testimonium reddidit. dixit enim: Nunquam audiui patrem familias disertiorem. Erat qui patremfamilias praeferret, oratorem subduceret. Partem enim eloquentiae putabat, eloquentiam abscondere. Solebat declamare studiose Turrinus Clodius, cuius filius fraterno vobis amore coniunctus est, adolescens summae eloquentiae futurus, nisi mallet exercere quantum habet,[b] quàm sequi quantum cõsequi posset. Sed Turrinus Clodius multũ de viribus remiserat, dum Apollodorum sequitur, & summam legem dicendi eum putat. Tantum tamen illi superfuit virium, quantũ valeret, etiam si ars abesset. Sententias dicebat excitatas,[c] insidiose aliquid peteotes.[d] Nunquam non de colore Latroni controuersiam fecit. Latro nunquam solebat disputare in conuiuio,[e] at aliquando declamare extempore solebat. Dicebat quosdam esse colores, prima facie duros, asperos: eos non posse, nisi actione probari.[f] Negabat itaque vlli placere posse, nisi totum nossent se, & suas vires, & illarum fiducia aliis metuenda & praerupta audere. Multa se oon persuadere iudici, sed auferre. Turrinus cõtra nihil probare, nisi tutum: ooo quia imbecillus erat,[g] sed quia circumspectus. causas[h] nemo proposuit diligentius, nemo respondit paratius: & pecuniam itaque & dignitatem, quam primum in prouincia Hispania habuit, eloquentiae debuit. Natus quidem erat patre splendidissimo, auo D. Iulij hospite: sed ciuili bello atrenuatae domus nobilis vires excitauit, & ita ad summam perduxit dignitatem,[i] vt si quid illi defuit, scias locũ defuisse. Inde[k] filius quoque eius, id est, meus (nuoquam enim illum a vobis distinxi) habet in dicendo paternam diligentiam,[l] quae vires ex industria retundit. Hoc & in ipso genere vitae sequitur ad summa euasurus iuuenis, nisi modicis cooteotus esset. ideo dignus est, cuius tam modestis cupiditatibus fortuna praestet fidem.[m] Hotum nomina non me a nimio fauore, sed a certo posuisse iudicio scietis: cum sententias eorum retulero, aut pares notissimorum auctorum sententiis, aut praeferendas.

Lugens pauperis filius diuitem sequens. CONTROVERSIA I.

LEX. INIVRIARVM SIT ACTIO. Thema. *Quidam cum haberet filium, & diuitem inimicum, occisus, inspoliatus inuentus est. Adolescens sordidatus diuitem sequebatur. Diues eduxit eum in ius, & postulauit, si quid suspicaretur, accusaret se. Pauper ait: Accusabo, cum potero: & nihilominus sordidatus diuitem sequebatur. Cum peteret honores diues, repulsus est. Accusat iniuriarum pauperem.*

PRO PAVPERE. *Vibij Galli.* Gratias diuiti, quòd quos odit, reos iam facere contentus est. interdiu publico nobis interdicitur: quaerite quid nocte fiat. Non ambulabis, inquit, eadem

dem via qua ego, non calcabis vestigia mea, nõ offeres delicatis oculis sordidatam vestem, non flebis inuito me, non tacebis: perieramus, si hic magistratus esset. *Albutij Sili.* [a] Quòd sordidatus fui, luctus est: quòd fleui, pietas est: quòd non accusaui, timoris est: quòd repulsus est, vestrum est. Non taccam, qui adhuc viuo, quòd tacui? Nostis populi loquacis suspiciones. Quare iste honores illo viuo nunquam petiit? ego vero omnes quaeso, omnes vt me in inquisitionem paternae mortis adiuuẽt: & ad tua genua diues venissem, nisi timerem, ne inuidiam tibi fieri diceres: & iampridem hoc animo sequor, occasionem luquendi capto: nec mehercules possum dicere, inhumanitate tua fieri quòd non audeo. sed [b] vitium me meum sequitur. Taceo. vtinam hoc vitium habuisset & pater. dum libere loquitur, multos offendit: neque te puto solũ in ciuitate habuit inimicum. Vt iste ait, causam meam populo probaui. *Iulij Bassi.* Quando autem istis diuitibus non sordidati sumus? Accusa, inquit, pauper diuitem, egens candidatum. ego accusem? ambulare mihi meo arbitrio non licet. In ius vocauit. [c] Accusa, inquit: reum me perage, perora. quis accusare sic loquentem potest? Cur, inquit, me sequeris? quasi aliud iter pauperes, aliud diuites habeant. *Cestij Pij.* Non essem reus, si accusassem. barba demissa, sordidatus cum criminibus meis ad vos veni. Omnia licet fiant, non desinam inquirere percussorem: & fortasse iam inueni. Quàm subito pater meus in media ciuitate: Quid me intueris? quid obseruas? quid dicam? subductus est? *Arellij Fusci patris.* Incedere magno comitatu, splendido cultu, noo est fortunae meae: ista diuites possunt: satis est, si viuimus. Cum spoliatum cadauer non sit, quis fuerit percussor, nescio. quisquis fuit, quasi diues spolia contempsit. Quare, inquit, me sequeris per publicum? facinus indignum commissum est: diues & pauper per eadem vestigia incessimus. *Osci.* Accusa, inquit. vbi est qui primo coeperat? Vellem pater meus quoque a te non discessisset. viueret. Quare, inquit, me reum non facis? quia accusatorem me non times. [d] Mortuo patre meo, metuo enim ne quis iniuriam sibi fieri putet, si dixero occisum. Occisus est pater meus: a quo? si permittis, nescio. *Iunij Gallionis.* [e] Quid iste accusanti fecisset, qui persequitur tacentem? cur non agis? quia vis tecum agi. Nũquid nunc tibi iniuriam facio sordidatus? quod reo licet, lugenti non licet? Quid potui patri meo minus praestare? in honorem eius vestem mutaui. *Fuluij Sparsi.* Sordidatus es, inquit; fles. hoc dicis: Pauperis occisi filius pauper es. Pater meus in media ciuitate saluis legibus occisus est. quis hoc sine lacrymis narrare possit? non deponam has sordes, nisi inuenero cui induam. Quis occidit patrem meum? nescio. nihil amplius restari possum, quàm hãc vocem meam: Adhuc nescio. Delibero interim, vt induam vestem quam patri meo reliquit percussor. Cur me sequeris? magistratus post terga sua non summouent. *Argentarij.* Non vis patrem meum fleam? lacessere nos vltro non solebat. *Clodij Turrini patris.* Quare, inquit, sordes sumpsisti? quid igitur? ne lugebo quidem quem vindicare non possum: nulli iniuriã facio nisi patri, quem adhuc tacitus fleo. *Porcij Latronis.* Cuius necessarius, ita crudeliter interempti patris dolor est. Nihil fortius est, quàm quòd gemit. Accusa, inquit, me. vnde tam securus es? inuenisse videris, quis alius occiderit. Non erat praeda quam grassator sequeretur, sed erat virtus summa, firmissimum ignoti munimentum, contumax aduersus fastidium diuitiarum innocentia. Haec ab inimico petita sunt spolia. Nescio quomodo miserum esse interdũ in miseria iuuat, & plerunque omnis dolor per lacrymas effluit. Nimium funere nostro exultat. Non solebat viuo illo prouocare nos vt reus fieret. Si quis omnium mortalium miseriarum inter necessarias super occisum patrem lacrymas, increditam adhuc inertiam miratus est, in hac indignitate praesentis periculi omnem suam ponat admiratioẽ. Si pauper accusandi diuitis animos non sumpsit, miramini? quia tacet, reus est. Per has lacrymas, per huuc squalorem, per haec necessaria omnibus periclitantibus instrumenta, non inuidiosum vestrae misericordiae praemium petimus, vt absoluto sic esse tanquam reo liceat. Potens iste & gratiosus, &, quod ne ipse quidem negat, diues fuit, & qui nihil vnquam sibi putaret timẽdum, etiam reo. Crescere deinde in dies odium alterius impotentia, alterius libertate. Diues nihil aliud quàm nos pauperes existimare, nos nihil aliud quàm innocentes, inter quotidianas acies semper inuicti. quis de nostra interim morte cogitauerit, nescio: quod dissimulari nõ potest, scio quis optauerit. Venit iste cum turba clientium & parasitorum, & aduersus paupertatem tutam regiam suam effundit. Cur me non accusas? noo postulas? vix temperabat quin diceret: Quid ego in te accusatorem non audeam, qui occidendum eum curaui, qui tantum mecum litigauerat? Ciuitates plerunque finitimae inter repentinam discordiam bello tument. Inter ciuilia bella tantum in vltionem satis est, quantum quisque ad maledicendum occupauit. M. Cicero qua violentia in absentiam Metelli strepit? M. Cato Pulchro obiiciente furtorum crimina, audiuit. Quae maior indignitas esse potuit illius saeculi, quàm aut Pulcher accusator, aut reus Cato? In Cn. Pompeium terra

matique victorem fuit qui carmen componeret, vno, vt ait, digito caput scalpentem. Fuit aliquis qui licentia carminis tres auratos currus contemneret. M. Bruti sacratissimā eloquentiam lacerat, cùm quidam eius ciuili sanguine non inquinatas solum manus, sed infectas ait: atque ille tamen cum tres consulatus, ac tres triumphos scinderet, adeo non timuit, ne esset reus, vt etiam disertus esse curauerit. Solus hic est in vestra ciuitate innocentior Catone, nobilior Metello, fortior Pompeio.

DIVISIO. Latro sic diuisit, An in re iniuria sit. Nulla, inquit, iniuria est. Sordidatus sum, inquam: multi faciūt. Omnia iniuriae genera comprehensa sunt. pulsare non licet, conuicium facere contra bonos mores non licet. Hoc loco *Scaurus* dixit: Noua formula iniuriarum componitur, quòd nihil contra bonos mores fecit. Etiam si in re iniuria est, An si non malo animo fecit, tutus sit. An malo animo faciat. Hoc *Latro* in duas quaestiones diuisit, An si credidit, ob hoc ipsum patrem suum occisum, & propter hoc secutus est, ignoscendum illi sit. Deinde, An credidit. *Gallio* illam primam fecit quaestionem: An quod liceat cuiquam facere, si faciat, iniuria non teneatur. Licet, inquit, flere, licet ambulare qua velis, sumere nihil, inquit, vt & alienum iniuriarum facere. Sordidatus es, non queror: sed si sordes tuae inuidiam mihi concitant, queror.

COLOR. De colore quaesitum est. Quidam aperte inuecti sunt in diuitem: quidam ex toto nihil dixerunt: quidam secuti sunt mediam viam. Cum praeter haec nihil sit, *Latro* volebat videri inuenisse quartum genus, vt hoc modo in diuitem diceret: Tu quidem non fecisti, sed tamen ego habui causas propter quas possem decipi, & de te aliquid frustra suspicari, quia inspoliatus pauper inuentus est. Hoc est autem medium illud genus, nec dimittendi diuitem, nec accusandi. Nam & dimittere non debet, quem distulit: & accusare propter hoc ipsum non debet, quia distulit. *Albutius* nihil dixit in diuitem. Hoc colore declamauit: Committit iniuriarum, inquit, si quem non postulauit, accusat. Quare, inquit, sequeris me? vt aliquando mei miserearis; vt desinas afflictam domum persequi, vt scias me in hoc habitu accusare non posse, vt concupiscas gloriam vindicatae mortis. Tu solus potes, si voles, inuenire quis occiderit, tu accusare. At me quidam propter hoc suspectum habent. Potes discutere istam suspicionem. quaere quis fecerit. Vt scias, inquit, te inuidiam mihi facere: cum dixissem, Accusa me: non negasti te accusaturum, sed respondisti, Accusabo cum potero. Ignosce mihi, nō magis adhuc quemquam accusare possum quàm absoluere. quaero quis fecerit. Haec leuia argumenta sunt, haec vana sunt quae alios tāgūt: quòd inimicus est, quòd ille inspoliatus inuentus est. non est quare accusem, est quare suspicer. *Rufus Vibius* hoc colore posuit: Sordidatus sum, lugeo: sequor te, vt tutior sim: timeo nescio quem illum qui patrem meum occidit. scio me, quamdiu tecum sum, perire non posse. Dum hunc colorem sequitur *Murrhedius*, ineptissime dixit: Quare te sequor? pater meus quia solus inambulat, occisus est. *Osci* color non placuit Gallioni. Sequor, inquit, vt inueniam quis fecerit. hoc mecum cogito: Quisquis est ille qui fecit, volet hoc inimico imputare, ad diuitem veniet. Multo, inquit, hoc iniuriosius est, si inquirendi causa facit, si non tātum in conuicium, sed periculum diuitis sequitur. *Gallio* subtiliter agendum putauit, & ad positionem controuersiae colorem actionis dirigendum, vt diceret: Suspicor a te patrem meum occisum. quis enim illum alius oderat magis? quis impotens alius est? vestem enim illius sine dubio nescio quis percussor non cōcupiscebat. Dicet aliquis: Quid ergo? si inimicus est, protinus interfector est? non, ideo non accuso. *Hispo Romanus* palam accusauit, & dixit: Non causam sibi deesse, sed vires. etiam hāc sententiam in prooemio, magno cum assensu hominum dixit: Eum accusatorē habeo, qui se reum non esse miratur. *Bassus Iulius* in hac controuersia dixit: Quare me sequeris per publicum? facinus indignum, Iudices, factum est, pauper & diues eandem terram calcamus. Consectari autem solebat res sordidas, & inueniebat qui illas vnice suspiceret. Memini illum declamantem declarasse controuersiam de lenone, qui decem iuuenibus denuntiauit, ne in lupanar accederent, & foueam igne repletam terra superiectā obruit, in quam adolescētibus lapsis & consumptis accusatur Reip. laesae. Apud illum declamātem Albutius fastidiosus auditor, eos quibus inuidere poterat, admirabatur. Hanc Bassi sententiam non mehercules referrem, si canem ad ostium alligasses. Idem Latronis illas sententias aiebat tumidas magis esse quàm fortes. Summa hominum admiratione circunferebantur: Lugent argumenta patres, & ossa liberorum coniecturam diuidunt. & illam: Producta sacerdos tuam. & illam: Super cineres liberorum nostrorum lupanar de quantum est. Ipse vtique laudabat: itaque docuefat. Nam in hac ipsa controuersia ne Bassus quidem videbatur aliquid dixisse sordidius. dixit ipse: Itane peribunt decem iuuenes propter dipondios tuos? *Exclemon* a filij parte, cum patrem suum narrasset solum sine comite oppressum & occisum,

occisum, dixit: * Illud in narratione *

Hermagoras dixit: * *Artemon* dixit: *

Vir fortis non cedens forti patri. CONTROVERSIA II.

LEX.[a] VIR FORTIS, QVOD PRAEMIVM VOLET, OPTET. PLVRES IVDICIO CONTENDANT. Thema. *Pater & filius fortiter fecerunt. Petit pater a filio, vt sibi cederet. ille non vult. iudicio contendit. vicit patrem. petit pro praemio statuam patri. pater ipsum abdicat.*

Iunij Gallionis. Quem optem huius iudicij euentum nescio, cum crimen meum sit, vicisse. Videtis, quemadmodum in hoc quoque iudicio opera sua iactat: & miratur quisquam, si hoc patre natus, gloriae cupidior est? Faciles habetis partes, viros fortes iūgite. Dissidemus, quia nimiū similes sumus. Cum exiremus in aciem, aiebat: Si adolescēs essem, nemo pugnaret fortius. maiorum quoque suorū virtutes referebat, sed omnibus se praeferebat. Cum ad aetatem tuam peruenero, non contendam cum vllo, quamuis si exemplum tuum sequi voluero, etiam cum filio contendam. Quia patriae iudicium habeo, patris perdidi. Dicam abdicanti, Non luxuriabor, non amabo. hanc emendatiooem criminum meorum non possum promittere. ego vero pugnabo & fortiter, & fortissime. Vidi patrem iam senem loricam induentem: multum est pugnare cum exemplo. Iudicium vocatur, quo pater & filius spolia cootulimus. Ecce amitto: ego tibi cedere possum, seni non possum. Quòd contendi, legis: quòd vici, iudicū: quòd pugnaui, patris est. volui cedere: concurrerunt iuuenes, aetatis causa agebatur. Vici non filius patrem, sed iuuenis senem. Ego vici, sed omnes patri gratulati sunt. parui adolescēs, magnis exemplis deceptus sum, dum cogito mecum Horatium Etruscas acies corpore suo summouentem, & Mucium in hostilia arma ruentem: & dum te Deci cogito,[b] qui & ipse noluisti patri cedere. Trāsibo in subsellia tua, complectar inuitum. licet repugnes, fortior sum. *Fuluij Sparsi.* Necesse fuit mihi fortiter militare: pugnandū habebam non imperatori tantum, sed patri. Si tu vicisses, diceretur: Patri cessit: abdicationem enim timuit. Solebas enim semper optare, vt contingeret tibi habere filiū meliorem. Iudicium vocas duplicem domus nostrae triūphum? *Clodij Turrini.* Tu Mucio diceres, Non est quòd ostendas istam manum. Tu Scipioni post deletam Carthagioem, Tace? Loquax est virtus, oec ostēdit se tantum, sed ingerit. Aiunt etiam nūc quidam, Pater cessit filio, & in hoc abdicat, vt verum videatur fuisse certamen. Opta pater, vt & a nepote vincaris. Postea, inquit, fortiter pugnare poteris. vnde scio? vulneribus me senē feci. Quis te felicior? tu omnes vicisti, te filius. Quanto honestius modo pater & filius inter se contenderant, honestiorem facturus victum vter vicisset. Dubito quid faciam. taceam? sed silentium videtur confessio. Narrem virtutes meas? sed illud quoque nouum accidit mihi, quòd vni mihi abdicato meas oarrare non concessit. Processi in aciem coram patre: Fortiter, inquit, pugna. Turpe est adolescēti, vinci a sene. Auidus sum gloriae: hoc si vitium est, paternum est. fortis suo: ounquid improbas pater? aut iam abdicabis, si viro fortissimo sum fortior? dicam tamen audacter, Fortissimus sum: nec timeo in ea ciuitate hoc crimen, in qua fortes etiam senes nouimus. *Iulij Bassi.* Ad te quoque ignominiae meae pars redundat. Pudeat te pater, si a filio abdicando victus es. *Arellij Fusci.* Ignosce, iuuenis erraui: ambitiosus non ero, cum senex fuero. *Gauij Silonis.* Vtrum putas vicisse? ego praemium tantum habeo, tu & praemium, & virum fortem. Permittente lege fecit, immo in eadem re & habet legem, & timet.

DIVISIO. * * * Cōtra ait: Si quid fecit quod nō licet, lex vindicabit, sed quicquid licet, non oportet. Pater nō queritur de scelere filij, sed de officio. Deinde vtatur quisq; sua lege: tibi illud licuit, & mihi hoc licet. abdicare liberos liceat. est aliqua lex, quae filio patrē praeferat? Si potest abdicari, etiam propter id quod lege permittente fecit: An abdicari etiam propter hoc non possit, quòd praemium accepit. Noo potest, inquit, io ea re priuatim puniri, in qua publice hoooratur. Eidem rei oon potest praemium dari, & nota denūtiari. Cetera iura puto paterno imperio subiecta esse: hoc ius maius est ceteris, quòd victoria de summa virtute quaeritur. Non potes propter hāc legem filium abdicare, propter quam a filio victus es. Si potest abdicare, An debeat. hoc diuisit: An etiam si non debeat cum patre cōtendere, ignoscendū tamen sit, si adolescēs gloriae cupiditate lapsus est. Deinde, An cōtendere debuerit. Tum, inquit, & honestū certamē erat, & tutum. Quid enim est gloriosius quàm aut virum fortē vincere, aut vinci a filio? si non debuisset contendere, nō vicisset. Et potuit fieri, vt si hic tibi cessisset, alius quis ad certamen procederet: qui nūc noo processit; quia sciebat nihil sibi profuturū, si te vicisset, cū deberet a filio tuo vinci. nulla laus tua fuisset. apparuisset enim illā victoriam noo viri fortis fuisse, sed patris. silētio virtutes nostrae transissent: nuoc illustratus

es, dum conferũtur. *Turrinus* boc loco belle dixit: Plures tibi inuidere coeperunt, postquam victus es. Itaque noui generis tes accidit. filius vicerat, omnes aiebāt: O felicem patrem. Nouissimam fecit quaestionem, An etiam si quid iudicio peccauit, praemio emendauetit. Hoc loco dixit *Gallio* illam sentētiam, quae valde excepta est: Cum diu deprecatus esset, ait, si nihil profecero, quid me facturum putas? ad templa iturum, aut ad deos supplicem? ad tuas statuas confugiam. *Silo Pompeius* tentauit & in hac controuersia illam quaestionem, quam in omnibus virorum fortium abdicationibus putabat esse tenendam, An vir fortis abdicari possit. aiebat in nulla magis controuersia illam posse tractari. Non potes, inquit, eum abdicare, qui te potest vincere. Miraris, si patria lege subducitur, qua & comparatur & praefertur?

COLOR. Colorem pro adolescente *Gallio* illum dixit: Meae, inquit iuuenis, aetatis causa agi videbatur. cum dubitaret exaudisse quendam dicentem: Nihil agis, ego tibi cedo, illi non cedo. *Cestius* hoc colore vsus est, putasse se ipsi patri honestius hoc esse, certe domui, laudes vtriusque in foro inspici. *Montanus Votienus* ait: Cognoui non quid imperares, sed quid praecepisses: dixeras semper, cum me hortareris ad gloriam, vt nulli cederem. Inuidiosa omnibus in illo iudicio fortuna tua videbatur, cum quaereretur, vtrum pugnasses felicius, an genuisses. Non est quòd putes me visum illis fortiorem: decepti sunt, pater: iudicauerunt non quod erat, sed quod te malle crediderunt. *Argentarius* ait: Occasionem beneficij quaestu non concupiui accipere: praemium habet alter,' alter percipit. *Fuscus Arellius* pater ait: Si nauigare impetasses, per hibernos fluctus egissem tatem: si peregrinari, nihil fuisset iubente te durum. banc rem imperabas difficilem forti viro, vinci. *Blandus* hoc colore narrauit: Pater mihi obiecit, quòd illi vna re non cesserim? Ego multiplicabo crimina mea. Nunquam illi quotiens recte faciendum fuit, cessi: semper volui videri frugalior, videri volui labotiosior. nam cum ad vires ventum erat, etiam ipse cedebat: non ego illum vincebam, sed aetas. *Turrinus* hoc colore vsus est: Volui, inquit, cedere, sed erant qui dicerent, non licere. hoc enim modo legem salubertimam tolli. Disputaturi contra praemium patris videbanrur, & dicturi: Non licet inter se cedere fortibus. non ipsorum tantum causa agitur, sed publica. omnium interest scire, quis sit fortissimus. His vocibus hominum missus sum ad id certamen, in quo ad istum vtraque pertineret victoria. Quid putatis me dicturum? fortiorem me visum? falsum est. cum hoc quoque, quòd ego fortis eram, istius esset. Quid ergo? quare vicetim, quaeritis? Visum est ad ruborem totius iuuentutis pertinere, neminem pugnasse fortius, quàm senem. Et cum dixisset, se praemia in patrem contulisse: dixit, Vici te pater: sed nempe vici tibi. *Albutius* hoc colore narrauit: Noluit, inquit, videri per collusionem patri titulum fortissimi viri contigisse. Non cessi ante iudicium: vt in iudicio cederem. & feci. Nihil aliud quàm laudaui pattem, virtutes eius retuli: visus sum propter hoc ipsum praemio dignus. *Silo Gauius* ait: Solebas mihi pater inter dignorum virorum exempla narrare quaedam etiam domestica. aiebas autem: Patrem fortem virum habuisti. vide vt tu sis fortior. processi tecum in aciem, nec illinc inulti redimus, omnis gloria in vna domo erat. Iubebat Resp. fortes viros recognoscere. O quantam ego cupiditatem gloriae in patre meo vidi, quàm iuuenilem. Contendere me vetabat imperio, iubebat exemplo. Ventum est in iudicium. omnium quas ego noui, res inuidiosissima, quaerebatur de patre meo: vtrum fortior esset, an feliciot. *Oscus* hoc colore narrauit. Erant qui accederent, & dicerent: Roga patrem tuum, cedat tibi. non est vtile Reip. hostium excitare animos. excitabuntur, si scierint, neminem in hac ciuitate esse fortiorem quàm senem. illi me coegerunt, quasi tunc quoque aliquid praestiturus essem Reip. venire in iudicium; in quo quid habet? ego sum iudicatus iuniot. *Dento* dixit: Timeo ne ob hoc ipsum patri viliot fiam. ego sciam an vsquam gloriosus sit. *Triarius* hoc colore vsus est: In iudicio volui tibi cedere, vt non imperasse videreris, sed vicisse. & cessi. defunctorie causam meam egissem? notum sit illum cedere quia parum est illi, non putabat. *Nicetes* in hac controuersia dixit: *

* *Scaurus* hunc sensum aliter dixit: O si auus meus interesset iudicio, quàm libenter spectaret & discordiam nostram. Clamasset mihi: Non est quòd cedas, ipse mihi nunquam cessit. *Labienus* partem patris declamauit, & dixit quod etiam desertoribus licet: Nolo habitare cum aduersario meo, non capit idem contubernium fortem virum & victum. Statuam, inquit, tibi posui. imo ne possem vnquam me victum obliuisci, ignominiam meam in aes incidisti.

Demens

Demens quòd mori coegerit filiam. CONTROVERSIA III.

LEX. DEMENTIAE SIT ACTIO. Thema. *Bello ciuili quaedam virum ſecuta eſt, cum in diuerſa parte haberet patrem, & fratrem. victis partibus ſuis, & occiſo marito, venit ad patrem: non recepta in domum, dixit, Quemadmodum tibi vis ſatisfaciam? Ille reſpondit: Morere. ſuſpendit ſe ante ianuam eius. Accuſatur pater a filio dementiae.*

CONTRA PATREM. *Porcij Latronis.*[a] Sic ſibi ſatis fieri ne victor quidem voluit: excuſauit victos, qui reſtituit. Quoniam repoſcis vitam, quam dediſti, accipe. Nullum fuit in proſcriptione mulieris caput. *Oſci.* Inquinaſti filiae ſanguine penates, quanquam quid loquor penates, tanquam in domo perierit? Allatum ad ſe Caeſar Pompeij caput, fleuit,[b] & hoc illi propter filiam praeſtitit. *Arellij Fuſci.* Quemadmodum tibi vis faciam ſatis? Hoc ipſo ſatisfeciſſe debuerat puella. Filiam habuit adeo piam & in maritum & in patrem, vt alterum vſque in mortem ſecuta ſit: alteri etiam per mortem ſatisfecerit. quàm periculoſe eum offendo, qui ſimul iraſci coepit, neſcit ignoſcere? *Clodij Turrini patris.* Morere. Quid aliud meruerat, ſi ſatisfacere nollet? Niſi occupaſſes ſoror, fortaſſe pater tibi ſatisfeciſſet. Hoc certum habeo. vnuſquiſque veſtrum ſuadebat puellae: Ad iratum patrem venis: in quas potes te compone blanditias: roga, deprecare: ſi nihil proficies, habes quemadmodum cogas: morituram te denuntia. Hoc quod ignouiſti, victor, ad viros pertinet: illi tibi gratias agunt. nam feminas, ne ſi iraſcereris quidem, proſcripſiſſes. Quare ſecuta es virum? Adeo tibi vetera exempla exciderunt bonarum coniugum, quibus filiam ſolebas ſanus hortari? Aliqua ſpiritum viri redemit ſuo: aliqua ſe ſupra ardentis rogum miſit. impendiſſet ſe puella viro, niſi ſeruaſſet patri. *Fuluij Sparſi.* Filia ante limen paternum in cruore ſuo voluratur: quid exhorruiſtis? paterna ſatisfactio eſt. Noſtis domus noſtrae legem: aut dicendum mihi, aut moriendum eſt. Qualis eſt iſta ſatisfactio, qua filia exoratum patrem ſibi non ſentit? *Albutij Sili.* Vtrae meliores partes eſſent, ſoli videbantur iudicare dij poſſe. Si vis ſatisfacere mihi, morere. Quod ad me attinet, iraſcare malo. Si parricidium eſt, fuiſſe in diuerſis partibus, nunquam defendiſſet apud Caeſarem Ligarium Cicero. Marce Tulli, quàm leue iudicaſti crimen, de quo confeſſus es! Dona filiam, ſi miſericors es, deprecanti: ſi hoſtis, edicto: ſi pater, naturae: ſi iudex, cauſae: ſi iratus es, fratri. *Buteonis.* Ante ipſum limen domus deceſſit, ne dubitari poſſet, vtrum marito periſſet, an patri. vbi ſtuduiſti? vbi audiſti? nego te iſtuc in bello didiciſſe. *Marillij.* Meruerat, inquit, mori. etiamnum accuſas? certe iam tibi ſatisfactum eſt. O nouum monſtrum. irato victore viuendum eſt: exorato patre moriendum eſt. *Paſsieni.* Vtinam interueniſſem. non ſatisfeciſſes ſola patri. Furioſum te dicerem, ſi pro genero non rogaſſes. Secutus eſt gener diuerſas partes, vxor ſuas. *Labieni.* Hoc, obſequio conſequatur denique, vt intra domum moriatur. M. Cato, quo viro nihil ſpecioſius ciuilis tempeſtas abſtulit, potuit beneficio Caeſaris viuere, ſicut Tullius, ſi voluiſſet. Optima ciuilis belli defenſio, obliuio eſt. *Muſae.* Allato ad ſe capite Cn. Pompeij, Caeſar auertiſſe oculos dicitur: quod tu ne in morte filiae quidem feciſti. *Cornelij Hiſpani.* Peruagata eſt illa crudelis belli fortuna omnem ordinem, & vſque ad vltimae plebis ſupplicia deſcendit. nihil in ciuitate noſtra immune victoris irae praeter feminas fuit. Hãc laudem miſerae vrbi ſeruare licuit. At tu pater, vt victor inſanis. *Mentonis.* Semel repulſa, iterum redit: iterum repulſa, tertio rogat: non fatigatur, ſcit exorari etiam hoſteis. O te crudelem, niſi iam tibi & pro genero ſatisfactum eſt! Non ignoro, in quanto periculo ſim. neſcit placari iratus, & hoc etiam ſi filiae excanduit. *Triarij.* An non exorares victorem pro alio pater? Morere, inquit. Illi quoque quibus animaduertere in damnatos neceſſe eſt, non dicunt OCCIDE, non MORERE: ſed AGE LEGE: crudelitatem imperij verbo mitiore ſubducunt.

PARS ALTERA. *Turrinus Clodius* belle dixit: Nolite mirari ſi durioribus vtar: non ſum proceſſurus vltra verba: minabor, deinde ignoſcam. fecit & victor.

DIVISIO. *Latro* vſus eſt in hac controuerſia illa vulgata quaeſtione: An poſſit agi cum patre ob vllam aliam rem, quàm ob dementiam. Impotens ſum, immitis, non tamen demẽs. Mores tuos patri debes approbare, non patris regere. Dic, Deſipis, nihil intelligis. ego ſanitatis meae, ſi potuero, argumenta colligam: dicam in ſenatu non ſtulte ſententiam. Quid tibi videor feciſſe dementer? Partes male egi? damnare non potes patrem propter verba, immo propter verbum. Si damnari dementiae aliquis pater, etiam non demens, ob aliquod improbandum factum poteſt, an hic poſſit. Hoc in duo diuiſit. An etiam ſi hoc animo dixit, vt filiam mori vellet, damnandus tamen non ſit. Hic accuſatio filiae, cõtrarias parteis a patre ſequẽtis, cum illam ipſa natura publicis excepiſſet malis. Animaduertit Manlius in filium, & victorem: animaduertit Brutus in liberos non factos hoſteis, ſed futuros. [c] vide

an ſub iis exemplis patri fortius tantum loqui liceat. Deinde, An non eo animo dixerit, vt eam mori vellet. Dixit, inquit, iratus, cum vellet caſtigare, nō occidere. *Gallio* & illam quaeſtionē fecit, An non ob id puella perierit, quòd pater illi tam dure reſponderit. Periit, inquit, propter deſiderium viri: alioquin vnius verbi amaritudinem morte penſaſſet? Immo mulier praeceps, temeraria, inſano flagrans amore & attonito, quae virū patre relicto ſecuta fuerat, res viri conſecuta eſt. *Silo Pompeius* huic quaeſtioni praeponebat illam, ex qua in hanc tranſitus ſit, An etiam ſi propter hoc verbum patris periit, damnari tamen pater non debeat. nec enim euentus imputari debet cuiuſque rei, ſed cōſilium. Si poſt hoc verbum puella vixiſſet, nūquid patrem dementiae damnare poſſes? atqui hoc verbo ſi quid factum eſt, non a patre, ſed a puella factum eſt. Non oportet autem illius temeritatem, demētiam videri patris. Poſt hanc quaeſtionem faciebat illam, An ob hoc perierit.

COLOR. Color a parte accuſatoris ſimplex eſt: ait patrem durum fuiſſe, crudelem, bono publico eum fuiſſe peritutum. Dixit dure, inquit, eo vultu, ea affirmatione vt videretur non iubere tantum, ſed occidere. Hoc loco dixit *Turrinus Clodius*: Hoc poſt bellum, immo poſt edictum: & adiecit, Nunc intelligit Reſp. Imperator, quantum tibi debeat, cui ſine ſanguine ſatisfactum eſt. Omnes enim dixerunt, patre nolente illam nupſiſſe. *Gallio* dixit: Nondum mihi videbatur ſcire quid meruiſſet. volui illam intelligere crimen ſuum. *Ceſtius* hoc loco: Contumaciter, inquit, rogauit, ſic quomodo & periit: non vultu demiſſo, non ſummiſſioribus verbis, nondum tāquam victa: nihil agnoui filiae, nihil victae. Primum quare ad me non fratrem ſuum miſit? an etiam fratri iraſcitur? *Argentarius*. Nos duces exorauimus, quorum liberi in diuerſis partibus fuerant. diximus, Ignoſce nobis ſeueris eſſe, ſi licuerit eſſe ſecuris. Quid peccaui, quòd filiam ex hoſtium caſtris venientem non primo verbo recepi? *Turrinus Clodius* ait: Volui fratrem ſorori dare beneficium. eo durius loquar, vt ille me pro ſorore ſua deprecetur. Primum quare me ſolum rogat, cum debeat duobus ſatisfacere? *Silo Gauius* dixit: Volui, inquam, mora torquere: ſine, inquam, iterum ac tertio roget. Nec mitiſſimus quidem victor ſtatim ignouit. *Labienus* ait: Non ſum ſtatim exoratus: & ſi vixiſſet, non eſſem fractus primis vocibus eius: ne tertio quidem rogatus, aut quarto. At victor cito exoratus eſt. Noli mirari: facilius eſt ignoſcere bello quàm parricidio. *Hiſpanus* de morte eius hoc dixit: Iterum illam nobis vir abduxit. *Albuſius*, Tuto me, ait, putaui loqui fortius. non dubitaui enim quin frater illi dicturus eſſet: Non eſt quod timeas, exorabitur: ſi difficilior erit, illum ego rogabo. & ſi rogaſſes, adoleſcens, feciſſem, non magis tibi ego, quàm ſorori tuae maritus. *Montanus Votienus* dixit: Non eſt quòd putes illam cecidiſſe ira patris: cui vixerat, periit. illa ſe cui addixit, impendit. Et eundem ſenſum in argumentis, cum dixit non propter patrem illam periſſe. Quid ergo, inquis? propter quem? Scis illam virum habuiſſe, pro quo mori poſſet.

Debilitans expoſitos. CONTROVERSIA III.

LEX. REIP. LAESAE SIT ACTIO. Thema. *Quidā expoſitos debilitabat, & debilitatos mendicare cogebat, ac mercedem exigebat ab eis. Reip. laeſae accuſatur.*

CONTRA DEBILITANTEM EXPOSITOS. *Porcij Latronis*. Aeſtimate, quale ſit ſcelus iſtius, quo factum eſt ne laeſi patres liberos ſuos aut agnoſcant, aut recipiant. etiam confeſſas iniurias tacent. Vectigalis iſtius crudelitas fuit, eo magis quòd omnes praeter iſtum miſericordes ſumus. Mendicares, niſi tot mendicos feciſſes. Effecit ſceleſtus iſte, vt nouo more nihil eſſet miſerius expoſitis, quàm tolli: parentibus, quàm agnoſcere. *Ceſtij Seueri*. Huic caeci innitentes baculis vagantur; huic trunca brachia circumferuntur, huic conuulſi pedum articuli ſunt, & torti tali, huic eliſa crura, illius, inuiolatis pedibus cruribusque, femina contudit: aliter in quemque ſaeuiens oſſifragus iſte, alterius brachia amputat, alterius eneruat: alium diſtorquet, alium delumbat: alterius diminutas ſcapulas in deforme tuber extundit, & riſum in crudelitate captat. Produc agedum familiam ſemiuiuam, tremulam, debilem, caecam, mancam, famelicam: oſtende nobis captiuos tuos. Volo mehercules noſſe illum ſpecum tuum, illam humanarum calamitatum officinam, illud infantium ſpoliarium. Sua cuique calamitas tāquam ars aſſignatur. Huic recta membra ſunt: &, ſi nemo obſtet naturae, proceritas micabit. ita frangatur, vt humo ſe alleuare non poſſit, ſed pedum crurumque reſolutis vertebris reptet: huic extirpentur radicitus. huic ſpecioſa facies eſt. poteſt formoſus mendicus eſſe. reliqua membra inualida ſint, vt fortunae iniquitas in beneficia ſua ſaeuientis magis hominum animos peruellat. Sine ſatellitibus tyrannus calamitates humanas diſpenſat. *Vibij Galli*. Intuemini debilia infelicium membra, neſcio qua tabe conſumpta:

consumpta:illi praecisas manus,illi erutos oculos,illi contractos pedes. Quid exhorrescitis? [a] sic iste miseretur. Tot membra franguntur,vt vnum ventrem impleant:&, o nouum monstrum,[b] integer alitur,debiles alunt. *Albutij Sili*.Perissent,inquit.[c] ita non sic infelicius supersunt,quàm perituri fuerant?Perisseot,ioquit.[d] interroga patres, vtrum maluerint.Eruantur, inquit, oculi illius,huius praecidantur manus. Quanti ex his fortes viri? quanti tyrannicidae?quanti futuri sacerdotes?[e] Nec puto incredibile in hac fortuna loquor.certe ex hac turba origo Romanae gentis apparuit. Egregius educator plus acceptum crudelitati, quàm expensum misericordiae refert. *Triarij*. Perisseot,inquit. Puto, experieris nos non esse crudeles. tamen nemo noo nostrum, cum istis stipem porrigeret, mortem precatus est. Surge tu debilis:conatur, & corruit. Surge tu mute: sed quid excitaris? rogare noo potes. Surge tu caece: sed ad quorum eas genua,nescis.O te inter omnes debiles ante hoc iudicium felicissimum,quòd istum dominum oon videbas: in hoc iudicio infelicissimum, quòd istum reum noo vides.Expositos aluerunt etiam ferae,satis futurae mites si praeterissent. *Cornelij Hispani*. Ergo si illis temporibus iste carnifex apparuisset, conditorem suum Roma non haberet. Timeo ne hoc prosit reo, quòd nemo ex his quenquam videri vult suum. *Iulij Bassi*. Intuemini vtramq; partem, & ei succurrite,quae miserabilior est. liceat videre mercenarios tuos.hic caecus est,hic debilis,hic mutus.His tu mori non permittis? Vis in te iudices more tuo misericordes sint?tuo exemplo? *Argentarij*. Quorum cum vbique audiantur preces, in sua tantum causa cessant.Adiiciamus aliquid ad quaestum.deme huic oculos,illi manus. *Arellij Fusci patris*.Praecidatur,inquit,lingua.genus est rogandi, rogare non posse. Misеremini horum omnium,Iudices,quorum misereri etiam singulorum soletis. *Cestij Pij*. Vt hanc causam susciperem, ne ab eis quidem rogatus sum, pro quibus ago. quid enim miseri rogare sciunt,nisi stipem?quid infelix iste peccauit aliud, quàm quòd natus est? *Clodij Turrini patris*.Age si quis agnouerit suum,petes alimenta,tanquam alueris? non est quòd timeas, nemo agnoscet.O miserum,si quis alimēta suo dat:o miserum, si negat.Ita nos istis vindictam negaturos putas,quibus ne id quidem negamus,quod tibi daturi sint?Et quod est indignissimum,[f] crudelis cum sit,misericordia publica alitur.Venite miseri,[g] & hodie primum vobis rogate. *Mentonis*. Errant miseri circa parentum suorum domos: & fortasse aliquis a patre alimenta non impetrat. Nulli plus reddunt integra mancipia. Cur tu tam exiguum refers? via este quas poterat. vt non rogares,vt non acciperes: spiritum tibi non relinquerem, nisi * crudelior futurus essem te relinquendo. Tibi captura quotidiana non respondet. apparet te nondum hominibus satis miserum videri. *Gauij Silonis*.Tu,inquit,in illa vicinia mendicabis, tu ad limen accedes:& crudelis, miseris parentum domos demonstrat. Hic non facile stipem impetrat?etiamnum aliquid illi detrahatur. *Iunij Gallionis*. Serua oculos, vt videat quem roget:serua manus,vt babeat quibus stipem accipiat. Occurrunt nuptis omina dira, fatis publicis auspicia feralia. Feriatis maxime ac sollemnibus & hilaritati dicatis diebus semianimes isti greges oberrant. a te fortasse aliquis acceptam stipem portat ad deos. *Fuluij Sparsi*. Scio, Iudices, variis quemque causis ad accusandum solere compelli. quosdam ambitio gloriae,quam ex damnato petierunt,prouocauit:alios odia & simultates protraxeruot:non dubito fuisse quosdam qui praemium peterent:ego omnibus ceteros impelleotibus causis vaco. Quae enim gloria est in tam sordido reo? quae simultates, vt non eas quoque cōtraxisse pudeat?aut quod praemium,cum stimulant ij, qui se alere non possunt?Non is est qui rogare nesciat.[h] etiam docere solet.Quos affectus vestros optare debeam, nescio: si misericordiae propiores fueritis, crimina rei vobis ostendam si verum fuerit. At reum * hunc oos publice pascimus. Exigitur a te talio. oon habes totidem membra, quot debes. Lupa oblita feritatis,placidior,velut foetibus suis,praebuisse vbera fertur. Sic lupa venit ad infantes:expectemus hominem.Gratulor tibi Roma, quòd in conditores tuos homo non incidit.[i] Ergo cum de publica misericordia cogitares, tam crudelis esse potuisti? Proxima, inquit,die hic plurimum retulit: faciendus est huic similis alter.hic satis retulit, fiat & alius miser ad hoc exemplum.Ite nunc,inquit, & alimenta mihi quaerite.Tu, inquit, qui oculos noo habes,per oculos rogato. tu,inquit, qui manus perdidisti,per manus rogato.Tu per illa membra quae trahis debilia;per ea quisque quae non habet,ambiat. O miseros qui sic rogant:miseriores,qui sic rogantur.Ecce,nescio quis. Meus, inquit, filius si viueret, huic fortassis similis esset. Num, inquit,ego meum transeo? Alius,inquit: Potuit meus in eundem incidere dominum.quid si incidit? omoes omnibus conferunt, dum vnusquisque timet ne suo neget.

PARS ALTERA. *Arellij Fusci*.Debilitasti,inquit.plus illis patres nocuerant.

DIVISIO. *Latro* sic diuisit,An laesa sit Resp.Primum quod reip. crimen constare opor-

tet.deinde tunc reum quaeri.An laesa sit Resp.non solet argumentis probari.Manifesta statim Reip.damna sunt,si muri diruti sunt,si classis incensa est, si exercitus amissus, si vectigalia deminuta.hoc damnum quod tu obiicis,nō videbat. Dic mihi,quando remp.laesit?cum vnum expositum debilitauit?atqui etiam qui occidit vnum, non tamen Reip.laesae tenetur reus,sed caedis:etiam qui duos, etiam qui plures. Dic mihi, quis numerus efficiat, vt laesa videatur Resp. duo debilitantur, nondum Resp. Infantes perdidit, & infelices. Potuerunt, inquit, duces fieri.potuerunt etiam sacrilegi esse & homicidae: potuerunt & perire. Attamen crudelem rem facit & lanista,nec damnatur Reip. laesae: & leno qui cogit inuitas pati stuprum, nec laedit Remp. Ego nunc non laudari reum desidero, sed absolui. noceat hoc illi,cum honores petit.[h] Potest aliquis & non esse homo honestus,& esse innocens reus.Deinde an si laesa sit Resp.ab hoc laesa sit.Non a me,inquit,sed a parentib.qui proiecerunt.Hic crudelis,vt multum illis abstulerit,vitam reddidit. Contra, ait. Illi singulos exponunt,tu omnes debilitas:illi spem,tu instrumenta viuendi detrahis. Deinde, An teneatur Reip.laesae,si fecit quod ei facere licet.Non potuit, inquit,vlla res lege damnari, quae legi innititur. Si domum meam diruam,nūquid dices me Remp. laedere?Et poteras describere, quàm inhumanum sit,illos parietes maiorum in nostram vsque perductos memoriam, in hostilem modum deiici. In agris meis arbusta succidere velim. Deinde, An hoc licuerit illi facere.licuit,inquit.Expositi,inquit,in nullo numero sunt:serui sunt:hoc legum latori visum est.denique si non licet,habent legem talionis.agere singuli iniuriarū possunt.Reip.quidem laesae nō potest agi eorum nomine, qui extra Remp.sunt.Non potest pro omnibus agi,pro quibus singulis nō potest.Scio quosdam putare quaestionē esse,An possit a priuato homine laedi Resp. *Sparsum* certe ita declamare memini.Quod si quisquam recipit,& illam recipiet: An a muliere possit,an a sene,an a paupere possit:quorum nihil vnquam quaeritur. Sed dici tamē solet,quomodo cum illa quaestio tractatur,An Resp.laesa sit,totiens reus in argumenta nō laesae Reip.non dicit:ne potuit quidem laedi a priuato,a paupere, ab aegro,ab infante. *Gallio* fecit illam quaestionem,An in expositis laedi possit Resp. Non potest, inquit. An laedi possit in aliqua sui parte:haec nulla Reip.pars est.non in censu illos inuenies,non in testamentis.Sed haec quoq; in illam incurrit,An Resp.laesa sit.dicitur enim:Ne laedi quidem potuit in eis,quos non habebat.

COLOR. Pro illo qui debilitat expositos, pauci admodum dixerunt. Dixit *Gallio*, & hoc colore vsus est:Egētem hominem,[l] & qui ne se quidem alere, nedum alios posset,sustulisse eos,qui iam relicti sine spe vix spiritum traherent:quibus non iniuria fieret si aliquid detraheretur:sed beneficio cederet, si vita seruaretur. Faciant inuidiam, alicui oculos deesse, alicui manus.dicant illos per hunc tam misere viuere,dum fateantur per hunc viuere. *Gallio* illud quoque in argumentis tentauit:Adeo, inquit,haec res non nocuit Reip.vt possit videri etiam profuisse.Pauciores erunt,qui exponant filios. *Turrinus Clodius* hoc colore vsus est: Multos patres exponere solitos inutiles partus.Nascuntur,inquit,quidam statim aliqua parte corporis multati, infirmi, & in nullam spem idonei: quos parentes sui proiiciunt magis, quàm exponunt: aliqui etiam vernulas, aut omine infausto editos, aut corpore inualidos abiiciūt.Ex his aliquos hic sustulit,& eas partes quae cuique possent miserabiliores esse, miseratus abstulit:stipem rogant,& [m] vnius misericordia viuunt, omniū aluntur. At res foeda est,mendicos habere,a mendicis ali,inter debiles versari. Age non pudet vos ex hoc producere contubernio reum,a quo dicatis laesam Remp.?& sic descendit ad argumenta, vt diceret:Quomodo hic potuit laedere? *Silo Pompeius* illo colore vsus est:Misericordem hūc fuisse,voluisse vitam dare,sed non potuisse alere:itaque eo compulsum,vt vnusquisque aliquam partem corporis pro toto dependeret. *Labienus* tam diserte declamauit partem eius,qui debilitabat expositos,quàm nemo alteram partem: cum illam omnes disertissimi viri, vel ad experimenta suarum virium dixerint. Illum autem locum vehemētissime dixit.Vacare homines huic cogitationi, vt curent quid homo mendicus inter mendicos faciat? Principes, inquit,viri contra naturam diuitias suas exercent:excisorum greges habent, exoletos suos, vt ad longiorem patientiā impudicitiae idonei sint,amputant.& quia ipsos pudet viros esse, id agunt,vt quàm pauci viri sint. His nemo succurrit delicatis & formosis debilibus. Curatis quis ex solitudine infantes auferat,perituros nisi auferantur:non curatis, quòd isti beati solitudines suas ingenuorum ergastulis excolunt: non curatis, quòd iuuenum miserorum simplicitatem circumueniunt,& speciosissimum quemque maxime idoneum castris [n] in ludum coniiciunt.In mentem vobis venit misereri horum,quòd membra non habeant? quid illorum,quòd frustra habēt?Hoc genere insectatus saeculi vitia,egregia figura, inquinatum & infamem reum, maiorum criminum impunitate defendit. Celebris haec apud Graecos

contro-

controuersia est. Multa ab illis pulchre dicta sunt, a quibus non abstinuerunt nostri manus: multa corrupte, quibus non cesserunt. *Nicetes* dixit *

Hunc dixit sensum *P. Asprenas*, eodem modo, vno verbo propriore vsus: Hunc alunt qui alimenta poscunt, quibus crudelis est qui negat. Circa hunc sensum est & ille a *Quinctiliano* dictus: Nescio vtrumne vos miserabiliores dicant, quòd alimenta accipitis, an quòd huic datis. Accipitis enim, quia debiles estis. Ei datis per quem debiles estis. *Addeus* rhetor: * Hunc sensum quidam Latini dixerunt: sed sic, vt putem illos non mutuatos hanc sententiam, sed imitatos. *Blandus* dixit: Porrigit aliqua medico rogata stipem. Vtique si peperit, si exposuit. o quàm misera cogitatio porrigentis est: hic fortasse meus est. *Oscus* dixit: Qui iam porrexit pluribus stipem, suo negat. *Arellius Fuscus* dixit: Alit rogata filium mater: misera, si scit suum esse: misera, si nescit. *Artemon* dixit: *

Hanc sententiam *Latro Porcius* virilius dixit, qui non potest furto suspectus esse. Graecos enim & contemnebat & ignorabat. cum descripsisset debiles artus omnium, & alios incursantes, alios repentes, adiecit: Prò dij boni, ab his aliquis alitur integer? Δ A-MACCOMBPOS dixit: *

Hunc sensum *Cestius* transtulit. Effecisti, inquit, vt maius periculum esset educari, quàm exponi. *Fuscus Arellius* aliter dixit: Illa adhuc in miserae sortis infantia timebantur, ferae, serpentesque, & inimicus teneris artubus rigor, & inopia: inter expositorum pericula non numerabamus educatorem. *Glycon* corruptam dixit sententiam: *

Sed nostri quoque bene insanierunt. *Murrhedius* dixit: Producitur miserorum longus ordo, maior pars se sine se trahit. Et *Licinius Nepos*: Vt soluendo sis in poenas, quotiens tibi renascendū est? Illud *Sparsus* dixit, quod non corruptum tantum, sed cōtrarium dicebat esse Mōtanus: Solus plura habes membra, quàm tot hominibus reliquisti. Ita enim hic potest videri laesisse rempublicam, si multi sunt debilitati. Apparet autem non multos esse, si plura habet membra, quàm debilitatis reliquit. Et illud aeque ab illo aiebat corrupte dictū: Pro dij, erūt plures mendici, quàm membra. Graecas sententias in hoc refero, vt possitis aestimare, primū quàm facilis Graecae eloquētiae in Latinum transitus sit, & quàm omne, quod bene potest dici, commune omnibus gentibus sit: deinde vt ingenia ingeniis conferatis, & cogitetis Latinam linguā facultatis non minus habere, licentiae minus. *Labieni* sentētiam separaui, quia locuti de illa homines erant. Sed vbi quotidianum diurnum & mendicantium quaestus recognoscit, tu hodie minus attulisti. cedo lora. gaudeo me non omnes emancasse. Quid fles? quid rogas? plus retulisses, si sic rogasses. Dixerat & illam sententiam: Date miseris, quod vnum percipere gaudium possunt. Aliquis ex illis damnatum istum videat, aliquis audiat. *Glycon* dixit: *

Vinitius summus amator Ouidij, hunc aiebat sensum disertissime apud Nasonem Ouidium esse positum, quem ad fingendas similes sententias aiebat esse memoria tenendum. Occiso Achille hoc epiphonema apponit:

Quod Priamus gaudere senex post Hectora posset,
Hoc fuit. ---

Cassius Seuerus dixerat: Ostende nobis captiuos. *Iulius Bassus* dixerat: Ostende nobis mercenarios tuos. *Labienus* commodius videbatur dixisse: Ostende nobis alumnos tuos. *P. Asprenates* dixit, cum induxisset stipem porrigentem mendico, O infelicem patrem: & hoc qui dicit, fortasse pater est.

Parrhasij Prometheus. CONTROVERSIA V.

LEX. LAESAE REIP. SIT ACTIO. Thema. *Parrhasius pictor Atheniensis, cum Philippus captiuos Olynthios venderet, emit vnum ex his senem. perduxit Athenas. torsit;* * *& ad exemplar eius pinxit Promethea. Olynthius in tormentis perit. Ille tabulam in templo Mineruae posuit. accusatur reip. laesae.*

CONTRA PARRHASIVM. *Gauij Silonis*. Infelix senex vidit iacentis diuulsae patriae ruinas: abstractus a coniuge super exustae Olynthi cinerem stetit. iam ad figurandum Promethea satis tristis est. Prò Iupiter, (quem enim melius inuocem aduersus Parrhasium, quā quem imitatus est?) Olynthium tātum picturae tuae excipio. Num quis vt naufragum pingeret, hominem mersit? caeditur: parum est. inuritur: etiamnum parum est. laniatur: hoc, inquit, in irato Philippo satis est, sed nondum in irato Ioue. *Iulij Bassi*. Producitur. Superuacuū *

est,inquit:nondum quantum satis Prometheo, potest gemere. Vltima Olynthij deprecatio est: Atheniensis redde me Philippo. Non est istud donum, sacrilegium est. Seruus, inquit, meus fuit. Putes Philippum loqui.[b] Aedem Mineruae tanquam castra Macedonum fugiunt. *Clodij Turrini.* Parum, ioquit, tristis est. Aliquis Olynthius parum tristis est, nisi qui Atheniēsem dominum sortitus est? Dabo tibi, Parrhasi, maiora tormenta. duc illum ad iacentem Olynthum, duc illo vbi liberos, vbi domum perdidit:[c] scis certe quàm tristem illum emeris. Olynthiis vrbem aperuimus, templa praeclusimus. Ergo nemo Olynthius tortus esset, si omnes illos Macedones emissent.[d] Torqueatur. hoc nec sub Philippo factū est. Moriatur. hoc nec sub Ioue. *Argentarij.* Hoc hospitio Olynthius Atbenis exceptus est? tātum porro Olynthius possit, Parrhasius quid? non & oculos nostros torquet? ibi ponit tabulam, vbi fortasse nos tabulam foederis posuimus. Hoc Promethea facere est, noo pingere. Aiebat tortoribus: Sic ioteodite, sic istum quem fecit, cummaxime vultum seruate, sit sibi ipsi exemplar. *Cestij Py.* Emi, inquit. immo si Atheniēsis es, redemisti. si nescis Parrhasi, in isto templo pro Olynthiis dona soluuntur. Crudelis ille Graeciae carnifex, istum tamen nihil amplius quàm vendidit. Producitur nobilis[e] senex, longa miseriarum tabe confectus, reductis introrsus oculis, tam tristis, quasi iam tortus esset. vt admoueri sibi cathenas vidit: Superuacuae, inquit, sunt. si ad alium dominum peruenissem, Athenas fugerem. Istud tibi in oullo Olynthio permitto, nisi Lasthenem emeris. *Triarij.* Corrupisti duo maxima Promethei muoera, ignem & hominem.[f] Quemcunque praeco flentem viderat, sciebat te emptorem: miserabantur omnes. * Te fortasse ipse Philippus reduci iussisset, si Atheniensem vidisset & emptorem. * quod ego fabulosum esse non dubito. Sed vtrum vult Parrhasius, eligat. parum pie, aut infami auctione imitatus est. Clamabat iste: Nondum satis tristis es: nondum satis, ioquam, adiecisti ad priorem vultum. talis in auctione Philippus. *Musae.* Narraturus sum Olynthij senis ignes, verbera, tormenta. aliquis me nunc queri de Philippo putat. Dij deaeque te perdant, misericordem Philippum fecisti. Si isti creditis, iratum Iouem imitatus est: si nobis, iratum Philippum vicit. Pinge Philippum crudelem, oculo effosso, iaculo perfractum, per tot damna a diis immortalibus tortum. *Cornelij Hispani.* Vltima membrorum meorum tabes tormentis immoritur. Parrhasi, quid agis? non seruas propositum. hoc supra Promethea est. Tantum patiendum est, pingente Parrbasio, quantum irato Ioue. *Arellij Fusci patris.* Pinge Promethea, sed homines facientem, sed igneis diuidentem, pinge, sed ioter munera potius quàm inter tormeota. Inter altaria, Olynthij senis crucem posuit. Miserrime senex, forte ex seruis tuis aliquis felicius seruit. vtique felicior est, quisquis Macedoni seruit. *Fuluij Sparsi.* Si ad succurrendum profectus es, queror quòd vnum emisti: si ad torquendum, queror quòd vllū. Vtinam Philippe his auctionem cum exceptione fecisses: Ne quis Atheniensis emeret. Non vidit Phidias Iouem; fecit tamen velut tonātem: nec stetit ante oculos eius Minerua; dignus tamen illa arte animus, & concepit deos, & exhibuit. Quid facturi sumus, si bellum volueris pingere? diuersas virorum statuemus acies, & in mutua vulnera armabimus manus, victi sequentur, victores cruenti reuertentur? Ne Parrbasij manus ludat temere coloribus, internecioni humanae timendum est. Si necesse est aliquem torqueri, eme nocentem seruum, vt eodem tempore ex eo exemplum sumas & supplicium.[g] Statuitur ex altera parte Parrhasius cum coloribus, ex altera tortor cum ignibus, flagellis, eculeis. Ista aut videntem, aut expectantem, Parrhasi, parum tristem putas? Dicebat miser: Non prodidi patriam. Athenienses, si nihil merui, succutrite: si merui, reddite Philippo.[h] Inter ista Parrhasius dubium est studiosius pingat, an saeuiat. Torque, verbera. sic iste carnifex colores temperat. Quid ais? parum tristis videtur, quem Philippus vendidit, emit Parrhasius? Etiamnum torque, etiamnum bene habet, sic tene. Iste vultus esse debuit lacerati, hic morientis. *Porcij Latronis.* Si videtur tibi, istis muneribus aram misericordiae orna. Nemo ergo ex Olynthiis miserius seruit, quàm qui Atheniensem dominum sortitus est? Miser vbicunque Philippum noo viderat, pacem putabat. Alliga, inquit. Aiebat, Solutus apud Philippum fui. *Albutij Sili.* Expecta dum Euthycrates aut Lasthenes capiatur. Phintias omnia Parrhasio tortore digoa fecit. Philippus quoque vendidisse contentus est. Producitur senex nobilis, flens, respiciens patriam: placuit isti vultus infelix. habuit aliquid Promethei simile etiā ante tormenta. Diligenter agit cau- * sam, vt Philippus. Olynthio non est: ego pecuniam perdidi, redi ad auctorem. Propter hominem Prometheus distortus, propter Promethea, homines ne torseris. Philippus sic rogabatur: Liceat Olynthiis viuere. Parrhasius aliter rogatur, Olyothiis mori liceat. Tristem volo facere. oemo faciet, si Philippus non fecit.

Divisio. Hanc controuersiam magna pars declamatorum sic dixit, vt non controuersiam diuideret, sed accusationem: quomodo solent ordinare actionem suam in foro, qui

primo

primo loco accuſant. In ſcholaſtica,quia non duobus dicitur locis, ſemper non dicendum tantum,ſed reſpondendum eſt.obiiciunt quòd homioem torſerit, quòd Olyothium, quòd deorum ſupplicia imitatus ſit,quòd tabulam in templo Mineruae poſuerit. Si Parrhaſius reſponſurus nõ eſt,ſatis bene diuidunt.Nihil eſt autem turpius, quàm aut eam controuerſiam declamare,in qua nihil ab altera parte reſponderi poterit:aut non refellere,ſi reſponderi poteſt. *Gallio* fere ſimilem diuiſionem in Parrhaſio habuit ei, quam habuerat in illa controuerſia,cuius mentio eſt io hoc ipſo libro;Debilitabat expoſitos,detractis quibuſdam. Diuiſit autem ſic:An laeſa ſit Reſp. quid perdidit, inquit?nihil. Nondum de iure controuerſiam facio. Perdidit voum ſenem Olynthus:fac Athenienſem. non ages mecum reipublicae laeſae,ſi Athenienſem ſenatorem occidero, ſed caedis. Ita.verum Athenienſium corrumpitur opinio. miſericordia ſemper cenſi ſumus.Nunquam vnius facto publica fama corrumpitur. Solidior eſt opinio Athenienſium,quàm vt labefactari tormentis captiui poſſit.Laeſa eſt,inquit,reſpublica.Si quis Olynthi depoſitum negauerit,videbitur,vt exiſtimo, oon tempublicam, ſed homioem laeſiſſe. Olynthiis hoc tribuiſti,vt eodem loco eſſent, quo Athenienſes. Laeſiſti,inquit,rempublicam,quòd hanc picturam in templo poſuiſti.laedunt remp.qui aliquid illi auferuot,oon qui adiiciunt: qui diruunt templa, noo qui ornant. Peccauerunt ergo & ſacerdotes,qui tabulam receperunt. quare tamen non reciperent? Deorum adulteria picta ſunt,poſitae ſunt picturae Herculis liberos occidentis.Deinde,An ob id accuſari poſſit laeſae Reip. quod ei facere licuit. Ea lege perſequere,quae non licuit. dicis mihi: Hoc facere oon oportet,huic rei aeſtimatio immenſa eſt,itaque nulla vindicta eſt.& id tantum punitur,quod oon licet.ſatis abundeque eſt, ſi opifex rerum imperitus ad legem innocens eſt. An hoc ei facere licuerit.Hoc in illa diuiditur,An Olynthius fuerit apud Athenienſem,etiã antequam fieret decretum.Seruus,inquit,eſt meus, quem ego emi belli iure. vobis,Athenienſes, expedit: alioquin imperium veſtrum in antiquos fines redigitur, quicquid eſt bello partum.Et eſt contra.At ille ſeruus alij emptori eſſe poteſt,Athenienſi non.Quid enim ſi Athenienſem a Philippo emiſſes? Atqui ſciebas Olynthios nobis coniunctos eſſe foedere. Vt ſcias,inquit,ſeruos fuiſſe, decretum poſtea factum eſt Athenienſium, quo iuberentur & liberi & ciues eſſe. quare hoc illis ius,ſi iam habebant,dabatur? Deiode, an decreto hoc non cootineatur,liberi vt fiant,ſed vt eſſe liberi iudicentur. Hoc cenſuimus Olynthios ciues ooſtros eſſe. ita & ille ciuis ooſter fuit. Non, inquit:oam decretum in futurum factum eſt, non in praeteritum. Vis hoc ſcire? Non quiſquis Olynthium ſeruum habuit, accuſabitur, quòd ciuem in ſua ſeruitute tenuerit. Si quis tunc inter neceſſaria ſeruilium officiorum miniſteria percuſſit,aut caecidit,iniuriarum accuſabitur? atqui quantum ad ius attinet, nihil intereſt, occiderit,an caeciderit.nam aut nec caedere licuit,aut & occidere.

COLOR. A parte Parrhaſij fecit hunc colorem,emptum eſſe a Parrhaſio ſenem,inutilẽ, expiraturum.Si verum vultis,inquit,noo occidit illum,ſed deficientis & alioquin expiraturi morte vſus eſt. Torſit,inquit,tamen:ſi lucri cauſa,obiice.nempe crudelitatis pretiũ Athenae habent.In argumentis dixit, quantum ſemper artibus licuiſſet: medicos, vt vim ignoratam morbi cognoſcerẽt,viſcera reſcidiſſe. hodie cadauerum artus reſciodi, vt neruorum articulorumque poſitio cognoſci poſſit. *Albutius* hoc colore: Calamitoſum fuiſſe, orbum, palam mortem optantem: oec aliter illum Philippus vendidiſſet,niſi putaſſet illi poenam eſſe viuere. *Silo Pompeius* putabat cõmodius eſſe, ſi hoc animo iſſet Parrhaſius ad auctiooem, vt aliquem in hunc vſum emeret.poterit enim videri,elegiſſe viliſſimum & maxime inutilẽ. *Fuſco Arellio* placebat, emptum quidem illum in alios vſus:ſed cum deficeret, & mori vellet, in id quod vnum ex cadauere artifex poterat,impenſum. *Gallio* ad neutrum ſe alligauit,nec dixit,quo animo emiſſet. *Gallionis* color intolerabilis eſt. dixit enim, ſenem ex noxiis Olynthiis emiſſe.Quod ſi licet illi fingere, non video quare non eadem opera dicat, & conſcium proditioois Laſtheni fuiſſe,& ſe poenae cauſa torſiſſe. *Hiſpo Romanus* ignorantiam illam excuſauit.Pictor, inquam, intra officinam ſuam clauſus, qui haec tantum vulgaria iura nouerit,in ſeruum oihil non domino licere,pictori nihil oon pingere, mãcipium ſuum operi ſuo impendit. Non omnia,ioquit,narras:Olyothius fuit ille qui periit. Quid autem ad rem pertinet,cuius nationis ſeruus fuerit? Audes,inquit,ſeruum dicere Olynthium?etiam, poſt bellum, & ante decretum. Alioquin quod vos illis dediſtis beneficium, niſi quòd iam illos oec torquere licet,nec occidere? Graeci oefas putauerũt,pro Parrhaſio dicere:omnes illum accuſauerunt,in eoſdem ſenſus incurrerunt.*Glycon* dixit: πῦρ καὶ ἄνθρωπος Προμηθεῦ τὰ σοί σε δῶρα βασανίζει. *Triarius* hoc ex aliqua parte cum ſurriperet, inflexit. Hos aiebat *Seuerus Caßius*, qui hoc facerent,ſimiles ſibi videri furibus,alienis poculis anſas mutantibus.Multi ſunt,qui detracto verbo,aut mutato,aut adiecto,putãt ſe alienas ſententias lucrifeciſſe. *Triarius* autẽ

ſic vertit, Corrupiſſe duo maxima Promethei munera, ignem & hominem. ſed egregie illā ſurripuerunt, *Euctemon* qui dixit, Προμηθεῦ ἐπί σοι τὸ πῦρ καὶ ἄνθρωπον, ſanius quàm *Glycon* * *Damus* corruptiſſime.* hic eſt *Craton*, venuſtiſſimus homo, & pro- * homo & profeſſus. *Aſinius*, qui bellum cum omnibus Atticis gerebat, cū donaret illi Caeſar talentum, in quo xiiij. ſeſtertia ſunt Athenienſiū more, ἢ πρόσθες, φησίν, ἢ ἄφελε, ἵνα μὴ ἀττικὸς ᾖ. hic Caeſari, quòd illum nunquam niſi menſe Decembri audiret, dixit & cum commendaretur a Caeſare Paſſieno, nec curaret. interroganti, quare non complecteretur tanti viri gratiam, ἡλίῳ χαίροντος, λύχνον οὐχ ἅπτω. Saepe ſolebat apud Caeſarem cum Timagene confligere homine acidae linguae, & qui nimis liber erat: puto quia diu non fuerat ex captiuo cocus, ex coco lecticarius, ex lecticario vſque ad amicitiam Caeſaris felix. vſque eo vtranque fortunam contempſit, & in qua erat, & in qua fuerat, vt cum illi multis de cauſis iratus Caeſar interdixiſſet domo, combureret hiſtorias rerum ab illo geſtarum: quaſi & ipſe illi ingenio ſuo interdiceret, diſertus homo & dicax, a quo multa improbe, ſed venuſte dicta, ne modum excedam, excurro, & ad Parrhaſium reuertor. *Nicetes* dixit: *

Hiſpo Romanus dixit: [1] Ignes, ferrum, tormenta: pictoris iſta an Philippi officina eſt? *Sparſi* ſententia in deſcriptione picturae habet aliquid corrupti: vbicunque ſanguine opus eſt, humano vtitur: dixit enim quod fieri non poteſt. Illum locum omnes tentauerunt: Quid ſi volueris bellum pingere? Quid ſi incendium? Quid ſi parricidium? A Graecis *Dorus* furioſe dixit: * Sed nihil eſt quod minus ferri poſſit, quàm quod a *Metrodoro* dictum eſt: *

Triarius dixit: Nondum dignum irato Ioue gemuiſti. *Haterius* dixit ſanius: Nondum vultus ad fabulam conuenit. & illud: Parrhaſi, vt omnia fiant ad exemplum, viuat qui tortus eſt. Sed ſi vultis audire, ſupra quod non poſſit procedere inſania, *Licinius Nepos* ait: Si vultis digne punire Parrhaſium, ipſe ſe pingat. Non minus ſtulte *Aemilianus* quidam Graecus rhetor: quod genus ſtultorum amabiliſſimum eſt. *Hexarida* fatuus dixit. *

Otho pater cum pro Parrhaſio diceret, in hoc colore deriſus eſt: Quia conciderant, inquit, per proditores Olynthij, volui pingere iratum proditori ſuo Iouem. *Gargius* multo ſtultius, quare Promethei Parrhaſius ſupplicium pinxiſſet. Ego, inquit, ardente Olyntho non odiſſem ignium auctorem? *Latronis* illa celebris ſententia eſt, quam *Sparſus* quoq; ſubtractis quibuſdam verbis dixit in deſcriptione mortuorum: Parrhaſi, emorior, ſic tene. hanc ſententiam aiunt & *Dioclem Caryſtium* dixiſſe non eodem modo * *Hiſpo* rideon honeſte. *Romanus* fecit: multo enim vehementius inſanit, quàm noſtri fanarici. Voluit videri volturios ad tabulam Parrhaſij aduolare, fabula eleganti ad turpem ſententiam perductus. Traditur enim Zeuxin, vt puto, pinxiſſe puerum, vuam tenentem: & cum tanta eſſet ſimilitudo vuae, vt etiam aues aduolarent operi, quendam ex praeſentibus dixiſſe, aues male exiſtimare de tabula: non fuiſſe enim aduolaturas, ſi puer ſimilis eſſet. *Zeuxin* aiunt obleuiſſe vuam, & ſeruaſſe illud, quod melius erat in tabula, non quod ſimilius. *Spiridion* aeque familiariter in templum volturios ſubire putauit, quàm paſſeres aut columbas. Dixit enim: σαρκοφάγα σὺ ἢ γεγραφὴ καὶ τὰ ζῷα. Sed nolo Romanos in illa re vinci. Reſtituet aciem *Murrhedius*, qui dixit: Pinge Triptolemum, qui iunctis draconibus ſulcauit auras. Inter illos, qui de Prometheo corrupte aliquid dixerant, & *Apaturius* locum ſibi vindicat. dixit enim: O. *

Fur accuſator proditoris. CONTROVERSIA VI.

LEX. INIVRIARVM SIT ACTIO. LEX. FVR CONCIONE PROHIBEATVR. Thema. *Quidam cum diuitem poſtulaſſet proditionis,* [a] *noctu parietem domus eius perfodit, & ſcrinium, in quo miſſae erant ab hoſtibus litterae, ſuſtulit. Damnatus eſt diues. Concionari cum vellet accuſator, a magiſtratu prohibitus eſt. Agit iniuriarum.*

PRO FVRE. *Porcij Latronis.* [b] Id ſolum ſuſtuli, quod fur reliquiſſet. nihil tam fur timuit, quàm ne dominus furtum nollet agnoſcere. Fac mihi inuidiam: prodidi furtum meum. Ago magiſtratui iſti gratias: cum ad illum furtum meum detuliſſem, furem ſummoueri non iuſſit. Ruentem ciuitatis ſtatum vnius parietis ruina repoſui. *Oſci.* Sollicitus erat, ne quod perdiderat, quaereretur. [c] Indicium profiteor, multos furti conſcios habeo. furti mei ciuitas conſcia eſt. At illud tuto illi oſtendi, hoc furtum non ſolus habeo. Furtū eſt, quod timet dominus agnoſcere? potui non eſſe pauper, habui quod magno venderem. Teneo ecce epiſtolas, in quibus manifeſta proditionis argumenta ſunt, in quibus hoſtium conſilia. Te interrogo: ſi furtum eſt, repono. *Muſae.* Furtum vocas, quod qui perdiderat, negabat ſuum? furtum feci, ſed ex hoſtibus. *Clodij Turrini.* Furtum vocas, quod qui perdiderat, ſuppliciū tulit: qui

ſurripuerat, praemium? Vtri permiſiſſetis loqui, ſi eodem tempore fur veniſſet & dominus? potui Remp. magno vendere vel proditori. *Arellij Fuſci patris.* Mille nauium duces furto Troiam cepiſtis. ſi bene furto euertuntur vrbes, quanto melius ſeruantur? Si non indicauero cuius ſit, nemo cognoſcet. *Vibij Ruſi.* Cuius ego, ſi potuiſſem, non parietem tantum, ſed pectus ipſum perfodiſſem. Nondum totum conſummaui officium: non eſt tam anguſta Reſpublica, vt ab vno opprimi poſſit. *Ceſtij Pij.* Nolite a me omnia exigere quae ſcio. multa ſunt quaedam & in concione dicenda. Hoc furtum liberos veſtros docete. Rogo vos, Iudices, per furtum meum, quotiens furtum meum protuli, tacet dominus, ego fur? Ecce altera iniuria. Non tu, inquit, perfodiſti domum? Tace, ego noui iſta melius. Narrare ſoleo, non negare quae ſcio.

Cetera deſunt. Quae ſequuntur, ex excerptis ſumpta ſunt.

In forum veni, narraui nocturnam expeditionem meam. Conuenerant omnes, tanquam ad concionem. [d] Cur me ſubmoues ante accuſationem, cum nec proditores inauditi pereant? O furtum in concione narrandum! proditoris vigilantiſſimum pectus, & in exitia noſtra ſemper ſollicitum, publica fata ſopierant. Ita etiam miniſtros eius alligauerat ſomnus, vt mihi liceret eligere quod tollerem. Diruere mihi videbar hoſtium muros. Furtum vocas, quo nihil melius tuo anno factum eſt. Nemo fur Rempub. cogitat. nihil non licet pro Repub. facere.

PARS ALTERA, PRO MAGISTRATV. [e] Quale illud, dij, ſpectaculum fuit? compoſuerat inter ſe fortuna Reip. furem, & proditorem. vt vidit inutile furtum ſuum, prodidit, vt nobis venderet quod nulli poterat. Tam callidus fur, vt etiam proditori poſſet imponere. [f] Conſilium videri vult felicitatem furti ſui. [g] Lex quae nocturnum furem occidi quoquo modo iubet, non de damnato tantum, ſed de fure loquitur. Odit hoc vitium. nec immerito: non multum abeſt a proditore. Suſtulit quod non elegit, ſed quod illi fatum publicae felicitatis obiecit. Vno tempore & proditorem nobis oſtendit, & furem, qui diuitem compilare mallet, quàm damnare. Effregit domum manu ſuſpenſa, eluſit illum. non tunc primum fecit. Suſtulit, non quod voluit, ſed quod potuit. Bono exemplo damnatus eſt proditor, malo inuentus.

LIBRI X. CONTROVERSIARVM FINIS.

M. ANNAEI SENECAE RHETORIS SVASORIARVM LIBER VNVS.

SVASORIA PRIMA.

* *Deeſt principium.* *

INITAM vt cuique rei magnitudinem natura dederat, dedit & modum: nihil infinitum eſt, niſi Oceanus. *Auitus.* Fertiles in Oceano iacere terras, vltraque Oceanum rurſus alia litora, alium naſci orbem, nec vſquam naturam rerum deſinere, ſed ſemper inde, vbi deſiſſe videatur, nouam exſurgere: facile iſta finguntur: quia Oceanus nauigari non poteſt. Satis ſit hactenus viciſſe Alexandro, qua mondo lucere ſatis eſt. Intra has terras caelum Hercules meruit. Stat immotum mare, & quaſi deficientis in ſuo fine naturae pigra moles, nouae ac terribiles figurae, magna etiam Oceano portenta, quae profunda iſta vaſtitas nutrit, cõfuſa lux alta caligine, & interceptus tenebris dies, ipſum vero graue & defixum mare, & aut nulla aut ignota ſidera. Ita eſt, Alexãder, rerum natura: poſt omnia Oceanus: poſt Oceanũ nihil. *Argentarij.* Reſiſte, orbis te tuus reuocat: vicimus qua lucet. nihil tantum eſt, quod ego Alexandri periculo petam. *Pompeij Silonis.* Venit ille dies, Alexander, exoptatus, quo tibi operae eſt adeſſe. iidem ſunt termini & regni tui, & mundi. *Oſci.* Tempus eſt Alexandrum cum orbe & cum ſole deſinere. Quod noueram, vici: nunc

concupiſco quod neſcio. Quae tam ferae gentes fuerunt, quae non Alexandrum poſito genu adorarint? Qui tam horridi montes, quorum non iuga victor miles calcauerit? Vltra Liberi patris trophaea conſtitimus. Non quaerimus orbem, ſed amittimus. Immenſum, & humanae intentatum experientiae pelagus, totius orbis vinculum, terrarumque cuſtodia, inagitata remis vaſtitas, litora modo ſaeuiente fluctu inquieta, modo fugiente deſerta. taetra caligo remittet fluctus. Neſcio quid humanis natura ſubduxit oculis, extrema nox obruit. *Muſae*. Foeda belluarum magnitudo, & immobile profundum teſtantur, Alexander, nihil vltra eſſe, quod vincas: reuertere. *Albutij Sili.* Terrae quoque ſuum finem habent, & ipſius mundi aliquis occaſus eſt. nihil infinitum eſt. modum magnitudini facere debes, cum fortuna non facit. Magni pectoris eſt inter ſecunda moderatio. Eūdem fortuna victoriae tuae, quem natura finem facit. Imperium tuum eludit Oceanus. O quantum magnitudo tua rerū quoque naturam ſupergreſſa eſt. Alexander orbi magnus eſt. Alexandro orbis anguſtus eſt. Aliquis etiam magnitudini modus eſt. Non procedit vltra ſpatia ſua caelum. Maria intra terminos ſuos agitantur. Quicquid ad ſummum venit, incremento non reliquit locum. Nō magis quicquam vltra Alexandrum nouimus, quàm vltra Oceanum. *Marillij*. Maria ſequimur, terras cui tradimus? orbem quem non noui, quaero; quem vici, relinquo. *Fabiani.* Quae iſta toto pelago infuſa caligo? Nauigantem tibi videtur admittere, quae proſpicientem quoque excludit. Non haec India eſt, nec terribilis ferarum ille conuentus. immanes propone belluas. aſpice quibus procellis fluctibusque ſaeuiat, quas ad litora vndas agat. tantus ventorum, tanta conuulſi funditus maris inſania eſt: nulla praeſens nauigantibus ſtatio eſt, nihil ſalutare, nihil notum. rudis & imperfecta natura penitus receſſit. Iſta maria ne illi quidem petierunt, qui fugiebant Alexandrum. Sacrum quidem terris natura circumfudit Oceanum. Illi qui iam ſiderum collegerunt metas, & annuas hiemis atque aeſtatis vices ad certam legem redegerunt, quibus ignota nulla pars mundi eſt: de Oceano tamen dubitant, vtrumne terras velut vinculū circumfluat, an in ſuum colligatus orbem, & in hos, per quos nauigatur ſinus, quaſi ſpiramenta quaedam magnitudinis exaeſtuet: ignem poſt ſe, cuius augmentū ipſe ſit, habeat an ſpiritum. Quid agitis commilitones? regem domitoremque generis humani, magnum Alexandrum eo demittitis, quod adhuc quid ſit diſputatur? Memēto Alexander, matrem in orbe victo adhuc magis, quàm pacato relinquis.

DIVISIO. Aiebat Ceſtius, hoc genus ſuaſoriarum aliter declamandū eſſe, quàm ſuadēdum. Non eodem modo in libera ciuitate dicendam eſſe ſententiam, quo apud reges: quibus etiam quae proſunt, ita tamen vt delectent, ſuadenda ſunt. Et inter reges ipſos eſſe diſcrimen: quoſdam magis aut minus rerum vſum habere. Veritatem facti Alexandrum exiſſe. Quoſdam ſuperbiſſimos, & ſupra mortalis animi modum elatos cernimus. Denique vt alia dimittantur argumenta, ipſa ſuaſoria inſolentiam eius coarguit, orbis illum ſuus non capit: itaque nihil dicendum aiebat, niſi cum ſumma veneratione regis, ne accideret idem quod praeceptori eius Calliſtheni accidit, quem occidit propter intempeſtiue liberos ſales. Nam cum ſe Deum vellet videri, & vulneratus eſſet, viſo ſanguine eius philoſophus mirari ſe dixerat, quòd non eſſet ἰχὼρ οἷός πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσι. Ille ſe ab hac vrbanitate lancea vindicauit. Eleganter in C. Caſſij epiſtola quadam ad M. Ciceronem miſſa poſitum. multū iocatur de ſtultitia Cn. Pompeij adoleſcentis, qui in Hiſpania contraxit exercitum, & ad Mundam acie victus eſt. Deinde ait: *Nos quidem illum deridemus, ſed timeo ne ille nos gladio* ἀντιμυκτηρίσῃ. In omnibus regibus haec vrbanitas extimeſcenda eſt. Aiebat itaque, apud Alexandrum ita dicendam eſſe ſententiam, vt multa adulatione animus eius permulceretur. Seruandum tamen aliquem modum, ne nobis accideret tale aliquid, quale accidit Atheniēſibus, cum publicae eorum blanditiae non tantum deprehenſae, ſed & caſtigatae ſunt. Nam cum Antonius vellet ſe Liberum patrem dici, & hoc nomen ſtatuis ſubſcribi iuberet, habitu quoque & comitatu Liberum imitaretur, occurrerunt venienti ei Athenienſes cum coniugibus & liberis, & Διόνυσον ſalutauerunt. Bene illis ceſſerat, ſi naſus Atticus ibi ſubſtitiſſet. dixerunt deſpondere ipſos in matrimonium Mineruam ſuam, & rogauerunt vt duceret. At Antonius ait ducturum, ſed dotis nomine imperare ſe illis mille talenta. Tum ex Graeculis quidam ait: κύρι', ὁ Ζεὺς τὴν μητέρα σου Σεμέλην ἄπροικον ἔχε. Huic quidem impune fuit: ſed Athenienſium ſponſalia mille talentis aeſtimata ſunt. quae cum exigerentur, complures cōtumelioſi libelli proponebantur: quidam etiam ipſi Antonio tradebantur: ſicut ille qui ſubſcriptus ſtatuae eius fuit, cum & eodem tempore Octauiam vxorē haberet, & Cleopatram: Octauia RES TVAS TIBI HABE. Belliſſimam tamen rem Deillius dixit, quem Meſſalla Coruinus deſultorem bellorum ciuilium vocat, quia ab Dolabella ad Caſſium tranſiturus, ſalutem ſibi pactus eſt, ſi Dolabellam occidiſſet: & a Caſſio deinde tranſiuit ad Antonium:

nouiſſime

nouissime ab Antonio transfugit ad Caesarem. Hic est Deillius, cuius epistolae lascinae ad Cleopatram feruntur. Cum Athenienses tempus peterēt ad pecuniam conferendam, nec exorarent, Deillius ait: Et tamen scito illos tibi annuam, bimam, trimam diem debere. Longius me fabellarum dulcedo produxit. Itaque ad propositum reuertar. Aiebat Cestius, magnis cum laudibus Alexandri hanc suasoriam esse dicēdam: quam sic diuisit, vt primum diceret, etiam si nauigari posset Oceanus, nauigandum non esse: satis gloriae quaesitum: regēda esse & disponenda, quae in transitu vicisset: consulendum militi, tot victoriis lasso: de matre illi cogitandum: & alias causas complures subiecit. Deinde illam quaestionem subiecit, ne nauigari quidem Oceanum posse. *Fabianus* philosophus primam fecit quaestionem eandem, Etiam si nauigari posset Oceanus, nauigandum non esse. At rationem aliam primam fecit, modum imponendum esse rebus secundis. hic dixit sententiam: Illa demum magna est felicitas, quae arbitrio suo constitit. Dixit deinde locum de varietate fortunae, & cum descripsisset nihil stabile esse, omnia fluitare, & incertis motibus modo attolli, modo deprimi, absorberi terras, & maria siccari, montes subsidere: deinde exempla rerum e fastigio suo deuolutarum, adiecit: Sine potius rerum naturam, quàm fortunam tuam deficere. Secundam quoque quaestionē aliter tractauit. Diuisit enim illam sic, vt primum negaret vllas in Oceano, aut trans Oceanum esse terras habitabiles: deinde si essent, perueniri tamen ad illas non posse. Hic difficultatem ignóti maris, naturam non patientem nauigationis. Nouissime vt possit perueniri, tanti tamen non esse. Hic dixit incerta peti, certa deseri, descitutas gentes, si Alexandrum rerum naturae terminos supergressum nouisset. Hic matrem memorauit, de qua dixit, quomodo illa trepidanit, etiam quòd Granicum transiturus esset. *Glyconus* celebris sententia est, τοῦτο οὐκ ἔστι Σιμόεις, οὐδὲ Γράνικος, τοῦτο εἰ μή τι κακὸν ἦν, οὐκ ἂν ἔσχατον ἔκειτο. Hoc omnes imitari voluerunt. *Plution* dixit:* *Artemon* dixit:* *Apaturius* dixit: ἐντεῦθεν ..... μιας φοεχς ἀνατολὰς, ἔνθαδι εἰς τὰς ἀοεχ́τυς δύσεις. Cestius descripsit: Fremit Oceanus, quasi indignetur, quòd terras relinquas. Corruptissimam rem omnium, quae vnquā dictae sunt, ex quo homines diserti insanire coeperunt. putabant Aoriones esse in metaphrasi dicta Homeri: Tnm excaecatus Cyclops saxum in mare reiecit. Haec quomodo ex corruptis eo perueniant, vt & magna, nec tamen sana sint, aiebat *Maecenas*, apud Virgilium intelligi posse. Tumidum est. Virgilius quidem ait:

– Rapit haud partem exiguam montis. –

ita magnitudini se dat. Sed vt nō impudēter discedat a fide: est inflatū. Virgilius ait de nauibus, *– Credas innare reuulsas Cycladas. –*

non dicit hoc fieri, sed videri. propitiis auribus auditur: quamuis incredibile est, quod excusatur, antequam dicitur. Multo corruptiorem sententiam Menestrati cuiusdam declamatoris, non abiecti suis temporibus, nactus sum in hac ipsa suasoria, cum describeret belluarum in Oceano nascentium magnitudinem.** Efficit haec sententia, vt ignoscamus ei, qui dixit, ipsis Charybdi & Scylla maius portentum, Charybdin ipsius maris naufragium videri, & ne in mare semel insaniret: quid ibi potest esse salui, vbi ipsum mare perit? *Damasceticus* induxit matrem loquentem, cum describeret assidue prioribus periculis noua superuenisse. *Barbarus* dixit, cum introduxisset excusantem se exercitum Macedonum, hunc sensum:* *Fuscus Arellius* dixit: Testor ante orbem tibi tuum deesse, quàm militem. *Latro* sedens hanc dixit: Non excusauit militem, sed dixit: Dum sequor, quis mihi promittit hostem, quis terrā, quis diem, quis mare? Da vbi castra ponam, vbi signa ponam. Reliqui parentes, reliqui liberos, commeatum peto: nunquid immature ab Oceano? Latini declamatores in Oceani descriptione non nimis viguerunt. nam aut tumide scripserunt, aut curiose. Nemo illorum potuit tanto spiritu dicere, quanto Pedo, qui nauigante Germanico dixit:

Iam pridem post terga diem solemque relictum,
Iam pridem notis extorres finibus orbis,
Per non concessas audaces ire tenebras,
Hesperij metas, extremaque littora mundi.
Nunc illum pigris immania monstra sub vndis
Qui ferat Oceanum, qui saeuas vndique Pristis,
Aequoreosque canes ratibus consurgere prensis.
Accumulat fragor ipse metus, jam sidere limo
Nauigia, & rapido desertam flamine classem,
Seque feris credunt per inertia fata marinis,
Tam non felici laniandos sorte relinqui.
Atque aliquis prora spectas sublimis ab alta

Aera pugnaci luctatus rumpere nisu.
Vt nil erepto valuit dinoscere mundo,
Obstructo taleis effundit pectore voces:
Quo ferimur? ruit ipse dies, orbemque relictum
Vltima perpetuis claudit natura tenebris.
An ne alio positas vltra sub cardine gentes,
Atque alium libris intactum quaerimus orbem?
Dij reuocant, rerumque vetant cognoscere finem
Mortaleis oculos: aliena quid aequora remis
Et sacras violamus aquas, diuumque quietas
Turbamus sedes? ——

Ex Graecis declamatoribus nulli melius haec suasoria processit, quàm Glyconi. Sed non minus multa magnifice dixit, quàm corrupte. Vtriusque vobis faciam potestatem. ** Et volebam vos experiri, non adiiciendo iudicium meum, nec separando a corruptis sana. potuisset etenim fieri, vt vos illa magis laudaretis, quae insaniunt: & nihilominus potest fieri, quamuis distinxerim. Illa belle dixit: * sed fecit quod solebat, vt sententiam adiectione supetuacua atque tumida perderet. Adiecit enim illud: ΓΑΡΑΡΑ ὅσοι τεῖχος ὑγίαμι γῆ, ὑγίαμι Ναλεαλα θάλασσα. Quosdam iudices dubios sui habet, ego non dubito contra sententiam ferre.

SVASORIA II.

TRECENTI *Lacones contra Xerxem missi, cum trecenti ex omni Graecia missi fugissent, deliberant, an & ipsi fugiant.*

Arellij Fusci patris. At puto rudis lecta aetas, & animus qui frangeretur metu insueto, armaque non passurae manus, hebetataque senio, an vulneribus corpora. quid dicam potissimos Graeciae? An Lacedaemonios? an Eleos? an repetam tot acies patrum, tot excidia vrbium, tot victarum gentium spolia? Et nunc, prò dolor, concidunt, si remeabimus, templa. Pudet consilij nostri. pudet, etiã si non fugimus, deliberasse talia. At cum tot millibus Xerxes venit, ò Lacedaemonij, non aduersus Barbaros, reueremini opera vestra, non auos, non patres, quorum nos exemplũ moueat? Ab infantia surgit ingenium: pudet Lacedaemonios sic adhortari: tuti sumus. Licet totum classe Orientem trahat, licet metuentibus explicet inutilem numerum: hoc mare, quod tantum ex vasto patet, vrgetur in minimum, insidiosis excipitur angustiis, qua vix minimo aditus nauigio est, & huius quoque remigium arcet inquietatione, quod circumfluit mare, fallacia cursus, vada altioribus internata, aspera scopulis, & cetera, quae nauigantium vota decipiunt. Pudeat, inquã, & Lacedaemonios & armatos quaerere, quemadmodum tuti sint. Non referam Persarum spolia? certe super spolia nudus cadam. Sciet & alios nos habere trecentos, qui sic nõ fugiant, & sic cadant. Hunc sumite animum. Nescio an vincere possimus, vinci noo possumus. Haec non vtique perituris refero: sed etsi cadendum est, erratis, si metuendum creditis mortem. Nulli oatura in aeternum spiritum dedit, statutaque nascentibus in finem vitae dies est. Imbecilla enim nos materia Deus orsus est, quippe minimis succidunt corpora, indenuntiata sorte rapimur: sub eodem pueritia fato est, eadem iuuentus causa cadit: optamus quoque plerique mortem: adeo in securam quietem recessus est. At gloriae nullus fiois est, proximique Deo. Sic ages ea satagunt. feminis quoque frequens hinc in mortem pro gloria iter est. Quid Lycurgum? quid interritos omni periculo, quos memoria sacrauit, viros referam? vt vnum Otryadem citem, annumerare trecentis exempla possum. *Triarij.* Non pudet Laconas nec pugna quidem hostiũ, sed fabula vinci? Magnum & alumnum virtutis nasci Laconem. ad certam victoriam omnes remansissent, ad certam mortẽ tantum Lacones. Noo est Sparta lapidibus circũdata. ibi muros habet, vbi muros non habet. Melius reuocabimus fugientes Troezenos, quàm sequemur. Sed montes perforat: maria contegit. Nunquã in solido stetit superba felicitas: & ingentium imperiorum magna fastigia obliuione fragilitatis humanae collapsa sunt. Scias licet ad finem peruenisse, quae ad inuidiam perducta sunt. Maria, terrasque rerũ natura statione mutauit sua. moriamur trecenti: vt hic primũ inuenerit, quod mutare non possit. Si tãdem amens placiturũ consilium erat, cur nõ potius in turba fugimus? *Porcij Latronis.* In hoc scilicet morati sumus, vt agmẽ fugientium cogeremus? furori terga vertitis. Sciamus saltem quis sit iste, quem fugimus. Vicit. At victoria dedecus elui potest. Vt omnia fortiter fiant, feliciter cadant: multum tamen nomini nostro detractum est iam, Lacones, quòd, an fugeremus, deliberauimus. Vt enim noo moriamur, quantum ad me quidem pertinet, post hanc

deliberatiooem

deliberationem nihil aliud timeo, quàm ne reuertamur. Arma nobis fabulae excutiunt? nũc nunc pugnemus. Latuisset virtus inter Troezenos. Ceteri quidem fugerunt. si me quidem interrogatis quid sentiam: ego in nostrum & in Graeciae patrocinium loquar: electi sumus, non relicti. *Gauij Sabini.* Turpe est cuilibet viro fugisse: Laconi etiam deliberasse. *Marillij.* In hoc restitimus, ne in turba fugientium lateremus. Habent quemadmodum se excusent Troezeni Graeciae. Munitas Thermopylas satis putauimus, cum relinqueremus illic Laconas. *Cestij Pij.* Quàm turpe fugere iudicastis Lacones, tamdiu non fugiendo! Omnibus sua decora sunt. Athenae eloquentia inclytae sunt, Thebae sacris, Sparta armis. Ideo hanc Eurotas amnis circunfluit, qui pueritiam indurat ad futurae militiae patientiam? ideo Taygeti montis difficilia nisi Laconibus iuga? ideo Hercule gloriamur operibus coelum merito? ideo muri nostri arma sunt? O graue maiorum virtutis dedecus: Lacones se numerant, non aestimant. Videamus quanta turba sit: vt habeat certe Sparta etiam si non fortes milites, at nũtios veros: ita ne bello quidẽ, sed nuntio vincimur. Merito Hercules omnia contempsit, quẽ Lacones audire non sustinent. Si vincere Xerxen non licet, videre liceat. Volo scire quem fugiam. Adhuc non sum ex vlla parte Atheniensium similis, non muris, nec educatione. nihil prius illorum imitabor, quàm fugam? *Pompeij Silonis.* Xerxes multos secũ adducit, Thermopylae paucos recipiunt: erimus inter hostes fugacissimi, inter fugaces tardissimi. Nihil refert, quantas gẽtes in nostrum orbem Oriens effuderit, quantumque nationum secum Xerxes trahat. tot ad nos pertinent, quot locus ceperit. *Cornelij Hispani.* Pro Sparta venimus, pro Graecia stemus: vincamus hostes, socios iam vicimus: sciat iste insolens Barbarus, nihil esse difficilius, quàm Laconis armati latus fodere. Ego vero quòd Troezeni discesserunt, gaudeo: liberas nobis reliquere Thermopylas. Nil erit quod virtuti nostrae se opponat, quod inserat: non latebit in turba Laco: quocumque Xerxes aspexerit, Spartanum videbit. *Blandi.* Referam praecepta matrum, Aut in his, aut cũ his? Minus turpe est, a bello inermem reuerti, quàm armatum fugere. Referam captiuorum verba? captus Laco, Occide, inquit, non seruio: potui non capi, si fugere voluissem. Describite terrores Persicos: omnia ista cum mitteremur, audiuimus. Videat trecentos Xerxes, & sciat, quanti bellum aestimatum sit, quanto aptus numero locus. Reuertamur ne nuntij quidem nisi nouissimi. Quis fugerit, nescio. hos mihi Sparta commilitones dedit.

Descriptio Thermopylarum. Nunc me delectat, quòd fugerunt Troezenij, angustas mihi Thermopylas fecerant.

CONTRA. *Cornelij Spatini.* At ego maximum dedecus futurum Reipub. nostrae arbitror, si Xerxes nihil prius in Graecia vicerit quàm Laconas. Ne testem quidem virtutis nostrae habere possumus. id de nobis tradetur, quod hostes narrauerint. Habetis consilium meum. idem autem meum, quod totius Graeciae: si quis aliud suadet, non fortes vos esse, sed perditos gaudet. *Claudij Marcelli.* Nõ vincent nos, sed obruent. Satis fecimus nomini: multum rei gessimus: ante nos rerum natura victa est.

DIVISIO. Huius suasoriae feci mentionem, nõ quia in ea subtilitatis erat aliquid, quod vos excitare posset, sed vt sciretis quàm nitide *Fuscus* dixisset, vel quàm licenter ipse sententiam ferã. Vestri arbitrij erit, vtrum explicationes eius luxuriosas putetis, an (vt poeta Pollio Asinius aiebat) hoc non esse suadere, sed inuidere, ne volo nihil fuisse & iuuenis te amo, tanquam has explicationes Fusci, quas nemo nostrum non alius alia inclinatione vocis, velut sua quisque modulatione cantabat. At quia semel in mentionem incidi Fusci, ex omnibus suasoriis celebres descriptiunculas subtexam, etiam si nihil occurrerit, quod quisquam alius nisi suasor dixerit. Diuisione autem hac suasoria Fuscus vsus est illa vulgari, vt diceret, non esse honestum fugere, etiam si tutum esset. deinde aeque periculosum esse fugere, & pugnare. nouissime, periculosum esse fugere. pugnantibus hostes timendos, fugientibus & hostes & suos. *Cestius* primam partem sic transegit, quasi nemo dubitaret, an turpe esset fugere. deinde illo transiit, an non esset necesse. Haec sunt, inquit, quae vos confundunt, hostes, sociorum paucitas. Non quidem hae suasoriae. Sed in hac materia, disertissima illa fertur sententia Dorionis, cum posuisset hoc dixisse trecentis Leonidam, quod puto etiam apud Herodotũ esse, οὕτως ἀριστᾶτε ὡς ἐν ᾅδου δειπνήσοντες. Sabinus Asydius, venustissimus inter rhetores scurra, cũ hanc sententiã Leonidae retulisset, ait: Ego illi ad prandiũ promisissem, ad cenã renuntiassem. Attalus Stoicus, qui solũ vertit a Seiano circũscriptus, magnae vir eloquẽtiae, ex philosophis, quos nostra aetas vidit, lõge & subtilissimus & facundissimus, cum tam magna & nobili sententia certauit, vt mihi dixisse videatur animosius quàm prior. Occurrit mihi sensus in eiusmodi materia, a Cornelio Seuero dictus, tanquam de Romanis, nescio an parum fortiter. Edicta in posterum diem pugna, epulanteis milites inducit, & ait:

—stratique per herbam,
Hic meus est, dixere, dies.

Elegantissime quidem affectum animorum incerta sorte pendentium expressit, sed parum Romani animi seruata est magnitudo. cenant enim tanquam crastinum desperent. Quantus illis Laconibus animus erat, qui non poterant dicere: *Hic dies est meus.* Illud Porcellus grammaticus arguebat in hoc versu quasi soloecismum, quòd cum plures induxisset, dicetet, *Hic meus est dies*: non, *Dies hic est noster*: & in sententia optima accusabat id quod erat optimum. muta enim, vt *noster* sit, peribit omnis versus elegantia: in quo hoc est decentissimum, quod ex communi sermone trahitur. nam quasi prouerbij loco est, *Hic dies meus est.* & cum ad sensum retuleris, ne Grammaticorum quidem calumnia ab omnibus magnis ingeniis submouenda, habebit locum. Dixerunt enim non omnes simul, tanquam in chorum manu ducente Grammatico, sed singuli ex his: *Hic meus est dies*. Sed vt reuertar ad Leonidã & trecentos, pulcherrima illa fertur Glyconis sententia. * In hac ipsa suasoria non sane tefero memoria vllam sententiam Graeci cuiusquam, nisi Damae. * De positione loci eleganter dixit Haterius, cum angustias loci facundissime descripsisset, Natus trecentis locus. Cestius cum descripsisset honores, quos habituri essent, si pro patria cecidissent: adiecit, Per sepulchra nostra iurabitur. Nicetas longe disertius hanc phantasiam mouit, & adiecit.* Nisi antiquior fuisset Xerxes quàm Demosthenes Ciptoy, cui dicere hanc suam dixit sententiam, aut certe non deprehensam, cum descripsisset opportunitatem loci, & tuta vndique pugnantium latera, & angustias a tergo positas, sed aduersas hostibus. Potamõ magnus declamator fuit Mitylenis, qui eodem tempore viguit, quo Lesbocles magni nominis & nomini respondentis ingenij: in quibus quanta fuerit animorum diuersitas in simili fortuna, puro vobis indicandum: multo magis, quia ad vitam pertinet, quàm si ad eloquentiam pertineret. Vtrique filius iisdem diebus decessit. Lesbocles scholam soluit, nemo vnquam ampliore animo se gessit. Potamon a funere filij contulit se in scholam, & declamauit. Vtriusque tamen affectum tempetandum puto: hic durius tulit fortunam quàm patrem decebat, ille mollius. Verum Potamon cum suasoriam de trecentis diceret, tractabat, quàm turpiter fecissent Lacones hoc ipsum quòd deliberassent de fuga: & sic nouissime clausit.* insanierunt in hac suasoria multi circa Otryaden. *Murrhedius* qui dixit, fugerunt Athenienses: non enim Otryadae nostri litteras didicerant. *Sarconius* dixit: Otryades qui periit vt falletet, reuixit vt vinceret. *Licinius Nepos*. Cum exemplo vobis etiam mortuis vincẽdum fuit. *Antonius Atticus* intet plures sententias videtur palmam meruisse. dixit enim: Otryades paene a sepulchro victor digitis vulnera gessit, vt trophaea Laconum inscriberet, dignum Spartano sacramento virum, cuius ne litterae quidem fuere sine sanguine. *Catius Crispus*. Municipalis Gatozeos dixit post relatum exemplum, Otryade dicebat, municipalis. Aliud ceteros, aliud Laconas decet. Nos sine deliciis educamur, sine muris viuimus, sine vita vincimus. *Senecio* fuit, cuius nomen ad vos potuit peruenisse, ingenij confusi ac turbulenti, qui cupiebat grandia dicere, adeo vt nouissime liuius rei morbo & teneretur & rideretur. nam & seruos nolebat habere, nisi grandes, & argentea vasa, non nisi grandia. Credatis mihi velim non iocanti, eo peruenit insania eius, vt calceos quoque maiores sumeret, ficus non esset nisi mariscas. concubinam ingentis staturae habebat. omnia grandia probabat: ei impositum est cognomen, vel, vt Messala ait, cognomentum, & vocari coepit Senecio Grandio. Is in hac suasoria cum posuisset contradictionem, ait: Omnes qui missi erant a Graecia, fugerunt, sublatis manibus, insistens summis digitis (sic enim solebat, quo grandior fieret) exclamat: Gaudeo, gaudeo. mirantibus nobis quid tantum boni illi contigisset, adiecit: Totus Xerxes meus erit. Idem dixit: Iste qui classibus suis maria surripuit, qui terras circumscripsit, dilatauit profundum, nouam rerum naturae faciem imperat: ponat sane contra caelum astra, commilitones habeo deos. *Senianus* multo potentius dixit: Terras armis obsidet, caelum sagittis, maria vinculis: Lacones, nisi succurritis, mundus captus est. Decentissimi generis stultam sententiam referam *Victoris Statorij*, municipis mei, cuius fabulis memoria dignissimis aliquis suasoria occasione contradictionem sumpsit. At, inquit, trecenti sumus: & ita respondet: Trecenti, sed viri, sed armati, sed Lacones, sed ad Thermopylas. Nunquam vidi plures trecentos. *Latro* in hac suasoria, cum tractasset omnia quae materia capiebat, posse ipsos & vincere, posse certe inuictos reuerti, & beneficio loci, tum illam sententiam: Si nihil aliud, erimus certe belli mora. Postea memini auditorem Latronis *Abronum Silonem*, patrem huius Silonis, qui pantomimis fabulas scripsit, & ingenium grãde non tantum deseruit, sed posuit, recitare carmen, in quo agnouimus sensum Latronis in his versibus:

Ite

Ite agite o Danai, magnum Paeana canentes:
Ite triumphantes, belli mora, concidit Hector.

Tam diligentes tum auditores erant, ne dicam tam maligni, vt vnius verba surripi non possent. At nunc cuilibet orationes inuertere tuto licet pro suis. Sed vt sciatis, sensum bene dictum dici tamen posse melius, notate prae ceteris quanto decentius Virgilius dixerit hoc, quod valde erat celebre:

— belli mora concidit Hector. Item:
Quicquid apud durae cessatum est moenia Troiae,
Hectoris Aeneaeque manu victoria Graium Haesit.

Messala aiebat, hic Virgilium debuisse desinere: quod sequitur,

Et in decimum vestigia rettulit annum,

explementum esse. *Maecenas* hoc etiam priori comparabat. Sed vt ad Thermopylas reuertar, *Diocles Carystius* dixit. ** *Apatrius* dixit. ** *Coruus* testimonium stuporis reddendum est, qui dixit: Quid si iam Xerxes ad nos suo mari nauigat, fugiamus antequam nobis terra surripiatur. Hic est Coruus, qui cum tentaret scholam Romae Summo illi, qui Iudaeos subegerat, declamauit controuersiam, de ea, quae apud matronas disserebat, liberos non esse tollendos, & ob hoc accusatur Reip. laesae. In hac controuersia, sententia eius haec ridebatur. Inter pyxides & redolentis animae medicamina constitit myrrata concio. Sed si vultis, historicum quoque vobis fatuum dabo. *Thuscus* ille, qui Scaurum Mamercũ, in quo Scaurorum familia extincta est, maiestatis reum fecerat, homo quàm improbi animi, tam infelicis ingenij, cum hanc suasoriam declamaret, dixit: Expectemus, si nihil aliud, hoc effecturi, ne insolens barbarus dicat: Veni, vidi, vici. cum hoc post multos annos D. Iulius victo Pharnace dixerit. *Durio* dixit. ** *Andreas* aiebat, Nicocratis Lacedaemonis insignem hanc sententiam fuisse futuram, si media interciderentur. Sed ne vos diutius infatuem, qui praedixeram me Fusci Arellij explicationes subiecturum, finem suasoriae faciam. quarum nimius cultus, & fracta compositio poterit vos offendere, cum ad meam aetatem veneritis. Interim non dubito, quin nunc vos ipsa, quae offensura sunt, vitia delectent.

Svasoria III.

DELIBERAT *Agamemnon, an Iphigeniam immolet, negante Chalcante aliter nauigari posse.*

Arellij Fusci. Non in aliam condicionem Deus fudit aequora, quàm ne omnis ex voto iret dies. nec ea sors mari tantum est, ceterum ipsa non sub eadem condicione sidera sunt? Alia negatis imbribus exurunt solum, & miseri cremata agricolae legunt semina, & haec interdum anno lex est: aliis serena clauduntur, & omne caelum nubilo graue, subsidit solum, & creditum sibi terra non retinet: alius incertis sideribus cursus est, & variantur tempora, neque soles nimis vrgent, neque vltra debitum imbres cadunt, quicquid asperatum aestu est, quicquid nimio defluxit imbre, inuicem temperatur altero: siue ita natura disposuit, siue (vt ferunt) luna cursu gerit: quae siue plena lucis suae est, splendensque pariter assurgit in cornua, imbres prohibet; siue occupata nubilo, sordidiorem ostendit orbem suum, non ante finit quàm in lucem redit: siue ne lunae quidem ipsa potentia est, sed flatus qui occupauere annum, tenent, quicquid bonum est. Extra iussum Dei tutum fuit adultero mare. An non potero vindicare adulteram? prior est salus pudicae. Ne quid virginitati huius timerem, persequebar adulterum. Victa Troia virginibus hostium paream: nihil adhuc virgo Priami timet. *Cestij Pij.* Vos ergo ad hanc diem immortales inuoco, sic reclusuri estis maria? Obstate potius. * Ne Priami quidem liberos immolaturus es. Describe nunc tempestatem. Omnia ista patimur, nec parricidium fecimus. Quod hoc sacrum est, virginis deae templo virginem occidere? libentius hanc sacerdotem habebit quàm victimam. *Cornelij Hispani.* Infestae, inquit, sunt tempestates, & saeuiunt maria: neque adhuc parricidium feci. Ista maria si numine suo Deus regeret, adulteris clauderentur. *Marillij.* Si non datur nobis ad bellum iter, reuertamur ad liberos. *Argentarij.* Iterum in malum familiae nostrae fatale reuoluimur, propter adulteram fratris liberi pereunt: ista mercede nollem reuerti. At Priamus bellum pro adultero filio gerat.

DIVISIO. Hanc suasoriam sic diuisit *Fuscus*, vt diceret etiam si aliter nauigare non possent, non esse faciendum. & sic tractauit, vt negaret faciendum, quia homicidium esset, quia parricidium, quia plus impenderetur, quàm peteretur. peti adulteram, impendi Iphigeniam, vindicari adulterium, committi parricidium. Deinde dixit, etiam si non immolasset,

nauigaturum! Illam enim moram naturae maris & ventorum esse, deorum voluntatem ab hominibus non intelligi. Hoc *Cestius* diligenter diuisit. dixit enim, deos rebus humanis non interponere arbitrium suum. si interponant, voluntatem eorum ab homine non intelligi. vt intelligatur, non posse fata reuocari. si non sint fata, sacra profutura: si sint, non posse mutari. *Silo Pompeius* etiam si quod esset diuinandi genus certum, auguriis negauit credendum. quare ergo si nescit Chalcas, affirmat primum, & scire se putat? Hic communem locum dixit in omnes qui affectarent scientiam: deinde irascitur sibi, inuitus militat, quaerit sibi tam magno testimonio apud omnes gentes fidem. In ea descriptione primum in hac suasoria *Fuscus Arellius* Virgilij versus voluit imitari. Valde autem longe petit, & paene repugnat materiae, certe non desideranti inseruit. Ait enim de luna, quae siue plena lucis suae est, splendensque pariter assurgit in cornua, imbres prohibet: siue occupata nubilo sordidiorem ostendit orbem suum, non ante finit quàm vicem reddit. At Virgilius haec quanto simplicius & beatius dixit:

Luna reuertentes cum primum colligit ignes,
Si nigrum obscuro comprenderit aera cornu,
Maximus agricolis, pelagoque parabitur imber. Et rursus:
Sin ortu in quarto (namque is certissimus auctor)
Plena, neque obtusis per caelum cornibus ibit.

Solebat autem ex Virgilio Fuscus multa trahere, vt Maecenati imputaret. Totiens enim pro beneficio narrabat, in aliqua se Virgiliana descriptione placuisse: sicuti in hac ipsa suasoria dixit: Cur iste inter eius ministerium placuit? cur hoc os Deus elegit? cur hoc potissimũ sortitur poesis? quòd tantum non impie aiebat se imitatum Virgilium, Plena Deo? Solet autem Gallio noster hoc aptissime ponere. Memini vna nos ab auditione Nicetis ad Messalam venisse. Nicetes suo impetu valde Graecis placuit. Quaerebat a Gallione Messala, quid illi visus esset Nicetes? Gallio ait, Plena Deo: quotiẽs audierat aliquem ex his declamatoribus, quos scholastici caldos vocant, statim dicebat, Plena Deo. Ipse Messala nunquam aliter eum ab hominis auditione venientem interrogabat, quàm vt diceret: Nunquid plena Deo? Itaque hoc ipsi tam familiare erat, vt inuito quoque excideret. Apud Caesarem cum mentio esset de ingenio Haterij, consuetudine prolapsus, dixit: Et ille erit plena Deo. Quaerenti deinde quid hoc esse vellet, versum Virgilij retulit, & quomodo hoc semel sibi apud Messalam excidisset, & nunquam postea potuisset excidere. Tiberius ipse Theodoreus offendebatur Nicetis ingenio, atque delectatus est fabula Gallionis: hoc autẽ dicebat Gallio, Nasoni suo valde placuisse: itaque fecisse quod in multis aliis versibus Virgilius fecerat, non surripiendi causa, sed palam imitandi, hoc animo vt vellet agnosci: esse autem in tragoedia eius: Feror huc illuc, vt plena Deo. Iam vultis ad Fuscum reuertar, & descriptionibus eius vos satiabo. Haec potissimum ex his quas in similitudinis tractatione posuit, cum diceret omnino non concessam futurorum scientiam.

Svasoria IIII.

DELIBERAT *Alexander Magnus, an Babyloniam intret, cum denuntiatum esset illi responso auguris periculum.*

Arellij Fusci. Quis est qui futurorum scientiam sibi vindicet? nouae oportet sortis sit, qui iubente Deo canat. non eodem contentus sit vtero, quo imprudentes nascimur: quandam imaginem Dei praeferat, qui iussa exhibeat Dei. sic est. Tantum enim regem, tantique rectorem orbis esse in metu cogit: magnus iste & supra humanae sortis habitũ oportet sit, cui liceat terrere Alexandrum. Ponat iste suos inter sidera patres, & originem coelo trahat: agnoscat suum vatem Deus, non eodem claudatur vitae fine, aetate magna, extra omnem futurorum necessitatem caput sit, quod gentibus futura praecipiat. Si vera sunt ista, quid ita non huic studio seruit omnis aetas? Cur non ab infantia, rerum naturam deosque, qua licet, visimus? cum pateant nobis sidera, & interesse numinibus liceat, quid ita inutili desidemus facundia? aut periculosis atteritur armis manus? an melius alio pignore quàm futuri scientia, ingenia surrexerint? Qui vero in media se, vt praedicant, fatorum misere pignora, natales inquirsit, & prima mediorum annorum habẽt initia, quo ierint motu sidera, in quas discurrerint parteis: contrane Deus steterit: an placidus affulserit sol: an plenam lucem, an initia surgentis acceperint: an abdiderit in noctem obscurum caput luna: Saturnus nascentem, an ad bella Mars militẽ, an negotiosum in quaestus Mercurius exceperit: an blanda annuerit nascenti Venus, an ex humili in sublime Iupiter tulerit. Existimant tot circa vnum

caput tumultuanteis deos? Futura nuntiant. Plerosque dixere victuros: & nihil metuentes oppressit dies. aliis dedere finem propinquum: at illi superfuere. Egentes, inutilis animae felices nascentibus annos spoponderunt: at fortuna in omnem properauit iniuriam. incertae enim sortis viuimus: vnicuique ista pro ingenio finguntur, non ex scientiae vi. Deerit aliquis toto orbe locus qui te victorem non viderit? Babylone cluditur, cui patuit Oceanus?

Divisio. In hac suasoria nihil aliud tractasse Fuscum scio, quàm easdem, quas supra retuli, quaestiones, ad scientiam futuri pertinentes. Illud quod nos delectauit, praeterire non possum. Declamitabat *Fuscus Arellius* controuersiam de illa, quae posteaquam ter mortuos pepererat, somniasse se dixit, vt in luco pareret. Valde in vos contumeliosus fuero, si totam controuersiam, quam ego intelligo me dicere, Fuscus declamaret, & aperte, aut non agnoscentis puerum, tractaret locum contra somnia, & deorum prouidentiam, & male de magnitudine deorum dixisset mereri eum, qui illos circa puerperas mitteret. summis clamoribus dixit illum Virgilij versum:

Scilicet is superis labor est, ea cura quietos *Sollicitat.* ——

Auditor Fusci quidam, cuius pudori parco, cum hanc suasoriam de Alexãdro ante Fuscum diceret, putauit aeque belle poni versum eundem. dixit:

Scilicet is superis labor est, ea cura quietos *Sollicitat.* ——

Fuscus illi ait: Si hoc dixisses audiente Alexãdro, scires apud Virgilium & illum versum esse:

—— *Capulo tenus abdidit ensem.*

Et quia soletis mihi molesti esse de Fusco, quid fuerit, quare nemo videretur dixisse cultius, ingeram vobis Fuscinas explicationes. Dicebat autem suasorias libentissime, & frequentius Graecas quàm Latinas. *Hybreas* in hac suasoria dixit: οἷος ἔχηται Βαβυλῶν μάντιν ὀχύρωμα.

Svasoria V.

Deliberant *Athenienses, an trophaea Persica tollant, Xerxe minante rediturum se, nisi tollerentur.*

Arelly Fusci. Pudet me victoriae vestrae: sic fugatum creditis Xerxen, vt reuerti possit? tot caesa milia, nihil ex hac acie relictum minanti, nisi quod vix sequi fugientem possit. totiens mersa classis. Quid Marathona? quid Salamina referam? Pudet dicere. dubitamus adhuc, an vicerimus. Xerxes veniet? At nescio quomodo languet circa memoriam iacturae animus, & disturbata arma non repetit. Prior enim metus, futuri pignus esset. amissa, ne audeat, amissurum monent. Vt in gaudia interdum surgit animus, & spem ex praesenti metitur, ita aduersis frangitur. Omnis est sic animum dies, vbi ignominia spem premit, vbi nullam meminit aciem, nisi quae fugerit, errat circa damna sua, & quae male expertus est, vota deponit. Si venturus esset, non minaretur. Suis ira ardet ignibus, & impacta non soluitur. Non denuntiaret, si venturus esset: neque armaret nos nuntio, nec instigaret victricem Graeciam, nec sollicitaret arma felicia: magis superueniret improuidis, nam & arma indenuntiata moueret. Quantumcumque Oriens valuit, primo in Graeciam impetu effusum est: hoc ille numero ferox, & in deos arma tulerat. extincta tot ante Xerxen milia, tot sub ipso iacent? nulli, nisi qui fugerunt, supersunt. Quid dicam Salamina? Quid Cynagyron referam? & te Polyteles? & hoc agitur an viceris? Haec ego trophaea deposui, haec in totius Graeciae conspectu statui, ne quis timeret Xerxen minantem. Me miserum, pugnante Xerxe trophaea posui, fugiente tollam? Nunc Athenae vincimur. non tantum credetur rediisse, sed vicisse Xerxes. Non potest Xerxes, nisi per nos trophaea tollere. Credite mihi, difficile est attritas opes recolligere, & spes fractas nouare, & paenitenda acie in melioris euentus fiduciam surgere. *Cestij Pij.* Inferam, inquit, bellum. alia mihi trophaea promittit. potest maior venire quàm victus est? *Argentarij.* Non pudet vos? pluris trophaea vestra Xerxes aestimat, quàm vos.

Divisio. *Fuscus* sic diuisit. Etiam si venturus est Xerxes, nisi tollimus, non sunt trophaea tollenda. Confessio seruitutis est, iussa facere: si venerit, vincemus. hoc non est diu colligendum. de eo dico, vincemus, quem vicimus. Sed nec veniet quidem. si venturus esset, non denuntiaret. Fractus est & viribus & animo. *Cestius* & illud dicit, quod in prima parte tractauit, non licere Atheniẽsibus trophaea tollere: commune in illis ius totius Graeciae esse. communem victoriam, commune bellum fuisse. deinde nefas quidem esse: nunquam factum, vt quisquam cõsecratis virtutis suae operibus manus adferret. Ista trophaea non sunt Atheniensium: deorum sunt. illorum bellum fuit: illos Xerxes vinculis, illos sagittis perso-

quebatur. haec omnia ad impiam & superbam Xerxis militiam pertinent. Ecquid? ergo bellum habebimus? Habebimus: etsi Xerxen remouebis, inuenietur alius hostis. Nunquam magna imperia otiosa. Omnium bellorum prospere ab Atheniensibus gestorum. Deinde non erit bellum. Xerxes enim non veniet: multo timidiores esse qui superbissimi fuerint? Nouissime vt veniat, cum quibus veniet? reliquias victoriae nostrae colliget: illos adducet, quos priore bello quasi inutiles reliquias nouit, si qui ex fuga consecuti sunt. Nullum habet militem, nisi aut fastiditum, aut victum. *Argentarius* his duobus contentus fuit: aut non venturum Xerxen, aut non esse metuendum, si venerit. His solis institit: & illud dixit quod excerptum est: Tollite, inquit, trophaea. Si vicisti, quid erubescis? si victus es, quid imperas? Locum mouit non vtiliter: iudicare quidem se, neque Xerxen, neque iam quemquam Persarum ausurum in Graeciam effundere: sed eo magis ipsis trophaea tuenda. Si quis vnquam illinc venturus hostis esset, vt conspectu trophaeorum animi militum accēderētur, hostium frangerentur. *Blandus* dixit: Repleat ipse prius hiatus, & maria in antiquam faciem reducat. Apparere voluit posteris quemadmodum venerit: appareat etiam quemadmodum redierit. *Triarius* omni dimissa diuisione, tantũ exultauit quòd audierit Xerxen venire ad se, ipsis nouam victoriam, noua trophaea. *Silo Pompeius* venusto genere sententiae vsus est: Nisi tollitis, inquit, trophaea, ego veniam: hoc ait Xerxes: Nisi haec trophaea tollitis, alia ponetis. Alteram partem solus *Gallio* declamauit, & hortatus est ad tollenda trophaea. dixit, gloriae nihil detrahi: mansutam enim memoriam victoriae, quae perpetua esset: ipsa trophaea & tempestatibus & aetate consumi: bellum suscipiendum fuisse pro libertate, pro coniugibus, pro liberis. pro re superuacua, & nihil nocitura si fieret, non esse suscipiendum. Hic dixit, vtique venturum Xerxen, & descripsit aduersus ipsos deos tumentem: deinde habere illum magnas vires: neque omnes illum copias in Graeciam produxisse, nec omnes in Graecia perdidisse: timendam esse fortunae varietatem: exhaustas esse Graeciae vires, nec posse iam pati alterum bellum. illi esse immensam multitudinem hominum. Hoc loco disertissimam sententiam dixit, quae vel in oratione vel in historia ponitur: Diutius illi perire possunt, quàm nos vincere.

Svasoria VI.

DELIBERAT *Cicero, an Antonium deprecetur.*

Q. Haterius. Sciant posteri, potuisse Antonio seruire Rempublicam, non potuisse Ciceronem. Laudandus erit tibi Antonius: in hac causa etiam Ciceronem verba deficient. Crede mihi, cum diligenter te custodieris, faciet tamen Antonius quod Cicero tacere non possit. Si intelligis Cicero, non dicit, Roga vt viuas: sed, Roga vt seruias. quemadmodum autem hunc senatum intrare poteris exhaustum crudeliter, repletum turpiter? Intrare autem tu senatum voles, in quo non Cn. Pompeium visurus es, non M. Catonem, non Lucullos, non Hortensium, non Lentulum atque Marcellum: non tuos, inquam, Coss. Hircium & Pansam? Cicero, quid in alieno saeculo tibi? Iam nostra peracta sunt. M. Cato solus maximum viuendi moriendique exemplum, mori maluit quàm rogare: nec erat Antonium rogaturus, & illas vsque ad vltimum diem puras a ciuili sanguine manus, in se infestas, acerrime armauit. Scipio cum gladium poni iussus foret, dicitur abdidisse se. quaerentibus qui in nauem trãsierant militibus imperatorem: Imperator, inquit, bene se habet. Victus vocem victoris emisit. Vetat, inquit, Milo rogari, Iudices, vir clarissimus nũc & Antoniũ rogat. *Porcij Latronis.* Ergo loquitur imperator Cicero, vt non timeat Antonius: loquatur vnquã Antonius, vt Cicero timeat? Ciuilis sanguinis Syllana sitis in ciuitatem redit, & ad triumuiralem hastam pro vectigalibus, ciuium Romanorũ mortes locantur. Iniusta bella albo Pharsalica, ac Mundensis Mutinensisque ruina vincitur, consularia capita auro rependũtur. Tuis verbis Cicero vtẽdum est: O tempora, o mores. videbis ardentes crudelitate simul ac superbia oculos: videbis illum non hominis, sed belli ciuilis vultũ: videbis illas fauces, per quas Cn. Pompeij bona transierũt, illa latera, illam totius corporis gladiatoriam firmitatem: videbis illum pro tribunali loco, quem magister equitũ, cui ructare turpe erat, vomitu foedauerat. Supplex accidens genibus deprecaberis, & ore, cui se debet salus publica, humilia in adulationẽ verba submittes? Pudeat Verrẽ quoque, quia proscriptus fortius perit. *Cyri Marillij Esernini.* Occurrat tibi Cato tuus, cuius a te laudata mors est. Quicquam ergo tanti putas, vt vitam Aotonio debeas? *Cestij Pij.* Si ad desiderium populi respicis Cicero, quandoque perieris, parum vixisti: si ad res gestas, satis vixisti: si ad iniurias fortunae & praesentem Reipublicae statum, nimium diu vixisti: si ad memoriam operum tuorum, semper victurus es.

Pompeij Silonis. Scias licet, tibi non expedire viuere, si Antonius permittit vt viuas. Tacebis ergo proscribête Antonio, & Rempublicam laniante, & ne gemitus quidem tuus liber erit? Malo populus Romanus mortunm Ciceronem, quàm viuum desideret. *Triarij.* Quae Charybdis est tam vorax? Charybdin dixi? quae si fuit, animal vnum fuit. Vix mediusfidius Oceanus tot res tamq; diuersas vno tempote absorbere potuisset. Huic tu saeuienti putas Ciceronem posse subduci? *Arellij Fusci.* Ab armis ad arma discurritut: foris victores, domi trucidamut. dum in sanguine intestinus hostis incubat, quis non hoc populi Romani statu, Ciceronem vt viuat, cogi putat? Rogabis Cicero turpiter Antonium, frustra. Non te ignobilis tumulus abscondet: idem virtutis tuae qui finis est immortalium humanorum openım custos memoria, quae mansuri vita perpetua est, in omnia te saecula sacratum dabit. Nihil aliud intereidet, quàm corpus fragilitatis caducae, morbis obnoxium, casibus expositum, proscriptionibus obiectum. Animus vero diuina origine haustus, cui nec senectus vlla, nec mors, onerosi corpotis vinculis exsolutus, ad sedes suas & cognata sideta recurret. Et tamen si ad aetatem, annorumque, nunquam obseruatum viris fortibus numerum respicimus, sexaginta supetgressus es: nec potes videri non nimis vixisse, qui moreris Reipublicae snperstes. Vidimus furentia toto orbe ciuilia arma, & post Italicas Pharsalicasque acies Romanū sanguinem hausit Aegyptus: quid indignamut in Ciceronē Antonio licere? Sic in Pompeium Alexandrino licuit. An non occiduntut, qui ad indignos confugiunt? *Cornelij Hispani.* Proscriptus est ille, qui tuam sententiam secutus est: tota tabula tuae morti praeluditur, alter fratrem proscribi, alter auunculum patitur: quid babes spei? Vt Cicero periret, tot parricidia facta sunt. Repete, age, tot patrocinia, tot clientelas, & maximum beneficiorum tuonım teipsum: iam intelliges Ciceronem in mortem cogi posse, in preces non posse. *Argentarij.* Explicantut triumuiralis regni delicata conuiuia, & popina tributo genrium instruitur: ipse vino & somnǫ marcidus deficiēteis oculos ad capita proscriptorum leuat. Iam ad ista non satis est dicere, O hominem nequam!

DIVISIO. Latro sic hanc diuisit omnem suasoriam: Etiam si impetrares vitam ab Antonio, non est tanti rogare: deinde impetrarc non potes. In priore illa parte posuit: Turpe esset cuilibet Romano, nedum Ciceroni, vitam rogare. Hoc loco omnium, qui vltro mottem apprehendissent, exempla posuit: dein de inutilis illi sua vita futura proponitut, morte grauiot, detracta libertate. Hic omnē acerbitatem seruitutis futurae deseripsit: deinde non futurū fidei impetratae beneficium. Hic cum dixisset, Aliquid erit quod Antonium offendat aut factum tuum, aut dictum, aut silentium, ant vultus: adiecit sententiam: Haud enim placiturus es. *Albutius* aliter dinisit. primam partem fecit, moriendum esse Cicetoni, etiam si nemo proscribetet. haec insectatio temporum fuit. deinde moriendum est: ille enim se sua sponte conficeret, quia moriendum esset, etiam si mori noluisset: graues odiorum causas esse: maximam causam ptoscriptionis ipsum esse Cicetonem. Et solus ex declamatoribus tentauit dicere, non vnum illi esse Antonium infestum. Hoc loco dixit illam sententiam: Si cui ex triumuiris non es inuisus, grauis es. Et illa sententia valde excepta est: Roga Cicero, exora vnum, vt tribus seruias. *Cestius* sic diuisit: Mori tibi vtile est, honestum est, necesse est, vt libet & illibatae dignitatis consummes vitam. Hic illam sententiam dixit audacem: Vt numereris cum Catone, qui seruire nec Antonio quidem nondum domino potuit. *Marcellus* hunc sensum de Catone melius: Vsque eone omnia cum fortuna popnli Romani conuersa sunt, vt aliquis deliberet, vtrum satius sit viuere cum Antonio, an mori cum Catone? Sed ad diuisionem Cestij reuertamur. Dixit vtile esse, ne etiam cruciatus corporis pateretut: non simplici illum modo periturum, si in Antonij manus incidisset. & in hac parte cum descripsisset contumelias insultantium Ciceroni, & verbera & tormenta, dixit illam multum laudatam sententiam: Tu mehercules, Cicero, cum veneris ad Antoniū, mortem rogabis. *Varius Geminus* sic diuisit: Hortatet te, si alterutrum vtique faciēdum esset, aut moriendum, aut rogandum, vt morereris potius, quàm rogares. & omnia complexus est, quae a ceteris dicta erant, sed addidit & tertinm: adhortatus est illum ad fugam, illic esse M. Brutum, illic C. Cassium, illic Sex. Pompeium. Et adiecit illam sententiam, qnam Cassius Seuerus vnice mirabatur: Quid deficiemus? & Respub. suos triumuiros habet. Deinde etiam quas petere posset regiones, petcurrit: Siciliam dixit vindicatam esse ab illo, Ciliciam a Ptoconsule egregie administratam, familiares studiis eius & Achaiam & Asiam, Deiotari tegnum obligatum beneficiis, Aegyptum & habete beneficij memoriam, & agere perfidiae paenitentiam, sed maxime illum in Asiam & Macedoniā hortatus est in Cassij & in Bruti castra. Item Cassins Seuerus aiebat, alios declamasse, Varinm Geminum viunm consilium dedisse.

Alteram partem pauci declamauerunt. nemo ausus est Ciceronem ad deprecandum

Antonium hortari, bene de Ciceronis animo iudicauerunt. *Geminus Varius* declamauit alteram quoque partem, & ait:Spero me Ciceroni meo perſuaſurum, vt velit viuere, quòd grandia loquitur, & dicit:Mors nec immatura conſulari,nec miſera ſapienti,non mouet me. idiotam petit. Ego belle mores hominis noui:faciet,rogabit. nam quod ad ſeruitutem pertinet,non recuſabit:iam collum tritum habet,& Pompeius illum,& Caeſar ſubiecerūt. Veteranū mancipium videtis: & complura alia dixit ſcurrilia, vt illi mos erat. Diuiſit ſic,vt diceret,non turpiter rogaturum,non fruſtra rogaturum. In priori parte illud poſuit, non eſſe turpe, ciuem victorem rogari a victo:hic quàm multi rogaſſent C. Caeſarem, hic & Ligarium. deinde ne iniquum eſſe quidem Ciceronem ſatisfacere, qui prior illum proſcripſiſſet, * qui & iudicaſſet ab eo ſemper naſci ſatisfactionem, ac dato togari. Deinde noo pro vita illum,ſed pro Republica rogaturum:ſatis illum ſibi vixiſſe, Reip. parum. In ſequenti parte dixit,exorari ſolere inimicos,ipſum exoratum a Vatinio. C.quoque Verri affuiſſe,facilius exorari Antonium poſſe, qui cum tertius eſſet,ne quis tribus hanc tam ſpecioſam clementiae occaſionem praeteriret.fortaſſe iraſci Antonium, qui ne tanti quidem putaſſet illum quem rogaret. Fuga quàm periculoſa eſſet,cum deſcripſiſſet, adiecit:Quocuoque perueniſſet, ſeruiendum illi eſſe:fereodam aut Caſſij violentiam, aut Btuti ſuperbiam, aut Pompeij ſtultitiam. Quando in haoc ſuaſoriam incidimus,nō alienum puto,indicare quomodo quiſque ſe ex hiſtoricis aduerſus memoriam Ciceronis geſſerit. Namque Cicero nec tam timidus fuerit,vt rogaret Aotonium, oec tam ſtultus vt exorari poſſe ſperaret,nemo dubitat, excepto Aſinio Pollione, qui infeſtiſſimus famae Ciceronis permanſit, & is etiam occaſionem ſcholaſticis dedit. Solent enim ſcholaſtici declamatores ponere, An promittente ſalutem Antooio,orationes ſuas cōburat. Haec inepte ficta cuilibet videri poteſt. Pollio vult illam * veram videri: ita enim dixit illa oratiooe, quam pro Lamia dedit. *Aſinij Pollionis.* Itaque nunquam perficeret,nec mora fuit,quin eiuraret, ſuas eſſe, quas cupidiſſune effuderat orationes in Antonium, multiplicesque numero,& accuratius ſcriptas illis contrarias edere,ac vel ipſe palam pro concione recitare,pollicebatur:ceteraq; his alia ſordidiora multo:vt tibi facile liqueret,hoc totum adeo falſum eſſe, vt ne ipſe quidem Pollio in hiſtoriis ſuis ponere auſus ſit. Huic certe actioni eius pro Lamia qui interfuerunt, negant eum haec dixiſſe (nec enim mentiri ſub triumuirorum conſcientia ſuſtinebat) ſed poſtea compoſuiſſe. Nolo autem vos iuuenes mei cootriſtari,quòd a declamatoribus ad hiſtoricos tranſeo: ſatisfaciam vobis,& fortaſſe efficiam,vt his ſentētiis lectis ſolidis,& verū habentibus, tecedatis aequiores. Hoc ſi tamen recta via conſequi non potero,decipere vos cogar, veluti ſalutarem pueris daturus potionem abſinthiati poculi. Liuius adeo detrectationis conſilium habuiſſe Ciceronem non dicit,vt neget tempus habuiſſe. Ita enim ait. *Liuij.* M. Cicero ſub aduentum triumuirorum ceſſerat vrbe, pro certo habens id quod erat, non magis Antonio eripi ſe, quàm Caeſari Caſſium & Brutum poſſe:primo in Tuſculanum fugit, inde tranſuerſis itineribus in Formianum,vt ab Caieta oauim cōſcenſurus, proficiſcitur. Vode aliquotiens in altum prouectum cum modo vēti aduerſi retuliſſent,modo ipſe iactationem nauis caeco voluente fluctu pati non poſſet, taediū tandem eum & fugae & vitae cepit.regreſſusque ad ſuperiorem villam, quae paulo plus mille paſſibus a mari abeſt, Moriar, inquit,in patria ſaepe ſeruata. Satis conſtat, ſeruos fortiter fideliterque paratos fuiſſe ad dimicandum, ipſum deponi lecticam, & quietos pati, quod ſors iniqua cogeret,iuſſiſſe. Prominenti ex lectica, praebentique immotam ceruicem, caput praeciſum eſt. Nec ſatis ſtolidae crudelitati militum fuit.manus quoque ſcripſiſſe in Antonium aliquid exprobrantes praeciderunt. Ita relatum caput ad Antonium,iuſſuque eius inter duas maous in roſtris poſitum,vbi ille cōſul,vbi ſaepe cōſularis,vbi eo ipſo anno aduerſus Antonium, quanta nulla vnquam humana vox,cum admiratione eloquentiae auditus fuerat: vix attollentes lacrymis oculos bomines intueri trucidata membra eius poterant. Baſſus Aufidius,& ipſe nihil de animo Ciceronis dubitauit,quin fortiter ſe morti non praebuerit tantum, ſed obtulerit. *Aufidij Baſſi.* Cicero paulum remoto velo,poſtquam armatos vidit:Ego vero conſiſto,ait:accede veterane, & ſi hoc ſaltem potes recte facere,incide ceruicem. Trementi deinde,dubitantique: Quid ſi ad me, inquit,primum veniſſetis? Cremutius Cordus & ipſe ait, Ciceroocm cū cogitaſſet,vtrumne Brutum, an Caſſium,an Sextum Pompeium peteret,omnia illi diſplicuiſſe,praeter mortem. *Cremutij Cordi.* Quibus viſis laetus Antonius, cum peractam proſcriptionem ſuam dixiſſet eſſe,quippe non ſatiatus modo caedendis ciuibus,ſed defectus quoque, iuſſit pro roſtris exponi. Itaque quo ſaepius ille ingenij circunfuſus turba proceſſerat, quae paulo ante coluerat piis coocionibus, qoibus multotum capita ſeruauerat, tum per artus ſuos latus aliter ac ſolitus erat,a ciuibus ſuis conſpectus eſt,praetendenti capiti, orique eius impenſa ſa-

nie,bte-

nie, breui ante princeps senatus Romanique nominis titulus, tum pretium interfectoris sui. Praecipue tamen soluit pectora omnium in lacrymas gemitusque, visa ad caput eius deligata manus dextera, diuinae eloquẽtiae ministra: ceterorũque caedes priuatos luctus excitauerunt, illa vna communem. *Brutidij Nigri.* Elapsus interim altera parte villae Cicero lectica per agros ferebatur. sed vt vidit appropinquare notum sibi militem, Popilium nomine, memor defensum a se, laetiore vultu aspexit. at ille, victoribus idipsum imputaturus, occupat facinus, caputque decisum, nihil in vltimo fine vitae facientis, quod alterutrã in partem posset notari, Antonio portat, oblitus se paulo ante defensum ab illo. Et hic voluit positi in rostris capitis miserabilem faciem describere, sed magnitudine rei obrutus est. Item *Brutidij Nigri.* Vt vero iussu Antonij inter duas manus positum in rostris caput conspectum est, quo totiens auditum erat loco, dato gemitu & fletu maximi viri inferiae, nec vt solet, ita depositi in rostris corporis cõcio audiuit, sed ipsa narrauit. Nulla non pars fori aliquo actionis inclytae signata vestigio erat. Nemo nõ aliquod eius in se meritum fatebatur: hoc certe publicum beneficium palam erat, illam miserrimi temporis seruitutem ac aleam delatam in Antonium. Quotiens magni alicuius mors ab historicis narrata est, totiens fere totius consummatio vitae, & quasi funebris laudatio redditur. hoc semel atque iterũ a Thucydide factum, idem in paucissimis personis vsurpatum a Sallustio, Liuius benignius omnibus magnis viris praestitit. Sequẽtes historici multo id effusius fecerũt. Ciceroni hoc, vt Graeco verbo vtar, ἐπιτάφιον Liuius reddit. *T. Liuij.* Vixit tres & sexaginta annos, vt si vis afuisset, ne immatura quidem mors videri possit: ingenium & operibus & praemiis operũ felix: ipse fortunae diu prosperae & in lõgo tenore felicitatis, magnis interim ictus vulneribus, exilio, ruina partium pro quibus steterat, filiae morte, exitu tam tristi atque acerbo, omnium aduersorum, nihil vt viro dignum erat, tulit, praeter mortem. quae vere aestimanti minus indigna videri potuit, quòd a victore inimico nil crudelius passurus erat, quàm quod eiusdem fortunae compos ipse fecisset. Si quis tamen virtutibus vitia pensarit, vir magnus, acer, memorabilis fuit, & in cuius laudes sequẽdas Cicerone laudatore opus fuerit. Vt est natura candidissimus omniũ magnorum ingeniorũ aestimator T. Liuius, plenissimũ testimoniũ Ciceroni reddidit. Cordi Cremutij non est operae, deferre etiam redditam Ciceroni laudationem. Nihil enim in ipsa Cicerone dignum est: ac ne hoc quidem, quod paene maximum est, tolerabile est. *Cremutij Cordi.* Priuatas enim simultates deponendas interdum putabat, publicas nũquam. Vides credendam eius non solum magnitudinem virtutum, sed multitudinem quoque cõspiciendam. *Aufidij Bassi.* Sic M. Cicero decessit, vir natus ad Reipub. salutem: quae diu defensa & administrara, in senectute demum e manibus eius elabitur, non ipsius vitio laesa, quòd nihil in salute eius aliud illi, quàm si caruisset Antonio, placuit. Vixit sexaginta & tres annos, ita vt semper aut peteret alterũ, aut inuicem peteretur: nullamque rem rarius, quàm diem illum, quo nullius interesset ipsum mori, vidit. Pollio quoq; Asinius, qui Verrem Ciceronis reum fortissime morientem tradidit, Ciceronis mortem solus ex omnibus maligne narrat, testimonium tamen, quamuis inuitus, plenum ei reddit. *Asinij Pollionis.* Huius ergo viri tot tantisque operibus mansuris in omne aeuum, praedicare de ingenio atque industria superuacuum est. Natura autem pariter atque fortuna obsecuta est. Ei quidem facies decora ad senectutem, prosperaque permansit valetudo: tum pax diutina, cuius instructus erat artibus, contigit. namque a prisca seueritate iudicis exacti, maximorum noxiorum multitudo prouenit, quos obstrictos patrocinio incolumes plerosque habebat. Iam felicissima consulatus ei sors petendi & gerendi magna munera, deum consilio, industriaque. vtinam moderatius secundas res, & fortius aduersas ferre potuisset. namque vtraeque cum venerãt ei, mutari eas non posse rebatur. Inde sunt inuidiae tempestates coortae graues in eum, certiorque inimicis aggrediẽdi fiducia: maiore enim simultates appetebat animo, quàm gerebat. Sed quãdo mortalium nulli virtus perfecta contigit, qua maior pars vitae atque ingenij stetit, ea iudicandum de homine est. Atque ego ne miserandi quidem exitus eum fuisse iudicarem, nisi ipse tam miseram mortem putasset. Affirmare vobis possum, nihil esse in historiis eius, hoc, quem retuli, loco disertius: vt mihi tũc non laudasse Ciceronem, sed certasse cum Cicerone videatur. Nec hoc deterrendi causa dico, ne historias eius legere concupiscatis: concupiscite, & poenas Ciceroni dabitis. Nemo tamẽ ex tot disertissimis viris melius Ciceronis mortem deplorauit, quàm Cornelius Seuerus.

CORNELII SEVERI.

Oraque magnanimum spirantia paene virorum
In rostris iacuere suis: sed enim abstulit omnis,

Tanquam sola foret rapti Ciceronis imago.
Tunc redeunt animis ingentia Consulis acta,
Iurataeque manus, deprensaque foedera noxae,
Patriciumque nefas: est tunc & poena Cethegi,
Deiectusque redit votis Catilina nefandis.
Quid fauor aut coetus, pleni quid honoribus anni
Profuerunt? sacris exacta quid artibus aetas?
Abstulit vna dies ciuis decus, ictaque luctu
Conticuit Latiae tristis facundia linguae,
Vnica sollicitis quondam tutela salusque,
Egregium semper patriae caput: ille senatus
Vindex, ille fori, legum ritusque, togaeque.
Publica vox ciuis aeternum obmutuit armis.
Informes vultus, sparsamque cruore nefando
Caniciem, sacrasque manus, operumque ministras
Tantorum, pedibus ciuis proiecta superbis
Proculcauit ouans: nec lubrica fata, deosque
Respexit. nullo luet hoc Antonius aeuo.
Haec nec in Aemathio mitis victoria Perse,
Nec te dire Syphax, non fecit in hoste Philippo.
Inque triumphato ludibria cuncta Iugurtha
Afuerant, nostraeque cadens ferus Hannibal irae,
Membra tamen stygias tulit inuiolata sub vmbras.

Non laudabo municipem nostrum bono versu, ex quo hic multo melior Cornelij Seueri processit:

Conticuit Latiae tristis facundia linguae.

Sextilius Ena fuit homo ingeniosus magis quàm eruditus, inaequalis poeta, & paene quibusdam locis talis, quales esse Cicero Cordubenses poetas ait, pingue quiddam sonantes atque peregrinum. Is hanc ipsam proscriptionē recitaturus in domo Messalae Coruini, Pollionem Asinium aduocauerat: & in principio hunc versum non sine assensu recitauit:

Deflendus Cicero est, Latiaeque silentia linguae.

Pollio Asinius nō aequo animo tulit, & ait: Messala, tu quid tibi liberum sit in domo tua, videris: ego istum auditurus non sum, cui mutus videor. atque ita consurrexit, ne interesset recitationi eorum: quod Cornelium scio, cui non aeque displicuisse hunc versum, quàm Pollioni, apparet: quòd meliorem quidem, sed non dissimilem illi & ipse composuit. Si hic desiero, scio futurū, vt vos desinatis eo loco legere, quo ego a scholasticis recessi. Ergo vt librum velitis vsque ad vmbilicum reuoluere, adiiciam suasoriam proximae similem.

SVASORIA VII.

DELIBERAT *Cicero, an scripta sua comburat, promittente Antonio incolumitatem, si fecisset.*

Q. Haterius. Non feres Antonium: intolerabilis in malo ingenio felicitas est: nihilque cupientes magis accendit, quàm prosperae turpitudinis conscientia. Difficile est. Non feres, inquam, & iterum irritare inimicum in mortem tuam cupies. Quod ad me quidem pertinet, multum a Cicerone absum: tamen non taedet tantū me vitae meae, sed pudet: ne propter hoc quidem pertinet multum a Cicerone. Ingenium tuum amas, quòd illud Antonius plus odit quàm te. Remittere ait se tibi vt viuas: commentus, quemadmodum eripiat etiam quo vixeras. Crudelior est pactio Antonij, quàm proscriptio. Ingenium erat, in quod nihil iuris haberent triumuiralia arma. Commentus est Antonius, quemadmodum quod non poterat cum Cicerone proscribere, tolleret per Ciceronem. Hortarer te, Cicero, vt vitam magni aestimares, si libertas suum in ciuitate haberet locum, si suum in libertate eloquētia, si non ciuium ceruicibus luderetur. nunc vt scias nihil melius esse quàm mori, vitam tibi Antonius promittit. Pendet nefariae proscriptionis tabula: tot praetorij, tot consulares, tot equestris ordinis viri periere: nemo relinquitur, nisi qui seruire possit. Nescio an hoc tempore viuere velis, Cicero: nemo est cum quo velis. Merito, hercules, illo tempore vixisti, quo Caesar vltro te rogauit, vt viueres sine vlla pactione: quo tempore non quidem stabat Respublica, sed in boni principis sinum ceciderat. *Cestij Pij.* Nunquid opinio me fefellit? intellexit

tellexit Antonius, saluis eloquentiae monumentis, non posse Ciceronē mori. ad pactionem vocaris: qua pactione melior in te pars tui petitur. Accommoda mihi paulisper eloquētiam: Ciceronem periturum rogo. Si te audissent Caesar & Pompeius, neque iniissent turpem societatem, neque diremissent: si vti vnquam consilio tuo voluissent, neque Pompeius Caesarem, neque Caesar Pompeium deseruisset. Quid consulatum salutarem vrbi, quid exilium consulatu honestius, quid prouocatam inter initia adolescentiae libertatem tyrociniis tuis Syllanam potentiam, quid Antonium auulsum, Catilinam Reipublicae redditum? Ignosce Cicero, si diu ista narrauero. forsitan hae die nouissimo audientur. Si occidetur Cicero, iacebit inter Pompeium patrem filiumque: & Afranium Petreiumque, Q. Catulum, M. Antonium illum indignum hoc successore generis. Si seruatur, viuet inter Ventidios & Canicios & Saxas. Ita dubium est, an satius sit cum illis iacere, an cum his viuere? Pro vno homine iactura publica pacisceris. Scio omne pretium iniquum esse, quod ille constituit: nemo tanti emit Ciceronis vitam, quanti vendit Antonius. Si hanc tibi pactionem ferret, Viues, sed eruentur oculi tibi: viues, sed debilitabuntur pedes: etiam si in alia damna corporis praestares patientiam, excepisses tamen linguam. Vbi est sacra illa vox tua: Mori enim naturae finis est, non poena? hoc tibi vni non liquet? At videris Antonio persuasisse. Assere te potius libertati, & vnum crimen inimico adiice. Fac Antonium moriendo nocentiorem. *P. Asprenatis.* Vt Antonius Ciceroni parcat, Cicero ipse eloquentiam suam animaduertet? Quid autē tibi sub hac pactione promittitur? Vt Cn. Pompeius & M. Cato, & ille antiquus restituatur Reipublicae Senatus, dignissimus apud quem Cicero loqueretur? Multos victuros animi sui contemptus oppressit: multos perituros parati ad pereundum animi ipsa admiratio eripuit: & causa illis viuēdi fuit, fortiter mori. Permitte te populo Romano contra Antonium. Si scripta combusseris, Antonius paucos annos tibi promittit: at si non combusseris, populus Romanus omnes. *Pompeij Silonis.* Quale est vt perdamus eloquentiam Ciceronis, fidem sequamur Antonij? misericordiam tu ista vocas, supplicium summum ingenio Ciceronis? Credamus Antonio, Cicero, si bene illi pecunias crediderunt feneratores, si bene pacem Brutus & Cassius. hominem & vitio naturae, & licentia temporum insanientem, inter scenicos amores ciuili sanguine luxuriantem: hominem, qui creditoribus suis oppignorauit Rempublicam, cuius gulae duorum principum bona, Caesaris & Pompeij, non potuerūt satisfacere. Tuis vtar Cicero verbis: Cara est cuiquam salus, quam aut dare, aut eripere potest Antonius? Non est tanti seruare Ciceronem, vt seruatum Antonio debeam. *Triarij.* Compulsus aliquādo populus Romanus in eam necessitatem est, vt nihil haberet praeter Iouem obsessum & Camillū exulem: nullum tamen fuit Camilli opus maius, quàm quòd indignum putauit viro, salutē pactioni debere. O grauem vitam, etiam si sine pretio daretur. Antonius hostis a Republica iudicatus, nunc hostem Rempublicam iudicat. Lepidus, ne quis putet illum male Antonio collegam placuisse, alienae semper dementiae accessio, vtriusque collegae mancipium, noster dominus. *Argentarij.* Nihil Antonio credendum est. mentior: quid enim iste non potest, qui occidere Ciceronem potest? qui seruare, nisi crudelius, quàm occidebat, non potest? Ignoscētem tibi illum putas, qui ingenio tuo irascitur? ab hoc tu speras vitam, cui nondum verba tua exciderunt? Vt corpus, quod fragile & caducū est, seruetur, pereat ingenium, quod aeternum est? ego mirabar, si non supplicio crudelior esset Antonij venia. P. Scipionem a maioribus suis desciscentem generosa mors in numerum Scipionum reposuit. Mortem tibi remittit, vt id pereat, quod solum in te immortale est. Qualis est pactio? Aufertur Ciceroni ingenium sine vita: promittuntur obliuione nominis tui pauci seruituris anni. Non ille te viuere vult, sed facere ingenij tui superstitem. Viue, vt Cicero audiat Lepidum, Cicero audiat Antonium, nemo Ciceronem. Pati poteris, vt quod in te optimum habes, ante te efferas? Sine durare post te ingenium tuum, perpetuam Antonij proscriptionem. *Arellij Fusci.* Quoad humanum genus incolume manserit, quamdiu vsus litteris, honor summae eloquentiae pretium erit: quamdiu Reip. nostrae aut fortuna steterit, aut memoria durauerit, admirabile posteris vigebit ingenium, & vno proscriptus saeculo proscribes Antonium omnibus. Crede mihi, vilissima pars tui est, quae tibi vel eripi, vel donari potest. Ille verus est Cicero, quem proscribi Antonius non putat, nisi a Cicerone posse. Non ille tibi remittit proscriptionē, sed tolli desiderat suam. Si fidem deceperit Antonius, morieris: si praestiterit, seruies. Quod ad me attinet, fallere malo. Per te M. Tulli, per quattuor & sexaginta annos pulchre actos, per salutarem Reipub. consulatum, per aeternam, si pateris, ingenij tui memoriam, per Rempubl. quae ne quid te putes carum relinquere, ante te periit, oro, & obtestor, ne moriaris confessus quòd nolueris mori.

HVIVS suasoriae alteram partem neminem scio declamasse: omnes pro libris Ciceronis

ſolliciti fuerunt, nemo pro ipſo, cum adeo illa pars noo ſit mala, vt Cicero, ſi haec condicio ei lata fuiſſet, deliberaturus noo fuerit. Itaque hanc ſuaſoriam nemo declamauit efficacius quàm Silo Pompeius. oon enim ad illa ſpecioſa ſe contulit, ad quae *Ceſtius*: qui dixit, hoc grauius eſſe ſupplicium quàm mortem, & ideo hoc Antonium eligere, breuem eſſe vitam homini, multo magis ſeni. ita memotiae conſulendum, quae magnis viris aeternitatem promitteret. ooo qualibet mercede vitam tedimendam: & has condiciones intolerabiles eſſe. omnia potius ſubeuoda, quàm moouméta ingenij ſui ipſum exurere. Iniuriam illum facturum populo Romano, cuius linguam in tantum extuliſſet, vt inſolentis Graeciae ſtudia tanto antecederet eloquentia, quanto fortuna: iniuriam facturum generi humano. paenitentiam illum acturum tam care ſpiritus empti, cum in ſeruitute ſeneſcendum fuiſſet. in hoc vnum eloquentia vtendum, vt laudaret Antonium. Male cum illi ait, dare vitam, eripi ingegium. *Silo Pompeius* ſic egit, vt diceret, Antonium noo paciſci, ſed illudere: noo eſſe illam condicionem, ſed cootumeliam. combuſtis enim libris, nihilominus occiſurum. non eſſe tam ſtultum Antonium, vt putaret ad rem pertinere, libros a Cicetone comburi, cuius ſcripta per totum orbem celebrarentur, & hoc petere eum quod poſſet ipſe facere: niſi forte non eſſet in ſcripta Ciceronis is, qui eſſet in Ciceronem. Quare nihil aliud eum agere, quàm vt ille Cicero multa fortiter de mortis contemptu locutus, ad turpes condiciones perductus occideretur. Antonium illi ooo vitam cum condiciooe promittere, ſed mortem ſub infamia quaerere. Itaque quod turpiter poſtea paſſurus eſſet, nunc illum fortiter debere pati. Et haec ſuaſoria inſignita eſt. Dixit enim ſententiam cacozeliae genere humillimo & ſordidiſſimo, quod detractu, aut adiectione ſyllabae facit ſenſum. Pro facinus indignum. peribit ergo quod Cicero ſcripſit, manebit quod Antonius proſcripſit? Apud Ceſtium Praetorem declamabat hanc ſuaſoriam Surdinus, ingenioſus adoleſcens, a quo Graecae fabulae eleganter in Latinum ſermonem conuerſae ſunt. Solebat dulces ſententias dicere, frequentius tamen praedulces & infractas. In hac ſuaſoria cum iuſiurandum bellis ſenſibus prioribus complexus eſſet, adiecit: Ita te legam. *Ceſtius*, homo naſutiſſimus, diſſimulauit exaudiſſe ſe, vt adoleſcétem ornatū quaſi imprudens obiurgaret: quid dixiſti? quid? ita te fruar. Erat autem Ceſtius nullius quidem ingenij, Ciceroni etiam infeſtus: quod illi noo impune ceſſit. nam cum M. Tull. filius Ciceronis Aſiam obtineret, homo qui nihil ex paterno ingenio habuit praeter vrbanitatem, cenabat apud eum Ceſtius. M. Tullio & oatura memoriam dempſerat: & ebrietas ſi quid ex ea ſupererat, ſubducebat: ſubinde ioterrogabat, Quis ille vocaretur qui in imo recumberet: & cum ſaepe ſubiectum nomen Ceſtij excidiſſet, nouiſſime ſeruus vt aliqua nota memoriam eius faceret certiorem, interrogāti domino, quis ille eſſet qui in imo recumberet, ait: Hic eſt Ceſtius qui patrem tuum negabat litteras ſciſſe. afferri protinus flagra iuſſit, & Ciceroni, vt oportuit, de corio Ceſtij ſatisfecit. Erat auté etiam ibi Pietas, Niger, & Cotula. Hybriae diſertiſſimi viri filio male apud ſe cauſam agēti. ΑΤΗΜΗΟΝ ΠΑΤΗΡΩΝ. & cum in quadam poſtulatione Hybrias de paritate ſtultorum locum ad litteram omoibus agnoſcentibus diceret: Age, inquit, noo putas me ſcripta didiciſſe patris mei: Quouſque tandem abutere Catilioa patientia noſtra? *Gargonius* amabiliſſimus in hac ſuaſoria dixit duas res, quibus ſtultiores oe ipſe quidem vnquam dixerat. vnā in priocipio. nam cum coepiſſet ſcholaſticorum frequētiſſimo iam more a iureiurando, & dixiſſet multa: Ita quamprimū tantum timeat, quantum poteſt, ita aut totus viuat Cicero, aut totus moriatur, vt ego quae bodie pro Ciceroois ingenio dixero, nulla pactione delebo. Alteram rem dixit, cum exempla referret eorum qui fortiter perierant: Iuba & Petreius, mutuis vulneribus coocurrerunt, & mortes fenerauerunt.

SVASORIARVM FINIS.

EXCER-

EXCERPTA EX LIBRIS CONTROVERSIARVM M. ANNAEI SENECAE, QVAE HACTENVS L. ANNAEO SENECAE Declamationum titulo adſcripta ſunt.

Ex LIB. I. CONTROVERSIARVM.

Declamatio I. *Patruus abdicans.*

Lex. Liberi parentes alant, aut vinciantur. Thema. Reſpondet contr. 1. li. 1. *Duo fratres inter ſe diſſidebant: alteri filius erat. Patruus in egeſtatem incidit. Patre vetante, adoleſcens illum aluit, ob hoc abdicatus tacuit. Adoptatus a patruo eſt. Patruus accepta hereditate, locuples factus eſt. Egere coepit pater. Vetante patruo aluit illum adoleſcens. Abdicatur.* C. D.

Declamatio. Eo iam perductus erat, vt omnem ſpem vltimorum alimentorum in ea ſola domo poneret, in qua habebat abdicatum & inimicum. Ipſe, inquit, me ali vetuit. Imitationem alienae culpae, innocẽtiam vocas. Omnis inſtabilis & incerta felicitas eſt. Quis crederet iacentem ſuper crepidinem Marium, aut fuiſſe conſulem, aut futurum? Quid non timendũ felicibus putas? Quid deſperandum infelicibus? Ne circa plura inſtabilis fortunae exempla te mittam, vide quis alimẽta rogetur, & quis roget. Nõ ſum hoſpes grauis. Vnum ſenem aduoco. Hoc tibi vitio placui pater. Perierat totus orbis, niſi iram finiret miſericordia. [a] Iactatus inter duos patres, vtriusq; filius, ſemper tamen felicioris abdicatus. Illud tamen pater deos teſtor, diuitem te relinquo. Circumibo tecum pater aliena limina. Oſtendam omnibus, & me qui alimenta dedi, & te qui negaſti. Abdicari non poſſum ob id quod feci, lege cogẽte. Quid ſi flere me vetes, cum vidi hominem calamitoſum? Non ſunt affectus noſtri in noſtra poteſtate. Quaedam iura non ſcripta, ſed ſcriptis omnibus certiora ſunt.

Pars altera. Creſcere ex mea propoſuit inuidia homo, qui ſe melius iactare poteſt, quàm defendere. Iuſtus meus metus; ne herẽdem ingratum ſcribam, inimicum relinquam. Etiam ſi tu non odiſti eum, qui fecit mihi iniuriam: ego odi illum, qui fecit tibi. Deſinit eſſe filius, qui non tantum a patre abdicatus, ſed ab alio adoptatus eſt. Audite quàm valde eguerim. Fratrem rogaui. Quis es tu, qui de facto patrum feras ſententiam? Ad te arbitrum odia noſtra non mittimus. Iudices deos habemus.

Extra. [a] *Alfius Flauus* praetextatus apud Ceſtium controuerſias declamãbat. [b] Semper autem commẽdabat eloquentiam eius aliqua res extra eloquentiam. In puero eloquentiae lenocinium erat ingenij aetas.

Declamatio II. *Sacerdos proſtituta.*

Lex. [a] Sacerdos casta e castis, pura e puris sit. Thema. *Quaedã virgo a piratis capta veniit. Empta a lenone, & proſtituta eſt. Veniẽtes ad ſe exorabat ſtipem. Militẽ qui ad ſe venerat, cum exorare non poſſet, eum luctãtem & vim inferre volentẽ occidit.* [b] *Accuſata, abſoluta, & remiſſa ad ſuos eſt. Petit ſacerdotium. Contradicitur.* Côtr. 2. li. 1.

Declamatio. [c] Sacerdos veſtra adhuc in lupanari viueret, niſi hominem occidiſſet. [d] Quo mihi ſacerdotem, cuius precaria caſtitas eſt? Id enim deerat, vt eas templa recipiant, quas aut carcer, aut lupanar eiecit. Indignam te ſacerdotio dicerem, ſi tranſiſſes per lupanar. [e] Fortuna, inquit, pati coegit, & miſereri debent omnes mei. At nos non facimus miſerandas ſacerdotes. Nec eſt apud nos maximus honor vltimorum malorum ſolatium. Ita domi cuſtodita eſt, vt rapi poſſet. [e] Ita curae fuit ſuis, vt rapta nõ redimeretur: ita raptae pepercere piratae, vt lenoni venderent: ſic emit leno, vt proſtitueret: ſic venientes deprecata eſt, vt ferro opus eſſet. Mouet me reſpectus omnium virginum, [f] ſi in ciuitate nulla inueniri poterit, nec meretrice caſtior, nec homicida purior. Nulla eſt ſatis pudica, de qua quaeritur. Omnes, inquit, exoraui. Si quis dubitat an meretrix eſſet, audiat quàm blanda ſit. [g] Putemus tres ſacerdotium petere, vnam quae capta ſit: alteram quae proſtiterit: tertiam quae hominem occiderit. Omnibus nego.

Pars altera. Voluerunt Dij eſſe miraculo, in captiua libertatem, in proſtituta pudicitiam, in homicida innocentiam. Narrent ſane omnes tanquam ad proſtitutam veniſſe,

dum tanquam a sacerdote discesserint: quàm pudica sit, miles ostendit: quàm innocens, iudex: quàm felix, reditus. Inter tot pericula [h] dij non seruassent, nisi sibi seruaturi fuissent. Totum populus ad seruandam pudicitiam contulit, quicquid ad violandam attulerat. [i] Dicat diis pudicitiam quibus debet.

EXTRA. Longe recedendum est ab omni obscoenitate & verborum & sensuum. [k] Quaedam satius est, causae detrimento tacere, quàm verecundiae dicere.

DECLAMATIO III. *Incesta de saxo.*

Cont.3.li.1. LEX. INCESTA DE SAXO DEIICIATVR. Thema. *Incesti damnata antequam deiiceretur, Vestam inuocauit: deiecta vixit. Repetitur ad poenam. Contradicitur.*

DECLAMATIO. Id enim deerat, vt modestior in saxo esset, quàm in sacrario fuerat. Dubitari non potest, quin vsque deiicienda sit, donec efficiatur, ptopter quod deiecta est. [a] Patrociniū suum putat pereundi infelicitatem. Quid tibi importuna mulier imprecer? nisi vt ne bis quidem deiecta pereas. [b] Exponam cum quo stuprum, vel quando commiserit. Quia probaui ista, damnastis. Nō putas legem cauisse vt perires, quae cauit quemadmodum perires? Male de diis existimas, si sacerdoti suae tam sero succurrunt. Ita dij maluerūt absoluere damnatam, quàm sacerdotem?

PARS ALTERA. Damnata deiecta est, absoluta descendit. Putates puellam non deiici, sed demitti. Lex sacerdotem [c] non ad saxum vsque differret, nisi sententiam deorum expectaret. Erat altitudo montis, [d] etiam secure despicientibus horrenda.

DECLAMATIO IIII. *Fortis sine manibus.*

Cont.4.li.1. LEX. ADVLTERVM CVM ADVLTERA QVI DEPREHENDERIT, DVM VTRVNQVE CORPVS INTERFICIAT, SINE FRAVDE SIT. [a] LICEAT ADVLTERIVM IN MATRE ET FILIO VINDICARE. Thema. *Vir fortis in bello manus perdidit: deprehendit adulterum cum vxore, de qua filium adolescētem habebat: imperauit filio, vt occideret. Non occidit. Adulter effugit. Abdicat filium.* C.D.

DECLAMATIO. Solus ego ex omnibus maritis nec dimisi adulteros, nec occidi. Quis non putet, [b] aut me sine filio fuisse, aut filium sine manibus? [c] Conceptus est iste: [d] ex quo sciemus, cum adulteros deptehēdero. Tunc primū sensi me manus perdidisse. In bello meas, domi etiam filij manus perdidi. Tam frustra ad filium, quàm ad gladiū cucurri. In bella non venit, & ante patriae quàm patri negauit manus. Vsque eo pugnauit pro vobis, vt pro se non posset. Adolescens quos dimisisti, sequere. Non potui, inquit, matrem occidere. Quo sis excusatior, adiice, & patrem.

PARS ALTERA. Alterum putaui parricidium, matrem coram patre occidere. Non semper scelera nostri sunt iuris. [e] Atroces quoque animos misericors natura debilitat. In tam inopinati flagitij spectaculo, toto corpore stupui. Patet, tibi manus defuerunt, mihi omnia. [f] priusquā in me reuerteter, exierunt. Maius erat scelus quod imperabas, quàm quod deprehenderas. Si quid exegeris maius viribus meis, dicam, Ignosce, non possum. Ignoscit filio pater, nauigationem recusanti, si non ferat mare: ignoscit non sequenti castra, si non potest, quamuis ipse pater militaris sit. Ipsam legem recita. LICEAT ET MARITO, LICEAT ET FILIO. Quare tam multos nominat, nisi quia aliquos putat esse, qui nō possint? Exierunt adulteri inter patrem debilem & filium stupentem.

DECLAMATIO V. *Raptor duarum.*

Cont.5.li.1. LEX. RAPTA, RAPTORIS [a] AVT MORTEM, AVT INDOTATAS NVPTIAS OPTET. *Vna nocte quidam rapuit duas.* [b] *Altera mortem optat, altera nuptias.*

DECLAMATIO. Stupro accusatur, stupro defenditur. Cum altera rapta litigat, alteram aduocat. Vindicate patres. Fortior publicae disciplinae seueritas surgat, iam binae rapiuntur. Coit populus, velut publico metu territus, vix credens duos fuisse raptores. Alteram iniuriae rapuit, alteram patrocinio. Perieras iam raptor, ni bis perire meruisses. Si te ante rapuisset, & nuptias optasses, [c] deinde hanc vitiasset antequam nuberes, negares illum, iubente rapta, debere mori? Nihil amplius raptori praestare potes, quàm ne lege tua pereat. Contra alienam legem nullum ius habes. Tu raptori praestas, vt illum ipsa non occidas. Non potes praestare, ne quis occidat.

PARS ALTERA. Inter pares sententias mitior vincat. Refer Virginiam, dic Lucretiam. Plures tamen Sabinae sunt. Contumeliosum mihi erit, te dignam videri, in cuius honorem homo occidatur: me dignam non videri, in cuius honorem seruetur.

DECLAMATIO VI. *Archipiratae filia.*

CAPTVS *a piratis scripsit de redemptione. non redimebatur. Archipiratae filia eum iurare coegit, vt duceret se vxorem, si dimissus esset.*[a] *iurauit. Relicto patre secuta est adolescentem. Duxit illam. Orba incidit. Pater imperat, vt archipiratae filiam dimittat, & orbam ducat. nolentem abdicat.* Cont.6.li.1.

DECLAMATIO. Bonae spei vxor, bonae spei nurus, quae vel amare potest captiuum, vel odisse patrem. In carcere, inquit, ac tenebris iacebam.[b] Narra, obsecro, soceri beneficia. puella non misericordia mota est, sed libidine.

PARS ALTERA. Eo me loco non deseruit, in quem & pater venire timuit. Vidisses mēbra vinculis pressa, macie retractos introrsus oculos, attritas cathenis & inutiles manus: talē quis amare,[c] nisi misericors, potest? In tot cōsulatibus Marius nihil habet clarius, quàm se auctorem. Pompeium, si hereditariae extulisset imagines, nemo Magnū dixisset. Seruium regem tulit Roma. Quid tibi videntur illi rapti ab aratro, qui paupertate sua beatam fecere rempublicam? Non possumus vna felices esse: quod solemus, vna infelices erimus.

DECLAMATIO VII. *A piratis tyrannicida dimissus.*

LEX. LIBERI PARENTES ALANT, AVT VINCIANTVR. *Quidam alterum fratrem tyrannum, alterum in adulterio deprehensum, deprecante patre, interfecit. A piratis captus scripsit patri de redemptione. Pater piratis epistolam misit, si praecidissent ei manus, duplam pecuniam se daturum. Piratae illum dimiserunt. Pater in egestatem incidit, petit alimenta. Negantem vult in vincula ducere. C. D.* Cont.7.li.1.

DECLAMATIO.[a] *Si praecideritis.* Si irasceris, potius scribe: *Si occideritis.*[b] Tyrānicida exitum tyranni rogo. non timeo, ne quas manus piratae soluerūt, iudices alligent. Pro adultero filio rogas. Quaerite nūc, quomodo tyranni fiant. *Duplam dabo.* Apparet, pro vnico filio rogat. *Duplam dabo:* alteram pro filio, alteram pro tyrannicida. *Si manus praecideritis.* Hoc nec adultero fecimus, nec tyranno.[c] Etiamnum manus meas petis? Nega tuam esse epistolam. & habes argumentum. dic: Ego rogare etiam pro adultero soleo. Remiserunt me Reipublicae cum manibus, patri cum epistolis. Hoc nostro seculo ad fabulas deerat, vt narraretur aliquis solutus a piratis, alligatus a patre. Eius crudelitatis emptor, cuius nec pirata vēditor. *Duplam dabo.* Quid necesse est? potui vilius solui. *Vt praecidatis manus.* Obstupuere praedones, &, Indica, inquiunt, patri, non omnia piratas vendere. Qualem optem patrem, nescio. Diues debilitat, egens alligat.[d] Neutrum manibus meis expedit. Vbi est patrimonium tuum, quo tyrannos instruis, quo adulteros facis?

PARS ALTERA. Suscepi tria prodigia, inter me & se furētia. Vnum, qui posset patriam opprimere: alium, qui fratrem violare: alium, qui patrem. Lex haec scripta est pro malis patribus. Nam boni etiam sine lege aluntur. Sciebam piratas non facturos, nisi pecuniam accepissent: & si sperassent, vtique praecidissent. Non ira illa patris, sed calliditas fuit. Vnde redimerem, non habebam. Rogare in tam auara ciuitate neminem poteram,[e] in qua nec filij quidem patres alunt. vsus consilio sum, sciens piratas non crudeles, sed auaros. feci vt desperarent, quòd posses redimi. An prudenter cogitauerim, nescio. interim feliciter cogitaui. Exclusa mens est, ex quo vidi vnum in arce filium, alterum in adulterio, tertium in parricidio, Relictus solus ex his senex.

EXTRA. Hic color approbandus est impetu. Magna enim vi opus est, vt aliquis accusando se miserabilem faciat. *Sparsum* memini hominem inter scholasticos insanum, inter sanos scholasticum.

DECLAMATIO VIII. *Ter fortis.*

LEX. QVI TER FORTITER FECERIT, MILITIA VACET. *Ter pater fortem in acie, quarto volentem exire retinet: nolentem abdicat.* Cont.8.li.1.

DECLAMATIO. Quod patriae superest, patri vindico. O me, filio pugnāte, lassum.[a] Iam pro te nescio quid etiā lex timet. Miraris, si quod legi satis est, patri nimis est. Causa mihi abdicādi est, ne sine filio viuā. Abdicatio mea in potestate abdicati est. Optimus virtutis finis est,

antequam deficias, desinere. Lex quoque ter viro forti aut diffidit, aut consulit.

[b] PARS ALTERA. Certe abdicatis pugnare licet. Pudet me, ter victi militant. Senator post sexagesimum & quintum annum in curiam venire non cogitur, nec vetatur. Quicquid honoris nomine datur, in vtranque partem licet. Alioquin desinit praemium esse, cui necessitas iniungitur. Otium imperas animo non otioso. Tumultus exortus est. In me omnium ciuium dirigũtur oculi: & adhuc, verum dicendum est, nihil mihi patria debet. Nunquam pugnaui, nisi coactus. Adhuc militia mea legis munus est. Athenienses abdicato vicerũt duce. [c] Quantum interest! Ille abdicationem virtute deleuit, ego merui.

EX LIBRO SECVNDO
CONTROVERSIARVM.

DECLAMATIO I. [a] *Adoptandus post tres abdicatos.*

Cont. 1. li. 2. DIVES *tres filios abdicauit, petiit a paupere vnicum in adoptionem. Pauper dare vult: nolentem ire, abdicat. Contradicitur.*

DECLAMATIO. Nunquam futurum putaui, vt aut pater meus liberos odisset, aut diues concupisceret. Diu dubitaui, ille amicum tentaret, an hic filium. Ita nos pauperes sumus, qui habemus quod diuites rogent? Si immerito abdicauit, odi patrem, tot eiicientem innocentes: si merito, odi domum tot facientem nocentes. [b] Amo aeque paupertatem ac patrem: vtrique assueui. Non tibi per multos fulta liberos domus est: quãquam nec sic quidem debuisti dare. Tutior aduersus fortunam est, cui aliquid post damnum superest. Abdico, inquit. apparet, vnde venias. Vna inter nos disputatio est: [c] Iste me dignum putat beato patre, ego me meo. Diuitem, inquit, esse te volo. O me abdicandum, si talem patrem relinquo. [d] Quid me videri velim, nescio. Innocentem? sed abdicor: nocentem? sed adoptor. Non vt in ceteris abdicationibus, in mea potestate est non abdicari. Perditurus sum patrem, si abdicor: perditurus sum, si non abdicor. Quid interest, vtrum eiiciar, an transferar? Et si parendum in omnibus patri, in eo non parẽdum, quo efficitur, ne pater sit. Graue est, carere vnico: [e] grauius eo, quem alius concupiscit. [i] Non delectant ignoti seruorum domino greges, nec sonantia laxi ruris ergastula. patrem gratis amo. Necesse est vt timeam infelicem liberis domum. Non potest inueniri reconciliationis aptius tempus. diues filios quaerit.

PARS ALTERA. [f] Magnum & hoc inter cetera paupertatis incommoda est, quòd abdicationem filius non timet. Senatorium gradum census ascẽdit. Census equitem Romanum a plebe secernit. Census in castris ordinem promouet. Censu iudex in foro legitur. Facilius est paupertatem laudare, quàm ferre. Si emendati, inquit, fuerint liberi mei, habebo hunc cum illis: si perseuerauerint, habebo pro illis.

EXTRA. Aridi declamatores fidelius quos proposuerint colores tuentur. nõ enim alicuius sententiae dulcedo subrepit, nullum schema sollicitat. Sic quae malam faciem habent, saepe pudicae sunt: nõ animus illis deest, sed corruptor. [g] *Gallus Vibius* fuit tam magnae olim eloquentiae, quàm postea insaniae. Cui hoc accidisse vni scio, vt ad insaniam [h] non casu caderet, sed iudicio perueniret. Nam dum insanos imitatur, dum lenocinium ingenij furorem putat, quod simulabat, ad verum redegit. *Otho Iunius* pater edidit quatuor libros colorum, quos belle Gallio noster Antiphontis libros vocat: tantum in illis somniorum est. *Syriacus* contra Maximum Stertinium a quo premebatur, cum comes eius fuisset, dixit: [k] Per annos quindecim in officio tuo fui, dic quid peccauerim? Sed haec est cõsuetudo vestra, iniuriam vocatis finem seruitutis.

DECLAMATIO II. *Iusiurandum mariti & vxoris.*

Cõtr. 2. li. 2. VIR *& vxor iurauerunt, vt si quid alteri accidisset, alter moreretur. Vir peregre profectus est, misit nuncium vxori, qui diceret se decessisse. Vxor se praecipitauit. Recreata, iubetur a patre virum relinquere. non vult. abdicatur.* C. D.

DECLAMATIO. Dij immortales, qua debetis prudentia humanum genus regitis: effecistis vt illud non periculum amantis esset, sed experimẽtum. Hos diuidere vult socer, [a] quos nec mors quidem diuidet. Moriar, inquit: habeo & causam, & exemplum. [b] Quaedam se maritorum rogis ardentibus miscuerunt: quaedam anima redemerunt maritorum suorum salutem, sollicitudine breui. [c] Inter has puella viua numeratur. Assidue contentiones

erant:

erant: Sine te viuere non possum: imo ego sine te. qui certantium exitus esse solet: iurauimus. Hic animus sine dubio iurantium fuit, vt viui non diducerentur: cum illud quoque cauerint, ne morte diuiderentur.

PARS ALTERA. Non possum, inquit, relinquere virum. Quid non potest, quae mori potest? Paene dum falsae mortis nuncium misit, verae recepit. Potes sine viro pati. peregrinationem eius tulisti. Iureiurando iam liberata es casu proximo.

EXTRA. *Ouidius Naso* apud Arellium Fuscum magistrum suum, hanc controuersiam declamauit. Nam Latronis admirator erat. Latro in praefatione quadam dixit: Non vides, vt immota fax torpescat, & ignes exagitata restituat. Mollit viros otium, ferrum situ rubiginem ducit. [d] Naso dixit:

Vidi ego iactatas mota face crescere flammas,
Et rursus, nullo concutiente mori.

Hic autem dixit: Quicquid laboris est, in hoc est, vt vxorem a viro, & virum ab vxore diligi concedas. Necesse est deinde, vt iurare permittas, si amare permiseris. *Eiusdem*: Pauca nosti, pater, crimina: & litigauimus aliquando, & cecidimus: & fortasse, quod non putas, peierauimus. Rogatus aliquando ab amicis suis, vt tolleret tres versus: petiuit inuicem, vt tres exciperet, in quos nihil illis liceret. Conscripserant illi quos tolli vellent, secreto: hic, quos tutos esse vellet. In vtrisque codicillis iidem versus erant: ex quibus primum fuisse narrabat Albinouanus Pedo, qui inter arbitros fuit,

Semibouemque virum, semiuirumque bouem. [e] Secundum:
Et gelidum Borean, egelidumque Notum.

Ex quo apparet, summi ingenij viro non iudicium defuisse ad compescendum licentiam carminum suorum, sed animum. Aiebat interim, decentiorem esse faciem, in qua aliquis naeuus esset.

DECLAMATIO III. *Raptor patrem non exorans.*

LEX. RAPTOR NISI ET SVVM ET RAPTAE PATREM INTRA TRICESIMVM DIEM EXORAVERIT, PEREAT. *Raptae patrem exorauit, suum non exorat. Reum facit dementiae.* C. D. Contr.3.li.2.

DECLAMATIO. Quid contremiscis senectus? Quid lingua trepidas? [a] Quid obtorpuistis oculi? Nondum est tricesimus dies. Ne tristiore quidem vultu expugnatam filiae pudicitiam tulit. Nimis cito exoratus est. Ne omnia vitia eius ab adolescentia repetam, virginē rapuit, patrem accusat. [b] Hoc intra triginta dies. [c] Putas me accusatori permissurum, quod filio negaui? Miraris dubitare patrem? Lex ipsa inter mortem & nuptias dubia est. [d] Semper enim sibi omnia licere credidit: nihil me vnquā rogauit. [e] Ignouit, inquit. Ita aliquis ante me rogatus est? Demens sum. Vides: nimirum turpiter viuo. Legem ignoro, dies tuos non numero. Demens, inquis, es. Potest aliquis ignoscere, sic roganti? Deliberabo cum amicis, deliberabo cum propinquis. Me miserum, [f] quàm paene promisi! O me miserum, [g] quòd tantum triginta diebus irasci possum! Quid mirum, si citius illum exorasti? facilius est donare iniuriam, quàm crimen. Procede in medium senex, cuius misericordia crudelis sum. Iam, inquit, angustum tempus est. & tibi vacat accusare? Sic aliquis exorat? sic deprecatur? Apparet te nunc primum rogare. Quid enim tanquam demens egi? Non sum exoratus. nondum transiuit tempus. etiamnum exorari possum. Quàm iniquum est, nondum esse me nocentem, & iam reum!

PARS ALTERA. Me miserum, pater. irae tuae detractum est nihil, tempori autem multum. Infelicior sum, quàm si neutrum exorassem. Si seruaturus es filium, iam tempus fuit: si occisurus, iam tempus est. [h] Prior rogatus est, qui magis timebatur.

DECLAMATIO IIII. *Nepos ex meretrice susceptus.*

ABDICAVIT *quidam filium. Abdicatus se contulit ad meretricem, & ex ea sustulit filium. aeger ad patrem misit. cum venisset, commendauit ei filium, & decessit. Pater post mortem illius in adoptionem recepit nepotem. Accusatur ab altero filio dementiae.* C. D. Con.4.li.2.

DECLAMATIO. Dementia in me noui generis arguitur: sanus eram, si nō agnoscerem meos. Expectabam, vt aliquis pro abdicato rogaret. Nemo audebat propinquorum, fratre cessante. Deficientis spiritus in aduentum meum sustinebatur. Intraui: iam cadentes oculos ad nomen meum erexit, fugientemque animam retinuit. In sinu meo & filium, & animam deposuit. Nuntiatum est mihi, in vltimis esse filium: nec hoc a fratre.

PARS ALTERA. Pater istius incertus est. bene cum ipso ageretur, si & mater. Incidit in meretricem, inter cetera malã & foecundam. Mulier, nescio, aduersus patrem iniuriosior sis, quòd abstulisti illi heredem, an quòd dedisti. Adoptauit eius filium, propter quam eiecerat suum.

DECLAMATIO V. *Torta a tyranno pro marito.*

Cõt.5.lib.2 TORTA *a tyranno vxor, nunquid de viri tyrannicidio sciret, perseuerauit negare. postea maritus eius tyrannum occidit. intra quinquennium non parientem, sterilitatis nomine dimisit. Agit illa ingrati.*

DECLAMATIO. Eas nuptias tyrannicidium diduxit, quas non diduxit tyrannus. Trahebantur matronae: rapiebantur virgines: nullae tunc videbantur feliciores, [a] quàm quae liberos non habebant. Suspicatus est hunc tyrannus de tyrannicidio cogitare, siue isti aliquid excidit, siue non bene tegit vultus magna consilia: tamen de vxoris garrulitate queri non potest, cum sciat quemadmodum taceat. Imposita in eculeum, saepius ad absentem virum respexit, quàm ad praesentem tyrannum. Explicatur totus aduersus infelicem feminam tyrannicae crudelitatis apparatus: & illa instrumenta, virorum quoque animos ipso visu frangentia, ad excutiendam muliebris pectoris scientiam proponuntur. Verberibus corpus abrumpitur. Nescio Respublica, an tibi liberos ista mulier datura sit: tyrannicidam dedit. Miraris, si transit quinquennium [b] inter vxorem tortam, & virum occupatum? Scissum corpus flagellis, igne adustum, tormentisque conuulsum. [c] Ignoscetis puto mulieri, si dixero, Fessa est. Quid tyrannicidio gloriaris? Facilius est tyrannum occidere, quàm sustinere. Verbera, laminae, eculei, quicquid antiqua saeuitia inuenerat, quicquid adiecerat noua, quid amplius dicam? [d] & tyrannus torquebat, cum de tyrannicidio quaereret. [e] Num premit censum onerosa sumptibus, & (vt seculi mos est) in deterius luxu fluente muliebris ambitio certamine mutuo, vsque in publica damna priuatis insanit? Nunquid gemmas, & ex alieno litore petitos lapillos? Expecta, potest parere. Non respondet ad certam diem foecunditas. Sui iuris rerum natura est. [f] Vtrum putas tuum mirandum esse tyrannicidium, an huius silentium?

PARS ALTERA. Ego torta sum, merito obiiceres, nisi te vindicassem: [g] etiam si scisti de tyrannicidio viri, nec indicasti, non est beneficium, scelus non facere. Deinde nec scisti. non enim tibi indicaui. Nec tam magnum consilium, virilibus quoque animis graue, commisi muliebri garrulitati: quae id solum potest tacere quod nescit. Quo tempore vxor torta est, nihil adhuc de tyrannicidio cogitabam: postea cogitaui. [h] Et haec ipsa mihi cogitandi causa fuit, vxoris vltio. Si quod audierat, tacuit, non beneficium est, sed fides.

EXTRA. *L. Vinitius*, quo nemo ciuis Romanus in agendis causis praesentius habuit ingenium. [i] Quicquid longa cogitatio illi praestatura erat, prima intentio animi dabat. Ex tẽpore causas agebat: sed non desiderabat hanc commendationem, vt ex tempore agere videretur. De hoc eleganter dixit diuus Augustus: L. Vinitius ingenium in numerato habet.

DECLAMATIO VI. *Pater & filius luxuriosi.*

Cõt.6.lib.2 QVIDAM *luxuriante filio luxuriari coepit. Accusatur a filio dementiae.* C. D.

DECLAMATIO. Accusator meus intra se contrarios haber affectus. Cupit reum damnari, crimen absolui. Sed tu senex, inqoit, hoc dicis: luxuria tua serius coepit, citius desinet. Quidã summum bonũ dixerunt voluptatẽ. Nihil est mihi opus praecipientibus. Habeo exemplũ. Ostendi tibi luxoriam, quam in te non videbas. Ebrietatem patri obiicis ebrius.

PARS ALTERA. Adolescens luxuriosus peccat: senex luxuriosus insanit. Nemo vitia quia odit, imitatur. Quis imperator ob hoc de praelio fugit, vt bene pugnaret exercitus? Nõ coercet vitia, qui prouocat. Meam luxuriam patri imputabo. Non sub seuera fui disciplina, non sub bene institutae domus lege, quae posset adolescentis formare mores, & a vitiis aetatis abducere. Quodammodo ad luxuriam a patre praemissus sum. Madent cani vnguento, & comessator senex nulli nimis luxuriosus, sed parum sanus videtur.

DECLAMATIO VII. *Peregrinus negotiator.*

Cõt.7.lib.2 QVIDAM *cum haberet formosam vxorem, peregre profectus est. In viciniam mulieris peregrinus mercator migrauit: ter illam appellauit de stupro, adiectis pretiis. Negauit illa. Decessit negotiator,*

testamento omnibus bonis eam reliquit heredem: & adiecit elogium, QVIA PVDICAM COMPERI. *Adit hereditatem.* [a] *redit maritus: accusat adulterij vxorem ex suspicione.*

DECLAMATIO. Seram querelam detuli. Non accuso adulteram, nisi diuitem factam. Post tantos impudicitiae quaestus, si tacere possum, confitendum habeo, hac me causa abfuisse. Tempus est de vxore marito credi. Ferat matrona oculos iacētes in terram: & aduersus officiosum salutatorem, inhumana potius quàm verecunda sit: longe ante suam impudicitiam ore, quàm verbo neget. Nemo fortiter negantem iterum togauit. Omnium bonorum heres sola esto, quia corrumpi nō potuisti, quia tam fideliter pudicitiam custodisti. Tace paulisper nomen autoris. Nunquam non testamentum viri creditur? Adeo ne iam omnis patiētia seculi nostri abiit, vt aduersus querimoniam viri, alieno teste defendatur vxor? Muliebrium vitiorum fundamentum auaritia est. Quae potest non timere opinionem adulterij, potest non timere adulterium. Ex omni rupe conchylium trahitur, quo vestis cruentetur. Infelices ancillarum greges laborant, vt adultera tenui veste perspicua sit: & nihil in corpore vxoris suae plus maritus, quàm quilibet alienus peregrinusque agnouerit. [b] Frustra aestimabo esse indicia, si tantum qui rogat, comperit pudicam. Omnes te impudicam loquuntur: pudicam tantum vnus, & peregrinus. cui plus laudatot quàm accusatot nocet. Vxotem meā nusquam audiui pudicam, nisi in adulteri elogio. Deiice in terram oculos, & aures tuas externorum vocibus claude. Sibi quisque pro te neget. Pudicam ille dixit, ego impudicam. Puto, plus creditis ciui, quàm peregrino: marito, quàm adultero. Ipsum elogium corruptoris animo scripsit: QVIA PVDICAM, inquit, COMPERI, quod nulli praeter me contigit.

PARS ALTERA. Formosa est: hoc natura peccauit. Sine viro fuit: hoc maritus peccauit. Appellata est: hoc alius peccauit. Negauit: hoc pudice. Heres relicta est: hoc feliciter. Hereditatem adiit: hoc consulto fecit.

EX LIBRO SEPTIMO
CONTROVERSIARVM.

DECLAMATIO I. *Ab archipirata filio dimissus.*

DVOBVS *filiis quidam superduxit nouercam. Alterum domi parricidij damnauit: tradidit fratri puniendum. ille eum exarmato nauigio imposuit. Delatus adolescens ad piratas, archipirata factus peregrinantem patrem cepit, & remisit. Reuersus pater, abdicat filium.* Cōt.1.lib.7

DECLAMATIO. Tanta tempestate confusus, dispicere nihil potui: nec satis memineram, tale ministerium mihi pater an noueica mandasset: ministerium an poenam esse voluisset, vindictam parricidij, an parricidium. Insui fratrem culeo iubes? non possum. Non ignoscis, an non credis? ego contendo ne te quidem posse. Nemo repertus est naufragij comes. omnia instrumenta circumcisa sunt. Adminiculum spei nullum. Patri sum excusandus, an fratri? Hoc pietatis tuae munus ad infestos perferam, [a] licuisse mihi per fratrem aliter quàm parricidae mori. Viuit, inquit, frater. non credo. Seruauit, inquit, me. fecisti vt crederem. In domo, in qua tamen facile parricidium creditum est, [b] ego fratrem occidere non potui, fratter patrem. Emicabant densis vndique nubibus fulmina, & [c] tēpestates horridae absconderant diem, intumuerat mare, iustis quoque nauigiis horrendum. Habes, inquam, frater, si innocens es, nauigium: si nocens, culeum. [d] Non potui facere parricidium. quàm facile erramus omnes, & factum putaui. Frater, inquit, tu primus in domo parricidium facies. Iacebat in litore nauigium, quod etiam integrum infeliciter vexerat. Credam parricidam, si tibi proficiscenti nauigium suum reddidit. Subito mihi cum animo pariter excidit ferrum, & nescio qua perturbatione tenebrae stupentibus offunduntur oculis. intellexi quàm difficile esset parricidium facere, etiam quod imperasset pater. Ita mihi, quae sola miseros in domo nostra respicit, fortuna succurrat. Profectus pater tranquillo mari, auspicato itinere, integra naui. Quid hoc est? felicius nauigauit damnatus, quàm qui damnauerat? [e] Vtrum videtur vobis innocentiā apud piratas didicisse, an ne apud piratas quidē perdidisse? Perieras pater, nisi in parricidam incidisses. Scissa quoq; vela fecerāt sinus, & instructas classes naufraga praecesserat nauis. Scires nauigare, qui seruaturus esset patrem. Erat nauigium, imo fuerat, o crudelis & pertinax nouerca, [f] nihilominus saeuis! maria iam quiescunt, praedones miserentur, irati parcunt. Veni ad vos, vt probem me parricidam. Multas rerum natura mortis vias aperuit, & multis itineribus fata decurrunt. O maria iustiora iudiciis! O mitiores procellae

patre! [f] Non putatis misericordem,qui quem damnauit,fratri puniendum dedit? Centurio Mithridatem non potuit occidere:Mithridatem, dij boni, quàm non dubium parricidam! Gaude pater, neuter ex filiis tuis parricidium fecit. Narra pater, quomodo te dimiserit, sic dimissus. [h] Nocens est iste,sed mihi frater est. Naturae iura sacra sunt,etiam apud piratas. Dixisses,inquit,te non posse. Ita tu nesciebas? Non licuit,non debui,non potui.

PARS ALTERA. Nega nunc parricidam fuisse, quem scis esse piratam. Dimisit me in patrocinium suum, vt quia non occiderat, videretur nec ante voluisse. Quis porro me vno miserior est? Vitam parricidae debeo.

EXTRA. Magna bonorum rhetorum manus in hanc partem transiit,vt aliquid dici debuerit in nouercam. Fuerunt & illi,qui non quidem palam dicerent, sed per suspicionem & figuras:quod *Passienus* non probabat, asserens minus verecundum esse aut tolerabile, infamare nouercam,quàm accusare. Quidam principia tantum habuerunt in sua potestate,post ablati sunt impetu. Excusatius est autem,in malum colorẽ incidere, quàm transire. *Hispanus* duro colore vsus, hoc se tanquam grauius elegisse dixit supplicij genus.qui color prudentibus displicebat. Quam enim spem habeat absolutionis, si nec paruit,nec pepercit?

DECLAMATIO II. *Popilius Ciceronis interfector.*

Côt.1.lib.7

DE MORIBVS SIT ACTIO. *Popilium parricidij reum Cicero defendit: absolutus est. Proscriptum Tullium ab Antonio missus occidit: caput ad Antonium retulit. Accusatur de moribus.*

DECLAMATIO. Occidit Ciceronem Popilius. Iam ne crediris occisum ab isto patrẽ? Occisurus Ciceronem debuit incipere a patre. Antonius,inquit,iussit. Non te pudet Popili. Imperator tuus te credidit posse parricidium facere. Abscidit caput,amputauit manum. Minus in illo crimen est, quòd Ciceronem occidit. Prò dij boni, occisum Ciceronem malos mores voco. Hoc vnum feliciter,quòd ante occidisti patrem,quàm Ciceronẽ. Facilius pro parricida Cicero iudicem mouit, quàm pro se clientem. Ad vos hoc patroni spectat exemplum. Nullos magis odit Popilius,quàm quibus plurimum debet. Abscidit ceruices. Parce iam Popili. Nihil tibi, nisi occidendum mãdauit Antonius. Pudeat te Popili. accusator tuus viuit. Non credidisset Popilium facturum Antonius,nisi parricidium fecisse meminisset. Dij manes Popilij senis,& inultae patris vmbrae, te Cicero persequuntur: vt quem negasti, sentias parricidam. Non hausit Minturnensis palus exulem Marium. Cimber etiam in capto vidit imperantem. Cñ. Pompeius terrarum marisque domitor,libenter se Hortensij clientem professus est. Et Hortensius bona Pompeij,non Pompeium defenderat. Ita tu Popili,si Antonius iussisset,& patrem occidisses?

PARS ALTERA. Si illa tempora in crimen vocas,dicis non de hominis, sed de reipublicae moribus. Miraris,si eo tempore necesse fuit Popilio occidere,quo Ciceroni mori? Ciceronis proscriptio fuit occidi:mea,occidere. Iussit imperator, iussit victor. Ego illi negare quicquam possem,cui nihil negare poterat Respublica?

EXTRA. Popilium pauci ex historicis tradiderunt interfectorem Ciceronis: & hi quoque non parricidij reum, [a] a Cicerone defensum,sed in priuato iudicio.

DECLAMATIO III. *Ter abdicatus venenum terens.*

Con.3.li.7.

TER *abdicatus,ter absolutus, comprehensus est in secreta domus parte a patre, medicamentum terens. interrogatus quid esset? ait, venenum: velle se mori. & effudit. Accusatur parricidij.*

DECLAMATIO. Dic quid commiserim. [a] certe nec secreta fallunt. Vt interuenit pater,in has cogitationes abij: Quisquam ne tam infelix fuit, quisquam ne me magis odit quã ego? Misereri mei coepi. Ter causam dixi. [b] Accessit ad haec supplicia mea venenum. Viuã, si nec hoc tibi satis est. Habuit venenum Mithridates,habuit Demosthenes.

PARS ALTERA. Cum se mori velle dicat,vitam rogat. Teneo parricidam,etiam in suã mortem paratum. Quantum est quod negas,cum tantum sit quod fateris? Venenum quaesisti,venenum emisti, venenum intulisti in eam domum, in qua habebas inimicũ patrem. Indica,quis vendiderit. dicetur illi:Tu vendebas cuiquam venenum? Tu abdicato? nesciebas cui daturus esset? quaeritis,cui venenum parauerit? non bibit. [c] Quod negat,parricidium est: quod confitetur,veneficium. [d] Mihi,inquit,paraui.ne quis dubitet,an alium possit occidere. Tam inuisum tibi fuisse patrem dico, vt occidere volueris: tam inuisum ipse confiteris, vt mori volueris.

EXTRA

Extra. Coniectura duplex a perſona. vna, an ſibi parauerit, an patri. *Laberium* diuus Iulius ludis ſuis mimum produxit: deinde equeſtri ordini reddidit. quem cum iuſſiſſet ire ſeſſum, omnes equites ita ſe coarctaueruot, vt venientem non reciperent. Multos tunc in ſenatum legerat Caeſar, & vt repleret exhauſtum ciuili bello ordinem, & vt his qui bene de partibus meruerant, gratiam referret. Cicero in vtranque rem iocatus, mandauit Laberio tranſeunti: Recepiſſem te, niſi anguſte ſederem. Laberius ad Ciceronem remiſit: Atqui ſoles duabus ſellis ſedere. Quia Cicero male audiebat, tanquam nec Pompeio certus amicus; nec Caeſari, ſed vtriusque adulator.

Declamatio IIII. *Mater caeca filium retinens.*

Lex. Liberi parentes alant, aut vinciantur. *Quidam habens vxorem & filiũ peregre profectus, in piratas incidit, ſcripſit vtrique de redemptione. Vxor flendo caeca facta eſt. Filium euntem ad redemptionem, alimenta poſcit. non remanentem, alligare vult.* Cõt.4.lib.7

Declamatio. Nauigaturus vxori filium reliquit, nec adhuc caeca erat. Non eſt quòd mulieris affectum lege aeſtimetis, quia minatur: omnia facit, ne filius alligetur. Quotiens duobus eſt communio, poteſtas eius ſit tota, qui praeſens eſt.

Pars altera. [a] Vnis vinculis duos alligat. [b] Victo mater cathenas denunciat, victori ad piratas eundum eſt. Filiusfamiliae oulli poſſum ſeruire, niſi patri. Petis ab eo alimenta, quem pater peregre mittit. Primae partes patris ſunt, ſecundae matris. Ille peregre eſt, tu domi: ille captus, tu libera: ille inter piratás, tu inter ciues: ille alligatus, tu ſoluta. At tu caeca es. infelicior ille, quod videt cathenas ſuas, & caedes, & vulnera, & cruces eorum qui nõ redimuntur. At periculoſum eſt. Quàm multi nihil pro patribus periculoſum putauerunt? Noo, inquit, vindictam, ſed miſericordiam quaerit. Ita quiſquam exigit pietatem, vt impediat?

Extra. *Caluus*, qui diu cum Cicerooe iniquiſſimam litem de eloquentiae principatu habuit, vſque eo concitatus actor fuit, vt in media oratione eius exclamaret Vatinius reus: Rogo vos Iudices, num ſi iſte diſertus eſt, ideo me damnari oportet?

Declamatio V. *Quinquennis teſtis in procuratorem.*

Mortua [a] *quidam vxore, ex qua filium habebat, duxit aliam: ſuſtulit ex ea filium. Habebat procuratorem ſpecioſiſſimum. Cum ſaepe iurgarent nouerca & priuignus,* [b] *iuſſit eum ſemigrare. Ille trans parietem habitationem conduxit.* [c] *Rumor erat de adulterio matris & procuratoris. Quodam tempore* [d] *pater in cubiculo ſuo occiſus inuentus eſt, vxor vulnerata, communis paries perfoſſus. Placuit propinquis quaeri a filio quinquenni qui vna dormierat, quem percuſſorem cognoſceret. ille procuratorem digito monſtrauit. accuſat filius procuratorem caedis: ille eum parricidij.* Cõt.5.lib.7

Declamatio. Vt audiui clamorem, ſi qua fides eſt, deprehenſos adulteros credidi. [e] Da puerum. Aliquis oon eſt vno teſte contentus? da populum. Obiicite priuigno parricidium, filio mendacium. Dic puer, quis occiderit patrem: dic audaciter. eundem oomioas, quem populus. Nox placet ſceleri, adulterij tempus. [f] O magna in contrarium peruerſitas ſeculi. inuentus eſt qui patrem poſſit occidere, non poſſit oouercam. [g] Oſtende iſtud non vulnus, ſed argumentum. oſtende vulnus. Percuſſor ille quàm timuit ne occideret! tam leuiter te vulnerauit [h] illa dextera, cui nec paries obſtitit, nec pater? Nihil eſt puero teſte certius. Nã ad eos anoos peruenit, vt intelligat: & noo ad eos, quibus fingat.

Extra. *Vinitius*, vir exactiſſimi ingenij, [i] nec dicere ineptias, oec ferre poterat.

Declamatio VI. *Demens qui ſeruo filiam iunxit.*

Tyrannus *permiſit ſeruis dominas ſuas rapere. Profugerunt principes ciuitatis, & ſimul qui filium habebat, & filiam. cum omnes ſerui dominas vitiaſſent, ſeruus eius virginem ſeruauit. occiſo tyranno, reuerſi ſunt principes. in crucem ſeruos ſuſtulerunt. Ille manumiſſo filiam iunxit. Reus eſt a filio dementiae.* Cõt.6.lib.7

Declamatio. Haberemus ſolatium, ſi has nuptias tyrannus feciſſet, non pater. Sanum putatis eſſe, qui imitari tyrannum maluit, quàm ſeruum? Similem ſe fecit tyranno, filiã raptis, libertum cruciariis. Plus permiſit ſeruo dominus, quàm tyrannus. Quiſquis has nuptias fecit, aut inſanus eſt, aut tyrannus. Egregius gener, cui nihil eſt glorioſius, quàm quòd inter cruciarios non eſt. Virginitatem ſub patre perdidit, quam ſeruauerat ſub tyráno.

Ita ne dignus est nuptiis, quia indignus est cruce? Melior conditio vitiatarum, quàm virginis est. [a] Illis mutare nuptias contigit. Propitius pater ita collocauit filiam suam, [b] vt iratus tyrannus alienas: cum sanus esset pater, ne has videret nuptias, fugit. Miserrima soror, sub tyranno patrem desiderabas, sub patre tyrannum desideras. [c] Non est illi praemium, vnum spectare omnium cruces? Dominam non stuprauit. Auge beneficia. nec dominum occidit, nec venenum dedit. Non est beneficium, scelere abstinere. Quod aliae in tyrannide passae sunt, haec in libertate: ceterae absentibus suis, haec praesentibus. In aliis stuprum vocatur, in hac matrimonium. Timuit ille supplicium. sciuit rempublicam liberandam. daturos poenas, qui contaminassent: & aduentare tyrannidi tempus vltimum vidit. Conuenite seruuli, [d] conuenite libertini, empta cognatio.

PARS ALTERA. Si quis tyranno indicasset, solus hic in cruce pependisset. Licet cui volo filiam collocare. Marcus Cato coloni sui filiam duxit vxorem. Filia non mariti petulantiam timebit, non verborum contumeliam, non pellicem, non repudium. Neminem natura liberum fecit, neminem seruum. Imposuit haec fortuna postea singulis nomina. Nuper & nos serui fuimus. Seruius rex fuit.

[a] DECLAMATIO VII. *Cauete proditorem.*

Cõt.7.lib.7 PATER *& filius imperium petebant. Praelatus est filius. Commisso praelio captus est. Missi sunt decem legati ad imperatorem redimendum. Euntibus occurrit pater, dixit [a] sero se aurum ad redemptionem attulisse, filium crucifixum esse. Illi peruenerunt: quibus imperator ex cruce dixit:* [b] CAVETE PRODITOREM. *Reus fit pater proditionis.*

DECLAMATIO. Imperator supplicium tulit, proditor pretium. Tristiorem istum vidimus, cum filius imperator pronũtiatus est, quàm cum captus. Quemadmodum redisti tutus, senex, solus, cum auro, cum etiam imperatores capiantur? Plus accepit auri, quàm quod posset abscondi. nolite mirari. & imperatorem, & filium vendiderat. CAVETE PRODITOREM. iam Comitiis cauimus. Abstulissent tibi aurum hostes, nisi dedissent. CAVETE PRODITOREM. Indicium fuit morientis breue, filij verecundum. Cur dimissus es? si nihil aliud, & ducem genuisti, & dux esse voluisti. Candidatus processit contra patrem. iam tunc nobis verecunde indicauit filius, tibi credere rempublicam noluit. Legati nostri aurum ferebant, pater afferebat. Num immobilis diriguisti? Num & illic quasi & ipse affixus haesisti? [c] quid tam cito recedis? Adhuc & viuit, & loquitur. Voce proditionem indicauit, silentio proditorem. Optimus imperator curare rempublicam, ne in cruce quidem desiit. Tibi non dixit: CAVE PRODITOREM. Nec imperator potuit tacere proditionem, nec filius loqui proditorem. Expecta, dum mittantur legati. [d] dicis: Affectus non sustinet moram. Ergo si redimere non potes viuum, saltem mortuum redime. Nunquam tam durus hostis fuit, vt paternis lacrymis non flecteretur. CAVETE PRODITOREM: id est, ne quis insciis custodibus exeat, ne quis ignorante Republica ad hostes perueniat, ne quis ex hostium castris grauis auro reuertatur. Indicio nihil deest. De proditione vobis dicit imperator: de proditore, legati. Sublata est quaestio. [e] Quaeritis quem dixit? videte cui nihil dixerit.

PARS ALTERA. In comitiis filio meo cessi. Decretum non expectaui: sed amens & attonitus protinus cucurri. [f] Ad summam festinaui, nec occurri. Sciebam hostes, patrum lacrymis saepe flecti.

EXTRA. *Latro* non curauit dicere, nullam factam esse proditionem, sed se proditorem non esse. Suspectus est, inquit, iudici, qui plus quàm se defendit. *Cestius* posita suasoria, in qua deliberat Alexander, an Oceanum nauiget, cum exaudita vox esset, *Quousque inuicte?* describenti discipulo late Alexandri victorias, gentesque perdomitas, & addenti, *Quousque?* post ista exclamauit, *Et tu quousque?*

DECLAMATIO VIII. *Mutanda optio raptore conuicto.*

Con.8.li.7. LEX. RAPTA RAPTORIS MORTEM, AVT INDOTATAS NVPTIAS OPTET. *Rapta producta nuptias optauit. Iuuenis raptorem se negauit. Conuictus est. Illa optionem petit. Raptor contradicit.*

DECLAMATIO. Optare tibi non amplius quàm semel licuit. [a] Proponite supplicij faciem, carnificem, securim. Hoc semel licere nimium est. In hanc perturbationem perductus sum, vt ignorarem quid fecissem. Grauius punior, cùm me peccasse pudet, quàm cum peccaui. Optauit nuptias: nec adhuc sciebat, quàm verecundum maritum esset habitura. Raptorem

ptorem dimisisti: virum occides? [b] Minus est ergo quòd vitiauit, quàm quòd negauit. Ergo nos iniuriam periculosius negauimus, quàm fecimus. Quadam nocte, quid dicam? Non negare iã non pudet. Nox, vinum, error. quid irasceris puella? iam nõ negat. Iudex datam tabellam reuocare quam tulit, non potest. Quaesitor non mutat pronuntiationem. Nihil tam ciuile, tam vtile, quàm breuem potestatem esse, quae magna est. Si mortem optaueris, hodie facies quod nunquam factum est: vtrunque optaueris.

Pars altera. Id egit priori iudicio, ne quam omnino poenam stupri penderet: [c] hoc id agit, vt ipse optet. Vtinam non metu liberaret illum, quòd iudicis sui clementiam nouit. Est quaedam proxima innocentiae verecundia, praebere se legibus. Lex non adiicit quotiẽs optet, sed ex quibus. Aut hoc, inquit, aut illud. [d] non adiicit, Ne amplius quàm semel.

EX LIBRO NONO
CONTROVERSIARVM.

Declamatio I. *Cimon ingratus.*

LEX. ADVLTERVM CVM ADVLTERA QVI DEPREHENDERIT, DVM VTRVNQVE INTERFICIAT, SINE FRAVDE SIT. INGRATI SIT ACTIO. Con. 1. li. 9.
Miltiades peculatus damnatus, in carcere alligatus, decessit. Cimon filius eius, vt eum sepeliret, vicarium se pro patris corpore dedit. [a] Callias diues sordide natus, redemit eum a Republica, & pecuniam soluit: eique filiam collocauit. Ille deprehensam in adulterio, deprecante patre, occidit vxorem. Ingrati reus est.

Declamatio. Adulterium mihi carcer est. Ferrum mihi a lege traditum, ad vindictam pudicitiae proiiciam. Perdidisti pecuniam Callia, si tales soluisti manus. Non potest generosus animus contumeliam pati. Hoc interest inter fortunam patris & filij: [b] quòd illius calamitatum exitus fuit carcer, mearum initium. [c] Vnus Miltiadis census inuentus est Cimõ filius. Redemptus Cimon redemptoris felicitas est. Reddam beneficium, cum tam honestũ desideraueris, quàm dedisti. Ego adulteros dimittam? quid aliud facerem, si adhuc alligatas manus haberem? Quid? tu poenam putas pro Miltiade alligari? Magnum vterque beneficiũ dum damus, recipimus: ego, quòd Miltiadem redemi: [d] tu, quòd Cimonem. Turpissimũ duxi, ab eodem dimitti & adulteros & Cimonem. Ego sum, qui referre gratiã ne mortuis quidem desino. Ita mihi veros habere liberos contingat. quod quantum sit, Miltiades expertus est. Dignus erat Callias talem genuisse, qualem redemit. Dic nunc, Ego te carcere exemi: cui respondeam, Ego me carceri tradidi. Nũquam fiet, vt melius actum putem, quòd a Callia redemptus sum, quàm quòd pro Miltiade alligatus. Ego me a te redemptum putabam: emisti me filiae tuae. Calliae filiam duxi. hanc tibi pater, dum ingratus esse nolo, iniuriam feci. Non possum ob id damnari, quod lege factum est. [e] Beneficium est, quod totũ eius causa praestatur, in quem confertur. [f] Vbi aliud ex eo quis sperat, aut praeparat, non beneficium, sed consilium est. Summo te dedecore liberaui inuitum. Redemisti me, & tu non rogantem. [g] Habes Virginios, & quicunque vitiatas filias vel clauserunt, vel occiderunt.

Pars altera. Duo beneficia dedi: & redemi, & egenti filiam collocaui. Obiicio tibi, quòd vxorem passus es adulteram fieri, quòd non custodisti, quòd moratus es, dum superueniret pater, spectator suae calamitatis. [h] Ego non expectaueram, donec rogares. Moleste ferebas socerum dici Calliam. Mores puellae non tantum passus es in vitia labi, sed ipse impulisti: nactus occasionem non omisisti.

Extra. Hic color & *Gallioni*, & *Latroni*, & *Montano* placuit, vt nihil in Calliam diceretur contumeliose, in redemptorem, in socerum infelicem. [i] Multas quaestiones rhetorici & poëtae Romani [k] a Graecis dictas non surripuerunt, sed & prouocauerunt. [l] Thucydidis sententia est: Δειναὶ γὰρ αἱ εὐπραξίαι συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰ ἑκάστων ἁμαρτήματα. Sallustius: Res secundae mire sunt vitiis obtentui. [m] Sic eum sit praecipua in Thucydide virtus breuitas, hac eum Sallustius vicit, [n] & in suis eum castris cecidit. [o] Nam in sententia Graeca tam breui habes quae saluo sensu detrahas. deme vel συγκρύψαι, vel συσκιάσαι, deme ἑκάστων. [p] constabit sensus, etiamsi non aeque comptus, aeque tamen integer. At ex Sallustij sententia, nihil demi sine detrimento sensus potest. [q] T. autẽ Liuius tam iniquus Sallustio fuit, [r] vt hanc ipsam sententiam, & tanquã translatam, & corruptam dum transferretur,

obiiceret Sallustio:nec amore Thucydidis facit, vt illum praeferat,sed laudat,quem non timet: & facilius putat a se posse Sallustium vinci, si ante a Thucydide vincatur.

DECLAMATIO II. *Flaminius in coena reum puniens.*

Cõt.1.lib.9. MAIESTATIS LAESAE SIT ACTIO.[a] *Flaminius praetor inter coenam a meretrice rogatus, quae aiebat nunquam se vidisse hominem decollari, vnum ex damnatis occidit. Accusatur laesae maiestatis.*

DECLAMATIO. Obiicio luxuriam,histrioniam,iocos. An in conuiuio [b] nihil aliud nisi occiditis? Vni fortasse osculo donauit homicidium. Coenaturi carnifices manus abluunt. [c] Non inquiro in totum annum:vna nocte contentus sum. Facilius est, vt qui multa meretrici dederit, homicidium neget; quàm vt qui homicidium dederit, quicquam negarit. Seruum si verberare voluisses, extra conuiuium abduxisses. Contactam sanguine humano mẽsam, strictas in triclinio secures, quis credat ista cõcupisse meretricem, vel fecisse praetorem? Virgae promuntur, [d] & ante mensam deosque crudelitatis victima trucidatur. Me miserum, Romani imperij terrore lusisti. [e] Legi potius, quàm scorto cadat. Exsurgite Bruti, Horatij, Decij, & caetera imperij decora. Vestris fascibus, securibus vestris iam puellae iocantur obscoenae. In eo quod sub praetextu publicae maiestatis agitur, quicquid peccatur, maiestatis actione vindicandum est. [h] Percussurus lictor ad praetorem respicit, praetor ad meretricem.

PARS ALTERA. Si legatus falsa mandata affert, sic audiuntur, tanquam illa populus Romanus dederit. Imperator foedus percussit, videtur populus percussisse Romanus, & foedere continetur. [f] Nunc nec viribus quicquam populi detractum est, nec opinioni. At ex te caeteros aestimant. [g] Et ante hunc alij fuerunt, ex quibus aestimari possunt. Nemo ascribit vrbibus vitia singulorum. Obiiciunt, quòd damnatus perierit meretrici, & postulant praetorem perire damnato. Libido omnis intra meretricem est, crudelitas intra carcerem. Multa populus Romanus in suis imperatoribus tulit: in Manlio impotentiam, a quo & filius & victor occisus est: in Sylla crudelitatem: in Lucullo luxuriam: in multis auaritiam. Non putaui ad rem pertinere, vbi aut quãdo periret, qui perire deberet. Occisus est: quis? damnatus. vbi? in praetorio. quo tempore? Est enim tempus, quo noxius perire non debeat?

EXTRA. Quaedam controuersiae sunt, in quibus factum defendi potest, excusari non potest. Nõ speramus vt Flaminium iudex probet, sed vt dimittat. Itaque sic agere debemus, tanquam pro facto non emendato, sed non scelerato. [i] *Titus Liuius* de oratoribus, qui verba antiqua & sordida consectantur, & oratoris obscuritatem, seueritatem putant: tamen in his etiam si minus est insaniae, minus spei est. Illi qui tument, & abundantia laborant, plus habent furoris, sed plus & corporis. Semper ad sanitatem procliuius est, quod potest detractione curari: illi succurri non potest, qui simul & insanit, & deficit. [k] Murrhedius dixit tetracolon: Seruiebat forum cubiculo, praetor meretrici, carcer conuiuio, dies nocti. Nouissima pars sine sensu dicta est, [l] vt expleretur circuitus. quẽ enim sensum habet, Seruiebat dies nocti? Hanc ideo sententiam retuli, quia & in tricolis, & in omnibus huius generis sententiis, curamus vt numerus constet, non curamus vt sensus. Omnium autem corruptarum sententiarum exempla de industria pono: quia facilius & quid imitandum, & quid vitandum sit, docemur exemplo.

DECLAMATIO III. *Expositum repetens e duobus.*

Cõt.3.lib.9. PER VIM METVMQVE GESTA, NON SINT RATA. [a] PACTA CONVENTAQVE LEGIBVS FACTA, RATA SINT. [b] EXPOSITVM QVI AGNOVERIT, SOLVTIS ALIMENTIS RECIPIAT. *Quidam duos expositos sustulit, & educauit. quaerenti patri naturali, pollicitus est se indicaturum vbi essent, si sibi alterum ex illis dedisset. Pactum interpositum est. reddit illi duos. repetit vnum.*

DECLAMATIO. [c] Cum alienis diuidemus liberos, quos nõ diuidimus cum matribus? Vtrunque genui, vtrunque desideraui, pro vtroque pactus sum. [d] Vna nati sunt, vna expositi, vna educati, redditi distrahuntur. Distraxit illos fortuna aliquando a parentibus, nunquã ab ipsis. Duos exposui, quia alterum eligere non poterã. In auctionẽ fratres productos quãuis hostilis hasta nõ diuidit. Plus quiddam est geminos esse, quàm fratres. perdit vterq; gratiam suam, nisi cum altero est. Ignoscat retinenti meos, cùm ipse concupiscat alienos. Agnitio diuidet, quos iunxit etiam expositio? Omnia pro filio paciscor, praeter filium. [e] Pactus sum

ſum flens, tremens, tanquam cum exponerem. Mihi tunc vis & neceſſitas erat. non enim poteram inuenire filios, niſi alterum promiſiſſem.

PARS ALTERA. [f] Vtrunque poteſtis ex hoc iudicio patrem dimittere. Liberis hic carere conſueuit: ego & cum vnum accepero, neceſſe eſt torquear. duobus aſſueui. Vim vocas, quae te patrem fecit? Ego ſuſtuli, ego educaui, ego reddidi: iſte electurus eſt. In iſta vi duos filios perdidi. Lex arma, & vincula, & vltimum periculum complectitur.

EXTRA. In *Sabinum Clodium*, vno die & Graece & Latine declamantem, multa vrbane dicta ſunt. Dixit [g] *Haterius* quibuſdam querentibus, quòd puſillas mercedes acciperet, cum duas res doceret: Nunquam magnas mercedes accipere eos qui hermeneumata docerent. *Maecenas* dixit: *Τυδείδην δ' οὐκ ἂν γνοίης ποτέροισι μετείη*. *Caſſius Seuerus* ab auditione eius rediens, interrogatus quomodo dixiſſet, reſpondit, Male *καὶ κακῶς*.

DECLAMATIO IIII. *A filio in arce pulſatus.*

LEX. QVI PATREM PVLSAVERIT, MANVS EI PRAECIDANTVR. *Tyrannus patrem cum duobus filiis in arcem accerſiit. imperauit adoleſcentibus, vt patrem caederent. Alter ex his praecipitauit ſe, alter caecidit. Poſt in amicitiam tyranni receptus eſt. Occiſo tyranno praemium accepit. At reus fit caeſi patris.* [a] *Petuntur eius manus. pater defendit.* Cōt.4.lib.9

DECLAMATIO. Felicior eſſem, ſi plures reos defenderem. Praecidetis tyrannicidae manus. Quid hoc eſt? integer tyrannus iacet. Tam neceſſe fuit patrem caedere, quàm ſpoliare templa, virgines rapere. O quantum debemus iſtis manibus, per quas iam nihil neceſſe eſt. Tales fuerunt, vt ex his poſſet tyrannum alter contemnere, alter occidere. Praecipitaſti te fili. hoc non eſt patri parcere, ſed tibi. Dura fili. in tyrannum tibi per patrem eundum eſt. Vtrum ex filiis meis probatis? alter ſe occidit, alter tyrannum. Suſpenſas leuiter admouebat manus. filius ſimulabat ictus, pater gemitus. Neceſſitas magnum humanae infelicitatis patrocinium. [b] Haec excuſat Saguntinos, quamuis non caeciderint patres, ſed occiderint. [c] Si nec iſte caecidiſſet. Ille me fratri reliquerat, hic tyranno. In lege, inquit, nihil excipitur. Sed multa licet non excipiantur, intelliguntur. Et ſcriptum legis anguſtum, interpretatio diffuſa eſt. [d] Quid? intereſt lege excipere, ne fraudi ſit ei qui per inſaniam patrem pulſauerit: cum illi non ſupplicio, ſed remedio opus ſit. ne puniatur infans, ſi pulſauerit patrem. Hoc qui cogente tyranno fecit, ipſo fuit miſerior vapulante. Non eſt impudica, quae acerſita eſt a tyranno. non eſt ſacrilegus ſacerdos, qui deorum immortalium dona ſuis manibus pertulit ad tyrannum. Patre iubente fecit. nec caecidit ipſe, ſed paruit. Vltio caeſi patris, nullius eſt, niſi patris. Si a quolibet alieno caeſus eſſem, & iniuriarum agere nollem, [e] nemo nomine meo ageret. Nunc nihil intereſt. Poena maiòr eſt eius qui caecidit, ius idem eius qui caeſus eſt.

PARS ALTERA. Tamdiu caecidit patrem, donec placeret tyrãno ſatelles. Pro Repub. inquit, feci. Idem & Reipub. imputas & tyranno. Habuiſti quod iactares tyrãno. Frater maluit mori. petiit, ne parricidium faceret, aut videret. Caeſus, inquit, poenam dimitto. Mirarer, niſi pro tam bono patre fuiſſet, qui mori vellet. Pater, inquit, voluit. ſed frater noluit. Pater, inquit, voluit. Ita tu non tantum tyrãno, ſed etiam patri dignus viſus es parricidio. Caecidiſti patrem, cum & legem noſſes, & fratrem.

EXTRA. [f] Ab Oppio proconſule, cum quo in Cretam *Sabinus* ierat, in theatro Graeci poſtulare coeperant, vt Sabinus maximum magiſtratum gereret. Mos autem eſt, barbam & capillos magiſtratui Cretenſium ſubmittere. Surrexit Sabinus, & ſilentio manu facto: Hunc magiſtratũ, inquit, ego Romae bis geſſi. bis enim reus cauſam dixerat. Graeci non intellexerunt, [g] ſed bene precati Caeſari, petebant, vt illum honorem Sabinus tertio gereret. [h] Idẽ cum reus rogaret, vt in lautumias transferretur: Non eſt, inquit, quẽquam veſtrum decipiat nomen lautumiae: illa animo meo lauta res eſt. Iocabatur in miſeriis ac periculis ſuis, in quibus iocari eum non debuiſſe, quis neſcit? potuiſſe, quis credit?

DECLAMATIO V. *Priuignus ab auo raptus nouercae.*

DE VI SIT ACTIO. *Quidam duos filios ſub nouerca amiſit, dubiis cruditatis & veneni ſignis. Tertium filium auus maternus rapuit, qui ad viſendos nepotes aegros non fuerat admiſſus. Quaerenti patri per praeconem, dixit apud ſe eſſe. Accuſatur de vi.* Cōt.5.lib.9

DECLAMATIO. Habui filiam, quamuis vnus filius ſuperſit, foecundam: apud me nutriatur ſine. Quid times? ne non admittare, cum veneris? Non quaeris filios, quos perdidiſti:

quem non perdidisti, quaeris. Pater a me vnum repetit, ego duos a patre. Plus habeo quod auo, quàm quod reo timendum sit. Veni ad aegrotantes nepotes: admissus nõ sum: haec vera vis fuit. [a] Nulla vis est, quae arma, pugnam, vulnera non habet. [b] Describe istius comitatum tumultus. vnus est & vnus senex. Rapuisti, inquit, filium meum. immo nepotem meum [c] sustuli: immo venientẽ non potui excludere. [d] Si cuius obsessam latronibus armata manu coniugem, liberosque rapuisset. Quòd viuit puer, beneficium erit meum. Et me diei alligãt, & corporibus nostris vi medentur. Non potest mecum agere, tanquam cum alieno. Habet sua iura natura. Et hoc inter patrem & auum interest, quòd auo seruare licet suos, patri & occidere. Quae est ista tam sera pietas, tam praepostera? quaerere tuos a tertio incipis. [e] Quisquis puero fauit, ne inueniretur optauit.

PARS ALTERA. Non vt nepotem seruaret, fecit, [f] sed vt infamaret vxorem veneficij, me veneficae mancipatum. Cum socero mihi, Iudices, ne viua quidem priore vxore, conuenit: mortua vero, inimicum professus. Languente puero cum vociferatione & conuitio, [g] auspicans, quicquid accidit, venit, qui ad sanos nepotes nunquam antea venisset. Non admisi: & tunc enim vidi venire rapturum.

EXTRA. Habet hoc *Montanus* vitium. sententias suas repetendo corrumpit. dum nõ est contentus vnam rem semel bene dicere, efficit, ne bene dixerit. Propter hoc solebat Montanum *Scaurus* inter oratores Ouidium vocare. Nam & Ouidius nescit, quod bene cessit, relinquere. Cum Polyxene esset adducta tumulo Achillis immolanda, Hecuba dixit:

-- cinis ipse sepulti
In genus hoc pugnat.

Poterat esse contentus. adiecit:

-- Tumulo quoque sensimus hostem.

Neque hoc contentus, adiecit:

Aeacidae foecunda fui. -

Aiebat Scaurus, non minus magnam virtutem esse, scire desinere, quàm scire dicere.

DECLAMATIO VI. *Filia conscia in veneno priuigni.*

Cõt.6.lib.9 LEX. VENEFICA TORQVEATVR, DONEC CONSCIOS INDICET. *Quidam mortua vxore, ex qua habebat filium, duxit aliam, & ex ea filium sustulit. Veneficij damnata, dum torqueretur,* [a] *dixit consciam puellam. Petitur ad supplicium puella. Pater defendit eam.*

DECLAMATIO. Non prodesset tibi puella, [b] quòd te amauit frater, nisi mater odisset. Nefanda mulier, etiam filiae nouerca, ne mori quidem potuit, nisi & occideret. In gladiatoribus quoque conditio dura victoris est, cum moriente pugnantis. Nullum magis aduersarium timeas, quàm qui viuere non potest, occidere potest. Concitatissima est rabies in desperatione, & morte vltima in furorem animus impellitur. Quaedã ferae ipsa tela commordent, & in mortis auctorem per vulnera ruunt. Gladiator [c] quem armatus fugerat, nudus insequitur: & praecipitati nõ quod impulit tantum trahunt, sed quod occurrit. Naturali quodam deploratae mentis affectu, morientibus gratissimum est commori. O mẽdacium simile veneficio! dum nouercae meminit, matris oblita est. Peto, ne quia filium vindicaui, filiam perdam: nisi succurritis, nouerca vicit, ego victus sum. Ne inter supplicia quidem desinit occidere. Prosit apud vos puellae, quòd pater eam laudat: prosit, quòd mater accusat. Conscia, inquit, est filia. Ego torqueri coepi, nouerca torquere. Habui filium talem, vt illum amare posset nouerca, nisi in eam incidisset, quae odisse etiam filiam posset. Seruus furti tortus, Catonem conscium dixit. Vtrum plus tormentis creditis, an Catoni? Quod nouerca tam sero, puella tam cito? In hoc veneficij poenas dabat, vt accusationis exigeret.

PARS ALTERA. Quarundam ferarum catuli cum rabie nascuntur: venena a radicibus statim pestifera sunt. Quid illa quae fratrem in moram sequentis patris sparsit? habes exemplum, quod & sorori conueniat, & virgini. Nouerca in hoc priuigno dedit venenum, vt filia sola heres esset: idcirco adhibuit & consciam.

EX.

EX LIBRO DECIMO CONTROVERSIARVM.

DECLAMATIO I. *Lugens pauperis filius diuitem sequens.*

INIVRIARVM SIT ACTIO. *Quidam cum haberet filium, & diuitem inimicum, occisus, inspoliatus inuētus est. Adolescens sordidatus sequi diuitem coepit. Diues eduxit eum in ius, & postulauit, vt si quid suspicaretur, argueret. Adolescens ait: Accusabo, cum potero. Diues petens honores, repulsus est. accusat iniuriarum pauperis filium.* C. D. Cōt.1.li.10.

DECLAMATIO. Gratias diuiti, quòd quos odit, iam reos facere cōtentus est. Non ambulabis, inquit, eadem via, non calcabis vestigia mea, non offeres delicatis oculis sordidam vestem, non flebis, me inuito, non tacebis. perieramus, si hic magistratus esset.[a] Quòd sordidatus fui, luctus est: quòd fleui, pietatis: quòd non accusaui, timoris: quòd repulsus est, vestrum est. Honores patre meo viuo nunquam petiuit.[b] Vitium me meum sequitur. taceo. Vtinam hoc vitium habuisset & pater. Quando vobis non sordidati sumus? Accusa, inquit, pauper diuitem. Ambulare mihi arbitrio meo nō licet.[c] Accusa, inquit, reum petage, perora. quis accusare sic loquentem potest? Cur, inquit, me sequeris? aliud ergo pauperes iter, aliud diuites habent. Quisquis percussor fuit, quasi diues spolia contempsit.[d] Mortuo patre meo: metuo enim, ne quis se laedi putet, si dixero occisum. Sordidatus, inquit, fles. Quid aliud facere possum, occisi pauperis filius?[e] Quid accusanti fecisset, qui persequitur tacentem? Quare, inquit, sequeris me? vt aliquando miserearis mei, vt desinas afflictam domum persequi. Eum accusatorem habeo, qui se non esse reum miratur. Cur, inquit, non agis? Quia adeo non metuis, vt cogas. Sordidatus sum. Quod reo licet, lugenti non licet? An ne lugebo quidem, quem vindicare non possum? Non erat in illo praeda, quam grassator appeteret. erat summa virtus, cōtumax aduersus diuitiarum fastidium innocentia. Haec ab inimico petita sunt spolia. Quis caedem machinatus est? Scire non possum: quod dissimulari non potest, scio quis optauerit: Et tu diues inimicus es: & ille inspoliatus inuentus est. non est cur accusem, sed est cur suspicer.

PARS ALTERA. Vt scias te inuidiam mihi facere, cum dixissem, Accusa me: non negasti, sed respondisti, Accusabo cum potero.

DECLAMATIO II. *Vir fortis non cedens forti patri.*

VIRO FORTI PRAEMIVM. SI PLVRES FVERINT, IVDICIO CONTENDANT. *Pater & filius fortiter fecerunt. Pater petit a filio, vt sibi cederet. ille noluit. iudicio contenderunt. vicit patrem. petit praemio statuas patri. Abdicatur.* C. D. Cōt.2.li.10.

DECLAMATIO. Quem optem iudicij huius euentum nescio, cum crimen meum sit, vicisse. Patriae iudicium habeo, patris perdidi. Patrem in acie vidi, pugnaui cum exemplo. Iudicium vocatur, quo pater & filius spolia contulimus. Vici, non filius patrem, sed iuuenis senem. Ego vici, sed omnes gratulati sunt patri. Cogitaui Horatiū Etruscas acies corpore suo submouentem. cogitaui Decium,[b] qui nec ipse patri cessit. Pugnaui non tātum imperatori, sed etiam patri. Auidus sum gloriae. hoc si vitium est, paternum est. Pudeat pater, si te vicit filius abdicandus. Ego praemium habeo itu & praemium, & virum fortem. Virtutes nostrae silentio praeterissent: illustratae sunt, dum confeтuntur. Iudicauerunt non quod erat, sed quod te malle credebant. Honor ad vtrumque peruenit: alter praemium habet,[c] alter percipit.

PARS ALTERA. Nolo habitare cum aduersario meo. non capit idem contubernium, victum & virū fortem. Statuam, inquit, tibi posui. imo ne possem vnquam me victum obliuisci, ignominiam meam in aes incidisti.

DECLAMATIO III. *Demens quòd mori filiam coegerit.*

DEMENTIAE SIT ACTIO. *Bello ciuili quaedam virū secuta est, cùm in diuersa parte haberet patrem, & fratrem. Victis partibus suis, & occiso marito, venit ad patrem, a quo recepta, ait patri; Quemadmodum vis tibi satisfaciam? Ille respondit: Morere. Suspendit se ante ianuam eius. Accusatur pater a filio dementiae.* Cōt.3.li.10.

DECLAMATIO.[a] Sic sibi satisfieri, ne victor quidem voluit. Nullum fuit in proscriptio-

ne mulieris caput. Inquinasti filiae sanguine penates. quanquam quid loquor penates, tanquam in domo perierit? Allatum ad se Pompeij caput Caesar fleuit: [b] & hoc illi propter filiam praestitit. Quemadmodum vis satisfaciam tibi? Hoc ipso satisfecisse puella debuerat: adeo & in maritum, & in patrem pia; vt alterum vsque ad mortem secuta sit, & alteri morte satisfecerit. Periculose offendo patrem qui nescit ignoscere. Morere. quid aliud meruerat, si satisfacere noluisset? Defendisti Ligarium Cicero. quàm leue iudicasti crimen, de quo confessus es! Ante ipsum domus limen extincta est; ne dubitari posset, marito perisset, an patri. Meruerat, inquit. accusas etiamnum? Et certe iam tibi satisfactum est. Secutus est gener diuersas partes, vxor suas. Optima ciuilis belli defensio, obliuio est. Morere, inquit. Etiam quibus animaduertere in damnatos necesse est, nō dicūt, OCCIDE: non, MORERE: sed, AGE LEGE. crudelitatem imperij verbo mitiore subducunt.

PARS ALTERA. Mores tuos patri debes approbare, nō patris regere. Multa potes iam demētiae signa colligere: non potes patrem propter verba damnare. Animaduertit Manlius in filium, & victorē quidem: animaduertit Brutus in liberos, non factos hostes, sed futuros. [c] vide an sub istis exemplis patri fortius liceat tantum loqui. Contumaciter rogauit, quemadmodum & periit. nihil agnoui filiae, nihil victae. non misit ad patrem fratrem. An etiamnum irascitur fratri? Cur me solum rogat? cum duobus satisfacere debeat. Victor, inquit, cito exoratus est. Facilius est ignoscere bello, quàm parricidio. [d] Etiam morte patri quaesiuit inuidiam. Perisse propter patrem dicitur mulier, quae virum habuit, propter quem mori posset.

DECLAMATIO IIII. *Mendici debilitati.*

Cōt.4.li.10.

REIPVB. LAESAE SIT ACTIO. *Quidam expositos educabat, & debilitatos mendicare cogebat, vt sibi mercedem referrent. Accusatur laesae Reipub.*

DECLAMATIO. Factum est, ne liberos partes aut agnoscant, aut recipiant. Vectigalis isti crudelitas, eo magis, quòd omnes praeter istum misericordes sumus. Effectum est, vt nihil esset miserius expositis, quàm tolli: parentibus, quàm agnoscere. Alterius comminutas scapulas in deforme tuber extundit. Produc familiam tuam. Volo nosse illam humanarum calamitatum officinam. Sua cuique calamitas tanquam ars assignatur. Intuemini illi erutos oculos, illi effractos pedes. Quid horrescitis? [a] sic iste miseretur. Nouum monstrum: [b] integer alitur, debiles alunt. Perisscor, inquit. [c] ita non infelicius supersunt? Perissent, inquit. [d] interroga patres, vtrum maluerint. Quanti ex his viri fortes, quanti tyrannicidae, quanti futuri sacerdotes? [e] Num incredibilia loquor? Ex hac fortuna origo Romanae gentis apparuit. Plus acceptum crudelitati, quàm expensum misericordiae refert. Expositos aluerunt etiam ferae, satis futurae mites, si praeterissent. Quorum cum vbique audiantur preces, in sua tantum causa cessant. Abscissa est illis lingua: & est rogandi genus, rogare non posse. Miseremini omnium, Iudices, quorum singulorum misereri soletis. Istis nos vindictam negaturos putas, quibus ne id quidem negauimus, quod tibi daturi erant? Res indignissima: [f] cum tam crudelis sit, misericordia publica viuit. Exsurgite miseri; [g] & hodie vobis primum rogate. Tibi, inquit, quotidiana captura non constat. apparet te nondum satis miserum videri. Occurrunt nuptiis dira omina, sacris publicis auspicia feralia. Et diebus in hilaritatem dicatis semianimes isti greges oberrant. Alunt istum, qui se alere non possunt. Non est qui rogare nesciat. [h] solet etiam docere. Non habes tot membra, quot debes. [i] Ergo tu cum de publica misericordia cogitares, tam crudelis esse potuisti? Miseros, qui sic rogant: miseriores, qui sic rogantur! Omnes omnibus stipem conferunt, dum quisque timet, ne filio neget. Effecisti vt maius esset malum educari, quàm exponi. Timebantur ferae atque serpentes, & inimicus teneris artubus rigor, inopia quoque: inter expositorum pericula non numerabamus educatorem.

PARS ALTERA. Debilitasti, inquit. plus illis patres nocuerūt. Quid videtur lanista? qui iuuenes cogit ad gladium: & tamen nō accusatur laesae Reipub. Quid leno? qui stuprum pati cogit inuitas: nec Rempub. laesit. Ego reum non laudari desidero, sed absolui. noceat hoc illi, cum petet honores. [k] Potest enim aliquis & nō esse homo honestus, & esse innocēs reus. Vt illis multum ablatum sit, vita reddita est. Reip. laesae non potest agi eorū nomine, qui extra Remp. sunt. Egēs homo, [l] & qui ne me quidem alere, nedum alios possum, sustuli relictos: quibus non iniuria fieret, si aliquid detraheretur; sed beneficio cederet, si vita seruaretur. Faciant inuidiam, dicant illos per me misere viuere, dum fateantur per me viuere. Vnius misericordia viuunt, [m] omnium aluntur. Mirum est, vacare homines huic cogitationi, vt curent

curent quid homo mendicus inter mendicos agat. Ciuitatis istius principes diuitias suas exercent contra naturam:excisorum greges habent:exoletos suos,vt ad longiorem patientiam impudicitiae idonei sint, amputant: & quia ipsos pudet viros esse, id agunt, vt quàm pauci viri sint. His nemo succurrit delicatis & formosis debilibus. Curatis quis ex solitudine infantes auferat,perituros nisi auferantur:non curatis,quòd isti beati solitudines suas ingenuorum ergastulis excolunt,& miserrimorum iuuenum simplicitate decepta, speciosissimum quemque,ac maxime idoneum castris,[a] in ludum detrudunt.

DECLAMATIO V. *Parrhasius & Prometheus.*

REIP. LAESAE SIT ACTIO. *Parrhasius pictor Atheniensis,cum Philippus captiuos Olynthios venderet, emit vnum senem. Athenas perduxit, deinde torsit.*[a] *Ad exemplar torti, Prometheum pinxit. Olynthius in tormentis periit.ille in templo Mineruae tabulam posuit. Accusatur laesae Reipubl.* Cõt.5.li.10.

DECLAMATIO. Senex abstractus a liberis super exustae patriae cinerem stetit.ad figurandum Prometheum,satis tristis est.Nemo vt naufragum pingeret,mersit hominem. Vltima Oynthij precatio fuit:Redde me Philippo.Seruus,inquit,meus fuit.putes Philippum loqui.[b] Aedem Mineruae fugimus tanquam castra Macedonum.Parum,inquit,tristis est.Aliquis Olynthius parum tristis est?Vis Parrhasi tristem videre? due illum ad Olynthum iacentem.[c] Scis certe, quàm tristem emeris. Olynthiis vrbem aperuimus, templa praeclusimos. Nemo Olynthius tortus esset,si omnes illos Macedones emissent.[d]Torqueatur.hoc nec sub Philippo. Moriatur.hoc nec sub Ioue.Sic iste hospitalis Olynthio fuit. Hoc est Promethea facere, non pingere.Emi,inquit.immo si Atheniensis es,redemisti.In isto templo pro Olynthiis vota suscepimus.Ille carnifex Graeciae istum tamen nõ amplius quàm vendidit.[e] Producitur nobilis senex,longa miseriarum tabe confectus, & tam tristis quàm si iam tortus esset.[f] Quemcunque praeco viderat flentem,agnoscebat emptorem. Vereor, ne quis cum audierit Olynthij verbera,tormenta,ignes,me queri de Philippo putet. Si isti creditis, iratum Iouem imitatus est:si nobis,vicit iratū Philippum.Tantum patiendū est pingente Parrhasio, quãtum irato Ioue.Miserrime senex, aliquis forte ex seruis tuis felicius seruit. Si ad succurrendum profectus es, queror quòd vnum emisti: si ad torquendum, queror quòd vllum. [g]Statuitur ex altera parte Parrhasius cum coloribus,ex altera tortor cum ignibus.[h]Dubium est inter ista,Parrhasius studiosius pingat,an ille saeuiat.Producitur respiciẽs patriam senex. Placuit Parrhasio vultus infelix.Habuit autem aliquid Olynthius Promethei simile,& ante tormenta.[i]Ignis,tormenta,ferrum:officina haec pictoris,an Philippi est?

ALTERA PARS.Nunquam vnius malo publica fama corrumpitur.Solidior est opinio Atheniensium,quàm vt labefactari tormentis captiui possit.Laesisti,inquit, Rempub.quòd hanc picturam in templo posuisti.laedunt Rempublicã,qui aliquid illi auferunt,non qui aliquid adiiciunt.Peccauerunt ergo recipiendo tabulam,& sacerdotes.Cur autem non recipe-rent?[k] deorum crimina in templis picta sunt.Multum semper artibus licuit.Medici vt vim ignotam morbi cognoscerent,viscera hominum resciderunt.

DECLAMATIO VI. *Fur accusator proditionis.*

INIVRIARVM SIT ACTIO. FVR CONCIONE PROHIBEATVR. *Quidam cum diuitem accusasset proditionis,*[a] *noctu parietem eius perfodit:& scrinium,in quo missae erant ab hostibus literae,sustulit. Damnatus est diues. Cum concionari vellet accusator, a magistratu prohibitus est. Agit iniuriarum.* Cõt.6.li.10.

DECLAMATIO. [b] Id solum sustuli,quod fur reliquisset.Nil magis fur timui, quàm ne dominus furtum agnoscere nollet.Ruentem ciuitatis statum, vnius parietis ruina suspendit. [c] Profiteor indicium furti mei.ciuitas conscia est.Furtum est,quod timet dominus agnoscere?quod qui perdidit,supplicium tulit:praemium,qui surripuit?Cui magis permisisses loqui, si eodem tempore & fur venisset & dominus?Mille nauium duces furto Troiam cepistis. Si bene furto euertuntur vrbes,quanto melius liberantur? In forum veni, narraui nocturnam expeditionem meam.Conuenerant omnes, tanquam ad concionem.[d] Cur me submoues ante accusationem:cum nec proditores inauditi pereant?O furtum in concione narrãdum! proditoris vigilantissimum pectus, & in exitia nostra semper sollicitum, publica fata sopierãt.ita etiam ministros eius alligauerat somnus,vt mihi liceret eligere quod tollerem. Dirue-

re mihi videbar hostium muros. Furtum vocas, quo nihil melius tuo anno factum est. Nemo fur Rempub. cogitat. nihil non licet pro Repub. facere.

PARS ALTERA. [e] Quale illud, dij, spectaculum fuit? composuerat inter se fortuna Reip. furem, & proditorem. vt vidit inutile furtum suum, prodidit: vt nobis venderet, quod nulli poterat. Tam callidus fur, vt etiam proditori posset imponere. [f] Consilium videri vult infelicitatem furti sui. [g] Lex quae nocturnum furem occidi quoquo modo iubet, nō de damnato tantum, sed de fure loquitur. Odit hoc vitium, nec immerito: non multum abest a proditore. Sustulit quod non elegit, sed quod illi fatum publicae felicitatis obiecit. Vno tempore & proditorem nobis ostendit, & furem, qui diuitem compilare mallet, quàm damnare. Effregit domum manu suspensa. elusit illum. non tunc primum fecit. Sustulit non quod voluit, sed quod potuit. Bono exemplo damnatus est proditor, malo inuentus.

F I N I S.

ANNOTATIONES IN LIBROS M. ANNAEI SENECAE.

IN PRAEFATIONEM LIBRI PRIMI CONTROVERSIARVM.

PAGINA 7, V. 12. Nam & duo milia] *Idem fere B. Augustinus de quodam Simplicio narrat, cap.* VII. *lib.* IIII. *de anima, & eius origine ad Vincentium.*

27. Adpraehendã. Controuersiarũ] *Ita plane omnes veteres, & recte. Nec enim quis in controuersijs disponendis ordinem requireret, quae cum inter se nullam connexitatem habeant, quomodo collocentur non multũ interest. at in sententijs, in vna eademque declamatione dictis, vt quo ordine prolatae essent ponerentur, e re fortasse fuisset. quod tamen cur nõ praestiterit, indicat. Porro sententias ex Rhetorum scholis hoc loco, & fere semper his libris, non γνώμας, sed lumina orationis praecipue in clausulis posita, vel vt B. Hieronymus ad Nepotianum per fines capitulorum singulorum acuta quaedam breuiterq. conclusa, quae plausus & clamores excitent audientium, intelligit. quae etiam idem auctor epist. ad Pammachium argutas sentẽtiolas in clausulis strictas dicit. Iuuenalis Satyra* VIII.

Quod modo proposui, non est sententia, verum est.

id est, non vt acute dictum & aures titillans proposui. Plura Quinctilianus cap. V. *lib.* VIII.

37. Semper citra veritatem est similitudo.] *Quinctilianus cap.* II. *lib.* X.

P. 8, v. 10. Eneruesque, quod nati sunt,] *B. Hieronymus in Rhetorum scriptis maxime versatus Epist. ad Eust. de custodienda virginitate, ad hunc locũ respexit, cum scripsit,* Erubescũt esse quod natae sunt: *& propius lib.* I. *in Iouin.* ob mei cultum quod nati sunt esse noluerunt.

16. Vir bonus.] *Quinctilianus cap.* I. *lib.* XII. *Plato in Gorgia:* τὸν γὰρ μέλλοντα ὀρθῶς ῥητορικὸν ἔσεσθαι, δίκαιον ἄρα δεῖ εἶναι, καὶ ἐπιστήμονα τῶν δικαίων. *Herennius tamen Senecio maluit satyrice hãc Catonis definitionẽ inuertere, oratoremq. definire virũ malũ dicẽdi imperitũ. Plinius epist. lib.* IIII.

19. Magnis viribus, sed suis placeat?] *Assentior ijs quicunq. sint, q ad oram editionis Germanicae adnotarũt forte legendũ,* magnis viris. *mollitiẽ igitur, incertamque virilitatẽ iuuẽtutis perstringit.*

29. In illo atriolo,] *Eadem fere Suetonius de claris Rhet.* Cicero ad Praeturam vsque Graece declamauit: Latine vero senior quoque, & quidem consulibus Hirtio, & Pansa, quos discipulos, & grandes praetextatos vocabat. *in aliqua fortasse epistola, quae interciderit. nam apud Ciceronem haec nunc quaeri existimo. & quidem epist.* XVI. *lib.* IX. *ad Varronem, & alios scripta Iulio Caesare* III. *& M. Lepido Coss. Hirtium & Pansam dicendi discipulos, cenandi magistros se habere dicit. Quo tempore quia locus ei non erat in foro, ad declamandum se contulit: epist.* XVIII. *eiusdem lib. & vlt. lib.* VII. *Miror autem si Pansa & Hirtio Coss. ipsis Reipubl. principibus, & Ciceroni, in tãta omniũ rerũ et animorũ perturbatione ludere vacauit. Quare vereor ne hic integra dictio pro nota accepta sit, & cum scripsisset Suetonius,* & quidẽ cũ Hirtio & Pãsa, *exscriptores legerint,* Cõsulibus.

31. Potui viuam vocem] *Sic Lycosthenes Demosthenem dicebat* μόνον τῶν ῥητόρων ἔμψυχον παρέχειν, οὐ σφυρήλατον τὸν λόγον. *Lucianus in Demosth. Encomio.*

32. Non quales] *Veteres Rhetores in virtutum ac vitiorum, paupertatis, diuitiarum, ceterarumque id genus rerum laudationibus, vituperijsque, vel quaestionibus generalibus ex Philosophia morali desumptis citra complexum personarum, temporum, aut locorũ sese exercuerunt, assumpta tamen a Dialecticis argumentandi ratione. Propria enim quae ex personis, rebus, negotiorumque natura ducitur, vti non potuerunt: hancque primam & diu solam exercitationem habuerũt. Circa Demetrij Phalerei tempora, hoc est, circa Olymp.* CXVII. *annumque vrbis* CDXL. *ad imitationem fori conciliorumque suasoriae, iudicialesque personis, locis, temporibus definitae, negotijsque accommodatae materiae, in scholis frequentari coeperunt. Quas etiam Latini tandẽ admissis puero Cicerone in vrbem Rhetoribus, L. Plotio Gallo primum Latine docente, declamitarunt. Hoc declamationum genus controuersias, siue causas: illud vero theses a proposita materia nuncuparunt. Suetonius notat & συντάξεις, vel, vt vetus Cl. V. P. Pithoei liber habet, συνθέσεις, controuersias dictas fuisse, nisi potius legẽdum esset ὑποθέσεις, quo nomine a Graecis appellantur. Quae primum autem controuersiae declamatae fuerunt, vel ex historijs trahebantur, vel ex veritate ac re si qua forte recens accidisset: talesq. a Cicerone, Hortensio, Caluo, ceterisque eius saeculi luminibus frequẽtatae fuerunt. Huius generis fuit illa Bruti pro Milone, Cestij in Milonem, sunt-*

que etiamnum illae de ordinanda Rep. Sallustio, & in Sallustium Ciceroni attributae declamationes, quae & in veteribus exemplaribus sic inscribuntur. Quamuis legerimus Ciceronem iam in Rep. principem, thesibus etiã exerceri solitũ. Tandẽ luxuriantibus ingenijs, & vulgaria consuetaq. fastidientibus in materias a veritate, et vsu forensi abhorrentes, velut ad inania simulachra & mera somnia deflexerunt. quales in his libris, & apud vtrunque Quinctilianum pleraeque, & quae ab Hermogene & Sopatro proponuntur. Haec ex Quinctiliani cap. I. & III. lib. V. lib. X. & alijs locis, Suetonij lib. de claris rhet. & Taciti dialogo excerpsimus.

39. Domesticae exercitationis] *Quinctilianus cap. II. & XI. lib. II. declamationem iudiciorum conciliorumque imaginem vocat.*

42. Latronis enim Porcij,] *M. Porcius Latro genere Hispanus,* primus clari nominis, *inquit Quinctilianus,* professor, *vel vt ait Plinius,* clarus inter dicendi magistros, *iudicio nostri Senecae tot egregijs declamatoribus qui secundum ingenijs Augusti saeculum illustrarunt, gloriam praeripuit. Volaterranus cuiusdam Maximi discipulum facit: vereor ne Marillium dicere voluerit, quem cum nostro auctore audiuit. eius mors extat in Eusebij Chronico ad Olymp. CXCIIII.*

P. 9, v. 15. Colorem mutauerat.] *Plinius cap. XIIII. lib. XX. hist. natural. eius discipulos vsu cumini syluestris pallorem magistri studijs contractum imitatos notat.*

28. Hoc quod] *Plinius cap. XXIIII. lib. VII. Quinctilianus cap. II. lib. XI.*

43. Antequam dicere inciperet,] *Id tunc temporis ab omnibus factitatum est. proprie enim fuit diuisionis munus, vnde etiam nomen accepit. postea successorum negligentia in desuetudinem abijsse notat, cum ait:* Nunc a nemine fieri video. *Et certe in declamationibus Quinctiliani, quas P. Pithoeus bono veterum auctorum natus restaurauit, & Libanij μελέταις, quotus quisque sermo, aut quota προθεωρία quaestiones propositae controuersiae exhibet?*

P. 10, v. 4. Nihil praeter epicheremata] *Auctor ad Herennium lib. II. argumentationem, epicherema Graecis esse dicit: sed hoc ἐν πλάτει. cum enim sit argumentatio argumenti explicatio, Enthymema argumentatio erit, & Epicheremate continebitur. quod & Apsinus lib. περὶ προοιμίων, & Minucianus siue Nicagoras lib. περὶ ἐπιχειρημάτων voluere. Melius & ad hunc locum aptius Quinctilianus, qui argumentationem intentione, assumptione, & connexione, earumque probationibus constantem vocauit: & Commentator librorum Hermogenis de inuentione, συλλογισμὸν μετὰ τῆς οἰκείας τῶν μερῶν ἀποδείξεως, Enthymema vero συνεστραμμένον λόγον ἀτελῆ καθ' ἓν ἀξίωμα definit. hoc enim est Enthymema. maxime, inquit Cicero in Top. si ea ratio ex contrarijs ducatur. quia enim acutissima est, &, vt ait Hermogenes, δόξαν δριμύτητος τῷ λέγοντι προστίθησι, per excellentiam Enthymema vocatur. Proprie igitur & significanter Iuuenalis Satyra VI. dixit:*

— aut curtum sermone rotato
Torqueat Enthymema.

Nam praeter quam quod συνεστραμμένος δεῖ λόγος, eius perfectio est βραχύτης κώλων, καὶ εὐρυθμία καὶ τὴν σύνθεσιν τῶν ὀνομάτων, quae maxime auditorum animos feriunt. In his igitur duobus argumentationis generibus exercebatur Porcius. Qui de ijs diuersas auctorum sententias scire desiderabit praeter Apsinum, & Minucianum; legat Quinctilianum cap. X. & vlt. lib. V. Chirium Fortunat. lib. II. rhet. & Hermogenem lib. III. de inuent.

5. Quas proprie sententias] *Hoc loco sententiae γνῶμαι sunt, quas inter προγυμνάσματα Rhetores habuerunt. Aphthonius, & Theon in progymnasmat. Quandoquidem in ijs puer exercitatus esse deberet antequam Rhetori traderetur. Quod munus Grammaticos Rhetoribus praeripuisse, Rhetorasque cõtempsisse conqueritur Quinctilianus cap. I. lib. II. Translatitias autẽ dixit, vel quod apte satis alio transferantur: vel quia non nouae, sed aliunde translatae essent. quemadmodum Asconius translatitium edictum, quod singuli praetores a decessoribus suis mutuatum in suum transferebant, a Cicerone III. in Verrem dictum scribit; & a maioribus accepta consuetaque translatitia dicimus. quae quia, vt plurimum, ex more potius, & dicis causa fiunt quam ex animo, quae perfunctorie geruntur, translatitia appellamus. sic enim Plinius epist. XXXVII. lib. IX. translatitia officia, Suetonius translatitium funus in Nerone, & Petronius translatitiam humanitatem vocarunt.*

IN CONTROVERSIAM PRIMAM.

PAGINA II, v. 18. Immo quòd abdicauit, quòd aluit.] *Videtur deesse negatio. Nec enim senex fratrem aluit, & si fleret quia aluisset, misericordia indignus videretur: sed ait eum flere quia filium abdicauit, fratrem non aluit. legendum igitur,* quòd non aluit.

25. Volo quaedam futura praedicere] *Delenda vox* futura. *Praedicere enim est hoc loco, quod Aedilibus in edicto suo certiorem facere morbi vel vitij rei venditae, & legem dicere Horatio lib. II. Epist. ad Florum de mangone seruum vendente:*

—semel hic cessauit, & vt fit,
In scalis latuit metuens pendentis habenae:

Des

Des nummos excepta nihil te si fuga laedat.
Ille ferat pretium, poenae securus opinor.
Prudens emisti vitiosum: dicta tibi est lex. *hoc est praedicere.*

38. Iter ei monstrat.] *Veteres editiones habent* misereri monstrat. *quae lectio ferri potest.& linea sequenti*, sacra populi digna est, *legunt* satra populi, *aeque corrupta lectione.*

52. Cum abdicas.] *Aptius fortasse*, cum adoptas, abdico. *vt constet* ἀντιστροφή.

P. 12, v. 2. Diuisio] *Diuisio, quae Graecis dicitur* διαίρεσις, *est*, ἡ τοῦ γένους εἰς εἴδη τομή, ἢ δὲ τοῦ ὅλου εἰς μέρη, ἀλλὰ τοῦ πολιτικοῦ ζητήματος εἰς τὰ λεγόμενα κεφάλαια. Ζήτημα, *praecipua controuersiae quaestio, in qua causae status vertitur:* κεφάλαια, *minores quaestiones ex principali descendentes, eamque fulcientes: de quibus tantum quaeritur, vt de principali, sententia feratur. Haec Theodorus etiam* εἰδικὰ κεφάλαια, *vt illam de qua maxime quaeri ac iudicari debet*, γενικώτατον κεφάλαιον *vocauit. Exempla suppeditant praeter hunc nostrũ auctorem, Hermogenes* περὶ στάσεων, *& Sopater* περὶ διαιρέσεων. *Hanc Graeci nimiũ fere in scientijs acuti ab inuentione separarũt, & inuẽtionis quidẽ* τὴν ἐργασίαν χορηγοῦν τῶν κεφαλαίων, *diuisionis vero* τὴν ἐπαρίθμησιν καὶ τάξιν διδάσκειν *esse voluerunt. Simplicius Latini vtrunque inuentioni tribuerunt. Nam & diuidere praecipuam quaestionem, id est, inuenire quae quaestiones in eam incidant, & ex arte quamque particularium tractare, eiusdem facultatis esse videtur: nec alia est ratio epicherematum & tractationum, quae inuentionis sunt, ad minores quaestiones, quàm earundem quaestionum ad principalem. Vt enim haec particularibus quaestionibus, ita particulares epicherematibus & tractationibus constant. Ab hoc inuentionis munere sermo ille qui a declamaturis velut futurae declamationis pompa, antequam ad dicendum consurgerent, habebatur, diuisio dictus est. Solebant enim sedentes paucis quibusdam praemissis, quae attentiorem redderent auditorem, controuersiae de qua dicturi erant argumentum ac thema proponere: inde quaestionem, in qua status, continens, ac iudicatio esset, elicere: deinde quae in principalem quaestionem, & quot inciderent quaestiones, quo ordine ac modo, quibus coloribus, argumentis, verbis tractari deberent, aliquando etiam quae figurae, et qui affectus in vnamquamque quaestionem recipi possent, differere. Saepe etiam vnde exordium sumendum, vbi, & quatenus narrandum, probandum, refellendum, deprecandum perorandumque, dicebant. Quin etiam si quid ab alijs in ea vel simili controuersia non recte diuisum, si inepto colore tractatum, siquid nimis antiquis, si nouis, si vulgaribus aut sordidis verbis dictum, indicabant, suasque partes interponebant: tum demum surgentes declamabant. noster auctor toto hoc opere: Quinctilianus lib. II. Instit. & alter Quinctilianus in declamationibus. Plinius epist. III. lib. II. & II. lib. IIII. Sopater* περὶ διαιρέσεων, *& Libanius* ἐν μελέταις. *Diuisionem autem, praelocutionem, praefationem, sermonem,* διαίρεσιν, *&* προθεωρίαν, *vnum idemque valere apud illos auctores perspiciet, qui quae ab illis de ea re dicuntur, diligentius pensitabit.*

4. Latro alias quaestiones fecit:] *Rectius fortasse*, illas quaestiones fecit.

7. Sed etiam ab auo] *Puto generalius conceptam fuisse quaestionem, legendumque* sed etiam ab alio adoptatus est. *Nam hic non ab auo, sed a patruo adoptatus est.*

8. Tanquam aeger, vinctus, captus:] *Quinctilianus cap. X. lib. V. in hac quaestione alijs etiam exceptionibus vtitur, si miles, si infans, si resp. causa absit.*

14. Tractatio magis est quàm quaestio.] *Diximus in controuersia haec esse, aut esse posse: quaestionem generalem, de qua praecipue quaeritur, & speciales, de quibus ideo quaeritur, vt de generali iudicetur. Ipsae etiam speciales aliquando sua membra habent quaestionum speciem habentia, quae tamen non vt quaestiones separatim, sed in quaestionibus vt earum partes tractanda sunt. haec vel tractationes, vel loci, prout in ijs diu vel parum immorandum est, quod ex iudicio prudentis oratoris dependet, dicuntur. Hoc loco quaestionem fecerunt Graeci, an adoptatus abdicari possit. recte. eiusmodi enim est, vt suam propositionem, probationem, refutationem, epilogum, quantum quaestioni particulari sufficiat, habere debeat. Alteram addidit Gallio: An adoptatus abdicari possit ob hoc vitium, quod antequam adoptaretur, adoptanti notum fuit. Male, inquit noster auctor. nam non est quaestio, sed tractatio, id est, amplificatio, & velut praecedentis quaestionis extensio, quae separatim tractanda non est, sed velut pars in praecedenti quaestione. Nempe non posse abdicari qui patrem suum aluit, qui adoptatus fuit, & eo minus quia eius in suos contumax affectus, propter quem nunc abdicatur, non ignotus fuit adoptanti. addet etiam locum omni quaestione fortasse fortiorem, propter hanc pertinaciam adoptionem meruisse & adoptatum fuisse, quae vt tractationem, & locum, id est, vt partes quaestionis, non vt quaestiones exsequetur. Cyrus tamen* περὶ διαφορᾶς στάσεων, *cap.* περὶ ἀποκηρύξεων, *ex ea tractatione, quemadmodum Gallio, quaestionem effecit, statumque negotialem. Eius generis autem exempla plura discutiuntur a nostro auctore in sequentibus, ex quibus hi quaestionis, tractationis, & loci gradus clarius & apertius demonstrantur.*

27. Vultu vetabas. aut mihi ita videbaris.] *Lego*, At tu vetabas. Haud mihi ita videbaris. *quod ex sequentibus clarum est.*

31. Color.] *Color est apud rhetores praetextus, quo factum minus ex se probabile tegitur & coloratur. Id nomen satis indicat, quod fucum subolet. Graecis eodem significatu* χρῶμα *dicitur, quod ita definiuit Marcellus in Hermogenem, vt sit* μετάθεσις τῆς αἰτίας ἢ τὸ ὑπεύθυνον εἰς τὸ ἀνυπεύθυνον μεταθεῖσα. *Huius nominis rationem vult Quinctilianus cap. vlt. lib.* III. *duci, quòd maxime tuendus sit color dicentis ingenio, & aliquando ad solam dicentis verecundiam pertineat. Vitiosus enim ille est, vt inquit noster Seneca, qui od testem ducit. Simplicius contra suum morem, hac in re Sopater in Hermogenem, qui dicit vocari,* διὰ τὸ πρόφασιν παρέχειν τῆς ἀπολογίας, καὶ οἱονεὶ χρωννύναι τὸν λόγον. *quemadmodum etiam hoc vocabulo vsi sunt, Valer. Maximus cap.* II. *lib.* VIII. *& iurisconsulti Vlpianus lib* VIII. *de offic. proconsul. atque Marcellus lib.* VII. *digestorum, in pandectis, sub titulis de donationib. inter virum & vxorem, & de Abigeis. Quin & ipse Quinctilianus eam metaphoram in hoc vocabulo agnoscit, cum scribit cap.* VIII. *lib.* III. *dandum deformibus colorem etiam apud malos. Porro haec definitio colori proprie ac stricte sumpto conuenit, scilicet vbi qualitas tantum facti cõtrouertitur, &* αἰτίας *causamque facti seu rationem defensionem continentem significat. Id enim proprie color est, quod & Hermogenes cap.* I. *lib.* περὶ στάσεων *indicat.* θαυμάζω δὲ, *inquit*, εἰ μὴ χρωμένου πράγματος αἰτίαν ἀποδώσει, καὶ τὸ λεγόμενον χρῶμα. *quo loci notant commentatores Graeci* αἰτίαν καὶ χρῶμα ταυτὸν μὲν εἶναι, ἐκ παραλλήλου δὲ κεῖσθαι. *At vero vt* αἰτία *non obseruata Hermagorae solicita distinctione tam pro causa iudicij, quàm pro causa facti sumitur, id est, etiam* τὸ αἴτιον *complectitur & causatiuum litis quod vocat Fortunatianus, tamque ab actore est quàm a reo: ita etiam color. Itaque color & deprecationem comprehendit, & omnem rationem tam actoris qua damnãdum reum nititur, quàm rei qua se absoluendum. Et cum apud Graecos quaedam sint causae* ἀχρώματοι, *in quibus nullam reus facti a se commissi excusationem, nullum praetextum inuenire potest: vt si quis ne in bellum proficiscatur sibi pollicem praesciderit, vel in adulterio,* ἄρθρα ἐν ἄρθροις *deprehensus fuerit, vel vt illa de qua Iuuenalis lib.* II.

Quae iacet in serui complexibus aut Equitis, dic,
Dic aliquem sodes heic Quinctiliane colorem.
Haeremus: dic ipsa.

tamen eum qui nullam excusationem habet, solam poenitentiam habere colorem dicit idem Quinctilianus cap. I. *lib.* II. *Itaque eo significatu non erit controuersia quae deprecatione sola nititur, nec vlla alia* ἀχρώματος. *Et infra toto hoc opere singulis controuersijs colores tam actorum quàm reorum subijciuntur. Vnde ergo dicet aliquis in illis Quinctiliani declamationibus diuisio coloratarum, & tractatarum? Nescio. & vereor ne qui primus sic illas distinxit, illudere, aut crucem figere ingenijs voluerit. Nam, vt non anxie in singulas inquiram, quae prima occurrit inter coloratas, tota scripti & voluntatis est: in quo quidem quaestionis genere proprie non est color: & tractatarum vltima tota colore nititur. Nam qui venenum dedisse fatetur, si non habet quid dicat cur hoc fecerit, nulla controuersia erit. factum enim per se improbum est. Colorem igitur oportet inueniat, nempe se misericordia motum, ne tamdiu miser cruciaretur, illudque non proditori pessime merito, sed humanitati dedisse. Praeterea satis patere nullos proditorem conscios habuisse, quos ne bis quidem tortus indicarit, periculumque fuisse ne si tertio torqueretur, in Remp. male affectus eos nominaret quos maxime Reipubl. conducere nosset, suspicionibusque ciuitatem impleret. Ex quibus apparet, & quae colorata dicitur non esse, & quae tractata coloratam esse. Vt omittam vitiosam esse illam diuisionem in tractatas, & coloratas, cum toto genere color a tractatione differat.*

36. Mouet & humanorum causa, & tam manifesto] *Nescio an non propius ad verum, si legamus,* mouet & humanorum casuum iam manifesto approbata exemplo varietas. *Nam veritatis vocabulum minime ad locum facit: varietatis autem maxime fortunae quadrat: cuius supra legem esse dixit praestare quae exegeris.*

52. Nam patrem vt alteri patri faciam iniuriam,] *Forte*, Non alerem, vt alteri patri facerem iniuriam, alteri inuidiam? *Non alendo enim famelico iniuriam fecisses, diuiti inuidiam.*

P. 13, v. 11. Et si quid de mensa mea detrahere potui,] *Elegantior erit locus si* de demenso meo *scribatur. Terentius in Phormione:*

Quod ille vnciatim vix de demenso suo,
Suum defrudans genium, comparsit miser, *&c.*

quem locum videtur exprimere voluisse Hispanus.

13. Vltro aiebat hunc sequendum,] *Nisi me coniectura fallit, legendum est* Latro aiebat: *vt quemadmodum pro altera parte primum quibus coloribus Latro vsus est, exsequutus est: ita pro abdicantis parte faciat.*

29. Qui de facto fratrum] *Melior meo iudicio epitomes lectio:* Quis es tu qui de facto patrum sententiam feras. *maioris enim est* ἐμφάσεως. *Verum quia illa vulgaris sustineri potest, ideo mutare nolui.*

40. Her-

40. Hermagoras] *Temnaeus Aeoliae, cognomine dictus Carion, Theodori discipulus, sub Augusto floruit, quattuorque libros artis Rhetorices edidit. Male apud Suidam sex ponuntur, cum quattuor tantum enumeret, nempe* περὶ ἐξεργασίας, περὶ πρέποντος, περὶ [illegible], περὶ σχημάτων. *Romae cum Q. Caecilio docuit, vbi etiam admodum senex decessit. vt verum esse potuerit quod ait Quintilianus, sua aetate quosdam superasse qui Hermagoram viderant: apud quem etiam eius hac extat elogium.* Hermagoras, *inquit,* vir subtilis & in plurimis admirandus, tantum diligentiae nimium solicitae, vt ipsa eius reprehensio laude aliqua non indigna sit. *Haec cap. I. & vltimo lib. III. & Strabo lib. XIII. ex quibus apparet alium esse ab Hermagora qui pariter rhetorica scripsit, cuius apud Ciceronem & Cornificium sit mentio.*

IN CONTROVERSIAM SECVNDAM.

57 SACERDOS nostra] *Epitome scriptum habet* vestra. *vtrunque quia ferri potest, quod receptum est retinui.*

P. 14, v. 16. Domi lenonis rationes] *Quid si legamus,* Da mihi lenonis rationes: captura conuincet. *id est tantum ab adeuntibus accepisse, quantum quamuis aliam meretricem, vt inde castiorem ceteris non esse clarum sit.*

21. Quae feceras palam,] *Paulo melius fortasse,* Quae feceris palam.

27. Omnes partes corporis] *Exposita enim mancipia ab empturientibus, num sana & integra essent, contrectabantur. Martialis lib. VI. Epigram. LXXXII. Suetonius Octauio, cap. LXIX. Porro linea eadem legendum,* vultis auctionis exitum audire? *non* actionis.

42. Cellae tuae titulus,] *Qui nomen meretricis prostantis indicaret. Iuuenalis Sat. VI. de Messallina,* —titulum mentita Lyciscae.

Martialis lib. XI.

Intrasti quoties in scriptae limina cellae,

id est, titulum habentis. Huiusmodi titulos intelligit Petronius Arbiter, cum scribit, Cum ego negarem me cognoscere domum, video quosdam inter titulos, nudasque meretrices furtim spatiantes. *Tertullianus de pudicitia statim initio:* Ego & moechiae & fornicationis delicta poenitentia functis dimitto. O edictum cui adscribi non poterit bonum factum. Et vbi proponitur liberalitas ista? ibidem opinor, in ipsis libidinum ianuis, sub ipsis libidinum titulis.

49. Adiiciebat Zeno,] *Quid si legamus* Silo? *Nam Zenonis Rhetoris latini alibi non fit mentio. Zeno tamen Rhetor Graecus apud Strabonem lib. XIIII. nominatur: sed Hispone paulo antiquior fuit, cui adeo adijcere non potuit.*

P. 15, v. 10. At omnes fauere] *Ceterae editiones,* Aut omnes fauere fabulis tuis, aut omnibus *&c. vnde coӱcio legendum,* Haud omnes fauere fabulis tuis, haud omnibus persuasum est.

24. Conseruarum oculis inquinatur,] *Lego,* conseruarum osculis inquinatur.

52. Puta enim virginẽ] *Locus corruptus & a verbis, & ab interpunctione: qui tamen leuissima opera curari potest, si legamus,* Puta virginem quidem esse te, sed contrectatam osculis omnium, etiam si citra stuprum, cum viris volutatam, An casta talis, *&c. Nec dubito quin vera sit haec huius loci lectio. Nam cum lex sit* CASTA E CASTIS, *iure quaeri potest an haec ad mentem huius legis casta, quae licet incorrupta, in lupanari tamen versata sit.*

55. Aiebat Apollodorus quidem placere, si fixa esset,] *Locus mirum quantum vitiatus, & quem ex parte depono: videor tamen videre quid dicat. Scholae praeceptum est vitiosas esse illas quaestiones quae contra thema sunt. qua ratione dubitari potest, num haec vltima quaestio, An virgo sit, velut contra thema, sit vitiosa. At Apollodorus negat esse. non enim poni virginem, sed quaeri. Quare legi poterit:* sed hic non rep. contr. huic supicioni. Non enim ponitur adhuc virgo: & multa sunt, *&c. & sane in themate dicitur virgo empta, sed non virgo ex lupanari euasisse.*

P. 16, v. 17. Figuram diuisit in controuersiam.] *Vide num rectius legamus,* Albucius figura diuisit controuersiam: *vel,* in figuras diuisit controuersiam. *infra enim controuer. V. lib. II. dicit,* Albucius decentissime fecit. Solebat enim fere in aliquas figuras declamationem describere, & prius egit iniusti repudij: deinde ingrati. *Porro hoc loco generalius nomine accepto figuram vocat conformationem declamationis remotam a communi & primum se offerente ratione.*

32. Haec, inquit, arma quae nescis] *Fortasse,* Haec, inquit, arma te nescis tenere pro pudicitia? *& linea ab hac secunda,* accusator enim inuentus, qui iudici eius, *&c.*

46. Notum in libidine] *Veteres editiones habent* vultum in libidine magisterium. *Ex quo elicio legendum,* multum in libidine magisterium. *Veteres editiones cum dico, duas illas antiquas Venetianas, de quibus in praefatione loquutus sum, intelligo: quod semel admonuisse sufficiat.*

P. 17, v. 1. Apparet quas proposui, dicendum] *Haec quia corrupta sunt in editione recenti*

Romana, omissa sunt: mallem tamen ex his aliquid efficere & legere, Alterius partis color nihil habet difficultatis. Apparet ex his quae praeposui. *vel*, Alterius partis colorem nihil habere difficultatis apparet *&c.*

14. Et penetrauerint.] *Potius legendum* & perpetrauerint.

Ib. Hybreas] ὁ χαθ' ἡμᾶς γενόμενος μέγιστος ῥήτωρ, *inquit Strabo lib.* XIII. *ex Mylasa Cariae ciuitate, quam Plinius libro* V. *cap.* XXIX. *liberam fuisse dicit, ortus, Diotrephisque Antiocheni discipulus, floruit initio imperij Augusti, aequalis Nicetae rhetori, & Theodoro. Eusebius ad Olymp.* CLXXXVII. Nicetes, & Hybraeas, & Theodorus, & Plutio nobilissimi artis Rhetoricae Graeci praeceptores habentur. *Ita enim diserte habet vetustissimus codex clarissimi senatoris Cl. Puteani, cuius egregiam doctrinam & probitatem suauissimosque mores nemo qui nouit, non amat. Male vulgo apud Eusebium legitur* Hybraeas, *ex qua tamen lectione patet in exemplaribus, vnde sumptae sunt editiones vulgares, per diphthongum scriptum fuisse hoc nomen: quemadmodum etiam in Puteani codice extat. Graeci absque diphthongo scribunt. Huius Hybreae vitam plenissime describit idem Strabo libro* XIIII. *a quo cuique petere licet.*

IN CONTROVERSIAM TERTIAM.

26 INCESTA de saxo deiiciatur.] *Lex est scholae. Sacerdos enim incesta viua defodiebatur.*

46. Aut dij sacerdotem.] *A veteribus editionibus abest illud vocabulum*, dij. *& vereor ne recte, eiusque loco legendum sit* nos, *vt infra in sententijs Cornelij Hispani.*

P. 18, v. 23. In templo dixerat,] *Nemo, credo, non videt legendum esse*, vixerat.

43. Quae ooo probabat ille.] *Ex sequentibus apparet de Cestio loqui nostrum auctorem, ad finem vsque fere controuersiae. Quare hoc loco lubenter legerem*, AEque oon probat illud Triarij: Remissam tibi poenam putas? Ampliata est. Nam ipsa, inquit, ampliatio. *Haec enim est ratio quare Cestius ampliatam poenam corrupte dici volebat. Dij enim qui omnia sciunt*, AMPLIVS *vel* N. L. *pronunciare non possunt. sed dubito num etiam illud vocabulum* AMPLIVS, *hoc loco reponendum sit, legendumque*, Nam ipsa, inquit, ampliatio, quae apud iudices fieri solet, & verbum AMPLIVS in sententia positum non est damnantis, sed dubitantis.

46. Tunc Germanici gener, vt praetextatus,] *Fortasse*, adhuc praetextatus.

47. Quòd tam cito oculis poena subduceretur,] *Ceterae editiones*, Quòd tam cito oculis paene subduceretur, *habent. lego* quòd tam cito poenae subduceretur, *inducta voce* oculis. *id est, quòd tam cito supplicium transcurreret.*

52. Pater tuus] *Quinctilius Varus insigni clade, cuius etiam pars fuit, nobilitatus.*

54. Multum Cestius hanc corripuit,] *Potius legerem* hunc corripuit, *vt ad Pastorem Aetium referatur, non ad sententiam.*

58. Othonem Iunium patrem] *Huius Othonis pudendum elogium extat apud Tacitum lib.* III. Iunio Othoni, *inquit*, litterarum ludum exercere vetus ars fuit. mox Seiani potentia senator obscura initia impudentibus ausis propoluebat, *vel potius* perpoluebat. *Ita enim emendatior locus videbitur.*

P. 19, v. 5. Quia non potes, non vis mori.] *Nemo non videt haec nibili esse. Veteres editiones propius a sanitate absunt, quae negationem non habent: leguntque*, quia oon potes, vis mori. *germana enim lectio est, nisi me coniectura fallit*, Quia non potes bis mori. *qua affectum indignantium exprimere voluit.*

IN CONTROVERSIAM QVARTAM.

PAGINA 20, v. 8. Membrorum omnium tortionem] *Linea praecedenti vocauit stuporem totius corporis. Vnde clarum est legendum* membrorum omnium torporem descripsisset.

Ib. Gorgias] *Non ille Leontinus, sed alius Rutilio Lupo aequalis, qui de figuris quatuor libros scripsit, quos Lupus in vnum suum transtulit. Quinctilianus cap.* II. *lib.* IX. *Vnde merito dubitari potest, an qui vulgo duo de figuris libri Rutilij Lupi extant, sint illius Lupi cuius meminit Quinctilianus, quem vnum tãtum librum scripsisse ait. Nisi fortasse postea ab exscriptoribus ex vno duo effecti fuerint. Constat enim e Graeco translatos, titulusque a Gorgia sumptos praefert.*

9. Pammenes ex bonis declamatoribus] *Suspicor legendum*, ex nouis declamatoribus, *errore in libris familiari.*

40. Punitius] *Scribendum reor*, P. Vinicius, *de quo plura infra.*

46. Nicetes illam sententiam] *Non ille sacerdos quem Smyrnae docere, cum scriberet dialogum de oratoribus, ait Tacitus: aetas enim non patitur: sed is quem supra ex Eusebio aequalem Hybreae, &*

Theodoro

Theodoro diximus, quos constat initio principatus Augusti celebres fuisse.

51. Exüt nouissime maritus,] *Ceterae editiones*, extenuissime maritus, & dedit. *Ex quorum vestigijs aliquando effeceram*, extimui maritus, & dedi adulteris locum.

IN CONTROVERSIAM QVINTAM.

PAGINA 21, v. 14. Habes qui te vindicet.] *Rectius fortasse*, habes quae te vindicet, *scilicet raptam quae mortem optauit.*

20. Stulta deciperis, dicam suus.] *Haec nullius sensus esse cuiuis perspicuum. ex vestigijs tamen corruptae scripturae sequēs lectio elici potest.* Stulta deciperis. Dicam si vis, quid dixerit tibi. Idem enim dixit & huic. Dum te peto, in illam incidi. *Sunt verba patroni eius quae mortem optauit, ad raptam quae nuptias: vt eam deceptam fallacibus raptoris verbis doceat. Dicam, inquit, si vis, quibus verbis inducta es a raptore, nuptias optare. Iisdem enim ipsis conatus est hanc cui patrocinor impellere. Haec autem sunt:* Dum te peto, in illam incidi. *Eadem infra Pompeius Silo pro raptore excusatione se vsum dicit.*

P. 22, v. 26. Hoc Albutium potuisse dicere,] *Supra enim Graecis eum praeeminere dixit.*

IN CONTROVERSIAM SEXTAM.

PAGINA 23, v. 6. Auro puro fulgens praelucet Capitolium.] *At vero haec contraria sunt, nihil nobilius ea casa humili: praefulgere tamen Capitolium. Quare lego*, nihil humili casa nobilius. fastigiatis supra tectis, auro puro fulgenti praelucet Capitolio. *Vult enim dicere populum Romanum pluris facere stramina casae Romuli, humilis originis monumenta, quàm Capitolium auro tectum. Vitruuius cap. 1. lib. 11.* Item in Capitolio commonefacere potest, & significare mores vetustatis Romuli casa in arce sacrorum stramentis tecta.

12. Si parum blande fecerimus, relinquit:] *Consecutio orationis exigit, vt legatur* relinquet.

14. Ista si nos reliquerit, repetet suos:] *Immo* repetet sua, *id est auferet dotem & diuitias, quas attulerit. Sequitur enim oppositum*, haec quod dedit, dimissa non auferet, *libertatem nempe, quam marito procurauit.*

17. Si volet ire, quaeret senex ille] *Lego*, si volet ire, quaerat, senex ille. *sequitur paulo post*, excutiat testamenta: *& paucis interiectis*, videat an nuptias suas amet. *Post verbum autem* quaerat, *virgulam addo: quia ad eum qui adoptari vult, non ad senem referendum est, vt* an salubris adoptio pupillo, intelligi possit, *inquit Vlpianus ad Sabinum.*

IN CONTROVERSIAM SEPTIMAM.

PAGINA 24, v. 22. Saeuitia incurrat?] *Veteres editiones*, incurratur.

30. Quod felici re, quod subitò] *Locus male habitus, & de quo quicquam spondere non audeo. Putaui tamen aliquanto melius habiturum, si scribatur*, feliciter, quod sublato inimico, non ante tyrannicidium nauigaui. *vt sit illud* feliciter, *Graecorum* ἀγαθῇ τύχῃ.

49. Q. Pius. Duplam pecuniam dabo.] *Ceterae editiones sic repraesentant hūc locum*, Duplam pecuniam dabo. Q. Pius. Polliceris, inquam, petiturum te tantas patrimonij vires habes. *quem sic emendare conor:* Duplam pecuniam dabo. Quid? plus polliceris quàm petierunt. Vnde tantas patrimonij vires habes. Etiam nunc tanquam de tyranni arca loqueris. *Nam Q. Pij non alibi mentio in hoc opere, & minimum discedit haec nostra coniectura a vestigijs receptae huc vsque lectionis.*

P. 25, v. 12. Allegij Flauij.] *Vbique in hoc opere Alfius dicitur: & ita hoc loco scribendum censeo. Flauij Rhetoris mentionem facit Quinctilianus cap. IIII. libri VII. Sed intelligo potius Virginium Flauium, de quo idem auctor lib. XI. quàm hunc nostrum.*

P. 26, v. 4. Qui desiderasset amissum, quod non vindicasset.] *At vitio verti patri non potest, si non vindicauerit filium tyrannum. Quare lego* qui vindicasset. *nam sequitur*, & negauit vllam aliam causam, *&c.*

7. Vt liberius diceret, latrocinium filio dedit.] *Lego*, patronum filio dedit. *filium enim nō decet nisi seruata reuerentia, quae naturaliter debetur, in patrem agere: patrono plus licet. quod obseruarunt prudentes declamatores in omnibus ijs personis quae naturae vel beneficentiae vinculo inter se obligatae, libere agere non possunt. Sic infra hac ipsa declamatione Albucius patri patronum dedit, vt liberius in filium ageret.*

17. Iratus fui, hodieque paciscor,] *Pacto hic nullus est locus. Quid si legamus?* Iratus fui, ho-

dieque irascor, & queror *&c. quod satis antecedentia, & consequentia demonstrant.*

25. Δωὰς] *Hunc Homeri versum ex coniectura huic loco addidimus. Quod enim miser ille senex Iliados vltimo de Achillis, hic de filij sui manibus conuenientissime dicere poterit.*

49. Quod occupans fratrem] *Haec nullum sensum habere quisque videt. Habebunt, si ita legamus,* quod occupantem arcem fratrem suum non ignorasset, at dissimulasset, vt tyrannicidio quoque eius commendationem faceret. *Audacior forte coniectura, cuiusque auctor fundusque esse nolim. quae tamen si non verba, certe mentem auctoris exhibet.*

53. Panem quem cani das, patri non das.] *Quinctilianus cap.* III. *lib.* VIII. *inter haec quae humilia videntur, apte tamen posita gratiam habent, vimque rebus afferunt, huic prope similem sententiam ponit.* Laudari, *inquit*, me puero solebat: Da patri panem: & in eodem, etiam canem pascis. *subiungit*, Res quidem praecipue in scholis anceps, sed frequenter causa risus. *Vnde non mirum est, si haec Albucij sententia suos amatores, derisoresque habuerit.*

IN CONTROVERSIAM OCTAVAM.

PAGINA 27, v. 12. Tertio. audiui velut denuntiantis deos,] *Illud* tertio *ad sensum non facit. Legerem potius,* Terreor. Audiui velut denuntiãtes Deos. *quod sequentia satis ostendunt.*

13. Ego a diis vacationem] *Ceterae editiones legunt,* Ego aduocationem in vnam pugnam petij. *quod vereor ne mutari in editione Romana non debuerit. Aduocatio enim dilationem significat, quae reis dabatur ad respondendum. L. Seneca in* Ἀποκολοκ. Tandem procedit P. Petronius homo Claudiana lingua disertus, & postulat aduocationem, *id est, ad praeparandum se responsioni dilationem. infra praef.* III. tanta illi perturbatio fuit, vt aduocationem peteret. *Inde pro quauis dilatione acceptum vocabulum. infra Controuer.* III. *lib.* II. Miserere pater, scis quàm breuis sit aduocatio mea, *id est, quambreue mihi tempus a lege concessum sit, intra quod te exorare debeam. In Catalectis Ios. Scaligeri,*

Cur differs mea lux rogata semper?
Cur longam petis aduocationem?

Quinctilianus declamator declamat. CCLXXX. Neutra res est quam differri oporteat: siue is est raptor qui poenam mereatur, non meretur aduocationem *&c. Non mutasset Muretus, qui hãc huius vocabuli significationem animaduertit in L. Seneca, libro primo de ira. At vacatio in vnam pugnam, contrarium eius quod vult dicere significat. Nam ea pugna finiretur vacatio. Quòd si quis dicat, vacationem in vnam pugnam accipi, ac si dictum esset, post vnam pugnam, Romae sic loqui solitos non puto.*

P. 28, v. 18. Hoc loco Gallus posuit.] *Vide ne legendum sit* Gallio.

28. Aeschines ex bonis declamatoribus,] *Legendum*, ex nouis declamatoribus: *& infra ad controuersiae finem,* Aeschines non ille orator: tunc enim non declamandi studium erat: sed hic ex nouis declamatoribus dixit. *quo loci legitur,* ex declamatoribus dixit nobis. *Is autem est Milesius, de quo ita Strabo lib.* XIII. καθ' ἡμᾶς δ' Αἰσχίνης ὁ ῥήτωρ, ὃς ἐν φυγῇ διετέλεσε, παῤῥησιασάμενος πέρα τοῦ μετρίου πρὸς Πομπήϊον Μάγνον.

44. Detrahere illum operibus suis glomerarium,] *Monstrum vocabuli ex duobus truncis vocibus coalitum. Suspicor legendum,* detrahere illum operibus suis gloriam, temerarium, sanguinarium. *cetera recte procedunt.*

54. Plancus, summus declamator,] *L. Munatium Plancum intelligit, ad quem Consulem designatum est liber decimus Epistolarum Ciceronis, in quibus male vulgo Cneus vocatur. Fuit autem Cõsul anno proxime sequente Ciceronis mortem & Censor cum M. Lepido* XXII. *post anno. de quo B. Hieronymus in Eusebij Chronologia ad annum* XVI. *imperij Augusti haec habet:* Munatius Plancus, Ciceronis discipulus, orator habetur insignis, qui cum Galliam Romanam regeret, Lugdunum condidit.

55. A Lesbocle Graeco] *Mitylenensi. Strabo lib.* XIII. *de Mitylena verba faciens:* ὕστερον δ' ἐγένετο χρόνοις πολλοῖς Διοφάνης ὁ ῥήτωρ, καθ' ἡμᾶς δὲ Ποτάμων, καὶ Λεσβοκλῆς. *Porro Graeca haec Lesboclis a P. Chiaconio sunt.*

58. Homeri versus ob hoc edidisse:] *Rectius fortasse,* Homeri versum addidisse. *is autem est ex eiusdem fide Chiaconij Iliados* ζ.

IN PRAEFATIONEM LIBRI SECVNDI CONTROVERSIARVM.

PAGINA 29, v. 20. Arellium Fuscum :] *Supra controuer.* VII. *Q. Fuscum vocauit, & controuer.* VIII. *atque alijs locis, Arellium Fuscum patrem, nempe vt ab Arellio Fusco filio rhetore secernat, quem Equestri ordine motum ob insignem calumniã, cum celebritate affectarentur adulescentium scholae, ex argento annulos habentem se vidisse Plinius scribit cap.* XII. *lib.* XXVIII.

28. Se Fabianus separauit :] *De hoc praeclarum extat elogium apud Senecam Philosophum Epistola quadragesima.* Fabianus, *inquit*, vir egregius & vita & scientia, & quod post ista est, eloquentia. *Huius autem scriptis saepe in suo opere vsus est Plinius. Scripsit autem libros Ciuilium & Philosophiae aliquanto plures quàm Cicero, adeoque elegantes, vt post Ciceronem, Asinium, & Liuium locum meruerit. Seneca Epist.* C. *quam vide. in ea enim egregie quae hic pater desiderat in Fabiano, requirenda non esse docet. Charisius etiam & Diomedes Fabiani librorum de animalibus, & causarum naturalium auctoritate aliquot locis vtuntur.*

40. Sed velocissimo cursu] Disputabat, *inquit filius*, expedite magis, quàm concitate, vt posses dicere facilitatem esse illam, non celeritatem.

42. Ab omni ambitu auersum,] *Praeposteram tamen ambitionem hoc Melae consilium vocauit Tacitus Ann.* XV.

53. Sextium audiret,] *Male antea* Cestium *legebatur, contra rei veritatem, & libros veteres. Is enim est Sextius philosophus Fabiani, & Socionis L. Senecae praeceptoris doctor. Duo autem fuerunt Sextij, Q. videlicet Sextius pater, qui a diuo Iulio latum clauum sibi oblatum recusauit, & eius filius, de quo B. Hieronymus anno quo Christum natum tradit, haec refert :* Sextius Pythagoricus philosophus nascitur. *ita enim legunt optimi veterum. ambo insignes philosophi, qui etiam sui nominis sectam Romae reliquerunt. Suetonius de illustribus Grammaticis in vita Crassicij*, Dimissa, *inquit*, repente schola transiit ad Q. Sextij sectam. *ita enim hunc locum vetus nostri Pithoei codex exprimit. Et Plinius capite* XXVIII. *libri* XVIII. *scribit Sextium e Romanis sapientiae adsectatoribus*, praecursa olei caritate ex futuro Virgiliarum ortu, magna tum vilitate propter spem oliuae, coemisse in toto tractu omne oleum. Atque vt apparuit causa, & ingens diuitiarum cursus, restituisse mercedem anxiae & auidae dominorum poenitentiae, contentum ita probasse opes sibi in facili cum vellet fore. *Sextiorum praeter Senecam in Epistolis & libris de ira saepe, & cap. vlt. lib.* VII. *naturalium quaestionum, meminit Quinctilianus cap.* I. *lib.* X. Scripsit non parum multa, *inquit*, Cornelius Celsus, Sextios secutus non sine cultu & nitore. *Male vulgo* scepticos secutus. *Sic enim docent legendum veteres codices, & praecipue antiquissimus doctissimi atque humanissimi nostri Danielis. Hoc igitur dicit, nec cum Philosophiae studeret, Fabianum declamandi studium intermisisse.*

58. Puero Cicerone Plotius.] *B. Hieronymus ad Eusebij Chronologiam Olymp.* CLXXIII. L. Plotius Gallus, *inquit*, primus Romae Latinam Rhetoricam docuit. *Cicero ad Titinnium, referente Suetonio de claris Rhetoribus :* Equidem memoria teneo pueris nobis primum Latine docere cepisse L. Plotiũ quendã: ad quem quũ fieret concursus, & quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. Continebar autem doctissimorum virorum auctoritate, qui existimabãt Graecis exercitationibus ali melius ingenia posse. *de quo plura apud eundem Suetonium, & Quinctilianum cap.* IIII. *lib.* II. *vide. quem etiam cap. vlt. lib.* XI. *de gestu scripsisse tradit.*

P. 30, v. 3. Tanto minorem natu quàm ipse erat,] *Ita plane duo optimi codices, nec tamen percuratus locus. Nam cum comparatio inter duos fieri debeat, hic non fit. Idem enim ac si scriptum esset,* & ego tanto minorem natu Fabianum, quàm ipse Fabianus erat, *quod ineptum est, nec Latinum. Infra praefatione septima de Albucio scribit :* Memini omnibus illum rebus omissis apud Fabianum Philosophum tanto minorem quàm ipse erat, cum codicibus sedere, *id est, quàm ipse erat Albucius. cui similem interpretationem hic locus non admittit. At vero pro comperto est Fabianum multo iuniorem nostro auctore extitisse, quod & hic vult dicere. Quare videri posset legendum,* Et ego tanto minorem, quanto ipse erat, *vt temporis sit comparatio : vel* quàm ipse eram, *vt ad Senecam referatur : neutrum tamen placet. Quid igitur? si quid audendum est, delenda potius censerem tria illa vocabula* quàm ipse erat, *& vno ductu legendum,* Et ego tanto minorem natu audiebam quotiens inciderat, non quotiens volueram. *quae lectio recte procedit.*

IN CONTROVERSIAM PRIMAM.

14 QVAE inter iocum ipsis dominis] *Fortasse*, quae in iocum cum ipsis dominis veniunt.

28. Qui abdicauit?] *Addita negatione lego*, qui non abdicauit? *Hoc enim confert patrem suum cum diuite, qui tres abdicaueras.*

32. Custos immensae,] *Veteres editiones habent* immensae cultor sillae. *fortasse legendum:* Quisquis es auarus pecuniae custos, immensae cultor Siciliae.

34. Impera quid vis. non negabo:] *Abest negatio a duabus veteribus editionibus. quae si recte abest, non absurde legi posset*, impera quidvis. nauigabo, militabo. *& sane duae illae sunt praecipuae rei faciendae viae.*

36. Quid porro ista mattimonia,] *Id est*, patrimonia. *Matrimonium enim pro patrimonio vsurpari docuit iampridem iurisconsultorum princeps Cuiacius. quare male hic, & cap.* III. *lib.* I. *de beeficijs in editione Romana huius vocabuli loco illud substitutum est.*

51. Neque potatus.] *Lego* nec nepotatus. *quod vocabulum extat apud Suetonium cap.* XXXVII. *Caligulae.* Nepotatus sumptibus, *inquit*, omnium prodigorum ingenia superauit. *Et apud Plinium cap.* XXXV. *lib.* IX. Subeunt luxuriae eius nomina, & exquisita taedia perdito nepotatu. *Ita enim vtrumque locum in veteribus libris legi, doctique viri sic in suis legisse admonuerunt.*

58. Cum Deos cum votis] *Ceterae editiones habent*, Quàm Deos cum votis parentum vidisti certantes? *vnde efficio*, Quando Deos cum votis, *&c.*

P. 31, v. 26. Quid tandem est quod in vitio corruperint?] *Quid si*, quod non vitio corruperint? *scribamus?*

36. Tenui fronte] *Conijcio scribendum* tenui fronde. *intelligit tectorium opus, quo parietes tenuibus marmoris crustis teguntur, quas frondes vocat hic. ad quod alludens B. Hieronymus in Ecclesiast. cap.* X. Hoc asseuerat, *inquit*, quod eloquentiae, & orationi quae verborum fit fronde composita, facile vulgus cedat ignobile.

38. Quinetiam montes] *Egregia luxuriae descriptio, quae tamen magno litterarum morumque malo corrupta est. quam aliqua ex parte sic emendasse fortasse videbimur:* Quinetiam montes syluaeque in domibus marcidis & vmbra fumoque viridibus excitantur. Exiguum est hoc, vt maria, amnesque imitentur, littoribus quoque moles inuehuntur, congestisque in altum terris exaggerant sinus: alij fossis inducunt mare. adeo nullis gaudere veris sciunt, sed aduersus naturam alieno loco, aut terra, aut mari mutata aegris oblectamenta sunt, & vmbrae fastidio rerum naturae laborātibus. Vix possum credere quenquam eorum vidisse syluas, *&c.* Quis enim tam paruis oblectare animum in vita possit, si vera cognouerit? videlicet quae, *&c.* An magna non capit? iam ne liberi quidem nisi alieni placent. *Quae autem hic praetermitto, nempe*, Quid faciam? si paruero, abdicabor: patrem amo. haec est contumacia mea: *sunt Viby Ruffi, ex initio huius controuersiae repetita, quae delenda censeo.*

P. 32, v. 22. Dico mihi licuisse adoptare:] *Haec a parte fily, vt ex sequentibus apparet. quod si verum est, locus non est integer, potiusque legendum videtur*, Dico tibi non licuisse adoptare. *Sequitur enim*, Et vt licuerit.

23. Et quod iure fit, verum est:] *Id est, aequum.*

31. Explosa quaestione, in omnia patri pareo dum] *Locus sine dubio mutilus, & qui non nisi ex veteribus libris persanari potest. quicquid tamen reliqui est, commodius sese habere videbitur, si ita legatur:* Explosa quaestione: An in omnia patri parendum sit. si in omnia: An ibi non parendum sit, quo efficitur ne pater sit. *Et paulo infra, si horum loco*, si non potest a nobis, *scribatur*, si non potest: An ob id, *&c.*

46. Contactu ipso nocentia transeunti bono.] *Magno iudicio vidit F. Pithoeus scribendum*, contactu ipso nocent, transeunt in bonos. *qua ratione Thales* κακίας βλαβερώτερον *respondit.* καὶ γὰρ τὰ χρηστὰ βλάπτει [illegible].

48. Ipsum amorem paupertatis] *Sensus videtur potius requirere*, vt ipsum nomen paupertatis *scribatur, etsi a recepta lectione remotius id sit.*

49. Si adoptatus placuerit, ego nec meo placeo:] *Lego*, Qui adoptatus placuerim? ego nec meo placeo.

52. An tamen bono id aduersus] *Legendum*, an tamen quod bono id aduersus patrem animo fecerit, ignoscendum sit. *Sequitur enim quaestio*, An bono aduersus patrem animo fecerit.

58. Ad iudicem districtum innocens] *Legendum*, nocens nollet, *ex superioribus.*

P. 33, v. 7. Non dicit in eum quem fugit?] *Legendum*, non diceret.

27. Propter

27. Propter quae non litiget.] *Negatio vacat, sensumque perturbat.*

47. Colorem aperte paratius] *Fortasse,* colorem a parte patris, cur hoc desideret, quidam dixerunt: Patrem cupidum diuitiarum, quod inuidiosum est: quidam ita, *deletis tribus illis voculis* in hoc vsum. *nihil assero.*

53. Nisi mihi illudis.] *Ceterae editiones habent*, quid si mihi illudis tantum vnicum? *vnde conicio legendum*, Quid sic mihi illudis tanquam vnicus? *Et paulo infra*, Tentaui illum statim reducere. *Et altera post linea*, quotiens tentaui, subirascens tum respondit, num vnquam possit diuiti deesse filius?

57. Amicos, inquit, abdicat. vsus sum.] *Fortasse* vsu fit, *id est, solet fieri.*

P.34, v.6. Inter silentium & actionem.] *Hae sunt quae ἐν πλάτει figurate dicuntur, Graecis ἐσχηματισμέναι ὑποθέσεις, cum scilicet aliud dicitur, aliud significatur. Nam stricte sumpto vocabulo figurata tum demum est controuersia, cum palam dicere pudor impedit. at cum aliud est in voluntate agentis, aliud in themate, si propter periculum, quo prohibemur simpliciter agere & κατ' εὐθὺ quod vocant Graeci, obliquus erit ductus, & obliqua controuersia: si venustatis gratia, vt ipsa nouitate & varietate magis delectet quàm si recta esset, erit subtilis. Ita enim haec distinguit Fortunatianus. Ceteri tamen simplicius omnem eiusmodi orationis ductum figuratum appellant, a figura nempe quam praecipuè tum esse volunt, cum aliud simulatur dici quàm dicitur. Quinctilianus cap. 1. lib. IX. Hermogenes cap. XIII. περὶ εὑρέσεων. Dionysius Halicar. in arte. qui etiam quae obseruanda sunt in vnoquoque genere eiusmodi controuersiarum, tradiderunt, exemplisque illustrarunt. Ita etiam B. Hieronymus ἐσχηματισμένον λόγον, & figuratum, contempta illa subtili distinctione accepit, cum in praefatione in librum Iob haec scripsit:* Obliquus apud Hebraeos totus liber fertur & lubricus, & quod Graeci Rhetores vocant ἐσχηματισμένος, dum quis aliud loquitur, aliud agit. *Et in Epist. ad Ruffinum* LXVI. Praefatiuncula librorum περὶ ἀρχῶν ad me missa est, quam ex stylo intellexi tuam esse, in qua oblique, immo aperte ego petor. qua mente sit scripta, tu videris: qua intelligatur, & stultis patet. Poteram & ego qui saepissime figuratas controuersias declamaui, aliquid de vetere artificio repetere, & tuo te more laudare. *Haec enim proprie magis obliqua sunt. Figurata igitur est oratio, quoties per quandam suspicionem quod non dicimus, intelligi volumus, non vtique aperte contrarium, vt in εἰρωνείᾳ, sed aliud latens & auditori inueniendum. Quòd autem eiusmodi controuersias difficiles vocat, id potius ex vulgi opinione, quàm rei veritate esse vult Quinctilianus, cum sint multo faciliores. Nam rectum genus approbari nisi maximis viribus non potest: haec diuerticula, & anfractus, suffugia sunt infirmitatis.*

7. Antiphoutis libros] *Atheniensis Onirocritae, qui περὶ κρίσεως ὀνείρων scripsit. Suidas.*

13. Pro iuuene adulterij reo,] *Immo pro vxore videtur dixisse Iunius, quam praeiudicium petebat. & certe ceterae editiones hic legunt*, pro hac re ne adulterij reo, in quam Syriacus Vallius. *ex quibus vestigiis conicio, vel legendum* pro vxore adulterij rea, in quam Syriacus, *&c. vel nomen proprium mulieris adulterij accusatae sub his voculis delitescere.*

13. Syriacus Vallius homo disertus] *De quo Dio lib.* LVIII. Συριακὸς δ' οὐκ ἀδικήσας τι, οὔτ' αἰτιαθείς, ἀλλ' ὅτι παιδείᾳ ἐλλόγιμος ὤν, ἐσφάγη διὰ τοῦτο μόνον, ὅτι φίλον αὐτὸν ὁ Γάλλος ὁ Τιβέριος εἶπεν εἶ).

22. Paparium] *Lege* paratium, *μεσίτην. vetus lexicon. qua voce & L. Seneca in lib. de beneficiis, duobus locis vsus est. Hic vero intelligitur, cum quo dominus, vt ait ille, non familiae herciscundae, sed communi diuidundo egerit.*

26. Niger Brutidius] *Sub Tiberio Aedilis, & C. Silani accusator, cuius anceps elogium apud Tacitum lib.* III. Brutidium, *inquit ille*, artibus honestis copiosum, & si rectum iter pergeret, ad clarissima quaeque iturum festinatio stimulabat, dum aequales, deinde superiores, postremo suasmet ipse spes anteire parat, quod multos etiam bonos pessum dedit.

29. Tu Apollodorum] *De Apollodoro & Theodoro in Suasoriis dicemus.*

31. Contra Maximum Stertinium] *Qui artis Rhetoricae praecepta composuit. Quinctilianus cap. 1. lib.* III.

42. Non amas abdicatos? domum illorum occupa, ama, serua.] *Non inconcinna erit complexio, si ita legamus:* Non amas abdicatos? domum illorum occupa. amas? serua. *aliter friget hic locus.*

51. Hoc fieri expedit. quod, inquit, me tibi diuiti.] *Fortasse*, Hoc fieri expedit. cui? inquit. Mihi, tibi, diuiti.

54. Acta in aurem tegere.] *Assentior eruditissimo Lipsio, qui* acta in aurem legere *scribendum censet in commentariis ad Tacitum.*

Ib. Glycon Scyridion]*Scribe* Glycon Spyridion,*vt in praecedenti libro.de quo lepidißimam fabulam narrat Quinctilianus cap.1. lib.* VI. Nec ignotum, *scribit ille*, quid Glyconi cui Spyridion fuit cognomen,acciderit.Huic puer quem in ius productum,*nempe vt eius atate,& fletu iudices mouerentur*,quid fleret, interrogabat, ex paedogogo se vellicari respondit. *verisimile autem est a paedagogo vellicatum vt fleret:a Glycone vero in orando per* ἀποστροφὴν *interrogatum,non vt vllam responsionem eliceret,sed vt miserandum pueri statum iudicibus ostenderet, quem in ea atate se intelligere lacrymis demõstrabat. dum tamen misericordiam iudicũ mouere nititur, risum excitauit.*

IN CONTROVERSIAM SECVNDAM.

PAGINA 35, V.31. Si parueris,viues.] *Suspicor locum hunc aliquot voculis defectuosum:videtur enim scriptum fuisse*,vide qua te lege constrinxeris. si parueris,non viues: si non parueris, viues. *Per legem pactum intelligo iureiurando sancitum,cui si paruerit,moriente marito,ei quoque moriendum est: si non paruerit,viuet.*

36. Facilius potes carere eo qui spiritum debet,] *Vide num scribendum sit*, facilius carere potes eo cui spiritum debes,quàm eo cui impendisti?*id est.facilius ne abdicata carere potes patre, a quo vitam habes: quàm diuortens marito,cui vitam tuam impendisti?*

38. In diuinatione.] *Lego*, in diuisione.

P.36, V.4. Solutum carmen.] *Id de se testatum reliquit Eleg.vlt. lib.* IIII. *Tristium.*

20. Tu nobis religiosum nomen] *Forte legendum*,numen.

23. Dij boni? quomodo hic amauit vxorem?] *Persequitur tenerorum doctor amorum diuersos,immo contrarios amoris affectus, qui tamen difficile colligi ex edita lectione possunt. facilius certe si legamus*, Dij boni?Quomodo hic amauit vxorem,amat ille filiam. amat, & abdicat. *en contrary affectus.* dolet periclitatam esse,& ab eo abducit,sine quo negat se posse viuere: quærit periculum eius, qua paene caruit hic qui amare caute iubet. *de amoris vaesania cui non dictus Hylas?sed egregie praeter ceteros apud Stobaeum Plutarchus sermone* LXII. *ex lib. quòd amor non sit iudicium.*

26. Tum hos ponis terminos,] *Scriberem potius*,Tun' hos ponis terminos,vt nihil faciant nisi cons. nihil prom. nisi vt ius fact.omnia verba ratione & fide ponderent? *cum interrogandi nota.*

30. Prima peccaueris.] *Fortasse*,prima perieris. *videlicet pro marito: quod sequentia probant.*

43. Qui inter arbitros] *& amicos,vt patet ex elegia* IX. *ad eundem scripta, & vltima lib.* IIII. *de Ponto,quo loci etiam sidereum appellat. L.vero Seneca Epist.* CXXIII. *etiam elegantißimum fabulatorem fuisse notat.*

44. Semibouemque virum,] *Vereor ne hos duos versus quos segreges sibi fecerat ingeniosißimus poëta,contempto dominis imperio Grammatici corruperint. De altero res clara est. nam extat eleg.* XI. *lib.* II. *Amorum,quo loci ita vulgo legitur:*

Et gelidum Boream,praecipitemque Notum.

Diserte enim optimus clarißimi Senatoris Cl. Puteans codex, egelidumque Notum *legit. Alterum in Ouidy scriptis non reperiri puto.*

IN CONTROVERSIAM TERTIAM.

56. MORIAR,inquit,moriar hodie.] *Quaedam hic deesse videntur, nec dubito quin Latronis figuratam illam sententiam a Quinctiliano laudatam in hac controuersia posuerit hoc loco Seneca, qua credibilem suspicionem fecit se exorari posse. Quinctiliani locus cap.* II. *lib.* IX. *sic habet:* Est latens & illa significatio, qua cum ius asperius petitur a iudice, fit ei tamen spes aliqua clementiae:non palam,ne paciscamur: sed per quãdam credibilem suspicionem,vt in multis controuersiis,sed in hac quoque. Raptor nisi intra trigesimum diem,& raptæ patrem & suum exorauerit,pereat. qui exorato raptae patre suum non exorat, agit cum eo demẽtiae. Nam si palam promittat hic pater,lis tollitur. Si nullam spem faciat,vt non demens,crudelis certe videatur,& a se iudicem auertat. Latro igitur optime,Occidet ergo? si potero. *Ad idem enim spectant quae in hac controuersia sequuntur.* Quid contremiscis senectus? quid lingua trepidas? quid oculi obstupuistis? nondum est tricesimus dies. *& plane cum illis Quinctiliani cohaerere videntur.*

P.37, V.25. Exorabis,inquit,] *Fortasse*, Exoraui,inquis,raptae patrem.

27. Mortem vita meruit,] *Scribo*,mortem vitare meruit, accusatione deprecatus? Consumuntur *&c.*

35. Cum,inquit,multum in fuppliciis habitum] *Lego*, Cum,inquit, vultum in fupplicis habitum *&c.*

38. Animc dura:hcri fortior eras :] *Quinctilianus loco quo fupra legit*, dura anima hodie, dura,heri fortior fuifti, *hancque fententiam patri Gallioni tribuit, quem etiam Rhetoricorum libros fcripfiffe cap.1.lib. III.dicit. Duo igitur Iunij Galliones Rhetores fuerunt(non enim patrem vtroque loco vocaret,nifi vt a filio eiufdem nominis,aeque celebri declamatore fecerneret) hic videlicet amicus Senecae patris,quem ideo fere vbique hoc opere noftrum appellat,& cuius vnim funt fententiae, quae Gallionë his libris adfcribuntur : alter filius,quem non dubito quin ille ipfe fit Gallio frater L.Senecae,qui & Nouatus,per adoptionem in nomen & familiam Iuniorum receptus eft,vt εὐστόχως coniecit I.Lipfius.Id enim indicat duplex eius nomen.Nam Iunium Annaeum Gallionë B.Hieronymus in Eufebiano Chronico vocat,quod duplicem eius familiam oftendit,& a qua tranfiit,& in quam admiffus eft.Fuit autem Gallio pater, quemadmodum & filius Cordubenfis. Is enim eft Gallio, quem inter claros Cordubenfes dulcem vocat Statius,cui etiam Quinctilianus in dicendo leuitatem tribuit, cum de hac ipfa fententia, quae in manu eft,fcribit,*remiffius, & pro fuo ingenio Gallio pater *&c. cuiufque Tacitus tinnitus perftringit.quare non mirum eft,fi ex nominũ,patriae,& ftudij fimilitudine,perfonarũ confufio nata fit.*

P.38,v.20. Raptor agere poffit:]*Omnes editiones,recenti Romana excepta,legunt*,an intra tricefimum diem raptor cum filio agere poffit.*Haec duo vocabula* cum filio,*vt corrupta praetermiferunt in editione Romana, quae emendare praeftiterat, & legere*, raptor cum alio agere poffit. *Sequitur enim*,fi cum alio agere poffit *&c.*

26. Si non exotauit filius, dementia eft.]*Haec,quae fequuntur fortaffe conftabunt,fi legamus*, fi non exotauit filius,an dementia eft. Tandem,an dementiae agere poffit,cum adhuc an exoretur incertum fit? *quod etfi a veftigiis editae lectionis recedas,fententiae tamen confecutionon aliud facile admittit.*

52. Itaque fi quis veftrum] *Vult dicere dementiae fecum a filio raptore agi non poffe ob id quòd non exoretur,hoc dilemmate:quòd ante tricefimum diem intra legem adhuc fit,ideoque agi nequeat:poft tricefimum fi non exoretur,raptor moriturus fit,& ita accufatore deficietur.quomodo autem id dicat,nõ video,nifi legamus:*Itaque filius agere mecum hoc crimine non poteft.fi quidem ante triginta dies exorari poffum, poft triginta queri non poteft. *vel*, Itaque quis veftrum agere mecum hoc crimine poreft?*&c.*

P.39, v.6. Qui non habet quem exoret.]*At quomodo patrem exorabit qui non habet?Videtur igitur legendum*,qui eum habet quem exoret,*id eft qui exorari queat.*

8 Atqui eodem loco eft manifeftus. Clemens Iuftus] *Non multis verbis opus eft vt perfuadeam legendum effe*,atqui eodem loco eft manifeftus demens.Iuftus *&c. quamuis vt verum fatear,non mihi liqueat quis ille fit Iuftus Rhetor: nifi legamus*, Iunius parum hoc putabat valens effe. *In declamatione autem Quinctiliani* CCCXLIX. *eiufdem argumenti contrario errore legitur*, Quis eft ifte tam demens?*cum legendum fit*, Quis eft ifte tam clemens?

10. Sed tractaturus ifte iniquitatem tractationis] *Fortaffe legendum eft* iniquitatem actionis, *vel* accufationis:*& linea fequenti*,Agere mecum dementiae etiam iam potes? *aliter vacillat locus.*

24. Adoriar : dic ergo verum] *Fortaffe legendum*,Moriar?dic ergo verum. *vt fint verba patris vrgentis filium ad confeßionem collufionis cum raptae patre nouo more,vt fupra dixit, de filiae nuptiis exorato. quafi diceret,interrogas an moriturus fis?fatere te non rapuiffe,fed ex compacto cum patre raptae raptum fimulatum,vt ducere eam cogereris.*

Ib. Ceftius hac figura declamauit,] *Id eft, hoc ductu. Ita enim modum,quo tota caufa agenda eft,vocat Fortunatianus.*

P.39, v.33. AGON?] *De hac formula vide quae B. Briffonius fummi ordinis praefes,non magis dignitate quàm ingenio,doctrina,atque eloquentia amplißimus,lib. primo egregij fui operis de formulis P. R. diligentißime collegit.*

35. Ceftius ex altera parte] *Haec Ceftij a filio funt excufante fe, cur raptae patrem priorẽ rogauerit. eo nimirum colore,vt in gratiam fui patris feciffe videatur,ne fcilicet diutius de filij periculo fufpenfus angeretur.Quare videndum,num ita legi debeat:*fufpẽfum effe nolui,ftatim illum fecurum effe volui. de me queritur quòd illum potius cogitare de matrimonio filij, quàm de periculo volui. *Nam exorato puellae patre de filij periculo folicitari nequit,cuius ipfe eft arbiter.*

41. Item amici fuaferunt.] *Lego*,Amici fuaferunt ad raptae patrem iremus, ne noceret apud illam quòd tarde fuum exoraremus patrem. *Ita fere habent praecedentes editiones.*

42. Bello docifmo] *id eft* ἐνάργεια, *quae Ciceroni de Orat. lib.* III. *euidentia & illuftratio nominatur,nempe qua,vt definit Rufinianus, formam rerum, & imaginem ita in oratione fubftituimus, vt lectoris oculis,praefentiaeque fubijciamus.Quinctilianus cap.* II. *lib.* VI. *&* IX.

IN CONTROVERSIAM QVARTAM.

PAGINA 40, v.16. Offerebam me propinquis,] *Latentem hic & inductam lacunam ab epitome explenimus. quae deinde sequuntur*, illa videlicet in hac cogitatione tacebat, *corrupta sunt: sed curatu facilia. Nam si legamus*, illi videlicet in hac cogitatione tacebant: Nos rogabimus *&c. plane constabit oratio.*

33. Vidit & fratrem, circunspiciebat & patrem.] *At qui videre fratrem absentem poterat aeger? sed transposita sunt haec vocabula alterum in alterius locum, legendumque*, vidit & patrem, circumspiciebat & fratrem. *id est num fratrem videret.*

39. Cogitate & quis roget] *Melius ita haec legi posse suspicor*, cogitate quis roget, quem roget: videbitis neminem rogare non posse *&c.*

P.41, v.9. Messalla exactissimi] *De quo egregium exstat Quinctiliani elogium.* Messalla, *inquit cap.1. lib.* X. nitidus & candidus, & quodammodo prae se ferens in dicendo nobilitatem suam. *recte. nam & nobilissimus & eloquentissimus fuit. Quandoquidem a Voluso & Valerio Poplicola originem per infinitos consulares & triumphales ducens Valerium Coruum sexies consulem, qui centum annos impleuit, a quo Coruini nomen posteris inditum, & Messallam senem, qui de familiis Romanis scripsit, adolescens adhuc ingenio ac prudentia Triumviris formidabilis fuit. App. lib.* IIII. *belli ciuil.* Μεσσάλλας δὲ ἐπιφανὴς νέος ἐς Βροῦτον ἔφυγε, καὶ αὐτὸν διὰ Καίσαρα οἱ τρεῖς, τὸ φρόνημα προσυγχαίροντας, *& quae sequuntur. nec gratia proscriptionis sibi facta uti voluit, quàm diu spes optimatum partibus aliqua superfuit. Rebus autem compositis, sub Augusto dignitate & eloquentia floruit. Consul enim, Augur, primusque Vrbis Praefectus fuit: quam tamen dignitatem paucis diebus exercuit, & eiurauit* quasi nescius exercendi, *inquit Tacitus. Nempe quòd ita finxerit. nam re vera sexto die abdicauit parum ciuilem potestatem contestans. B. Hieronymus in Eusebij Chronico. ea ratione Dio primum Vrbis Praefectum Maecenatem posuit. Plures orationes scripsit & vulgauit, multos etiam libros composuit, quorum auctoritate Plinius, Quinctilianus, Suetonius, & Sosipater Charisius vtuntur. quosdam etiã de singulis litteris, vt de littera S. Amatoria etiam scripsisse Plinius iunior Epistolarum lib.* V. *testis est. L. Seneca in* ἀποκολ. *disertissimum virum vocat. Tacitus doctaris Orat. Cicerone mitiorem & dulciorem, & in verbis elaboratum magis iudicat. Quinctilianus orationis dignitatem ei prae ceteris tribuit. Cuius etiam eximiae virtutes iudicio totius Senatus comprobatae sunt. per eum enim velut sui ordinis principem Caesarem Augustum patrem patriae salutauit. Suetonius cap.* LVIII. *vir tamen tantus anno aetatis suae* LXX. *biennio antequam moreretur, omnium penitus, etiam proprij nominis oblitus est. Plinius lib.* VII. *cap.* XXIIII. *B. Hieronymus ad Eusebium.*

10. Sua lingua disertus est.] *Sic L. Seneca*: Petronius homo Claudiana lingua disertus.

11. Sermonem obiecit.] *Rudem nempe & pinguem, qualem esse Cordubensium poetarum dixit Cicero. Porro quae deinceps sequuntur, corrupta & manca iudico.*

12. Quam suasoriam Theodoto declamauit] *Locus nõ vno modo corruptus, de quo nihil spondeo. puto tamen legendum* de Theodoto. *vulgare enim Suasoriarum thema in scholis fuit consultatio apud C. Caesarem de poena Theodoti. Quinctilianus cap.* VIII. *lib.* III.

21. Vt castigaret, nunc iam seuerus.] *Vide num aptius legamus*, vt castigaret tunc, etiam seuerius, *vel*, vt castigaret etiam seuerius, *inducta dictione* nunc.

26. Qui aiebat,] *Rectius fortasse*, quo aiebat.

27. Non schemate,] *id est, vt contrarium significaret, quemadmodum cum vel per ironiam, vel figurate aliud dicitur, aliud autem significatur.*

38. Fabianus Maximus] *Scribendum* Fabius *ex praecedentibus. Maximi enim cognomen est Fabiorum. atque etiam vel fallor, vel is est Augusti amicus sua & vxoris loquacitate celebris, de quo apud Tacitum lib.* I. *Ann. & Plutarchum* περὶ ἀδολεσχ.

56. Et quod medium est] *Veteres editiones*, & quod in medium est. *quod rectum est.*

P.42, v.1. Dictum perdere.] *Quinctilianus cap.* IIII. *lib.* VI. longe absit propositum illud: potius amicum quàm dictum perdere. *Ita enim apud eum auctorem melius haec leguntur.*

IN CONTROVERSIAM QVINTAM.

36. EXPRIMITVRQVE ipsis vitalibus. Tacet. an sit] *Haec manca esse nullus non videt. deest enim quid exprimatur ipsis vitalibus. ceterae editiones repraesentarunt sequentem lectionem*, exprimiturque ipsis vitalibus, licet, restet an sit tibi *&c. ex cuius vestigiis tentabam num legi posset*, exprimiturque ipsis vitalibus licor. Resp. an sit tibi ista datura liberos nescio: tyrannicidam dedit.

dam dedit. *licorem siue liquorem interpretor saniem, quo in significatu apud Virgilium hoc reperitur vocabulam Georg.* III. *Pestem enim describens dixit*, Rursus abundabar fluidus liquor, *id est humor sordidus, inquit Seruius. sed non mihi plane hoc satisfacit.*

P.43, v.1. Aeuit hanc,] *Paulo confidentior ero in huius loci emendatione, quàm in praecedenti. puto enim legendum*, Taeuit. tunc fecir tyrannicidium silentio.

40. Attico Vipsanio] *M. Vipsanij Agrippae generi Pomponij Attici Ciceronis amicitia & Epistolis clari filio. id vt credam faciunt patris nomen, & aui cognomen, quibus tanquam hereditariis successit. Is autem Atticus Vipsanius non solum nomen aui materni, sed etiam studia velut creuit, adeo vt doctoris sui Apollodori diligentissime praecepta Graece tradiderit. Quinctilianus cap.* I. *lib.* III. *nisi fortaße Quinctiliani locus de Dionysio Attico Apollodori discipulo intelligendus est.* καὶ γὰρ, *vt ait Strabo,* σοφιστὴς ἦν ἱκανὸς, καὶ συγγραφεὺς, καὶ λογογράφος. *quod verius est.*

P.44, v.27. Passienus] *Pater Paßieni oratoris Agrippinae Neronis mariti, de quo B. Hieronymus ad Eusebium Olymp.* CXCII. *haec refert:* Passienus pater, declamator insignis, diem obiir. *Videtur autem is Paßienus pater patrem etiam habuisse eloquentia notum, obscuri tamen nominis & meriti. siquidem L. Seneca exul in Epigr. ad Crispum Paßienum, huius filium scribit:*

Maxima faeundo vel auo vel gloria patri.

de quo infra praef. lib. III. *plura dicemus.*

29. Si haec mulier iusti repudij] *Legendum* iniusti repudij. *Ab actione enim lis nomen accipit. Agit autem mulier, qua iniuste repudiatur vel ingrate: iniuste, si contra leges: ingrate, si contra bonos mores.*

P.45, v.4. Vnus Vinicius.] *Epitome legit*, L. Vinicius ingenium in numerato habet. *Id autem dicitur de actore, facile dicente, & ex tempore, vt vult Quinctilianus cap.* V. *lib.* VI. *Quod si verum est, multum a tarditate P. Vinicij fratris abfuit, qui, vt refert L. Seneca Epist.* XL. *tractim dicebat, & tanquam dictaret, non diceret. fuere autem fratres M. Vinicij progeneri Augusti, cui Velleius suos libros inscripsit, de quibus apud eundem frequens mentio, & Tacitum lib.* VI.

IN CONTROVERSIAM SEXTAM.

52. Nec te doces] *Recte ad oram postremae editionis Germanicae adnotatum est, legendum* nec dedoces. *Aliter enim legi huius sententiae contextus non patitur.*

P.46, v.8. Cestius pater] *Vnius Cestij tantum hoc toto opere fit mentio. non video cur patrem appellet. immo potius ex sequenti effictum hoc vocabulum coniicio, ideoque delendum.*

16. Faecere illum rem non improbam,] *Vide num delenda sit negatio, & scribendum*, faecere illum rem improbam, non id patri remittere: *aut si quis malit*, non id patri permittere, quod a patre ipsi permissum sit. *Nam ita legendum videtur, nisi forte* rem improbam *interpretemur pro* valde proba, *quo modo apud Virgilium* infracti Latini *lib.* XII. *dicuntur, & apud Iureconsultum* inaudire causam. *in L. Seneca lib. de Beata vita cap.* XXXI. *ad finem, quo loci legimus*, Nunc probemus quod prius diximus, *sex veteres quos vidi codices habent*, Nunc improbemus quod diximus prius. *qui si mendo vacant, vt mihi tanto consensu facile persuadeo*, improbare *hoc loco* magis, *vel* omnino probare *significabit.*

27. Sed corrupit & vnam sententiam.] *Haec controuersia tota mendis & lacunis scatet: videtur tamen hic locus sic restitui posse, si scribamus:* sed corrumpere bonam sententiam. *Et paulo post*, Et voluisse videri tamdiu luxuriatum, *non* noluisse.

52. Glycon Syricon dixit.] *Lege* Glycon Spyridion.

IN CONTROVERSIAM SEPTIMAM.

PAGINA 47, v.30. In qua etiamnum anctor] *Non potuit enim in potestate mariti constituta, nisi eo auctore hereditatem sibi relictam cernere: sed ea mariti auctoritas* νόμῳ χάριν, *absente marito, vel ignorante, interponebatur, ideoque ait se auctorem dictum, quia reipsa non fuit.*

34. Si non maritum] *Male haec aliter in editione Romana, quae nos ex veteribus editionibus restituimus. Vult autem dicere quod Ouidius eleg.* IV. *lib.* III. *Amorum his versibus expressit:*

Quicquid seruatur, cupimus magis: ipsaque furem
Cura vocat: pauci quod sinit alter, amant:
Nec facie placet ipsa sua, sed amore mariti:
Nescio quid, quod te coeperit esse putant. *& quae sequuntur.*

P.48, v.22. Quod ab adultero absoluitur,] *Mallem*, quo ab adultero absoluitur, an quo damnatur?

IN PRAEFATIONEM LIBRI
TERTII CONTROVERSIARVM.

PAGINA 49,v.14. Oratio eius erat valens cultu,] *De Cassij Seueri eloquentia censura Quinctiliani est eiusmodi:* Multa, si cum iudicio legatur, dabit imitatione digna Cassius Seuerus. Qui si ceteris virtutibus colorem & grauitatem orationis adiecisset, ponendus inter praecipuos foret. Nam & ingenij plurimum est in eo, & acerbitas mira, & vrbanitas, & vis summa: sed plus stomacho quàm consilio dedit. Praeterea vt amari sales, ita frequenter ipsa amaritudo ridicula est. *Quam si conferas cum nostri auctoris de eo, iudicio, in multis contrariam deprehendes. Noster enim ait grauitatem orationis etiam superfuisse, iratumque commodius dixisse censuit. Huius autem scriptis & auctoritate vtuntur Suetonius in Vitellio cap. 11. Quinctilianus saepissime, Tertullianus in Apologetico, Charisius, & Diomedes.*

19. Rerum potiebatur,] *regnabat.*

24. Corporis magnitudo conspicua,] *Huic tamen celebri oratori armentarij Mirmillonis obiecta similitudo est. Plinius cap. XII. lib. VII.*

26. Tamen quae histrionis posset videri.] *Vox* tamen *praecedentem orationem corrigere debet, quod hic non facit vt conceptus est locus. Vitio enim vertitur oratori in agendo modulatione scenica vti, quod Cicero in Oratore ad Brutum, & Quinctilianus cap. vlt. lib. XI. reprehendunt: & Demosthenes περὶ φωνῆς Aeschini obiicit: a quo tamen vitio, quamuis dulcem vocem habueris, Seuerum abfuisse vult dicere noster auctor. Vetera exemplaria nos hac in re nihil iuuant, quae legunt,* tamen quaestionis posset videri, *vel,* tamen quaestio vix posset videri. *adderem lubenter editae lectioni negationem, scriberemque,* quae tamen histrionis non posset videri.

27. Quae deerat vitae,] Is enim sordidae originis, *inquit Tacitus,* maleficae vitae, sed orandi validus *libidine, qua viros & feminas illustres procacibus scriptis diffamabat, causam dedit Augusto sanciendi vt specie legis Maiestatis cognitio de famosis libellis tractaretur: quem etiam Horatius vt maledicum sexta Epodo incessit. Ob haec vitia, in Cretam relegatus, atque illic eadem factitando decimo tertio post anno, Germanico & Capitone Coss. a Tiberio bonis exutus, interdicto igne & aqua, saxo Seriphio consenuit, & XXV. sui exilij anno in summa inopia moritur, vix panno verenda contectus. Haec collige ex Dione lib. LVI. Tacito Ann. IIII. Suetonio cap. XVI. Caligulae, & Hieronymo in Eusebij chron. Quid autem sit illud Quinctilianum prouerbium, quod lusisse Cassium scribit B. Hieronymus, quaero.*

31. Ne dicentem interpellarent.] *Vnde oriebatur altercatio. Infra lib. X. de Scauro,* Deinde litiganti quàm agenti similior cupiebat euocare aliquam vocem aduersariorum, & in altercatione vires suas nouerat. *de qua Fabius lib. VI. inst. orat. cap. V. Saepissime tamen non nisi post continuas orationes fiebat, eratque tota sors. Nam quae in scholasticis praefationibus siue praelocutionibus disputationes inter declamãtes oriebantur, vt cum inter Pomponium Secundum Poetam, & L. Senecam disputatum est,* an gradus eliminat *in Tragoedia ab Attio dici oportuisset, altercationes non erant. Altercationis autem exemplum exstat nobile apud Ciceronem, lib. I. ad Attic. Epist. XIII.*

33. Priuatas plures agebat,] *Omnes veteres codices habent,* non agebat, *si recte: intelligendum est eum plures non egisse, nisi forte ante meridiem vnam, alteram post meridiem ageret.*

36. Nisi in periculis suis, habuit.] *Ipse tamen P. Nonium Asprenatem celebrem aeque oratorem, & ex consulari familia, veneficij reum fecit, quod vna eius patina CXXX. conuiuae interiissent. In qua etiam eius accusatione haec mali animi & amari sentẽtia notatur:* Dij boni, viuo, & quo me viuere iuuet, Asprenatem reum video. *Plinius cap. XII. lib. XXXV. & Quinctilianus lib. XI. cap. I. referunt.*

37. Illa quoque quae salse dici poterant,] *Male in aliis editionibus* falsae *legitur, & contra veteres libros. Quinctilianus enim Cassio tribuit asperitatẽ, & amaros sales, cap. IIII. lib. VI. & X. lib. vlt. quamuis tamen nec vrbanitate caruerit: vt cum contra Pomponium Marcellum soloecismum aduersarij exagitantem Grammaticum poposcit: & ei qui orando dicebat,* Quid me toruo vultu intueris Seuere? respõdit, Non me Hercules faciebam, sed sic scripsisti. Ecce. & quàm potuit truculentissime cum aspexit. *Quinctilianus cap. II. lib. VI. & Suetonius de claris Grammaticis.*

58. Pylades in comoedia, & Batyllus] *Notissimi sub Augusto Pantomimi. idem in Aesopo & Roscio obseruatum fuit.*

P.50, v.1. Sed obiiciatur,] *vt fugitiuo.*

2. Sic cum scaeua] *Ita legunt veteres libri. Scaeua autem est qui validius sinistra vtitur, non imbecillitate dextrae, ait Vlpianus lib. I. ad Edictum Aedilium Curulium. nam hic mancus est. quae tamen subtilis distinctio in Mucio Scaeuula a clade dextrae cognominato, si Liuio credimus, obseruata*

seruata non fuit. Quod sequitur autem, quomodo alteri est, *veteres libri,* quomodo aliti est, *habent: quod nisi sit nomen cuiusdam gladiatoris ita dicti, locum depono. Nam haec verba* quomodo alteri est, *nullius sunt sensus.*

5. Passienus noster] *Supra Controuersia v. praecedentis libri laudauit Passienum patrem, hic filium, quem primo loco stare dicit. Et sane praeter B. Hieronymum, & nostrum auctorem, nemo alius Passieni patris meminit, nemo non fere Passieni filij oratoris mentionem fecit. Is autem celebris clarusque exstitit non solum eloquentia, sed etiam duobus consulatibus & matrimoniis, primum Domitiae neptis Antonij Triumviri, deinde Agrippinae matris Neronis. Eundem enim esse puto vtriusque maritum, nempe nobilem illius saeculi oratorem, & indicij acumine ab iis qui eo saeculo scripserunt, aut paulo post auctoribus laudatum. quem solum huius nominis oratorem sub Tiberio, Caligula, & Claudio floruisse hinc coniicio, quod sine dubio, si duo eodem tempore eiusdem study nomine celebres exstitissent, aliqua nota eos inter se discreuissent. Quare quod L. Seneca capite vltimo lib. I. de Beneficiis, & Praefat. lib.* IIII. *Natural. quaest. Quinctilianus cap.* II. *&* IV. *lib.* VI. *& cap.* I. *lib. x. Tacitus lib.* VI. *Plinius senior capite vltimo lib.* XVI. *& Iunior Epist.* VI. *lib.* VI. *de Passieno dicunt, ad hunc filium refero, quem constat ex Suetonij capite* VI. *in Nerone, sub Claudio demum vita functum. Hinc liquet, haec quae apud B. Hieronymum habentur in Chronico Eusebij ad annum Caligulae secundum,* Passienus filius fraude hereditatis suae necatur, *(hunc enim Passienum intelligo) non suo loco posita esse: quemadmodum pleraque alia exscriptorum vitio in eo Chronico confusa sunt. Quod autem ait fraude hereditatis suae necatum, vereor ne ab Agrippina, quae vt alterum maritum propter imperium interfecit, ita fortasse primum propter hereditatem. Dubito etiam ne ad hunc Passienum Crispum sit L. Senecae Epigramma in exilio degentis, quod incipit,* Crispe meae vires. *Cur id credam, facit quòd eum Crispum, ad quem Epigramma, vt hic de quo loquimur, oratorem fuisse apparet, oratorisque filium, domusque Senecae amicum: quae si quis non probet, eodem in numero cum Antiphontis libris, vt permulta alia in his annotationibus, me adstipulante, habeat.*

10 Nunquam surgas.] *Nempe vt declames: quandoquidem illi tam male cedebat declamanti. Diximus enim supra, Rhetores sedentes praeloqui solitos: declamaturos vero surrexisse.*

15 Bellissime Censorinus] *Aliquid sale est apud Fulgentium lib.* II. *Mythol. in Ixionis fabula, sed ita corrupto loco, vt Delio natatore indigeat, quem hic apponam, vel potius deponam.* Beatinius Augur, *inquit Fulgentius,* dicere solitus erat somnialiter peragi vrbicario mimologo, vt quanuis vtraque nihil agere dixerit, tamen hoc Romae praestare visus est, quod ex parte quidem veros honores, sed risorios, sed citiùs fugitiuos. Credo enim quod de Theophili sententia legerat μῖμος ὁ βίος.

27. Cestium suum praeferrent,] *Idem Cornelius Tacitus de sui temporis scholasticis.* Quotus enim quisque, *inquit,* scholasticorum non hac sua persuasione fruitur, vt se ante Ciceronem numeret: sed plane post Gabinianum? *Erat autem Gabinianus, vt ἐν παρόδῳ loco obscuro aliquid lucis adferam, aetate Taciti notissimus Rhetor, de quo B. Hieronymus Olymp.* CCXIII. Gabinianus celeberrimi nominis Rhetor in Gallia docuit. *Ita enim legunt veteres codices, malè vulgò* Gabinius. *Huius autem declamationes laudat idem Hieronymus praefatione* VIII. *in Esaiam.* Qui si flumen eloquentiae, *scribit,* & concinnas declamationes desiderant, legant Tullium, Quinctilianum, Gallionem, Gabinianum. *Huius vitam descripserat Suetonius de claris Rhetoribus, vt ex indice patet, in quo Sextus Iulius Gabinianus dicitur.*

30. In Milonem Cestius:] *Restitue igitur apud Quinctilianum cap.* IIII. *lib. x. Cestij nomen, quod ibi corruptum extat.* Melius hoc, *inquit,* quàm rescribere veteribus orationibus, vt fecit Sestius contra Ciceronis actionem habitam pro Milone. *Et scribe,* vt fecit Cestius. *quomodo etiam habent M. sc. codices.*

38. Inscripti maleficij.] *Graeci* ἄγραφον ἀδίκημα *vocant* παρ' ὃ νόμος οὐ γέγραπται, *inquit Suidas, & Cyrus* περὶ διαφορᾶς στάσεως, ἄγραφον ἀδίκημα, τὸ ἐν μὲν τῷ νόμῳ μὴ γεγραμμένον, τοῖς δὲ ἔργοις γεγονόμενον. *Est autem scholae actio in foro stellionatus dicta, cuius nomen apud Quinctilianum corruptum est, capite* IV. *libri* VII. Praeter haec, *inquit,* finguntur in scholis & scripti maleficij controuersiae, scilicet in quibus aut hoc quaeritur, an scriptum sit, aut, an hoc maleficium sit. *Legendum* inscripti maleficij. *In ea enim actione quaeritur an scriptum sit: si enim lege comprehensum est, non est* ἄγραφον ἀδίκημα, *& caussa cadit actor. vel an maleficium sit: nisi enim sit, nulla est actio.*

DESVNT *magna litterarum iactura libri quattuor ordine sequentes, quorum excerpta quae hactenus declamationum nomine L. Senecae adscripta sunt, integrorum locum supplent: in quae ideo pauca notauimus, quòd quaecunque in iis mutata sunt, codicum antiquorum fide stant, & tam clare natiua, vt probatione non indigeant.*

IN CONTROVERSIAM PRIMAM.

PAGINA 51, v.3. Sic fit, vbi homines] *L. Seneca epist.* CXXII.

IN CONTROVERSIAM TERTIAM.

28. PATER patrimonium diuidat.] *Vnde participes dicebantur. Porro quaestio huius controuersiae, scholae est, non fori. nam qui in aliena potestate est, adoptare non potest.*

40. Vt malum cum ipso corpore exsecetur.] *Varro* περὶ ἐξαγωγῆς: Non vituperamus, cùm sciamus digitum praecidi oportere, si ob eam rem gangraena non sit ad brachium ventura. *Nonius in voce* Gangraena.

IN CONTROVERSIAM QVARTAM.

55. REDDE me hosti.] *L. Seneca cap.* XI. *lib.* II. *de Beneficiis.*

IN CONTROVERSIAM QVINTAM.

PAGINA 52, v.14. Vt rapta educatur:] *Vocabulum est scholae. Educitur autem, cum in ius adducitur, vt optet ex lege raptarum.*

29. Quotiens enim tempus non adiicitur,] *Regula iuris.*

IN CONTROVERSIAM SEPTIMAM.

55. ACCVSATVR ab vxore malae tractationis.] *Scribit optimus P. Pithoei codex, alioqui in repraesentandis diphthongis exactus, vno vocabulo* maletractationis: *quomodo etiam apud Arnobium lib.* IIII. *legimus,* immunes a Deorum maletractatione nec sic estis. *Hac autem actione diuortij causas reddit vxor, quae in iure actio rei vxoriae dicitur. Nam declamatores non solum peculiarem dicendi rationem, materiasque a foro, rerumque natura abhorrentes effinxerunt, verum etiam in iis quae in foro tractari solent exsequendis, nouis vocabulis vsi sunt. Quare Quinctilianus cap.* V. *lib.* VII. Quae in scholis, *inquit*, abdicatorum, haec in foro exhaeredatorum a parentibus & bona apud centumviros repetentium ratio est: quae illic malae tractationis, hîc rei vxoriae, cum quaeritur vtrius culpa diuortium factum sit, quae illic dementiae, hîc petendi curatoris.

P.53, v.1. Pars altera.] *In hac controuersia pro marito dubiam hanc sententiam refert Quinctilianus cap.* V. *lib.* VIII. qui haec edit, debet hoc bibere.

IN CONTROVERSIAM NONAM.

40. LEX Cornelia] *Cornelij Syllae de sicariis & veneficis.*

IN PRAEFATIONEM LIBRI QVARTI CONTROVERSIARVM.

PAGINA 54, v.9. Quod munerarij] ἀγωνάρχαι, ἀγωνοθέται. *quo vocabulo primum vsum fuisse D. Augustum notat Quinctilianus cap.* VIII. *lib.* III.

9. Noua paria] *Gladiatorum.*

17. Pollio Asinius] *Quem Plinius cap.* XXX. *lib.* VII. *principem oratorem, & ciuem vocat. Valerius Maximus cap.* XII. *lib.* VIII. *non minimam partem styli Romani, cuiusque nomini Vergilius Eclogam quartam inscripsit. Is in Republ. natus, iocis seriisque accommodatus, & omnium horarum, ingenio tamen ferox, quod etiam filio obiectum est, anno suae aetatis* XX. *L. Domitio Ahenobarbo, & Appio Pulchro Coss. qui Ciceronis fuit* LIII. *vitae annus, Catonem magno totius*

gno totius ciuitatis concursu defendentibus M. Cicerone, C. Caluo, & M. Scauro, accusauit. Sub Augusto summis functus est honoribus, pluresq. & graues causas egit, inter quas memorātur pro P. Nonio Asprenate venefici reo, & pro Vrbiniae haeredibus apud centumviros, peruenitque ad extremum fere eius imperium: atque in villa Tusculana octoginta annos natus, neruosae virilitatis haud paruum exemplum, diem obijt. Haec ex Quinctiliano, cap. 1. lib. x. & VI. lib. XII. Asconio in Ciceronem pro Scauro, Tacito 1. Annal. & de claris oratoribus, & B. Hieronymo in Eusebij Chronico collegimus.

20. Ille triumphalis senex ἀκροάσεως] *Ille enim est,*

Insigne moestis praesidium reis,
Et consulenti, Pollio, Curiae,
Cui laurus aeternos honores
Dalmatico peperit triumpho.

vt scribit Horatius prima Ode, lib. II. Dio lib. XLVIII. & Fasti Capitolini, in quibus haec leges: C. ASINIVS POLLIO PROCONSVL AN..... EX PARTHINEIS VIII. K. NOVEMB. *Sūt autem Dalmatiae populi. Porro ἀκροάσεις (sic enim ab optimo codice reposui) contracta significatione dictae sunt declamationes. Lucianus dialog.* πρὸς τὸν εἰπόντα, Προμηθεὺς εἶ ἐν λόγοις: *cum dixisset oratores vere Prometheos esse, quia eorum orationes sunt* ζῶντα ὡς ἀληθῶς καὶ ἔμψυχα τὰ ἔργα, *subiungit de declamatoribus,* ἡμεῖς δὲ οἱ ἐς τὰ πλήθη παριόντες, καὶ τὰς τοιαύτας τῶν ἀκροάσεων ἐπαγγέλλοντες, εἴδωλα ἄττα ἐπιδεικνύμεθα. *& in Prometheo siue Caucaso tempus* ὡς ἀκρόασιν καταχεῖσθαι σοφιστικήν, *in declamationem sophisticam insumi, dixit.*

23. Cum Marcello Esernino nepote suo,] *Ex filia, nisi me coniectura fallit. Videtur enim fuisse filius M. Claudij Marcelli Aeserníni consulis cum L. Arruntio, anno vrbis* DCCXXXIII. *Neque enim ille Consul nepos potuit esse Pollionis. Suetonius autem notat hūc Pollionis nepotem crus effregisse in Troiae ludo, quem edebat Augustus. cuius casu effectum est Pollione grauiter inuidioseque in senatu questo, ne in posterum ab Augusto ederetur. Suetonius cap.* XLIV. *Maxime autem sub Tiberio floruit. Is enim est Marcellus Aeserninus, quem Cn. Pisonem caedis Germanici accusatum patronum petiisse Tacitus lib.* III. *scripsit, quemque apud eundem auctorem Ann.* XI. *incorrupta vita & facundia ad summa prouectum, & ditium familiarum heredem, in suasione L. Cintiae Suilius dixit. Plinius cap. 1. lib.* XII. *Spadonis Thessalici huius Aeserninus praediuitis liberti meminit, qui platanum, cuius folia nunquam decidunt, primus in Italiam sub Claudio transtulit. Per diphthongum autem scribo fastos consulares & etymologiam secutus. ab Aesernia enim Samnitum oppido dictos Aeserninos constat.*

27. Illud strictum eius & asperum, & nimis ratum] *Quinctilianus cap. 1. & II. lib. x.* Multa, *inquit*, in Asinio Pollione inuentio, summa diligētia, adeo vt quibusdam etiam nimia videatur, & consilij & animi satis: a nitore & iucunditate Ciceronis ita longe abest, vt videri possit saeculo prior. *Tacitus de claris orat. cum inter Menenios & Appios studuisse videri ait.* Pacuuium certe, *subiungit*, & Attium non solum Tragoediis, sed etiam orationibus suis expressit, adeo durus & siccus est. *Praeter orationes multa alia edidit: nam Pollionem Charisius citat ad Caesarem, fortasse ex Epistolis, & contra maledicta Antonij, & de prouinciae haeredibus. quo loci legendum censeo,* pro Vrbiniae heredibus: *cuius tituli orationes Pollionis laudant Tacitus de Oratoribus, & Quinctilianus non vno loco. Item composuisse Tragoedias, amatoriosque versus testantur praeter Tacitum Horatius Od. lib. II. & Satyr. vlt. lib. 1. & Plinius Epistolarum lib. v.*

30. Asinium Gallum] *Magnum Tiberianae crudelitatis documentum, cui ne mori quidem licuit. B. Hieronymus:* C. Asinius orator, Asinij Pollionis filius, cuius etiam Virgilius meminit, diris a Tiberio suppliciis afficitur. *Si pius ille scriptor Gallum illum intelligit, de quo Ecloga decima, fallitur: si vero Eclogam quartam designat, non absque ratione est. quamuis enim vulgo credant Saloninum Asinij Pollionis filium in ea celebrari: non defuerunt tamen qui de hoc Asinio Gallo scriptam voluerint. Addit etiam Seruius integer optimi ac eruditissimi nostri Danielis, Asconium Pedianum tradidisse se ab ipso Asinio Gallo audijsse illam Eclogam in honorem eius scriptam, cum ipse nasceretur patre Pollione Consule designato. Huius autem Asinij Galli hoc extat apud Suetonium de illustribus Grammaticis distichon,*

Qui caput ad laeuam deieit, glossemata nobis
Praecipit, os nullum, vel potius pugilis.

Plura de eo Tacitus sex primis Ann. libris, & Dio lib. LVIII.

32. Quàm Herium] *Sic duae veteres editiones cum manuscriptis codicibus hîc legunt, & infra linea quinta. male in Romana editione* Haterium *emendarunt. Nam Haterius filius non fuit Pollionis.*

41. At contra Haterium] *Q. Haterius familia Senatoria, eloquentiae quoad vixit celebratae, promptusque & popularis orator, foedae tamen adulationis, ad nonagesimum prope annum summo in honore consenuit, obijtque mortem anno vrbis* IↃCCLXXIX. *B. Hieronymus & Tacitus lib.* III. & IV. *Quod si verum est, natus est Cicerone Consule, id est, anno vrbis* IↃCXC. *quo fit, vt nec potuerit*

esse Pollionis filius, duodecim tantum annis eo minor, nec Pollio, quo die ipse Haterius decessit, cenare plus X X. *annis ante fato functus. Addit etiam Tacitus monumenta eius haud ideo durasse, quia scilicet impetu magis quàm cura vigebat, vtque aliorum meditatio, & labor in posterum valescit, sic Haterij canorum illud & profluens cum ipso simul extinctum esse. Plura apud eundem Tacitum libris sex prioribus Annalium de ipso Haterio vide.*

48. Vt vitium fieret.] *L. Seneca Epist.* X L. Nam Q. Haterij cursum suis temporibus oratoris celeberrimi, ab homine sano longe abesse volo. nunquam dubitauit, nunquam intermisit, semel incipiebat, semel desinebat.

52. Alioquin libertum habebat, cui pareret,] *B. Hieronymus aduersus errorem Ioannis Hierosolym.* Et vt aliquid, *scribit*, de neotericis referam. Q. Haterius, qui ingenium in numerato habebat, vt sine monitore iacere non posset, de quo egregie Caesar Augustus: Q. inquit, noster sufflaminandus est. *Idem etiam de C. Graccho memoriae tradiderunt Cicero, Valer. Maximus, Quinctilianus, & quis non? Porro sufflaminari est cohiberi, metaphora ducta a curribus in proclius decurrentibus, qui sufflamine retardantur. Vetus commentator in illud Iuuenalis Satyr.* V I I I.

Ipse rotam adstringit multo sufflamine Consul.

Sufflamen, *inquit*, vinculum ferreũ, quod inter radios mittitur dum cliuum descendere coepit rheda, ne celeres rotae sequantur, & animalia vexent. *L. Seneca in* ἀποκολοκ. Aliquando Ixionis miseri rotam sufflaminandam.

P. 55, v. 8. Multum ille & hic in officiis versatur.] *Sic Petronius Arbiter spissare officium, & Ouidius Elegiar.* V I. *lib.* I I I. *continuari officio, & de arte amandi* I I. *officium facere, in re obscoena dixerunt.*

IN CONTROVERSIAM PRIMAM.

25 EST quaedam in ipsis malis] *Ex Metrodori sententia. L. Seneca Epist.* X C I X. *Ouidius lib.* I V. *Tristium:*

est quaedam flere voluptas,
Expletur lacrymis, egeriturque dolor.

34. Dirum omen occurram:] *Ita plane optimus codex egregio sensu. L. Seneca ad Martiam cap.* I I I. Ipsumque desiderans triste matribus omen occurras. *infra lib.* X. *de expositis debilitatis*, Occurrunt nuptiis omina dira, fatis publicis tristia auspicia.

IN CONTROVERSIAM SECVNDAM.

42 METELLVS caecatus.] *De hoc themate vide Liuij Epitomen* X I X. *Valerij Maximi cap.* I V. *lib.* I. *& Plinij cap.* X L I I I. *lib.* V I I.

IN CONTROVERSIAM TERTIAM.

PAGINA 56, v. 7. Imprudentis caedis damnatus] *Plato lib.* I X. *de legibus, Porphyrius* περὶ ἐμψύχων ἀποχ. *lib.* I. *& Philo Iudaeus* περὶ τῶν ἐν εἴδει νόμων.

IN LIBRI QVINTI CONTROVERSIAM PRIMAM.

PAGINA 59, v. 20. Nec vnquam] *Ouidius de Pont. lib.* I I. *Elegia* I I.

— fortuna miserrima tuta est.
Nam timor euentus deterioris abest.
Qui rapitur spumante freto, sua brachia cauti
Porrigit, & spinas duraque saxa capit.
Qui rapitur fatis, quid praeter fata requirit?
Saepe creat molles aspera spina rosas.
Accipitremque timens pennis trepidantibus ales, *&c.*

Ita enim insignis ille Ouidij locus ex veteri meo codice legendus & supplendus est.

IN CONTROVERSIAM QVARTAM.

PAGINA 60, v. 24. Poena ex lege dilata est.] *Quemadmodum de Socrate legimus apud Platonem in Phaedone.*

IN CONTROVERSIAM QVINTAM.

49 NIHIL inter me & pauperem] *At pauper haec dicit, aut saltem a parte sunt pauperis. Codices sequioris notae*, nihil inter me & pauperem gaudere prospectu, *legunt: meliores nihil mutant. Nec tamen locus est integer, nisi forte legamus*, nihil inter te & pauperē interest, si iure agamus. *legis enim haec est perfectio, cum* ὅ τ' ἀσθενὴς, ὁ πλούσιός τε τὴν δίκην ἴσην ἔχῃ. *Qui locus, vt ἐν παρόδῳ admoneam, ex supplicibus Euripidis apud Stobaeum, alteus repetitus extat, sed tam absimilis ab ijs quae apud Euripidem in ea tragoedia habentur, vt nihil magis.*

51. Nihil laetius] *Veteres omnes*, nihil lautius.

IN CONTROVERSIAM SEXTAM.

PAGINA 61, v. 20. Lex. Impudicus,] *Non est haec scholae lex, sed Reip. Atheniensium. Aeschines κατ' Τιμάρχου.*

26. Dare illi vestem, puella est:] *Quidam veteres*, date illi vestem puellarem, date noctem.

31. Brachium extra togam exerere.] *Idem Cicero pro Coelio*, Nobis quidem olim annus erat vnus ad cohibendum brachium toga, constitutus: vt exercitatione, ludoque campestri tunicati vteremur.

IN LIBRI SEXTI CONTROVERSIAM SECVNDAM.

PAGINA 63, v. 3. Non curiosum] *Cui sit imposita, si quid in leges commissum sit, inquirendi cura: qui delatoria curiositate, quid agatur, indagare debeat. Tales enim curiosi sunt. Tertullianus de fuga in persecutione.*

IN CONTROVERSIAM QVINTAM.

PAGINA 64, v. 4. Iphicrates] *Veteres omnes, & Quinctilianus* CCCLXXXVI. *declamatione* Epicratem *vocabulo Graeco in Latinam scribendi rationem deflexo legunt. Aemilius Probus tamen Iphicratem vocat, quem de themate huius controuersiae vide.*

IN PRAEFATIONEM LIBRI SEPTIMI CONTROVERSIARVM.

PAGINA 65, v. 44. De Albutio:] *C. Albucij Sili vita extat a Suetonio descripta lib. de claris Rhetoribus, a quo petenda est. B. Hieronymus in Chron. Silonem vocat, vereor ne corrupte, quem claruisse anno imperij Augusti* XXXII. *scribit. Rhetorica etiam quaedam composuit, quae reprehendit Quinctilianus, cap.* XVI. *lib.* II. *& cap.* III. *&* VIII. *lib.* III. *addito tamen elogio, quo eum non obscurum professorem, & auctorem dicit. Porro per* c, *scribendum est Albucij nomen, non per* t, *vt hic scribitur, & vulgo apud auctores. id autem probant lapides & Albucillae nomen apud Tacitum. Idem de Porcio, Vinicio, & ceteris eiusmodi censendum est.*

53. Saepe declamante illo ter buccinauit,] *Quod fiebat appetente nocte. Tragoedia Thyestes:*

Nondum in noctem vergente die
Tertia misit buccina signum.

Quomodo etiam intellige locum Liuij lib. XXVI. Dimittens, *inquit*, Praetorium, tribunis militum, ac praefectis sociorum imperauit, vti duobus milibus equitum denuntiarent, vt ad tertiam buccinam praesto essent. *quae malo ad diei tempestatem referre, quàm ad signum militare. Sequitur enim*, cum hoc equitatu nocte Teanum profectus.

P. 66, v. 2. Ita vnam controuersiam proponebat,] *Veteres quidam, in quibus optimus, habent*, Ita in vnam controuersiam proponebat plures. dicebat excusationem suam. Quid igitur? *quam tamen lectionem non video cur editae praeferam. Quatenus autem dicendum sit, vide ele-*

gantem Plinij Iunioris ad Tacitum Epistolam lib. Epist. 1.

15. Inaequalitatem in illo mirari libebat.] *Suetonius in eius vita*: Sed ex eo clarus propria auditoria instituit, solitus proposita controuersia sedẽs incipere, & calore demum prouectus consurgere & perorare. declamauit autem genere vario, modo splendide atque ornare, tum, ne vsquequaque scholasticus existimaretur, circumcise & sordide, & tantum non triuialibus verbis. *Ita enim partim veteres libri, partim rei veritas legendum esse hunc locum comprobant.*

31. Magno enim temperamento opus est,] *Vulgaris artificii non est, quae per se vilia sunt, & sordent, tam apte disponere, vt cultui & ornamento sint. hoc idiotismus praestat, cum orator vulgaribus verbis & sordidis adeo prudenter vtitur, vt in haec non incidisse, sed vt necessaria adsciuisse videatur. Exempla exstant apud Quinctilianum cap.* III. *lib.* VIII. *a Cicerone, alijsque auctoribus petita, quibus ipsam verborum humilitatem vim rebus aliquando adferre probat. Et Longinus* περὶ ὕψους, ἔστιν, *inquit,* ὁ ἰδιωτισμὸς ἐνίοτε τοῦ κόσμου παρὰ πολὺ ἐμφανιστικώτερον. ἐπιγινώσκεται γὰρ αὐτόθεν ἐκ τοῦ κοινοῦ βίου. τὸ δὲ σύνηθες ἤδη πιστότερον.

43. Aruntius] *Emenda* Arruntius *per duplex* rr, *quemadmodum fasti & auctores Graeci scribunt. Is est senator, et cõsularis frequẽter Tacito sub imperio Tiberij dictus, quem diuitem, promptumque artibus egregijs, & pari fama publice Augustus dignum imperio, & ausurum, si casus daretur, iudicauit: cuius etiam sanctissimas artes alibi vocat idẽ auctor, interq. eos recenset Suilius qui incorrupta vita & facundia ad summa peruenerunt. Clarior tamen morte bene vsus euasit, quam vide apud eundem Tacitum lib.* VI. *In quo fortasse etiam lib.* II. *in Pisonis iudicio* T. Arruntius *inter patronos a Pisone petitos pro* L. *male scribitur. Nam T. Arruntij oratoris nulla mentio exstat, & excellentem oportet fuisse patronum, quem ante Asinium Gallum & Marcellum Aeseruinum, vel Piso petijt, vel Tacitus nominauit. Celebrem autem fuisse hanc Albucij fabulam in scholis, Quinctilianus auctor est cap.* II. *lib.* IX.

IN CONTROVERSIAM PRIMAM.

PAGINA 67, v. 16. Plura timui] *Sic veteres editiones, quod leui mutatione corrigi, & emendari potest*: Plura tibi crimina pater.

27. Vt inter fratres.] *Fortasse rectius,* vel inter fratres, *aut potius,* vel inter patres: *id est, vel a patribus, quorum interest filios obsequentes esse, vt nimiũ hac in re obsequens, & in fratrem crudelis condemnabor.*

30. In patrio solo morari] *Vulgo haec habetur lectio, quam edendam curauimus: veteres tamen editiones,* quamdiu in primo solo morari, *repraesentant.*

32. Poenarum eius pars non est,] *Immo vero poenarum pars esse videtur, vt qui naufragus & exul sit, cogatur etiam piraticam facere: quare vide ne delenda sit negatio.*

48. Habes, inquam, frater, si innocens es,] *Andromacha in Troade Tragoedia*:

fata si miseros iuuant,
Habes salutem: fata si vitam negant,
Habes sepulchrum.

50. Frater, inquit, tu primus.] *Misere acceptus erat hic locus, cuius partem ex Epitome restituimus. Quae restant autem corrupta, fortasse leuius se habebunt, si legamus*: inueni relictum etiam a naufragis nauigium.

P. 68, v. 5. Pater noster nauigauit] *Epit.* profectus pater sereno die.

38. Quam eiecistis animam!] *Ita legunt veteres editiones, Romana vero,* quam effecistis animam. *neutra satisfacit, quare praestat locum asterisco notare.*

40. Capietur iudex,] *Fortasse,* capiatur iudex.

50. Animus meus durior est, illius] *Quid si legamus*: animus huius durior est, illius clementior: *Et linea sequenti,* putaui me electum, ne alius occideret, *deleta interrogandi nota?*

P. 69, v. 11. Pro bone Iupiter, Mithridatem quàm non dubium] *Epit.* Mithridatem, Dij boni, quàm non dubium *&c.*

21. Ille damnatus erat,] *Ex sequentibus liquet scribendum,* ille indemnatus erat. *Consilio enim damnatus pro condemnato non habetur, & apud Rhetores Graecos lex, qua filios occidere parentibus licet,* ἀκρίτων νόμος *dicitur. Sopater in* διαιρέσεων *opere,* τρεῖς τις ἔχων παῖδας, τοὺς δύο κατὰ τὸν τῶν ἀκρίτων νόμον ἀπέκτεινεν. *Calpurnius Flaccus declam.* XXIV. lege indemnarorum, interficiendum pater filium carnifici tradidit. *Itaque & apud Fortunatianum lib.* I. *duobus locis scribendum conijcio,* indemnatos liberos occidere liceat. tres filios lege indemnatorum, *id est,* ἀκρίτων νόμῳ, occidit, reus est vxori malae tractationis.

38. Hoc die] *Legendum,* hodie.

Ib. Patre populari eapere.] *Ita omnes editiones legunt Romana excepta, quae emendauis, per* quos necesse est populari,patrem capere. *aptius fortasse legemus*, patriam populari,patrem capere.

42. Erga has quaestiones] *Lege*, in has quaestiones.

49. P. Asprenas & Albutius,] *Veteres editiones*, P.Disenus & Albucius. *Ex quibus vestigys scribendum collige*, Passienus & Albucius. *Sequentia enim docent Passienum in nouercam aperte dicendum censuisse.*

P.70, v.1. Et puerili sensu] *Vereor ne legendum sit*, & pari sensu.

7. Sine me tanquam] *Addenda est negatio, legendumque*, sine me non tanquam parricidam mori. *Absurdum enim poenam in quam damnatus est, pro beneficio petere. Similis est supra, Albucij color:* Culeum mihi remitte, mori volo, *& quae sequuntur.*

Ib. Non tanquam frater essem:] *Vide num scribendum sit*, non tanquam frater esset huius consilij inuentor, dixit.*contrario nempe praecedenti, colore.*

21. Quid porro] *Ceterae editiones habent*, Quid pater? *quod non improbo, maxime si legamus*, Quid pater? inquit. Ego si reus fuissem,ad te non misisset.

52. Hominem Graecum] *Smyrnaeus enim erat. B. Hieronymus in Eusebij Chronico:* Cestius Smyrnaeus Rhetor Latine Romae docuit.

56. Et omnia iudices,] *Veteres editiones*, Et omnino iudices.

57. Montanus Iulius,] *Heroicis versibus, & elegis celebris poeta, atque etiam amicitia Tiberij, & frigore suo tempore notus. Seneca Philosophus Epist.* CXXIII. *Ouidius Eleg. vlt. lib.* IIII. *de Ponto:*

Quique vel imparibus numeris,Montane,vel aequis
Sufficis, & gemino carmine nomen habes.

Cuius etiam mentio fit in fragmentis Senecae Philosophi, quae ante eius opera excudi curauimus.

P.71, v.3. At Virgilij imitationem] *Fortasse*, At Virgilio imitationem bene cessisse. *Porro optimi illi versus Varronis an Atacini, quod quibusdam videtur, an potius Romanorum doctissimi? quod magis puto. Nam cum Varronis simpliciter esse dixerit, intelligo eius esse, qui celebrior & notior hoc nomine fuit.*

IN CONTROVERSIAM SECVNDAM.

15 POPILIVM parricidij reum] *Plutarchus in vita Ciceronis, Appianus ἐμφυλ. lib.* IIII. *Valerius Maximus cap.* III. *lib.* V.

30. Exemplum pertinet.] *Epitome*, spectat exemplum.

32. Parricida.] *Fortasse*, parricida est.

38. Quid tam commune est,] *Locus insignis ad litteram ex Ciceronis oratione pro Roscio Amerino exscriptus. de quo quid ipse senserit senex, vide eius Oratorem, & Quinctilianum cap.* VI. *lib.* XII. *Et sane mirum Cestium infensissimum Ciceroni, ab eo tamen hanc sententiam mutuatum. Porro ex Cicerone collige loco horum*, parricida sic etiam tu perisses, *legendum*, parricida his etiam tu caruisses. *Sequitur enim in ea Ciceronis oratione de parricidis*, Ita viuunt dum possunt, vt ducere animam de coelo non queant: ita moriuntur, vt eorum ossa terram non tangat: ita iactantur fluctibus,vt nunquam abluantur: ita postremo eiiciuntur, vt ne ad saxa mortui quidem conquiescant.

47. Quod amici Verri] *Legendum*, quod amici Verris. *Hoc enim ait: Ne in Ciceronem eius cliens crudelior sit quàm amici Verris & Catilinae ab eo damnatorum: proscriptum transi.*

P.72, v.7. In carcere] *Epitome legit*, Cimber in capto vidit imperatorem. *Valerius Maximus Marium in priuata domo clausum dicit: Appianus ἐν οἴκῳ ζοφώδει, ἐν σπηλαίῳ: Plutarchus ἐν μέρει τοῦ οἰκήματος: Plinius vero iunior in carcerem coniectum, vt non multum intersit quomodo scribatur.*

Ib. Praetor iter a conspectu exulis] *Longe aliter Plutarchus de Sextilio Praetore Africae in vita Marij.*

18. Turpe iudicium,] *Fortasse rectius*, turpe iudicaui.

20. Sed hi quoque] *Fortasse melius*, & hi quoque.

25. Sed quod patronum] *Recentiores editiones post haec verba*, sed quod patronum, *addunt*, Naturale est autem,vt quod in nullo patrono fieri oportuit,indignius sit factum in Ciceronem patronum. *quae tamen clausula a veteribus editionibus abest, & ab Erasmiana prima, & vereor ne postea male irrepserit in textum ex ora libri. Cum enim dixerit Latro Popily crimen esse, non quòd Ciceronem occiderit, sed quod patronum, studiosus qui hoc agitare voluit, fortasse ad marginem hanc clausulam addidit, quae postea in textum recepta est, vt omittam non satis apto dictum illud* natu-

tale esse. *quam ideo exclusimus.*

34. Obiici non possint.] *Videtur superflua negatio. Sequitur enim paulo post*, si potest quod ciuili bello actum est.

49. Scit mortem nec immaturam] *Catil.* IIII. *& Philipp.* II.

57. Cui nihil negare poterat Respublica?] *Laberius apud Macrobium:*

Etenim ipsi Dij negare, cui nihil potuerunt,
Hominem me denegare quis posset pati?

58. Respondit, scio me accusauit.] *Fortasse melius*, respondit, sed me accusauit.

P. 73, v. 9. Hic color displicebat Passieno] *Quinctilianus cap.* II. *lib.* IV. *de colore*: fingenda vero meminerimus quae non cadant in testem.

10. Non tantum quod defendat non habet.] *Vide ne delenda sit posterior negatio.*

17. Varius quidem minus] *Lego*, Varius Geminus. *Nec enim in hoc Gemini colore quidquam est quod conferri cum colore Hisponis possit, vt minus dixisse videatur. Hunc autem Varium Geminum, B. Hieronymus lib. I. aduersus Iouini. sublimem oratorem vocat, cuius etiam dictum hoc laudat*, Qui non litigat, coelebs est.

IN CONTROVERSIAM TERTIAM.

36 DIMITTAM te:] *Veteres editiones*, dimittam tete. *legendum videtur*, dimittite, intelligetis cui parauerim.

38. Quid ergo, reus viuet,] *Veteres editiones*, quid ergo mori reus viuet? viuet quia sordidatus. *Fortasse*, Quid ergo mortis reus viuit? viuit quia sordidatus assidebit pater. *vel*, quid ergo reus viuis? viuo quia sordidatus. *quod tamen mihi non satisfacit.*

P. 74, v. 20. Vt credatur etiam propter hoc venefica.] *Rato M. Catonis indicio, qui nullam adulteram non inde veneficam dixit. Quinctilianus cap.* XI. *lib.* V.

38. Quae apud eum melius essent dicta,] *Apsius fortasse*, Quaedam apud eum melius esse dicta, *&c.*

39. Quo aiebat vnum versum] *Lego*, quo aiebat vno, versum *&c.*

51. Tale habeant: id quod Cicero] *Fortasse suppleri potest hic locus, si legamus*: tale habeant, quale id quod Cicero in Laberium. Laberium D. Iulius *&c. Quae autem hic confusa erant, ex Epitome, & historia quae apud Macrobium lib.* II. *legitur, suo loco reposui.*

P. 75, v. 5. Mihi serua istum animum.] *Ex coniectura lego*, mihi seruo istum animum: faciam quod voles *&c. vel*, mihi serua istum animum: faciam quod voles *&c. id est, permitte me meo arbitrio mori: absolutus, quod cupis, moriar.*

IN CONTROVERSIAM QVARTAM.

19 DEDVCITE filium. itaque tene,] *Quid si legamus*, Dedue me fili.

31. Patri quid timeo, si eum apud piratas relinquo?] *Absunt a veteribus editionibus, & prima Frobeniana.*

35. Et tanquam quaereret, dixit:] *Videtur hoc postremum vocabulum non suo loco positum, legendumque*: & tanquã quaereret vtrum ad redimendum potius captum patrem filius ire deberet, an ad alendum caecam matrem subsistere, dixit. Et sic.

38. Ne patri quidem vtile: vtique si sciat] *At patris scientia non efficeret, vt quod ei alias vtile esset, inutile redderetur. Veteres editiones legunt*, ne patri quidem velle, vtique si sciant. *rectius igitur legemus*, ne patrem quidem velle, vtique si sciat *&c. quod planum est.*

P. 76, v. 11. Caluus, qui diu cum Cicerone iniquissimam litem de principatu] *C. Licinius Caluus C. Licinij Macri, vt ex Valerio Maximo didicimus, filius, magni nominis orator fuit, adeo vt quidam non dubitarint eum cunctis praeponere: quod eo mirum magis, quia certum est circa tricesimum aetatis annum vita defunctum. Natus est C. Mario & Cn. Carbone* III. *Coss. inquit Plinius, & Cicero Epist. vlt. lib.* XV. *Epistolarũ ad Consules, & alios de eo, vt qui iam vixerat, loquitur. quam tamen constat missam Caesare* II. *& Seruilio Isaurico Coss. id est,* XXXIV. *anno post natum Caluum, vt praeproperatam mortem ei iniuriam fecisse non dubium sit. Quinctilianus ei orationis sanctitatem, & iudicium, Cicero praeter iudicium, doctrinam & elegantiam tribuit, nimiam tamen religionem in oratione in eo reprehendit. Constat sane nullum insigne fere iudicium extitisse, dum in foro viguit, cuius non pars ipse aut cum Cicerone, aut in Ciceronem fuerit. Quod attinet ad haec tria iudicia, quorum hic mentio est: Vatinium accusauit Caluus, frequenti, inquit Tacitus, totius ciuitatis concursu, vereor ne semel atque iterum. Plures enim accusationes Calui in Vatinium idem auctor laudat: in quibus illa egregia dicta fuit sententia*, Factum esse ambitum omnes scitis, & vos hoc scire omnes sciunt.

L. Seneca

L. Seneca epist. XCIIII. *Vatinio in vtraque causa Cicero adfuit. C. Catonem, & Messium cum Caluo tuitus est Cicero, accusauit Asinius Pollio. Meminit etiam Tacitus orationis Calui in Drusum, quem Cicero a se defensum ad Atticum scribit. Haec ex Cicerone de claris orat. epist.* XV. & XVI. *lib.* IV. *ad Atticum, Valerio Maximo cap.* II. *lib.* IV. & XII. *lib.* IX. *Asconio in oration. pro Scauro, Plinio cap.* XLIX. *lib.* VII. *Quinctiliano cap.* I. & II. *lib.* X. & X. *lib.* XII. & *Tacito de oratoribus colligere licet.*

12. Vatinius reus,] *Vatinium accusauit Caluus paulo maior* XX. *annis. Tacitus de orat. & Quinctilianus cap.* VI. *lib.* XII. *In qua actione Calui idem auctor cap.* IV. *lib.* VI. *refert, cum reus candido frontem sudario tergeret, idque ipsum accusator in inuidiam vocaret, facetissime Vatinium respondisse:* Quamuis reus sum, & panem candidum edo.

15. In forecae] *Veteres editiones,* in suetae *legunt, quod nihili est vocabulum. ex quo Erasmus* in foritte *fecit, quam lectionem ceterae secutae sunt editiones.*

Ib. Paruulus statura,] *& admodum iuuenis. Vnde festiuissime Salaputium dictus est. de quo vocabulo vide quae litteratorum princeps Scaliger in Catullum, & Virgilij Catalecta scripsit. Post asellum enim diaria non praebeo.*

18. Solebat praeterea excedere subsellia sua,] *In eiusmodi oratores vrbane Cassius Seuerus lineam poposcit. Quinctilianus cap. vltimo lib.* XI.

20. Quamuis ioca sint,] *Fortasse,* iocosa sint. *quamuis & edita ferri possit. Porro non solum ingentis animi, sed & amarissimi fuerunt: quale est praeter distichon infra positum in Pompeium illud fragmentum apud Suetonium in Caesarem,* — Bithynia quicquid,

Et paedicator Caesaris vnquam habuit.

& Hipponacteum carmen, de quo Cicero epist. XXV. *lib.* VII. *Epistolarum ad Marium. Quemadmodum igitur summus orator, ita optimus fuit Epigrammatum scriptor: vt Gellius cap.* IX. *lib.* XI. & *Plinius iunior epist.* XXVI. *lib.* V. *non dubitarunt cum in aequo cum Catullo ponere: cuius etiam versum ex Hendecasyllabis adducit idem Gellius cap.* XII. *lib.* VII. *Pedianus ad Ciceronis orationem in Anton. & Catullum elegantis Hendecasyllabi a Caluo compositi in Curionem meminit. idem Plinius epist.* III. *lib.* VI. *inter eos illum recenset, qui & dignitate ornati, & moribus serij iocosa nihilominus & amatoria scripserunt.*

21. Fasciola qui crura ligat,] *Mordacissimum hoc distichon ex Catalectis veterũ Poëtarum eiusdem Scaligeri suppleui & emendaui. de cuius recta dispunctione sponsor erit Plutarchus, qui Pompeio mollitiem a Claudio obiectam scriptum reliquit, cum redempta perditorum hominum multitudine, ipse Claudius ex eminenti loco quaereret,* τίς ἐστιν αὐτοκράτωρ ἀκόλαστος; τίς ἀνὴρ ἄνδρα ζητεῖ; τίς ἑνὶ δακτύλῳ κνᾶται τὴν κεφαλήν; *illi vero in modum chori alternis canẽtis ad singula responderent,* Πομπήιος.

29. Nescio rhetor an soratos esses.] *Quidam legendum coniiciunt,* an oratot esses: *in qua lectione summam illam venustatem Euctemonis non video. quare praestat locum deponere.*

33. Lacrimae matri desunt,] *Eadem tamen sententia vsus est auctor Thebaidos tragoediae, in qua caecus Oedipus haec loquitur,*

Lacrymae supererant, has quoque eripui mihi.

nisi quis dicat magni interesse, vtrum quis erutos an exstinctos oculos habeat: quod verum est.

37. Alter quos roget non habet.] *Lege,* quo roget non habet. *operarum est lapsus.*

IN CONTROVERSIAM QVINTAM.

PAGINA 77, v. 8. Memento enim de homicida queri.] *Deesse videtur negatio, legendumque,* non quaeri. *Non enim hic de homicida tantum quaeritur, sed de parricida. De parricidio autem non aeque facile creditur ac homicidio. Cicero pro Roscio Amerino in hoc totus est. Sic infra in praefatione libri* X. Omnia, *inquit,* vsque ad vltimum tumorem perducta, vt non extra sanitatem, sed extra naturam essent. *id est, non tantum extra sanitatem, sed etiam &c.*

19. Non miror si nescis,] *Cicero in eadem oratione,* Si tibi fortuna non dedit vt certo patre nascerere, ex quo intelligere posses qui animus patrius in liberos esset; at natura certe dedit, vt humanitatis non parum haberes.

21. Ne cum tutore queat conuenire.] *Fortasse legendum,* ne cum procuratore queat conuenire. *Tutoris enim nulla hic mentio.*

25. Bonos habeo testes.] *Veteres editiones,* bonis habeo praetestes.

34. Quàm difficile est filio,] *Aliquantulo rectius fortasse,* tam difficile est filio patrem vulnerare, quàm &c.

36. Vtrum non habui potestatem?] *Locus hic confusus est. qui aliquanto melius se habere videbitur, si legamus,* vtrum non habui potestatem, vel nolui te occidere? atqui vulnerata es. *potui igitur te occidere. Alterum autem enthymematis membrum, vel intercidit, vel ideo omissum, quia nulla ratio est cur nouercam infestam & adulterij suspectam priuignus occidere noluerit.*

P. 78, v. 6. Quod causae suae sanguinem misit.] *Quid si scribatur?* quod amicae suae san-

guinem misit. *vocis enim sanguinis in obscoenis vsus est infra hac controuersia,* Facit quod facere solet; pro amatore sanguini suo non parcit. *Petronius:* Nunquam finies hunc ignem, nisi sanguine exstinxeris *Iuuenalis Satyra* 1. Accipiat sane mercedē sanguinis. *nempe ex medicorum doctrina, non Aristotelis.*

18. A colonia Narbonensi] *Vnde ipse erat. Martialis lib.* VIII.

Quem pulcherrima iam redire Narbo,
Docti patria Narbo Votieni,
Ad leges iubet.

Et B. Hieronymus in Eusebij Chronico: Votienus Montanus Narbonensis orator in Balearibus insulis moritur, illic a Tiberio relegatus. *Et haec ad annum Tiberij* XIIII. *retulit B. Hieronymus. Tacitus autem biennio ante, Cornelio Cosso & Asinio Agrippa Coss. eundem Votienum cognitione habita ob contumelias in principem dictas poenis maiestatis adfectum lib. Annal.* IIII. *notauit. quod ad deportationem cum publicatione bonorum refero. Ita illa immanis bellua omnium insignium virorum, qui felix Augusti imperium doctrina & eruditione illustrarunt, exitio fuit.*

Ib. At Montanus adeo toto animo scholasticus] *Vel omnia fallunt, vel hoc dicit, Montanum adeo scholasticum fuisse, vt cum accusatori Vinicio responderet, sententias ab eo in accusatione dictas in suam actionem tam aperte transferret, vt recte Surdinus dixerit videri accusatoris partem declamasse. Scholasticum enim vitium est, cum imitari studueris eadem dicere. Quod si verum est, videretur non incommode legi posse,* at Montanus adeo toto animo scholasticus erat, vt eodem die quo accusatus a Vinicio, decertauerit: in suam actionem Vinicij sententias referret. Eleganter illud dixit. *nisi fortasse haec ἀπροσφόρως dicta sint, qualia apud auctores non pauca deprehendimus.*

32. Procurator natus es.] *Haec est lectio veterum editionum. Ceterae,* procuratori natus es, *vel* procuratore natus es, *corrupte. Nam si scriptum esset,* procuratore natus es, *Cestius contra praeceptum feceret, quo iubet puero parcendum: nec procuratori natus dici potest, qui eius malo natus est. quod si coniicere licet, potius censerem legendum,* procuratore natus non es.

IN CONTROVERSIAM SEXTAM.

PAGINA 79, v. 44. Putasti autem te per tyrannum] *Vide ne legendum sit,* putasti aut semper tyrannum victurum.

45. Raptus tyrannus.] *Lego,* felicissimae videbuntur quibus contigerit raptus Tyranni; *id est, a tyranno rapi. sic supra,* O te, soror, miseram, quòd ista non sub tyranno passa es.

P. 80, v. 56. Diua illa fide.] *Locus a me depositus, quem malui bona fide ex veteribus editionibus edere, quàm vt interpolatus est in ceteris, quae ita legunt:* quam eo magis desidero quod habeo, deinde fide factum liberti. *nihilo certe sanius, imo si quo deterius, quòd locum nihilo integriorem reddit, & ad sanitatem vestigia perturbat, & confundit.*

P. 81, v. 5. Facilius potuit. Non vitiaui,] *Sabinus pro patre colorem ex suae fortunae tenuitate sumpsit, se pauperem, nulloque vnquam in numero habitum, vt non difficile fuerit seruo in domo non notabili & inobseruata, edicto tyranni non parere, virginemque filiam conseruare, extincto autem tyranno, se de collocanda filia cogitasse, cui ingenui hominis conditionem re exigua inuenire non potuit, libertini quaerenda fuit, nec vllum alium extitisse, cuius exploratiores haberet mores, quàm serui a se manumissi, quem ideo ceteris praetulerit, haec ait. quae tamen loco corrupto non satis expressa sunt, nisi manus ei adhibeatur. Vide igitur ne ita legi debeat:* Et ideo, inquit, facilius potuit non vitiare: quia nemo in domum nostram oculos dirigebat, nec fueram inuentutus facile, cui collocarem: quaerendus mihi erat gener aliquis libertinus. *& linea sequenti,* scio me meam filiam apud hunc tuto relicturum.

13. Fortuna mea publicae partis detracta] *Lego,* fortuna mea publicae par. detracta omnis inuidia est.

35. Transite serui, transite liberi,] *Epitome,* Conuenite serui, conuenite liberti.

IN CONTROVERSIAM SEPTIMAM.

PAGINA 82, v. 50. Negauit illam esse proditionem:] *Melius fortasse,* negauit vllam esse proditionem.

P. 83, v. 25. Agnita re, comperisse dixit.] *Veteres editiones,* agitatur te: *ceterae,* agitatur re comperisse. ὑγιῶς οὐδέν.

Ib. Erat autem ex somniatoribus totus.] *Quod coloris genus sua facilitate auctoritatem perdidisse dicit Quinctilianus.*

IN CONTROVERSIAM OCTAVAM.

PAGINA 85, v. 13. Agebatur apud iudices,] *Haec corrupta esse nemo est qui nō videat. nec enim proximo iudicio agi potuit, vtrum raptae deberet esse optio, quam ei lex tribuit: sed an quae educta*

fuerat,

fuerat,& ex lege raptarum optauerat, rapta fuisset. nā nisi rapta fuerit, ius optandi non habet. negabat autem raptam fuisse reus. Quare si quid audaciuscule tentare liceat, lubenter scriberem: Raptor ait; agebatur apud iudices vtrum raptae esset optio: iudicatum raptae esse, raptae fit, Non, inquit puella: quaesitum est enim *&c. quare cum ait actum esse vtrum raptae esset optio, id est, vtrum quae optauerat, rapta fuisset, vt ei optandi ius fuerit.*

30. Nec Varium Geminum confitentem se non rapuisse,] *At hoc negare est. & tamen supra Varius Geminus fassus est se rapuisse. remouenda igitur negatio, legendumque,* confitentem se rapuisse. *quae autem deinde sequuntur, mutila sunt.*

42. Se non velle ducere vxorem,] *In editione Romana negationem abstulerunt. Fortasse lenior erit mutatio, & aptior lectio, si legamus,* se non nolle vxorem ducere.

IN LIBRVM OCTAVVM
CONTROVERSIARVM.

PAGINA 86. *Et hic liber octauus controuersiarum deest, in cuius vicem haec excerpta cedunt, in quibus nihil est quod lectorem remoretur.*

IN PRAEFATIONEM LIBRI
NONI CONTROVERSIARVM.

PAGINA 89, v. 13. Vt ne exercitatus quidem] *Quid si, vt ne exercitationis* quidem declamauerit, *legamus?*

15. Qui declamationem parat,] *Corruptam illam declamandi rationem eleganter expresserunt Petronius Arbiter initio suorum fragmentorum, Quinctilianus cap. XI. lib. II. & cap. V. lib. X. in quo etiam Porcij exemplum, quod hic narratur, recitat: item Tacitus dialogo de oratoribus, & Plinius epist.* XIIII. *lib.* II. *Miror tamen cur Plinius dixerit illam corruptionem a Licinio Largo originem sumpsisse, qui sub Claudio vixit, quo tempore in foro viguit Domitius Afer: cum ex his libris appareat sub Augusto & populum admisisse declamatores, & a puritate illa quae sub Cicerone fuit, iam tum illud studium plurimum deflexisse.*

22. Laudationibus crebris] *Declamantibus enim ad finem cuiusque clausulae ab auditoribus vt plurimum vel recta coena, vel sportula redemptis acclamabatur,* EVGE, BELLE, O HOMINEM LITTERATVM, ΦΕΥ, ΣΟΦΩΣ: *nec declamantibus solum, verum etiam recitantibus sua scripta, atque orantibus in foro patronis: sed his parcius & modestius. vt praeter auctores proxime praecedenti notatione a nobis memoratos probant Horatius epist.* XIX. *lib.* I. *Persius Satyra* I. *Martialis lib.* III. *& VIII. & L. Seneca epist.* LXXXIX. *Insignis eius rei locus apud Tertullianum contra Valentinianos.* In Esclis, *scribit ille,* Carthaginiensibus fuit rigidissimus Rhetor Latinus Phosphorus nomine: eum virum forte perorarct, Venio, inquit, ad vos, optimi ciues, de proelio eum victoria mea, cum felicitate vestra, ampliatus, gloriosus, fortunatus, maximus, triumphalis. & Scholastiei statim familiae Phosphori, φεῦ, acclamant.

32. Non est autem vtilis exercitatio,] *Ita Quinctilianus declamationibus ad veritatem accōmodatis adolescentem exerceri praecipit, subditque:* tum causas, vel easdem quas agi audierit, stilo & ipse componat, vel alias veras modo, & vtrumque tractet: & quod in gladiatoribus fieri videmus, retiariis exerceatur, vt fecisse Brutum diximus pro Milone. *Quid sit retiarys exerceri, vt hanc mendam eximam, quemadmodum Brutus pro Milone fecit, nemo credo dicet. Nam quod hoc loco de retiarijs & mirmillonibus narrant, ἀπροσδιόνυσον est. corruptum locum docent vetera exemplaria, quae decretoriis, vel de Rhetoricis, scriptum exhibent. Melius fortasse legemus,* decretoriis exerceatur, *id est, ferijs, & ad verum certamen aptis, quibus lusoria arma opponuntur. L. Seneca epist.* CXVII. Remoue ista lusoria arma: decretoriis opus est. *Idem illud vocabulum apud eundem Quinctilianum, cap.* V. *lib.* VI. *corruptum extat. quo loci haec habentur,* pugnamque illam decertatoriam imperitis ac pullatae turbae relinquunt. *Legendum enim, vt in manuscriptis, & antiquis editionibus,* decretoriam illam pugnam, *id est, veram & seriam.*

45. Lepidus, vir egregius,] *M. Lepidum accipio praeceptorem Neronis Drusi, quem in praefat. lib.* X. *cum Scauro declamasse, & C. Tacitus lib.* II. *Cn. Pisonis caedis Germanici reo adfuisse tradunt.*

IN CONTROVERSIAM PRIMAM.

51 MILTIADES peculatus damnatus,] *Contra historiam hoc thema: Callias enim Cimonem a Republ. redemit non data ei filia, sed eius accepta sorore Elpinice. Plutarchus & Probus.*

P. 90, v. 5. Ne felicior] *Veteres editiones repraeſentant ſequentem lectionem*, nec liceor qua liceor quidem.

10. Cynegyrus] *Scribe*, Cynaegirus, *Graece* Κυναίγειρος. *de quo Herodotus lib.* VI.

17. Vis diuitias tuas abſcondere,] *Suſpicor mendum eſſe in verbo* abſcondere, *legendumque*, oſtendere, *vel* oſtentare. *videtur enim hoc dicere: ita tu mihi diuitias, quas cum filia dediſti, oſtentas & imputas, cum nulla re quàm paupertate clarior ſim. Nihil aſſero.*

P. 91, v. 14. An teneatur is qui beneficium accepit, quod non petiuit.] *Id eſt, quod is qui dedit ſua, non eius cui dedit, cauſa contulit. Nam qui beneficium non petenti dedit, eius tamen cui dedit cauſa, duplici nomine eum obſtringit, nempe quia accepit, & quia rogãdi neceßitate liberauit. De hac autẽ quaeſtione & illa quae a Brutidio infra mota eſt, L. Seneca cap.* XII. *& ſequẽtib. lib.* VI. *de beneficijs.*

15. Dediſti illud iactationi tuae.] *Hoc eſt quod L. Seneca dicit*, morbo ſuo morem geſſit, ambitioni dedit.

42. Tum deinde retulit quandam Thucydidis ſententiam:] *Haec Graeca ab optimo P. Pithoei codice ſuppleuimus, quae etiam Lud. Carrio in doctis ſuis & laborioſis lectionibus antiquis ſuos codices ex parte habuiſſe notauit: fruſtra tamen in ijs quae Thucydidis ſuperſunt, quaerẽtur, vt* ἁμαρτήματα *prodigioſae memoriae ſenis videatur. Apud Demoſthenem extant duobus locis, nempe Olynth.* II. *& in orat. ad epiſt. Philippi, niſi quod in hac loco horum verborum,* τὰ ἑκάστων ἁμαρτήματα, *habetur* τὰς ἁμαρτίας εἰσὶ τῶν ἀνθρώπων: *in illa vero,* τὰ τοιαῦτα ὀνείδη. *Et fortaſſe a Thucydide praeclaram ſententiam ex quodã opere quod interciderit, ſumptam pauculis immutatis, mutuari ſummus oratorũ potuit. Salluſtij autẽ ſentẽtia in Marci Lepidi oratione inter fragmenta Salluſtiana reperietur. Nec enim veriſimile eſt Liuium tẽtaſſe Salluſtiũ cum Demoſthene cõponere, a quo vt ſtudio, ita dicendi genere toto coelo diſtat: aut in inſigni fabula tam craſſe impegiſſe Senecã, vt pro Thucydidis loco a Liuio collato locum Demoſthenis ſumpſerit. Reliqua quae in huius controuerſiae fine Graeca ſunt, a Vialartio accepimus.*

IN CONTROVERSIAM SECVNDAM.

PAGINA 92, v. 10. Flaminius Praetor] *Ex hiſtoria petitum thema, prout narratur a Valerio Antiate apud Liuium, et Valerio Maximo. Ceteri enim longe aliter factum exponunt: omnes tamen Proconſulẽ fuiſſe, non Praetorem, conueniunt, niſi ex notis hic ſit natus error. vide Ciceronem de Senectute, Liuium lib.* XXXIX. *& Plutarchum in M. Catonis, & T. Flaminij vitis.*

28. Cui tecum ſit credendum?] *Fortaſſe melius*, Quis enim in illo conuiuio fuit tecum, cui ſit credendum?

41. Alio quàm Flaminio Praetore] *Haec officere rectitudini orationis videntur, quibus reiectis in lineam tertiam conſtabit ſenſus.*

43. Nunquam vidi. Aduee ſi vis.] *Hic inſero quae notatione proxima delenda duxi: & lego*, Aduee ſi vis, nec alio Praetore quàm Flaminio videre poſſum.

P. 93, v. 25. An quòd quis in magiſtratu peccauit, proles] *Haec immutarunt in editione Romana poſtrema, ediderũtque*, An quod quis in magiſtratu peccauit Procos. vindicari poſſit maieſtatis lege reus. *Quae lectio tanto deterior eſt, quanto a veteri quã repraeſentauimus, longius abeſt. Vbiq; enim Praetorem, non Proconſulem vocat. Si licet aliquid audacinſcule tẽtare, legendum cenſerem*: An quicquid in magiſtratu peccauit Praetor, vindicari poſſit maieſtatis lege? Reus enim cum tueri ſe facto non poteſt, ad ius confugit, & dicit ſe hac lege non teneri.

42. Quod Proconſul, maieſtatis publicae] *In controuerſijs quaeſtiones ex quaeſtionibus naſcuntur. Supra quaeſtionem exſecutus eſt, an quicquid in magiſtratu quis peccat, lege maieſtatis vindicandũ ſit, concluſitque id tantum hac lege vindicandum quod praetextu maieſtatis publicae admiſſum eſt. quaerẽdum igitur nunc venit, An hoc factum praetextu maieſtatis ſit admiſſum. quod facit, ſi legamus*: Deinde ſi poteſt vindicari maieſtatis lege id quod praetextu maieſtatis, & iuris, & apparatus peccauit, an hoc poſſit. *nec puto de hac lectione quenquam controuerſiam facturum.*

51. Non tamen ſi quid in aliquo eſt mali,] *Ceterae editiones habent*, non tamen ſi cum aliquo imitatum eſt malis, *corrupte.*

P. 94, v. 13. Diligentiam excutiatis,] *Conijcio legendum*, cum illi conſtiterit abſtinentia, diligentia, excutiatis quomodo vna nocte cenauerit.

14. Vtrum tamen, inquit, iniqui eſt] *Videtur legendum*, vtrum tamen, inquit, iniquius eſt. Obiiciunt quòd damnatus perierit meretrici: poſtulant Praetorem perire damnato.

30. Animaduerte meretrix.] *Verba ſunt Praetoris meretricem attentam ad ſupplicium reddentis, vulgataque formula lictorem percutere iubentis. Magiſtratus enim cum occidere imperabat*, LEGE AGERE *iubebat, atrocitatem facti verbo mitiore temperans. Aliquando tamen legendum putaui*: Animaduertere meretrix iubet, LEGE AGE. *vt velit dicere meretricem officio Praetoris functam.*

Quod

Quod nos admonet, vt de ea re locum lib. I. de ira, a multis varie versatum hic adponamus, quemadmodum rectißime habetur in Gryphiana editione, si particulam &, quae in illa vacat, deleamus. Is sic se habet. Itaque si peruersa induenda magistratui vestis, & conuocanda classico concio est, procedam in tribunali non furens, non infestus, sed vultu leni, & magis graui quàm rabida voce illa solennia verba concipiam, & lege agi iubebo. *quemadmodum etiam Liuius lib. XXVI. scribit,* praeconi imperauit, vt lictores lege agere iuberet. *quod editionem Gryphianam confirmat.*

32 Attrectationem violentissimam fregit.] *Attrectationis vocabulum hoc loco frustra esse existimo, suspicorque legendum*, in quae solebat schemata tractationem violentissimam fregit, *vt supra, controuersia V. lib. II. Albucium dixit solitum in figuras controuersiam diuidere. quod in toto faciebat Albucius, id in parte fecit Argentarius.*

39. Quemcunque audire declamantem.] *Sequentia probant legendum esse:* quemquam audire declamantem.

40. Nec vlli alij contigisse suo,] *Fortasse*, contigisse scio.

57. Ad supplicium aduocari,] *Vel reponendum, vel potius subaudiendum vocabulum* concionem. *Claßico enim aduocabatur concio. Tacitus lib. II. de P. Martio, & L. Seneca.*

IN CONTROVERSIAM TERTIAM.

PAGINA 95, v. 33. Si alterum non abstuleris,] *Veteres editiones habent :* si alterum non abstulerim : non habebis. *nulla sine mendo.*

42. Non cum educatore] *Fortasse*, non pro educatore facta est.

P. 96, v. 3. Iste eligat.] *In excerptis*, iste electurus est, *habetur.*

10. In re vis aut necessitas sit.] *Legendum puto*, An in re vis & necessitas sit. *Succedit enim huic quaestio:* An si est in re vis & necessitas *&c. quae posterior quaestio a Diocletiano et Maximiano Imperatoribus in vēditione, et pignore rei familiaris necessitate cōtractis deciditur in codice Iustinianeo.*

27. Et ad exonerandum] *Lego*, & ad exorandum se venisset.

45. Dono quod iudicauerim.] *Videtur scribendum*, damno quod indicauerim.

49. Cestij simius est.] *Ceterae editiones habent*, certissimum ius est. *ex quibus vocabulis* Cestij simius est *effeceram. quam coniecturam mihi deinde confirmarunt Graeca haec P. Chiaconij quae proxima subijciuntur, πίθηκός μου, & Romana editio, in qua* Caestosimius est *vno vocabulo reposuerūt. Nec dubitaui id praeferre & in textum admittere, quod vetustae lectioni propius accederet.*

P. 97, v. 2. Τυδείδην δ' οὐκ ἂν] *Graeca Chiaconij habent*, Τυδείδην δ' οὐκ ἂν φαίης ποτέροισι. *nos tamen maluimus sequi vestigia optimi codicis Pithoeani, quae hunc versum repraesentant, & vulgatum Homeri textum, in quo ita habetur Iliados ε.*

3. Male καὶ κακῶς.] *Insignis locus ex optimo P. Pithoei codice restitutus, ex quo solo vel vrbanitatem Caßij dignoscere possumus.*

IN CONTROVERSIAM QVARTAM.

21 PRAECIDVNTVR tyrannicidae manus,] *Aliquanto fortasse melius*, Praecidentur tyrannicidae manus? *vel*, praecidetis tyrānicidae manus? *Veteres tamen editiones totū hunc locum longe aliter exprimunt, quae sic habent*, praecidetis tyrannicidae manus? quid hoc est? inter tyrannos iacet praecisa tyrannicida manus arci praeditae ne vindicem filium. *Ex cuius corruptae lectionis vestigijs, haec quam habemus lectio expressa est.*

49. Ille quoque mihi pepercisset,] *Deesse negationem existimo. vult enim dicere, filium, qui se praecipitauit, patri non parciturum fuisse quin caecidisset, si & ipse vnicus fuisset, id est, nisi fratrem habuisset, cui patrem relinqueret. Quare non mirum, si is qui solus remanserat, caeciderit. Tyranno enim patrem relicturus fuerat. Qui sensus vt effici poßit, legendum est,* Ille quoque mihi non pepercisset.

P. 98, v. 18. An nō quisq;] *Quae deinceps sequūtur, diuisionis esse apparet, cuius in veteribus editionibus in hac cōtrouersia nulla est distinctio. qua ratione hic quaedā deesse, locūq; asteriscis notandū duco.*

26. Caecidit patrem, non pulsauit,] *Vide ne legendum sit*, aut pulsauit. *Vel* non pulsauit, *id est, non tantum pulsauit, vt alijs locis notauimus.*

58. Et cum descripsisset] *Sanior fortasse erit locus, si ita legamus:* Et cum descripsisset cicatrices patris, deformem adhuc faciem, dixit: Ab vtroque *&c.*

P. 99, v. 2. Morieris si caecideris:] *Videtur legēdū*, ni caecideris, *vt sint verba tyrāni cōminātis.*

24. Quot accepisset:] *Fortasse*, quod accepisset.

26. Domitium nobilissimum virum] *Auumne Neronis, quem arrogantem & profusum in Nerone fuisse dicit Suetonius, an patrem?*

28. Πρῶτον κολυμβᾶν,] *A P. Chiaconio sunt haec Graeca. Pueri autem prius litteras, deinde nare discebant, quod & Augustum suos liberos docuisse ait Suetonius: vnde prouerbium*, μηδὲ νεῖν, μηδὲ

χάμματα. At Syriacus contra fecisse Domitium ludebat, qui prius thermas aedificauerat, quarum pars κολυμβήθρα, seu piscina natationi apta erat, deinde Rhetoras sectabatur.

38. Cum mattea] *Mattea, siue Mattya, aut Matteola, ita enim per tt duplex potius quàm per c & t scribendum hoc vocabulum docent origo Graeca, & manuscripti libri, genus esse cibi delicatissimi docet Athenaeus lib. XIIII. Vnde pro cibo quocunque exquisito sumitur, vel apud Latinos. Martialis lib. XIII.*

Inter aues turdus, si quis me iudice certet,
Inter quadrupedes mattya prima lepus.

sic enim hoc distichon legendum monuerunt docti viri. & ματτυάζειν pro delicate viuere. Eadem fortasse ratione Sabinus hic Turdum ματτυάζοντα, Matteam dicit. vel potius obscoenius quid latet, & quemadmodum Terentianus miles speciosum adulescentem leporem, ita Sabinus Turdum Matteam vocat. supra enim inter infames fuisse dictum est.

54. Sed initum] *Ceterae editiones:* sed in iis esse tyrannicidae consilium. *Ex quibus efficio,* sed iniisse tyrannicidij consilium, vt per hoc *&c.*

IN CONTROVERSIAM QVINTAM.

PAGINA 100, v. 22. Mittis praeconem.] *Rectius fortasse,* Mitte praeconem, adiice illi omnia insignia: Hic puer matrem perdidit, fratres amisit, nouercam habet: affirmo tibi non indicabit quisquis fauerit. *Alludit autem ad formulam praeconiorum, quibus res perditae conquirebantur, additis notis quibus dignoscerentur. Moschus εἰδυλλ. α. in amoris fugitiui praeconio:*

Ἐπὶ δ' ὁ παῖς περίσαμος· ἐν εἴκοσι πᾶσι μάθοις νιν.
Χρῶτα μὲν οὐ λευκὸς, πυρὶ δ' εἴκελος· ὄμματα δ' αὐτῷ
Δριμύλα καὶ φλογόεντα.

41. Quae facta dicitur,] *Lego,* cui facta dicitur, *& linea sequenti,* cum latrones aliquem obsiderent, *&c.*

50. Quid tibi cum illo,] *Emendatior fortasse erit locus, si scribas,* quid tibi cum illo? qui intestati heres futurus sit. *vel propius ad corruptae scripturae vestigia:* Quid tibi cum illo? qui intestati suus heres futurus sit? *quamuis tamen ex filia nepos auo non suus heres sit. Sed exacta illa vocabulorum turis significatio in scholis non obseruabatur.*

P. 101, v. 23. Timuisse se de puero. Frustra,] *Vide ne legendum sit,* timuisse se de puero: nec frustra, inquit: duos enim, *&c.*

56. Τοῦτο τὸ παιδίον] *Haec Graeca, & quae deinceps in his libris adiecimus, a Chiaconio sunt.*

IN CONTROVERSIAM SEXTAM.

P. 102, v. 30. Vbi grauissime mihi nocere possit, ostendit.] *Vide num aptius sit,* offendit.

43. Vocet huc aliquis matrem.] *Immo filiam. Nam mater vincta aderat. Quare lego,* Vocet hanc aliquis. Matrem quid expauisti puella?

54. Huc mea scelera] *Aliquanto rectius:* Huc ne scelera reciderunt, vt parricidium puellare sit? *cum interrogandi nota.*

P. 103, v. 8. Totius populi habitum] *Quid si* gemitum *legas?*

26. In qua torta, credibile] *Videtur vox* torta *huic loco obesse, legendumque,* In qua credibile scelus illud quidem, sed intolerabile esset. Induxerat *&c. ceteris deletis.*

46. Non posse? Vsque in exilium:] *Aliquot vocabula desunt, vt huius loci fulciatur sententia. Vult enim dicere sententiam Haterij ideo ineptam, quia omnes licet in exilium mitti dicantur, tamen feruntur, deportandique locantur. Per exilium enim deportationem intelligit, quae veneficis irrogabatur, quemadmodum apud Ouidium:*

Quippe relegatus, non exul dicor in illo.

id est, non deportatus. Quare puella rea non magis in exilium portanda est quàm ceteri exules. Quod si, inquit, intelligit penitus per aetatem ambulare non posse, eo ineptior est sententia, quòd in tantula aetate veneficium ne suspicari quidem potest. Si autem intelligit ambulare quidem posse, sed non vsque ad exilij locum, nec mater eius posset. Solent enim in longinquas & extremas insulas deportari, vt in Gyaras, Seriphum, Oasin. Quare parua adiectione videtur legendum: Quid enim intelligi vult hac sententia, nisi ex toto puellam ambulare non posse? Nam si vsque in exilium, verum est: sed nec mater eius potuisset. *Repetendum autem ἀπὸ κοινοῦ post haec verba,* Nam si vsque in exilium, *intelligi vult puellam ambulare non posse.*

P. 104, v. 6. Quid ergo? mentita est, quae nihil lamentabatur] *Veterum editionum haec est lectio,* quae nihil lamentaretur de accusatoris sui filia. *cuius vestigia sequens scribendum conjicio:*

Quid

Quid ergo? mentita est? quidni illa mentiretur de accusatoris sui filia? *quod maxime cum Graecis, quae paulo ante habentur, congruit.*

10. Mortuo fratre ac matre non fleuit.] *Etiam hoc loco aliquid deesse iudico. Probabile enim est Blandum voluisse dicere, matrem apud se dixisse se filiam nominaturam, quia patri accusanti adfuerit, mortuo fratrē fleuerit, accusata matre non fleuerit, legendumque esse*, Nominabo istam quae patri affuit, istam quae mortuo fratre fleuit, accusata matre non fleuit.

IN PRAEFATIONEM LIBRI
DECIMI CONTROVERSIARVM.

PAGINA 105, v. 2. L. Asprenas,] *Fortasse, P. frater.*

3. Quinctilianus] *Anne M. Fabij Quinctiliani Rhetoris, cuius elegantissimi & doctissimi oratoriarum institutionum libri frequentantur? Non puto. Is enim patris sui declamatoris mentionem facit, nullam aui. Quemadmodum etiam non existimo quae Quinctiliani vulgatae sunt* CXLV. *ex maiore numero superstites declamationes, huius esse Quinctiliani, de quo quaerimus. Nam quomodo exstinctis & oblitteratis tot egregiorum oratorum vigiliis, Asiniorum dico, Paßienorum, Viniciorum, Porcij Latronis, Gallionis, ceterorumque primae classis, ad nos vsque perdurare potuerit, qui vix quidem suo tempore innotuit, & cuius memoriam cum eo exstinctam noster auctor ait. Et sane illae declamationes felicis Augusti saeculi vel ingenium, vel loquendi formulam non sapiunt. Nam declamator ille semper aduocati nomen pro patrono vsurpat, quod ante Neronis saeculum factitatum non fuisse, ab aliis obseruatum est. Supra declamatione* II. *lib.* VI. *Aduocatus is dicitur qui causam egit, sed ex excerptis ea sunt, in quibus qui collegit quaedam mutauit, & ad suum captum accommodauit. At vero in controuersiis integris aperte vbique, quemadmodum apud ceteros huius seculi auctores, haec distinguuntur vocabula. Supra declamatione* IIII. *lib.* IX. Scio, *inquit*, Mentonem vsum non patrono patre, sed aduocato. *Meminit idem declamator legis quae in tricesimum diem poenalia iudicia differt, quae siue Tiberianum est Senatuscōsultum, siue Theodosij lex, sub Augusto floruisse non potuit, qui illius legis mentionem facit. Nec tamen earum auctor dictu facilis, cum veteres vnius tantum Quinctiliani Rhetoris & declamatoris meminerint, quem in declamationibus laudant, nempe iis integris, quae post oratorias institutiones, velut eiusdem auctoris eduntur. Ita enim B. Hieronymus ad praesidium controuersiae meminit, in qua pauper dolet ob interitum apum floribus ab impotentissimo diuite venenatis: & in praefatione ad Quaestiones Hebraicas, quae ex Quinctiliano de se dicit*, latentem inuenit inuidia, *ex eadem sunt controuersia. Quo fit vt vero simile sit illas recentioris cuiusdam auctoris esse, quibus quia auctor ignorabatur, Quinctiliani notißimi declamatoris nomen adscriptum sit. Ita enim Trebellius Pollio in Postumo iuniore, Postumi declamationes Quinctiliani declamationibus sua aetate insertas testatur. de quibus tamen iudicium sustineo.*

Ib. De Scauro] *Mamercum Scaurum intelligit, cuius apud Tacitum lib.* VI. *hoc legimus elogium.* Mamercus dein Scaurus, *inquit*, rursum postulatur, insignis nobilitate & orandis causis, vita probrosus. *Et libro* III. Satisfactum Corbuloni per Mamercum, qui patruus simul ac vitricus Sullae, & oratorum ea tempestate vberrimus erat. *Sane impuritate vitae quàm eloquentia notior est antiquorum scriptis. de quo infra in Suasoriis.*

14. Cum fama eius lugent,] *Vtrumque enim male audit. male antea* pugnant *legebatur.*

17. Cum M. Lepido] *Is est fortasse quem supra Neronis praeceptorem dixit.*

Ib. De Labieno] *Miror historiographos, qui Augusti vitam scripserunt, & maxime Suetonium in recensendis imperatorum facinoribus malis etiam curiosum tam nouum illud supplicij genus, mortemque nobilis & clari viri non vulgarem silentio praeteriisse. ille enim auctor solum in Caligula scriptum reliquit, Caium T. Labieni scripta Senatusconsulto abolita requiri, & esse in manibus, permisisse. Is autem Labienus nepos fortasse T. Labieni fuit eius, qui cum egregiam Iulio Caesari operam in Gallia nauasset, bello tamen ciuili a partibus optimatium stetit, & filius eius, quem Parthorum auxilio pop. Rom. bellum indixisse, Mylasamque in Hybreae contumeliam & vindictam diruisse Strabo lib.* XIIII. *& Dio lib.* XLVIII *produnt. Tribus enim illis Titi praenomen fuit. Cuiuscuius filius fuerit, gentis suae ferociam animo retinuisse constat, & vt animi quibusdam vitiis, ita etiam loquendi libertate, & magnis ingenij virtutibus clarum extitisse. eius auctoritate & scriptis vtuntur Quinctilianus cap.* IX. *lib.* I. *&* III. *lib.* IX. *& Sosipater.*

22. Summa infamia, summum odium.] *Vt eum aduersarij patronum Asinius Pollio pro Vrbiniae haeredibus inter argumenta malae causae posuerit. Quinctilianus cap.* I. *lib.* IIII.

38. Ad eandem rem corporis mala.] *Quid velit dicere hoc loco, percipere mihi videor. Exag-*

gerat enim eorum crudelitatem, qui non contenti in ea saeuire, quae saeuitiae obnoxia sunt, etiam ad ea conantur crudelitatem suam extendere, & eisdem corporis malis subycere, quae natura pati non possunt. quale est ingenium, & quae ex ingenio fama nominis propagatur. Quamodo autem dicat, non video. Nam illud significare non possunt haec verba, ad eandem rem corporis mala. *Optimus P. Pithoei codex habebat* ad eandem corporis: *quibus postea suprascriptae sunt duae illae voculae* rem *&* mala. *ceteri nihil mutant: nihilominus tamen locum corruptum existimo. vide igitur ne legendum sit*, ad eadem corporis mala, *id est, ad eadem mala, quibus corpus obnoxium est.*

51. Batyllo Maecenatis,] *Vide quae de Batyllo Maecenatis doctissime I. Lipsius scripsit in primum Annalem Taciti.*

P.106, v.9. Syllaba in Graecum mutata,] *Nemo non ad hunc locum aliquid conatus est. Aemarus Ranconetus vir excellentis ingenij & iudicij, legebat prima eius syllaba in* Gras *mutata, nempe vt Paßienum Graßienum vocaret, velut hircosum: quod ex clarißimi atque eruditißimi Senatoris Ioan. Iacobi Lauernij libro manu eiusdem Ranconeti hoc loco notato didicisse lubens profiteor.*

10. Declamatori subtili, sed arido.] *Itane vero noster auctor Paßienum aridum vocauit? At supra virum eloquentißimum, & sui temporis primum oratorem dixit. & ex his quae infra controuersia penultima habētur, tanti nominis fuisse apparet, vt cum Augustus Asinium Pollionem Paßieno commendaret, Pollio ingenue fassus sit ideo tanti viri gratiam se complecti nolle, ne eius claritudine ac splendore ipsius fama propius admota exstingueretur. Et sane suspicor haec transposita, & ita restituenda suo loco:* obscoenum nomen ei imposuit. Ille Sparso declamatori subtili, sed arido dixit *&c.*

17. Declamatio de Popilio.] *In controuersia de Popilio supra Capitonis nulla mentio, vnde apparet multa deesse in Controuersiis.*

20. Penes Latronem gloria fuisset, penes Gallionem palma:] *At qui fieri potest vt non apud aequos iudices penes eundem gloria, penes quem palma, & palma penes eum sit, cuius est victoria? An quod cultior & ornatior Gallio suauitate sua perfundebat animos auditorum, non perfringebat, & tantum concinnitatis suae, quod de Demetrio Phalereo scribit Cicero, memoriam, non quemadmodum Latro fortius & concitatius dicendi genus sectatus* τὸ κέντρον ἐγκατέλιπε τοῖς ἀκροωμένοις*? vt in Gallione plus artis & cultus, in Latrone plus naturae & virium fuerit.*

25. Gauius Silo:] *Male antea* Caius, *contra veteres libros, & rationem. Nusquam enim noster auctor ex praenomine suos Rhetoras denominauit, sed ex nomine, vel cognomine. Gauij autem nomen inter Romana nomina notum probauit doctißimus Carrio Emend. primo.*

IN CONTROVERSIAM PRIMAM.

PAGINA 107, v.56. M. Cicero qua violentia] *Absit vt noster auctor fulmen illud dicendi strepere dixerit, aut Cicero in maximum & constantißimum virum vnquam stylum suum strinxerit: qui vix octo annos natus erat, cum in exilium Marcellus pulsus est. quod satis ex Gellio cap.* XXVIII. *lib.* XV. *& eodē Cicerone in orat. pro Sextio Balbo, & in Pisonem, clarum est. Locus igitur corruptus est. aliquando putaui legendum* Cn. Carbo, *quem ex historia constat suis seditiosis concionibus, vt absens Marcellus hostis iudicaretur, effecisse. Sed quàm longe a veteri scriptura?*

P.108, v.7. Sordidatus sum, inquam:] *Vereor ne hoc loco vera lectio exscribentes fugerit. Potius enim legendum videtur:* Sordidatus sum? iniuriam nulli facio. Omnia iniuriae genera *&c. Et ad finem sententiae, post haec:* conuicium facere contra bonos mores non licet, *vel addendum, vel intelligendum est,* nulli sordidatum esse non licet: *quae si non ad textus emendationem faciant, ad intelligentiam tamen conducunt.*

11. An si credidit, ob hoc ipsum] *Lego,* ab eo ipso patrem suum occisum, *id est a diuite.*

14. Sumere nihil, inquit, vt & alienum] *Non multum a vestigiis editae lectionis & vitiatae discedemus, propiusque a sana lectione fortasse stabimus, si legamus,* licet, inquit, flere, licet ambulare qua velis: sed nihil, inquit, licet in alienam iniuriam facere: *quod & quae sequuntur, verum probant. In edicto autem Praetoris cautum erat,* Ne quid infamandi causa fiat. Proinde, *addit Vlpianus lib.* LXXVII. *ad edictum,* quodcuoque quis fecerit, vel dixerit, vt alium infamet, erit actio iniuriarum. Haec autem fere sunt, quae ad infamiam alicuius sunt: vt puta, in inuidiam alicuius veste lugubri vtitur, aut squalida, aut si barbam dimittat, *&c.*

24. Si quem non postulauit,] *Veteres editiones legunt*, siquidem non postulauit: *ceterae*, si qui non postulauit. *Neutram sanam, ne hanc quidem Romanam arbitror. Quare locus asterisco notandus.*

55. Lupanar de quantum est.] *Fortasse,* Lupanar esse quantum est? *Cetera depono.*

IN CONTROVERSIAM SECVNDAM.

PAGINA 109, v.44. Contra ait:] *Haec sunt ex diuisione, cuius principium intercidisse patet: quae paulo infra male in ceteris editionibus distincta est.*

P.110, v.12. Cum dubitaret exaudisse quendam] *Veteres editiones*, cum dubitaret ex ordine suo quem dicentem *&c.*

18. Occasionem beneficij quaestu non concupiui] *Quid si scribatur*, occasionem beneficij quaesij. Non concupiui accipere praemium, habet alter *&c? Et sane speciosus est ille filij color, quo dicit ideo patri cedere noluisse ancipitem palmam, vt cum sibi adiudicata esset, certam & propriam cedendo, liberalius cum eo ageret.*

IN CONTROVERSIAM TERTIAM.

PAGINA 111. *Quaedam deesse huic controuersiae, ex excerptis liquet, in quibus haec pro patre habentur, quae hic non exstant*, Etiam morte patri quaesiuit inuidiam.

IN CONTROVERSIAM QVARTAM.

PAGINA 112, v.45. Cestij Seueri.] *Legendum*, Cassij Seueri. *Cestius enim non Seuerus, sed Pius dicebatur, eiusque sententiae inferius habentur.*

57. Magis hominum animos peruellat.] *Fortasse aptius*, percellat.

P.113, v.20. Genus est rogandi, rogare non posse.] *B. Hieronymus in Epistola ad Pammachiũ super abitu Paulinae, multa ex hac controuersia imitatus, & mutuatus est.* Alius, *inquit*, tumenti aqualiculo mortem parturit, alius elinguis & mutus; & ne hoc quidem habens vnde roget, magis rogat dum rogare non potest. hic debilitatus *&c.* a paruo non sibi mendicat stipem *&c.*

42. Cum stimulant ij, qui se alere non possunt?] *Recta haec videtur lectio, rationemque exprimit cur non possit videri contra legem Cinciam ad miserorum patrocinium accessisse: qui tamen excerpta collegit, videtur legisse*, Cum istum alant, qui se alere non possunt.

P.114, v.1. An laesa sit Respubl. non solet argumentis] *Quinctilianus declamat.* CCLX. Aliquis caput hominis perperam petit; vt terreat, vt occidat, Reip. laesae? Quaedam sunt, iudices, ad quorum pronunciationem oculi sufficiunt. Satis erit accusatori ostendere si quid hic laeserit, aliqua operum publicorum incensa, euersa, corrupta naualia, & quae vulgo male destructa sunt. *Ex quibus colligo hic legendum*, hoc damnum quod tu obiicis, non videtur, *non autem* non videbat.

51. Ad longiorem patiẽtiam impudicitiae idonei sint,] *Vereor ne illud vocabulum* impudicitiae *glossema sit. patientiae enim vocabulũ in obscaenis est apud auctores, impudicitiamque praecipue in maribus denotat. Petronius*, Ephebus, *inquit*, plenae maturitatis & annis ad patiendum gestientibus. *Et alibi*, accessi tentaturus an pateretur iniuriam. *& L. Seneca* XVI. *cap. lib.* I. *natur. quaestionum*, Est aliqua etiam prostitutis modestia: & illa corpora publico obiecta ludibrio aliquid quo infelix patientia lateat, obtrudunt. *Sic cap.* XIII. *lib. de Beata vita* impudicitiae *vocabulum ex glossemate*, patientiae *voce exclusa, in textum irrepsit, vt, Deo iuuante, in praetermissis ad eum auctorem dicemus. Porro B. Hieronymus prima in Iouinianum ad hunc locum respexisse videtur, cum in longam securamque libidinem exsectum spadonem dixit.*

55. In ludum coniiciunt.] *Epit.* detrudunt.

P.115, v.5. Miserabiliores dicant.] *Fortasse*, dicam.

43. P. Asprenates] *Lege* P. Asprenas, *vt in praecedẽtibus. Is autem est P. Nonius Asprenas, quem supra diximus a Cassio Seuero veneficij accusatum, ab Asinio Pollione defensum. Fuit autem inter Augusti familiares, ita vt eo accusato senatum consuluerit Augustus quid sui officij esset in amici causa, causamque dicenti in subselliis adstiterit. Suetonius in Augusto cap.* LVI.

IN CONTROVERSIAM QVINTAM.

PAGINA 116, v.18. Nisi Lasthenem emeris.] *Qui cum Euthycrate Philippo Olynthum vendidit. Diodorus lib.* XVI. *& Demosthenes in Olynthiacis, & Philippicis.*

19. Sciebat te emptorem:] *In excerptis*, agnoscebat emptorem.

26. Iaculo perfractum,] *Legẽdum coniicio*, iugulo perfractum. *Demosthenes* περὶ ϛεφάνου, *Phi-*

lippum describens, cum dicit τὸν ὀφθαλμὸν ἐκκεκομμένον, τὴν κλεῖν κατεαγότα. *ad quem locum proculdubio Musa respexit. Iugulum enim non solum* σφαγὴν, *sed etiam* κλεῖν *significas. Cornelius Celsus lib.* VIII. *cap. de iuguli fracti curatione. Vet. lex. Iugulum,* σφαγὴ, κατακλείς.

50. Phintias omnia] *Interpolatus potius quàm curatus locus. ceterae editiones exhibent*, Pythias omnia Parrhasi me tortor effecit. *a quo abstineo.*

57. Sic dixit, vt non controuersiam diuideret,] *Absunt a veteribus editionibus haec duo vocabula* vt non: *& ab Erasmo primum in editione Frobeniana anno* M. D. XV. *sensu ita exigente addita sunt. Aliter autem accusatio ac controuersia diuiditur. Illa enim non per quaestiones particulares, sed per criminum capita diuiditur, vt patet maxime ex actionibus in Verrem.*

P. 117, v. 7. Debilitabat expositos,] *Legendum puto*, debilitans expositos: *hic enim est illi controuersiae titulus.*

9. Non ages mecum reipublicae laesae,] *Ex hoc loco patet huiusque actionem huius controuersiae male conceptam fuisse* Religionis laesae.

11. Vnius facto] *Epitome*, vnius malo.

12. Tormentis captiui possit.] *Alias legitur*, vllo modo possit.

17. Deorum adulteria picta sunt,] *Excerpta*, Deorum crimina in templis picta sunt.

20. Nulla vindicta est.] *Quid si* nulla indicta est *legamus?*

38. Vim ignoratam morbi] *Excerpta*, vim ignotam.

P. 118, v. 5. In quo XIIII. sestertia sunt] *Qui de re nummaria scripserunt, viginti quattuor sestertiis talentum Atticum seu magnum constare notarunt. Probat etiam Plauti locus in Mostellaria, qui* CXX. *minis duo talenta aestimat. Tranio enim cum duobus talentis magnis domum emptam, quadragintaque mnas arraboni datas Teuropidi finxisset, Teuropides octoginta mnas se debere reliquas dicit. Hinc emendandus est Seruius* V. *&* IX. *Aeneid. in quibus talentum a Plauto septuaginta libris esse aestimatum refert. sexaginta autem mnae sex millia denariorum siue drachmarum, id est* XXIIII. *sestertium efficiunt.*

8. Λύχνον οὐχ ἅπτων.] *Lege* ἅπτω.

30. Hispo Rideon honeste Romanus.] *Corruptus locus, quem ita emendari posse coniicio, si legamus*, Spyridion honeste minus fecit. *Spyridionis enim eam esse sententiam sequentia ostendunt, cum dicit*, Spyridion aeque familiariter in templum volturios subire putauit *&c.*

IN CONTROVERSIAM SEXTAM.

52. VNIVS parietis ruina reposui.] *Excerpta*, suspendit.

Ib. Sollicitus erat, ne quod perdiderat, quaereretur.] *At fur nihil perdiderat, immo furto acquisierat. quomodo igitur sollicitus esse potuit, ne quod perdiderat, quaereretur? diues etiam sollicitus esse non poterat, ne quod perdiderat quaereretur, cum in eius esset potestate vel furtum quaerere, vel tacitum ferre. Vide igitur ne legendum sit*, sollicitus eram, ne quod perdiderat quaereretur, *id est, ne diues furtum sibi factum silentio praeteriret, res furto ablatas non agnosceret.*

ANNOTATIONES IN LIBRVM
SVASORIARVM M. ANNAEI SENECAE.

MATERIARVM *apud Rhetores Latinos duo genera tractata sunt: Suasoriae, & Controuersiae. Nam cum declamatio iudiciorum & consiliorum imago sit, vt Controuersia forum exprimit, ita Suasoria consilij formam exhibet. Haec magis puerorum fuit, a qua illi declamandi studium incipiebant: illa prouectiorum. Duabus autem de causis Suasoriis prius exercebatur puer, quàm Controuersiis: altera, quia Suasoriae faciliores, minusque virium & prudentiae requirere videntur: altera etiam quia is finis Rhetori propositus est, iuuenem foro potius quàm consilio praeparare, cuius in imperio minor & rarior publice vsus est. Ea ratione velut progymnasma ad controuersiam suasoria reputata est, quemadmodum fabulae, chriae, sententiae, loci communes, theses, ethologiae, quae &* ἠθοποιίαι *Aphthonio dicuntur, ceteraque eiusmodi dicendi primordia, quae illo* προγυμνασμάτων *nomine comprehenduntur. A Graecis maxime, qui magis suorum operum onera, inquit Quinctilianus, & modum noscentes, omnia haec sibi retinuerunt, non a Latinis, qui haec contemnentes, Grammaticis necessaria fecerunt, solamque controuersiam, qua puerum mysteriis suis initiarent, antequam ad controuersias admitterent, sibi receperunt. Haec colligere licet ex Quinctiliano, Tacito, Aphthonio, & Theone. Suasorias vero puerorum fuisse praeter illos auctores indicat Iuuenalis Satyr. 1. iis versib.*

Et nos

Et nos ergo manum ferulae subduximus, & nos
Consilium dedimus Syllae priuatus vt altum
Dormiret. *Et Persius Satyr. III. illis:*
Saepe oculos, memini, tingebam paruus oliuo,
Grandia si nollem morituro verba Catoni
Dicere.

Has tamen noster auctor controuersiis postposuit velut appendicem, promißionisque suae ἐπίμετρον, pluribusne libris, an hoc singulari, in incerto est. Illud solum controuersiarum libro secundo innuit, suasorias se daturum, inter quas & quandam Latronis de Theodoto per triduum declamatam, quae tamen hic non habetur. Et sane multa ex his intercidisse clarum est, multa ex reliquis corrupta, mutila, & trunca esse: quibus defecti omni scriptorum librorum ope, coniecturis tantum, quantum in nobis fuit, opitulati sumus. quas ideo seorsim a textu ex Romana editione, quae nobis purior & integrior aliquanto visa est, expreßo, his annotationibus inclusimus, ne tanti nostra somnia facere videremur, vt ea vel inuitis legenda obtruderemus. Suasoriarum autem praecepta si quis requirat, legat Quinctilianũ cap. x. lib. III.

IN SVASORIAM PRIMAM.

PAGINA 120, V. 4. Inagitata remis vastitas,] *Ceterae editiones*, inagitata remissio vastitas. *ex quo effeceram*, inagitata remigio vastitas.

5. Taetra caligo remittet fluctus.] *Groslotius Lislaeus rarae eruditionis, meliorisque spei adolescens per epistolam me monuit, Io. Dalechampium Medicum omni doctrinae genere excultißimum, haec ita legere*, tetra caligo immites fluctus. Nescio quid hoc est quod hominis natura subduxit oculis, & atra nox obruit. *quae siue a libris veteribus, siue ab ingenio sint, recta & proba indico.*

30. Aliter declamandum esse, quàm suadendum.] *At qui suadet, declamat. vnde satis apparet locum non stare. Ex iis autem quae subiiciuntur, intelligimus hoc sibi velle Senecam, conditionem personarum, quae deliberãt, efficere vt aliter atque aliter declamemus suadeamusque. Et sane, vt Quinctilianus ait*, multum interest qui deliberant, Senatus sit, an Populus: Romanus, an Fidenates: Graeci, an Barbari: item Catoni, an Mario suadeamus. sed mores praecipue discrimen faciunt. *Hoc autem vt dicat noster auctor, legendum erit*, Aiebat Cestius hoc genus suasoriarum aliter atque aliter declamandum esse, *inductis illis*, quàm suadendum. *nisi quis malit*, hoc genus suasoriarum aliter atque aliter declamandum, atque suadendum esse. *quod nobis quidem minus placet.*

39. Ἰχὼρ οἷός πέρ τε ῥέει] *At Plutarchus ab ipso Alexandro hoc Homeri hemistichium in illos prolatum fuisse scribit, qui eum Ioue natum dicebant. Sed & ex eodem auctore, & Curtio, & Arriano constat non lancea, sed tormentis occisum Callisthenem. Et mirum quot locis, in his praecipue suasoriis, M. Seneca memoria lapsus videatur.*

42. Sed timeo ne ille non gladio ἀντιμυκτηρίσῃ.] *Ciceronis locus in Epist. ad C. Caßium, sic habet*: Vereor ne nos rustice velit ἀντιμυκτηρίσαι.

50. At Antonius ait ducturum, sed] *Dio lib.* XLVIII. Ἀντώνιος δὲ χιλίας τε γάμον ἔφη, καὶ περὶ χιλίας μυριάδας ἔχειν τὸ παρ᾽ αὐτῆς ἐξέπραξεν. *Haec autem Dionis summa quadragies sestertiũm efficit, id est, centum sexaginta sex talenta, mnasque praeterea quadraginta, quae multum a mille talentis absunt. Sed & quod ad hanc historiam attinet, longe aliter Plutarchus. Is enim Antonium in exigendis pecuniis non fuisse Graecis molestum tradit, sed declamationibus Rhetorum, (ita enim* ἀκροάσεις φιλολόγων *interpretor) & spectaculis certaminum, iurique dicundo intentum ingentia beneficia Atheniensium ciuitati contulisse: inde etiam* φιλέλληνα, καὶ φιλαθηναῖον *dictum. At vero Asianis vectigalia duplicasse. Qua ratione Hybreas orator totius Asiae nomine ad eum delegatus est: cuius hae duae insignes in ea oratione referuntur sententiae*, εἰ δύνασαι δὶς λαβεῖν ἑνὸς ἐνιαυτοῦ φόρον, δύνασαι καὶ δὶς ἡμῖν ποιῆσαι θέρος, καὶ δὶς ὀπώραν. *altera vero qua cum ostendisset ducentà millia talentorum ab Asianis soluta, subiecit*, εἰ μὲν οὐκ εἴληφας, ἀπαίτει παρὰ τῶν λαβόντων· εἰ δὲ λαβὼν οὐκ ἔχεις, ἀπολώλαμεν. *quibus nescio an in his libris vllae praestantiores exstent.*

56. Octauia res tuas tibi habe.] *Haec lectio scripturae antiquae sequitur vestigia, quae etiam eruditißimo Lipsio venerat in mentem. P. tamen Chiaconius legit*, Ὀκταβία καὶ Ἀθηνᾶ τῷ Ἀντωνίῳ res tuas tibi habe. *nec male fortaßis. Nam cum Antonius Octauiam duxisset, deinde Mineruam Atheniensium, & in Aegyptum profectus iis superinduceret Cleopatram, vrbane ab illis duabus nuntium remitti Antonio fictum est. Sane in veteribus editionibus inter haec verba* Hoc tu euita; *in quibus* Octauia *vocabulum latet, & illa*, res tuas tibi habe, *interstitium aliquot vocum relictum est. Vxor autem eadem formula in repudij libello vtebatur, qua maritus, nisi quod addidisse videtur*, REDDE MEAS; *vt ex Plauti loco in Amphitr. Scena* II. *Act.* III. *colligere licet, & ex oratione prima pro*

Christianis Iustini Martyris ad Senatum, in eo fragmento, quod apud Eusebium exstat lib. IIII. *histor. Ecclesiast. ad quod etiam allusit supra Controuers.* VI. *lib.* I. Vides, *ait*, quid inter duas vxores intersit, ista si nos reliquerit, repetet sua; haec quod dedit, non auferet. *Verum non adeo omnia in istis iocis ad Iurisconsultorum normam exigenda sunt.*

57. Desultorem bellorum ciuilium] *Sic apud Ouidium in Cl. V. Claudij Puteani codice manuscripto*, non sum desultor amoris.

P.121, v.3. Deilliis ait:] *Δέλλιον vocant Plutarchus & Dio, quem hic etiam παιδικῶς τινα Ἀντωνίου γεγραφότα tradit.*

Ib. Scito illos tibi annuam, bimam, trimam diem debere.] *Adnotarunt viri docti legendum* annua, bima, trima die debere, *phrasi Iurisconsultis familiari. Verum nec hic iocus ad iurisprudentium normam exactus. nam dicta dos praesenti die debebatur: soluto vero matrimonio a marito annua, bima, trima die, aequalibusque pensionibus reddebatur. Hic autem de praestanda dote, non de reddenda agitur.*

26. Putabant Aoriones esse in metaphrasi] *Ceterae editiones habent:* putabant Dorionis esse in metaphrasi dictum Homeri. *quae quare mutarint Romae, non video. Omnia autem haec valde corrupta & confusa sunt, a quibus se explicare difficile est.*

30. Rapit haud partem exiguam montis.] *Hos versus Virgilij respicit, qui lib. x. leguntur:*

Fert ingens toto connixus corpore saxum,
Haud partem exiguam montis Lyrnesius Acmon.

Quos videtur noster auctor cum Homeri versibus Odyss. IX. *ex Polyphemi fabula, vnde imitati sunt, contulisse. Illa enim verba*, Tum excaecatus cyclops saxum in mare reiecit, *tale quid subindicant.*

41. Latro sedens] *id est, in praelocutione.*

46. Quanto Pedo,] *Albinouanus, quem Quintilianus inter heroicos Poëtas recenset, & non indignum cognitione, si vacet, dicit. Martialis doctum vocat, & Epigrammata scripsisse lib.* II. *tradit.*

Disce, *inquit*, quod ignoras, Marsi, doctique Pedonis
Saepe duplex vnum pagina tractat opus.

Eaque amatoria fuisse indicat lib. V. *Ait enim,*

Sit locus & nostris aliqua tibi parte libellis,
Qua Pedo, qua Marsus, quaque Catullus erit.

58. Spectat sublimis ab alta] *Ceterae editiones habent*, se dat sublimis ab alta. *quae lectio ferri potest. Et si quid mutandum, potius ita legerem, atque interpungerem:*

Atque aliquis prora spectans sublimis ab alta,
Aëra pugnaci luctatus rumpere nisu:
Vt nihil erepto &c.

nempe ad imitationem illius prosopopoeiae apud Homerum frequentissimae, Iliad. ζ.

Καί ποτέ τις εἴπῃσιν, ἰδὼν κατὰ δάκρυ χέουσαν.

Et Iliad. η,

Καί ποτέ τις εἴπῃσι, καὶ ὀψιγόνων ἀνθρώπων
Νηῒ πολυκλήϊδι πλέων.

Rursus eod. lib.

Ὧδε δέ τις εἴπεσκεν ἰδὼν &c. *& alibi saepe.*

IN SVASORIAM SECVNDAM.

PAGINA 122, v.22. Cum trecenti ex omni Graecia] *Veteres editiones legunt*, cum Troezeni ex omni Graecia. *Et sane in hac suasoria exstant aliquot sententiae quae in themate sic legendum esse probant. Herodotus tamen & alij historici non magis Troezenos quàm ceteros Graecos fugisse dicunt. Verùm non mirum videri debet declamatores ab historicis dissidere hac in re, de qua nec inter se conueniunt historici.*

30. Quorum nos exemplum moueat?] *Contextus orationis requirit, vt legamus*, quorum vos exemplum moueat.

P.123, v.8. Ideo hanc Eurotas] *Haec clausula cum tribus sequentibus absque interrogatione legenda est.*

13. Quem Lacones audire non sustinent.] *Scribe potius*, quae Lacones audire non sustinent. *nec enim ad Herculem referendum.*

17. Inter

17. Inter hostes fugacissimi,] *Supra non vno loco notare est Rhetores eas praecipue sententias affectasse, quae ex contrariis ducuntur. quod & facit hoc loco Silo. Nam paucos multis, fugaces tardissimis opponit. Hoc tamen extremum dicolon titubat. Nam hostes fugacissimis recte opponi non dixeris. Quare videndum est ne sic potius concipienda sit sententia*, Erimus inter fortes fugacissimi, inter fugaces tardissimi.

24. Aut in his, aut cum his?] *Dictum Lacaenarum tradentium clypeum filiis in proelium proficiscentibus*, ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς, *de armis retulit Blandus. Pleraeque autem huius Suasoriae sententiae ad Laconum apophthegmata alludunt, quae apud Plutarchum exstant.*

28. Reuertamur ne nuntij quidem] *Fortasse*, reuertemur ne nuncij quidem.

40. Vt poëta Pollio Asinius aiebat] *Vel omnino delendum illud vocabulum* poëta, *vel ex eo efficiendum* postea. *licet enim Pollionem tragoedias scripsisse dixerimus, non tamen inde gloriam captauit, aut nominatus fuit.*

51. Quod puto etiam apud Herodotum esse,] *Ego vero non puto. Plutarchus de eodem Leonida ex eodem fortasse fonte, ex quo noster Seneca hausit*, παρήγγελλεν, *inquit*, ἀριστοποιεῖσθαι ὡς ἐν ᾅδου δειπνοποιησομένοις.

53. Ad prandium promisissem,] *Videtur L. Seneca Epist.* LXXXII. *ad huius scurrae dicterium respexisse, cum scripsit*: At ille Leonidas quàm fortiter illos allocutus est? Sic, inquit, commilitones prandete tamquam apud inferos cenaturi. Non in ore creuit cibus, non haesit in faucibus, non elapsus est manibus. Alacres illi & ad prandium promiserunt, & ad cenam. *Male in omnibus editionibus, & contra veterum exemplarium fidem scriptum est* processerunt. *Sed mirum Ciceronem Graecis etiam eorum lingua disertissimum Leonidae dictũ vertisse*, Pergite animo forti, *quasi* ἀριστᾶν, *vel* ἀριστοποιεῖσθαι, *idem quod* ἀριστεύειν *significaret. Nam quod quidam corrigunt*, Prandete animo forti, *citra veteres libros faciunt, & contra rationem. Quis enim sanus fortitudinem animi in mensa constituit?*

54. Attalus Stoicus,] *Cuius sententias saepe laudat L. Seneca in Epistolis, & libros de fulminibus cap.* XLVIII. *lib.* II. *natural. quaest.*

57. A Cornelio Seuero] *Quem Quinctilianus versificatorem meliorem quàm poëtam dixit: secundum tamen locum occupaturum, si ad exemplar primi libri bellum Siculum perscripsisset. de hoc Ouidium intelligo lib.* IIII. *Ponti illo versu:*

Quique dedit Latio carmen regale Seuerus.

Huiusne sit carmen de Aetna quod Virgilio quidam tribuunt, dubitari potest. & an potius insignem Siciliae montem non separato opere descripserit: sed quemadmodum Virgilius Aeneidos III. *Ouidius* XV. *Metamorphoseos, ita etiam ille aliquo librorum belli Siculi. Nam L. Seneca hos tres Aetnae scriptores coniungit.*

P.124, v.17. Nicetas] *Lege* Nicetes.

18. Demosthenes Ciptoy,] *Vocabulum Graecum Latinis litteris scriptum* σιρτοῦ, *ad differentiam Demosthenis* Δημοσθένους. *Etenim ad semicirculi formam delineasse veteres litteram sigma, nulli dubium est.*

20. Potamon magnus declamator] *Huius meminit praeter Strabonem lib.* XIII. *Lucianus in Longaeuis. quem* οὐκ ἄδοξον ῥήτορα *vocat, nonagintaque annos vixisse prodit.*

24. Lesbocles scholam soluit, nemo vnquam ampliore animo se gessit.] *Locus foede interpolatus. Nam, vt omittam vix Latine dici* ampliore animo se gerere, *si diceretur, contrarium significaret eius quod hoc loco dicere voluit. Mollem enim & imbecillum animum Lesboclis arguit. Et plane eadem hic historia de Potamone & Lesbocle dicitur, atque in praefatione lib.* IIII. *Controuersiarum de Asinio Pollione, & Q. Haterio. Quo fit vt legendum existimem*, Lesbocles scholam soluit, nec quicquam amplius animose gessit.

35. Municipalis Gatozeos] *Vocabulum hoc nihili est, & haec clausula tota confusa est & perturbata, ad quam nihil adfero.*

41. Mariscas.] *Quas Horatius duplices ficus vocat. quo nomine etiam pudendum morbum Iuuenalis Satyr.* II. *satyrice vocauit. nec enim ita a medicis vocatur.*

47. Ponat sane contra coelum astra,] *Vnius aut duarum litterarum additione emendabitur hic locus. Rectior enim erit si legamus*, Ponat sane contra coelum castra, commilitones habeo Deos, *vel* habebo Deos. *Xerxes enim sagittariorum multitudine Diis bellum indixisse, coelumque obsedisse visus est. Infra Controuersia* V. Ista trophaea non sunt Atheniensium, Deorum sunt. Illorum bellum fuit, illos Xerxes vinculis, illos sagittis persequebatur.

P.125, v.13. Apatrius] *Scribe* Apaturius. *Sic enim alibi constanter nominatur.*

19 Thuscus ille,] *Mamerci Scauri mors describitur a Cornelio Tacito lib. Annalium* v I. *quem vide.*

IN SVASORIAM TERTIAM.

41. NON ante finit quàm in lucem redit:] *Haec corrupta sunt. nam infra eadem sententia cum Virgilij versibus quos imitatus est Fuscus, confertur iisdem verbis repetita. quo loci non* quam in lucem redit, *sed* quam vicem reddit, *legitur, nihilo tamen rectius. Ex versibus autem Virgilij apparet dicere velle lunam nubilo occupatam pluuias minari. quasi scribendum esset,* siue occupata nubilo non ante finit, quàm imbrem dedit, *aut aliquid simile.*

46. Vos ergo ad hanc diem immortales] *Vide ne potius ita legendum sit,* Vos ergo ad haec, Dij immortales, inuoco, *&c.*

P. 126, v. 22. Imitatum Virgilium, Deo plena?] *Versum Virgilij in quo legantur haec verba, frustra quaesiui. aliquid tale habetur sexto Aeneidos, sed non iis verbis. nec tamen memoria labi in fabula tam celebri, & trita noster auctor potuit: lapsumque non esse indicio est Ouidij versus ex Medea tragoedia, quam vnam illum composuisse Quinctilianus & Tacitus fidem faciunt: & Tertullianus de praescript. aduersus haereticos ex Virgilio plenißime expreßisse. vt inde appareat Virgilij opera ad nos integra non peruenisse.*

26. Caldos] *Caldum potius quàm calidum dicebant Augusti saeculo. Ipse etiam Augustus per Epistolam C. Caesarem nepotem coarguit, quòd is calidum scripsisset. odiosum enim esse hoc vocabulum, & ἄκυρον putauit. Quinctilianus cap.* x. *lib.* 1. *auctor.*

31. Tiberius ipse Theodoreus] *Apollodorus Pergamenus, & Theodorus Gadareus, siue, vt dici voluit, Rhodius, ingenio & doctrina celebres dicendi professores: non minus tamen hic Tiberio, ille Augusto discipulis clari, diuersa Rhetorices praecepta tradentes, suos quisque sectatores habuere: Apollodoreorumque, & Theodoreorum sectas effecere, vt auctores sunt Strabo lib.* XIII. *&* XVI. *Quinctilianus cap.* XII. *lib.* I. *& lib.* III. *Quorum etiam contrarias opiniones idem Quinctilianus variis locis notat, & supra Controuersiarum lib.* II. *de narratione legimus. Apollodori autem & Theodori praeter dictos auctores meminerunt, Suetonius in Augusto cap.* LXXXIX, *& Tiberio cap.* LVII. *Cornelius Tacitus de Oratoribus, Lucianus in Macrobiis, & Chirius Fortunatianus in Rhetorices Scholicae lib.* I. *&* III.

32. Nasoni suo] *Cuius etiam exstat Elegia lib.* IIII. *de Ponto ad eundem Gallionem.*

36. Quas in similitudinis tractatione] *Lego,* quas in simili tractatione posuit. *Nam quae sequitur Suasoria, de Deorum prouidentia, scientiaque futuri tractat.*

IN SVASORIAM QVARTAM.

PAGINA 127, v. 11. Quam ego intelligo me dicere,] *Haec corrupta & manca sunt: deest enim verbum* posuero, *aut aliud simile. & quae deinceps sequuntur, nullum idoneum sensum efficiunt. Fortasse emendatiora erunt si legamus,* valde in vos contumeliosus fuero, si totam Controuersiam posuero, quam intelligo me dicere. cum Fuscus declamaret, & a parte aui non agnoscentis puerum tractaret locum *&c. Hoc enim thema quod proponit, inter vulgata & trita in scholis fuisse verisimile est, quod ideo dicit non esse necesse totum proponere. Erat autem quantum conticio eiusmodi. Quae ter mortuos pepererat, somniasse se dixit viuum parituram si in luco pareret. in lucum profecta, remotis arbitris parit. auus cui agnascebatur puer, eum agnoscere non vult, suppositumque esse dicit: C. D. quam Controuersiam cum a parte aui declamaret Fuscus, locum contra somnia, deorumque prouidentiam & curam circa puerperia tractasse Seneca significat.*

IN SVASORIAM QVINTAM.

33. PRIOR enim metus, futuri pignus esset:] *Fortasse rectius,* pignus est.

39. Nam & arma indenuntiata moueret.] *Veteres editiones hac in parte meliores sunt, quae legunt,* nam & arma indenunciata mouent, *id est, magis afficiunt & turbant.*

42. Quid Cynagiron] *Scribendum* Cynaegiron.

53. De eo dico,] *Fortasse,* de eodem dico.

P. 128, v. 6. Inutiles reliquias nouit,] *Vera, ni fallor, lectio,* inutiles reliquias mouit, *id est, in dilectu habendo reiecit. Sequitur enim,* nullum habet militem nisi fastiditum, aut victum.

9. Locum

9. Locum mouit non vtiliter.] *Veteres editiones legunt*, non inutiliter, *quod & sensus requirere videtur: & vt paulo post, ita haec interpungamus:* Sed magis ipsis trophaea tuenda si quis vnquam illinc venturus hostis esset, vt conspectu trophaeorum, *&c.*

IN SVASORIAM SEXTAM.

42. DICITVR abdidisse se.] *Legendum coniicio*, occidisse se. *Historia est vulgaris: de qua tamen vide L. Senecam Epist.* XXIIII. *qui locus maxime nostram coniecturam confirmat.*

44. Vetat, inquit, Milo rogari, iudices,] *Haec verba non inuenies in Miloniana, sensus tamen idem habetur, initio statim Epilogi eius orationis.*

49. O tempora, o mores.] *Martialis lib.* IX.

Dixerat o mores, o tempora, Tullius olim,
Sacrilegum strueret cum Catilina nefas.

Porro quae sequuntur, in editione Romana corrupta sunt: a qua discedere hic ausi sumus, Ciceronis auctoritate in secunda Philippica freti: vnde transumpta sunt ad verbum.

54. Cyri Marillij Esernini.] *Error ex notis. legendum enim existimo*, Claudij Marcelli Aeserenini. *de quo supra in Controuersiis.*

P.129, v.3. Quae Charybdis est tam vorax?] *Ex eadem Ciceronis oratione, vt & alia quaedam infra: quam vide.*

P.130, v.10. Qui & iudicasset] *Veteres editiones legunt*, qui & cum iudicasset ab eo semper nasci satisfactionem. *post quae verba quaedam deesse videntur.*

13. Ne quis tribus hanc tam speciosam] *Videtur hoc dicere, Antonium eo facilius parciturum Ciceroni, ne quis alius e sociis illam sibi seruati Ciceronis gloriam pracripiat, legendumque esse*, ne quis e tribus hanc tam speciosam clementiae occasionem praeriperet.

20. Qui infestissimus famae] *Pollio Ciceronis gloriae inuidens eloquentiam eius libris editis inimice insectatus est, vt ex Quinctiliano non vno loco, Tacito, & Gellio lib.* XVII. *clarum est. Quod eo minus mirum est in Asinio, qui non vnius Ciceronis, sed & omnium paene magnorum hominum famae obtrectauit. Nam & Liuium Patauinitatem redolere dixit, & contra Plancum orationes scripsit, quas tamen nisi illo mortuo, ne responderet, publicari noluit. idem Quinctilianus auctor, & Plinius in praefatione naturalis historiae. Vnde etiam B. Hieronymus latentem obtrectatorem Pollionis Asinij nomine designauit in apologia in Rufinum, Epist.* LXXXVIII. *ad B. Augustinum, & commentoriis in Ionam. Eandem patris maliuolentiam in Ciceronem imitatus est Gallus filius, qui scriptis libris Ciceronem agitare, patremque suum ei praeferre nisus est. quibus Claudius Imperator respondit. idem Quinctilianus, Plinius Epist.* IIII. *lib.* VII. *& Suetonius in Claudio.*

27. In historiis suis] *Historiam bellorum ciuilium a consulatu Metelli & Afranij pluribus libris scripserat Pollio, cuius auctoritate vtuntur Cremutius Cordus apud Tacitum, & Plutarchus in Bruto & Caesare Iulio. Valer. Maximus tertium librum laudat lib.* VIII. *Ex ea historia desumpta sunt quae hic de Cicerone referuntur, vt & fortasse iudicium illud de commentariis Iulij Caesaris, quod a Suetonio refertur. A Metello autem exorsum auctor est Horatius Od.* I. *lib.* II. *Nescio quantum fidei Suidae habere debeamus, qui Asinium hunc Pollionem* XVII. *libros historiarum edidisse tradit, primumque res gestas Graecorum Latinis litteris mandasse, & alio loco, Asinium Pollionem Trallianum sophistam de ciuili bello Pompej & Caesaris scripsisse dicit. Vereor ne quod Tralliani est, Romano tribuat, & quod Romani Tralliano.*

33. Liuius adeo detrectationis] *Haec Liuij desumpta sunt ex lib.* CXX. *Historiarum, quas si integras haberemus, ceterorum eius tēporis historicorum desiderium leuius ferre possemus. Huic autem plenum testimonium Cremutius apud Tacitum reddit, qui eum eloquentiae & fidei praeclarum imprimis dicit. L. Seneca disertissimum vocat lib.* I. *de Ira, & Quinctilianus lubertatem lacteam, iucunditatem, ac mirum candorem ei tribuit, variisque virtutibus immortalem Sallustij velocitatem assecutum, atque Herodoto parem censet. Plutarchus etiam non vno loco veritatis studium in eo laudat. Plinius Epistolarum lib.* II. *& B. Hieronymus Epist.* CIII. *ad B. Augustinum quendam a Gadibus vsque fama eius commotum, vt Liuium videret, Romam venisse retulerunt. Praeter historias, dialogos Philosophicos composuit, quos post Ciceronis libros idem Seneca primum locum tenere existimat. Quinctilianus meminit epistolae eiusdem ad filium, qua qui legendi essent auctores, mira breuitate definiuit, Demosthenem scilicet, & Ciceronem: ceteros ita, vt quisque esset Demostheni & Ciceroni simillimus.*

48. Bassus Aufidius,] *Fortasse pater illius Aufidy Bassi, cuius mortem constantem narrat L. Seneca in Epistolis. Hunc Quinctilianus Sallustij velocitatem expressisse in libris belli Germanici tra-*

dit genere ipso in omnibus probabilem, sed in quibusdam, viribus minorem. Praeter libros Germanici belli, historiam Romanam scripsit, unde haec de Cicerone desumpta sunt: a cuius fine Plinius Secundus senior suos de eadem re libros auspicatus est. Plinius epistola v. *lib.* III.

54. Cremutij Cordi.] *De Cremutio Cordo & eius historiis plenissime L. Seneca in consolatione ad Marciam eius filiam, Tacitus Annal.* IV. *& Dio lib.* LVII. *Libros autem eius per Aediles crematos haberi Caligulam permisisse auctor est Suetonius in Caligula: quorum auctoritate idem Suetonius cap.* XXXV. *Augusti, & Plinius lib.* VII. X. *&* XVI. *usi sunt.*

P.131, v.11. Dato gemitu] *Locus hic non est integer. Quid tamen velit, id esse puto. Nempe conspecto Ciceronis pro rostris capite populum Romanum gemitu & fletu, maximo viro inferias misisse; concionemque ita depositi corporis, non ut solebat laudes audiisse, sed ipsam narrasse. Morem autem attingit, quo clarorum virorum, & mulierum vita functorum corpora exponebantur in foro pro rostris: ubi publice astante populo Romano defunctis laudes recitabantur. res vulgatior est, quàm ut probatione indigeat. Nulla enim frequentior in historiis occurrit, nullumque insigne funus absque laudatione. Si quis tamen probationem requirat, sufficiet quod referunt L. Senecá ad Marciam, de Druso a Ti. patre, & Dio lib.* LIIII. *de Agrippa ab Augusto laudatis. Vide igitur ne ita potius legi debeat*, datae gemitu & fletu maximo viro inferiae; nec ut solet ita depositi in rostris corporis laudes concio audiuit, sed ipsa narrauit. *Si non sic legi, saltem sic intelligi debere hunc locum existimo.*

P.132, v.31. Latiaeque silentia linguae.] *Martialis lib.* v.

Quid prosunt sacrae, Latiaeque silentia linguae?
Incipient omnes pro Cicerone loqui.

IN SVASORIAM SEPTIMAM.

PAGINA 133, v.7. Quid Antonium auulsum, Catilinam Reipubl. redditum?] *Phrasis inuersa, cuius generis adeo frequentes in auctoribus occurrunt, ut vix credibile sit non affectatas fuisse. Cicero enim Antonium, inquit Sallustius, pactione prouinciae perpulit, ne contra Rempublicam sentiret, Catilinam vero urbe exegit. Antonius igitur Reip. redditus fuit, Catilina auulsus.*

P.134, v.12. Apud Cestium Praetorem] *Proculdubio legendum* apud Cestium praeceptorem. *Sequentia enim probant loqui de Cestio Rhetore.*

FERNANDI

FERNANDI PINCIANI
CASTIGATIONES IN LIBROS DECLAMATIONVM L. SENECAE VVLGO dictarum, tam Controuersiis quàm Excerptis accommodatae.

IN LIB. I. DECLAMATIONVM.

AM duo millia nominum recitata,] *Vetus lectio*, Nam ad duo millia nominum recitata. *& paulo post* reddebam, *non* referebam. Praefatio lib. 1. Controuer. 1.

b Qui ad audiendum praeceptorem nostrum conuenerant,] Meum, *non* nostrum, *eadem praefert.*

c Et illam cum cura scrutabor,] *Eadem*, & illam omni cura scrutabor.

d Totiens tanquam noua audiam.] *Scribe*, Totiens tamen tanquam noua audiam, *ex eadem.*

e Itaque ex memoria mea quod nobis satis sit superest.] *Eadem*, Itaque ex memoria mea quantum vobis satis est, superest.

f Quod quaereno non comparuit,] *Eadem*, comparuerat *agnoscit*, *non* comparuit.

g Intempestiue molesta est,] Intempestiua *in eadem habetur*, *non* intempestiue, *quod magis arridet.*

h Quae mihi iam olim precario paret.] *Eadem*, quae mihi iam olim precario non paret.

i Et nescio qua iniquitate & ad malum pronitate naturae,] *Eadem*, & nescio qua iniquitate naturae. *Caetera delenda.*

k Emolliti eneruesque, quod nati sunt, inuiti manent.] *Scribe*, Emolliti eneruesque nati sunt. In vitio manent. *ex eadem.*

l In hos nec Dij tantum mali permittant, vt cadat eloquentia, quam non mirarer, nisi animos, in quos se conferret, eligeret.] *Eadem partim sic legit*, In hos nec dum tantum mali vt cadat eloquentia, quam non mirarer nisi animos, *& caetera. Partim sic*, Et in hos cadat eloquentia, quam non mirarer, *& reliqua.*

m Etsi acerrimam eloquentiam, quam praestare non possunt, violare non desinunt.] *Scribendum puto*, & sacerrimam eloquentiam, quia praestare non possunt, violare non desinunt.

n Quo intra coloniam meam me continui.] *Verbum* quo *desideratur in vetere lectione, & praepositio* intra, *per maiorem scribenda est.*

o Et quod vulgo de alio solet, sed de illo proprie debet,] *Eadem*, Etiam quod vulgo dici solet, sed in illo proprie debet.

p Quia apud nullum auctorem antiquum] *Verbum* quia *redundat*, *ex eadem.*

q Qui declamationem distinguit.] *Legendum* diffinit, *non* distinguit, *ex eadem.*

r Non mediocriter dicere bene.] *Corrigendum reor*, non mediocriter dicere, sed bene. *Sequitur statim:*

s Alterum putat domesticae exercitationis. Alterum esse verae actionis.] *Scribe*, Alterum putat domesticae exercitationis esse: alterum vero actionis, *ex vetere lectione.*

t Productam familiarem amicitiam] Perductam, *non* productam, *eadem.*

u Et in omnes iocos resoluebat.] *Scribe*, & in omnes iocos se resoluebat, *ex eadem.*

x Omnibus quidem prodest subinde animum relaxare.] *Lege*, Omnibus enim prodest subinde, *& caetera, ex eadem.*

y Nec patiebatur alimenta per stomachum per somnum quietemque aequaliter digeri,] *Quaedam exemplaria* in stomacho *legunt*, *non* per stomachum. *Alia carent omnino duobus his verbis.*

z Cum id magis in illo mirabile videri possit,] *Scribendum puto*, Quin id magis, *& caetera.*

a At quorumcunque stilus est velox,] *Vetus lectio* Ast, *non* At.

b Sed ars summa ad apprehendenda ea,] *Scribe*, Sed ars summa & ad comprehendenda ea, *ex eadem.*

c Adeo quaecunque in animum eius semel ascenderant,] *Sunt exemplaria quae* memoriam *legant*, *non* animum.

d Cupitis statim ista discere.] *Verbum* ista *non habetur in vetere lectione.*

e Quae effectu apparet, & habitu latet.] *Coniunctio* & *eradenda*, *ex eadem*: *& considerandum an rectior lectio* ambitu, *quàm* habitu.

f Suspensos pedes habere:] *Eadem*, Suspensos pedes ponere, *rectius: quia sequitur*: Non me hercules tui pedes spinas calcant.

g Quae interponi argumentis quàm maxime declamantis Marulli possent] *Scribendum reor*, cum maxime, *non* quàm maxime, *ex trita loquendi Senecae consuetudine.*

h Nihil praeter Epicheremata scriberet,] *Prior editio* Epithemata *legit. Exemplar scholarum Salmanticensium* Ephiponemata *agnoscit. Scribo per transpositionem literarum*, Epiphonemata, *ex Quinctiliano, & Cicerone, & caeteris rhetoribus.*

i De saeculo, de delitiis dicuntur.] *Vetus lectio*, de saeculo, de diuitiis dicuntur. *& sunt exemplaria in*

quibus verba illa de saeculo non habentur.

k Scio quàm sit odiosa Circensibus pompa.] Scribe, Scio quàm sit odiosa res Circẽsibus pompa, ex vetere lectione.

l Cum iam coepisset diem ducere.] Emendandum reor, Cum iam coepisset dies lucere. Hoc enim factitare solitum Latronem, superius monstrauit Seneca. Saepe, inquit, cum per totam lucubrauerat noctem, ab ipso cibo statim ad declamandum perueniebat.

Controuersia I. a Iactatus inter duos patres vtriusque filius] Iactatur, non iactatus, quaedam exemplaria. Alia iactatus agnoscunt. Sed post verbum abdicatus, habent fui.

b Semper autem commendabat eloquentiam eius aliqua res extra eloquentiam in puero declamante] In codicibus nonnullis rectius, vt puto, habetur sic, Semper autem eloquentiam eius commendabat aliqua res extra controuersiam. In puero eloquentia. Ego vero non altero in loco tantum, sed vtroque substituendam puto controuersiam pro eloquentia, legendumque hoc pacto: Semper autem controuersiam eius commendabat aliqua res extra controuersiam, & caetera.

Controu. II. a Sacerdos casta castis puris pura sit.] Scribendum, Sacerdos casta e castis, pura e puris sit. liquet id ex secundo libro Controuersiarum, vbi hae omnes declamationes cum coloribus complurium rhetorum iterantur copiosius a Seneca.

b Accusata, absoluta & reuersa ad suos est:] Vetus lectio, Accusata, & absoluta, & remissa ad suos est.

c Sacerdos vestra adhuc in lupanari viueret,] Nostra eadem praefert, non vestra.

d Quid mihi sacerdotem cuius precaria est castitas?] Rectius eadem, Quid mihi cum sacerdote, cuius precario est castitas?

e Ita cara fuit suis,] Eadem, Ita carae fuit suis.

f Si in ciuitate nulla inueniri potuit,] Eadem, Si in ciuitate nulla inueniri poterit.

g Ponamus tres sacerdotium petere,] Putemus, non ponamus, eadem agnoscit.

h Dij illaesam non seruassent, nisi eam sibi seruaturi fuissent.] Breuius eadem, Dij non seruassent, nisi sibi seruaturi fuissent.

i Dicat pudicitiam suam Dijs quibus debet.] Verbum suam superfluit, ex eadem.

k Quaedam satius est vel cum causae detrimento facere quàm inuerecunde dicere.] In quibusdam exemplaribus ita habetur vt retuli, in alijs non legitur inuerecunde, sed verecunde: quae lectio summe mihi probatur, vnius tantum litterulae adiectione, hoc est, vt legatur verecundiae, & repetatur detrimento.

Controu. III. a Patrocinium suum putat pereundi infelicitatem.] In secundo Controuersiarum aliter, Patrocinium suum putat perennem infelicitatem.

b Exponam cum quo stuprum] Vetus lectio Et ponam agnoscit, non exponam, & quidem inditio meo rectius. Multum enim emphaseos habet coniunctio illa.

c Non ad saxum vsque deferret,] Eadem differret, non deferret.

d Etiam secure aspicientibus horrenda.] Lege, Etiam secure despicientibus horrenda, ex eadem, & item ex secundo Controuersiarum.

Controu. IIII. a Liceat adulterium & in matre filio vindicare.] Corrigendum puto contra omnium codicum fidem, Liceat adulterium & marito & filio vindicare: quod ex fine controuersiae euidenter ostenditur, Ipsam legem recita. Liceat marito, liceat & filio.

b Aut me sine filio, aut filium sine manibus.] Scribo, aut me sine filio fuisse, aut filium sine manibus, ex vetere lectione.

c Contemptus est iste.] Exemplaria quaedam non contemptus legunt, sed conceptus. Scribo deceptus. Arellius Fuscus secundo Controuersiarum: Adolescens venit tempus militiae tuae. Indignare si deceptus.

d A quo sciemus. Cum adulterum deprehendi, tunc primum sensi] Legendum puto diuersa distinctione sic: A quo sciemus? vt sit per interrogationem. Deinde sequitur, Cum adulteros deprehendero. Sic enim habetur in vetere lectione. Postea lege per maiorem: Tunc primum sensi.

e Et truces animos misericors natura debilitat.] Legendum, Et truces quoque animos misericors natura debilitat, ex eadem, & secundo Controuersiarum.

f Prius quàm in memoriam reuerterer, exierant.] Aliter in secundo Controuersiarum, Prius quàm io me reuerterer, exierant.

Controu. V. a Aut mortem, aut indotatas nuptias petat.] Omnis scripta lectio, & item secundus Controuersiarum, non petat habet, sed optet. Quam lectionem esse veram Seneca ipse videtur asserere, subdens.

b Altera mortem optat raptoris: altera vero nuptias petit.] Vetus lectio breuior multo & Senecae Laconismo magis consentanea. Altera mortem optat, altera nuptias. Reliqua supernacanea sunt.

c Deinde hanc vitiasset:] Aliam in secundo Controuersiarum legitur, non hanc.

Controu. VI. a Iurauit ei. Relicto patre secuta est adulescentem.] Verbum ei non habetur in antiquis exemplaribus. & si legi etiam posset, Iurauit. Ea relicto patre, & caetera.

b Narret, inquit, socero beneficia.] Vetus lectio, Narra obsecro soceri beneficia. Adstipulatur & Controuersiarum secundus.

c Nisi misericors potest. Inter tot consulatus] Eadem, nisi misericors posset. In tot consulatibus.

Controu. VII. a Si praecideritis, scribe potius occideritis.] Eadem, Si praecideritis. Si irasceris, scribe potius, si occideritis.

b Tyrannicida exitum tyranni rogo.] Scribendum potius videtur: Tyrannicidae exitum tyranni roga. Vel sic: Tyrannicidam per minorem scriptum pertineat ad superiora: & quod sequitur, legatur hoc modo, Exitum tyranni rogo, non timeo. Manus quas piratae soluerunt, indices alligant. vt habetur in secundo Controuersiarum.

c Etiam nunc manus meas petis?] Scribe sine nota interrogationis, & nunc manus meas petis, ex vetere lectione.

d Neutrum

d Neutrum hoc manibus meis expedit.] *Verbum* hoc *non habetur in eadem.*

e Io qua oec filij patres aluot.] *Scribe ex eadem*, in qua oec filij quidem patres aloot.

a Iam pro te dubito. Nescio quid lex timet.] *Verbum illud* dubito *desideratur in eadem. Vt legendum existimem*, Iam pro te nescio quid etiam lex timet. *Nam exemplaria omnia dictionem* etiam *agnoscunt.* Controu. VIII.

b Pars altera contra fortem abdicatum.] *Sic prior editio. Legendum* abdicantem, *non* abdicatum.

c Quantum vero interest.] *Verbum* vero *redundat ex vetere lectione.*

IN LIBRVM SECVNDVM DECLAMATIONVM.

a Nihil borridom.] Nihil borrendum, *vetus lectio.* Praefatio lib. II. controu.

b Ac amplissima facultate dicendi.] Felicitate *eadem*, *non* facultate. *& quidem rectius. Nam non multo post beatam vocat Fabiani orationem.*

c Et ille pugnatoris mucro:] *Emendandum puto*, & ille pugnatorius mucro.

d Cum veros compressisset affectus.] *Scribe* vero, *non* veros, *ex vetere lectione.*

e Parum bene imitari poterat quae effugerat.] *Eadem non* effugerat *praefert, sed* effigerat. *Considera an legendum sit* effinxerat.

f Et illi stadio parari, non per illud alteri] *Lege*, illi studio parari, noo per illud alteri praeparari, *ex eadem.*

g Praeceptores pulcherrimae disciplinae continebatur:] *Scribendum pluralitatis numero* continebantur, *vt ad praeceptores referas.*

h Nam primus omnium Latious Rhetor Romae fuit poero Cicerone Plotinos.] *Scriba* Plotius, *non* Plotinus. *Cicero in epistola ad M. Titinniu, referente Suetonio in lib. de Grammaticis & Rhetoribus*: Equidem memoria teneo pueris nobis primum Latioe docere coepisse L. Plotium quendam. Ad qoem cum fieret cōcursus, quòd studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem noo licere. *Meminit Eusebius quoque in libro temporum. Sed & vetus lectio non aliter habet quàm* Plotius.

i Et ego multo tempore minor quàm ipse erat.] *Eadem*, & ego multo minor natu quàm ipse erat.

a Abdicatus post tres abdicandos.] *Castigo*, Adoptandus post tres abdicatos, *ex eadem.* Controu. I.

b Amo aeque paupertatem & patrem.] *Lege ex eadem*, amo aeque paupertatem ac patrem.

c Hic me dignum putat booo patre,] *Scribendum*, Hic me dignum putat beato patre, *ex eadem.*

d Quem me videri velim, nescio. ionocentem, si abdicor: nocentem, si adoptor.] *Locus est corruptissimus, in scriptis tamen codicibus fidelius*: Vtrum tamen velim, nescio. Innocentem? sed abdicor. Nocentem? sed adoptor.

e Grauius eo quem alius concupiscit.] *In eisdem*, grauius eo quem alius filius coocupiscit. *Lege* filium, *non* filius.

f Magnum & boc inter cetera paupertatis incommodom est.] *Lege* incommoda, *non* incommodum, *ex vetere lectione.*

g Gallus Nibios] *Quidam codices*, C. Rubius. *Alij*, C. Nibius. *Alij*, Gallus Viuius. *quibus suffragatur tertius Controuersiarum liber.*

h Noo casu caderet, sed iudicio perueniret] *Vetus lectio*, incideret, non caderet.

i Non delectant dominos igooti seruorum greges,] *Legendum forte per distinctionem*, Non delectant dominos ignoti seruorum greges.

k Per annos quindecim in officio tuo fui.] *In tertio Controuersiarum*, Per annos duodecim in officio fui.

a Quos nec mors quidem diuisit.] *Correctiora exemplaria*, Quos nec mors quidem diuidet. Controu. II.

b Quaedam se maritorum amore rogis ardeoribus miscuerunt:] *Verbum* amore *desideratur in vetere lectione.*

c Inter has puellas vioa nomeratur.] *Eadem*, Inter bas puella vna oominabitur. *etsi sunt exemplaria, in quibus non* voa, *sed* viua, *habetur. A quibus stat tertium Controuersiarum volumen.*

d Et Naso dixit:] *Coniunctio* & *superfluit. & paulo ante*, torpeat *legendum*, *non* torpescat. *Vtrumque ex eadē.*

e Secundum, Gelidum Boream, gelidumque Notum.] *Corrigendum reor*, Secuodom: Et gelidum Borean, egelidumque Notum. *est enim Ouidianus versus secundi Elegiarum, ex elegia cuius lemma est*: Ad amicam nauigantem. *etsi in codicibus impressis & in vetustissimo exemplari, quod nos domesticum possidemus, aliter legatur*: Et gelidom Borean praecipitemqoe Notum. *Corrigendum idem vitium in tertio Controuersiarum.*

a Quid obtorpuistis oculi?] *Quidam codices*, Quid obstupuistis oculi? Controu. III.

b Hoc intra triginta dies.] Hei intra triginta dies, *in tertio Controuersiarum.*

c Putas me accusatori promissurum, quod filio oegaui?] *Scribe*, Putas me accusatori permissurum, quod pater filio negaoi? *partim ex tertio Controuersiarum, partim ex vetere lectione.*

d Semper enim sibi omnia licere credit.] Semper sibi omoia licere credidit, *ex eadem.*

a Ignouit enim, inqoit. Aliqois ante me rogatus est.] *Correctius eadem*, Igootat, ioqoit, ita? Alius ante me rogatus est.

f Quàm pene promisi:] *Lege*, Quam pene permisi, *ex eadem.*

g Qui tantum triginta diebus irasci noo possum.] *Sine negatione eadem*, qui tantum triginta diebus irasci possum.

b Prior rogatus est quem magis timebam.] *Eadem*, Prior rogatus est qui magis timebatur.

a Quàm quae filios noo habebant.] *Eadem*, Quàm quae liberos non habebant. Controu. V.

b Inter vxorem tortam & virum occupatum.] *Legendum reor*, Inter vxorem tortam & vterum obturatum.

c Ignoscetis puto mulieri, si dixerit, Fessa est.] *Vetus lectio*, Ignosces puto mulieri, si dixero, Fessa est. *In tertio Controuersiarum*, Ignoscetis puto mulieri, si dixero, Falsa est. *Legendum puto*, Falsa est.

d Et tyranous torquebat cum de tyrannicidio quaereret.] *Scribendum* torquebatur, *non* torquebat, *ex eadem.*

e Noo premit censum onerosa sumptibus,] *In tertio Controuersiarum*, Num premit censum onerosa sumptibus? *vt sit interrogatio. quod placet: quia sequitur altera mox interrogatio:* Nunquid gemmas, & ex alieno littore petit lapillos?

f Vtrum ne magis mirandum esse,] *Prior editio & vetus lectio*, vtrum potas mirandum esse. *Codices nonnulli* monerandum, *non* mirandum, *legunt.*

g Etiam si scisti de tyrannicidio, nec indicasti,] *Vetus lectio*, Et si scisti de tyrannicido viri, nec indicasti.

h Et hoc cogitandi causa fuit. Vxoris vltio] *Eadem*, Et haec ipsa mihi cogitandi causa fuit vxoris vltio.

i Quidqoid looga cogitatio illi praestatura erat,] *Commodiorem lectionem censemus alij quàm illi.*

Controu. VII. a At redit maritus,] *Particula At superuacanea est ex vetere lectione.*

b Fotura aestimabo indicia. Ioterim qui rogat, comperit impudicam.] *Eadem*, Frustra aestimabo esse indicia in tantum quod rogat, *cetera. Forte legendum*, si tantum qui rogat, comperit pudicam. *Cui lectioni videntur suffragari verba statim sequentia.*

IN LIBRVM TERTIVM DECLAMATIONVM.

Praefatio lib. III. controu. a Omnia nitentia & intenta aliquo aliquid petentia.] *Vetus lectio breuior*, Omnia intenta aliqoo potentia. *Quaedam exemplaria*, Omnia intenta. aliquid petentia.

b Sunt quidem & hic qoibusdam grata.] *Corrige*, Sunt quidem & haec quibusdam grata, *ex eadem.*

c Proounciatio quam histrio non posset producere, tamen quaestioois posset videri.] *Sic prior editio. Scribendum reor*, Pronunciatio quam histrio ooo posset prodocere. tamen quae histrionis posset videri.

d Quamdiu extra iocos se continebas,] Citra iocos *lego, non* extra iocos, *ex vetere lectione.*

e Aden nunquam reum nullam materiam dicendi nisi in periculis suis habuit.] *Corrigendum puto*, Adeo nuoquam reor vllam materiam dicendi, *&c.*

f Nec lectas, oec vacuas explicatiooes,] Lentas, *non* lectas, *quaedam exemplaria.*

g Sed infra multos erat] *Scribe*, Sed etiam infra moltos erat, *ex vetere lectione.*

h Oratiooes Sallustij in honorem historiarum leguntur.] *Quidam codices*, Orationes Sallustij in honorem historiarum noo leguntur.

i Ille ad tolerandam magni pooderis sarcinam praeualet:] Tollendam, *non* tolerandam, *omnis vetus lectio.*

k Quidam cum Thracibus optime pugnant.] Threcibus, *rectius codex quidam antiquus. Nota res*, Threces *genus esse gladiatorum, sic dictum a similitudine Thracicae parmulae.*

l Si a proclamante dimitteret.] *Omnis scripta lectio*, Si a praelocutione dimitteret. *vt forte legendum sit*, Si a praelocutione demum staret.

m Nec adhuc vlli sic indulsit.] *Eadem*, Nec adhuc vlli sic se indulsit.

n Io scholastica quid noo superuacuum est,] *Scribendum reor*, Io schola ista quid noo superuacuum est.

o Id quod bellissime Censorius aiebat] *Codices quidam* Censcanus, *non* Censorius. *Alij* Censorious. *Alij* Cestrinus.

p Et ille ideo in foro primum dicturus,] *Inuertendae dictionis*, Et ideo ille in foro primum dicturus, *ex vetere lectione.*

q Agedum istos declamatores produc a Senatu in forum,] *Scribe*, Agedum istos declamatores produc in Senatum, io forum, *ex eadem.*

r Noo imbrem ferre, non solem scioot:] Hiemem, *non* imbrem, *in exemplaribus nonnullis habetur.*

s Sed negauit se executurum, nisi exirem de domo.] Mansurum, *non* executurum, *quidam codices.*

t Deinde adultum P. R. eduxi] *In scriptis exemplaribus non* adultum *legitur, sed* adulterum. *Vt forte in totum castigandum sit*, Deinde ad alterum Pr. eduxi. *Nam & infra* in ius educor *legitur. Sic enim vetus, vt dicemus, praefert lectio, non* adducor.

u Hanc, inquit, tibi fabulam retruli,] Fabellam, *non* fabulam, *in eisdem habetur.*

Controu. I. a O legem abrogandam, si excaecat homines. Nulli dat mille denarios nisi qui inuitus accipit.] *Vetus lectio*, O legem, si excaecat homines, abrogandam. Nulli res publica dat mille denarios nisi qui inoitus accipit.

b Dic ounc miserere. Hoc, cum execarere, non dixisti. Resp. debilitatem coosolatur, ooo emit.] *Corrige*, Dic nuoc miser homo; cum excaecareris, non dixisti. Resp. *&c.*

Controu. II. a Parricidam noo accuso, sed fugo.] *Eadem*, Parricidam ooo accuso, sed fugio.

b Absolutiooem dat paribus tabulis:] *Codices nonnulli*, absolutionem dat & paribus tabulis. *Alij*, absolutionem dat a paribus tabulis.

Controu. III. a Mihi oecesse est abdicare quem nolo.] *Quaedam exemplaria*, Alterum mihi oecesse est abdicare quem oolo.

b Hoc vno alter alteri placet,] *Vetus lectio*, Hoc voo, hoc alter alteri placet: *repetitione Senecae familiari ad vrgendum vehementius.*

c Qui in aliena mano est.] *Scribe*, Qui ipse io aliena manu est, *ex eadem.*

d Si bene de re meruerit, patrem pro illo rogasses.] *Eadem*, Si bene de te meruerat, patrem pro filio rogasses.

e Quicquid tunc tricenarius reliquerat,] *Non habetur in eadem particula* tunc.

Controu. IIII. a Quo iam tanto opere beneficia vitae iactat? Audite quis prior dederit.] *Eadem*, Quoniam tanto opere beneficia vitae iactatis, audite quis prior dederit.

b Ita tu adulescens in acie ooo ante patrē stetisti?] *Eadem*, Ita tu adulescens matrem nō ante patrē stetisti.

a Aut

a Aut indotatas nuptias petat.] Ant indotatas nuptias optet, *eadem. vt paulo post*, Quando ergo optabis. Controu. V.

b Iste raptor est, ego in ius adducor.] *Eadem* educor *habet, non* adducor.

c An tota mea sit.] *In eadem*, an tota mea ista sit, *habetur*.

d Et introrsus haerentes lachrymas ago.] *Nullum scriptum exemplar* haerentes *agnoscit, sed partim* erumpentes, *partim* habentes, *pro quo substituo* labentes.

e Tam longum tibi ius in caput ciuis permittitur.] *Vetus lectio*, Tam longum tibi ius in caput ciuis non permittitur.

a Nemo venienti domum clausit.] *Eadem*, Nemo non venienti domum clausit. Controu. VI.

b Certe, quod negari non potest, hospes.] *Scribendum*, Certe, quod negare non potes, hospes.

c Maius sine dubio quàm si damnum sarciret.] *Emendatior antiqua lectio*, maius sine dubio quàm sit damnum. Sarcire debet.

a Tribuni ne ferent vt fur praeferatur domino.] *Breuius eadem*, Tribuni. Ita ne furcifer. *reliqua desiderantur*. Controu. IX.

IN LIBRVM QVARTVM DECLAMATIONVM.

a Sed auctorum nouitate sollicitet.] *Scribe*, Sed etiam auctorum nouitate sollicitet, *ex vetere lectione*. Praefatio lib. IV. controu.

b Nec quicquam ex ordine remisit vitae solito.] *Scribendum permutato verborum ordine*, Nec quicquam ex ordine vitae solito remisit, *ex eadem*.

c Itaque cum mortuo in Syria Caesare per codicillos questus esset diuus Augustus,] *Antiquum exemplar non* Caesare *praefert, sed* C. Caesare. *Praeterquam legendum reor*, Lycia, *non* Syria, *contra omnia exemplaria. Suetonius in Augusto*: Caium & Lucium in duodeuiginti mensium spacio amisit ambos, Caio in Lycia, Lucio Massiliae defunctis. *Velleius Paterculus libro posteriore*: Deinde reluctatus inuitusque reuertens in Italiam, in vrbe Lyciae, Lymiram nominant, morbo obiit. *Cornelius item Tacitus primo historiarum volumine Caium remeantem Armenia & vulnere inualidum mortem fatu properam, vel nouercae dolum abstulisse scribit. At reditum ex Armenia in Italiam per Lyciam esse, non per Syriam, palam est.*

d Mortes filiorum tulisse,] Mortes sex filiorum tulisse, *vetus lectio*.

e Atherius noster suffibulandus est.] *Legendum procul dubio*, sufflaminandus est, *non* suffibulandus, *seu* sufflamandus, *a sufflamine, videlicet instrumento quo immodicus rotarum procursus reprimebatur. Iuuenalis Satyra VIII.*

Carpento rapitur pinguis Damasippus, & ipse
Rotam stringit multo sufflamine consul. *Et vltima Satyra*,
Nec res atteritur longo sufflamine litis.

Notauit hunc Senecae locum ante nos nouissimus eius Poetae interpres.

f Adeo nedum currere, sed decurrere videbatur:] *Quaedam exemplaria*, Adeo vt nō currere, sed decurrere videbatur. *Alia*, Adeo non occurrere, sed decurrere videbatur. *Scribe*, Adeo non currere, sed decurrere videbatur.

g Iubebat enim transire cum aliquamdiu locum dixerat:] Eum, *sine* illum, *vetus lectio*, *non* enim. *Item exemplaria quaedam* aliquem *legunt, non* aliquandiu.

h. Et multum ille & hic in officiis versatur:] *Elegantius eadem sine posteriore coniunctione*, & multum ille hic in officiis versatur.

i Plus habebat quod laudares, quàm quod ignosceres:] *Scribo*, Plus habebat quod laudares, quàm cui ignosceres, *ex eadem*.

a Coactus est conuiuio interesse mutata veste,] *Verbum substantiuum* est *tollendum, ex eadem*. Controu I.

b Nam rapuit me qualem in conuiuio puderet venire,] *Coniunctio* Nam *supernacanea est, ex eadem*.

c Scit quantum super amissis tribus filiis patri flendum sit, qui si viuerent, pater fleret.] *Quaedam exemplaria*, Scit quantum super amissos tres filios patri flendum sit, quem si viuerent, patrem flerent.

d Hic mihi viuendum est, nec de nuptiis, nec de libris cogitandum dirum omen occurrit.] *Castigo*, Hic mihi viuendum est, nec vi de nuptiis nec vi de liberis cogitanti dirum omen occurram, *ex vetere lectione*.

e Iniuria esset felicis in illo conuiuio morari.] *Longe aliter eadem*, In illo conuiuio morari etiam felicis patris esset iniuria.

f Nemo amicus, nemo, inquit, propinquus est.] Inquam, *non* inquit, *eadem*.

g Festo die sodales amicique mecum:] *Eadem*, Festos dies sodales amicique ineunt.

h Consolater te diutius nisi & iam accusare posses.] Consolarer eum diutius, nisi iam accusare posset, *eadem*.

a Seruauit, nec vidit.] *Lege*, Seruauit sacra, nec vidit, *ex eadem*. Controu. II.

b Pollio ante hoc, si caecus factus esset, non abstulisset:] *Quaedam exemplaria*, Pollio autem hoc. Si caecus ante factus est, non abstulisset.

a Per humanos, inquit, errores agnoui preces meas] *Locus est vitiatissimus, qui forte melioris erit conditionis, si sic legatur*. Pater, humanum, inquit, errare est. At nosti preces meas. Controu. III.

b Quòd imprudentes occidimus, & prudentes seruauimus.] *Tollenda coniunctio* &, *ex vetere lectione*.

c Non pepercit eius dolori.] *Scribe*, Non pepercit eius pudori, *ex eadem*.

d Et tum fortuna ea eras,] *Corrige*, Et tu in ea fortuna eras, *ex eadem*.

e Egit apud illum qui eam non nouerat.] *Codices quidam*, Egit apud eum qui illum non nouerat.

a Vidissem vere violari sepulchrum,] *Scribe*, Vidisses iam vete violari sepulchrum, *ex vetere lectione*. Controu. IV.

b In quo notiora sunt iterum arma victricia.] *Apertius eadem*, In quo notiora sunt arma iterum victricia.

c At rapuit aliena. Hoc excusare, &c.] *Scribe*, Rapuit aliena. Hoc excusare, *reliqua*. *Nam dictio* at *nus-*

quam inuenitur in eadem.

Controu. V. a Reductus est patri, aegrotare nouerca coepit.] *Scribe*, Reductus est. Postea aegrotare nouerca coepit, *ex eadem.*

b Vt abdicatione mea pater aegrotaret, redita nouerca.] *Posset etiam non temere legi*, Vt abdicato me pater aegrotaret, reducto nouerca. *quia supra in argumento praecessit* : sanauit. Reductus est. Postea aegrotare nouerca coepit.

c Ego non credo si fateris illam sic posse sanari.] *Emenda*, Ego vero cedo domo, si fateris illam sic posse sanari, *ex eadem.*

d Magnis praeceptoribus opus est. Abdicatus studui.] *Scribe*, Magnis praeceptoribus opus est. Ego abdicatus studui. *ex vetere lectione. & paulo post* seruasti *eadem, non* conseruasti.

Controu. VI. a Qualis erit nouerca, quae fieri cupit.] *Eadem*, Qualis eris nouerca quae fieri cupis?

b Cum iniquus magis ipse ames eum, &c.] Iniquius *legendum, non* iniquus, *ex eadem.*

c Etenim contra virum dici potest :] *Breuius eadem*, Dici contra virum potest.

d Quem aiebat specialissimum :] *Eadem*, quem aiebat simplicissimum.

e Magis enim amaturus sum eum,] *Coniunctio* enim *otiosa est, ex eadem.*

Controu. VII. a In adulterio deprehensus est a tyranno, gladium extorsit a tyranno,] *Verbum* est *non habetur in eadem.*

b Imputat nobis quod in adulterio mori noluit deprehensus.] *Error in ordine verborum. Eadem*, Imputat nobis quod deprehensus in adulterio mori noluit.

c Certamen impari conditione] *Legendum distincte*, Certamen in pari conditione : *hoc est, in qua vtrique licebat aduersarium occidere. ex eadem.*

d Si etiam id libido permitteret.] *Eadem* promitteret *agnoscit, non* permitteret.

e Tyrannicida pro adultero, tyrannus pro pudicitia.] Adulterio, *non* adultero, *scribendum, ex eadem.*

f Qualia in adulterum maritus attulerat.] *Eadem* contulerat, *non* attulerat.

g Ab adulterae oculis ad praemium curris.] Osculis, *non* oculis, *lege ex eadem.*

h In eo quod inermis ad tyrannum venit, non minor virtus, sed periculum maius.] *Corrige*, In eo qui inermis ad tyrannum venit, non minor virtus est, sed periculum maius, *ex eadem.*

Controu. VIII. a Vt operas mitteret.] *Emenda*, Vt operas remitteret, *ex eadem.*

b Consignatione facta restitutus exigit operas.] *Aliter eadem*, Consignatio facta est. Restitutus exigit operas. *Etsi in quibusdam exemplaribus* non exigit, *sed* incidit, *habeatur. Vt forte scribendum sit* indicit, *quia sequitur paulo post*, quaslibet indicas operas, nunquam tamen indices ita periculosas.

c Si pacisci tunc a me voluisses operas, spopondissem.] Noluisses *potius quàm* voluisses *legendum videtur.*

d Profer tabellas] Profer tabulas, *vetus lectio.*

e Et cum timeo ne ostenderem, secutus sum haec exigentem.] *Sic prior editio. Vetus lectio*, Et dum timeo ne ostenderet, secutus sum haec exigentem. *Quid si legas?* obsecutus sum hoc exigenti.

f Etiamsi cogi non potest.] *Eadem*, Etiam cum cogi non potest.

g Proscriptus potissimum ei te commisisti.] *Eadem*, Proscriptus mihi potissimum te commisisti.

h Qui tunc non posses etiam rogari.] *Negatio* non *redundat, ex eadem.*

i Egerunt leuius,] Egerunt lenius, *eadem.*

k Videris redemisse. Fac iam remittam.] *Eadem*, Videris remisisse. Faciam, remittam. *Quidam codices*, videris emisse, *reliqua.*

l Tunc huiusmodi vtendum est coloribus,] *Scribe*, Tunc huiusmodi vtendum esse coloribus, *ex eadem.*

m Quod ex colore metuendum est :] Quod ex hoc colore metuendum est, *eadem.*

IN LIBRVM QVINTVM DECLAMATIONVM.

Controu. I. lib. V. a Inscripti maleficij fit actio.] *Lege*, Inscripti maleficij sit actio, *vt supra.*

b A liberto reus fit maleficij.] Liberato *scribo, non* liberto, *ex scripta lectione.*

c Ludit te suis fortuna muneribus,] *Lego*, ludit de suis fortuna muneribus, *ex eadem.*

d In Pharsalia victus acie,] In Thessalia victus acie, *eadem.*

e Mortem tuorum tuum putas naufragium?] *Corrige*, Mortem tuorum. Maius tu tuum putas esse naufragium. *ex eadem.*

f Crassus vixit. Non priuatas perdiderat, sed publicas opes.] *Scribe*, Crassus vixit, & non priuatas, &c.

g Nemo infeliciter experta negociatione,] *Correctior vetus lectio*, Nemo infeliciter expertus negociationem.

h Ego vt ne moriar, iste vt ne prohibeat.] *Castiga*, Ego vt moriar, iste ne prohibeat, *ex eadem.*

i Ne hoc narrarem, mori volui.] *Antiquum exemplar*, Haec narrare volui. *Vt forte legendum sit*, Enarrare volui: *aut sic*, Ne enatarem, mori volui.

k Praecidit remedium meum.] *Pronomen* meum *redundat ex vetere lectione.*

l Cui me vitae referuas?] *Scribe*, Cui me vita reseruas, *contra omnia exemplaria.*

Controu. II. a Rumor fuit de morte.] *Legendum*, Rumor fuit de morte eius, *ex vetere lectione.*

b Iubente patre habere potuisses.] *Legendum reor* viuente, *non* iubente.

c Non quaeris vbi perierim.] *In quibusdam exemplaribus*, Num quaeris vbi perierim.

d Ne inter ipsas nuptias] *Scribe*, Ne inter ipsas nuptias tuas, *ex nonnullis codicibus.*

e Fabricius aurum a Pyrrho recipere noluit.] Accipere, *non* recipere, *vetus omnis lectio. Sunt tamen codices in quibus desideretur id verbum.*

f Vt aliquid & simile de Seuiano dicam.] *Scribe*, Vt aliquid & ipse simile de Seuiano dicam.

Controu. III. a Malae tractationis fit actio.] *Legendum esse* sit, *non* fit, *supra admonui.*

b Et ad Olympiam duxit.] *Vetus lectio*, Eduxit ad Olympia. *& aliquanto post* parricidiis *scribendum*, *non* parricidia.

a Accusatus a fratre parricidij,] *Deest verbum substantiuum* est. Accusatus est a fratre parricidij. *ex eadem.* Controu. IIII.

b Si vis illius graue crimen facere,] *Inuerte dictiones*, Si vis graue illius crimen facere, *ex eadem*.

a Vt sibi venderet arborem, quam sibi videbat obstare.] Dicebat *legendum*, *non* videbat, *ex eadem.* Controu. V.

b Vicinorum primo fidem implorani.] Explorani, *non* implorani, *sunt exemplaria quae legunt.*

c Nihil laetius oculis tuis quàm ruinae meae.] *Scribe*, Nihil laetius oculis tuis occurrit, quàm ruinae meae, *ex eadem.*

d Sic licet vt domus ad coelum omne conuersae,] *Eadem*, Scilicet vt domus ad coelum omnes emineãt.

e Et non in suis vicibus agatur annus :] *Praepositio* in *supernacanea est*, *ex eadem.*

f Quemadmodum totas cõsumat vrbes,] *Emendatior vetus lectio*, quemadmodum totas absumat vrbes.

g Si fateretur iste scienter ianuam incendisse,] *Eadem*, Si fateretis te scienter ianuam incendisse.

h Quid ad te illi rami pertinent, qui extra domum sunt?] *In quibusdam codicibus, inuersis dictionibus legitur:* Quid ad te rami illi pertinent, *&c. in alijs desideratur pronomen* illi.

i Iam etiam quosdam parietes minuerant.] *Vetus lectio*, Iam etiam quosdam parietes mouerant.

a Accusauit illos de vi & damnati sunt.] *Eadem*, Accusauit illos de vi & damno. Controu. VI.

b Date illi vestem puellarem, date noctem, rapietur.] *Corrige*, date illi vestem, puella est. Date noctem, rapietur, *ex eadem.*

c Non tunc primum vestem sumpsisse.] *Verbum* vestem *non habetur in eadem*, *recte.*

d Sic imitatus puellam vt raptorem inuenerit.] *Lege*, Sic imitatus est puellam vt raptorem inuenerit.

e Nunquid cecini ?] *Corrige*, nunquid cecidi ? *ex eadem*, *& ex Controuersijs.*

f Constat hunc stupratum, cum damnati essent qui rapuerunt.] *Hoc debet esse initium alterius partis*, pro adulescente, *ex eadem. Legendumque ex eadem*, Constat hunc stupratum, cum damnandi erant qui rapuerunt.

a Imperator post victoriam eius] *Pronomen* eius *tollendum*, *ex eadem.* Controu. VII.

b Hos ego in die non recepissem,] *Scribe*, Hos ego interdiu non recepissem, *ex eadem.*

c Pugnaturus ostendi trecentos,] *Lege*, Pugnaturis ostendi trecentos, *ex eadem.*

d Redeunt vt leges tollant.] *Verbum* leges *supernacaneum est*, *ex eadem.*

e Infestus illis trecentis fuit, quod iniquo eos collocauit loco. hoc ne argui posset, non recepit.] *Breuior vetus lectio*: Infestus trecentis fuit. Iniquo collocauit loco. Hoc ne agi posset, non recepit.

f Mitte arma. Certe hoc lex non vetat.] *Eadem*, Mittite arma. Certe lex non vetat.

a De tyranno post absolutionem petente magistratum.] *Scribe*, De tyranno post abolitionem petente magistratum, *ex eadem. Idem mendum castigandum paulo post.* Controu. VIII.

b Anno meo spondeo,] *Legendum*, Candidatus anno meo spondeo, *ex eadem.*

c Cur honores tam diu gesserit, narret.] *In margine quorundam scriptorum exemplarium annotatum inuenio*, Cur honores tandiu non gesserit, narret : *probatiore lectione.*

IN LIBRVM SEXTVM DECLAMATIONVM.

a Dimidiam partem se haereditatis sibi daturum, si non respondisset.] *Scribe*, dimidiam se partem daturum haereditatis, si non respondisset irato patri, *ex vetere lectione.* Controu. I. lib. VI.

b Quantum viuo patre non potest soluere.] *Eadem* posset *habet*, *non* potest.

c Nec frater quidem tibi sine chirographo crediderit.] *Eadem* credidit *agnoscit*, *non* crediderit.

d Alterius spe morior, alterius fide viuo. Etiam patrimonium meum diuisum est.] *Multis modis corrigi potest hic locus*, Alterius spe morior. alterius fide ne viuo etiam. Patrimonium meum diuisum est. *Aut sic*: Alterius spe morior, alterius fide. Me viuo etiam patrimonium meum diuisum est. *Aut alijs modis, quos per se ingeniosus lector comminisci potest.*

e Chirographum danti impium, patri periculosum, accipienti turpe.] *Error est in ordine verborum. Scribendum*, Chirographum danti impium, accipienti turpe, patri periculosum, *ex vetere lectione.*

f Nolui recentem iram exagitare patris.] Exagitari *voce passiua legunt scripta exemplaria.*

g Quid enim timebam, nisi si rescisset pater, moleste ferret filium suum hominem auarum non esse, fratrem pium ?] *Corrigendum puto* : Quid enim timebam, ne, si rescisset pater, moleste ferret filium suum hominem auarum non esse, fratrem pium esse ? *Nam vetusta exemplaria habent*, fratrem pium esse.

h Ita mihi contingat pater, vtrumque nostrum placere.] *Vetus lectio*, Ita mihi contingat patrem vtrique nostrum placere. *legendum puto*, placari, *non* placere.

a Exulem tecto & cibo iuuare non licet.] *Scribe* liceat, *non* licet. *Iubet enim lex, non indicat, sicuti ostendit quod sequitur* : Imprudẽtis caedis damnatus quinquennio exulet. *Liquet hoc etiam ex multis quae sequuntur locis.* Controu. II.

b Accusator cinium me fecit exulem, filius etiam meorum.] *Legendum puto* finium, *non* ciuium, *vt patet ex hypothesi.*

c Absoluta es, inquit, me aduocato soror] *Lego* est, *non* es, *ex vetere lectione.*

d Alij exul est, tibi pater est.] *Posterius verbum substantiuum* est *non habetur in eadem. Reliqua mutato ordine verborum legenda censeo ad hunc modum*, illi pater est, tibi exul.

a Vt si vellem, non essem mendicus. Relinquerem fratrem in egestate, matrem in seruitute.] *Scribe ex vetere lectione*, Vt si vellem non esse mendicus, relinquerem fratrem in egestate, & matrem in seruitute. Controu. III.

b Circumscriptores dici solent qui aliquid sustulerunt.] *Eadem* abstulerunt *agnoscit*, *non* sustulerunt.

c Obiici, inquit, non potest quod lege factum, immo non nisi quod ex lege factum est.] *Corrige*, Obiici, inquit, non potest quod lege factum est, immo nihil nisi quod lege factum est. *ex eadem.*

d Ego nihil aliud quàm diuisi.] *Quaedam exemplaria*, Ego nihil aliud egi quàm diuisi.

e Quam multi per ignes petierunt.] *Caſtigatius vetera exemplaria*, quam quidam per ignes petierunt. *Praeceſsit enim alterum* quidam.

f Habes enim partem quam voluiſti,] *In quibuſdam exemplaribus*, habes enim matrem quam voluiſti.

g Et vt tantundem haberes nec pater voluerat.] *Coniunctio & ſupernacanea eſt, ex vetere lectione.*

Controu. IV. a Teſtamento inuentus eſt haeres.] *Scribe*, Teſtamento inuentus eſt maritus haeres, *ex eadem.*

b Quod eſt hoc venenum,] *Eadem*, Quod enim illud venenum.

c Nemo enim tam palam vxori dedit venenum.] *Eadem*, Nemo vnquam tam palam vxori dedit venenum.

d Et quid te pudet?] *Scribendum*, Ecquid te pudet? *& paulo ante pro* Quid iam putabatis futurum, *ſubſtituendum reor*, Quid nam putabatis futurum?

e Grauis illi & peſtifera pars] *Lege* illa, *non* illi, *ex vetere lectione.*

f Id genus veneni fuit quod pondere ſubſideret in imum. Potionem bibit iſte, vxor venenum.] *Lego ex eadem*, Id genus veneni fuit quod pondere ſubſideret. in imam potionem bibit iſte vſque ad venenum, vxor venenum. *Exemplaria quaedam*, In vnum potionem bibit iſte, *&c. vt ſcribendum putem*, in imum potionem bibit iſte, *reliqua.*

g O, inquit, dignam quam innocens ſequitur.] *In eadem* ſequatur *habetur, non* ſequitur.

Controu. V. a Bis in acie victus,] *Praepoſitio* in *ſupernacanea eſt, ex vetere lectione.*

b Viſi ſunt contra iudicium quidam] *Emenda*, Viſi ſunt circa iudicium quidam, *ex eadem.*

c Quòd vim in iudicio ſuo fecerit.] *Pronomen* ſuo *redundat, ex eadem.*

d Quae eſt iſta mutatio contra rerum naturam,] *Lege*, Quae eſt iſta contra rerum naturam permutatio, *ex eadem.*

e Cum indices ſententiam ferrent, extraxi gladium,] *Eadem*, Cum indices ſententias ſuas ferrent, ſtrinxi gladium.

f Quid poteſtis, inquit, quaeri? quòd obſidem vobis vxorem adduxi?] *Puto legenda haec verba & praecedentia ad hunc modum*, Barbaros circa iudicium fuiſſe non propter indicium armatos, ſed propter morem ſuum, quid poteſtis quaeri? Quid, inquam? obſides vobis adduxi. *Partim ex vetere lectione, partim ex coniectura. Nam verbum* vxorem *adſcititium eſt, & in nullo ſcriptorum codicum habetur.*

Controu. VI. a Morietur, timeo veneficam.] *Scribe*, Morietur. teneo veneficam. *ex vetere lectione. Nam ex verbo* Morietur, *conſectat veneficium.*

b In qua adulterium argumentum eſt.] *Quaedam exemplaria* adulterij *agnoſcunt, non* adulterium.

c Veneficium nec denuntiatum credidi.] *Vetus lectio*, Veneficium nec denuntiatum quidem credidi.

d Quae non minus quàm pater filiam luget.] *Verbum* pater *ſupernacaneum eſt ex emendatioribus codicibus.*

Controu. VII. a Dementiae fit actio.] *Admonuimus ſaepe legendum* ſit, *non* fit, *fauente etiam vetere lectione.*

b Intrauit ad eum ſtricto gladio pater, & rogauit filium vt indicaret cauſam ſibi.] *Aliter eadem*, Intrauit ad filium ſtricto gladio pater. Rogauit vt indicaret cauſam ſibi.

c Ceſſit illi vxorem ſuam pater. Ab alio accuſatur dementiae.] *Eadem*, Ceſſit illi vxorem pater. Ab altero accuſatur dementiae.

d Prius amare coepi quàm duxeras.] *Eadem alijs verbis, ſed eodem ſenſu*, Amare antequàm duceres coepi.

e Cui adulterium pro veneficio imputatum eſt.] *Quidam codices*, imputandum *habent, non* imputatum. *quod magis ſenſui quadrat.*

f Simulatum morbum, deriſum animo turpiſſimo patrem.] *Deeſt coniunctio &c. Vt ſit*, & deriſum animo turpiſſimo patrem, *ex vetere lectione.*

Controu. VIII. a Aut experta iuras, aut inexperta peieras.] *Eadem*, aut experta virum, aut inexperta petebas. *Vtraque lectio defendi poteſt. Impreſſae verba ſequentia fauent*: Sacerdos raro iuret, nec vnquam niſi per ſuam Veſtam. *Et mox aliquanto, de illius morte ſcribe*, antequam iurabis de tua.

b Et hic quidem non totus.] *Vetus lectio*, ne hic quidem totus, *eodem ſenſu. & mox paulo*, nulla poteſt, *pro* non poteſt.

c Non conuerſatio cum viris licentior.] *Eadem* licentioſior, *non* licentior.

IN LIBRVM SEPTIMVM DECLAMATIONVM.

Praefatio lib. VII. controu. a Argumenta enim argumentis colligebat.] *Vetus lectio* colligabat, *non* colligebat.

b Omnes probationes probationibus aliis confirmabat.] *Exemplaria quaedam* propoſitionibus *agnoſcit, non* probationibus. *Sicuti e contrario in eo quod ſequitur.*

c Omnis quaeſtio ſuam propoſitionem habebat,] Probationem, *non* propoſitionem, *nonnulli codices legunt: vt mox* exercitationem, *pro* excuſationem.

d Nihil eſt tam inimicum quàm manifeſta praeparatio.] Mimicum *legendum, non* inimicum, *ex vetere lectione. In quarto autem Controuerſiarum*, iniquum.

e Locum beate implebat.] Loca, *non* locum, *eadem.*

f Non defendi, ſed inquinari:] *Eadem*, non deferri, ſed inquinari.

g Vt vitia ſua excuſare malint quàm effugere.] *In eadem* effugare *habetur, non* effugere.

h Quem proxime dicentem commode audierat,] Commodum, *non* commode, *eadem: hoc eſt, nuper.*

I Admiratione Hermagorae ſtupentem] Hermacotae, *non* Hermagorae, *in quarto Controuerſiarum, idque frequenter.*

k Idiotiſmus eſt inter oratorias virtutes res] *Vetus lectio*, Idiotiſmos, *Graeca terminatione, quod & rectius.*

l Quamuis poenituiſſet, libebat audire.] *Scribendum puto* audiri, *non* audire. *Poſſet etiam legi* audere.

m Induxit eiuſmodi figuram qua illi omnia crimina retegeret.] *Vetus lectio*, induxit eiuſmodi figuram, quae

quae illius crimina detegeret.

n Surrexit L. Aruntius ex diuerso. Vt coepit conditionem iurauit.] *Legendum arbitror*, Surrexit Aruntius ex diuerso. Accepit conditionem, iurauit.

o Non tuli conditionem,] *Vetus lectio*, Non detuli conditionem.

p Rebus iam vltimis praeparabant.] Properabant *legendum puto*, *non* praeparabant.

q Cum volo dico, absum. Vti volo dico quandiu volo.] *Sic prior editio. legendum reor*, Cum volo, dico. Absum, vti volo. Dico, quandiu volo.

r Vt perueniat nescio quo terrarum.] *Videntur verba haec adiectitia esse. Nullibi enim comparent in tota vetere lectione, etiamsi paulo post repetantur.*

s Paucas enim res bene dixit.] *Vetus lectio* bonas *agnoscit*, *non* bene.

a Licuisset mihi per fratrem aliter quàm parricidae mori.] Licuisse, *non* licuisset, *habetur in eadem*, & *in quarto Controuersiarum*. Controu. I.

b Ego, inquit, fratrem occidere non potui,] *Verbum* inquit *superuacaneum est*, *ex eadem*.

c Et tempestates horridae absconderant diem,] *Coniunctio* & *redundat*, *ex eadem*.

d Non potui facere parricidium,] *Scribe*, Non putaui facere parricidium, *tum ex eadem*, *tum etiam quia mox statim sequitur*, & factum putaui.

e Vtrum videtur vobis innocentiam apud piratas didicisse, an ne apud piratas quidem perdidisse.] *Breuius eadem*, Vtrum videtur vobis innocentiam apud piratas didicisse, an perdidisse.

f Nihilominus saeuit,] Saeuis *legendum*, *non* saeuit, *ex eadem*.

g Non putaris misericordem, qui quem damnauit, fratri puniendum dedit?] *Eadem*, Nam putatis, & *cetera. Legendum forte*, Num putatis, *per interrogationem ducentem ad negationem*.

h Narra patri quomodo te dimiserit. Sic dimissus nocens est iste, sed mihi frater est iste.] *Eadem*, Narra pater quomodo te dimiserit, sic dimissus. Nocens est iste, sed mihi frater est.

i Dixisset, inquit, te non posse.] Dixisses *lege*, *non* Dixisset, *ex eadem*.

a Et a Cicerone defensum,] Actione, *non* a Cicerone, *plerique habent codices*. Controu. II.

a Certe nec secreta fallunt.] *Vetus lectio*, Certe nec secreta te fallunt. Controu. III.

b Accessi ad haec supplicia] *Eadem*, Accessi ad haec supplicia mea.

a Vnis vinculis duos alligat.] *Eadem*, Vnum vinculum duos alligat. Controu. IIII.

b Victa mater cathenas denunciat victori] *Eadem* vincta *legit*, *non* victa.

c Mihi, inquit, parani, non bibit.] *Duae dictiones*, non bibit, *aduentitiae sunt*, *vt ex eadem apparet. Videturque ita esse, quia paulo ante praecesserunt.*

d Quod ergo negat, parricidium est.] *Verbum* ergo *superuacaneum est*, *ex eadem*.

a Quidam mortua vxore ex qua priuignum habebat,] *Omnia fere scripta exemplaria* filium *agnoscunt*, *non* priuignum. Controu. V.

b Iussit a se migrare.] *Vetus lectio*, Iussit eum a se migrare.

c Rumor erat de adulterio procuratoris & vxoris.] *Eadem*, Rumor erat de adulterio matris & procuratoris.

d In cubili suo pater occisus est inuentus,] Cubiculo, *non* cubili, *eadem*.

d Prima pars pro procuratore.] *Corrige*, contra procuratorem prima pars pro filio, *ex eadem*.

e Da puerũ. Nemo est vno teste contentus. Da populum.] *Castigo*, Dabo puerum. Aliquis non est vno teste contentus? Dabo populum.

f Pars altera primo priuigno] *Scribe*, Pars altera pro procuratore. *Sed notandum hoc lemma in alieno esse loco. Poni enim debuit ante illa verba*, O magna peruersitas saeculi. *Nam illud*, Dic puer quis occiderit patrem, *vsque ad* O magna peruersitas saeculi, *ad superiora pertinet*, *ex vetere lectione*.

g Ostende illud non vulnus, sed argumentum. Ostende vulnus percussor. Ille quàm timuit ne occideret. Tam leuiter vulnerauit.] *Corrige ex vetere lectione*, Ostende tu istud non vulnus, sed argumentum. Ostẽde vulnus. percussor quàm timuit ne occideret, tam leuiter vulnerauit.

h Non illa dextera, cui nec paries obstabat, nec pater.] *Negatio* non *desideratur in omni vetere lectione*. & *substitit agnosciti ea*, *non* obstabat.

i Nec dicere ineptias nec ferre poterat,] *Eadem*, nec dicere res ineptas, nec facere poterat.

a Illis contigit mutare nuptias.] *Corrigendum puto*, Illis contigit vitiari nuptiis. *vt paulo post*, In aliis vocatur stuprum, in hac matrimonium. Controu. VI.

b Sicut tyrannus iratus alienas.] *Lege*, vt tyrannus iratus alienas, *ex vetere lectione*.

c Num est illi praemium.] *Correctius*, Non est illi praemium? *per interrogationem*.

d Conuenite libertini, empta cognatio.] *Mallem legeres*, inempta cognatio.

a Sero attulisse aurum, filium crucifixum esse.] *Lege*, Sero attulisse aurum ad redemptionem, filium crucifixum esse, *ex vetere lectione*. Controu. VII.

b Cauete proditionem.] *Eadem* proditorem, *non* proditionem.

c Quid tam cito redis?] *In eadem*, Quid tam cito recedis?

d Dicis, affectus meus non sustinet moram:] *Verbum* meus *superuacaneum est*, *ex eadem*.

e Quaeritis quid dixerit?] *Lego*, Quaeritis quem dixit? *ex eadem*.

f Ad summa festinaui,] Summam *legito*, *non* summa, *ex eadem*.

a Proponite supplicij faciem,] *Scribe*, Proponite supplicij faciem, carnificem, securim, *ex eadem*. Controu. VIII.

b Minus est quòd vitiauit quàm quòd negauit.] *Eadẽ*, Minus ergo est quòd vitiaui quàm quòd negaui.

c Hic id egit,] *Scribe*, Hoc id agit, *ex eadem*.

d Ne adiicit non amplius, quàm semel.] *Eadem*, Non adiicit, ne amplius quàm semel.

IN LIBRVM OCTAVVM DECLAMATIONVM.

Controu. I. a Faciant iudices in foro quod domi feci. Matrem mori prohibes.] *Corrige*, Faciam iudices in foro quod domi feci. Matrem mori probibeo. *ex vetere lectione*.

b Non obfuturus veni,] *Quidam codices* affaturus. *Alij*, effututus. *lego* affuturus, *hoc est patrocinaturus*.

c Non est confessio, vbi eam accusator eruit. Negat rea. Tortor expressit.] *Vetus lectio*, Non est coofessio nisi cum accusator eruit. negat rea, tortor expressit.

d Viso contra spem filio expirasse.] *Eadem*, Viso circa spem filio expirasse. *Lego*, Viso citra spem filio expirasse.

e Non fecit orbata,] *Eadem* orba *habet*, *non* orbata.

f Iratis, inquis, dijs sacrilegium potui committere.] *Scribe ex eadem*, Vel iratis, inquit, diis. Sacrilegium potuit committere.

g Quid ergo fecit?] Quis *legendum*, *non* Quid, *ex eadem*.

Controu. II. a Dispositetamus quidem vt aliis templis quoque simulacra Phidias faceret,] *Commuta dictionum ordinem*: vt aliis quoque templis simulacra, *cetera*. *ex eadem*.

Controu. III. a Maritus tenersus duxit ancillam vxoris,] *Omnis antiqua lectio* abduxit *habet*, *non* duxit.

Controu. IIII. a Homicida insepultus abiiciatur.] *Scribe*, Homicida in se insepultus abiiciatur, *ex eadem*.

b Et quàm inuidiosum quòd Catonem occideres.] *In eadem*, & quidem inuidiosum quòd Catonem occideres.

c Non perdideras sepulturam nisi in morte reperisses.] *Eadem*, Cur perdideras sepulturam, *cetera*. *Scribo*, Curti perdideras sepulturam, *cetera*. *Confirmant hanc lectionem verba quae sequuntur*: Curtius deiiciendo se in praecipitem lacum, fatum sepulturae miscuit.

d Non aliud Codrus ceteris imperatoribus dedit exemplum,] *In quibusdam exemplaribus*, Non aliud Codrum illum ceteris imperatoribus edidit exemplum.

e Non postulo vt gloriosum sit, sed vt tutum sit mori.] *Vetus lectio breuior & emendatior*, Non postulo vt gloriosum, sed tutum sit mori.

f In quem nescio. Scelus cogitat.] *Quaedam exemplaria*, In quem nescio. Quod solum scio, scelus cogitat.

Controu. V. a Tu fecisti bellum, ego sustuli.] *Corrige*, Tu fregisti bellum, ego sustuli, *ex vetere lectione*.

b Quod non vis in paternam domum venire?] *Tria hic verba desiderabantur. Legendum enim*, quod non vis in paternam domum venire sine tuo praemio, *ex eadem*.

c Vt possim abdicari] *Scribe*, vt possit abdicari, *ex eadem*.

Controu. VI. a Dum flere socer sinat.] Desinat *lege*, *non* sinat, *ex eadem*.

b Putat me iam filiam commisisse sibi hic, cum nec dum se committat vxori?] *Corrige*, Putat me iam filiam commisisse sibi, cum hic nec dum se committat vxori? *ex eadem*.

c Inter terram & coelum dubij pependimus.] *Antiquus quidam codex*, inter mare terramque dubij pependimus.

d Erat in summis montium ardua diuitis spelunca. Illic iste naufragorum reliquias computabat.] *Corrigo*, Erat in summis montium iugis ardua diuitis specula. Illinc iste, *& cetera*. *ex vetere lectione*.

e Naufragium duo sacratissima inter homines acceperunt,] Exceperunt *eadem*, *non* acceperunt.

f Quid mihi superest?] *Scribe*, Quid enim superest? *ex eadem*.

g Etiam sibi explorata,] *Eadem*, sibi etiam explorata.

h Partem legis amputaturus es:] Imputaturus *eadem praefert*, *non* amputaturus.

i Quaeritis quid dum fleret, faceret?] *Eadem*, Quaeritis quid flere fecerit? *& infra*.

k Quas ooo habet.] *Negatio non supernacanea est*, *ex eadem*.

IN LIBRVM NONVM DECLAMATIONVM.

Controu. I. lib. IX. a Callias sordide diues natus,] *Scribo*, *mutato dictionum ordine*, Callias diues sordide natus, *ex vetere lectione. Illud notandum, Plutarchum & Aemilium Probum dissentire a Seneca in hac Cimonis historia, prodentes Elpinicen Cimonis sororem, filiam Miltiadis, nupsisse Calliae, quòd Cimonem ex vinculis liberasset, soluto pro eo aere alieno, quod Miltiades pater contraxerat. Nota est historia.*

b Illius calamitatum exitus fuit carcer.] *Eadem*, quod illius calamitatum exitus fuit carcer.

c Vnius Miltiadis census inuentus est. Cimon filius redemptus.] *Scribe hac dispunctione*, Vnius Miltiadis census inuentus est Cimon filius. Redemptus Cimon redemptoris infelicitas est. *ex eadem*.

d Tu quòd Cimonem] *Post haec verba sequi debet ex codicis antiqui annotatione*, Sed recepimus, ego a carcere liberatus a te, tu ab adultera filia per me.

e Beneficium est quod totum eius causa praestatur,] *In quibusdam exemplaribus* tantũ *legitur*, *non* totum.

f Vbi aliquis ex eo quid sperat aut imperrat.] *Vetus lectio*, Vbi aliud ex eo quis sperat aut praeparat.

g Huic virgini. Omnes & quicunque viitiatas filias vel clauserunt vel occiderunt.] *Eadem* Huic virgini hos, *non* huic virgini omnes. *Corrigendum puto*, Habes Virginios & quicunque, *cetera. nota est historia Virginij, qui Virginiam filiam occidit, ne vitiaretur ab Appio Claudio decemuiro.*

h Ego non expectaueram donec rogarer.] *Eadem*, Ego non expectaueram donec rogares.

i Multas

i Multas quaestiones rhetorici & Poëtae Romani.] Orationes, *non* quaestiones, *eadem habet. Sequitur statim.*

k A Graecis dictas non surripiunt.] *Existimo negationem redundare.*

l Thucydidis sententia est:] *Post haec verba succedunt in exemplaribus scriptis Graeca verba: sed tam deprauate scripta, vt nulla ratione legi queant.*

m Cum sit praecipua in Thucydide virtus breuitas.] *Scribe sic*, cum praecipua sit in Thucydide virtus breuitas, *ex eisdem.*

n Et suis cum claustris cecidit] *Corrige*, & suis eum castris occidit, *ex eisdem.*

o Nam in sententia Graeca, quae saluo sensu detrahas, deme.] *Scribe*, Nam in sententia Graeca breui (quae saluo sensu detrahas) deme. *ex eisdem. Post hoc autem verbum* deme *sequuntur Graecae dictiones, aeque ac superiores vitiose scriptae, vt nullus sensus erui omnino possit.*

p Constabit etiam si non aeque, tamen integra.] *In antiquo quodam exemplari*, Constabit sensus. *reliqua desiderantur.*

q Titus etiam Liuius] *Vetus lectio*, Titus autem Liuius.

r Vt hanc sententiam vituperaret tanquam translatam & corruptam dum transferretur obiiceret.] *Castiga*, vt hanc ipsam sententiam, & tanquam translatam & corruptam dum trãsferretur, obiiceret. *ex eadem.*

a Flaminius praetor Romanus in coena a meretrice rogatus,] *Proconsul, non praetor fuit Flaminius hic. Exemplar quoque antiquum* Pr. *habet, non* praetor. *Nota historia ex Valerio Maximo, Liuio, Cicerone, & reliquis. Quartus item liber Controuersiarum*, proconsul *agnoscit, non* praetor. *Sed hoc in medium relinquatur. Vetus item omnis lectio* inter coenandum *agnoscit, non* in coena. *Eandem mendam inferius quoque leges.* Controu. II.

b Nihil aliud quàm occiditis.] *Eadem*, Nihil aliud nisi occidis.

c Non inquire totum annum,] *Legendum*, non inquiro in totum annum, *ex eadem.*

d Et ante mensam deosque crudelitatis victima agnoscitur.] Crudelitas *habent plerique codices, vt sit exclamatio parenthesi inclusa.*

e Lege potius quàm scorto cadat.] *Elegantius vetus lectio* legi *habet, non* lege.

f Nunc nec quicquam viribus populi detractum est,] *Permuta hic quoque verba*, Nunc nec viribus quicquam populi detractum est, *ex eadem.*

g Et ante hunc alij fuerunt, quibus aestimari possunt.] Ex quibus aestimari possunt, *eadem agnoscit.*

h Percussurus ad praetorem lictor respicit.] *Praepostero ordine scripta verba. Lege*, Percussurus lictor ad praetorem respicit.

i T. Liuius de oratoribus.] *In quarto Controuersiarum*, Ruffus Vibius *habetur, non* T. Liuius.

k Mirridius dixit tettacolo,] Murrhedius *videtur legendum, non* Mirridius, *ex omni vetere lectione: astipulante etiam quarto Controuersiarum.*

l Vt expleretur circuitus.] Sensus, *non* circuitus, *habent veteres omnes codices.*

a Facta conuentaque legibus, rata sint.] *Scribe*, Pacta conuenta legibus facta, rata sint, *ex eisdem.*

b Expositôs qui cognouerint, solutis alimentis recipiant.] *Castigo*, Expositos qui agnouerit, solutis alimentis recipiat, *ex eisdem. etsi sint nonnulli codices, in quibus legatur* nouerit, *non* agnouerit. *Sed* agnouerit *legendum esse, indicant verba sequentia:* Agnitio diuidet, quos iunxit etiam expositio. *Item in quarto Controuersiarum non aliter habetur.* Controu. III.

c Cum alienis diuidimus liberos, quos non diuidimus cum matribus.] *Quaedam exemplaria*, Cum alienis diuidemus liberos? Graue est, quos non diuidimus cum matribus.

d Vna sunt nati. Vna expositi, *cetera*.] *Verbum* sunt *non habetur in aliquot exemplaribus.*

e Pactus sum flens tremens tanquam exponerem.] *Scribe*, tanquam cum exponerem, *ex vetere lectione.*

f Vtrunque potest ex hoc iudicio patrem dimittere.] Potestis *eadem, non* potest.

g Dixit Catherius quibusdam querentibus.] *Scribendum* Q. Aterius, *non* Catherius, *ex eadem. Nam in quarto Controuersiarum* Arterius *minus deprauate. De hoc Aterio multa superius in praefatione quarti libri.*

h Mecoenas dixit:] *Vetus lectio*, Nermas dixit. *Sequuntur statim in scriptis codicibus Graeca verba vitiatissime exarata. Et paulo post sequitur denuo sententia Graeca, pari perturbatione characterum, post verba illa*, Male vicit.

a Petuntur manus.] *Eadem*, Petuntur eius manus.

b Hoc excusat Saguntinos,] *Scribe*, Haec, *non* Hoc: *vt referatur ad necessitatem. ex eadem.* Controu. IIII.

c Sed nec iste occidisset] Caecidisset *eadem, non* occidisset.

d Quid interest lege excipere?] *Scribendum puto cum distinctione*, Quid? interest lege excipere, *cetera*.

e Nomine meo ageret] *Lege*. Nemo nomine meo ageret, *ex vetere lectione.*

f Ab Appio proconsule, cum quo in Cretam Sabinus venerat.] Oppio, *non* Appio: *&* ierat, *non* venerat, *legunt nonnulli codices. & in quarto Controuersiarum*, secutus erat in prouinciam Cretam ocium flammam. *vt illic quoque legendum forte sit* Oppium, *non* ocium.

g Sed interpretari petebant, vt illum honorem Sabinus tertio gereret.] *Vetus lectio*, sed bene precati Caesarem petebant, vt illum honorem, *cetera. Legendum puto* Caesari, *non* Caesarem.

c Idem etiam cum reus rogaret, vt in latomias transferretur. Nec nunc, inquit, quenquam nostrum decipiat nomen latomiae. illa animo meo lauta res est.] *Emenda*, Idem etiam cum reus rogaret, vt in lautumias transferretur: Ne nunc, inquit, quenquam vestrum decipiat nomen. Lautumiae illae minime lauta res est. *ex quarto Controuersiarum.* Lautumiae *autem scribendum esse, non* latomiae, *docet tum iocus hic Sabini, tum vetus omnis lectio, in qua nunquam aliter habetur.*

a Illa vis est quae arma, pugnam, vulnera non habet.] *Scribe* nulla, *non* illa, *ex eadem, & quinto Controu.*

b Describe istius comitatum tumultus vnus & vnus sonus est.] Senex *praefert omnis antiqua lectio, & quintus Cõtrou. Ex quo puto legendũ in totũ sic*, Describe istius comitatũ tumultus. Vnus puer & vnus senex est. Controu. V.

c Sustuli, immo venientem non potui excludere.] Sustulisti *per maiorem vetus lectio, non* Sustuli.

d Si quis obsessam latronibus armata manu coniugem liberosque rapuisset. Quod viuit puer, benefi-

cium erit meum.] Corrige, Si cuius obsessam latronibus armata manu coniugem liberosque rapuissem, beneficium erit meum. ex eadem. etsi puto mutilatum esse locum, quod liquebit conferenti eum eo quintum Controuersiarum.

e Quisquis puero fauit, ne inueniretur optauit.] Quintus Controuersiarum, Quisquis puero fauet, ne inueniatur optet, illustriore sic sensu.

f Sed vt infamaret vxorē veneficij, me veneficae mancipauit. Cum socero mihi, Iudices, ne viua quidē vxore per omnia conueniat.] Emendo, Sed vt infamaret vxorem veneficij, me veneficae mancipatum. Quid mihi cum socero, Iudices, cum quo ne viua quidem vxore priore conuenit. ex quinto Controuersiarum, & vetere lectione.

g Auspicans quid accidit,] Auspicans quicquid accidit, eadem.

Controu. VI. a Dixit consciam puellam. Petitur duci ad supplicium puella.] Filiam, non puellam, eadem. Item dictio duci redundat, ex eadem.

b Quod amauit te pater,] Eadem, frater agnoscit, non pater: & item quintus Controuersiarum.

c Quem armatus fugerat, nodus sequitur.] scribe insequitur, non sequitur, ex eadem. & paulo ante commordent habet omnis antiqua lectio, non inuadunt: adstipulante etiam quinto Controuersiarum.

IN LIBRVM DECIMVM DECLAMATIONVM.

Praefatio lib. x. controu. a Deinde iam pudet tanquam diu non seriam rem agam.] Scribe per maiorem, Deinde iam pudet me, quamdiu non rem seriam agam, ex vetere lectione.

b Et admicate vel actum iureiurando,] Eadem, & admittite vel adactum iureiurando. Sextus Controuersiarum dimittite, non admittite.

c Deinde litiganti similior quàm agenti,] Sunt exemplaria quae legant, non deinde, sed demum.

d Et in altercatione vires suas nouerat.] Sextus Controuersiarum, & in altercationem peruenire. Vires suas nouerat.

e Illos enim cum destituerit cura, labor adiuuabat. ij coloris minus habent, negligentiae non minus.] Legendum puto ex sexto Controuersiarum, Illas enim cum destitueret calor, labor adiuuabat. Hi caloris minus habent, negligentiae non minus.

f Nouissime quidem lepide] Omnis prisca lectio lepido agnoscit, non lepide.

g Faciebat enim censorium supercilium.] Legendum puto ei, non enim, & sunt codices in quibus vtrumque verbum habetur: Faciebat enim censorium supercilium ei.

h Nemo erat quin cum homini omnia obiecerat, ingenio multum tribueret.] Scribe, Nemo erat qui nō cum homini, cetera. ex sexto Controuersiarum.

i Supplicia de studiis sumi.] Supplicium, non supplicia, legendum ex vetere lectione.

k Conquirite in vos ipsos noua quibus pereat & si quid] Lege, Conquiritis in vosmet ipsos noua quibus pereatis. Et si quid. partim ex eadem, partim ex coniectura.

l Inuenit quemadmodum perducatis eandem rem corporis. Malam facem studiis subdere.] Scribendum opinor, inueniris quemadmodum perducatis ad eandem rem corporis mala, facem studiis subdere. Nam vetus lectio ad eandem rem habet.

m Atque ita includi veritus ne ignis qui nomine suo subiectus erat, corpori negaretur.] Legendum forte, atque inibi vri, veritus scilicet ne ignis qui nomine suo, cetera. Nam verbum scilicet in omni habetur vetere lectione. posset etiam legi incendi, non includi.

n Magnam partem illorum librorum conuoluisse,] Exemplar peruetus non illorum librorum agnoscit, sed illius libri. vt forte legendum sit stili liberi: quam lectionem pene astruunt sequentia verba.

o Quem a Gallione vestro petatis.] Quem a Gallione nostro petatis, Controuersiarum sextus.

p Recitauit rescriptum Labieni] Vetus lectio, Recitabit rescriptum Labieno.

q Coelo repleuerunt:] Eadem repluunt habet, non repleuerunt: adstipulante etiam sexto Controuersiarum. Vt forte non coelo repluunt, sed vnica dictione coelorepluum legendum sit.

r Cum illo me perduxeritis:] Non perduxeritis, sed perduxissetis, eadem fert.

s Poteram quidem dicere ane Osci. ipse ab eloquentia multum aberat.] Corrigendum, Poteram quidem dicere ane. Oscus ipse ab eloquentia multum aberat, ex eadem.

t Declamatori subtili & arido.] Sextus Controuersiarum, declamatori subtili, sed arido.

u Nulli non post primum tetracolum praeferendus. Primum tetracolum quorum faciam quaeritis?] Scribendum vtrobique tetradeum, non tetracolum: ex omni vetere lectione, & sexto Controuersiarum. Latini quaternionem vertent.

x Latronis, Fusci, Cestij, Albutij, Gallionis.] Verbum Cestij superuacaneum est, ex eadem. Alioqui non tetradeum esset, sed pentadeum.

y Dum in his ad satietatem vestram me praestiterim,] Eadem non Dum in his habet, sed Quamuis. Legendum reor, Quum vobis. & in sexto Controuersiarum Cum bonis legitur, non Dum in his.

z Permittite me mihi & aliquos ex sinu proferre.] Verbum me desideratur in eadem.

a Causas agente in Trachinensi colonia,] Sextus Cōtrouersiarum Terraconensi legit, non Trachinensi. Scribo Terracinensi, ex eadem. Terracinam autem, Volscorum lingua Anxur, Latij oppidum esse, Plinius tertio, Strabo quinto, & ceteri gregatim docent.

b Quàm consequi quantum sequi posset.] Verbum sequi in sexto Controuersiarum desideratur. In quo potest legitur, non posset, rectius.

c Insidiose aliquid petentes.] Scribe, Insidiosas aliquid potentes, ex eodem sexto.

d Nunquam de colore Latroni controuersiam fecit] In eodem sexto, Nunquam non de colore Latroni controuersiam fecit.

e Aut

e Aut aliquo quo declamare poterat tempore] *In eodem*, aut aliquando declamare poterat ex tempore. *Vetus lectio*, aut aliquam quod declamare poterat tempore. *Scribendum puto*, aut alio quàm quo declamare poterat tempore.

f Negabat itaque vlli placere posse,] Vtique *legendum, non* itaque, *ex eadem.*

g Sed quia circumspectus causae] *Eadem*, Sed quia circumspectus esset.

h Nemo diligentius primo posuit,] *Eadem* exposuit, *non* proposuit.

i Vt si quid illi defuit, scias loco defuisse.] Sciatis, *non* scias, *eadem praefert rectius. ad plures enim verba habet, vt ex praecedentibus liquet.*

k Filius quoque eius est, id est meus, &c.] *Scribe*, Filius quoque eius idem meus, *ex sexto Controuersiarum. & paulo post*, Controuersiam non paternam, *ex eodem.*

l Quae vires ingenij sui ex industria retundit.] Qua, *auferendi casu, non* quae, *& vetus lectio & sextus Controuersiarum habent.*

m Horum omnia non me animo maiore, sed certo potuisse iudicio] *In eodem sexto*, Horum nomina non me a nimio fauore, sed a certo posuisse iudicio. *Vetus quoque lectio* a certo *agnoscit.*

a Quòd sordidatus fui, lugentis est.] Luctus, *non* lugentis, *legendum ex eisdem castigatius.* Controu. I.

b Vitium me meum sequatur.] *Indicandi modo* sequitur, *non* sequatur, *in eisdem habetur.*

c Accusa, inquit, rem perage,] *Scribe*, Accusa, inquit, reum perage, *ex sexto Controuersiarum.*

d Mortuo patre meo, metuo, ne quis se laedi putet, si dixero occisum.] *Scribe per minorem, & adiunge superioribus*: mortuo patre meo, metuo ne quis se laedi putet, si dixero occisum.

e Quid accusanti fecisset, qui persequitur tacentem?] *Relatiuum* qui *habetur quidem in sexto Controuersiarum, in codice autem vetusto superfluit.*

a Viro forti praemium. Si plures erunt, iudicio contendant.] *Legendum puto*, Viro forti praemium sit: *vel*, Viri fortis praemium sit. Plures fuerint, iudicio contendant. *Nam antiqua pleraque exemplaria* Viri fortis *praeferunt, non* Viro forti. *&* fuerint, *non* erunt. Controu. II.

b Qui neque ipsi patri cessit.] *Malim legere* ipse, *quàm* ipsi.

c Alter percepit] *In quibusdam codicibus* percipit *legitur, rectius: vt praesens praesenti adiungatur.*

a Sic tibi satisfieri velle nec debuisti. Nam] *Haec verba in nulla vetere lectione habentur.* Controu. III.

b Et nec hoc ille propter filiam fleuit.] *In sexto Controuersiarum*, & hoc illi propter filiam praestitit.

c Videas an sub istis exemplis patri fortius liceat tantum loqui.] *Vetus lectio*, Vide an sub istis exemplis patri forti liceat tantum loqui.

d Iam morte patris quaesiuit inuidiam] *Lege ex eadem*, Etiam morte patri quaesiuit inuidiam.

a Si iste miseretur.] *Scribe*, Sic iste miseretur, *ex sexto Controuersiarum.* Controu. IIII.

b Integer alitur, & debiles alunt.] *Tollenda coniunctio* &, *ex vetere lectione.*

c Ita non infelicius sic sunt,] *Eadem*, Itane? In felicius supersunt.

d Interroga pueros,] *Scribe ex eadem*, interroga patres.

e Num incredibilia loquor.] *Eadem*, Nec incredibilia loquor.

f Cum tam crudelis sit, misericordiam publicauit.] *Corrige*, cum tam crudelis sit, misericordia publica viuit, *ex vetusto exemplari.*

g Et hodie vobis praemium rogate.] *Scribo* primum, *non* praemium, *ex vetere lectione, & sexto Controuersiarum.*

h Solet autem dicere.] *Eadem*, Solent etiam docere.

i Ergo tu cum de publica misericordia cogitas,] Cogitaris, *non* cogitas, *eadem. Lego* cogitares, *ex sexto Controuersiarum.*

k Potest etiam aliquis] *Scribendum*, Potest enim aliquis, *ex vetere lectione.*

l Et qui ne me alere quidem, nedum alios possum,] *Ordo verborum inuersus. Lege*, & qui ne me quidem alere, nedum alios possum, *ex eadem.*

m Vnius misericordia viuunt, & omnium aluntur.] *Dele coniunctionem* &, *ex eadem.*

n Illidunt & detrudunt.] *Pleraque omnia exemplaria*, illudunt & detrahunt. *In alijs* illudunt *tantum habetur, reliquis redundantibus.*

a Ad exemplum torti, Prometheum pinxit.] *In nonnullis codicibus*, & ad eius exemplum Promethea pinxit. Controu. V.

b Iden templa Mineruae fugimus.] *Nonnulla exemplaria*, aedem Mineruae fugimus, *quibus suffragatur sextus Controuersiarum. Alia*, Adeo templa Mineruae fugimus.

c Scis certe quàm tristem emeris] Scies *legendum, non* scis, *ex vetere lectione.*

d Torqueatur hic, nec sub Philippo moriatur. Hic nec sub Ioue.] *Corrige*. torquetur: hoc nec sub Philippo. moritur: hoc nec sub Ioue. *ex sexto Controuersiarum.*

e Senex lõga miseriarum tabe confectus,] *Videtur hoc loco verbum* senex *vagum esse, & debito verbo fraudatum. Proinde arbitror reponenda esse duo verba, quae in sexto Controuersiarum habentur, omissa (vt puto) negligentia librariorum: legendumque*, Producitur nobilis senex, longa miseriarum tabe confectus.

f Quemcunque praeco viderat ibi flentem,] *Verbum* ibi *redundat, ex quibusdam codicibus.*

g Statuit ex altera parte Parrhasius] *Vetus lectio*, statuit reum ex altera parte Parrhasius. *Sextus Controuersiarum per maiorem*, Statuitur ex altera parte Parrhasius.

h Dubium est inter ista, Parrhasius studiosius pinguat, an saeuiat.] *Corrige*, Dubium est inter ista, Parrhasius studiosius pingat, an ille saeuiat? *ex sexto Controuersiarum.*

i Ignis, tormenta, ferrum, officina. Hoc pictoris, an Philippi est.] *Scribendum*, Ignis, ferrum, officina haec pictoris, an Philippi est? *ex sexto Controuersiarum.*

k Deorum crimina in templo picta sunt.] Templis, *non* templo, *habet vetus lectio. & exemplaria quaedam* scis *agnoscunt, non* sunt.

Controu. VI.

a Noctu parietem domus eius perfodit,] *In aliquot codicibus verbum* domus *non habetur.*

b Id solum sustuli,] *In Sexto Controuersiarum,* Id solum sustulit.

c Profiteor indicium furti,] *Deest verbum* mei, *ex omni antiqua lectione : vt sit* furti mei.

d Cur me submoues ante actionem,] *eadem* accusationem *praefert, non* actionem.

e Quale id spectaculum fuit?] *eadem,* Quale istud spectaculum fuit.

f Consilium videri vult infelicitatem furti sui.] *Lego* felicitatem, *non* infelicitatem. *Felix enim fuit, qui hostiles litteras intercepit. Probant id etiam verba sequentia :* Sustulit quod non elegit, sed quod illi fatum publicae felicitatis obiecit.

g Lex quae nocturnum furem occidi iubet,] *Verbum* iubet *in quibusdam exemplaribus non habetur.*

F I N I S.

COLLE-

COLLECTANEA, ET NOTAE QVAEDAM IN M. ANNAEVM SENECAM.

PAGINA 7. Iustus Lipsius V.Cl. Electorum I. cap. I. Censet vulgus libros eos qui Controuersiarum & Suasoriarum inscribuntur, Annaei Senecae esse; illius qui Philosophus dicitur, & qui Neroni praeceptor. Censet vulgus, & ideo errat. Pugnat enim cum ea sentẽtia Senecae aetas, pugnat vita, pugnat stilus. Aetatis pugnam doceo: quia quicumque iis libris scriptor fuit, Augusti & Tiberij aeuo vixit, non Claudij & Neronis. Hoc colligo ex variis eius de se dictis. Ait alibi familiarem se fuisse Cestio Pio, Porcio Latroni, Valerio Messallae: alibi Ouidium poëtam declamãtem audiuisse, & Asinium Pollionem viridem cognouisse & senem. Eas omnes faces illustrasse ego scio medium principatum Augusti. At Senecae celebrior aetas in Claudium incidit & Neronem. Addit imò amplius ille scriptor, ea aetate se fuisse vt Ciceronem ipsum audire potuerit declamantem. Verba eius sunt Praefatione prima: *Omnes autem magni nominis mihi videor audiuisse, praeter Ciceronem. Nec Ciceronem quidem aetas mihi eripuerat, sed bellorum ciuilium furor, qui tunc totum orbem peruagabatur. Intra coloniam meam me continui. alioqui potuissem eũ audisse in illo atriolo, in quo duos grãdes praetextatos ait secum declamare solitos.* Ne quis mihi, quaeso, ad hunc locum nebulas aut nugas. Ait se Ciceronem audire potuisse declamantem cum duobus grandibus praetextatis. Ii fuerunt Hirtius & Dolabella: quos ideo ludens sic appellat, quia tunc in praetexta toga erant, & in magistratu. Eos per bellum ciuile Caesaris, Cicero (vt ipse alibi ait) dicendi discipulos habuit, coenandi magistros. Vide quo aetatem suam producat ille scriptor. Ante Caesaris mortem non solum natus fuisse debuit; sed etiam annos aliquot habuisse legitimos ad audiendum Ciceronem. Quomodo haec aeui, vt sic dicam, granditas cadet in hunc nostrum Senecam, qui mortuus Silio & Attico consulibus, extremo imperio Neronis? id est, centum & XV. annis post illud aeuum. Sed enim occurrunt huic rei, Et vixit, inquiunt, Seneca annos ad centum XIIII. alij etiam liberalius, centum XXIV. ita enim scribunt passim in historia eius vitae. Homines praestigiatores! & prae quorum arte in recoquẽdis senibus nihil sit Medea. Sed quid nugantur? cedo mihi auctorem aliquem huius tam prodigiosae senectutis. Non dabunt. Tacitus, qui fautor Senecae, & ideo diligens in vita eius narranda & morte, senile eius corpus dixisse contentus fuit: grandem hanc, & non longe a miraculo aetatem, non attingit. Imo contra apud eum reperio, libro XV. in oratione Neronis Senecam adloquentis: *Est tibi*, inquit, *adhuc valida aetas, rebusque & fructui rerum sufficiens.* Valida, ait, aetas: & hoc paucis ante caedem eius annis. Qui conuenit hoc in senium tam effetum? Sed ventilo ego, & tracto adhuc lusoria arma: quid si doceo Senecam natum non fuisse Cicerone viuo? nonne perorata haec lis est? Ait ipse de se, Epistola CVIII. *His instructus abstinere animalibus coepi: & anno peracto, non tantum facilis mihi erat consuetudo, sed dulcis. Quaeris quomodo desierim? In Tiberij Caesaris principatum iuuentae tempus inciderat. alienigena tum sacra mouebantur, & inter argumenta superstitionis ponebatur animalium quorundam abstinentia. Patre itaque meo rogante, qui non calumniam timebat, sed philosophiam oderat, ad pristinam consuetudinem redij.* Locus clarus, & in quo arx huius causae. Ait ecce se iuuenem sub Tiberio, quo tempore alienigena sacra vrbe mota sunt. Id accidit quinto Tiberiani imperij anno: vt colligo facile ex his Taciti verbis Annali secundo: *Actum & de sacris Aegyptijs Iudaicisque pellendis: factumque patrum consultum, vt quatuor millia libertini generis ea superstitione infecta in insulam Sardiniam veherentur.* Vtrum ergo digiti me fallunt: an a morte Ciceronis ad hunc diem, anni circiter sexaginta colliguntur? Quod si est, quomodo natus Ciceronis aeuo Seneca fuerit: & idem iuuenis adhuc sub Tiberio? Nisi quis tam inepte desipiens, qui sexagenarium senem iuuenem censeat appellandum. Certa res. & huic vni argumento si quid opponi potest, illi sapiant; ego, vt poëta vetus ait, fatuus sim, non solum stultus. Pugnat ergo aetas Senecae: etiam vita. Nam is qui philosophus, vitam illustrem egit, ad remp. accessit, honores gessit, Quaestor, Consul fuit. De Quaestura sua ipse fatetur Consolatione ad Elbiam: de Consulatu, auctores Fasti & Iurisconsulti. Haec vitae lux non cadit in meum senem: quem vixisse remotum ab omni ambitu scio, equestri ordine contentum. Testis ipse in praefatione libri secundi. Melam filium alloquens, *Perge*, inquit, *quo inclinat animus, & paterno contentus ordine subduc fortunae magnam tui partem.* Nam ordinem intelligit non dubie equestrem. Denique cum vana illa opinione quid magis pugnat, quàm stilus? Aristoteles apud quosdam Libyae populus, quoniam vxores communes sunt, ait liberos ad formarum similitudinem distribui. Velim idem sit in his libris. quorum profluens & copiosa dictio, tantum abest a Senecae arguta & concisa eloquentia; quãtum Homericus ille Nestor a Menelai. Quis falsus scriptor, satis dictum: dicam quis verus. tam clare idipsum; vt si quid hac parte errem, non recusem quin Fides auersa a me in omne aeuum. L. Annaeus Seneca Philosophus patrem habuit nomine & cognomine eodem. Is domo Corduba fuit; professione, Rhetor. Natus ante bellum ciuile Caesarianum, superuixit ad Claudij circiter principatum: sine honoribus, & non aliud quàm prouincialis eques. Is iam senex non dubie filiis suis scripsit, aut dictauit potius, hos qui supersunt Controuersiarum & Suasoriarum libros. Sed vt in Plauti fabula, inter duos Menaechmos: sic inter duos Senecas confusione nominum ortus error. Tributa illi, quae huius erant: & claritate nimia filij obscurus pater hodie,

imò ignotus. Memoriam boni senis fugitiuam (impune hoc dixerim) primus retraham ego. Eius, inquam, Senecae hi libri. Doceo ex aetate: quae patri conuenit, disconuenit proli. doceo ex inscriptione, quae in omnibus libris, etiam scriptis, concipitur: L. ANNAEI SENECAE, AD SENECAM, NOVATVM, ET MELAM FILIOS. Optime. Inter tres filios quos nominat, Seneca Philosophus est: reliqui eius fratres. Stemma tale.

L. Annaeus Seneca, qui Rhetor. { L. Annaeus Seneca, qui Philosophus.
Elbia, eius vxor. { Annaeus Nouatus, aliter Iunius Gallio.
{ Annaeus Mela, siue Mella, pater Lucani.

Quid iam clarius, quàm Senecae patris esse haec scripta? Nam quin Mela ille frater Senecae Philosophi sit: non ambiges ex his locis. Tacitus libro XVI. Annalium: *Mela, quibus Gallio & Seneca parentibus natus, petitione honorum abstinuit: per ambitionem praeposteram, vt eques Romanus consularibus potentia aequaretur.* Seneca ipse in Consolatione ad Elbiam: *Respice fratres meos, quibus saluis fas tibi non est accusare fortunam. In vtraque habes quod te diuersa virtute delectet. alter honores industria consecutus est* (Gallionem intelligit:) *alter sapienter contempsit.* intelligit Melam. Confer nunc locum e praefatione libri II. Controuersiarum; & vide quàm elogia omnia conueniant in hoc Mela. *Haec eo libentius Mela fili carissime refero, quia video animum tuum a ciuilibus officiis abhorrentem, & ab omni ambitu auersum. hoc vnum concupiscentem, nihil concupiscere, vt eloquentiae tantum studeas. Ego vero non sum bonae mentis impedimentum: perge quo inclinat animus, & paterno contentus ordine subduc fortunae magnam tui partem.* Nec turbat me, quòd epigraphe Nouatum nominet, quem alij, & quem Seneca ipse, Gallionem. Idem enim ille per adoptionem familia exiuit, & in gentem ac nomen venit Iunij Gallionis. Credo illius ipsius Gallionis, qui inter Rhetoras nominatur Senecae patri: & de quo Scriptor incertus De causis corruptae eloquentiae: *Malim hercle C. Gracchi impetum, aut L. Crassi maturitatem: quàm calamistros Maecenatis, aut tinnitus Gallionis.* At nomen Nouati anterius ei fuisse, colligo ex Seneca in Consolatione: qui filiam huius agnoscit a nomine veteri Nouatillà. Non item locus me mouet initio libri II. Controuersiarum de Fabiano philosopho. *Scio futurum,* inquit, *vt auditis sententijs eius, multas cupiatis audire. sed nec ille diu declamationibus vacabat: & ego multo minor natu quàm ipse erat, audiebam quotiens inciderat, non quotiens volebam.* Qui si recte haberet; vana omnia quae dixi de aetate huius senis. Fabianus enim auditor Cestij Pij & Arellij Fusci fuit; ac sub Tiberio praecipua illi fama. Quo si multo minor natu hic scriptor: cur nõ pistrino trador ego atque asino? Sed non recta lectio, & emendo, *multo maior natu.* Causa enim vera non audiri Fabiani, quòd ille iuuenis, Seneca iam grandi; vt homo senex frequentare declamationes adolescentuli honeste non posset. Haec Lipsius. Sed & ante eum Andreas Alciatus Parergon lib. IV. cap. XIV. Illud sciendum, duos fuisse Senecas: Eum qui Neronis praeceptor erat, cuius sunt Epistolae & Tragoediae, quique patruus Lucani poëtae, & Gallionis frater fuit. Alium seniorem, istius & Gallionis patrem: cuius sunt Declamationes, qui se potuisse Ciceronẽ audire attestatur. Vt ridicula sit eorum sententia qui vtriusque aetatem cõiungentes, vixisse posteriorem annos supra CXX. comminiscuntur: cum tamen Dio lib. LVIII. phthisi laborasse hunc Senecam sit auctor, manusque Caij principis euasisse, quòd credebat fore vt quamprimum fato decederet.

P. 11, v. 32. Vibij Calui nulla in hoc libro, praeterquam hîc. fit mentio: at Vibij Galli creberrima. vt non immerito *Galli* pro *Calui* reponendum videatur.

42. Scribendum *Vallij*, vt pag. 80, 6. & alibi.

53. Inuerte litteras, vt fiat, *Vibij Rufi.* sic enim infra saepius citatur.

P. 13, v. 6. *Accipitrum quoddam genus buteonem appellant Romani. Familia etiam ex eo cognominata, cum prospero auspicio in ducis naui sedisset.* Plinius natur. hist. cap. VIII. lib. X. Ex ea familia declamator hic Buteo.

P. 14, v. 22. Huius editionis lectioni adstipulatur Lipsius Elect. I. cap. XXIII.

P. 16, v. 13. Doctrinae & morum elegantia ornatiss. Io. Nicotius legit, *Castis cum dicit, intelligo penatibus* & statim versu 15. *non ad animum hoc referens, sed ad corpus.*

P 17, v. 2. Videtur *Basilius* coaluisse ex cognomine & nomine, *Bassus Iulius.* Is autem est qui res sordidas (quale hoc Basilij dictum) consectari solebat, vt infra Controu. I. lib. X. refertur. certe de Basilio rhetore nihil alibi, quod sciam, legitur.

12. Politianus Miscell. cap. LIX. hunc versiculum notat esse in Priapeio epigrammate, quod Virgilio plerique tribuunt: hincque scrupulum monet de illius carminis auctore.

54. Iunij Bassi bis meminit Seneca, hic & pag. 90, 57. Forte is est cuius ridicula contumeliosa fuisse tradit Quinctilianus cap. III. lib. VI. Sed hic iunior fuisse videtur, quàm vt Senecae rhetoris aetatem attigerit. Proinde *Iulij Bassi* scribi malim, ex cuius declamationibus plurimae sententiae ab auctore nostro excerptae sunt.

P. 18, v. 22. Mendum est in nomine *Silli Sparsi.* Pagina praecedenti, & in sequentibus Fuluius Sparsus nominatur: vt hic vel *Fuluij Sparsi* scribendum sit, vel *Iulij Bassi*, vt habetur pag. 22, 42. & 25, 18. de quo tamen quid censeam, infra indicabo.

P. 20, v. 35. Quid si *frigidius* in *Brutidius* mutares, & *illi* in *illius*? vt hic contrariam Latroni & Arellio sententiam dixerit. Extant autem aliquot sententiae Nigri Brutidij in hisce Controuersiis.

P. 21, v. 14. Io. Nicotius legit, *Altera, misericors sum, inquit.*

P. 22, v. 42. *Silij Bassi* nomen ferri potest. In superioribus editionibus scribitur *Syllij Bassi.* Vbi *Sepullij* vocem sepultam esse coniicio. Sepullij namque Bassi aliquoties Seneca meminit.

P. 24, v. 6. Pro *fecutere* ceterae editiones habent *scribere.* Lipsius *describere* volebat, commentario ad lib. III. Annalium Taciti. Sed nunc nihil mutandum.

P. 26, v. 4. Rectius forsan, *qui non indicasset*, nempe Reip. filium tyrannum.

P. 27, v. 30. Scribendum *Iunij Othonis*, non *Iulij*: idque patet ex Tacito & hoc ipso auctore.

P. 32, v. 56. Iuxta Plinium *Broccus* dicendum fuisset. *Labra* (ait lib. XI. cap. XXXVII.) *a quibus Brocci, Labeones dicti*, &c.

P. 34, v. 7. Huius Antiphontis somniorum interpretis ingenio eludentis meminit Cicero lib. II. de diuinatione.

14. Videtur τὸ *ad* suppositum ab eo qui formulam loquendi ignorabat, qua quis calumniam in aliquem iurare dicitur. infra Controu. IV. lib. VII. *Calumniam iuranti si quam iniuriam Cato Pollioni Asinio accusatori suo fecisset, se in eum iuraturum calumniam.*

22. Caelius Rhodiginus antiquarum lectionum lib. XI. cap. X. Pararij apud Senecam de beneficiis libro II. non fere alij sunt, quàm proxenetae, hoc est mediatores, vt Apuleij verbo vtamur, conciliatores intercessoresque inter emptorem venditoremque. *Quidam*, inquit, *nolunt nomina secum fieri, nec interponi pararios, nec signatores aduocari, nec chirographum dare.* Et Controuersiarum tertio, *Vt dominicae libidini pararium faceret.*

34. I. Lipsius comm. in III. Ann. Taciti. Seneca pater Iunium Othonem & genus eius dicendi describit, non sine nota, lib. II. Controu. I. Ait illum vsum tecto genere dicendi & suspicioso, vbi minime opus, & cum aperte liceret agere. *Bene*, inquit, *de hoc vitio illius Scaurus aiebat, illum acta in aurem legere.* Acumen ioci reddo, scriboque, *legere*. Acta, publica sunt, nec aliud tam vulgo promptum notumque. adeo vt prouerbij loco Seneca filius alibi dixerit, *Beneficia in acta non mitto*, id est, non publico, non diuulgo. Quid autem magis ridiculum, quàm Acta publica alicui recitare in aurē? Subtilis ergo in id vitium hominis iocus: quem belle aemulatus est Martialis:

Garris in aurem semper omnibus Cinna,
Garris & illud, teste quod licet turba.
Adeone pectus hic sedit tibi morbus,
Vt saepe in aurem Cinna Caesarem laudes?

Nec enim dubito, quin oculos habuerit ad breue illud Scauri acutumque dictum.

P. 36, v. 47. Nicotius legit, *ex quo apparet.*

P. 38, v. 44. Iac. Cuiacius obseruationum lib. IX. cap. XXII. in vulgatae lectionis, *in scholasticam dementiam ageret*, locum, substituit illam, *in schola dementiae agere*: quam haec editio exhibet.

P. 39, v. 8. Nicolao Fabro doctrinae eruditione, ingenij acumine, ac morum probitate excellenti viro, & consiliario regis prudentissimo, penes quem Senecae restituti & gloria & palma, assentior *demens* legenti; nō item *iunius* pro *iustus* scribi posse arbitranti. aberrat enim paulisper a recepta scriptura. propius abest *Fuscus*. & huius sententiae ab vtraque parte paulo ante relatae sunt. vt sine dubio diuisionem quoque pro more instituerit.

26. *Lucius* hic quis sit, frustra quaeritur. Arbitror *Fuscus* scriptum fuisse. nisi quis id nomen malit in *L. Vinicium* resoluere. quod non arridet.

31. Vide Politiani Miscell. caput LX.

P. 41, v. 53. Lipsius comm. ad lib. I. Ann. Tac. primo exculcat vocem *Maecenas*, quae in nostra bene abest. mox rescribit, *qui diceret Agrippa M. & quod in medio est.* vt sint haec verba ioci, & gentis nomen medium inter cognomen praenomenque. Deinde monet, quae sequuntur, *Concurrite*, &c. mutila esse. videri versus fuisse, *Concurrite omnes augures aruspices.* Demum pro *arte*, *parte* reponit, & *dictum* pro *dignum*: huic & Romanae impressioni conuenienter.

P. 42, v. 18. Io. Nicotius scribit, *nullae fel. tunc vid. quàm quae lib.*

47. Scribe, non *Hisponis*, sed *Hispani Cornelij*. ita habent omnes ante Romanam editiones. & Hispo, Romanus appellatur; cuius sunt excerpta versu ante hunc quarto.

P. 45, v. 13. Lege, *accusatur a filio.*

37. Lipsius Saturn. sermonum lib. I. cap. XIX. Nunquam veteres hilarius se inuitabant, quin lacesserent laetitiam hoc sermone; Viuamus, moriēdum est. Atque adeo ipsa verba apud Vibium Gallum in Controu. V. lib. II. *Conuiuae certe tui dicunt, Viuamus, moriendum est.* Ita lego, non *Bibamus*, cum vulgo.

P. 46, v. 2. Inter plurima huius loci mire mutili vulnera, vnum feliciter percurauit Io. Nicotius, *vitiorum* sufficiendo loco *vitiosum.*

P. 46, v. 57. Iste rhetor *Damas Cambrus* variam sui nominis iacturam passus est. id tamen nullibi integrius permansit quàm in hoc scopulo, & pag. 115, 15. Graecis litteris exaratum, ΔΑΜΑCCΟΜΑΡΟΕ. Alibi modo prima littera & postrema dictione demptis *Amas*, vt pag. 20, 31. modo illa resumpta *Damas* & *Damas*, vt pag. 118, 3. & 124, 14. modo altera dictione corrupta *Damasceucus*, vt pag. 121, 38. effictum est. At omnibus his locis idem rhetor innuitur, is nempe cuius germanum nomē fuit *Damasus Scombrus*, patria Trallianus. Testis Strabo lib. XIV. ἐγένοντο δὲ (ait) καὶ ῥήτορες ἐπιφανεῖς, Διονυσοκλῆς τε, καὶ μετὰ ταῦτα Δάμασος ὁ Σκόμβρος. Sententiae eius omnes interierunt: quas quidem restituere operaepretium esset. Sed quia non licet, satius est auctoris nomen conseruare, quàm & caput & dicta simul perdere.

P. 47, 38. *Quae impudicos* mauult Nicotius: & v. 41. *in hanc seru. int. custodiam nul.*

P. 49, 58. *Bathyllus* cum aspiratione scribendum ex Dione.

P. 50, 2. De hoplomachis & threcibus gladiatoribus doctissime disseruit Lipsius Saturn. lib. II. cap. IX. & XI.

3. Turnebus Aduersariorum lib. II. cap. VIII. legit, *Et quidam sic cum schemate componi cupiunt quomodo est alti.* quidam enim (ait) gladiatores suis quadam figura & schema in arenam prodibant, quibus cum Pinnirapi componebantur.

17. *Ventilare* bene: non, vt quibusdam videri possit, *velitare*. Sic L. Seneca epist. CXVII. *Quàm stultum est, cum signum pugnae acceperis, ventilare.* Plura de hoc verbo Lipsius Saturn. lib. II. cap. XIX.

31. *Threx* scribendum potius, vt supra linea 2. *Threcibus*. Mox *Bathyllus* legendum monuerat Lipsius comm. ad I. Annal. Taciti.

35. De hac Cestij irrisione Turnebus Aduersar. lib. X. cap. VI. Infra ad pag. 59, 12.

P. 54, 34. Olim *Syria*, nunc *Lycia* legitur. de quo satis monuit Pincianus. Lipsius comm. ad I. Annal.

Taciti dubitat, exscriptorum ne vitium id sit, an vero memoriosi nostri senis *σφάλμα*: quod verisimile non est in re tam recenti.

48. Caelius Rhodiginus lectionum antiquarum lib. s x. cap. x.

P. 55, 39. Scribendum *sibi ipse*, vt accepi a prudentissimo viro Cl. Puteano.

52. Puteanus ex vet. cod. *Lex hoc aestimari tunc voluit, cum* &c. versu 53. *non sustulisset*. versu 55. *Hoc etiam in victimis*, &c.

P. 57, 19. Idem ex eodem, *extra*. Non *sp*. & 21. *in hoc me seruasti?*

P. 58, 38. P. Faber V.C. Semestrium lib. I. cap. x x i i i. Aeque dignum esse poena significat eum qui admota vi vtitur, ac eum qui adhibet.

P. 59, 12. Turnebus lib. x. cap. vi. Apud declamatores actio quaedam proponitur, e qua eorum quaedam oriuntur causae, *inscripti maleficij*: vt apud Senecam libro quinto declamat. I. *Inscripti maleficij sit actio*. Ea, vt opinor, maleficij erat legibus nominatim diserteque nō comprehensi neque cauti, cuius tamen actio dabatur. Quae quidem moribus Graecorum videtur comparata fuisse, non Romanorum: apud quos scholasticum hoc & declamatorium erat, non in Repub. vsitatum. Huius rei mētio est apud Hesychium & Suidam. sic enim scribunt, *ἀγράφου ἀδικήματος, ἐφ' ᾧ νόμος οὐ γέγραπται*. Ex his intelligetur nullo negotio iocus & frustratio Senecae, Cestium declamatorem irridentis, qui se eloquentiorem tamen & disertiorem Cicerone putabat. eum enim ludens Seneca repertum in foro postulauit inscripti maleficij, quae iure Romano actio prodita non est. Ille, qui in declamationibus semper versatus esset, in quibus ea actio iactabatur, aestuare & timere coepit, & foro nō assuetus aduocationem postulauit. Ita qui se Cicerone facundiorem putabat, patrono egere visus est. Sed verba Senecae subscribam ex lib. I I I. Declamat. I. *Deinde libuit Ciceroni de Cestio in foro satisfacere: subinde nactus eum in ius ad praetorem voco, & cum quantum volebam iocorum conuitiorumque effudissem, postulaui vt praetor nomen eius reciperet lege inscripti maleficij. Tanta illi perturbatio fuit, vt aduocationem peteret. Deinde ad alterum praetorem duxi, & ingrati postulaui.* Ecce iterum peruenuste illudit Seneca, qui ingrati postulet ingenuum, cum ea tamen prodita sit Romano more in libertos ingratos actio: sed fretus inscitia Cestij hominis scholastici, sic impune iocabatur, cum ille stuperet, nec quicquam hiscere posset, qui sibi tamen Ciceronem parem esse negare solebat. Vt autem inscripta dicebantur quaedam maleficia: sic & scripta, quae nominatim legibus appellata cautaque erant. Quinctilianus I. declamat. *Igitur & scriptum maleficium & aduersus eum cum quo agitur*. certum significat esse crimen, & legum sanctionibus & animaduersionibus vindicari solitum. Hactenus Turnebus.

P. 63, 12. De hac lege Iac. Cuiacius Obseruat. lib. x i i i. cap. x x i v.

18. Lege, *non essem mendicus*,

P. 64, 37. Rectius, *adulterium*, vt est in edit. Romana.

P. 66, 13. Vir clarissimus Cl. Puteanus ex vet. codice, & nonnullis editionibus legit, *Nunquam se torsit quomodo diceret, sed quid diceret*. & mox v. 20. *& hoc aequale omnium*.

39. Idem refert Suetonius in eius vita. *Egit & causas (ait) verum rarius, dum amplissimam quamque sectatur, nec alium in vlla locum quàm perorādi. Postea renunciauit foro partim pudore, partim metu. Nam cum in lite quadam centumuirali aduersario, quem vt impium erga parentes incessabat, iusiurandum quasi per figuram sic obtulisset*, Iura per patris matrisque cineres, qui inconditi iacent: *& alia in hunc modum: arripiente eo conditionem, nec iudicibus aspernantibus, non sine magna sui inuidia negotium afflixit.*

51. Ornatissimus Puteanus corrigit, *Cum volo, dicit: assum, viri volo, & quamdiu volo.*

P. 69, 22. Nicotius reponit, *si indulgentior sum*.

P. 71, 22. Idem *Populus* scribit pro *prorsus*. & 44. *negauit*, pro *negarit*.

P. 72, 54. Recte, *Et dixit non suae infirmitatis sententiam*: vehementiorem nempe & meliorem, quàm alioquin solebat. Nam Silo tam male declamabat, vt Cassius Seuerus optauerit, ne vnquam surgeret.

P. 76, 12. Epitome, *in media oratione*.

56. Turnebus Aduers. lib. x x I. cap. x x v I. Tandem aliquando Manutios & Muretus omni eleganti perpoliti eruditione, in Catullo, epigramm. I. constituerunt veram lectionem, & eam in suis sedibus collocarunt. *Salicippium* enim auctoritate Senecae fugitiuum retraxere, & hero reddidere suo: dicit enim Seneca lib. v. Controu. x x. Caluum cum perpusillus esset, imponi se supra cippum iussisse, vt ex eo *salicippium* finxisse Catullus videri merito possit. in Seneca tamen *saliputium* legitur. quod verbum significare posset, salum esse putū, quae parua auicula est, modo non in *putu* contumacior syllaba repugnet. Vnde & *salipusium* quidam legunt, quidam *salipullum*, vt sali auiculae pusionem & pullum. Locus iste non sic abibit, sed sentiet sceleratam manum qua violabitur. Quod de cippo a Seneca dicitur, postea factum esse animaduerto, vt inde emendatio Catulli petenda non videatur esse. Lego igitur,

Dij magni ascalabotion disertum.

quod vocabulum fortasse rusticus diminuerat & deprauarat male pronuntiando, & *salaputium* dixerat. nam & a Graecis ipsis lacessitur, & *καλαβώτης*, & *καλαβώτιον* dicitur interdum, quo nomine significatur stellio.

Ios. Scaliger in Catalecta Virgilij: *Putus* seu *putus* *ὑποκόρισμα* nutricum. In veteri Glossario: *Putus, μικρός. Puti, μικροί.* Etiam puerum hodie ita vocant in Italia. & Galli pusillum vocant, *petitum*, detorta voce a *putito*. Lasciuia inest, vt in vsu vocis, ita & in etymo. *Puta* enim *πόσθη*. Argumento *praeputium*, quasi *προπόσθιον*, non a praeputando. Nam & syllabae modulus refragatur, & prius ei parti id nomen imposuerunt Romani, quàm scirent a Iudaeis eam praesecari solitam. Sed sigma inde extritum est, vt a *ποσὸς*, *putus* prima correpta: *aurum putum*. *πυθεῖν* enim seu *πυθίζειν* est aurum explorare. *χρυσὸν πύθοντι λυδικῷ*. Theocritus. Ergo *πόσθη puta*, *προπόσθιον praeputium*, vt *ποσὸς putus*. *putum aurum*. Ergo lasciuia in Graecis nutricibus *ποσθὶ* *τὰ παιδία* puerulos *ποσθίωνας* vocare, eadem & in Romanis a puta *putos* seu *potos*. Sic *ὑποκόρισμα* nutricum imitatus est Catullus, cum Caluum *salaputium* vocarit. plus est enim, quàm si *pusillum*, aut *puerum*. erat enim breuis staturae. Cum igitur omnia tam Catulli antiquitus, quàm etiam Senecae excusa exemplaria fideliter retineant *salaputium*, multum negotij exhibuit primae huius temporis notae Grammaticis. Sed Seneca ipse manifesto demon-

strat

strat nihil quàm in eius staturam exiguam allusum fuisse, non autem quòd cippum ascendisset. Sicut & Augustus, vt ait Suetonius, Horatium inter alia blandimenta *purissimum penem* vocat, hoc est, vt ipsemet interpretatur, homuncionem lepidissimum. quod Graece nihil aliud esset, quàm πόσθων. Ergo similiter Catullus Caluum *salaputium*, hoc est πόσθωνα: ficto a *puta*, hoc est πόσθη, & salacitate nomine. Apud Plautum quoque Asinaria blandimenta mulierum sunt.

— dic me tuum

Hirundinem, monedulam, passerculum, putillum.

Putillus ποσθίων, πόσθων. non *pusillum*, vt perperam immutarunt. Apud Horatium vetus lectio asserenda est: *Putam, & putillam appellet.* — Nam *puta*, & *putilla*, ὑποκορισμὰ in puellas. a parte scilicet, qua puellae foeminae sunt: quae ab Italis ita hodieque vocatur. *Putillam* Graecae nutrices dicebant χοιρίον. Nam χοῖρος ea pars in puellis, de qua iam dixi, & annotauerat M. Varro. Aristophanes:

Ἐγὼ δ' ἐπειδὰν αὐτὸς ὡς ἐμ' εἰσδράμῃ,

Ἀνακύψομαι ἔξω παρακαλῶν, ὦ χοιρίον.

χοιρίον, putilla. Non igitur mirum, si Catullus, quem exiguum voluit vocare, eum salaputij nomine insigniat, more nutricum, salse nimis, & nequiter: quasi nondum ἀνὴρ, sed παιδίσκιον esset. Non enim (pace doctissimorum virorum dixerim) *salacippium*, neque καταπύγων, sed *salaputium*, vt habent vetera exemplaria, legendum. quanquam *salacippium* esset, vt *Crucisalus* Plauto Bacchidibus. Sed quia multis eruditis viris extorqueri non potest, quin Catullus alluserit in cippum, quem ascẽderat Caluus, non in breuem eius modulum corporis: audi verba Senecae: *Erat paruulus statura: propter quod etiam Catullus in Hendecasyllabis vocat eum salaputium disertum.* Vides nullam allusionem ad cippum. Sed melius Catulli verba fidem facient:

Di magni salaputium disertum.

Othonis caput oppido pusillum.

Etri rustica semilota crura.

Subtile & leue peditum Libonis.

Nam eum Othonis cuiusdam insigniter exigui caput habere dixit: crura vero breuia, sed obesiuscula (hoc enim est *semiplota*) Etrij cuiusdam tum ob surarum crassitiem vulgo notissimi: vocem vero similem ei sono, quem edebat a postica parte Libo, qui eo vitio facile laborabat. Quare salaputium, quae germana est lectio, iterum in sedes suas vindicandum est. Quod, vt dixi, more nutricum lusum est, a *salaputa*, quae caudam salacem (honor sit auribus) significat.

P. 76, 20. Politianus Miscellan. cap. VII. legit *iocosa*: & ait ad hos Calui versiculos alludere Iuuenalem Satyra IX.

Qui digito scalpunt vno caput. —

Et aptius suppleatur versus ex veteribus membranis sic,

Magnus quem metuunt omnes, digito &c.

Nam fascia crus ligare, regnum & tyrannidem affectantis est potius quàm impudici & pathici. & alterius fuisse videtur in hunc ipsum Pompeium epigrammatis. quod me post editionem monuit P. Pithoeus vir exquisitae doctrinae & iudicij.

36. Post *manus*, deesse videtur verbum *dixisse*, vel simile quid.

P. 83, 45. Ex vetere lectione, *agitatur re* (vel vt alij *se*) *compersisse*, forte non absurde fieret, *agitatum se competisse.* de vltima voce spondeo. sic enim paulo ante Fuscus Arellius dixerat, *in hoc se competisse.*

P. 87, 40. Nicotius mauult, *deijciendo se praecipitem in lacum.*

P. 88, 38. Idem, *animi mutus index.*

P. 90, 57. Supra dixi videri *Iulij Bassi* scribi debere, cuius crebra in his libris & Pintiano elencho mentio.

P. 92. 21. Lipsius comm. ad III. Annalium Taciti ita legit & distinguit hunc locum: *In hoc tecum vxorem non misimus? vt salua prouincia sit, optemus meretrici bonam mentem.*

P. 94, 11. Epitome, *Multa populus Romanus in suis imperatoribus tulit: in Manlio impotentiam, a quo & filius & victor occisus est: in Sylla crudelitatem: in Lucullo luxuriam: in multis auaritiam.*

22. Scribe *onus*? ex epitome.

P. 95, 39. Vide Cuiacium Obseruat. lib. XVI. cap. XXXVI.

P. 99, 39. Lipsius Electorum lib. II. cap. XV. Diurnum cibum seruorum, diaria apposite appellarunt. Martialis:

Sed Lupus vsuram, puerique diaria poscunt.

Seneca pater lib. IX. Controuers. IV. *Cum introductus esset e carcere in Senatum, postulaturus vt diaria* (male in libris, *diariam*) *acciperet.*

P. 101, 35. Nicotius addit *meo*. vt sit, *meo potius quàm illius periculo fiat.*

36. Fortean, *ego pater.* paterne videlicet erga puerum affectus. tu vero minime, qui tã sero tuos quaerere incipis, vt Varius Geminus statim dicit.

P. 102, 27. Lipsius Saturnal. serm. lib. II. cap. XXII. Senecae mentem satis illustrant sub Caio *quinque retiarij, qui totidem secutoribus succubuerant: cumque iuberentur occidi* (id est, abscissa missione) *vnus resumpta fuscina omnes interemit.*

P. 105, 55. Turnebus Aduersariorum lib. III. cap. VIII. Reprehenditur a Seneca libro X. declamationum Musa, vt affectate & putide loquutus, cum sifones dixit coelo repluisse, & sparsiones odoratos imbres vocauit. Sed cur obsecro *odoratos imbres* vocauit? an quòd adorati liquores vnguentaque & aromata spargerentur? vt Martialis epigr. III. Amphitheat. ait,

Et Cilices nymbis hic maduere suis.

Et verum fortasse quis putet, cum noeni tamen qui *adoratos* legeret, quòd sparsionem populus adoret imbrem simulantem. Statius lib. I. Syluarum de sparsione:

Hunc rorem veniens profudit Eurus?

Quicquid nobile Ponticu nucetis,
Fecundis cadit aut iugis Idumes:
Quod ramis pia germinat Damascus.

Subiicitque,

Non tantis hyas inserena nymbis
Terras obruit, aut soluta pleias,

Et paulo post:

Dum nostri Iouis hi ferantur imbres.

Iterum:

Diues sparsio quis agit tumultus?

Itaque *adoratos*, id est populo optatos & salutatos supino & suspicienti, iubilantique, libentius legerim. Lipsius libro de amphitheatro, cap. XVI. In imo & summo Amphitheatro dispositae erant fistulae, ea arte & fine, vt odoratum quemdam humorem eiacularentur leuiter & inspergerent in sedentes. Is humor, e croco plerunque. Seneca epist. XC. & lib. II. Quaest. Natural. Apuleius lib. X. *Tunc de summo montis cacumine per quandam latentem fistulam in excelsum prorumpit vino crocus diluta, sparsimque defluens pascentes circa capellas odorato perpluit imbre.* Bene Apuleius, *odorato imbre.* quia e fistulis illis, per minuta quaedam foramina stillabat is liquor in modum imbris. Et signate locutus est Antonius Musa apud Senecam patrem, qui *sparsiones, odoratos imbres* dixit. Vbi magnus ille Turnebus a se & a vero abit, dum tentat sufficere *adoratos imbres:* & perperam ad missilia refert.

P. 106, 9. Caelius antiq. lect. lib. XI. cap. XIII. Quid hisce innuatur, perobscurum est. Coniectura ipse ducor, vt *Physsienum* putem appellatum, veluti esset mentulatus follis. Nam physan dici follem, norunt omnes: sinon vero mentula est. quod Aristophanis docet interpres. vnde Sileni deflexum nomen est. Brodaeus Miscellaneorum lib. II. cap. XVIII. Ludouicus Caelius *Physsienum* appellatum putat, veluti esset mentulatus follis. Ego *Paschienum* arbitror nuncupatum, quasi pathicum καὶ πασχητιῶντα. πάσχειν enim Graecis plerunque hanc significationem habet. Demosthenes περὶ στεφάνου· ὅν ἐμισθώσατο ἄπειρος ἴσως καλουμένην, ἐκ τοῦ πάντα ποιεῖν καὶ πάσχειν δυναμένην. Xiphilinus: ὅτι καὶ ἐπίῤῥητος τῷ φύσει εἶναι αὐτὸν ὅτι πασχητιῶντος. Hadrianus Iunius Animad. lib. I. cap. XIII. Apud Senecam Controuersiarum lib. 6. locus extat vel maxime lucis egens, sed non eius quam Caelius illi addere contendit vndecimi lib. cap. XIII. Verba auctoris sunt de Osco rhetore, qui natus ad inurendas omnium ingeniis contumelias, nulli non impressit aliquid, quod effugere non posset. *ille*, inquit, *Passieno, prima eius syllaba in Graecum mutata, obscoenum nomen imposuit, declamatori subtili, sed arido.* Quibus verbis quid innuatur, perobscurum esse non inficiatur Caelius: sed coniectura duci se ait, vt *Physsienum* putet appellatum, veluti esset mentulatus follis, a φυσᾶν, quod follem significat a spirandi argumento, & σίνος, quae vox Aristophani mentulam sonet. quod nimis longe petitum, immo extortum verius, cui non subolear? nam vt omittam compositionis ius, quod reclamat: quis nescit non vulgari ista esse vsus vocabula in eo sensu? sed Comici peculiare alterum in obscoeni membri significatione, quando proprium paene sit illius, obliquis interdum verborum inuolucris potius quàm recto sensu prolatis vti. Ego vero simplicius venustiusque Passienum oratorem (cuius & apud Tacitum fit mentio) calumnioso nomine *Paschaenum* ab Osco audisse affirmauerim: πάσχοντα nimirum, quod velut pathicum & muliebria patientem designare illum voluerit, spurci nominis aspergine, παρὰ τὸ πάσχειν αἰνά, quod infanda pateretur: a quo verbo & πασχητιᾶν, Latino vocabulo non ignotiores pathici & cinaedi nominantur. Turnebus Aduersariorum lib. III. cap. VIII. In Seneca scribitur de Osco ad contumelias omnibus inurendas nato. *Ille Passieno prima eius syllaba in Graecum mutata obscoenum nomen imposuit.* Non leue tormentum multorum ingeniis locus ille admouit. nomen enim Graecum quod obscoenum sit quaerunt, ac miserum in modum se quaerendo fatigantes, laborem & operam ludunt. Ego legendum suspicor: *in cra commutata* vt Passienum ab eo *Crassienum* appellatum fuisse, vt crassum, hebetem & tardum intelligamus. nec enim obscoenum in libidine tantum dicitur, sed etiam in omni turpitudine. Turpe autem est alicui tarditatis maculam illini & stuporis, quod illa deprauatione fiebat. Post hos omnes Ranconetus *in Gras commutata* suffecit, vt iam supra a Cl. V. Nic. Fabro adnotatum est, & mihi indicauit summi ingenij, iudicij & sanctitatis vir Cl. Puteanus. Et sic Passienus, Grassienus dictus fuit, quasi hircum olens ob libidinem. γράσος enim Graecis hirci vitus & alarum foetorem notat: & γράσων hominem hircosum. Is autem odor acrior & foetidior iis qui frequentes sunt ad Venerea signa, vt docet Aristoteles probl. ιγ'. sect. δ.

17. Turnebus Aduers. lib. III. cap. VIII. *Bona fide scholasticus erat*, valet, sine dissimulatione. eum enim scholasticarum declamationum non poenitebat, genusque dicendi declamatorium non dissimulabat, nec forense affectabat, atque simulabat, quod sophistae alij faciebant.

18. Idem eisdem libro & capite: *Nulli non*, inquit Seneca, *post primum tetracolum praeferendus*. Hic primum tetracolum per translationem vocat Seneca quatuor primi nominis declamatores. sunt autem tetracola conuersiones quatuor membris comprehensae, vt tricola tribus: quae tum sunt elegantissima & argutissima, cum paria paribus relata habent. Idem libro V. Controuers. XXV. & lib. IX. declam. II. *Et illud tetracolo: Seruiebat forum cubiculo, praetor meretrici, carcer conuiuio, dies nocti.* Iterum, ibid. lib. V. Controuer. & IX. declam. II. *Hanc ideo sententiam retuli, quia & in tricolis, & in omnibus huius generis sententiis curamus vt numerus constet, non curamus vt sensus.*

P. 108. 54. Lego, *& ossa liberorum coniectura diuidunt.* quia confusa erant, nec facile distingui poterant cremata corpora. Solebant autem ossa mortuorum legi ad sepulturam.

P. 110. 46. Forte *Dento* in Mentonem transformandus. Dentonis nulla hic sunt excerpta; at Mentonis aliquot tum supra, tum proxime sequente Controuersia.

P. 114. 38. Forte, *aliqua parte corporis mutilati.* sed & vulgata lectio proba est.

P. 118, 18. *Dorion* scribendum. sic enim appellatur pag. 29. 92. & 123.

16. Si *Gargius*, vt videtur, male habet, vel *Gorgias* substitui poterit, vel *Gorgonius*. cui rauca vox a Barone scurra,

ne scurra, & foedum cacozeliae genus obiecta sunt.

P. 109, 57. Doctissimus iuxta atque humanissimus vir Io. Gillotus consiliarius in suo libro notat, in vet. cod. pro *operae est adesse*, legi *operae fuit adesset*.

P. 120, 45. Eiusdem liber *non* habet pro *nobis*, ex vet. cod.

50. P. Faber Semestrium lib. I I. cap. X V. Seneca vbi de Antonio, qui vellet se Liberum patrem dici, & hoc nomen statuis scribi, habitu quoque & comitatu Liberum ementiretur: ei venienti Athenienses cum coniugibus & liberis occurrisse, & Διόνυσον salutasse scribit: hoc etiam addito, *Dixerunt despondere ipsos in matrimonium Mineruam Musam suam, & rogauerunt, vt duceret: & Antonius ait ducturum, sed dotis nomine imperare se illis mille talenta.* In quibus, illud *Musam* Senecae non esse contendo: cum a veteribus praesertim Atheniensibus, non in Musarũ, sed in diuarum numero habita fuerit Minerua: Itaque Dio lib. X L V I I I. qui hanc historiam enarrat, Musae non meminit, ἐπειδή τε οἱ Ἀθηναῖοι πρός τε τἆλλα καὶ πρὸς τὴν Ἀθηνᾶν (inquit) αὐτῷ κατηγγύησαν, δέξασθαί τε τὸν γάμον ἔφη, καὶ ἑκατὸν μυριάδας ἐπὶ τῇ προικὶ αὐτῶν ἐξέπραξεν. Hadrianus Iunius Animaduersorum lib. V. cap. I. Quae Seneca prolixius, Dion breuius delibauit, sed in dotis nomine longe dissentit, cuius verba ex X L V I I I. historiarum libro a me Latine vtcunque reddita, adscribere est operaepretium. *Antonius nouum se Liberum patrem & ipsus nominabat, & ab alijs nuncupari volebat: siquidem & Athenienses praeter hoc & alia, quum Mineruam illi desponderent, recipere se nuptias ait, dotisque nomine myriadas centum ab ipsis exegit.* Discrimen τῶν ἀριθμῶν obserua: ille mille talenta pro dote imperata scribit, hic centum myriadas drachmarum. at posterior calculus non transcendit summam centum millium coronatorum aureorum: nam quum centum drachmae, decem coronatos pendant, decem millia drachmarum (quae myriadis nomine, Graecis notiore vocabulo dicuntur) ad mille coronatos excurrunt, quae summa centies cumulata, quadragies sestertium efficit, hoc est, centena aureorum millia. quod ita esse, manifestum fit ex Plutarchi verbis in Antonio, qui vigintiquinq; myriadas a Romanis decies sestertium dici affirmat, quae istius capitis quarta pars est, vigintiquinque aureorum millia constituens. At multo maius est pecuniarum caput, quod exactum in eadem re fuisse commemorat Seneca, nimirum sexcuplo maius, ad sexcenta aureorum coronatorum millia sese extendens, quod Romano more ducenties quadragies sestertium dixeris. Quid certi ad committendos autores discordes habeam, haud facile dixero: quid vero suspicer, possem. Sed suspicionibus legentium aures onerare nolim. I. Lipsius comment. ad I. Annalium Taciti: Mire foedatus Senecae patris locus Suasoria prima: *Cum Antonius vellet se Liberum patrem dici, & hoc nomen statuis subscribi; occurrerunt venienti ei Athenienses cum coniugibus ac liberis, & Dionysium salutauerunt. Bene illis cesserat, si nasus Atticus ibi substitisset. dixerunt despondere ipsos* (malim, *ipsi*) *in matrimonium Mineruam Musam suam, & rogauerunt vt duceret. & Antonius ait ducturũ, sed dotis nomine imperare se illis mille taléta. Tũ ex Graeculis quidam ait* . . . . *Huic quidem impune fuit, sed Atheniensium sponsalia mille talentis aestimata sunt. quae cum exigerentur, multi contumeliosi libelli propositi sunt, sicut ille qui subscriptus est statuae eius, cum eodem tempore Octauiam vxorem & Cleopatram: Hoc tu eas ia restituas, tibi habe.* Primum offendimus in Minerua Musa, quoniam neque Dio nominat in hac historia, Ἀθηνᾶν dixisse contentus: nec cognomen nostrarum dearum scio alias adhaesisse Mineruae. Itaque inducta ea voce scribo, *Mineruam suam*. nata fuit ex cõfusa repetitione litterae vocisque sequentis. In summa discrepat idem Dio, qui ἑκατὸν μυριάδας imperatas pro dote ait, id est Romano ritu H S. quadragies. Mille autem talenta Senecae, paullo minus faciunt ducenties quadragies: sexto tanto immaniore summa. Tamen non muto. Graeculi iocum, cui spatium vacuum, doleo abesse. (In ora libri est adnotatum: Monuit me per litteras And. Schottus ex Ant. Couarruuiae libro suppleri posse: Κύεια, ὁ Ζεὺς τὴν μητέρα σου Σεμέλην ἄπεισιν ἔχει.) at Latinum commode restituo, *Octauia res tuas tibi habe.* Quicumque ille, comiter iocatus est ex deuortij Romani forma. Cum enim Cleopatram amaret haberetque Antonius ecce subscripsit Iste quasi nomine Antonij Octauiam repudiantis, *Octauia res tuas tibi habe.* Quae sollemnia in libello repudij verba fuisse, iam notum. Appuleius: *Tu quidem ob istud tam dirum facinus confestim thoro meo diuorte, tibique res tuas habeto.*

P. 121, 3. Vide Cuiacij obseruat. lib. V I. cap. X X.

23. Eusebio in Chron. teste, inter nobilissimos artis rhetoricae Graecos praeceptores habitus fuit hic *Plution*, siue *Plutio*. sic enim legendum esse apud Hieronymum admonuit supra vir eruditissimus in annotatione ad pag. 17, 14. non vt vulgo, *Plusio*.

P. 123, 32. Male *Cornelij Spatus* scribi videtur. Rectius fortassis *Cornelij Hispani*.

P. 124, 56. *Abronium* inter Romanorum nomina me legere non memini: at saepe *Apronium*. Quo fit vt hunc Latronis auditorem *Apronium Silonem* nuncupatum credam.

P. 125, 23. Forte *Dorion*. qui supra aliquoties laudatur.

P. 127, 5. Bongarsius Notis in Iustinum. Censeo (ait) legendum, *Babylone excluditur, cui patuit Oceanus*. vulgo *cluditur*. nisi manis, *Babylon ei cluditur*.

P. 134, 39. Facilis permutatio litterarum *a* & *o*. Vnde *Gargonius* natus, qui *Gorgonius* alias nuncupatur.

P. 135, 37. Vt hic, ita pag. 33, 3. *Flauus* scribitur, & inde pag. 13, 21. *Flauo*, & pag. 35, 26. *Flaui* deducitur. at pag. 46, 24, *Flauium* & *Flauius*, & pag. 25, 12. *Flauij*. Atque haec posterior scriptura vera est: prior mendosa, & ad huius modulum corrigenda. Sic apud Quinctilianum *Flauius Virginius* legitur, & apud Plinium *Cn. Flauius*, non *Flauus*. Inuenio tamen apud hunc quoque *Flaui* scriptum lib. I X. nat. hist. cap. V I I I. *Pigeret* (ait) *referre, ni res Maecenatis, & Fabiani, & Flaui Alfij, multorumque esset litteris mandata.*

FINIS.

CATALOGVS CONTROVERSIARVM.

LIBRI PRIMI.

LIBRI SECVNDI.

LIBRI TERTII.

LIBRI QVARTI.

LIBRI QVINTI.

LIBRI SEXTI.

LIBRI SEPTIMI.

LIBRI OCTAVI.

LIBRI NONI.

LIBRI DECIMI.

SVASORIARVM
CATALOGVS.

IN M. AN-

IN M. ANNAEVM SENECAM RHETOREM RERVM ET VERBORVM INDEX, MENDOSIS VOCIBVS ASTERISCO NOTATIS.

A

Clodij

D

E

F

G

H

I

Iulij

L

LEGES.

M

N

T

e Tri-

X

Z

FINIS.

ANNO-

ANNOTATIONVM

INDEX.

Vu iiij

Q

R

S

T

V

Y

Z

F I N I S.

Errata.

Pag.25,4.14. lege transpositis litteris *Asprenatis*. P.53,1. dele *perdidisti*. P.91,28. scribe diuisim *ave tu*. P.112,37. numera *IIII*. & p.118,5. *XXIIII*. Ibid.9. scribe *arulas*. P.131,24. *passus* probat Lipsius epist. XVIII. lib. IV. P.161,14. repone *beneficij*. P.164,10. *Figuratae*. & v.22. transpone litteras, *pueritiae*. P.177,15. lege *Antim. & Catul. el.* P.179,37. *Isthm.* in Indice, dictione *Galbo*, scribe *primo*.

PARISIIS,
Excudebat Dionysius Duvallius,
anno Domini M.D.LXXXVII.
mense Ianuario.